UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Canone Fidei

Chamier, Daniel

Frankfurt, 1627

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-907

Visual Library

Antonius à Dorth, Clivo-Vesaliensis
Anno ✠ CIↃ IↃCXLVIII.
d. 8 Maij.
Groningae Frisiorum.

Empt. ~~novem~~ Daleris limonialibus, & 20 stuff
i — 23 — 10

Viro magno [Danieli Chamiero] elogia [Graec] tribuebat in Epistola ad D. Berwaldum Montalbanens. Professorem, Suum olim commilitonem, & in studiis Theologicis sodalem, Rev. & doctissimus Josephus Hallig Exoniensis in Anglia Episcopus: ij cum Chamieri ibi meminissent, subjungebat, Deus bone! qualis! quantus! Fuit ille unus [Chamierus ni:] tota Davidicorum procerum cohors, totum Davidica turris armamentarium, totus Goreus Israelis. Vix equidem me continco, ubi divini illius (si enim erat) satellitij fit mentio! ita admiratio loboo ingenium virj ingenium, multijugam Scientiam, acumen singulare. Nullo dimicans athletâ opus habebit Ecclesia Dei, quandiu superaverit (superavit autem aeternum) vester ille stupor mundi Chamierus.

Haec ita refert contra Mosen Amyraldum Theol. Salmuriens, Guilh: A. Fr. Rivety in epist. apol. ad Theoph. Rayssel. L. R. Medicol. Sarton. Past. quam videri potest inter Epistolas Apologeticas A. & G. Rivetorum Gra Mosis Amyraldi criminationes etc. pag. 109. ubi d. Guilh. Rivety contra Amyraldum sic addit, Chamieri opera ingentia, quae orbem commoverunt, hunc aestimatorem non movere.

מלחמות יי

DANIELIS CHAMIERI
DELPHINATIS

PANSTRATIÆ CATHOLICÆ,

Siue

CONTROVERSIARVM DE RELIGIONE ADVERSVS PONTIFICIOS CORPVS.

Tomis quatuor distributum.

Cum INDICIBVS *necessariis.*

GYMNASIUM BARMEN.

Ex Libris M. Joh. Jacob. Schulm Heidenh. Onoldini.

FRANCOFVRTI
Apud EGENOLPHVM EMMELIVM.
M. DC. XXVII.

REVERENDIS, PIETATE ET DOCTRINA PRÆSTANTIBVS VIRIS, FIDELIBVS DEI SERVIS, ECCLEsiarum Gallicanarum Paſtoribus, & Senioribus, in Synodum Nationalem coactis: Dominis, Patribus, ac Fratribus in Chriſto plurimum obſeruandis.

QVemadmodum, non ſine grauiſſimo dolore, hac ſeculorum ſenecta, ſancti quique & cordati viri, Mendacij Patrem falſos è ſpecu ſua Doctores, Tyrannidis ſuæ ſatellites emittere ſubinde vident, qui nullum non mouent lapidem, vt, quo iure, quaue iniuria, cœleſtem veritatem oppugnent opprimantque: Ita, non ſine ſingulari animi lætitia, magna etiam cum admiratione, à Domino illo, qui noſtra indutus carne in mundum venit, vt Diaboli opera diſſolueret, complures veritatis vindices diuino Spiritu afflatos ſuſcitari conſpiciunt; qui pro ſemel tradita fide, viriliter vtiliterque decertent, eamque regni tenebrarum machinis impetitam, totis viribus tueantur, & illæſam ſeruent. Quo ſe pacto mira erga Eccleſiam Dei prodit benignitas & prouidentia, quæ, ſicut ineunte vere, cum primum è terræ cuniculis prodeunt ſerpentes ad nocendum parati, fraxinum, aduerſus venenatos eorum morſus præſens remedium laturam, educit: ſic aduerſus huiuſcemodi terræ filios, qui venenum vipereo exitialius eiaculantur, varias nobis in horto ſuo præbet antidotos, conſitas & excultas, quæ virentes florenteſque, pharmacum ſalutare ſubminiſtrant, viruſque vel ſua vmbra propellunt. Viros, nimirum, pios & doctos, qui præclarum, quod à Domino acceperunt talentum, in terra non defodiunt, ſed Chriſti regno promouendo, Antichriſti tyrannidi euertendæ ſtudent ſolliciti. Quanta vero cum fide, induſtria, diligentia, ne quid de fructu dicam, in hac ſe exercuerit palæſtra, vt Spartam, quam nactus erat, ornaret, DANIEL CHAMIERVS, *parens meus, piæ memoriæ, meum non eſt referre: veſtrum potius, Reuerendi Viri, iudicare: qui perpetuos illius labores, ἀγωνίσματα tum publicas, tum priuatas, diſputationes frequentes, & viua voce habitas, & ſcriptis editas optime omnium nouiſtis. Imprimis vero eius rei fidem facit hoc Controuerſiarum corpus, indefeſſo labore concinnatum, ad quod veluti centrum omnes ſtudiorum eius lineæ referebantur, quodque ambitu ſuo vniuerſam Controuerſiarum de Religione aduerſus Pontificios molem comprehendit, Eccleſiæ iamdudum conſecratum: vbi, quicquid eſt in Romana ſchola ſtropharum, ſophiſmatum, fraudum, ad veritatem obſcurandam & falſitatem ſufflaminandam, detracto velo, ſeu potius larua diſciſſa, detegitur & refellitur: vbi flos Romani exercitus, totumque cataphractorum Antichriſti robur funditus profligatur: vno eoque iuſto prælio vniuerſi veritatis hoſtes conficiuntur, ita vt nullæ ſuperſint latebræ, effugia nulla. Non enim ſigillatim paucos, ſed confertos aggreditur, totamque aciei frontem ferit. Aduerſus innumeros Philiſtæos vnus olim decertauit Samſon: hic etiam ſolus & ſolitarius virtute cœleſti armatus tot hoſtium impetus, vt alter Horatius, vnus ſuſtinet, & tandem abſciſſo ponte progreſſum negat, ad regreſſum cogit, ipſeque armatus in flumen deſilit; flumen illud,*

inquam, deliciarum Domini, in quod exceptus morte glorioſa, ſed nimium præmatura (niſi Deo ſic viſum eſſet) nobis ademptus, ac in cœlum turbine fulmineo, & quadrigis flammeis translatus eſt, vnde delapſas has membranas, vt alterum Prophetæ palliolum, collegi auidus, ea ratione me omnes hæreſeon errorumque vortices exſiccaturum ſperans. Vtinam & mihi, quod olim Eliſæo contigit, hiſce oculis in altum aſcendentem proſequi licuiſſet, & ſæpius hanc vocem ingeminando, Pater mi, Pater mi, currus Iſraelis & auriga eius, *duplum eius ſpiritum conſequi, qui mihi vires ad ea, quæ in hiſce lucrationibus deficere poſſe videantur, perficienda, idoneas ſufficeret.*

Iam vero, ſiue authorem ipſum, ſiue opus, ſiue me quoque ipſum intueor, maximo iure huius operis inſcriptio vobis à me debetur. Author ſiquidem is fuit, cuius, quandiu vixit, vobis iucunda fuit conſuetudo, præſentia chara, nec ingrata futura, ni fallor, nunc vita functi recordatio. Quin & mortuus in memoria veſtra adhuc viget & viuit, inque animi veſtri gratia & fauore nunquam non eſt futurus ſuperſtes. Porro veſtro, vt norunt omnes, imperio hanc ſcribendi prouinciam ſuſcepit, animum, manumque ad ſcribendum appulit, non iniuſſa canens: ſub auſpiciis veſtris, quod opus inchoauit, hortatibus veſtris animatus promouit, veſtra quoque auxit liberalitate, quidni veſtri iuris abſolutum feciſſet? Illud igitur, cuius ἐγκαινώκατε *fuiſtis, quod antea Patris animus dicauerat, nunc filij manus offert.*

Opus quoque eſt eiuſmodi, vt, quo iure vos agnoſcit Dominos, *eodem in veſtram ſeſe clientelam commendet. Nam, ſi id quidem parenti multum, vobis, quibus tam multa parens, plurimum etiam ipſum debere ſe profitetur. Adeoque vt fluminibus naturale eſt in Oceanum, quem ſuæ originis fontem agnoſcunt, reuerti; ita ad vos merito redit, à quibus traxit originem. Præterea, ad quos potius ſpectent* מלחמות יהוה Prælia Domini, *quam ad eos qui panoplia ſacra induti aſſidue bella Domini gerunt, in excubiis domus Dei vigilant, & attendunt ne quid Reſp. Chriſtiana detrimenti capiat: qui, veluti* ſexaginta viri fortes ex fortiſſimis Iſrael, lectum Salomonis ambiunt, ad bella doctiſſimi, quorum vnuſquiſque enſem ſuper femur geſtat propter timores nocturnos? *Quibus potius debeatur Panſtratia Catholica, quam vobis Catholicæ fidei propugnatoribus acerrimis, ducibus ſtrenuiſſimis, qui gladium ſpiritus ſtringitis,* & arma non carnalia, ſed potentia Deo geſtatis ad euerſionem munitionum, quibus conſilia deſtruitis, & omnem celſitudinem elatam aduerſus cognitionem Dei: & captiuam ducitis omnem cogitationem ad obediendum CHRISTO? *Veſtrum etiam eſt, Patres Venerandi, qui ad Eccleſiæ gubernacula ſedetis, de hiſce diſputationibus cognoſcere, iudicare, ſententiam ferre.*

Apud vos eſt Turris illa Dauidis ad quam appendendi clypei fortium virorum, *ſuſpendenda quoque opima hoſtium ſpolia. Per manus veſtras in manus fidelium transferenda ſunt iſta* ἐπιχειρήματα, *imo ad Dei manus deferenda, cui conſecrata; quemadmodum olim Sacerdotibus erant tradendæ, quæcunque oblationes ad Dei cultum ab Iſraelitis deferebantur.*

Denique, quum in me ipſum oculos reflecto, quando ſuum cuique tribuere diuina omnia, humanaque iura præcipiunt, nec me ipſum culpa eximere, nec ingrati animi notam, ſi hoc munus vobis denegauerim, effugere poſſum. Adde, quod apud omnes omnium ordinum ac gentium mortales lege ſancitum, imo communi ſenſu receptum, vt qui parentum ſuorum hæredes exiſtunt, eorundem nomina expungant. Quocirca ego, qui ex aſſe hæres, hanc vobis vnciam dare damnas, quod iure debui, perſoluo lubens; futurus; ni faxim, in parentem contumelioſus, in vos ingratus, in Eccleſiam malignus, in Deum ſacrilegus. Accedit, quod hæreditario quodam iure, potius quam vllo meo merito, beneuolentiam veſtram conſecutus mihi videor, vt iam in proxime habita Synodo, cui intereram, Nationali, prolixe agnoui: vbi veſtram in me & familiæ noſtræ commoda, non vno genere, ſingularem propenſionem perſpexi,

& rea-

& reapſe ſum expertus; quum ad operis publicationem viam ſponte aperuiſtis, & ſubſidio non contemnendo iuuiſtis. De remetienda igitur aliquo modo gratia cogitare, gratumque erga vos animum, ob tot in parentem, atque in me ipſum collata beneficia, teſtari oportuit. Nec ſuppetebat commodior vlla ratio, quam ſi hunc poſthumum, viuam patris pietatem, ingenium, ac doctrinam ſpirantem, in veſtram tutelam traderem, &, vobis Patronis, publici iuris facerem. Quem, vt veſtro patrocinio fouere, benigne complecti, ac ſartum tectum tueri velitis, impenſe rogo: Deum Opt. Max. precatus, vt vos ampliſſima Spiritus ſua menſura dignetur, veſtris ſanctis laboribus cumulatiſſime benedicat, vos denique omnes pro ſua clementia ad Eccleſiæ Catholicæ bonum, diutiſſime ſeruet incolumes. Kalendis Ianuariis CIↃ IↃ XXVI.

VV. RR.

Obſeruantiſſimus

ADRIANVS CHAMIERVS.

AD LECTOREM.

ETsi, quod de aurea illa Priſcorum ætate referunt Veteres, magnopere optandum erat, vt vitæ ex Domini præſcripto inſtituendæ potius, quam conſcribendis diſputationibus Chriſtiani ſtudioſe incumberent: nemo tamen adeo, vel rerum Eccleſiaſticarum ignarus, niſi vehementer fallor, vel in Dei benignitatem ingratus extitit, qui non eximij beneficij loco duceret, *Scribas & Prophetas*, quod ante pollicitus erat Dei Filius, viros nimirum præſtantes cœleſtibus donis ad veritatis defenſionem *inſtructos*, in Eccleſia excitari, & Diaboli præſtigiis ac Mundi κυβείᾳ καὶ παλουργίᾳ opponi. Nam cum Satanas, (qui olim *animam pueruli Ieſu*, per ſummum Herodis ſcelus, cum inſidiis, tum ferro petebat) etiamnum Eccleſiæ moliens exitium, ad veritatem, qua illa nititur, iiſdem artibus labefactandam, nunc ſæuiſſimarum perſecutionum æſtu, nunc callido Sophiſtarum aſtu, nihil inauſum, nihil intentatum relicturus, collectis viribus annitatur: Dominus, qui ſuos non dereliquit orphanos, *dextris & ſiniſtris iuſtitiæ armis* diſcipulos accingens, aduerſus furoris tela, inuictæ, qua illos obtexit, patientiæ clypeum obiecit: at contra ſophiſtarum technas & Ἀπατητικὲ λόγε veteratoriam, quam μεθοδείαν τὲ πλανύης emphatice Paulus appellat, veritatis cognitione & ſcientiæ dono ad Spiritus, &, vt idem loquitur, δυνάμεως ἀπόδειξιν armauit: vt, non tantum æquo aduerſa omnia animo excipere & aſperrima generoſe ferre, verum etiam ſpei ſuæ rationem reddere, fidei confeſſiones edere, diuinis veritatem adſtruere vocibus, obiecta ψευδωνύμε γνώσεως argumenta nunc voce diluere, nunc calamo refellere, ac ſanæ doctrinæ teſtimonia literarum monimentis ad poſteros tranſmittere queant.

Refert in librorum diuinorum Synopſi Athanaſius, iam ſuo tempore complures θεοφόρες viros vtiliſſimam explicandę veritati, falſitati deſtruendæ operam impendiſſe, quorum perpauci iniquitate temporum ad nos peruenerunt. Sed longe vberior ſcriptorum Chriſtianorum ſeges poſt illa tempora, Eccleſiæ theſauros auxit & impleuit, quorum de copia, præſtantia, pietate, eruditione, puritate non eſt hic dicendi locus, ne quid etiam de Doctrinæ inclinatione, ac de hoſtium Chriſti fraudibus, qui fidei ſinceritatem, ſtylo corruptore, florentiſſimis cæteroquin temporibus, adulterare veriti non ſunt, adiicere cogar.

Verum, ad noſtra cum venio, circumfunditur animus incredibili diuini beneficij æternis laudibus prædicandi magnitudine, quod reſtituta Euangelij luce, tot tantoſque viros, doctrina & pietate ſingulari præditos, ad reformationis opus promouendum, ſuſcitauit, quos vberrima rerum diuinarum ſcientia, admirabili linguarum dono imbutos, animi præſentia ac ſpiritus heroici fortitudine, ad παῤῥησίαν confirmauit; vt graſſantem in Eccleſiæ tectis Adulterum, & occluſis, vt cæteros facilius decipiat, ipſe vero capiatur nunquam, aduerſus Iuſtitiæ Solem feneſtris, denſiſſima ſeſe caligine obuoluentem, illata Verbi diuini face deprehendere, &, qualis qualis eſt, detractis Agni, quas circumgeſtat, exuuiis, renudatum, toti mundo conſpiciendum præbere: atque minas ſpirantem, furore rabidum, cum ſe nequeat amplius, niſi apud imperitos vel ſponte cæcutientes, arte ſua tueri, ementita nimirum ſponſi voce, animos à crimine ſumentem, flammas vomentem, gladio ſpiritus confodere non expaueſcerent.

Eorum ſi nomina referre, opera recenſere ac pro dignitate commendare velim, nec mihi dies, nedum vt hæc pagina, ſufficeret. Hos inter Chriſti fidos athletas Reuerendus & Eximius Dei ſeruus DANIEL CHAMIERVS inſignem ſortitus eſt locum. Qui ſingulari Dei gratia ad Euangelij in Gallia prædicationem vocatus, ad Dei gloriam, & fratrum confirmationem, omnigenæ eruditionis apparatu ornatus, ingenti cum ſophiſtarum terrore, maximo piorum fructu, S. Miniſterium ad ſupremum vſque vitæ diem, integerrima ſancti-

ſanctitatis laude, obiuit: nec ore tantum, cum in Eccleſia Montelimarienſi, tum in Montalbanenſi, Chriſti populum pauit; ſed etiam doctiſſimis lucubrationibus orthodoxa dogmata aduerſus Ieſuitas acerrime propugnauit: nec minus ſcriptis edendis, quã habendis viua voce diſputationibus, ſuam operam Eccleſiæ approbauit: conſtititq; omnium eruditorum iudicio, incertaminibus, quæ ſubiuit ille frequentiſſima, ad Thraſones compeſcendos, ſemper paratiſſimum; ad technas Aduerſariorum detegendas, & eos, vbi viderentur elabi, premendos, fuiſſe peritiſſimum. Quod ipſa docti experientia ſenſerunt Sophiſtæ, tãtopere illius oris inuicti, & pectoris imperterriti fortitudine conſternati, vt quidam ex illo ſodalitio non gregarius, ſuis ad cacodæmonem interrogationibus, propriam (eum enim pupugerant viri præſtantiſſimi epiſtolæ, & confuderat habita in ampliſſimo conſeſſu Nemauſi diſputatio) Pythiam illam ſuam conſulturus, de CHAMIERO quæſtionem inſeruerit.

Ediderat ſuperiore ſeculo exeunte doctiſſimum de Oecumenico Pontifice tractatum, quo veluti ſpecimine erecti omnium animi, excitataque ſtudia ad maius opus aggrediendum ipſum quoque concitarunt. Acceſſerunt Eccleſiarum Gallicanarum & Synodi Nationalis, cui ſua ille ſtudia laudatiſſimo candoris & modeſtiæ exemplo, Eccleſiæ ædificationis amantiſſimus, ſubiiciebat, monita hortatuſque, quibus ſtimulatus hoc ſuſcepit, quod nunc, poſthumum, proh dolor! prodit opus, *Multi temporis*, vt ipſe libri primi ait initio, *immenſi laboris*, controuerſiarum omnium aduerſus Pontificios *tractationem, partibus multiplicem, quæſtionibus perplexam, ſophiſmatis obſcuratam, incredibili contendentium pertinacia tantum non deſperatam.* Cuius certe vel ſola cogitatio eos, qui beata in terris nacti otia, ab omni cura vacui, nec ingenio deficiuntur, nec vllis ad rem tantam deſtituuntur præſidiis, deterrere potuit: vt mirari ſubeat nouum imparis, ſi humana ſpectes, certaminis genus: dum oculos in eum conuertimus, qui, vnus, aduerſus tot phalanges dimicaturus accedat: iſque negotiorum mole preſſus, innumeris obſeſſus occupationibus, ad crebras peregrinationes ἀκαιρίως temporum iniuria plerunque abductus, concionibus ad populum, lectionibus ad ſtudioſos, ſine vacatione intentus, qui nihil in terris, præter noua in dies certamina, alioſque ex aliis labores vel ſperaret, vel proſpiceret; cum iis, qui otio, tempore, commodorum, quæ ſubminiſtrantur affatim, & opum abundant copia. Magnatum autoritate fulti, ampliſſimorum præmiorum ſpe illecti, dignitatibus autorati, ſubſidiaria ὑπηρετῶν καὶ συνεργέντων opera adiuti ad iſtam ſe accingunt militiam; à cæteris fere omnibus commoditatibus, vt olim luctaturi, nudatus, ne vllius quidem ad libros euoluendos ſubſidiaria leuatus diligentia, nec vel vllius amanuenſis vtus opera, ſola veritate ſuperior, gladio ſpiritus ac Dei gratia fretus, ſtrenue manum conſerat. Exitum pugnæ ſpecta Lector. Oculorum tuorum, imo conſcientiæ iudicium non anteuerto, *Negari aliquando veritas, dum tegitur, diſſimulari hominum dolo poteſt: explicata vinci neſcit.*

Vitam ſi eruditiſſimo viro Deus Optim. paucis annis additis prorogaſſet, ipſe operi nobiliſſimo ad vmbilicum perducto colophonem impoſuiſſet: atque ea, quæ lectori ſignificanda cenſebat, pro ſingulari quo pollebat iudicio, longiore, qua dignißimus erat, ſi ita Deo viſum fuiſſet, vita donatus præmonuiſſet.

Iam vero, cum eximia inſignis viri monimenta, quæ Reuerendus ADRIANVS CHAMIERVS DAN. F. ſacri miniſterij, quo in Eccleſia Montelimarienſi, paternæ pietatis hæres, fungitur, labore, ab editione procuranda auocatus, fidei noſtræ commiſit, publico dentur: quamuis, qui vel ſua vel aliorum edunt ſcripta, partim ad beneuolentiam demerendam, partim ad legentium præparandos animos, nonnulla præfari non immerito ſoleant: (nam, ſi, quæ publicantur ignota ſunt oſtendi, ſi noua, quum prodeunt, laudari debent) hæc tamen, quæ toties efflagitata, tamdiu expetita fuere, eiuſmodi ſunt vt nec, velut obſcura, luce; nec, tanquam incerta, commendatione, quo ſtudia lectorum excitentur, opus habere videantur.

Ordinis, quem in partiendis controuerſiis obſeruauit, rationem Synopſis: & ſumma rerum capita, primum libri primi caput exhibet. Primum *Canoni ſacro* Tomum. Alterum, *Deo, Chriſto, & Dei cultui. Homini corrupto inſtauratoque*, Tertium. *Myſtagogiæ ſacræ*, id eſt, *Sacramentis*, Quartum adſcripſit. Quintum *Eccleſiæ* aſſignauerat, quando illum

illum Deus in meliorem illam ciuitatem θεμελίους ἔχουσαν transcriptum, in Ecclesiam ac panegyrim spirituum πεπλεωμένων transtulit.

Hunc defectum lenius ferent, qui sciunt eum locum ab excellentibus viris Sadeele, Plessæo, Wittakero, Rainoldo, Iunio, Sutliuio, Sibrando diligenter fuisse pertractatum: ac forte non defutura sunt, Deo fauente, ingenia, quæ tractationem institutam, & feliciter ad vltimam fere lineam promotam, eadem fide, si non eodem, quod erat optandum, calamo, persequantur, & absoluant. Qua vero methodo in singularum rerum explicatione versetur, quem stylum tam perplexis disputationibus adhibeat: vt nihil ex scholastico puluere, vel conflictu cum sophistis, sordium orationi adspergatur: nihil, ex reconditiore Græcorum Latinorumque doctrina & Rhetorum pigmentis, putidum vel affectatum affricetur: quo neque distinctionum acumina elegantia frangat, nec dictionis puritatem solidum rationum roburimminuat: quam accurate rerum & verborum difficultates expediat, vt incertas congressionis lineas disputatione concluſa, nec sẽ, quam par est, Asiatica luxuria, sermo latius effundat, nec angustius, quam sit lectori consultum, nimio breuitatis studio contrahat: quam neruose in Aduersarios rationum aciem struat, argumentorũ tela vibret: quam dextere sophistas, sinuosis dissertationum mæandris, & longis animum lectoris circumuenientes ambagibus, constringat: quam euidenter in tenebricosa breuitate latitantes, accensa veritatis face detegat & deprehendat: quam solide sanam doctrinã ex Dei verbo comprobet: quam sincere, piæ Antiquitatis adductis testimoniis sophistis Patres iactantibus laruam detrahat, Ecclesiæ Orthodoxæ consensum demonstret: quanta vi denique totam Pontificij regni molem, validissimi arietis instar, concutiat, compagem dissoluat, munimenta subruat, dissipet, & tubæ diuinæ sonitu Hiericuntinos muros sternat & euertat, ipsa te docebit lectio: nec te nostra, licet monitionis nomine, vel auocabit, vel morabitur oratio.

Hoc vnum, quod rescire tua interest, monemus, Panstratiæ ante viginti annos inchoatę, vt ex tomi secundi libro tertio extremo colligitur, partes quasdam, (vel quod de illis prius edendis cogitaret, vel, quod secundas adhibere curas constituisset) ab autore ipso recognitas, & neotericorum scriptorum, quæ subinde prodibant, testimoniis fuisse auctas; quod, tum ex ipso dignoscitur autographo, tum ex proœmij libro primo præfixi verbis, quibus, pro Christianissimi Regis Ludouici incolumitate vota precesque fundit. Alias vero, postquam scripto consignatæ fuerunt, nec dum in manus resumtas, nec adiectis, quæ in aliis disputationibus occurrunt creberrimę, notis illustratas animaduertimus: cuiusmodi est Disputatio de Prædestinatione; quod submonemus, ne quis Quæstionum & Controuersiarum, quæ in Belgio, paucis ab hinc annis infeliciter exortæ & magno feruore agitatæ sunt, apud diligentissimum & accuratissimum scriptorem nulla extare vestigia demiretur.

Eadem ratione factum, vt librorum capitumque numerum auxerit, minueritve, ordinemque etiam illa recensione nonnunquam author immutauerit: vnde contigit, vt, si quando tomis sequentibus, ad superiora lectorem remittit, fallant sæpenumero capitũ & sectionum, non vero rerum, notationes. Loca quædam, dum liber excudebatur, obseruata, prælo festinante, restituimus: magnam vero partem, in erratis subnotata sunt. Cætera studio tuo & prudentiæ relinquimus, mœrentes adeo præclarum veritatis ὑπερασπισεν, sophistarum μάστιγα, Herculeum illud opus ad finem vsque, morte præuentum, perducere non potuisse.

Sed illud erat viro laboris patientissimo, dulcissimæ in Domino, quam sibi dilectis largitur, quietis Sabbathum: quod ipse pridie supremæ diei, aliquot ante obitum horis, amicis aliud quæritantibus cogitantibusque prædixerat. Cum enim de habenda concione colloquerentur, *An ignoratis*, inquit, *Crastinam esse quietis meæ diem*: quam vocem alio, quam ipsi rebantur, diuinitus relatam, ipso tandem euentu, non sine acerbissimo dolore, & inæstimabili tanti viri desiderio intellexerunt. Geneuæ Kal. Martiis CIↃ IↃ CXXVI.

Bened. Turretinus.

PANSTRA-

SYNOPSIS

CONTROVERSIARVM PAPISTICARVM, QVÆ HIS QVATVOR PANSTRATIÆ TOMIS CONTINENTVR.

מגן קוה ה׳

יהוה לו לא אירא

Ο ἰμὸς ἔρως ἐστύρεω).

LOCI COMMVNES.

I. De Canone.
II. De Deo.
III. De Homine.
IV. De Sacramentis.

PRIMVS LOCVS.

DE CANONE.

Quæstio I.

QVIS SIT CANON.

SCRIPTVRA.

LIBER I.

Cap.I. DIstributio totius operis Controuersiarum pag. 1
II. De Canone fidei, status primæ Controuersiæ 1
Argumenta Catholica.
III. De lucerna & lumine 2
IV. Non deflectendum à Scriptura 3
V. De Ecclesiæ sapientia 3
VI. Scripturam docere ἀυθεντικῶς 4
VII. De forma cognitionis, & veritatis 4
VIII. De typo doctrinæ 4
IX. Omnia confirmanda testimoniis Scripturæ 5
X. De demonstrationibus è Scriptura 5
XI. Reiicienda quæ non consentiunt Scripturæ & admittenda quæ consentiunt 6
XII. Veterum testimonia de Canone 6
Argumenta Papistica.
XIII. De Iudice præter legem 7
XIV. De sententia summi Iudicis 8
XV. An Scriptura dirimat omnes controuersias 9
XVI. De hæreticis prouocantibus ad Scripturam. 9
XVII. De obscuritate Regulæ, eiusque interpretatione. 10
XVIII. An Scriptura sit accommodata ad omnes errores cauendos 10
XIX. De prophetiæ propria interpretatione 11
XX. An Scriptura doceat omnes, & singulos, & de obedientia Ecclesiæ debita: 12
XXI. An Euangelium sit Scriptura ibid.
XXII. An Dei verbum sit mutum: & an post ipsum sit recurrendum ad Ecclesiam 13

NON ECCLESIA.

LIBER II.

Argumenta Papistica.

Cap.I. An omnes Controuersiæ ad Ecclesiam deferendæ 14
II. De Cathedra Mosis. ibid.
III. De Prophetis diiudicantibus 15
IV. An Ecclesia possit facere contra Scripturas ibid.
V. De Ecclesiæ infallibilitate 16
VI. De Veterum testimoniis pro Ecclesiæ authoritate ib.
VII. De testimoniis Augustini 17
VIII. De Tertulliano 18
IX. De Vincentio Lyrinensi ibid.
Argumenta Catholica.
X. An Ecclesia sit regula sui ipsius 19
XI. An fides sit differentia & fundamentum Ecclesiæ 20
XII. An Ecclesia sit notior ipsa fide ibid.
XIII. An quæcunque pertinent ad fidem, sint ab Ecclesia definita ibid.
XIV. An Ecclesia discrepet à se ipsa. 21
XV. An Ecclesia doceatur aliunde quam à seipsa 22
XVI. An Ecclesia sit infallibilis ibid.

NON PAPA.

LIBER III.

Argumenta Papistica.

Cap.I. An legalis Pontifex fuerit certa regula 24

II. De iudicio Sacerdotis legalis 25
III. An Episcopus Romanus errare non possit 26
IV. An Christiani teneantur obedire Papæ 29
V. De authoritatibus Veterum pro Papa 30

Argumenta Catholica.

VI. De Episcopis Romanis sceleratis 31
VII. An Episc. Romani sint ἀντιχριστοι 32
VIII. An Episc. Rom. confirmarint hæresin 33
IX. De Eleuthero Papa 35
X. De Liberio Rom. Episcopo ibid.
XI. De Anastasio hæretico 37
XII. De Honorio hæretico ibid.
XIII. De Ioanne XXII. hæretico 41
XIV. An Rom. Episcopi sibi constent 42
XV. An quicquid decernunt Rom. Pontifices rectum sit 44

QVÆSTIO II.

DE PARTIBVS CANONIS.

LIBER IV.

DE LIBRIS APOCRYPHIS.

Argumenta Papistica.

Cap. I. De differentia Canonicorum & Apocryphorum 45
II. De numero librorum Canonicorum, status quæstionis 46
III. An libros controuersos Ecclesia pro Canonicis agnouerit ibid.
IV. An omnes libri, ex quibus ducitur probatio, sint Canonici 48
V. De libris citatis in Nouo Testam. ibid.
VI. An sint Canonici omnes qui leguntur publice in Ecclesia 49
VII. An sint Canonica quæcunq; in codicibus Græcis sunt 50
VIII. De partibus Danielis, ex Origene ibid.
IX. De Iudith, ex Hieronymo 51

LIBER V.

Argumenta Catholica.

Cap. I. Libri controuersi non sunt scripti à Prophetis 52
II. De secundo Maccabæorum 53
III. Vtrum libri controuersi scripti sint in vsum Ecclesiæ Hebraicæ ibid.
IV. Ab iis libris impia commendari 55
V. De mendaciis Sapientiæ, Tobiæ, Baruc 56
VI. De mendacijs Additionum Estheræ & Danielis ibid.
VII. De mendaciis historiæ Iudith 57
VIII. De mendaciis Macabæorum 72
IX. An ij libri reiecti sint ab Ecclesia Iudaica 64
X. An ij libri numerati sint olim in Apocryphis 65
XI. An qui olim reiecti, deinceps admitti debuerint 66
XII. An Ecclesia possit adhuc libros ad Canonem adiicere 68
XIII. De libris Hermæ & Clementis ibid.
XIV. An Veteres sibi cõstiterint in enumerãdis Canonicis 70
XV. An Veteres enumerarint Canonem Iudæorum, an vero Christianorum ibid.

DE NATVRA CANONIS.

QVÆSTIO I.

Vnde sit authoritas Canonis.

A SE IPSA.

LIBER VI.

Cap. I. De authoritate Scripturæ. Catholicorum sententia 72
II. De authoritate Scripturæ, Papistarum sententia ibid.
III. Fidem, qua Catholici credunt Scripturis, esse infusam 74
IV. Testimonium Spiritus in fidelibus esse summum 75
V. An Scriptura habeat à se efficaciam in corda 76
VI. An Scriptura sit principium scientificum 77
VII. Testimonia Veterum de authoritate Scripturæ 78
VIII. Vtrum Ecclesia ædificetur super Scriptura 79
IX. An doctrina Christi mutuetur suam authoritatem ab hominibus 80
X. An Scripturæ testimonium certius sit testimonio viuæ vocis 81
XI. An Scriptura recepta sit ante iudicium Ecclesiæ 83
XII. An Scriptura authoritatẽ obtinuerit ex decreto Ecclesiæ ib.
XIII. An doctrina fidei authoritatem obtinuerit ab Ecclesia 84
XIV. An Ecclesiæ authoritas sit illustrior Scripturæ authoritate 85
XV. An Ecclesiæ authoritas pendeat à Scriptura 85
XVI. An promissionum veritas pendeat ab humano iudicio 86
XVII. An Scriptura precariam authoritatem habeat 87
XVIII. An nemo ad Ecclesiam vocetur per Scripturam ibid.
XIX. An Ecclesia sit inferior Scriptura ibid.
XX. An lex à subditis sumat authoritatem 88

LIBER VII.

Argumenta Papistica.

Cap. I. An præter authoritatem Ecclesiæ, nulla sit quæ omnem à conscientiis dubitationem remoueat 89
II. An Ecclesia Iudæorum Canonicis libris authoritatem contulerit ibid.
III. Quomodo Eccl. tradat articulos fidei 90
IV. De libris fictis, reiectis à Canone 91
V. De hæreticis libros sacros, vel totos reiicientibus, vel mutilantibus 92
VI. De libris Prophetarum & Apostolorum non admissis in Canonem 93
VII. De distinctione in Protocanonicos, & Deuterocanonicos 94
VIII. An post alia media recurrendum sit ad Ecclesiam, vt certissimus de libris Canonicis 96
IX. An Scriptura non probet suam authoritatem ibid.
X. De Augustini loco, *Ego Euangelio non crederem* 97
XI. De alijs Patribus 99

QVÆSTIO II.

DE PERFECTIONE SCRIPTVRÆ.

LIBER VIII.

Cap. I. De perfectione Scripturæ, status controuersiæ 101

Argumenta Catholica.

II. An è Scripturis salutem habeamus 102
III. An Scriptura Christianum perfectum reddat 104
IV. An Scriptura sit doctrina perfecta conuertens animas 105
V. An quod Apostoli prædicauerunt scriptum sit 106
VI. An Scripturæ nihil detrahendum aut addendum ex ipsa Scriptura 108
VII. Ex Patribus nihil addendum, detrahendũve Scripturæ 111
VIII. An omnia confirmanda è Scripturis 114
IX. An omnes hæreses refutentur è Scripturis 117
X. Testimonia Patrum de perfectione Scripturæ 119
XI. An Scriptura sit perfecta regula 124
XII. An omnia damnentur quæ præter Scripturam 125
XIII. An dogmata non scripta ἀπαγορευτικῶς doceri possint 127
XIV. De regulis discernendarum traditionum 129
XV. An traditionum memoria inuiolata conseruetur 131
XVI. Hæretici traditionibus nituntur 133

LIBER IX.

Argumenta Papistica.

Cap. I. An à Scripturis traditiones commendentur 134
II. An Apostoli multa tradiderint non scripta 137
III. De argumento à Mose & Lege 138
IV. An omnia quæ Christus fecit & docuit scripta sint 142
V. An totus Canon sufficiat 144
VI. An oportuerit Apostolis diserte mãdari vt scriberent 144
VII. De varijs ætatibus Ecclesiæ, quibus Traditio fuit in vsu ib.
VIII. An Scriptura non contineat fidei dogmata Veteris Testamenti 146
IX. De falsis dogmatibus, & de appendicibus fidei 148
X. An Scriptura nõ cõtineat omnia dogmata Euangelica 149
XI. De iis quæ Catholici obseruant extra Scripturam 154
XII. An per traditionem dogmata probanda sint 156
XIII. An hæretici contemnant traditiones 157
XIV. De mysterijs silentio tegendis 158
XV. Argutiolæ quædam Papisticæ 159
XVI. De authoritatib. Rom. Pontificum pro Traditionibus 161
XVII. De Conciliorum authoritatibus pro Traditionibus 163
XVIII. De Græcorum authoritatib. pro Traditionibus, sub Ethnicis Imperatoribus 164

XIX. De Græcorum authoritatibus post Imperatores Christianos 168
XX. De variorum Patrum Latinorum authoritatibus ad confirmandas Traditiones 171
XXI. De Augustini locis ad confirmandas Traditiones 174
XXII. De Vincentio Lyrinensi & Cassiano 177

DE VSV CANONIS.

I.

De Legendis Scriptvris.

LIBER X.

Cap.I. De legendis Scripturis status Controuersiæ 178
Argumenta Catholica.
II. An Iudæi promiscue legerint Scripturas 179
III. An olim sint ab omnibus lectæ Scripturæ, ex locis Scripturæ 180
IV. Patrum testimonia de legendis Scripturis 181
V. Aduersariorum exceptiones aduersus superiorum Patrum testimonia 183
Argumenta Papistica.
VI. An sit necessarium Scripturas legi 184
VII. An sit consentaneum & decorum Scripturas legi ibid.
VIII. Vtrum Scriptura prophanetur legendo 186
IX. Vtrum sit vtile Scripturas legi 187
X. An plebi periculosum sit Script. legi 188

II.

DE INTELLECTV SCRIPTVRÆ.

I.

De Vertendis Scriptvris.

LIBER XI.

Cap.I. De vertendis Scripturis status controuersiæ 190
Argumenta Catholica.
II. An Scripturam Ecclesia proposuerit lingua vulgari 191
III. An docenda sint lingua vulgari quæ continentur in Scriptura 192
IV. An Scriptura publice legenda ad institutionē plebis 193
V. Scriptura olim translata 194
VI. Quid Papistæ excipiant ad Scripturæ translationes 195
Argumenta Papistica.
VII. An apud Iudæos Scriptura recitata sit lingua incognita 197
VIII. An Apostolorum temporib. Scriptura recitata sit lingua incognita ibid.
IX. An Catholica Ecclesia legat Script. lingua incognita 199
X. An lingua vulgaris præiudicet vnitati Ecclesiæ 201
XI. An singulis ætatibus mutandæ translationes 202
XII. An linguæ vulgares violent maiestatem Scripturæ 204
XIII. An versiones Scripturam obscurent 205
XIV. An ex versionibus oriantur schismata ibid.

II.

DE AVTHORITATE PRIMÆ EDITIONIS LIBRORVM SACRORVM:

Liber XII.

Cap.I. De variis Bibliorum editionibus 207
De Avthoritate Editionvm.
II. Status controuersiæ de authoritate editionum 209
De Avthoritate αὐτοτύπου.
Argumenta Catholica.
III. An editio sit antiquissima Hebræa Veteris, & Græca Noui Testam. ibid.
IV. An editio ἀρχέτυπος sit πρωτότυπος. 210
V. Editioni primæ nihil addendum, ab eaque nihil auferendum 211
VI. Ex prima editione reliquæ omnes iudicantur 212
Argumenta Papistica.
VII. An editiones Hebraica, & Græca sint mutilæ 213
VIII. An ex Hebræis, Græcisq; fontib. cōtentiones oriantur 214
IX. An qui hærēt fontibus, ij sequātur Rabbinorū placita 216
X. De varietate codicum Græcorum 216
XI. An editio Hebraica sit corrupta à Iudæis ibid.
XII. De locis quos Papistæ obseruant corruptos in textu Hebræo 217
XIII. An editio Græca Noui Testamenti sit corrupta 222

LIBER XIII.

DE

EDITIONE SEPTVAGINTA.

Cap.I. Quæ sit authoritas editionis Græcæ Veteris Testamenti 224
Argumenta Papistica.
II. An sit authentica editio Vet. Test. quia ea vsi sint Apostoli ibid.
III. An authentica sit editio Græca, quia Ecclesia illa vsa sit 225
IV. An editio LXX. facta sit inspirante Spiritu sancto 227
V. De Patrum Commentariis in editionem LXX. 227
Argumenta Catholica.
VI. An editio LXX. sit humana ibid.
VII. An editione LXX. vlla sit melior 229
VIII. De variis erroribus versionis Græcæ 230
IX. De variis erroribus editionis Græcæ Psalmorum 233
X. Alia in Psalmis peccata 236
XI. An excusari queant errores editionis Græcæ 241

LIBER XIV.

DE

VVLGATA EDITIONE.

Cap.I. De authoritate vulgatæ editionis Latinę 242
Argumenta Papistica.
II. De longo vsu editionis Latinæ 243
III. De vsu Latinæ editionis apud Patres 244
IV. De testimoniis Veterum pro editione Latina 245
V. An Latinam aliquam oporteat esse editionem authenticam ibid.
VI. An editio Latina sit Θεόπνευστος. 247
Argumenta Catholica.
VII. An Hieronymi translatio sit humana 248
VIII. Editionem Latinam Hieronymus non habuit pro authētica 249
IX. An editio Latina assequatur maiestatem Spiritus Sancti ib.
X. De principijs: siue regulis interpretandi 252
XI. De erroribus Latini Interpretis, quos aduersarij conantur excusare in Vet. Testamento 253
XII. De alijs erroribus Latini Interpretis in Vet. Testam. 256
XIII. De erroribus Lat. Interpretis in Nouo Testamento 257

II.

DE INTERPRETATIONE Scriptvræ.

LIBER XV.

Cap.I. De sensu literali, & mystico 261
De Variis Sensibvs.
II. Status quæstionis, de variis sensib. literalib. Scripturæ 262
III. Argumenta Papistica de multiplici sensu literali. 263

DE

PERSPICVITATE SCRIPTVRÆ.

Cap.IV. De perspicuitate Script. status quæstionis 266
Argumenta Catholica.
V. An Scriptura sit lucerna 268
VI. An Scripturæ mandata remota sint à plebe 269
VII. An Scrip. sit lucerna sub modio 276
VIII. Euangelium non esse tectum 271
IX. An summa totius Scrip. sit perspicua 273
X. An Scrip. intellectæ fuerint per se ibid.
XI. An Scrip. clariores sint Patrum traditione 274
XII. De perspicuitate Script. Patrum testimonia ibid.
Argumenta Papistica.
XIII. Loci Scripturæ pro obscuritate Scripturæ 276
XIV. De Mysteriis Scrip. & prædictionibus 278
XV. De stylo Scripturæ 279
XVI. De legentibus Scripturas 281
XVII. Alia Papistarum argumenta pro obscuritate Scripturæ ib.
XVIII. An Patres tradant Scripturam esse obscuram 284

LIBER XVI.

I.

DE INTERPRETIBVS.

Cap.I. Ad quos Scripturæ interpretatio pertineat 287

II. An fidelibus quibusvis liceat Scripturam interpretari ib.
III. An fidelib. non liceat interpretari Scripturam 288
II.
IV. De internis medijs interpretandi Scripturam 289
V. De externis medijs interpretandi Scripturam 290
VI. Script. interpretandæ certissimam rationem esse ab ipsa Scriptura 291
VII. Non esse incertam Script. ab ipsa Scriptura interpretationem 292
VIII. An Script. doceat, consensum Patrum esse regulam interpretationis 294
IX. An ratio euincat, consensum Patrum esse regulam interpretationis 295
X. An Patres doceant, interpretationis regulam esse consensum veterum ibid.
XI. Non esse consensum Patrum regulam interpretandi 297

Finis Primi Tomi.

Tomo Secundo

SECVNDVS CONTROVERSIArum locus.

Qui

DE DEO ET DEI CVLTV.

Prioris partis quæ est

DE DEO

LIBER I.

DE TRINITATE.

Cap.I. Catholicorum confessio de Trinitate 1
II. Catholicos non esse Trinitatis hostes 1
III. De definitione Personæ 3
IV. De æqualitate Personarum 6
V. Vtrum quælibet persona sit αὐτόθεος 10
VI. De argumentis contra Filij αὐτοθεότητα 11
VII. Imaginis & Verbi vocabula in Trinitate esse tropica 21
VIII. Argumenta Papistarum de proprietate Verbi 15
IX. De argumentis Papistarum pro imaginis proprietate 17
X. De principio & operationib. ad Intra & ad Extra 18

LIBER II.

DE ATTRIBVTIS DEI.

I.

DE OMNIPOTENTIA.

Cap.I. Omnipotentiam à Catholicis non negari 19
II. Nec alligari verbo scripto 21
III. Dei potentiam eiusdem natura definiri 22

II.

DE PROVIDENTIA.

Cap.IV. Confessio Catholicorum de Dei Prouidentia 24

DE CONTINGENTIA ET NEcessitate.

Cap. V. Status controuersiæ de contingentia & necessitate ibid.

Argumenta Catholica.

Cap.VI. Prouidentiam esse particularem in rebus omnibus ibi.
VII. De Prouidentia in Naturalibus 26
VIII. De Prouidentia in Voluntarijs 27
IX. De Prouidentia in Contingentibus ibid.

Argumenta Papistica.

Cap.X. De obiecto Prædestinationis 28
XI. De Fato 29
XII. De Iustitia Dei 31
XIII. De Arbitrio ibid.
XIV. De precibus 32
XV. De conditionibus & mediis 33
XVI. De Papisticis paradoxis 34

LIBER III.

DE AVTORE PECCATI.

Cap.I. Catholici non dicunt Deum authorem peccati 36
II. Sententia Catholicorum de Prouidentia Dei circa peccatum 37
III. Sententia Papistarum de Prouidentia Dei circa peccatũ 38

Argumenta Catholica.

Cap.IV. An Deus velit peccata 39
V. An homines sint Dei instrumenta in iis quæ agunt male 41
VI. Quomodo Deus induret & excæcet impios 43
VII. De Dei energia in malis operibus 45
VIII. De sententia Augustini 47

Argumenta Papistica.

Cap.IX. A Catholicis non constitui Deum authorem peccati 50
X. A Catholicis non doceri Deum peccare 53
XI. An Catholici statuant solum Deum vere peccare 53
XII. An ex Catholicorum doctrina sequatur, nihil esse peccatum. 54

DE DEO INCARNATO.

LIBER IV.

DE PERSONA.

Cap. I. De duarum Christi naturarum vnione hypostatica 55
II. De communicatione Idiomatum 56

DE NATVRA HVMANA.

I.

DE NATIVITATE.

Cap.III. De Christi natiuitate 56

DE CHRISTI ANIMA.

Cap.IV. De Beatitudine animæ Christi argumenta Papistica è scripturis 58
V. De eadem rationes Papisticæ 61
VI. De eadem argumenta Catholica 62
VII. De Fide Christi ibid.
VIII. De Scientia Animæ Christi status quæstionis 63
IX. De Scientia animæ Christi argumenta Papistica è scriptura ibid.
X. Ex Patribus 64
XI. Catholicorum argumenta de scientia Christi 66
XII. Vtrum in Christo Catholici agnoscant aliquid peccati 70
XIII. De Desperatione 72

LIBER V.

DE DESCENSV AD INFEROS.

Cap.I. Catholicos nihil detrahere articulo de Descensu ad inferos 74
II. Catholicos non docuisse animas extingui ibid.
III. Status controuersiæ de descensu ad inferos 75

Argumenta Papistica.

Cap.IV. De portis æreis, de inferioribus partibus terræ: & corde terræ 76
V. De anima Christi non relicta in inferno ibid.
VI. De Descensu in abyssum, & in inferiores partes terræ 79
VII. De anima Christi prædicante mortuis 80
VIII. De aliis quibusdam locis 82
IX. De Patrum traditione 84
X. De traditionibus quibus probatur descensus in Limbum 86

Argumenta Catholica.

Cap.XI. Catholicorum sententia de descensu ad inferos 87
XII. Probatur, Christum in anima esse passum, ex Esaia 88
XIII. De Christi tristitia 90
XIV. De Christi exclamatione 190
XV. De Christi doloribus mortis 191
XVI. De Christi δειλαβείᾳ 191
XVII. De Christo facto peccatum & exsecratio 93

XVIII. Testimonia Veterum ibid.
XIX. De Bellarmini oppositionibus & Feuardentij, & Gauteri 94
XX. Danielis Capucini oppositiones 98

De Christi Resvrrectione.

XXI. De quinqu. Cicatricibus 99

LIBER VI.

DE CORPORE CHRISTI.

Cap. I. Status controuersiæ de dotibus corporis Christi 100
II. De impassibilitate, subtilitate, leuitate, & splendore corporis Christi 101
III. De inuisibilitate corporis Christi 102
IV. De argumento ab Omnipotentia 104
V. An corpus possit esse sine loco ibid.
VI. Corpus nullum esse sine loco 105
VII. An corpus non occupet locum 106
VIII. Non posse corpus non occupare locum 109
IX. An corpus aliquando fuerit in pluribus locis 112
X. An possit vnum corpus esse in multis locis 114
XI. Vnum corpus non posse implere plura loca 117

DE

OFFICIO MEDIATORIS.

De Mediatione secvndvm Natvras.

LIBER VII.

Cap. I. De Christo Mediatore 121
II. Status controuersiæ de Mediatore secundum vtramque naturam ibid.

Argumenta Catholica.

III. A partibus Mediatoris ibid.
IV. Ab effectis Mediatoris 123

Argumenta Papistica.

V. De Christo homine Mediatore 125
VI. De Patrum authoritatibus 127
VII. De rationibus Bellarmini 128

Pro qvibvs mediator.

VIII. An Christus sibi meruerit 131

LIBER VIII.

DE VNO MEDIATORE.

Cap. I. Status controuersiæ de intercessione Sanctorum 133

Argumenta Papistica.

II. De Sanctorum orationibus ibid.
III. Vtrum Scripturæ doceant Sanctos defunctos orare in genere pro viuentibus 134
IV. An ratio euincat defunctos orare pro viuentibus 137
V. Vtrum Sancti orent sigillatim 138

Argumenta Catholica.

VI. Defunctos non esse intercessores apud Deum 140
VII. Vtrum Sancti in cœlis norint humana negotia 143
VIII. Nesciri à defunctis quæ hic gerantur 145

DE OECVMENICO.

Thesis.

Vtrvm sit aliqvis.

LIBER IX.

Cap. I. De immensa authoritate Oecumenici Pontificis 146
II. De statu quæstionis 147

Argumenta Papistica.

III. De analogia corporis & capitis 148
IV. De vno ouili, & vno pastore 149
V. De rege vno & capite vno 150
VI. De similitudinibus quibus Ecclesia describitur 151
VII. De multitudine in se vna 153
VIII. De Monarchiæ præstantia 154
IX. De summo Pontifice ab Adamo ad Mosem 157
X. De Ecclesia triumphante, & Synagoga 162
XI. De Ecclesia Angelorum 163
XII. De Ecclesia, viuente in terris Christo 158
XIII. De vnitate Ecclesiæ 165
XIV. Vtrum omnibus pastoribus præficiendus sit vnus pastor 167
XV. De Ecclesiæ propagatione 168
XVI. De Patrum authoritatibus 169

LIBER X.

Argumenta Catholica.

Cap. I. De capite Ecclesiæ 171
II. Ecclesiam esse corpus Christi 174
III. Quænam dominatio prohibeatur in Ecclesia ibid.
IV. Oecumenicum Pontif. non esse in Hierarchia Ecclesiastica 176
V. Singularum Ecclesiarum politiam esse Aristocraticam 177
VI. An iure diuino Episcopus maior sit presbytero 179
VII. De politia prouinciarum 181
VIII. De omnium Ecclesiarum politia 182
IX. An Episcopi sint summi Pontifices 184
X. De creatione Episcoporum 185
XI. Ab vno homine regi non posse vniuersas Ecclesias ibid.
XII. De Cypriano & Hieronymo 187
XIII. De Gregorij primi authoritatibus, & sententia 189

HYPOTHESIS. I.

De Petro Apostolo.

LIBER XI.

Cap. I. Status quæstionis 192

Argumenta Papistica.

II. Petram Ecclesiæ non esse Petrum ibid.
III. Ecclesiæ Petram esse Christum 184
IV. Ecclesiæ Petram esse fidem 196
V. De patribus qui petram Petrum interpretantur 199
VI. Etsi Petrus à Veteribus appelletur Petra, tamen non est Oecumenicus Pontifex ibid.
VII. Argumenta Papistarum quibus probant, à Christo Petrum factum Ecclesiæ fundamentum 201
VIII. Claues cœlorum non esse Oecumenicũ Pontificatũ 202
IX. Cui datæ sint claues 203
X. Vtrum similes sint loci Matth. XVI. Matth. XVIII. Ioan. XX. 205
XI. Quomodo Petrus gesserit Ecclesiæ personam, & loquutus sit pro omnibus 208
XII. Quid sit pascere 210
XIII. An solus Petrus pauerit 211
XIV. Quas oues Petrus pauerit 212
XV. De Petri prærogatiuis in genere 214
XVI. De Petri prærogatiuis ex Euangelio Matthæi 218
XVII. Ex Luca, & Iohanne 223
XVIII. Ex Actis, & Paulo 217
XIX. Ex Traditione 225
XX. De tribus postremis argumentis 228
XXI. Quomodo Petrus præferatur toti Ecclesiæ apud Patres 232
XXII. Quomodo Petrum Apostolis comparârint Patres 234
XXIII. De Hilario, & Cypriano 235

LIBER XII.

Argumenta Papistica.

Cap. I. De Petri cum cæteris æqualitate 236
II. Petrus missus in Samariam 238
III. Accusatus & reprehensus 240
IV. Vtrum Petrus exercuerit Oecumenicum Pontificẽ 242
V. De Cypriano & Hieronymo ibid.

HYPOTHESIS II.

DE PAPA.

I. De Avthoritate Papæ in Ecclesia.

LIBER XIII.

Cap. I. Status quæstionis de Rom. Pont. 251

Argumenta Papistica.

II. Vtrum Scriptura doceat, Romanum Episcopum omnibus præesse ibid.
III. Vtrum sit Petro successum 252

IV. Vtrum Petrus fuerit Episcopus Romanus 248
V. An Petri successor sit Episcopus Rom. 250
VI. De controuersiis iudicandis 251
VII. Vtrum liceat vndique appellare ad Romanum Episcopum 251
VIII. De Canonibus Nicenis 252
IX. De exemplis appellationum 255
X. De conuocatione Conciliorum 257
XI. De confirmatione,& infirmatione Conciliorum 260
XII. De præsidentia in Conciliis 263
XIII. De institutione,& confirmatione Episcoporum 266
XIV. De depositione & restitutione Episcoporum 267
XV. De consensu cum Rom.Episcopo 268
XVI. De vicariis Episcopi Rom. 269
XVII. De legibus,dispensationibus,& pœnis ibid.
XVIII. Vtrum Rom.Episcopus à nemine debeat iudicari 271
XIX. De nominibus Episcopi Romani 273
XX. De Conciliis 276
XXI. De Episcoporum Rom.authoritatibus 279
XXII. De Patribus Græcis 281
XXIII. De Patribus Latinis 285

LIBER XIV.

Argumenta Catholica.

Cap.I. De Patriarchis 287
II. De appellationibus ad Episc.Rom. 289
III. De impostura Episcopi Rom.in Concilio Carthaginensi sexto 291
IV. De iure decreti in Concilio Carth. 293
V. De appellationibus ab Episcopo Rom. 294
VI. De conuocatione Conciliorum 295
VII. Episcopi Rom. controuersias detulerunt ad Concilium 300
VIII. De iis qui salua vnitate Ecclesiæ,dissenserunt ab Episcop. Romano ibid.
IX. De Episcopis inuito Episcopo Romano constitutis, & iudicatis 301
X. An iudicari potuerit de Episc. Rom. in ordine Ecclesiastico ibid.
XI. Romanum Episcopum fuisse subditum Imperatori 303
XII. De Canonibus editis refragante Episc.Rom. 306
XIII. Romanus Episc.subditus Imperatori etiam in Ecclesiasticis 307
XIV. Episcopus Rom.reliquorum collega ibid.
XV. De creatione Episcoporum 308

DE PAPÆ AVTHORITATE IN REPVBLICA.

LIBER XV.

Cap.I. Status quæstionis 309

Argumenta Papistica.

II. Loci scripturæ pró vtroque gladio 310
III. De capite Ecclesiæ 311
IV. De Christi regno temporali argumenta Papist. 312
V. De Christi regno temporali argumenta Catholicorum 314
VI. De subalternatione potestatum Ecclesiasticæ,& Politicæ ibid.
VII. De perfectione Ecclesiæ 316
VIII. An tolerari debeat à Christianis Rex infidelis,aut hæreticus 317
IX. De Regibus subditis Christo,de cognitione peccatorum, de iudicandis dubiis,& ambiguis 319
X. Argumenta Carerij ibid.
XI. Bozij argumenta de Dominio Occidentis 321
XII. Exempla authoritatis Pontificum in Principes,ex Veter. Test. 322
XIII. Ex historia Christiana 323

Argumenta Catholica.

XIV. Papa authoritatem temporalem num habeat iure humano 324
XV. Non constare è Scripturis authoritatem Papæ temporalem 325
XVI. Non habere Episcopos aliam authoritatem quam habuit Christus dum esset in terris,& Apostoli ibid
XVII. Omnem animam τῶν ἐξουσιῶν subiici 326

III. DE ANTICHRISTO.

LIBER XVI.

Cap.I. De statu quæstionis 328

Argumenta Catholica.

II. An Romanum Imperium desierit ibid.
III. Romam esse Antichristi sedem 329
IV. De templo Dei 330
V. De doctrina Antichristi 331
VI. Rationes Papistarum contra Apostasiam 333
VII. De Mysterio iniquitatis 334
VIII. De variis hæresibus Antichristo seruientibus 336
IX. De impostura Papæ in fallendis authoribus 337
X. De impostoris sophismatum 339
XI. De impostura circa Sanctos 340
XII. Circa reliquias 342
XIII. Circa reuelationes 344
XIV. De miraculis 345
XV. De Antichristi crudelitate 348
XVI. De sceleribus Antichristi 350
XVII. De diuitiis Antichristi 354
XVIII. Antichristus gerit se pro Deo 357
XIX. De Antichristi authoritate in templo Dei 358
XX. De quæsita Romanis Episc.seculari potentia 359
XXI. De conculcato Imperio 360

LIBER XVII.

Argumenta Papistica.

Cap.I. An Antichristus sit indiuiduus 361 (dui 364
II. Antichristum non esse vnam personam hominis indiui-
III. De prædicatione Euangelij per vniuersum orbem 365
IV. De Rom.Imperij desolatione 366
V. De Henoc,& Helia 367
VI. De persecutione Antichristiana 369
VII. De duratione Antichristi 370
VIII. De nomine,& charactere Antichristi 371
IX. De generatione Antichristi 372
X. De sede Antichristi 373
XI. De doctrina Antichristi 374
XII. De miraculis Antichristi 375
XIII. De regno,& præliis Antichristi 376
XIV. De mutatione temporum,legumque,de mercatoribus 377

II. LOCI

PARS ALTERA.

DE CVLTV.

LIBER XVIII.

DE CALVMNIIS PAPISTARVM.

Cap.I. De Cultu 378
II. De conuitiis in Sanctos generatim ibid.
III. De conuitiis in Angelos 379
IV. De conuitiis in Sanctos Vet.Test. 380
V. In sanctos Nou.Test.Baptistam,& Iosephum 385
VI. In Simeonem,Annam, Centurionem, Martham,Magdelenam,denique B.Virginem 389

QVÆSTIO I.

VTRVM POSSIT CREATVRIS COMPETERE CVLTVS RELIGIOSVS.

LIBER XIX.

Cap.I. De statu contr.in cultu creaturarum 391

Argumenta Papistica.

II. De locis Script.pro Sanctorum cultu 392
III. De calumniis olim contra Catholicos in cultu Sanctorum 393
IV. De Veterum testimoniis in cultu Sanctorum 394
V. De aliis argumentis pro adoratione Sanctorum 395

Argumenta Catholica.

VI. Catholicorum argumenta è Scriptura 396
VII. De testimoniis Veterum 398
VIII. De definitione Latriæ,& Duliæ ex Augustino 399

LIBER XX.

QVÆSTIO II.

Cap.I. Controuersiæ status de inuocatione Sanctorum 401

Argumenta Papistica.

II. An Scriptura doceat inuocationem Angelorum 402
III. An Scriptura doceat defunctos inuocandos 404
IV. De inuocandis viuis,& de miraculis 405
V. De Veterũ testimoniis pro inuocatione Sanctorũ 406

Argumenta Catholica.

VI. Scripturæ contra inuocationem Sanctorum 408
VII. Argumenta, & authoritates Veterum contra inuocationem Sanctorum 409

QVÆSTIO III.

VIII. Status controuersiæ de Reliquiis 410
IX. An sint adorandæ Reliquiæ 411

QVÆSTIO IV.

DE IMAGINIBVS.

LIBER XXI.

DE IMAGINIBVS DEI.

Cap.I. Status controuersiæ de imaginibus Dei 413
II. De Deo pingendo Arg.Papist. ibid.
III. Deum esse pingendum 414

DE VENERATIONE IMAGINVM.

IV. Status controuersiæ de veneratione Imaginum 417

Argumenta Papistica.

V. An Scripturæ doceant adorandas Imagines ibid.
VI. An ratione probetur adorandas imagines 419
VII. An veteres Christiani docuerint adorandas imagines 421

Argumenta Catholica.

VIII. De distinctione præceptorum Decalogi 423
IX. De differentia Idoli, Imaginis,& simulacri 424
X. An omnes Imagines prohibeantur secundo mandato 427
XI. De differentia Idololatriæ specifica 428
XII. Imagines non esse adorandas, neque propter se, neque propter exemplar 430
XIII. De Conciliis prohibentibus imagines 432
XIV. Exceptiones Papisticæ cõtra præcedentes Synodos 434
XV. Testimonia Patrum contra adorationem imaginũ 436

LIBER XXII.

DE CRVCE.

Cap.I. An imagines Crucis in vsu fuerint ante Constantinum 439
II. De adoratione quam Cruci Papistæ deferunt 441
III. Arg.Papist. pro adoratione Crucis,è Scriptura ibid.
IV. Argum.Papist.præter Scripturam 443
V. De imaginibus Crucis adorandis 444
VI. De adoratione signi Crucis 446

DE IMAGINIBVS IN TEMPLIS.

VII. De constituendis imaginibus in Templis, argum.Papist. ibid.
VIII. Imagines non constituendas in Templis 448
IX. De Epiphanio 449

FINIS TOMI SECVNDI.

Tertio Tomo.

LOCVS

DE HOMINE CORRVPTO, ET INSTAVRATO.

QVÆSTIO I.

DE PECCATO.

LIBER I.

Cap.I. Calumnia Iesuitarum de prima hominis natura pag.1.
II. Status controuersiæ de peccato originali 2

Argumenta Catholica.

III. De prauitate humanæ naturæ 2
IV. De corruptione infantium 3
V. De propagatione peccati 4
VI. Sententia veterum Catholicorum de peccato Originis 5

Argumenta Papistica.

VII. Argumenta Pighij contra Catholicos 6
VIII. Argumenta Salmeronis 7

QVÆSTIO II.

DE

LIBERO ARBITRIO.

LIBER II.

Cap.I. Status controuersiæ de libertate Arbitrij 9

Argumenta Papistica.

II. Argumenta Bellarmini, è Scriptura, & ratione de libertate Arbitrij 10
III. Ex Patribus 11

Argumenta Catholica.

IV. Argumenta Catholicorũ de necessitate liberi Arbitrij 12
V. Voluntatem creatam determinari à Prouidentia 13
VI. Argumenta Bellarmini contra determinationem actionum voluntatis 14

DE ARBITRIO HVMANO.

VII. Vtrum sit in homine liberum Arbitrium 15
VIII. De nomine liberi Arbitrij in homine 16
IX. Distributio controuersiarum de viribus Arbitrij Liberi humani 17

I.

CONTROVERSIA

X. De viribus Arbitrij in rebus ciuilibus 17
XI. De naturali Dei cognit.corrupta argumenta Catholica 18
XII. De naturali Dei cognitione argumenta Bellarmini 19

II.

CONTROVERSIA.

LIBER III.

Cap.I. Status controuersiæ de viribus Arbitrij ad bonum Theologicum 20

Argumenta Papistica.

II. Vtrum nullum necessarium sit peccatum 21
III. De præmiis,& pœnis 23
IV. Vnde sit discrimen bonorum,& malorum 24
V. De laudibus & vituperationibus præceptis, & monitis, &c. ibid.
VI. De locis præcipientibus 27
VII. De promissionibus cum conditione 28
VIII. De exprobrationibus 29
IX. De locis Psal.68.95.119.& 2.Petr.1.& 1.Thess.5.& 1.Ioan. 5. ibid.
X. De loco Deuter.30. ibid.
XI. Quare Deus tentet homines 30
XII. Quo sensu bona opera nostra sint & à nobis fiant 31
XIII. De loco Genes.4. ibid.
XIV. De locis ad Rom.9.& 1.Cor.3.Luc.10.Ecclesiast.15. 33
XV. De locis Deut.30.Ios.24.Ecclesiast.31.& 1.Corinth.7.& 2. Corinth.9. 34
XVI. De Patribus 35
XVII. De Augustino contra Manichæos 39
XVIII. De Augustino contra Pelagianos 41

LIBER IV.

Argumenta Catholica.

Cap.I. De seruitute Arbitrij 43
II. Peccatum esse homini corrupto naturale 44
III. De intellectu vitiato ibid.
IV. De voluntate vitiata 45
V. De operibus liberi Arbitrij quid Papistæ sentiant 46
VI. Quicquid fit sine fide esse peccatum ibid.
VII. Hominem non posse quicquam boni facere à seipso 47
VIII. Non regeniti opera omnia esse mala 49
IX. Pro bonis operibus infidelium argumenta Bellarmini è Scripturis 50
X. Pro iisdem rationes Papisticæ 51
XI. Pro iisdem authoritates Patrum 52
XII. Omne bonum morale esse à Deo in homine 54

III.

CONTROVERSIA.

LIBER V.

Cap. I. De peccato originali natorum ex fidelibus 55
II. Status controuersiæ de B. Maria Virgine ibid.
Argumenta Papistica.
III. An Scriptura doceat Virginem immunem ab omni peccato 57
IV. De locis allegoricis 59
V. De locis accommodatis 61
VI. An consentiat Ecclesia, Virginem esse peccati immunem ibid.
VII. An rationibus probetur 64
Argumenta Catholica.
VIII. Virginem non excipi à communi hominum natura 67
IX. Christum esse Seruatorem matris suæ 70
X. De misericordia Dei in Virginem 71
XI. De aduersis Virginis ibid.
XII. Virgini necessariam fuisse remissionem peccatorum 73
XIII. Virginem peccasse aliquando 74
XIV. Testimonia Veterum de Virgine peccatrice 77

QVÆSTIO III.

DE

POENIS PECCATI.

LIBER VI.

Cap. I. De pœnis peccati 79

CONTROVERSIA I.

II. Status controuersiæ de pœna peccati Originalis 80
III. Peccato Orig. deberi pœnam sensus in igne æterno ibid.
IV. An Scriptura contra doceat 83
V. An ratio 84
VI. An Patres 85

CONTROVERSIA II.

VII. De peccato veniali, & mortali 86
VIII. Calumniæ Papistarum 87
Argumenta Papistica.
IX. An Scriptura doceat, esse peccata venialia 88
X. An rationes 90
XI. An traditio 92
XII. Nulla peccata esse venialia 94
XIII. Ex Patribus probatur idem 97

DE

REPARATIONE HOMINIS.

DE

SVMMA CAVSA.

LIBER VII.

Cap. I. De Prædestinatione 98
II. Prædestinationem esse actum voluntatis 99
III. Argumenta Papistica contraria 100
IV. Vtrum Prædestinationis nomen ad reprobos pertineat 102
V. Reprobos prædestinari ibid.
VI. Quomodo Deus velit omnes saluari 104
VII. An reprobatio sit contra Dei bonitatem 106
VIII. An contra misericordiam 107

LIBER VIII.

DE

PRÆDESTINATIONIS

CAVSA.

Cap. I. Status controuersiæ de causa prædestinationis 109
Argumenta Papistica.
II. De argumentis pro præuisione, tum ad Electionem, tum ad Reprobationem 111
III. De locis Script. pro præuisis meritis 112
IV. Sex rationes pro præuisis meritis ad salutem 113
V. Aliæ rationes 114
Argumenta Catholica.
VI. Argumenta Catholica contra præuisionem operum 115
VII. Sententia Veterum 116

DE

CAVSA REPROBATIONIS.

VIII. Arg. Pap. de causa Reprobationis 117
IX. De Paulo ad Rom. IX. 118
X. Aliæ Catholicæ rationes 120

DE

CAVSA SVBALTERNA REPARATIONIS CHRISTO.

LIBER IX.

Cap. I. De Christi meritis ex compacto 121
II. Status quæstionis de meritis Christi absolutis, & argum. Pap. è Script. ibid.
III. Arg. Cathol. contra meritum absolutum 123
IV. Catholicos non negare mortis Christi sufficientiam ibid.
V. Status controuersiæ de efficacia mortis Christi 124
Argumenta Papistica.
VI. Locorum Script. classis prima 125
VII. De mundo & Gentibus 126
VIII. De Christi victoria 127
IX. An Scriptura doceat mortuum esse Christum pro reprobis 128
X. De singularibus quibusdam locis 129
XI. Rationes Vindekij 131
XII. Absurda Vindekij ibid.
XIII. Non pro quibusuis mortuum esse Christum 133

DE

NATVRA RESTAVRATIONIS IN SINGVLIS.

Sanctificatione & Iustificatione.

Ac primum,

DE

SANCTIFICATIONE.

LIBER X.

Cap. I. De Sanctificatione & Iustificatione 14
II. Calumnia Papistarum 335
III. De Sanctificationis gradibus 136
IV. Status controuersiæ, de Concupiscentia ibid.
Argumenta Catholica.
V. Concupiscentiam Paulo esse peccatum 137
VI. De Anomia 138
VII. De Concupiscentiæ malo 139
VIII. De lege peccati 141
IX. De sensu carnis ibid.
X. De Patribus 142
Argumenta Papistica.
XI. De concupiscentia apud D. Iacobum 145
XII. De carne, ad Rom. 7. 146
XIII. Quomodo nihil sit condemnationis in fidelibus 147
XIX. Quomodo non regnet peccatum in mortali corpore 148
XV. De remissione peccatorum 149
XVI. De Naturali, & Voluntario 150
XVII De Ineuitabili, de amore Dei, de motibus infantium, dormientium, dementium 151
XVIII. Vtrum Concupiscentia sit peccatum originale 152
XIX. De Patribus 153
XX. De Augustino 155

LIBER XI.

DE TOTIVS LEGIS

IMPLETIONE.

Cap. I. Status quæstionis, de totius Legis obseruatione 156
Argumenta Papistica.
II. De facilitate legis 157
III. De charitate implente mandatum 158
IV. Vtrum

IV. Vtrum fuerint qui impleuerint legem ibid.
V. Quomodo non peccet qui natus ex Deo 159
VI. De Iustis sicut Deus iustus,& de accusatione Legis 161
VII. De effectis gratiæ,de libertate hominis, de effectis Christi 162
VIII. Rationes Pap.extra Scripturas 163
IX. De Patribus 164

Argumenta Catholica.

X. Quæ sit impletio Legis 166
XI. Neminem esse sine peccato 167
XII. De Iustificatione per Legem 168
XIII. Quid prohibeatur per mandatum, *Non concupisces* 169
XIV. De amore Dei & proximi 170
XV. De onere Legis importabili 173

De Operum Imperfectione.

XVI. Status controuersiæ, de Imperfectione bonorum operum 173

Argumenta Catholica.

XVII De iusto peccante:Eccl.7. 174
XVIII. De iustitiis immundis ibid.
XIX. Putris arbor.Non perficere bonum 175
XX. Ex Patribus ibid.

Argumenta Papistica.

XXI. Ab absurdo 177
XXII. Ex Scripturis 179
XXIII. A ratione 180
XXIV. A Patribus 182

DE PARTIBVS SANCTIFICATIONIS.

LIBER XII.

Cap. I. De Fide 183
II. Cuius facultatis sit fides 184
III. Fidem in intellectu esse ibid.
IV. Fidem esse in voluntate 185

De Fidei Cognitione.

V. Status controuersiæ,de cognitione fidei, siue de fide implicita 186

Argumenta Papistica.

VI. E Scripturis 187
VII. A ratione 189
VIII. A Patribus 190

Argumenta Catholica.

IX. Contra ignorantiam fidei 190

De Nexv Fidei et Opervm.

X. Status controuersiæ de nexu fidei & bonorum operum 192

Argumenta Papistica.

XI. De Principibus non confitentibus,de dicentibus, Dom, Domine, de inuitatis ad cœnam magnam,de bonis & malis in Ecclesia 193
XII. De fide sine charitate apud Paulum 193
XIII. De fide sine operibus apud Iacobum 195
XIV. Rationes aduersariorum ibid.
XV. De Patribus 196

Argumenta Catholica.

XVI. Argumenta Catholica ibid.

DE OBIECTO FIDEI.

LIBER XIII.

Cap. I. Status controuersiæ,de applicatione Iustificationis 197

Argumenta Catholica.

II. Suam fidem fideli esse cognitam 199
III. Fidem applicare promissiones 200

Argumenta Papistica.

IV. Argumenta Papist.è Scripturis 203
V. Ratio Papist.à Reuelatione ibid.
VI. Aliæ Bellarmini 205
VII. Sanderi,& Bouerij 206

De Certitvdine Fidei.

Argumenta Catholica.

VIII. De substantia rerum sperandarum 207
IX. De certitudine amoris diuini 208

X. De dono Spiritus sancti 209
XI. De fiducia,& πληροφορίας & notitia salutis 211
XII. Laudari certitudinem fidei, & reprehendi dubitationem 212
XIII. Patrum testimonia 213

Argumenta Papistica.

XIV. De amore & odio, de propitiato peccato, de incertis,& occultis Sapientiæ Dei ex Psal.51. 216
XV. De incertitudine propriæ iustitię,& timore,deq; eo quod se commendat,de certa vocatione 217
XVI. De promissionibus hypotheticis,vtrum incertum, qui agunt pœnitentiam assequi remissionem, de certitudine Prædestinationis 218
XVII. Rationes Bellarmin.& Gregor.de Valentia ibid.
XVIII. Dominici à Soto,& Vasquis 220
XIX. De Patribus 221

De Fide Electorvm Propria

XX. Status controuersiæ de fide Electorum propria 222
XXI. Argumenta Papist.de interitu fidei ibid.
XXII. Catholicorum contra interitum fidei 224

I. DE OPERVM MERITO.

LIBER XIV.

Cap. I. De merito,Papistarum sententia 226
II. Catholicorum 227
III. De nomine meriti ex Scriptura ibid.
IV. De Merito congruo 229
V. Status quæstionis de merito condigno 230

Argumenta Papistica.

VI. De mercede 231
VII. De proportione operum 232
VIII. De ratione obtinendæ vitæ 233
IX. De retributione Iustitię,de vita promissa operibus,de dignitate,de acceptione personarum 234
X. Rationes Pap.extra Script. 235
XI. De absurdis Salmeronis 236
XII. De Patribus 237

Argumenta Catholica.

XIII. Vita æterna,donum Dei 238
XIV. De Misericordia 239
XV. De Hæreditate 240
XVI. De seruis inutilibus 241
XVII. Emere sine pretio, deprecari in miserationibus Dei,seruari non ex operibus 244
XVIII. Parabola operariorum 245
XIX. Passiones non condignæ 246
XX. Contra meritum rationes 246
XXI. De fiducia operum 248
XXII. Authoritates Patrum contra merita 249

II. DE NECESSITATE OPERVM.

LIBER XV.

Cap. I. De necessitate operum secundum efficientiam 252
II. De necessitate operum,calumnia Papistica 254
III. Status controuersiæ de discrimine legis,& Euangelij 255
IV. De Legibus & comminationibus Euangelij 256
V. De promissionibus Euangelij cum conditione 258

De Libertate Christiana.

VI. De libertate Christiana circa legem moralem 259
VII. De libertate circa ἀδιάφορα

DE CONSTITVTIONIBVS Ecclesiæ.

Argumenta Papistica.

IX. De sacerdote veteri, deligando,& pascendo,de missione Apostolorum 260
X. De prohibitis Idolothytis,sanguine,& suffocato 261
XI. De subiectione propter conscientiam, de virga, de digamis,de aliis 263
XII. De necessitate legis 265

Argumenta Catholica.

XIII. Pastorum authoritas alligata mandatis Christi: Nihil addendum mandatis acceptis 265

XIV. De legislatore 267
XV. De mandatis hominum ibid
XVI. De libertate Ecclesiæ, & comparatione rituum Iudaicorum cum humanis 268
XVII. De Dominio in Ecclesiam 270

LEGES DE CONIVGIIS, & primum DE COELIBATV SACERDOTVM.

LIBER XVI.

Cap. I. Status controuersiæ de Cœlibatu Sacerdotum 271

Argumenta Catholica.

II. De vnius vxoris viro 273
III. De vxore propter fornicationem 274
IV. De difficultate Continentiæ 275
V. De nuptiis honorabilibus 279
VI. De impia comparatione coniugii & fornicationis 280
VII. De prohibentibus nuptias 281
VIII. De Canone Apostolico, & Gangrensi 282
IX. De Canone Ancyrano, & Trullensi, & Carthaginensi 284
X. De Synodo Nicena, & Paphnutio 286
XI. Patrum sententiæ 290
XII. De Apostolis, Apostolicisque coniugatis 292
XIII. De Episcopis, Presbyteris, Diaconis, variorum seculorum coniugatis 294
XIV. Historia firmati Cœlibatus 299

LIBER XVII.

Argumenta Papistica.

Cap. I. De Presbytero temperante, continente, sancto 302
II. De abstinentia propter preces 303
III. De distractione ab actibus presbyterij, & quomodo bonum non tangere mulierem 306
IV. De Castitate: De odio vxoris: De negotiis secularib. 309
V. Argumenta ex Veteri Testam. 311
VI. De virtutibus Episcopi oppositis coniugio 313
VII. De partibus presbyterij oppositis coniugio 315
VIII. De Concilij Niceni Canone tertio 318
IX. De reliquis Synodis, deque Patribus 320
X. De digamis 322

LIBER XVIII.

DE GRADIBVS IMPEDIENTIBVS MATRIMONIVM.

Cap. I. De cognatione 324
II. De gradibus in directa linea 325
III. De gradibus in collaterali cognatione ibid.
IV. De gradibus prohibitis in Script. 326
V. De cognatione spirituali 327
VI. De gradibus in cognatione carnali prohibitis apud Papistas 328
VII. De authoritate Ecclesiæ in prohibendis gradibus 329
VIII. Rationes Papisticæ prohibitorum graduum 330
IX. De dispensatione 332
X. Leges cognationis à Deo positas non esse ab homine dispensabiles 334

De Liberis.

XI. De liberorum nuptiis 336

De Repvdiis.

XII. De repudiis 338
XIII. De diuortio, controuersiæ status 340
XIV. Arg. Papistarum ibid.
XV. Patrum authoritates 343
XVI. Matth. 19. nuptias post diuortium non inhiberi 344
XVII. Imo permitti 345
XVIII. Veterum testimonia 348

LIBER XIX.

LEGES DE IEIVNIIS.

Cap. I. De ieiunio calumnia Pap. 350
II. De vna cœna in ieiunio 351
III. De ciborum delectu 352
IV. Argum. Papistica ibid.
V. Argumenta Catholica 355

DE TEMPORE IEIVNII.

VI. De statis ieiuniis 359
VII. De Quadragesima 361
VIII. De ieiunio feriæ quartæ, sextæ, & sabbathi 365
IX. De ieiuniis quatuor temporum 366
X. De ieiuniis Aduentus, Rogationum, & Vigiliarum 368
XI. De diebus quibus ieiunare non liceat ibid.

DE VOTIS.

LIBER XX.

Cap. I. De votis 369
II. An sint vota Sanctis nuncupanda ibid.
III. Vtrum præcepta cadant in votum 370
IV. De Baptismi voto 372
V. Quomodo vota sunt cultus Dei, argumenta Papist. ibid.
VI. Argumenta Catholicorum 374
VII. De Religionum Ordinibus 376
VIII. De Paupertate ibid.
IX. Arg. Papist. pro Paupertate votiua ibid.
X. Cathol. aduersus Monasticam paupertatem 380
XI. De Obedientia monastica status quæstionis 383
XII. Arg. Papist. pro cæca obedientia 384
XIII. Arg. Cathol. contra eandem 385

De Continentia.

XIV. De Maria Virgine 386
XV. De Eunuchis propter regnum cœlorum 391
XVI. De Viduis primam fidem irritam facientibus ibid.
XVII. Rationes Bellarmini de voto Continentiæ, & Patrum testimonia 393

Argumenta Catholica.

XVIII. Continentiam non pendere ab electione 394
XIX. De nuptiis necessariis propter fornicationis periculum 396

De Consiliis.

XX. De Consiliis 400
XXI. De Consiliis argum. Papist. ibid.
XXII. De exemplis monasticis 403
XXIII. De Abusu Religionum 415

Altera pars

DE IVSTIFICATIONE.

Quid sit.

LIBER XXI.

Cap. I. De Iustificatione 418

Qvæstio I.

De Inhærente.

Argumenta Papistica.

II. Ex quinto & tertio ad Rom. 420
III. Alia ex eadem Epistola 423
IV. Ex aliis Script. 425
V. De voce Iustificandi 427
VI. Aliæ rationes variæ 429
VII. Ex Patribus 431

Argumenta Catholica.

VIII. De iustitia Dei & nostra 432
IX. De Iustificatione sine operibus 433
X. Neminem iustificari ex lege 434
XI. De Iustificatione gratuita, de operibus ante & post fidem, de imperfecta iustitia, de infantibus, de Paulo nihil sibi conscio 435
XII. Patrum testimonia 437

De Imputatione.

Argumenta Catholica.

XIII. De Imputatione 437

XIV. De Iustificationis nomine & descriptione 438
XV. Vtrum remisso peccatorum sit Iustificatio 439
XVI. Remissionem esse imputatiuam 443
XVII. De aliena iustitia 445
XVIII. Peccator iustificatur per imputationem 448
XIX. Patrum sententiæ ibid.
Argumenta Papistica.
XX. Bellarmini obiectiones 450
XXI. Sanderi & Salmeronis 452

DE
SOLA FIDE IVSTIFICANTE.
LIBER XXII.

Cap. I. Status quæstionis de sola fide 455
Argumenta Catholica.
II. De operibus exclusis à iustificatione 456
III. Quid sit gratis iustificari 459
IV. Iustificari ex fide 460
V. Ex Patribus solam fidem iustificare 463
Argumenta Papistica.
VI. Ab absurdo 466
VII. Solius fidei iustificationem, nihil habere commune cum Veteribus hæreticis 467
VIII. Sitne fides præparatio ad iustificationem 468
IX. De aliis præparationibus, Timore, Spe, Dilectione, Pœnitentia, Desiderio Sacramentorum, Proposito nouæ vitæ 470
X. De separatione fidei & operum 472
XI. De remotione causarum propter quas sola fides iustificet 473
XII. De modo iustificationis per fidem 474
XIII. De causa formali Iustificationis, & necessitate operum 476
XIV. Varia variorum Papist. argumenta ibid.

DE CONDONATIONE POENARVM.
LIBER XXIII.

Cap. I. De pœnis peccatorum condonatorum status quæstionis 478
II. Arg. Catholica quibus probatur, remissa culpa nullam retineri pœnam ibid.
III. Arg. Papistica aduersus remissionem pœnæ 482
IV. Arg. Pap. de pœnis temporalibus post hanc vitam 484
V. Nullam retineri pœnam post hanc vitam probant Catholici 485
VI. De pœna temporali post remissionem in hoc seculo 486

DE
SATISFACTIONIBVS PROPRIIS.

VII. Status controuersiæ de satisfactionibus 488
Argumenta Papistica.
VIII. De pœnitentiæ ratione 489
IX. De Eleemosynis, & precibus 491
X. De fructibus dignis pœnitentia, deque vindicta 493
XII. De differentia renouationis per Baptismum, & per Pœnitentiam 494
XII. Varij Script. loci à Papistis obiecti 496
XIII. Rationes Papisticæ pro satisfactionibus 498
XIV. Authoritates Veterum pro satisfactionibus 503
XV. Lutheri, Philippi, Caluini, Chemnitij iudicia de Veteribus 505
XVI. Distinctior consideratio authoritatum Veterum 507
XVII. Obseruationes aduersariorum ad Patrum authoritates 509
Argumenta Catholica.
XVIII. Nullas esse in Script. satisfactiones 511
XIX. De satisfactionibus Christi 513
XX. De remissione gratuita 515
XXI Exempla remissorum à Christo peccatorum 516

DE SATISFACTIONIBVS ALIENIS.
LIBER XXIV.

Cap. I. De satisfactionib. alienis in genere, tum de priuatis 517
II. Indulgentiarum origo, & definitio 518
III. De materia Indulgentiarum 519
IV. De forma Indulgentiarum 521
V. De mensura Indulgentiarum 523
VI. De vsu Indulgentiarum 527
VII. De initiis oppugnatarum Indulgentiarum; & capitibus futuræ disputationis 531

QVÆSTIO I.
VTRVM ALII PRO ALIIS SATISFACIANT.

Argumenta Papistica.
VIII. E Scripturis 531
IX. A ratione 533
X. A Patribus 535
Argumenta Catholica.
XI. Argumenta Catholicorum 536

QVÆSTIO II.
DE THESAVRO INDVLGENTIARVM.

XII. De Christi satisfactionibus 538
XIII. De satisfactionibus Sanctorum ibid.
XIV. De operibus qua meritoriis, qua satisfactoriis 539
XV. Argum. è Scriptura pro Indulgentiarum dispensatione 540
XVI. Papist. ratiunculæ pro eadem 542

DE
EFFECTIS REPARATIONIS.
LIBER XXV.

Cap. I. De æterna beatitudine, sententia Catholica 545
II. Papistica calumnia de beatitudine Sanctorum ibid.
III. De loco Paradisi, de resurrectione, de inæqualitate gloriæ ibid.
IV. De cicatricibus corporum glorioforum, de aureolis, de cognitione Sanctorum 546

DE LIMBO PATRVM.

V. Status controuersiæ de Limbo Patrum 548
Argumenta Papistica.
VI. De cœlo clauso, & præcursore Christo ibid.
VII. De argum. ex Vet. Test. 549
VIII. De anima Samuelis 550
IX. De locis ex Nouo Testam. 553
X. De Patrum authoritatibus 555
Argumenta Catholica.
XI. Arg. Cathol. aduersus Limbum Patrum 556

LIBER XXVI.
DE PVRGATORIO.

Cap. I. De Purgatorio status controuersiæ 559
Argumenta Papistica.
II. An sit expressum in script. Purgatorium 560
III. De personarum diuersitate 561
IV. De purgatione animæ 563
V. De locis ex Vet. Test. pro pœnis post hanc vitam 566
VI. De variis gradibus pœnæ, de reddenda ratione verbi otiosi, de potestate mittendi in gehennam, de multis & paucis plagis 569
VII. De aduersario, & carcere & nouissimo quadrante 571
VIII. De liberatione à pœnis ex Vet. Testam. 573
IX. De solutis doloribus inferni, de latrone rogante Christum vt esset memor sui 575
X. De peccato remisso in altero seculo 576
XI. De ligno, fœno, & stipula 578
XII. Quæ sit Paulo dies reuelans 579
XIII. De igne apud Paulum 582
XIV. Ignem Paulinum non esse Purgatorium 587
XV. Pro suffragiis ex Vet. Test. 588
XVI. De Iudæ Maccabæi oblatione 590
XVII. De amicis ex Mammona iniquitatis 592
XVIII. De necessitatibus Sanctorum 93
XIX. De baptizatis pro mortuis 594
XX. De precibus pro omnibus, pro Onesiphori domo, pro iis qui peccant peccatum non ad mortem 597

XXI. Papistícæ rationes pro Purgatorio 598
XXII. Quæ ex Patribus citentur pro Purgatorio 600
XXIII. Aduersus testimonia Veterum exceptiones legitimæ ibid.
XXIV. De precibus pro mortuis apud Patres 603
Argumenta Catholica.
XXV. Argum. contra Purgatorium inutilia 606
XXVI. Vera argum. contra Purgatorium 608

Quarto Tomo.

LOCVS IV.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LIBER I.

Cap. I. De nomine Sacramenti calumnia 1
II. De vi, atque vsu nominis Sacramenti 2
III. De Sacramenti nominibus Hebræis 3
IV. De Sacramenti nomine Græco 4
V. De nomine Sacramenti Latino 5
VI. De definiendo Sacramento 5
VII. De Sacramentis ante peccatum 6
VIII. De Sacramentis in lege naturæ 7
IX. De Sacramentis Vet. & Noui Testam. 9
X. De proprietatibus Sacramenti qua ceremonia est ibid.
XI. Qua signum 10
XII. De Sacramentis quantum ad rem significatam attinet 13
XIII. De celebratione Sacramentorum 14
XIV. Quomodo signa sint sensibilia 14
XV. Calumnia de verbo consecratorio & concionatorio 16
XVI De verbo sacramentali prædicato 17
XVII. Contra verbum sacramentale prædicatum argumenta Suaris 18
XVIII. Bellarmini 19
XIX. De intentione Ministri 20
XX. Argumenta Papistica 22
XXI. Argumenta Catholicorum 24

LIBER II.

Cap. I. De efficacia sacramentorum Papistarum opiniones 25
II. Sententia Catholicorum 27
Argumenta Papistica.
III. Ex Nouo Testamento 28
IV. Ex Veteri 30
V. Rationes 31
VI. De Veterum testimoniis 35
Argumenta Catholica.
VII. Neque Iustificationem, neque Sanctificationem effici physice à Sacramentis 38
VIII. De ablutione carnis, & interrogatione bonæ conscientiæ 40
IX. De signis institutis & sigillis 41
X. Apud Veteres disparari efficaciam Spiritus & Elementi 44
XI. Alij ex Patribus loci 45
XII. De charactere sacramentali 47
XIII. Argument. Papist. ex Vet. Testam. 48
XIV. Ex Nouo Testamento 48
XV. Ratiunculæ 50
XVI. Patrum authoritates 52

LIBER III.

Cap. I. De vi, & efficacia Sacramentorum Veterum 54
Argumenta Catholica.
II. De typis Baptismi, & Eucharistiæ 55
III. De Circuncisione 58
IV. De Sacrificiis 61
Argumenta Papistica.
V. Ex Veteri Testamento 62
VI. Ex Nouo Testamento ibid.
VII. Ex Patribus 65

LIBER IV.

DE NVMERO SACRAMENTORVM.

Cap. I. Status controuersiæ de numero Sacramentorum Noui Testamenti 69
Argumenta Papistica.
II. De congruentiis 70
III. De nomine Sacramenti apud Paulum 72
IV. De nomine Sacramenti apud Patres 73
Argumenta Catholica.
V. De numeratis olim duobus Sacramentis 75
VI. De argum. à definitione Sacramenti 77

DE CONFIRMATIONE.

VII. De confirmatione 78
Argumenta Papistica.
VIII. De instituendo Sacramento Confirmationis ibid.
IX. De instituto Confirmationis Sacramento nihil certi haberi in Script. 80
X. Loci Scripturæ pro institutione Confirmationis 81
XI. De vsu Confirmationis apud Patres 83

DE POENITENTIA.

XII. De Pœnitentiæ Sacramento status quæstionis 87
XIII. Argum. à remissione peccatorum 88
XIV. A definitione Sacramenti ibid.
XV. In Pœnitentia nullam esse institutionem sacramentalem 90
XVI. De testimoniis Veterũ pro Sacramento Pœnitentiæ 94

DE EXTREMA VNCTIONE.

XVII. De extrema Vnctione 96
XVIII. Eandem esse vnctionem Marci VI. & Iacobi V. 97
XIX. Apud Iacobum nullum esse Sacramentũ vnctionis 99
XX. De præsidio necessario morientibus 100
XXI. De vnctione ex Patribus 101

DE ORDINATIONE.

XXII. De Ordinatione 102
XXIII. De vnitate Ordinum 103
XXIV. Vtrum definitio Sacramenti conueniat Ordini 104
XXV. An ratio probet Ordines esse Sacramentum 106
XXVI. De Traditione Ordinum ibid.

DE MATRIMONIO.

XXVII. De matrimonio 110
XXVIII. Nullam esse Matrimonij institutionem sacramentalem 110
XXIX. Nullam esse in Matrimonio Sacramenti materiam, & formam 111
XXX. In Matrimonio non esse gratiam sacramentalem ibid.
XXXI. An ratio probet Matrimonium esse Sacramentum 113
XXXII. De Patrum sententia 114

LIBER V.

DE BAPTISMO.

Cap. I. De Baptismi nomine, & definitione 115
II. De Baptismi materia & forma ibid.
III. Calumnia Papistarum de effectis Baptismi 116
IV. Status controuersiæ de effectis Baptismi 117
V. Argumenta Papist. de præsenti effectu Baptismi 118
VI. De efficacia Baptismi in futurum, Argumenta Catholica 120
VII. Contra efficaciam Baptismi in futurum, Argumenta Papistica 122
VIII. Status causæ de necessitate Baptismi ibid.
IX. De ea argumenta Papistica ibid.
X. Contra argumenta Catholica 126
XI. De personis in Baptismo 130
XII. De Baptismo Ioannis status quæstionis, & Argumenta Catholica ibid.

XIII. Contra argumenta Papistica 133
XIV. De legitimo Baptismi ministro 136
XV. De legitimis Baptismi ritibus 140
XVI. De Baptismi ritibus alienis 142

DE

EVCHARISTIA.

LIBER VI.

Cap.I. De Eucharistiæ & Cœnæ nomjnibus 145
II. De Missæ nomine 147

De Elementis.

III. De miscenda aqua 149
IV. De azymo & fermento 151
V. De consecratione 152
VI. De verbis consecratoriis argumenta Papistica 154
VII. De consecratione argum. Cathol. 157
VIII. De secreta pronunciatione consecrationis 159
IX. Contra secretam pronunciationem consecrationis 162

LIBER VII.

Cap.I. Status controuers. de adoratione Eucharistiæ 165
II. De adoranda Eucharistia, Papistica argumenta ibid.
III. Argumenta Catholica contra adorationem Sacramenti 169
IV. Status quæstionis de reseruatione Eucharistiæ 171

Argumenta Papistica.

V. Ex institutione ibid.
VI. De dissimilitudine Baptismi 172
VII. Argum. Suaris, Lorichij, Vegæ, Pererij Sancteſij 173
VIII. Item Turriani, & Greg. de Valentia 175
IX. De Veterum testimonijs 177
X. Argumenta Catholica contra reseruationem 180
XI. De fractione panis 183
XII. De Missis priuatis, status quæstionis 184
XIII. Argumenta pro Missis priuatis 185
XIV. Argumenta ex Veteribus pro Missis priuatis 187

Argumenta Catholica.

XV. Ab institutione 189
XVI. Ab vsu Ecclesiæ Apostolicæ 190
XVII. Item post Apostolos 191
XVIII. Contra Missam priuatam decreta antiqua 192
XIX. Varia testimonia 194
XX. De pane tradito in manus communicantium 196

LIBER VIII.

DE VTRAQVE SPECIE.

Cap.I. Status controuers. de vtraque specie 197

Argumenta Catholica.

II. Vtrum violari possit institutio Eucharistiæ 198
III. De verbis, *Bibite ex eo omnes* 200
IV. De verbis, *Hoc facite in meam commemorationem* 204
V. De signo, & re significata 207
VI. Variæ rationes pro vtraque specie 208
VII. De exemplo Christi 211
VIII. De exemplo Apostolorum 212
IX. Vtramque speciem fuisse olim communicatam perpetuis multis seculis 214
X. De longa consuetudine Ecclesiæ 219
XI. Consuetudinem fuisse approbatam à doctoribus 221

LIBER IX.

Argumenta Papistica.

Cap.I. Diminutæ communicationis exempla 228
II. De exemplis è Scriptura 229
III. De exemplis præter Scripturam 232
IV. Coniecturæ contra communionem vtriusque 235
V. De authoritate Ecclesiæ 238
VI. De sacerdotum Papistarum nequitia 239
VII. Etsi totus Christus esset sub vtraque: tamen non sequi, alteram detrahendam ibid.
VIII. De Concomitantia 241
IX. De tota ratione Sacramenti 243
X. Vtrum maior sit vtilitas in vtraque specie quàm in altera 244
XI. Vtrum communio mutilata non aduersetur Scripturæ 247
XII. Rationes interdicendi calicis 249

DE RE SIGNIFICATA.

LIBER X.

DE

ENVNCIATIONE SACRAMENTALI.

Et primum

DE

TERMINIS.

Cap.I. De capitibus controuersiæ circa rem Sacramenti 253
II. Quid sit corpus Christi in Eucharistia ibid.
III. Quid sit *Hoc* in Eucharistia 254
IV. Quid sit *Est* in Eucharistia 256
V. De tota enunciatione Eucharistica 257

Deinde

DE

INTERPRETATIONE ENVNCIATIONIS.

VI. Qui scripserunt de Controuersiis Eucharistiæ & quis status primæ 258

Argumenta Papistica.

VII. Vtrum verbum substantiuum possit esse tropicum aliquando 259
VIII. Vtrum *est* sit hoc loco figuratiuum 262
IX. De regulis interpretandi & de circunstantijs textus 264
X. De comparatis locis 265
XI. De articulis fidei 267
XII. De absurdis 267
XIII. De tempore institutæ Cœnæ 269
XIV. De Ecclesiæ consensu, & explicatione 270
XV. Varia argumenta ibid.

Argumenta Catholica.

XVI. De terminis disparatis in enuntiatione affirmatiua 277
XVII. *Est* non poni pro futurum esse, aut fieri, mutarive 278
XVIII. Vtrum *Hoc* nihil significet 279
XIX. De iis qui *Hoc* interpretantur Accidentia 280
XX. De identica enunciatione, & indiuiduo vago 281
XXI. *Hoc* esse hunc panem, probatur ex Institutionis textu 283
XXII. Argum. Papist. quibus negant, *Hoc* esse hunc panem 285
XXIII. Probatur ex alijs Scripturæ locis, & ex Patribus, *Hoc*, esse hunc panem 287
XXIV. Aliis argumentis ex Patribus probatur tropus 288

LIBER XI.

DE MANDVCATIONE CORPORALI.

Cap.I. Oeconomia futurarum disputationum 289
II. De corporali manducatione, Papistarum sententia 290

Argumenta Papistica.

III. De manducatione in sexto Iohan. vtrum sit sacramentalis 291
IV. Quibus præiudiciis coniiciatur in eo capite agi de Sacramento 292
V. Argum. sumpta ab ipsa Concione 295
VI. Vtrum Iohan. VI. manducatio sit corporalis 298
VII. Varia argum. pro esu corporeo 302
VIII. De vnione Christiana 304
IX. De Patribus 307

Argumenta Catholica.

X. De inutilitate manducationis carnalis 316

XI. Manducationem carnalem esse impiam 320
XII. Carnis Christi manducationem carnalem esse impossibilem 323
XIII. De vnione cum Christo 325
XIV. De necessitate manducationis 326
XV. De effectu necessario manducatæ carnis Christi 329
XVI. De cibo in secessum 330
XVII. De Christo seipsum manducante 331
XVIII. De cibo dentis 331
XIX. De non manducando ipso corpore Christi 332

FINIS.

INDEX

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ HOC TOMO I. EXPOSITORVM, ET AB ADVERSARIORVM CORRVPTIONIBVS ATQVE EXceptionibus vindicatorum.

Notet lector, literam l. librum, c. caput, & hoc subsequentem numerum paragraphum, finales vero numeros paginam denotare.

GENESIS.

Cap. I. IN principio creauit Deus cœlum & terram l. 15. c. 3. 20. & 28. pag. 265
III. Ipsa conteret caput tuum l. 14. c. 11. 5. 253
IV. Qui occiderit Cain &c. lib. 12. c. 12. 42. 43. 219.
VI. Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore l. 14. c. 9. 11. 250
VIII. Emisit coruum, qui egrediebatur, & reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram l. 13. c. 8. 21. 231
IX. Qui effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius l. 14. c. 11. 27. 254
XXXVI. Ipse est Ana qui inuenit הימים in deserto cum pasceret asinos Zebeon patris sui l. 12. c. 8. 2. 214
XLIX. Donec veniat Silo, an corruptus locus l. 12. c. 12. 56. 220

EXODI.

Cap. XIII. Narrabisque filio tuo in die illo, loquens, hoc est quod fecit mihi Dominus l. 9. c. 7. 15. 147
XVIII. Sedit Moses vt iudicaret populum l. 3. c. 2. 1. 25
XXVIII. Pones autem in rationali doctrinam & veritatem l. 3. c. 3. 5. 26

NVMEROR.

Cap. XX. Gradiemur via publica, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes l. 1. c. 4. 2. 3
XXII. Ad locum angustum, vbi nec ad dextram, nec ad sinistram poterat deuiari l. 1. c. 4. 2. 3.
XXVI. Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient l. 14. c. 11. 29. 254

DEVTERONOMII.

Cap. IV. Et nunc Israel audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo vt faciatis, &c. Non addetis ad verbum quod præcipio vobis, &c. l. 8. c. 6. 2. 108
Et obseruabitis & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis. &c. l. 1. c. 5. 2. 3.
V. Custodite igitur, & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dextram, neque ad sinistram l. 1. c. 2. 3. 3
VI. Erant verba hæc, quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo, & narrabis filiis tuis &c. l. 10. c. 2. 3. 179
XI. Docete filios vestros, vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in ea &c. l. 10. c. 2. 3
XII. Omne verbum quod ego præcipio vobis, id custodietis: ne addas ad illud, neque detrahas de eo l. 8. c. 6. 2. 108
XVII. Sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram l. 1. c. 4. 3.
Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius, in volumine &c. Neque declinet in partem dextram vel sinistram l. 1. c. 2. 3. 3
Si difficile & ambiguum iudicium apud te esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem &c. Venies que ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore l. 3. c. 1. 2. 24
XXI. Maledictus omnis qui pendet in ligno, an corruptus locus lib. 12. c. 12. 95. 222
XXIII. Tantum confortamini: & estote solliciti, vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt &c. l. 1. c. 4. 4. 3
XXVIII. Constituet te Dominus Deus tuus in caput & non in caudam: & eris semper supra & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui &c. ac non declinaueris ab eis neque ad dextram, neque ad sinistram, l. 1. c. 4. 4. 3
XXIX. Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possint audire vsque in præsentem diem l. 6. c. 3. 4. 74
XXX. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum &c. l. 15. c. 6. 2. 270
XXXI. Leges verba legis huius coram omni Israel audientibus eis l. 11. c. 1. 2. 193
XXXII. Memento dierum antiquorum: cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi &c. l. 9. c. 7. 16. 147

IOSVE.

Cap. I. Confortare igitur, & esto robustus valde, vt custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus, ne declines ab ea ad dextram vel ad sinistram l. 1. c. 4. 4. 3. & l. 8. c. 6. 10. 108
XXI. De tribu Gad ciuitates perfugij, Ramoth, &c. an corruptus locus l. 12. c. 12. 49. 220

IVDICVM.

Cap. VI. Vbi sunt miracula quæ narrauerunt nobis patres nostri l. 9. c. 7. 17. 147
XVIII. Gerson filius Manasse, an corruptus locus l. 12. c. 12. 61. 220

II. SAMVEL.

Cap. V. Proposuerat præmium, an corruptus locus l. 12. c. 12. 40. 219

I. REGVM.

Cap. IV. Loquutus est tria millia Parabolarum &c. l. 9. c. 5. 2. 5. &c. 144
XIX. Vxor illius Leuitæ fornicata est contra illum, an corruptus locus l. 12. c. 12. 37. 219

I. CHRONICORVM.

Cap. XXIX. Gesta autem Dauid regis priora & nouissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis & in libro Nathan, atque in volumine Gad Videntis &c. l. 9. c. 5. 2. 143

II. CHRONICORVM.

Cap. IX. Reliqua autem opera Salomonis priorum, & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ &c. l. 9. c. 5. 2. 143
XIX. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in vrbibus suis inter cognationem & cognationem &c. l. 3. c. 2. 4. 25
XXI. Iosaphat rex Israel, an corruptus locus l. 12. c. 12. 44. 219
XXVI. Mehonim &c. an corruptus locus l. 12. c. 12. 46. 219

NEHEMIÆ.

Cap. VIII. Esdras Sacerdos & Scriba, & Leuitæ interpretantes l. 11. c. 7. 3. 197

Legebant

Legebant legem Dei explanate, & exponendo sensum dabant intelligẽtiam per scripturam ipsam l.16.c.6.10.292.

IOBI.

Cap.VIII. Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam, & ipsi docebunt te &c. l.9.c.7.18.147

XXVI. Ecce Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis l.14.c.11.35.255

PSALM.

Psalmorum versio Græca LXX. & Latina vulgata, multis locis erroris arguitur, & vera interpretatio vindicatur *l.13.c.9. & c.28. & c. & l.14.c.9.7.250*

Psalm.I. In lege Dei voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte l.10.c.2.4.179

II. Filius meus es tu hodie genui te l.15.c.3.22.264

Osculamini Filium l.13.c.9.2. & c.233

IV. O viri, quousque gloriam meam in ignominiam l.13.c.9.15. ibid.

VII. Deus iustus iudex & fortis, & patiens: & nunquid irascitur per singulos dies? l.14.c.11.37.255

XIV. Sepulchrum patens guttur eorum &c. versiculi inserti vulgatæ editioni *l.12.c.7.n.8.9.10.11.214*

XIX. In omnem terram exiuit sonus eorum, an corruptus Heb. locus *l.12.c.12.30.219*

XIX. Lex Dei perfecta conuertens animam l.8.c.4.1.105

XIX. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos l.15.c.5.1. & c.267

XXII. Foderunt manus meas, & pedes meos, l.12.c.12.26.219

XXXVII. Iniusti punientur &c. an Hebr. corruptus locus *& c. l.12.c.12.53.220*

XLIV. Opus quod operatus est in diebus eorum: manus tuas gentes disperdidit l.9.c.7.17.147

LXXVIII. Et suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, quæ præcepit Patribus nostris ad notificandum ea filijs suis l.9.c.7.17. ibid.

XCV. Populus errantes corde, an corruptus locus *l.12.c.14.34.219*

XCVI. Dicite gentibus quia Dominus regnauit &c. an corruptus locus *l.12.c.12.80.222*

CX. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum tuorum: ex vtero ante luciferum genui te l.14.c.11.38.255

CXVIII. Osanna &c. an corruptus locus *l.12.c.12.98.222*

CXIX. Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum l.15.c.13.22.278

Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua & c. l.15.c.13.2.277

Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis l.1.c.3.2.4. & l.15.c.5.1. & c.268

CXLV. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis l.12.c.12.53.220

PROVERBIOR.

Cap.VIII. Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua l.12.c.8.11.215

XXV. Gloria Dei celare verbum l.15.c.17.10.283

ECCLESIASTICI.

Cap.IX. Nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta l.14.c.11.40.255

XII. Verba sapientum sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno l.3.c.2.1.25. l.16.c.8.11.294

ESAIÆ.

Cap.II. Quia excelsus reputatus est ipse l.14.c.11.47.255

VIII. Liga testimonium, liga legem in discipulis meis: & expectabo Dominum & c. l.15.c.13.12.277

Ad legem & ad testimonium, quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux l.1.c.8.2.4

IX. Vocabitur nomen eius, an corruptus locus *l.12.c.12.2.217*

XVIII. In vasis iunceis &c. an corruptus locus *l.12.c.12.100.222*

XXVII. In mutatione loquelæ, & lingua substantionis &c. an corruptus locus *l.12.c.12.82.222*

XXIX. Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint homini scienti literas & c. l.15.c.8:15.223. l.15.c.13.8.427

Appropinquat populus iste ore suo & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me & c. l.18.c.22.125

LIII. Propter scelus populi mei percussi eum, an corruptus locus *l.12.c.12.64.220*

Generationem eius quis enarrabit? Qua abscissus est de terra viuentium l.15.c.3.20.264

LIV. Et omnes filij tui docti erunt à Iehoua l.16.c.2.2. & c.287

LXII. Ecce salus tua venit, an corruptus locus *l.12.c.12.22.219*

HIEREMIÆ.

Cap.VIII. Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est: vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum l.12.c.11.2. & 11.217

XI. Mittamus lignum in panem &c. an corruptus locus *lib.12.c.12.86.221*

XXIII. Nomen quod vocabit, an corruptus locus *l.12.c.12.10.218*

Et peruertisti verba viuentis l.12.c.11.2. & 11.217

XXXI. Dabo legem meam in cordibus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit vltra vir proximum suum & c. l.16.c.2.2.287

XXXIII. Qui vocabit, an corruptus locus *l.12.c.12.16.18*

EZECHIEL.

Cap.XX. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere: nec iudicia eorum custodiatis, & ne in idolis Gentium polluamini l.8.c.12.3.124

DANIEL.

Cap.IX. Et erit in templo abominatio desolationis l.15.c.3.20. & 25.264. 265

XII. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum & c. l.15.c.13.12.277

OSEÆ.

Cap.XIV. Quis sapiens & intelliget ista: intelligens, & sciet hæc? l.15.c.13.18. 277

AMOS.

Cap.II. Super tribus scelerib. & c. an corruptus locus *l.12.c.12.93.222*

HABACVCH.

Cap.II. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit expecta illum & c. l.15.c.3.20.27.265

SOPHONIÆ.

Cap.III. Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini l.11.c.14.2. & 12.206

HAGGÆI.

Cap.II. Interroga Sacerdotem legem l.3.c.2.3.25

ZACHARIÆ.

Cap.IX. In sanguine Testamenti & c. an corruptus locus *l.12.c.12.67. 200*

Iustus est saluatus: an corruptus locus *l.12.c.12.71. ibid.*

XII. Aspexerunt in quem compunxerunt. an corruptus locus *l.12.c.12.90.91.222*

MALACHIÆ.

Cap.II. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est l.3.c.23.25

ECCLESIASTICI.

Cap.V. De propitiato peccato noli esse sine metu: neque adicias peccatum super peccatum l.14.c.11.42.255

VIII. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis & c. l.16.c.8.3.294

XVI. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum opera meritorij suorum l.14.c.11.45.256

BARVC.

VI. Ingressi Babylonem ibi eritis annis plurimis, & temporib. longis vsq; ad generationes septem l.5.c.5.9.56

II. MACHAB.

XV. *Si recte, atque vt historiam decet, hoc est quod volui: sin exiliter, & mediocriter, hoc est quod potui l.5.c.2.1.53*

Ex Nouo Testamento.

MATTHÆI.

Cap.IV. *Vos estis sal terræ &c. l.15.c.7.1.270*

V. *Audistis quia dictum Antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, &c. l.16.c.11.1.297*

VI. *Quia tuum est regnum &c.* an corruptus locus *l.12.c.13.28.423*

VII. *Nolite dare sanctum canibus &c.* exp. *l.10.c.8.3.187*

VIII. *Longe ab illis erat grex.* an corruptus locus *l.12.c.13.39.223*

X. *Quæ dico vobis in tenebris dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate supra domos l.8.c.16.13.134. l.9.c.3.5.138*

XV. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, per traditionem vestram l.8.c.12.3.124*

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Esaias. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me l.8.c.12.2.ibid.

XVI. *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit hæc tibi, sed pater meus qui est in cœlis l.6.c.3.5.74*

Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam l.3.c.3.41.28

Tibi dabo claues regni cœlorum l.2.c.2.12.25

XVIII. *Si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam audire neglexerit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus l.2.c.1.2.13*

XXII. *Errati nescientes Scripturas l.11.c.7.13.198*

XXIII. *Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite &c. l.2.c.2.1,13. & l.9.c.3.12.139*

XXIV. *Qui legit intelligat &c. l.15.c.13.18.277*

MARCI.

Cap.VII. *Bene irritum facitis præceptum Dei vt traditionem vestram seruetis &c. l.16.c.11.2.297*

XVI. *Et quum transisset Sabbathum &c.* de toto illo capite an sit authenticum.

LVCÆ.

Cap.I. *Quod nascetur, &c.* an corruptus locus *l.12.c.13.36.123*

II. *Hominibus bona voluntas:* an corruptus locus *l.12.c.13.41.224*

III. *Videbit omnis caro salutare Dei &c.* an corruptus locus *l.12.c.12.84.221*

VIII. *Vobis datum est nosse mysterium regni, cæteris autem in parabolis &c. l.9.c.14.1.9.158.322. & l.10.c.7.18.186*

XII. *Fidelis dispensator & prudens &c. l.16.c.10.14.295*

XX. *Simon, Simon, Ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticũ: ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua &c. l.3.c.3.12.27*

XXIV. *Incipiens à Mose, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant l.9.c.4.1.142. l.15.c.15.5.277*

Aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas l.9.c.4.1.142

IOHAN.

Cap.V. *Si ego testimonium præbeo de me ipso, testimonium meum non est verum l.6.c.9.6.81*

Ego non accipio testimonium ab homine l.6.c.9.1.80

Scrutamini Scripturas &c. l.6.c.10.2.81. & l.8.c.2.2.102. & l.10.c.2.5.180. & l.15.c.13.277

Est qui accusat nos Moses l.1.c.14.5.8

VII. *Nondum erat spiritus &c.* an corruptus locus *l.12.c.13.38.223*

Qui ab initio mecum estis &c. l.6.c.4.13.75

VIII. *Magister, mulier hæc modo deprehensa est in adulterio. &c.* an hæc historia sit apocrypha *l.12.c.7.5.214*

Principium qui & loquor vobis l.15.c.15.17.280

XI. *Expedit vobis vt vnus moriatur, &c. l.15.c.3.24.265*

XIV. *Consolator ille Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia &c. l.9.c.4.4.142*

XV. *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis l.6.c.4.8. & 13.75*

XVI. *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam, sed nunc non potestis portare l.9.c.4.1. & 4.143*

XVIII. *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid sim ipsis loquutus &c. l.8.c.16.15.134*

XX. *Multa etiam alia signa edidit Iesus in discipulorum suorum conspectu, quæ non sunt scripta in hoc libro l.8.c.2.8.103*

XXI. *Simon Petre, pasce oues &c. l.3.c.2.13.51. & c.4.54.29*

ACTOR.

Cap.I. *Apparebat eis loquens de regno Dei l.9.c.4.1.142*

II. *Et cœperunt loqui varijs linguis &c. l.11.c.14.2. & 9.10. &c.206*

Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi l.9.c.10.27.29.153

Qui ergo libenter exceperunt sermonem eius baptizati sunt, &c. l.2.c.12.5.20

VIII. *In nomine Iesu baptizabantur &c. l.2.c.4.5.15*

Nempe intelligis, quæ legis &c. l.15.c.13.5.277

IX. *Affirmans quoniam hic est Christus l.16.c.6.11.292*

X. *Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi l.2.c.4.5.15*

XIII. *Nos quoque vobis euangelizamus eam promissionem quæ patribus facta est &c. l.15.c.3.22.265*

XV. *Visum est Spiritui S. & nobis &c. l.3.c.2.14.25. & l.6.c.4.14.76*

XVII. *Hi fuerunt generosiores ijs qui erant Thessalonicæ, vt qui receperint sermonem cum omni alacritate quotidie scrutantes Scripturas &c. l.10.c.3.1.180*

Quotidie scrutabantur Scripturas, an hæc ita se haberent l.1.c.11.2.5. & l.16.c.6.11.292

XIX. *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu l.2.c.4.5.15*

XXVI. *Perstiti in hunc vsque diem testificans tum paruis tum magnis, &c. l.8.c.5.2.106*

EPIST. AD ROMANOS.

Cap. I. *Qui prædestinatus est Filius Dei &c. l.14.c.13.10.258*

Desidero autem videre vos, vt aliquid impertiar l.9.c.2.8.138

II. *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo &c. l.1.c.5.3.3*

Et nosti eius voluntatem & exploras quæ discrepant, institutus ex lege l.8.c.9.3.117

Habentem formam scientiæ, & veritatis in lege l.1.c.7.2.3

III. *Sepulchrum patens guttur eorum,* & sequentes aliquot versus, an extent in Veteri Testam. *l.12.c.7.8.214*

IV. *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est habet gloriam, sed non apud Deum l.14.c.13.19.258*

V. *Regnauit mors in eos qui non peccauerunt, &c.* an corruptus locus *l.12.c.13.36.233*

VI. *Gratia Deo quod fuistis quidem serui peccati: sed ex corde obedistis ei formæ doctrinæ, in quam estis traditi l.1.c.8.2.124. & l.2.c.10.7.19*

XI. *Si autem gratia, iam non ex operibus &c. l.14.c.13.21.258*

Quis nouit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit? l.4.c.5.3.50

XII. *Tempori seruientes &c.* an corruptus locus *l.12.c.13.12.223*

Non plus sapere, quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei &c. l.16.c.8.5.294

Habentes diuersa dona, pro gratia quæ nobis data est: siue prophetia, prophetemus &c. l.16.c.6.4.291. & l.16.c.2.10.p.288

XIV. *Non est regnum Dei esca & potus l.2.c.4.8.15*

XV. *Deus patientiæ, & consolationis det vobis vt eodem animo inter vos affecti sitis &c. l.11.c.14.2. & 3.206*

XVI. *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos accepistis faciunt l.9.c.1.6.135*

Et qui potest vos stabilire secundum Euangelium meum &c. l.15.c.8.12.272

I. AD CORINTH.

Cap.II. *In demonstratione spiritus & virtutis l.6.c.5.2. & 15.77*

Sapientiam loquimur inter perfectos l.9.c.14.1.158. & l.9.c.3.16.139

Spiritualia spiritualibus comparantes l.16.c.9.14.295

III. *Si quis superædificet super fundamentum &c. l.16.c.13.24.277*

IV. *Vt discatis in nobis, supra id quod scriptum est, non sapere l.8.c.6.19.109*

Si tectum est Euangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est: &c. l.15.c.8.1. &c.271

V. *Scripsi vobis in Epistola l.9.c.5.2.15. & 144*

VII. *Diuisa est vxor &c.* an corruptus locus *l.12.c.13.0.223*

X. *Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam &c. l.2.c.4.8.15*

XI. *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis l.9.c.1.11.135*
Cætera cum venero disponam l.9.c.2.2.137
XII. *Vnicuique datur declaratio spiritus ad vtilitatem. Huic quidem sermo sapientiæ &c. l.6.c.4.8.& 9.75*
Omnia hæc efficit vnus ille, & idem spiritus distribuens priuatim illa singulis sicut vult l.16.c.2.10.288
XIV. *Si conueniat vniuersa Ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles &c. l.6.c.5.4.76*
Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent l.2.c.3.1.15. & l.16.c.8.7.294
XV. *Notum vobis facio Euangelium, quod prædicaui vobis quod & accepistis, in quo & statis &c. l.9.c.1 23.136*
Secundus homo Dominus de cœlo: an corruptus locus *l.12.c.13.7.224*
Omnes quidem non dormiemus, omnes tamen immutabimur an corruptus locus *l.12.c.13.18.424*

II. AD CORINTH.

Cap. I. *Non alia scribimus vobis, quam quæ legitis & cognoscitis l.10.c.3.13.180*
III. *Vsque in hodiernum diem cum legitur Moses, velum supra cor Iudæorum &c. l.15.c.13.8.277*
V. *Siue enim mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis l.16.c.8.14.295*

EPIST. AD GALATAS.

Cap. I. *Etiam si nos, aut Angelus è cœlo euangelizet præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto l.2.c.3.3.4.&c.15.l.8.c.6.22.109.& l.8.c.6.41.111*
Abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum l.8.c.12.4.125
II. *Ascendi Hierosolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus, &c. l.3.c.2.15.25*
IV. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos l.9.c.21.12,13.15.175*

EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. I. *In omni sapientia, & intelligentia, patefacto nobis mysterio voluntatis suæ secundum gratuitam suam beneuolentiam l.15.c.8.13.272*
II. *Non estis amplius hospites, & aduenæ, sed conciues Sanctorum, & domestici Dei l.6.c.8.1.79*
III. *Potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi l.10.c.3.13.180*
Mihi longe minimo omnium Sanctorum data est hæc gratia euangelizandi inter Gentes, &c. l.15.c.8.13.272
IV. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas &c l.6.c.8.8.75.& l.6.c.17.8.86. & l.16.c.8.9.294*
V. *Sacramentum hoc magnum est l.14.c.13.23.259*
VI. *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo &c. l.10.c.13.24. ibid.*

EPIST. AD COLOSS.

Cap. I. *Cuius factus sum ego minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos ad implendum Dei sermonem, &c. l.15.c.8.13.272*
II. *Ne quis vos damnet ob cibum aut potum, aut respectu diei festi, aut nouilunij &c. l.2.c.8.9.15*
III. *Sermo Christi habitet in vobis copiose cum omni sapientia, docendo, & commonefaciendo l.10.c.3.5.186*
IV. *Et cum lecta fuerit apud vos Epistola, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur l.9.c.5.7.144*

I. AD THESSALONICENSES.

Cap. II. *Gratias agimus Deo indesinenter, quod acceptum de Deo sermonem quem audistis ex nobis, &c. l.6.c.13.3.84.& 6. ibid. & l.9.c.1.27.136*
V. *Spiritum ne extinguite: Prophetias ne pro nihilo habete. Omnia explorate, quod bonum est tenete l.16.c.2.17.289*

II. AD THESSAL.

II. *Itaque fratres tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram l.9.c.1.28.136*

I. AD TIMOTH.

Cap. III. *Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis l.8.c.5.25.107*
VI. *O Timothee, depositum custodi l.9.c.1.43.137*

II. AD TIMOTH.

Cap. I. *Bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in nobis l.9.c.1.43.137*
III. *At tu permane in iis quæ didicisti, & quæ tibi credita sunt: sciens à quo didiceris: teque à puero sacras literas nouisse quæ te possint sapientem reddere in salute. l.8.c.2.16.103. & l.10.c.2.13.180*
Tota scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam ad redargutionem &c. l.8.c.3.1.&c.104

AD HEBRÆOS.

Cap. I. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* an corruptus locus *l.12.c.7.13.214. & l.12.c.12.76.221*
IV. *Viuus est sermo Dei, & penetrantior quouis gladio ancipiti, ac perstringit vsque ad diuisionem animæ, &c. l.6.c.5.2.77.& 11. ibid.*
V. *Christus non sibi hunc honorem tribuit, vt fieret Pontifex: sed is qui dixerat ei, Filius meus es tu, &c. l.15.c.3.23.264*
Perfectorum autem est solidus cibus l.16.c.8.14.294
IX. *Ad multorum exhaurienda peccata l.14.c.13.26.259*
XIII. *Talibus hostiis promeretur Deus l.14.c.13.27. ibid.*

EPISTOLA IACOBI.

Cap. I. *Omnis caro fœnum l.4.c.5.4.50*
V. *Et alleuiabit eum Dominus l.14.c.13.28.259*

I. PETRI EPISTOLA.

Cap. I. *Omnis caro fœnum l.4.c.5.4.50*

II. PETRI.

Cap. I. *Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco &c. l.1.c.3.2.2.& l.6.c.10.19.82.& l.10.c.4.14.181.& l.15.c.5.1.286*
Nulla prophetia Script. est propriæ interpretationis l.1.c.19.1.10.& l.16.c.3.1.289
III. *Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis & in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu l.16.c.3.24.277*

I. IOHANNIS.

Cap. I. *Hoc est nuntium, quod audiuimus ex ipso, & renuntiamus vobis Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse vllas. l.9.c.1.51.137*
II. *Nouum mandatum non scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio &c. l.9.c.1.5. ibid.*
IV. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint. l.16.c.2.17.289*
Omnis spiritus qui non confitetur Iesum &c. an corruptus locus *l.12.c.13.14.224*
V. *Spiritus est, qui testificatur spiritum veritatem esse, l.6.c.4.18.47*
VI. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c. & hi tres vnum sunt l.12.c.7.7.214*

III. IOHANNIS.

Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum, spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui l.9.c.2.2.137

APOCALYPSIS.

Cap. I. *Beatus qui legit, & audit verba Prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt l.10.c.3.19.181*
V. *Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, &c. aperire librum, neque respicere illum, &c. l.15.c.8.15.272.& 13.12.276*
XII. *Enimuero contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis adiecerit ad hæc, &c. l.8.c.6.44.110*

FINIS.

INDEX

LOCORVM PRÆCIPVORVM, TVM EX CONCILIIS, TVM EX PATRIBVS, QVÆ PRIMO HOC PANSTRATIÆ CATHOLICÆ TOMO EXPONVNTVR, ET A Pontificiorum cauillis, ſophiſmatis, exceptionibus, ac corruptelis vindicantur: necnon librorum ſuppoſititiorum, qui nostra censura notantur.

A.

ADO.

Do in Martyrologio l.9.c.3.34.p.141

AGATHO.

Agathonis Papæ ſcripta l.9.c.3.43.141
Agathonis Epiſt. 1. ad Imperat. teſtimonium expend. l.3.c.12.36.40

ALEXANDER I.

Alexandri I. Epiſtola 1. l.3.c.5.8.30.& l.9.c.16.12.162

AMBROSIVS.

Tom.III.

Ambroſius Epiſt.VII. l.15.c.12.5. 275
Epiſtola XLIV. ad Conſtant. l.15.c.18.14.285
Epiſt. LXXXI. de *Traditionibus* exp. l.9.c.20.37.173
Epiſt. LXXXIII. de *Traditionibus* &c. l.9.c.20.37.ibid.
Serm. XVIII. de *Traditionibus* exp. l.9.c.20.37.ibid.
Sermon. XXV. XXXIV. & XXXVI. de *Traditionibus* l.9.c.20.37. ibi

Tom.IV.

De Paradiſo c.12. l.8.c.7.31.113
De iis qui initiantur c.II. & VI. de *Traditionibus* exp. l.9.c.20.37.173
De Sacramentis lib.I.c.I.& II. de *Traditionibus* l.9.c.20,37.ibid.
De Sacramentis libro tertio l.3.c.5.20,31

Tom.V.

In Epiſt. ad Roman.X. l.15.c.6.3.&c.270
Ad Galatas l.8.c.6.38.110

ANACLETVS.

Anacletus ad Epiſcopos Italiæ l.9.c.16.13.162

Anaſtaſius Biblioth.

Anaſtaſius Bibliothecarius author Pontificalis quod Damaſo tribuitur l.11.c.8.10.198

ATHANASIVS.

Tom.I.

Athanaſius Oratione contra gentes l.8.c.10.31. & l.15.c.11.5.274

Tom.II.

Lib. de Decretis Nicenæ Synodi, de *Traditionibus* exp. l.9.c.19.2.168
Lib. de Synodis Arimin.& Seleuc. de *Traditionibus* exp. l.9.c.19.6. ibid.
Idem de Synodis l.16.c.10,17.19.297

Tom.III.

Contra Paulum Samoſatenſem de Incarnatione Verbi, de *Traditionibus* exp. l.9.c.19.2.168
Fragm. de Incarnatione Verbi l.2.c.6.27.109

Tom.IV.

Athanaſio inſcriptus liber Quæſtionum ad Antiochum, non eſt Athanaſii l.9.c.3.42.141
Athanaſius Diſputatione contra Arium l.15.c.12,274
Exhortatione ad Monachos l.8.c 10.30. 121
In Synopſi de *Canone Script.* exp. l.5.c.10.3.65. vindic. l.7.c.7,13.17.95

AVGVSTINVS.

Tom. I.

Confeſſ. lib.XII.c.XIV. l.15.c.18.20.285
Confeſſionum l.XII.c.XXX.& XXXI.l.15.c.3.30.35.266

Tom. II.

Epiſt.III. l.15.c.9.3.273
Eadem Epiſt. III. l.15.c 12,12.275
Eadem Epiſt.III.l.15.c.18.20. 285
Epiſt.CVIII.ad Ianuarium exp. l.9.c.21.49.126
Epiſt.CXVIII.ad Ianuar. de *Traditionibus* l.9.c.21.10.124
Eadem Epiſt.CXVIII.exp.l.9.c.12.49.126
Eadem Epiſt CXIIX.exp. l.11.c.9.1.& 11, 200
Epiſt. CXIX. l.15,c.8.20.285

Tom. III.

De Doctrina Chriſtiana l.II.Cap.VI.VII.VIII.& IX. l.15. c.9.3. 272
Et l.15.c.12.12.275
Et l.15.c.1.8.26.285
Et l.16.c.4.9.10.&c.290
Lib.II. de Doctrina Chriſtiana c. VIII. exp. l.4.c.3.14.47
Et l.7.c.7.23.95
De Doctrina Chriſtiana lib.II.Cap.IX.l.8.c.10.47.122
Idem de Doctrina Chriſtiana li.II.c.XI.exp. l.11.c.12.16.&c.200
De Geneſi ad literam l.X.c.XXIII. de *Traditione* exp.l.9.c.21.18.175
Auguſtino inſcriptus liber de Dogmaticis Eccleſiaſticis Gennadio tribuitur à Sandero l.3.c.13.13.41
De Eccleſiaſticis Dogmatibus exp. c.LXIX.l.9.c.21,49.177

Tom.IV.

De bono viduitatis cap.I.l.8.c.7.39.114
Inchoata expoſit.ad Roman.l.11.c.9.35,201

Tom.V.

De Ciuit. Dei lib.XVIII.c.XXXVI.exp.l.4.c.3.22.48

Tom.VI.

De Vtilitate credendi c.VI.l.15.c.12.12.179
De Vtilitate credendi c.VII.l.16.c.9.10.295
Contra Epiſt.Fundamenti c.IV.l.7.c.10.19.99
Contra Epiſt.Fundamenti c.V.l.7.c.10.98
Contra Fauſtum lib.IX.c.V.exp.l.7.c.7.23.95
Contra Fauſtum l.X.cap.III.l.8.c.6.42.111
Contra Fauſtum lib.XXVIII.c.II.exp.l.9.c.21.49.177
Contra Fauſtum l.XXVIII.Cap.IV.l.3.c.2.15,25
Contra Maximinum lib.III.c.XIV.l.8.c.8.21.116
Idem l.16.c.11.5.297
Auguſt. Libr. contra Manichæos ex Gratiano. de *Authoritate Eccleſiæ*, à Ieſuitis falſatus l.9.c.21.8.9.174

Tom.VI.

Pſalm. contra partem Donati l.3.c.3.51.29
Contra literas Petiliani lib.III.l.8,c.6,27.109
Contra Creſconium exp.lib.I,l.9.c.21,20.21.22.175
De Baptiſ. contra Donatiſtas lib.I.c. VII.exp. l.9,c.21.30.32.ibid.
De Bapt. contra Donat.l.II.c.VII.de *Traditione* exp.l.9.c.21 18.ib.
De Bapt. contra Donat.lib.II.c.XIV.exp.l.9.c.21.37.176
De Bapt. contra Donat.lib.IV.c.VII. exp. l.9.c.21.31.39.ibid.
De Baptiſ.lib.IV.c.XXIV.de *Traditione* exp.l.9.c.8.21.18.175
De Bapt.l.V,c.XIII.de *Traditione* exp.l.9.c 21.18.ibid,
De Bapt. contra Donat.lib.V.c.IV,& *XXIII.*& *XXVI.* exp.l. 9.c. 21. 31.39.355.176
De Bapt,contra Donatiſtas l.V.c.*XXIII.* exp.l.9.c.21.31.40.555. ib.
De Bapt.cõtra Donat.l.V.c.*XXVI.* de *Traditionib.*,&c.l.9.c.21.2.174
Et l.9.c.21.31.45.176
De Vnit.Eccl.c.*XIX.* de *Traditione* exp.l.9.c.12.18.175
De Peccatorum meritis & Remiſſione lib.*II.*c.*XXXVI.* exp.l.8.c.7. 41.114
De Peccatorum meritis & Remiſſione lib.*II.*c.vlt.l.8.c.10.54.122
De Nat.& Grat.c.*XXXIX.* de *Traditionibus* l.9.c.12,16.173
De Prædeſtinatione Sanctorum c.*IX.*l.9.c.7.14.146
De Prædeſtin.c.XLV.exp. l.7.c.7.30.96
De Perfect.Iuſt.l.15.c.6.3.&c.549,& 270

Tom.IX.

In Iohannem tract.XLIX.l.8.c.10.60.123
In Iohannem tractatu XCVI.l.9.c.4.14.&c.147
In Iohannem tract.XCVII.l.9.c.4.10.143
In Iohannem tractatu XCVIII.l.8.c.6.43.110
In Epistolam Ioannis tractatu II.l.8.c.9.20.118

Tom.X.

Serm.de tempore CXCI. de *Traditionibus* l.9.c.21.2.74
Sermones de tempore nõ omnes Augustini esse genuinos multos supposititios l.9.c.10.21.150
Augustini testim.de S.Scripturę autoritate,&c.vind.l.6.c.10.82. &c.83
Augustini sententia de sacrarum Scripturarum lectione vind. l. 10.c.4.12.182
Augustini loci ad confirmandas Traditiones à Pontificijs allati exp.l.9.c.21.174

B.

BASILIVS MAGNVS.

BAsilius Proœm.operis de *Spiritu S.*l.15.c.3.31.32.266
De Spiritu S. c.XXVII.exp.l.11.c.12.7.&8.404
De Spiritu S.c.XXVII.de *Traditionibus* exp.l.9.c.19.8.168
De Spir.S.c.XXIX.l.9.c.1.18.135
Ethic.Regula,Summa, seu Definitione XXVI. *ex Scriptura omnia probanda* l.8.c.8.8.115
Ethic.Definit. seu Summa LXXII,exp.l.8.c.6.27.169. vind. l. 8,c. 6.41.110
Reg. breu.Reg.XCV.l.8.c.12.19.126
Regula Ascet.LXXX.l.8.c.7 26.111
Homil.de Natiuitate l.9. c.9.6.148
Homil,de Fide l.8,c.7.13.111
Epist.LXXX.l.8. c.13.4.127
Epist.LXXX. l.16.c.11.4.297
Dictum eius apud Theodoretum hist.lib.IV.c.XVII. exp. l.10. c. 7.6.186
Basilij testimonia de *S.* Scripturæ lectione l.16.c.4.5.&c.181
Basilius Eunomianos,Sabell. Arianos Scriptura refellit l.9. c.12. 12.156

BEDA.

Bedæ testimonium Hist,l.1 c.1,exp. l. 10.c.9.37.201
Martyrologium interpolatum fuisse ostenditur l.2.c.16.17.18.23

BERNARDVS.

Bernard,Hom. LXVI.in Cantica exp.l.9.c.13,14.158
Alius eiusdem locus in Cantica exp.l.10.c.9.1.& 10.187

C.

CÆSARIVS ARELATENSIS.

CÆsario Arelatensi inscriptæ Hom.l.11.c.9.30.201
Testimonia de *S.* Scripturarum lectione l.10.c.4.15.182

CASSIANVS.

Cassianus Collat.XXI.c.XII.exp.l.9.c,22.4.177

CHRYSOSTOMVS.

Tom.I.

Chrysostomus in Genesim Hom.III.l.8.c.7.30.113
In Genes.Hom.XVI.exp.l.10.c.8.2.113
In Genes.Homil.XVI.exp.l.10.c.8.2.186
In Genes.Homil.XXI.l.15.c.3.32.266
In Psalmum XCV.l.8. c. 8.11. 115

Tom.II.

In Matth.Hom.V.exp.l.12.c.11.2.& 14,217
In Matthæum Hom.IX. l.1.c.5. 2.6.144
In Matthæi XVI.l.13.c.3.50.28
In Matth.Hom.XXIV.exp.l.11.c.12.& 8.204
Operis imperf.in Matth.Chrysostom.inscripti Homil. XLI.l.8. c.10.70.124
Operis imperfecti in Matthæum.Hom.XLIV.l.15.c.18.13.285
Operis imperf.in Matth.Hom.XLIX.l.8.c.9.11,118

Tom.III.

In Iohann.Homil.XL l.15.c.18.11.285
In Iohannem Hom.LVIII.l.8.c.7.30.113
In Iohann.Hom.LVIII.l.8.c.9.10.118
In Acta Homil.I.*de Traditione* exp.l.9.c,19.33.170

Tom.IV.

In X.ad Romanos l.15,c.6.3.&c.270
In I.Cor.XI.l.9. c.1.15.&c.135
In Galat.I.l.8.c.6.26.&39.110
In Epist.ad Philippenses Homil.III.de *Traditione* exp.l.9.c.19.30. 170
In II.ad Thessal.Hom.III.l.15.c.12.8.275
In II.ad Thess.II.de *Traditione* exp.l.9.c.19.30.169
In II.ad Timoth.Hom.IX. l.8.c.10.42.122

Tom.V. &c.

Ad pop.Antioch.Hom.LXIX.de *Traditione* exp.l,9.c.19.30.170
Orat.III.de Lazaro l.15.c.12.7. 275
Chrysostomi sententia de legendis *S.*Scripturis l.10.c.4.21.&c. 183.& 372.vindicatur l.10.c.5.&c.183

CLEMENS ROMANVS.

Clementis I.Epist.&c.l.9.c.16.9.10.&c.162.&l.9.c.16.15.ibid.
Epistola ei adscripta ad Iacobum fratrem Domini supposititia est l.9.c.10.11.151
Clementis Rom.Epist.V.l.16.c.10.1.&c.296
Constit.lib.VII.exp.l.9.c.16.31.163
Clem.I.Constitutiones esse Apocryphas l.9.c.16.19.162
Clem.I, testimonia de *S.*Scripturæ lectione &c. l.10.c.4,2.&c.181

CLEMENS ALEXANDRINVS.

Clemens Alexandrinus Stromat.I.de *Traditionibus* exp.l.9.c.18,17. 167
Stromat.V.de *Traditionibus* exp.l. 9. c.18. 47.& 49.167
Stromat.VI.l.2.c.6.2.16
Stromat.VII.l.8.c.8.5.115
Strom.VII.l.16.c.4.12.290.&c.6.15.292
Stromat.VII,l.16.c.10.9.296
Protreptico l.15.c.12.1.274
Clementis Alex.Suffragia pro traditione corrogata l.9.c.18.34. 167

CONCILIA.

Carthagin.III.l.7.c.7.22.94
Carthaginensis III.sententia de Canonicis & Apocryphis exp.l. 4.c.3 9.10.17.& 25.46
Ephesinum ex Scriptura damnauit Nestorium l.9.c.12.21.157
Gangrense l.9.c.12.20. 157
Laodicenum l.7.c.7.21. 94 Et l.5.c.15.71
Lateranense l,3.c.4.7.30
Nicænum primum ex Scriptura iudicat l.9.c.12.19.157.Scripturis Scripturam interpretatur l.16.c.10.19.297
Nicænum I. Ephesin.&c.hæreticos è Scripturis damnarunt l.9.c. 12.19.157
Nicænum II. Idololatricum esse l. 9.c.17.1.2.163
Octauum generale dictum non habere authoritatem l. 9.c.17.1. 2.163
Synuessanum l.3.c.7 4.32
Toletanum primum l.7.c.11.13.100
Trullanum l.4.c.3.9.47

CYPRIANVS.

Cyprianus Epist.XLII.exp.l,3.c.2.18,26
Epistola LXIII.de *Traditionibus* l.9.c.20.26.173
Epist.LXX.de *Traditionibus* exp.l.9.c.20.26. ibid.
Epist.LXXIV.ad Pompeium l.8.c. 7.10.111.
Epist.LXXIV.de *Traditionibus* l.9.c.21.4.5.&c.174
Ad Quirinum exp.l.10.c.8.2.186
Epistola ad Pompeium exp.l.9.c.13.10.158
De singularit. Clericorum l.10.c.8.2.186
Sermone de Spiritu Sancto exp.l.11.c.14.2 9.206
Cypriano falso inscriptus sermo de ablutione pedum l. 9.c.20.31. 173
Cypriani sententia de lectione Scripturæ exp,l.10.c.4 3.181

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS.

Catechesi IV.Illuminat.l.8.c.8.25.117
Catechesi V.Illuminat. l.8.c.8.30.ibid.
Catecheses Mystag. l.9.c.19.39.170
Cyrilli Hieron. Sententia de Canone vindicatur l.5.c.15.6.71
Sententia de Scripturarum lectione exp.l.10.c.4.9.181

CYRILLVS ALEXANDRINVS.

In Leuit.Lib.V.l.8.c.10,66,123
Contra Iulian. l.VII.l.8.c.10.69.124
Cyrilli Alexand.testim.de *S.*Script.lectione l.10.c.4.9.181

D.

DAMASVS.

DAmaso falso inscriptum Pontificale l.11.c.8.10.198

Decretum Gr.

Decreti contradictiones l.3.c.14.2.&c.42

DIONYSIVS AREOPAGITA.

Hierarchiæ Cęlest.c.1.exp.l.16.c.10.4.296
Hierarchiæ Eccl.l.1.c.1.& c.vlt.exp.l.11.c.12.2.& 7.404.& l.9.c.3.23.140
Hierarchiæ Ecclesiasticæ c.vlt.l.9.c.10.34.35.153
In Epist.ad Titum l.8.c.10.2.18
Dionysium Areopagitam auctorem esse suppositititium l.9.c.3.27.140.&c.

DOROTHEVS.

Dorotheus in Synopsi l.7.c.4.14.92

E.

EPIPHANIVS.

EPiphan. Hæresi LV, contra Melchisedekianos l.9.c.12.13.159
Hæresi LV.de *Traditionibus* exp.l 9.c.19.42.170
Hæresi LXI,contra Apostolicos l.9.c.12.14.156
Hæresi LXI.de *Traditionibus* exp.l.9.c.19.42.170
Hæres.LXI.de *Apost.de Traditione* l.9.c.1.19.135 Et l.16.c.10.7.296
Hæresi LXV.l.8.c 8.10.115
Hæresi LXXV.de *Traditionibus* exp.l.9.c.19.42.170
Hæresi Ptolomæi de *Traditionibus* exp.l.8.c.12.10.&c.125
Contra Aerianos l.9.c.12.15.156
De ponderibus & mensuris locus corruptus,integritati restituitur l.5.c.10.7.66
In Compendiaria doctrina de *Traditionibus* exp. l.9.c.19.42.170

EPHRÆM.

Ephremi sententia de Scripturarum lectione exp. l.10.c.4.7.181

EVARISTVS.

Euaristi Epistolæ decretales l.3.c.5.7.30

EVCHERIVS.

Eucherij Homiliæ ad Lugdunenses l.11.c.9.30.201

EVSEBIVS CÆSARIENSIS.

Demonst.Euang.l.1.c.VIII.l.9.c.3.46.142
Hist.lib.II.c.1. l.9.c.3.45.141
Hist.lib.III.c.XXXII.& XXXIII.& lib.IV.c.XIII,exp. l.7.c.7.30.96
Hist.lib.III.c.XXXVI,exp. l.9.c.18.1.164
Hist.lib.IV.c.VIII.exp. l.9.c.18.9.10.164.& c. XIII.l.7.c.7,30.96
Hist.lib.IV.c.XXVI.locus de *Melitonis Canone* exp.& vind. l.5.c.14.6.70
Hist.Eccl.lib.V.c.XV.l.8.c.7.8.111
Hist.l.V.c.XV.de *Traditionibus* exp.l 9.c.20.4.5.171
Hist.lib.V.c.XX.de *Traditionibus Apostolorum* exp. l.9.c.18.13.165
Hist.lib.VI.c.X. l.7.c.11.11.100
Hist.lib.VI.c.XI.de *Paschatis Traditione* &c. exp. l.9.c.18.3 4.167
Hist.l.VI.c.XXV.locus de *Origenis Canone* vitiatus, exp.& corrig. l.5.c.14.8.71
Tres Epistolæ fictitiæ l.3.c.5.5.30

EVSEBIVS EMISSENVS.

Eusebio Emisseno inscriptæ Homiliæ ad Lugdunenses cuius sint l.11.c.9 30 201
Eusebij Emisseni sententia de Scripturarum lectione exp. l.10.c.4.11.182

F.

FABIANVS.

FAbiani Epistolæ l.9.c.16.7.9.10.&c.162.163

FELIX I.

Epist.III.exp. l.9.c.16.12.162
Epist.suppositi.l.3.c.3.33.& 35.28.& l.3.c.5.4.30

G.

Gelasius.

GElasij Canon Script. l.4.c.3.13.47

GRATIANVS.

Grat.Distinct.XXXVII. l.16.c.10.1.296

GREGORIVS NAZIANZENVS.

De Theolog.lib.I.exp. l.10.c.7.6.186
In Iulianum Orat.I.de *Traditione* exp. l.9.c.19.25.169
Carmen de quatuor Euangeliis l.11.c.8.6.198
Nazianzenus Macedonianos confutat ex Script. l.9.c.12.10.11.156

Gregorius Nyssenus.

Gregorius Nyssenus tract.I. in Psalmorum inscript. l.15.c.12.13.275

GREGORIVS MAGNVS.

In Ezechiel.Hom.VI.l.15.c.18.20.285
Epist.XXXII.lib.IV.l.3. c.3.52.29

H.

HEGESIPPVS.

HEgesippi testim.de *Traditionibus* l.9.c.18.9.11.12.164

Hermas.

Hermæ librum Apocryphum esse &c.l.5.c.13.69

HIERONYMVS.

Tom.I.

Epist.ad Paulinum exp. l.10.c.7.6.185. Et l.15.c.3.31.32.226. Et l.15.c.8.16.20.285. Et l.15.c.18.15.272
Epist.XXVIII.ad Lucinium de *Traditionibus* exp. l.9.c.20.43.174
Epist.LVII. l.3.c.5.11.5
Epist.LXXXIX.exp. l.3.c.2.15.25. Et l.12.c.11.2.& 15.217

Tom.II.

Contra Heluidium,Iouinianum,Vigilantium,quibus argumentis pugnet Hier. l.9.c.12.16.156
Dialogo aduersus Lucifer.de *Traditionibus* l.9.c 20.43.173
Apolog.contra Rufinum l.3.c.5.19.30

Tom.III.

Præfat.in Esdram & Nehemiam l.7.c.4.11.& 13.92
Præfatio in librum Iudith mendosa l.4.c.9.6.51. Et l.7.c.7.20.95
Epist.ad Dardanum de *Epist.ad Heb.& Apoc.* l.7.c.7.10. ibid.
Ad Euagrium l.16.c.10.14.296
Epist.ad Marcellam,de *Traditionibus* l.9.c.20.43.174

Tom.IV.

In Danielis c.XII. l.16,c.10.14.296

Tom.V.

In Ecclesiastæ XII.l.16.c.8.11. 294
In Micheæ I. l.8,c.7.33.113
In Micheæ V.exp.l.12.c.11.2.& 15.217
In Nahum.III.exp.l.10.c.8.2.187
In Aggæi I. l.8.c.8.18.116

Tom. VI.

In Matth.XXIII. l.8.c.8.16.ibid.
In Epist.ad Galat.III. l. 12. c.11.2.& 15.217
Præfat.ad Ephes.l.15.c.18.15.285
In Ephes.III. l.15.c.3.31.32.266

Tom.VII.&c.

In Psalm.LXXXVI. l.8.c.7.36.114
In Psalm.XCVIII. l.8.c.8.12.115
Expositio Symboli l.3.c.5.18.30
Hier.Sententia de libris Canonicis vind.l.15.c.15.71
Hier.Sententia de S.Scripturarum lectione exp.l.10.c.4.16.183
Hieron.Iudicium de LXX. Interpretum versione l.13.c.6.10.&c.429

HILARIVS PICTAVIENSIS.

De Trinit.lib.I. l.16.c.6.17.293
Contra Constantinum,de *non scriptis vocibus* exp.l.9.c.20.33.173
De Synodis contra Arrianos,de *Tradition*,l.9.c.20.35.ibid.
Prolog.in Psalm.exp.l.10.c.6.2.9.& 185
In Psalm.II. l.9.c.3.11.139
In Psalm.CXXXII. l.8.c.12.18.125

I

IGNATIVS.

EPistola ad Antiochenses l.8.c.14.21.130
Epistol.ad Hieron.exp.l.9.c.13.20.158
Ignatij testimonium de *Traditionibus* l.9.c.18.1.164

INNOCENTIVS I.

Innocentij I.Epist.l. 4.c.3.12.47
Innoc.I.Epist.l.9.c.16.9.10.162.&30.163

IRENÆVS.

Aduersus Hæres.l.II.c.XLVI.l.15.c.12.275
Lib.II.c.XLVII.l.8.c.10.3.119.Et l.15.c.18.1.284
Lib.III.c.I l.8.c.5.13.216.Et l.9.c.7.19.148
Lib.III.c.II.l 9.c.13.8.157
Lib.III.c.IV.de *Traditionibus* exp.l.9.c.18.27.165. Et l.10.c.6.2.9. &c.185
Lib.III.c.VIII.exp.l.11.c.2.13.192
Lib.III.c.XV.l.15.c.12.3.275
Lib.IV.c.XXV.XXVI.l 8.c.12.9.125
Lib.IV.c.XLIII.de *Traditionibus* exp.l.9.c.18.27.166
Lib.IV.c.LXIII.l.7.c.11.7 8.102. Et l.8.c.7.1.111
Lib.IV.c.LXVI.l.8.c.10.4.119
Irenæus Valentinianos Scriptura refellit l.9.c.12.8.156

IVLIVS I.

Iulij I.Epistolæ l.3.c.5.9.30

IVSTINIANVS.

Iustiniani Nouellæ l.8.c.12.14.126

IVSTINVS Martyr.

Contra Tryphonem l.12.c.11.2.& 12.217
Apologia II.de *Traditionibus* Apostolis commissis l.9.c.18.24.165
Apolog.2.de *Psalmi* XCVI.*mutilatione* exp.l.12.c.12. 80. & 81.&c. 222
Quæst.CXVIII.de *Traditionibus* exp.l.9.c.18.24.165

L.

Leo Magnus.

SErmone secundo de Ieiunio Pentecostes l.9.c.16.7.162.&33. 163
Sermon.VI.de Quadragesima l.9.c.16.7.&32.162

LEONTIVS.

Leontij De libris Canonicis testimonium vindicatur l.5.c.15.6. 71

LVCIVS.

Lucij primi Epistola supposititia l.3.c.3.35.28.& l.3.c.5.2.30

M.

MARCELLVS.

MArcelli Epistola exp.l.9.c.16.17.162

MELITO.

Melitonis Canon Script.exp.& vindicatur l.5.c.14.6.71. &c.15. 4.71

N.

NICEPHORVS.

NIcephor.Histor.lib.II.c.XXXIV.l.8.c.5.26.107
Histor.l.IX.Cap.XXXV.l.3.c.10.10.36
Eiusdem locus censura notatur l.5.c.7.15.57

NICOLAVS PAPA.

Nicolai ad Michaelem testimonium exp.l.3.c.12.42.41

NILVS.

Nilus de Primatu l.3.c.8.2.33

O.

ORIGENES.

Tom.I.

ORigenes In Exod.Hom.XII.l.15.c.8.16.272
In Exod.Hom.XIII.l.16.c.6.16.45
In Leuiticum Homil.I.l.4.c.8.2 53
In Leuit.Hom.V.l.15.c.18.7.284
In Leuiticum Hom.VIII. de *Traditionibus* exp.l.9.c.18.51.167
In Numeros Hom. V.l.9.c.3.7.138
In Numeros Hom.V. de *Traditionibus* exp.l.9.c.18.51.167
In Numeros Hom.V.exp.l.11.c.12.2.& 8.204
In Numeros Hom.XII.l.15.c.18.8 284
In Ierem.Hom.XII.l.12.c.11.2.& 13. 216
περὶ ἀρχῶν lib.I.de *Traditionibus* exp.l.9.c.18.54.168

Tom.II.

In Matth.tractatu XXIII.l.8.c.9.9.118
In Matth.tractatu XXV.l.8.c.8.114
In Matth.tractatu XXIV.l.16.c.10.12.296
In Matth.XVI.l.3.c.3.48.28
In III.c.ad Rom.l.7.c.8.114
In VI.ad Rom.de *Traditionibus* exp.l.9.c.18.51.167
In X.ad Rom.l.15.c.6.3.&c.270
In c.I.ad Titum exp.l.9.c.13.19.158
Contra Celsum l.VII.l.15.c.18.5.284
Epistola ad Iulium Africanum l.4.c.8.3.51
Orig.Testimonia de libris Scripturæ olim dubijs l.7.c.7.18.95
Orig.Sententia de Maccabæorum libris, apud Eusebium, vindicatur l.5 c.14.8.71
Ex Origenis Sententia de S. Scripturæ lectione exp.l.10.c.4.4. 181

P.

PAPIAS.

PApiæ testimonium de *Traditionibus* l.9.c.18.6.164

PAVLVS.

Pauli Acta liber Apocryphus l.7.c.4.3.91
Pauli Serm.liber Apocryphus l.7.c.4 3.ibid.
Pauli & Teclæ Periodus Apoc.l.7.c.6.5.93

PETRVS.

Petri Apocal.lib.Apocryph.l.7.c.4.3.&c.91.&c.6.5.93
Petri Euangel.Apocryph.l.7.c.4.3.&c.91.&c.6.5.6.93

PROSPER.

Prosper de vocatione Gentium l.8.c.7.45.114

POLYCARPVS.

Polycarpi testimonium de *Traditionibus Apostolorum* l.9.c.18.13.165

R.

RABANVS.

RAbani testimonium de *Lingua Latina* l.10.c.9.36.201

RVFINVS.

Hist.lib.XI.c.IX.l.15.c.18.9.284
Rufini de libris Canonicis testimonia vindicantur l.5.c.15.10.71

S.

SALVIANVS.

SAluianus de Gubernatione Dei libro tertio l.6.c.7.4.78

SIXTVS PRIMVS PAPA.

Sixti primi epistola l.9.c.16.12.162

SIXTVS TERTIVS PAPA.

Sixti tertij epistola l.9.c.16.12.162

SOZOMENVS.

Sozomenus hist.Ecclesiasticæ lib.IV.c.XV.l.3.10.11. 36

STEPHANVS PAPA.

Stephani Papæ disputatio contra Cyprianum l.9.c.12.18.157

SYMMACHVS.

Symmachus Vet.Test.interpres l.12.c.1.19.207

SYNODVS.

Vide Concilium.

T.

TERTVLLIANVS.

DE carne Christi,de *Traditionibus* exp. l.9.c.20.23.172
De resurrectione carnis c.III.l.8.c.9.5.117
Præscriptiones l.2.c.8.17
Eiusd.Præscriptiones,de *Traditionibus* l.9.c.20.4.6.171
Idem De Præscriptionibus exp.l.9.c.20.23.172
Præscription.l.7.c.11.2.10
Præscript.Cap.XVII.exp.l.9.c.13.9.157
Præscription.c.XXIII.exp.l.9.c.14.10.159
Contra Marcionem lib.I.de *Traditionibus* exp.l.9.c.20.23.172
Contra Marcionem Lib.IV.l.3.c.2.15.26
Contra Marcionem Lib.IV.l.15.c.6.3.&c.270
Contra Marcionem Lib.IV.l.7.c.11.2.99
Contra Marcionem l.IV.c.V.exp.l.1.c.7.16.95
Contra Marcionem lib.IV.c.V.de *Traditionibus* l.9.c.20.23.172
Aduersus Hermogenem c.XXII.l.8.c.10.8.119
Contra Praxeam l.3.c.9.2.35
De Corona militis,de *Traditionibus* exp.l.9.c.20.8.171
De Velandis Virginibus,de *Traditionibus* exp.l.9.c.20.7.172. &l. 9.c.20.19.172
De Oratione c.XII.l.8.c.12.16.126
Apolog.de *Traditionibus* exp.l.9.c.20.23.172

Tertullianus Marcionitas ex Scriptura refutat l.9.c.12.9.155

THEODORETVS.

Theodoretus in Leuiticum quæstione IX.l.8,c.7.43.114
In I.ad Cor.XI. l.9.c.1.17.135
In Epist.ad Hebræos l.7.c.11,12.100
Hist.Eccl.l.I.c.VII.l.8,c.10.11.119
Hist.lib.I.c.VII.exp.l.9.c.17.14.&c.163
Hist.l.IV.c.XVII.exp.l.10.c.7.6.185
Dialogo I.c.VI. l.8.c.8.24.116
Theodoreti sententia de S.Scripturarum lectione exp. l.10.c.4. 13.182

THEOPHILVS.

Theoph. Alex.Paschali I.& III.de *Traditionibus* exp.l.9.c.19.35.170
Paschali Secundo l.c.7.44.114

THEOPHYLACTVS.

Theophylactus in Lucæ 21, l.3.c.3.34.&c.28
Idem l.8.c.6,40.110

V.

VINCENTIVS LYRINENSIS.

VIncentius Lyrinensis c.I,exp.l.9.c.22.1.177
Vinc.Lyr. l.16.c.5.7.&c.291
Et Cap.XXXII.exp.l.9.c.22.2.177

VRBANVS.

Vrbani primi Epistola exp.l.9.c.16.12.162

FINIS

INDEX.

RERVM INSIGNIORVM, QVÆ HOC TOMO I. TRACTANTVR:

VERBORVM ETIAM HEBRÆORVM, CHALDAICORVM, GRÆCORVM

&c. quæ in eo exponuntur.

A

Aeriani hæretici l.9.c,12.15.156
Agathonis Papæ authoritas quanta sit l.9.c.3.43.141
Ἀγνωσία Dei Patris vtrum ex Scripturis habeatur,an vero ex traditione, &c. l.9.c.10.20.152
Agnoscere quid l.3.c.9.7.35
Allegoria quid &c.l.15.c.1.7.261
Ἀναλεκτία partium Scripturæ attendenda l.16.c.4.6.290
Alexander Sextus Papa l.3.c.6.18.31
Ambiguas voces reperiri in omnibus linguis, & Codicum Hebraicorum aut Græcorum autoritatem non conuellere l.12.c. 8.214
Ambiguitas quæ in Scripturis in Scriptura ipsa distinguitur l.15.c. 15.17.280
Ambrosij sententia de Scripturarū lectione,exp.l.10.c.4.10.182
Anagoge quid sit &c.l.15.c.1.7.261
Ἀναγκαῖα l.3.c.11.11.38
Ἀναλογία l.16.c.4.7.290.&c.6.4.292
Analogia fidei quid,in expos.Scripturæ obseruanda l.7.c.3.7. &c.90.&l.16.c.4.7.290.&c.6.4.291
Ἀναφίζειν l.14.c.13.26.259
Anastasius Bibliothecarius autor Pontificalis Rom. l. 11. c. 8.10. 198
Anastasius Papa hæreticus l 3.c.11.37
Angelorum ordines l.9.c.3.44.141
Animæ immortalitas an & vnde nota Iudæis sub Veteri Testamento l.9.c.8.18.147
Animæ immortalitatem vllo modo ad fidem attinere negat Melchior Canus l.9.c.8,21.148
Animarum status post mortem ante diem iudicii quibus olim dubius l.2.c.13.6.21
Ἀνιστάναι l.15.c.3.22.265
Ἀνθρωποπάθεια l.9.c.11.14.155
Antichristi aduentus ex Scripturis probatur l.9.c.10.52.154
Ἀπαγγελία quid &c. l.8.c.10.35.121
Apocalypsis Petri apocryph. l.7.c.4,3.&c.91.& l.7.c,6.5.93
Apocryphi libri l.4.c,1.1. &c,45
Apocryphi vnde dicti l.4.c.1.7.45
Apocryphi libri qui sint l,4.c 2.1,46
Apocryphorum catalogus l.5.c.10.3.66
Apocryphorum & Canonicorum librorum differentia l.4.c.1. &c.45
Apocryphos libros non fuisse à Prophetis scriptos l.5.c.1.&c. 52
Apocryphos libros non fuisse scriptos in vsum Ecclesiæ Hebraicæ l.5,c.31.53
Apocryphorum reiectio quo iudice facta l.7.c.4.1.91
Ab Apocryphis libris impia commendari l.5,c.4.54
Apocryphorum librorum citationes apud Patres & in No. Test. l.4.c.4.&c.49
Apocryphos libros reiectos fuisse ab Ecclesia Iudaica l.5.c.9.1. 64. & numeratos iam olim in Apocryphis ab Ecclesia Christiana l.5.c.10.1.65
Apocryphi qui dicantur Augustino l.4.c.3.20.47
Apollinaris sententia de Scripturarum lectione exp. l. 10. c. 4.14. 182
Apollinaris testimonium l.8.c.7.8.111
Ἀπολυτραγμένοι l.9.c.9.10.148
Apostolorum doctrina, liber Apocryphus l.7.c.4.3.91
Apostolorum stylus l.9.c.16.11.162
Apostolici hæretici l.9.c.12.14.156
Aquæ admixtio in calice l.9.c.9.23.150
Aquarij hæretici l.9.c.20.28.173
Aquila Interpres Scripturæ l.12.c.1.18.207
Arca templi Ierosolymitani l.5.c.8.10.62
Arca in qua libri sacri repositi apud Iudæos l.5.c.10.66
Ἀκριβῶς aduerbialiter l.15.c.15.22.280
Τῶν ἀκριβῶν l.15. c. 15, 22, ibid.
Archiepiscoporum nomen &c. l.9.c.16 16.162
Ariani quomodo Scripturam postularent l.9.c.13.12.158. vide & l, 9.c.12,19.157
Arianos Scripturis fuisse damnatos l.9.c.17.5,6.7.8.9.164
Aristæi fictitius libellus l.12.c.1.15.207. & suppositititius l.13.c.4.8. 227
ארון l.5.c.10.7.66
Ἀρτος l.8.c.3.11.104
אספרת l.3.c.2.7.25
אשר l.13.c.10.65.241
Athanasii sententia de Canone vindicatur l.5.c.15.15.71
Augustini sententia de authoritate Scripturæ confirmatur, & vindicatur l.6.c.10.28.&c.83
Augustini sententia de Sacrarum Scripturarum lectione exp.&c. l.10.c.4.12.182

Augu-

Augustinus Scriptura pugnat contra Donatistas l.9,c.12.17,156
Augustini sententia de authoritate Ecclesiæ,&c,exp.l.2,c.7,17
Αὐτάρκεια quid l.8,c.10,32,121
Αὐτάρκειαι Scripturæ l.8,c.10,31,ibid.
Ἀσυμφωνεία Scripturæ l.2,c.5,9.16
Authographa S.Scripturæ esse Θεόπνευστα l.12,c.4.210
Autographorum Scripturæ authoritas l.12,c.2, &c.209, & l.13, c.10,226
Autographorum integritas ab aduersariorum calumniis vindicatur l.12,c.7,1,&c.114
Autographi Hebraici puritas incorrupta l.12,c.4,9,10, &c.210, Et c.11,216,&c.integritas l.12,c.7,213
Autographi Græci Noui Testamenti integritas l.12,c.7.213, puritas incorrupta l.12,c.13,222
Authoritas Scripturæ l.1,c.2,2,& l.6,c.1,1,72
Authoritas Scripturæ quoad nos l.6,c.9,73
Authoritas Ecclesiæ l.2,c.1,26

B.

ב nunquam significare motum à loco vel à re l.14,cap.7,15,16, 249
בעלי אספרת l.3,c.2,25
Babelis confusio l.11.c.14,2,7,206
Baptisma à Iudæo vel Pagano in nomine solius Christi collatum, an ratum sit,non consentiunt Pontifices Romani inter se l.3, c.114,11,43
Baptisandi ritus apud Veteres Testamenti l.9,c.20,8,&16,171 & 27,173
Baptismi iteratio l.9,c.21,18,19,&c.175
Baptismum infantium contineri in Scriptura l.9,c.10,40,153
Baptizare in nomine Christi quid sit l.2,c.4.5,14
Baptisma non iterandum l.9,c.10,54,154
ברא quid significet l.13,c.8,6,230
Barbaries l.9,c.16,10,162
Baruc liber Apocryphus l.5,c.5,6,55,mendaciis fœdatus ibid.
Basilij sententia de Scripturæ S.lectione exp.l.10,c.4,5,181
Basilius Eunomianos Sabellianos, Arianos Scriptura refellit l.9, c.12,12 12.156,157
Basilius Ancyranus Iconolatra l.9,c.13,13,158
Basilij Imperatoris sententia de Scripturarum lectione exp. l.10, c.4.14.182
Beda l.2,c.16,17,23
Benedicti decimi Papæ gesta quædam l.3,c.6,18,32
Benedicti duodecimi Papæ gesta l.3.c,7,20,33
Bernardi autoritas l.3.c.3.37 56,l.3,c.5,15,30
Bibliorum editiones variæ l.12,c.1,207
Biblia Hebraica an sint corrupta l.12,c,11,216
Biblia Græca qua authoritate polleant l.13,c.1,&c.225.&c. vide Septuaginta.
Breuiarij Romani correctio l.2,c.16,15,23
בשפטך l.14,c.9,16,251
בן l.11,c.7,10,198

C.

Cæsarij Arelatensis sententia de S.Scripturarum lectione exp. l.10,c.4,1,182
כלה l.13,c.10,56,240
Calendarium Gregorianum l.9.c.21,15,175
Calicis ademptio l.2,c.4,2,20,& l.3, c.14,6,42,& l.3,c.14,21,43
Canis Tobiæ est fidei articulus Iesuitis l.9,c.9 20,150
Canes qui sint censendi,an Laici l.10,c.8,3,187
Canibus accenset fideles Laicos Lizetus l.10,c.8,ibid.
Canonis nomen late acceptum l.7,c.7,24,95
Canon fidei l.1,c.2,1.2,& l.8,c.11,1,&c.124,&c.
Canon quando constitutus l.5,c.11,1,67,& l.6,c.11, & 12,83, & l. 7,c.2,1,&c.89
Canonici libri l.4,c.1,1,45
Canonicorum & Apocryphorum librorum differentia l.4,cap. 1,1.&c.45
Canonicorum librorum character l.7,c.4,19,&c.92
Canonicorum à non canonicis distinctio quomodo ab Ecclesia facta l.7,c.4,1,&c.92
Canonicorum librorum numerus l.4,c.2.1,46,& l.5.c.9,2.&c. 64,& l.5,c.10,2,&c.65
Canonici libri bifariam accipiuntur ab Augustino l.4,c.3,14,&c. 47
Canon Iudæorum triplex Genebrardo l.7.c.2,3,89
Canon à veteribus numeratus, vter sit, Iudæorum, an Christianorum l.5.c.15,1,&c.71
Canonicorum distinctio in Protocanonicos & Deuterocanonicos l.7,c.7,1,94
Canonicos libros an facere possit Ecclesia, vt affirmat Stapleto l.5,c.11,1.67,& l.7,c.1,1,&c.89 90
de Canonicis libris cõsensus veterum quis sit l.5,c.14,1,&c.70
Canonis sufficientia l.9,c.5,2,&c.143
Canonis Scripturæ vsus l.10,c.1,1,&c.179
קרב exp.l.13,c.10.43,239
Catharina pro Pallade colitur l.2,c.16,9,22
Cathedra Mosis quid l.2.c.1,1,&c.13,14,Et l.9,c.3,13,139
Καπηλεύεσθαι l.14,c.13,2,5,259
כוב exp.l.13,c.10,31,32,238
Κηρύγματα Basilio quid sint l.9,c.19,12,169,l.11,c,12,9,204
כתובים l.4,c.9,8,51
Chrismatis vsus l.9,c.9,22,150
Christi personam esse diuinam l.9,c.10,19,152
Christi vnam esse personam habetur in Scripturis l.9,cap.10,28 152
Christi duas esse naturas haberi ex Scripturis l.9,c.10,27,ibid.
Christi duas esse voluntates l.9,c.10,ibid.
Christi descensus ad inferos num dogma sit ἄγραφον l.9.cap.10, 31 ibid.
Christi facta & dicta an omnia scriptis mandata l.9,c.4,142
Christus omnia docuit Apostolos l.9,c.4,ibid.
Christophorus Chananæus Sanctus fictitius l.2,c.16.22,23
Chrysostomi sententia de legendis S.Scripturis exposita l.10,c.4, 21,&c.183.vindicatur l.10,5,1,&c.184
Circuncisio erat signum fœderis commune,quoad efficaciam,tum maribus tum fœminis l.9,c.8,7.&c.147
Circuncisionis & Baptismi analogia l.9,c.10.42,154
Claues Petri confictæ quæ adorantur l.2,c.16,31,24
Clementis Constitutiones apocryphæ l.7,c.6.7.93
Clementis Constitutiones nõ posse fieri Canonicas l.5,c.13.5 69
Clementis Romani testimonia de lectione Scripturarum laicis permissa exposita l.10,c.4,2,&c.181
Clementis Alexandri testimonia pro traditione à Papistis allata exp.l.9,c.18.34,166
Clericos posse in hæresim labi, l.10.c.10,5,&c.188
Cœlibatus Sacerdotum l.2,c.14,8 21,& l.3,c.13,23,44
Κοιμᾶσθαι, morte detineri aliquandiu l.2,c.13,24,223
Κοινωνία ἰδιωμάτων l.9,c.11,13,&14,155
Collationem Scripturarum non esse medium interpretationis incertum l.16,c.7,293
Commentaria in Scripturam l.15,c.10.1,&c.274
Commentarij Patrum in Scripturam quo loco habendi l.13,c.5 2,&c.228
Communio sub vna specie contra veterem Ecclesiæ praxim inuecta l.2,c.14,2.41,& l.3.c.14,6,& 21,43
Conciliorum autoritates pro traditionibus 9,c.17,163
Concilium Nicænum primum ex Scriptura hæreticos damnauit l.9,c.17,1,3,&c.163
Concilium cum Stephano Papa errat l.3,c.6,8.31
Confessio auricularis non est apud Græcos l.2,c.14,7,22
Coniugia Clericorum l.3,c.14,23.44,& l.3,c.15,7,& 12,44
Consanguinitatis & affinitatis gradus vetiti ad coniugium l.3,c.14, 22,44
Consensus Patrum,&c.an sit interpretandæ Scripturæ norma l.16 c.8,294
Consonantia Scripturarum l.9,c.18,19,20,21,165
Constantini Magni testimonium de Scriptura l.8,c.10,11,120
Consuetudo pro vsu doctrinæ,&c. l.9,c.21,18,20,125
Consuetudinis vsus in multis rebus pub. l.9,c.15,8 9.3,160
Contradictiones Pontificum Romanorum l.3,c.14.1,&c.42
Controuersiarum Iudex,lex,&c. l.1,c.15,1,&c.15
Corruptionis insimulati loci veteris Testamenti vindicantur l.12 c.12,218
Corruptionis calumnia à textu Hebraico Vet.Testam.depellitur l.12,c.4.10.&c. 210, & c.6,11,&c. 212, & c.11,216,&c. à Græco Noui Testamenti c.13,223
Corui egressus,& reditus in arcam Noe l.13,c.8,21,22,&c.231
Creare quid,&c. l.13.c.8,6,230
Κτίζειν quid significet l.13,c.8,6,230 (3,c.5.22,31
Cypriani sententia de vnitate Sacerdotis seu Episcopi in Ecclesia l.
Cypriani sententia de lectione Scripturæ exp.l.10,c.4 3.181
Cyrilli Hierosolymitani sententia de Canone Script. vindicatur l.5,c.5,6.71 (l.10,c.4.9,181
Cyrilli Hierosolymitani sententia de Script. lectione vindicatur

Cyrilli Alexand. sententia de S. Scripturarum lectione l.10.c.4.9.182

D.

Damascenus Idololatra, &c. l.9.c.19.42.170
Damasi Pontificale suppositititium l.11.c.8.10.198
Danielis additamenta l.4.c.7.1.& 6.50.& l.5.c.6.12.57
Decreta Pontificum mutationi obnoxia, successor decessoris Canones abrogare potest l.3.c.14.25.&c.44
Decretales Epistolæ, &c. l.3.c.5.1.30.&c.& l.9.c.16.9.186
Decreti contradictiones l.3.c.14.2.&c.42
Definitiones Ecclesiæ l.2.c.13.1.&c.20
Demonstrationes è Scriptura l.1.c.10.1,5
דמות l.2.c.10.7.&c.20
Descensus ad inferos l.2.c.4.11.16
Descensus Christi ad Inferos, an sit dogma ἄχρηφον l.9.c.10.31.152
Deuterocanonici libri quinam, &c. l.7.c.7.1.94
Διδασκάλος l.8.c.12.14.&c.126
Διαταῦ quid l.1.c.14.6.8
Διαθηκόγραφοι libri l.4.c.1.7.46
Διαταῦ quid l.1.c.11.6.5
Διαφέρουσα quæ lib.1.c.6.3.3
Διατυπῦ quid significet l.9.c.18.3.4 164
Dictionum Scripturæ vis lib.5.c.15.8.279
Διδασκαλία Chrysostomo quid sit l.9.c.19.34 169
Διδάσκειν l.9.c.1.7.135
Δίον in fidei mysteriis non scrutandum l.15.c.14.277
Disciplinæ quid sint Tertulliano l.8.c 20.15.172
Dispensatio quid l.11.c.6.16.196
Diuini libri dupliciter dicuntur l.4.c.3.26.49.& l.4.c.8.51
Docere in Ecclesia quid sit, &c. l.9.c.15 3.160
Doctores var.j quibus Deus vtitur in docendis fidelib. l.7.c.1.7.89
Doctrina Apostolorum, liber apocryphus l.7.c.4.3.&c.91
Doctrinæ & rituum, mutationes l 2.c.13.& 14.&c.21
Dogmata fidei à dogmatum probationibus distinguenda l.9.c.12.4.5.155
Dogmata fidei omnia in Scripturis expressa esse l 9.c.8.146
Δόγματα quid sint Basilio l.9.c.19.12.& l.11.c.12.9.404
Dominicæ diei vsus ex Scriptura l.2.c.4.9.15.& l.9.c.9.14.149
Donatistæ hæretici l.9.c.13.11.158
Dormire de mora in statu mortis l.12.c.13.24.233
דין exp. l.13.c.8.12.230
דור generatio l.5.c.5.13.56
Δοξολογία l.9.c.19.9.168
Doxologiæ vsus apud Græcos l.12.c.13.32.223

E.

Ecclesiam ædificari super Scriptura l.6.c.8.79
Ecclesiæ authoritas l.2.c.1.15.&c.& c.6.16
Ecclesiæ autoritatem esse argumentum humanũ l.9.c.21.30.176
Ecclesiæ authoritas in refellendis hæreticis qui Scripturam vel reiiciunt vel mutilant l.7.c.5.1.&c.92 (1.85
An Ecclesiæ autoritas sit illustrior Scripturæ autoritate l.6.c.14.
An Ecclesiæ autoritas pendeat à Scriptura l.6.15.1.85
pro Ecclesiæ authoritate Papistarum argumenta l.7.c.1.&c.89
Ecclesiæ infallibilitas l.2.c.5.30.& c.16.22
an Ecclesia sit infallibilis l.2.c.16.22
Ecclesiam inferiorem esse Scriptura l.6.c.7.87
Ecclesiæ iudicium an sit vltimum & certissimum canonicæ librorum authoritatis κριτήριον l.7.c.8.1.&c.96
an Ecclesiæ iudicio nitatur Scripturæ autoritas l.6.c.11.& 12.83.& l.8.c.1.&c.89
ad Ecclesiam homines vocari per Scripturam l.6.c.7.87
an Ecclesiæ vniuersæ vsu commendetur lectio Scripturæ lingua ignota l.11.c.9.200
an Ecclesia sit notior fide l.2.c 12.20
an Ecclesia discrepet à seipsa l.2.c.14.21
an Ecclesia possit Apocryphos libros Canonica authoritate donare, vt affirmant Papistæ l.5.c.11.67
Quomodo Ecclesia tradat articulos fidei l.7.c.3.90
an Ecclesia possit libros ad Canonem adiicere l.5.c.12.68
an Ecclesia definiuerit omnia quæ ad fidem pertinent l.2.c.13.21
an Ecclesia possit facere contra Scripturas l.2.c.4.15
an Ecclesia doceatur aliunde quam seipsa l.2.c.22
Ecclesiæ priuilegia l.9.c.15.14.15.&c.160
Ecclesiæ testimonium l.6.c.1.4.5.&c.72
an Ecclesia sit regula sui ipsius l.2.c.10.19
Ecclesiam Iudæorum Canonicis libris autoritatem non contulisse l.7.c.2.89
Ecclesiæ Græcæ & Latinæ dissidia l.2.c.14.6.22
Ecclesiæ Romanæ leges non omnes approbari l.2.c.16.33.24
Ecclesiastici liber Augustino dubius l.4.c.3.21.48
Ecclesiastici libri l.4.c.1.8.92.&c.& l.4.c.6.49
Editiones Scripturæ ἐκδόσεις seu κοινότυποι & ἔκτυποι l.12.c.1.1.207
Editionum Originalium autoritas l.12.c.2.209.vide Autographa
Editio Hebraica Vet. Test. an sit corrupta l.12.c.11.440.216
Editio Græca Noui Testamenti an sit corrupta l.12.c.13 223.
Editionis Græcæ Noui Testamenti varietates l.12.c.10.216
Editio Græca Vet. Test. l.13.c.1.&c.223.vide Septuaginta
Editionis vulgatæ autoritas l.14.c.1.&c.242.vide Vulgata
Ἐγείρειν l.14.c.13.28.259
Eliacim an Sacerdos l.5.c.7.16.58
Ἐναυτοφώνια in Scriptura l.15.c.15.37.281
Ἐνδιάθηκοι libri l.4.c.1.8 45
Eleutherus Papa hæreticus l.3.c.9.34
Ephremi sententia de script. lectione l.10.c.4.7.181
Episcopi Romani Principatus l 3.c.4.30
Quę Episcopi Romani decernunt, nõ omnia esse recta l.3.c.15.44
Episcopum Romanum non esse fidei regulam l.3.c.1.24
Episcopos Romanos non esse ἀμεταπειθήτους l.3.c.7.32
Episcopum Romanum posse errare l.3.c.3.26
Episcopos Romanos sibi non omnes constare l.3.c.14.42
Episcopi Romani multi scelerati l.3.c.6.31
Episcopos Romanos quoidam docuisse aut confirmasse hæreses l.3.c.8.38
Episcoporum Romanorum autoritates pro Traditionibus, &c. l.9.c.16.2.161
de Epistola ad Hebræos olim dubitatum l.7.c.7.5.94.& 19.95
Epistolæ Iacobi, Ioannis & Iudæ quibusdam olim dubiæ habitæ l 7.c.7.6.94
Epistola Paulo afficta ad Laodicenses suppositicia l.6.7.93
Epistolæ Decretales l.3.c.5.2.&c.30
Ἐρμηνῦ l.1.c.19.9.22.& l.16.c.4.1.290
Ἑρμηνεῖαι Scripturæ l.10.c.4 1 ibid.
Esthera additamenta Apocrypha l.4.c.7.50.& l.5.c.3.5.54.mendacia quæ in illis continentur l.5.c.6.56
Euangelium an sit Scriptura l.1.c.21.12
Euangelij perspicuitas l.15.c.8.271
Euangelia quibus linguis scripta l.11.c.8.198
Euangelium Petri apocryphum l.7.c.4.3.&c.91.& l.7.c.6.5.93
Eucharistiæ celebratio an sit ex traditione nõ scripta l.9.c.18.26.165
Eucharistiæ mysteria l.9.c.14.6.7.&c.159
Eucharistiæ distribuendæ ritus l.9.c.20.17.17 2.& 28.173
Εὐδοκία l.14.c.13.39.260
Eunomiani Scriptura refutantur l.9.c.12.12.155
Eusebij Cæsar. sententia de lectione Scripturæ exp. l.10.c.4.5.181
Eusebij Emisseni sententia de Scripturarũ lectione l.10.c.4.11.182
Expositiones Patrum in Script. ἀποστοδιόγνωσι l.13.c.5.2.&c.228

F.

Festorum tempus quibus fundamentis definierit Papa l.9.c.21 15.175
Fidei acceptio duplex l.2.c.11.8.20.l.3.c.3.17.17.27
Fides an sit differẽtia specifica & fundamentũ Ecclesiæ l.2.c.11.20
Fidei dogmata omnia contineri in Scripturis l.9.c.8.147
Fidei analogia l.7.c.3.7.&c.90
Fidei canon l.1.c.2.1.& c.6.1.13.&c.& c.11.1.6.& l.8.c.11.1.124
Fidei mysteria etiã voce tradita ab Ethnicis rideri l.9.c.15.22.161
Fides qua credimus Scripturam esse diuinam vnde sit l.6.c.3.74
Fidei natura l.15.c.8.7.8.273, nullam absq; intelligentia esse posse ibid.
Fide sola nos iustificari docet Scriptura l.9.c.11.7.155
Figuratæ loquutiones in Scriptura sacra l.15.c.1.279
Figuratæ orationes in Scriptura l.15.c.15.12.17.262
Fœlix secundus Papa ordinat Episcopos Arianos l.2.c.7.9.32
Fundamentum Ecclesiæ l.3.c.3.41.&c.28.&c.l.6.c.8.79

G.

Elasij Canon l.4.c.3. 13.47
Γενεαὶ quid l.5.c.5.13.56
Γενεαὶ Generationes l.5.c.5.13.ibid.
Generatio quid Matth.1.&c. l.5.c.5.13.ibid.
Γεννᾶσθαι concipi l.12.c.13.37.223
Γεωργία ἄχρηφος & ἐγχρηφος l.9.c.18.43.44 167
Georgius Cappadox fictitius l.2.c.16.22.23
Γνώμων l.1.c.12.3.6
Græca lingua olim multis populis communis & nota l.11.c.9.20 21.&c.200

Græcæ linguæ vſus in ſacris l.11.c.9.5.6.13.199.&c.27.&c.200
Græci textus in Nou. Teſtamento authoritas l.12.c.2.&3.208. vide Autographa
Græci codices l.4.c.7.&c.50
Græcorum codicum varietas l.12.c.10.1.&c.216
Græcorum ſchiſma l.11.c.14.14.7.206
Gregorij III. Papæ dogma anathematizatur à Tridentinis Patribus l.3.c.14.7.42
Gregorius VII. l.3.c.6.12.32
Gruma & grumare l.1. .12.3.6

H.

H*Agiographa* l.4.c.9 8.51
Hebraicæ editionis authoritas l.12.c.2.3.209.&c. vide Autographa
Hebræa lingua qual's ſit l.11.c.2.8.191
Hebraicæ Scripturæ lectio l.10.c.7.22.187
Hebræorum puncta vocalia textum S. Scripturæ non corrumpere l.12.c.4.10.11.&c.210
Hebraica editio Vet. Teſtamenti an ſit corrupta l.12.c.11.&c.216
Hebraicæ editionis Veteris Teſtamenti puritas incorrupta l.12 c.4.9.10.&c.210.& c.11.216
עבורת l.13.c.10.45.259
Hæreſis late quid l.9.c.13.17.158. proprie quid ibid.18.ibid.
Hæreſis in doctrina & in perſona l.3.c.13.7.41
Hæreſes omnes ex Scriptura refelli l.8.c.9.117
in Hæreſes lapſi Romani Pontifices l.3.c.8.34
Hæretici vox late quid ſignificet Veteribus l.9.c.9.21.150
Hæreticorum damnatio nullam Papæ Romano prærogatiuam conciliat l.3.c.3.58.& l.3.c.4.13.30
Hæreſis vide Papa & Epiſcopus Romanus
an Hæretici contemnant traditiones l.9.c.13.154
Hæreticos ſcriptura oppugnari à Patribus l.9.c.12.8.9.10.&c.156
Hæreticus multis modis dicitur l.3.c.13.9.48
Hegeſippi teſtim. de Traditionibus non ſcriptis l.9.c.18.9.11.12.164
Hermæ librum Apocryphum eſſe, nec poſſe ab Eccleſia canonicum fieri l.5.c.13.69
Heſychij editio Bibliorum l.12.c.1. 2.208
חסר exp. l.13.c.1 ,29.239
חשך exp. l.13.c.10.3.236
Hieronymi ſententia de libris Canonicis vindicatur l.5.c.15.71
Hieronymi verſio an extet, & quantæ ſit authoritatis l.13.c.7.7. 229 (&c.212
Hieronymiana verſio & correctio ad ἀρχέτυπα exacta l.12.c.6.3.6
Hieron. iudicium de Septuaginta l.13.c.6.10.229
Hieronymi ſententia de S. Script. lectione l.10.c.4.16.182
Hominis vnius liberatio è vinculis ad petitionem Iudæorum tempore Paſchæ, vnde l.9.c.8.17.147
הוא & היא an confundantur l.14.c.11.9.254
Honorius Papa hæreticus l.3.c.12.38

I.

I*Acobi* duo l.5.c.13 6.69
ימים l.12.c.4.16.210 &c.8.2.214
Ιδιωμάτων κοινωνία l.9. .11.13.& 14.155
Ieiunium ſolenne l.9.c.16.32.160
Ieiunium Paſchale l.9.c.19.36.37.38.170
Imputatiua Iuſtitia l.8.c.11.7.155
Incarnatio, vide Chriſtus
Indices expurgatorij l.2.c.9.14 19 (7.179
Index expurgatorius quid de Scripturæ lectione ſtatuat l.10.c.1
Index expurgatorius Hiſpan. Quirogæ l.1 c.2.10.2
Indulgentia quid & cuius rei ſit l.13.c.2.12.180
Indulgentiæ ſero ab Eccleſia inuentæ l.2.c.13.14.21
Infantium mortuorum ante baptiſmum pœna adhuc indefinita apud Romanenſem Eccleſiam l.2.c.13.10.2
Infantium ſine circumciſionis aut baptiſmi remedio morientium ſalus l.9.c.8.5.147
Infantibus olim datam Euchariſtiam, quod hodie Papiſtæ quidem admittunt l.2.c.4.3,21
Ingenitum de Deo Patre, de eſſentia Dei, &c. l.9.c.10.20.152
Innaſcibilitas Patris l.9.c.10.20.ibid.
Inſpirationis diuinæ gradus diuerſi l.13.c.4 4.227
Intelligentia Scripturarum l.10.c.9.188
Interpretari quid l.11.c.7.9.202
Interpretatio Scripturæ l.1. .19.11
Interpretatio Scripturæ quid & vnde l.9.c. 5.2.3.5.6.7.160
Interpretationis regulæ l.1 .c.10.252
Interpretationis regulam nõ eſſe Patrum cõſenſum l.16.c.8.294
Interpretationis media interna l.16.c.4.1.&c.290. regulæ ibid.9 290. externa media c.5.291
Interpretatio Scripturæ l.16.286. an pertineat ad ſingulos fideles c.2.287
Interpretatio & additio infinite differunt l.9.c.15.5.160
Interpretationes, vide verſiones.
Interpretis officium l.13.c.11.13.&c.242
Interpretem ſui ipſius eſſe Scripturam l.16.c.6.1.&c.291
Septuaginta verſio *Interpretum* l.4.c.7.2.50
Ioannes XII. Papa l.3.c.6.9.32
Ioannes XII. Papa hæreticus l.3.c.13.41
Iobi fides l.9.c.7.13.&14.145
Ipſa conteret. Gen.3. exam. l.14.c.11.5.253
Irrideri ab Ethnicis, &c. myſteria fidei, non tantum cum ſcribuntur, ſed etiam cum viua voce docentur l.9.c.15.22.161
Iudæorum religioſa diligentia in ſeruandis ſacris codicibus l.12.c. 11.6.217
Iudæos promiſcue Scripturam legiſſe l.10.c.2.179
Iudex vel potius *lex Controuerſ.* Scriptura l.1.c.12.13.&c.6. An aliquis præter legem homo l.12.c.13 6.&c. An Eccleſia l.2.c.1.&c.14 &c. An Papa l.3.c.1.&c.24
Iudices qui ſint l.3.c.1.15.25
Iudicia'e quid l.3.c.8.17.34
Iudith liber, an canonicus l.4.c.9.51.& l.5.c.3.4.54.&c. l.4.3.&c.57 Eius mendacia l.5.c.7. ibid.
Iuliani Apoſtatæ ars in transferendis Chriſtianorum ritibus ad Ethnicos l.9.c.19.26.27.169
Iuſtitia imputatiua l.9.c.11.7.155
Iuuenis quis dic. l.5.c.7.41.60

L.

L*Aici* qui ſint l.10.c.8.3.187
Laicorum etiam eſſe Scripturas legendo intelligere & interpretari l.17.c.287
Laici ſcripſere olim Theologicos tractatus l.16.c.2.21.288
לקט l.14.c.9.11 250
Latina, vide Lingua
Latinæ editionis Vulg. autor l.14.c.242. eius vſus diuturnus l.14.c. 2.243. Patres ea vſi l.14.c 3.344. Veterum Teſtimonia pro illa l.14.c.4. An Latinam aliquam eſſe oporteat editionem authẽticam l.14.c.5.246. An Latin. ſit χρόνου δῶρον l.14.c.6. ibid. humanam eſſe, &c. l.14.c.7.247.&c. vide Vulgata.
Latinitatis vitium vitiare reſcriptum l.9.c.16.10.162
Lectio Scripturæ l.4.c.6.50
Lectio Scripturæ Hebraicæ l.10.c.7.22.187
Lectio Scripturæ publice in Eccleſia l.11.c.5.193
de Lectione Scripturarum l.10.c.1.&c.179. vide Synopſim l.10
Lectionis Scripturæ ordo l.15.c.17.1.282
Lectionum varietas in ſacris codicibus Script. l.12.c.10.216
Lectores quare inſtituti l.11.c.5.7.193
Lectores Scripturæ l.15.c.16.281
Legendæ l.4.c.6.350
Legis myſteria ἀνάκρυφα l.9.c.3.138
Legem à ſubditis non iudicari l.5.c.20.188 (160
Legum Politicarum, & Dogmatũ Fidei diſcrimina l.9.c.15.9.&c.
Leges non ſcriptæ l.9.c.15.8,9,13. ibid. (l.3.c.4.8.30
Leo primus vafre agit cauſam priuatam prætextu alienæ tutandæ
Leo primus ambitioſus l.3.c.35.28
Liberato vnius vincti tempore Paſchæ ad petitionem Iudæorum vnde l.9.c.8.37.148
Libertas voluntatis l.9 c.11.11.155
Liberij lapſus l.3.c.7.6.36.& l.3.c.10 ibid.
Libri Samuelis, Regum, &c. quando ſcripti l.7.c.6 4.93
Libri S. Scripturæ qui periiſſe finguntur l.9.c.5.143
Libri Nathan, Gad, Ahiæ, Addo l.9.c.5.4.144
Libri Prophetarum & Apoſtolorum non admiſſi in Canonem
Libri reiect vel mutilati ab hæreticis l.7.c.5.92 (l.7.c.6.93
Libri ſuppoſititij l.7.c.4.91.& l.9.c.16.5.161
Limitatio l 3.c.3.44.29.& l.3 c.12.5.38
Linguarum, ſimilitudo diuerſitas & confuſio l.11.c.14.205
Linguæ originales Scripturæ S. quænam l.12.c.1.2.421
Lingua Hebræa qualis ſit l.11 c.8.&c.207
Linguas Hebræam, Græcam, & Latinam, quibuſdam populis fuiſſe vernaculas l.11.c.2.13.192 (atis l.11.c.7.197
Lingua Hebræa an ignota populo Iudaico poſt tempora captiui-
Linguæ Græcæ vſus in ſacris l.11.c.9.5.6.13.&c.200.&c.& 27.201
Lingua Latina multis populis olim nota l.11. .9.28. ibid.
Linguæ communes & vulgares l.11.c.9.18. ibid.

an Lin-

an Lingua qualibet Scriptura sit vulganda l.11.c.1.&c.190
Linguarum vulgarium vsus in Ecclesia l.11.c.2.&c.ibid.
Linguæ communissimæ l.11.c.10.3.202
Linguarum mutatio & duratio l.11.c.11.1 &c.203
Loci communes Theolog. l.1.c.1.7.1.
Lucernam esse Scripturam l.1.c.3.4.& l.15.c.5.268
Luciani editio Bibliorum l.12.c.1.22.208

M.

Maccabæorum libri l.4.c.3.22.48
Maccabæorum librorum mendacia l.5. c.8.62
De 2. Maccab. l.5.c.2.53.& l.5.c.4.8.55
Macedoniani ex Scriptura confutati l.9.c.12.10.155
Magistratus quomodo iudicetur l.1.13.16.7
Magi à Papistis mutati in reges l.2.c.16.8.23
Malachias vltimus Prophetarum Veteris Testamen. l.5.c.1.52
Marcellinus Papa dæmoniis sacrificat l.3.c.7.2.32
Marcionitæ ex Scriptura refutati l.9.c.12.9.155
Marci Euangelium qua lingua sit scriptum l.11.c.8.6.198
Marci Euangelium an latine scriptum l.12.c.1.7.207
Mariæ virginis conceptio an immaculata sit, à Papa,&c. non definitum l.2.c.13.8.21
Mariæ virginitas l.9.c.9.5.&c.148
Martyrologia l.9.c.13.34.141
Martyrologium Bedæ interpolatum l.2.c.16.17.18.23
Mathematici qui dicti olim l.3.c.6.16.32
Matthæi Euangelium qua lingua scriptum l.11.c.8.8.198
Matthæi Euangelium Hebraice l.12.c.1.4.5.&c.217
Matrimonium quam diuersis titulis à B. Paulo & à Papa insigniatur l.3.c.14.2.2.44
מבין l.11.c.7.10.198
מחפש exp. l.13.c.10.40.41.&c.239
Melchioris Cani Epicurea sententia de animæ immortalitate l.9.c.8.21.146
Melchisedekiani refutati l.9.c.12.13.156
מליץ l.11.c.7.10.197
Mendacium etiam officiosum nullum in Scriptura l.3.c.6.22.32
Metaphrastes scriptor fabulosus l.2.c.16.16.17.23
Metropolitanorum nomen,&c. l.9.c.16.16.162
Mixtio vini & aquæ in calice Euch. l.9.c.23.150
מן partic. sus l.13.c.9.51.136
מקרא l.16.c.6.10.292
משנה quid l.1.c.4.3.3
משפט quid sit l.3.c.39.26
Monachatus exordia l.9.c.3.31.140
Monothelitarum hæresis l.3.c.11.21.38
Montanus hæreticus l.9.c.20.4.5.171
Μόρφωσις quid sit l.1.c.7 2.3
Mosis Cathedra quid sit l.2.c.1.1.&c.14
Mosis authoritas extraordinaria l.3.c.2.5.25
Multitudo penes hæreticos l.2.c.15.3.&c.22
Mutationes dogmatum, rituum,& legum in Rom. Ecclesia l.2.c.13 &14.21
Μύησις l.9.c.3.25.140
Μυστήριον quid significet l.14.c.13.23.259
Mysteria tegenda l.9.c.14.158
Mysteria ἄγραφα quę à Mose & Christo tradita fingũtur l.9.c.3.138
an Christus Mysteria quædam altiora Discipulis tradiderit, paucis quibusdam & selectis viris committenda l.9.c.3.45. &c.141
Mysteria Scripturæ an pariant obscuritatem inaccessam l.15.c. 14.3.&c.278
Mysteria Ethnicorum l.9.c.14.13.159

N.

Nasum cereum Scripturam vocat Pamelius l.1.c.18.2.20.& Pighius l.1.c.22.4.13
Necessitas Scripturæ l.9.c.7.146
Necessitas legendarum Scripturarum l.10.c.6.4.&c.185
Νόθος l.5.c.8.40 10
נפלאת l.15.c.6.2.270
נר l.15.c.5.12.268
נשך exp. l.13.c.9.3.4.233 (22.201
Nomina propria ab ea lingua peti solere quæ vulgo nota l.11.c.9.
Noua reperta ab Ecclesia Romana l.2.c.13.20
Nouum Testamentum Græcum an sit corruptum l.12.c.13.223
Noui Testamenti Græci varietates l.12.c.10.1.&c.216
Noui Testamenti cum vetere comparatio ratione perspicuitatis l.15.c.12,13.&c.272

O.

Obedientiæ distinctio l.1.c.20.9.11
Oblationes pro defunctis, pro natalitiis,&c. l.9.c.20.18.174
Obscuritas Scripturæ obiecta discutitur l.1.c.17.18.&c.& l.15.cap. 13.276
Ὁμοούσιον l.14.c.5.15.246
Ὁμοιούσιον extare in Scripturis l.9.c.10.19.151
Operum bonorum imperfectio l.9.c.11.9.155
Ordines Eccl. ad quid instituti l.9.c.14.14.159
Ordinationes per saltum l.8.c.15.26.132
Originis editio Bibliorum l.13.c.3.7.226
Origenis sententia, de Scripturæ libris olim dubiis l.7.c.7.18.95
Οφείλειν l.14.c.13.20 258
Os vocabulum scriptione ambiguum, pronuntiatione discretum l.11.c.9.33.201
Ὄτι scientiæ fidei esse persp. in Script. l.15.c.14.7.278

P.

Pædobaptismus, vide Baptismus
Pamelij blasphemia in Scripturam l.1.c.18.2.18. insignis impostura l.9.c.14.10.159.
Papa, vide Episcopus Romanus,& Pontifex
Papa an sit fidei norma l.3.c.1.24
Papæ obsequium quodnam & à quibus debeatur l.3.c.4.29
Papam esse errori obnoxium l.3.c.3.52.& 53.27
Papam in hæresim posse incidere l.3.c.3.27. Multos Papas in hæresim lapsos c.6.7.8.9.&c.32
Papæ pertinacia l.3.c.11.43.41
Παρά, præter l.8.c.6.32.110
Παραγραφέσθαι l.1.c.16.7.9
Παρασκευάζειν l.3.c.11.11.36
Παῤῥησία l.15.c.8.3.272
Πᾶς pro ὅλος l.8.c.3.4.104
Pascere quid sit l.3.c.2.24.26
Pascha quo sensu dicatur traditio l.9.c.20.41.174
Paschatis obseruatio an sit traditio non scripta l.9.c.18.35.167
Paschalis solennitatis obseruatio l.9.c.9.19.149
Paschalis secundi lapsus l.3.c.7.16.33
Paschalis Papæ pertinacia l.3.c.12.43.42
Pastores errantes non sequendi l.1.c.13.10.6.& l.3.c.2.& 3.26
Dei *Patris* innascibilitas l.9.c.10.20.152.
Patrum autoritas l.9.c.16.2.161
Patrum autoritates pro Papa excutiuntur l.3.c.5.30
Patrum sententia de Apocryphis exp. l.4.c.3.46
Patrum sententia de Script. Canone vindicatur l.5.cap.14.143.& c.15.71
Patrum testimonia de autoritate Scripturæ l.6.c.8.78
Patrum sententia de perfectione Scripturæ l.8.c.7.&c.111.&c. & c.10.119
Patrum testimonia de legendis Scripturis l.10.c.4.181. vindicantur c.5.184
Patrum testimonia de perspicuitate Scripturæ l.15.c.12.275. vindicatur eorum sententia c.18.284
Patrum Græcorũ autoritates pro traditionibus exp. l.9.c.18.164
Patrum Latinorũ autoritates pro traditionibus exp. l.9.c.20.171
Patrum expositiones ἀπαρασδιόνυσος l.13.c.5.2.&c.228
Patrum scriptra quibus cautionibus adhibitis ad testimonium dicendum admittenda l.9.c.16.2.3.4.5.&c.161
Patrum consensus an sit interpretationis Regula l.16.c.8.294.
Patrum consensum negligunt sæpe Papistæ l.16.c.11.8.9.10.&c. 297
Patriarcharum nomen l.9.c.16.16.162
Patriarchalium sedium ordo l.3.c.4.8.&c.30
Pauli sermones liber Apocryphus l.7.c.4.8.91
Paulus III. Papa l.3.c.7.21.33
Pauli acta liber apocryphus l.7.c.4.3.91
de *Paupertate* nata inter Pontifices dissensio l.3.c.14.15.43
Peccatum originis quid sit ab Ecclesia consulto non esse definitum l.2.c.13.9.21
Peccatum originis non esse dogma ἄγραφον l.9.c.10.32.152
Peccati originalis remedium pro fœminis sub Vet. Testament. l.9.c.8.2.5.&c.147
פלא l.15.c.6.2.270
Perfectio Scripturarum,&c. l.1.c.15.8.&c.& l.8.101.&c. vide Synopsin l.8
Periodus Pauli & Teclæ, apocrypha, l.7.c.6.5.93
Personarum diuinarum constitutio in esse personali quomodo fiat nondum ab Ecclesia Roman. determinatum l.2.13.7.20

Personarum diuinarum distinctio inter se l.9,c.10,20,152
Perspicuitas Scripturę l.1.c.17,18,&c. Et l.10,c.9.188,& l.15,c.4,167
Pervigilia nocturna vetita l.11,c.6,7,14,&c.196
פתי l.15,c.13,269
פתח l.15.c.5,4,ibid.
Petri Euangelium, liber Apocryphus l.7,c.4,3,&c.91,& l.7.c.6,93
Petri Apocalypsis, apocrypha l.7,c.4.3.91,& l.7,c.6,5,93
Φύσει Epiphanio quid sit l.9,c.19,47,171
Πληροφορία propria dogmarum fidei l.8.c.13,127
Ποιεῖν l.13,c.8,6,230,& 15,ibid.
Πολυπραγμοσύνη l.9,c.9,10,148 (180
Populo toti tribui solere quod sit principum autoritate l.10,c.2,9,
Pontifex legalis an fuerit fidei regula l.3,c.1,24,&c. Et l.3,c.3,5,27
Pontificis Romani eligendi & ordinandi autoritas Imperatori relicta vel ablata à variis Pontificibus l.3,c.14,14,43
Pontificis Romani impeccabilitas incerta etiam Pontificiis gnathonibus l.2,c.13.12.21
Pontifices Romani in hæresim lapsi l.3,c.6.7,8 9,10,31,32
Pontifici Romano à multis restitum est l.3,c.4,12,30
Pontificis Romani authoritatem non firmari veterum testimoniis l.3,c.5,&c. De Pont. vide Episcopus Romanus & Papa.
Pontificum Romanorũ autoritates pro traditionib. l.9,c.16,161
Pontificalis Romani author quis sit l.11,c,8,10,198
Præcipere quid sit l.8,c.6,8,108
Prædictionum Scripturæ obscuritas l.15,c.14,15,279
Presbyteri fornicantis depositio,&c. in Ecclesia Romana abrogata l.2.c.14,5.21
Præscriptiones quid sint l.2,c.8,3,169
Præses Concilij l.3,c.2,26
Primatum nomen,&c. l.9,c.16,16162
Primatus Ecclesiæ Romanæ l.3,c.4,8,9,&c.30
Priuati quidam fidem prædicarunt l.1,c.20,8,11
Priuilegia Ecclesiæ l.9,c.15,14,15,&c.160
Prophetæ quinam sint l.5,c.1.8,9,10,52
Prophetæ quomodo à Gretsero distinguantur l.5,c.1,9,52
Prophetiæ cessatio sub Vet. Test. l.13,c.6,3,220
Prophetiarum obscuritas l.15,c.14,15,279
Προτίμησις l.9,c.19,27,176
Protocanonici libri quinam l.7,c.7,1,94 (7,71
Prouerbiorum liber vocatus interdum Sapientiæ nomine l.5,c.14,
Psalmorum versio Græca LXX. & Latinâ vulgata excutitur l.13,c.9,233
Psalmorum vsus apud veteres l.15,c.12,13,276
Psalmorum cantus in Ecclesia l.9,c.11,4,155
Puncta vocalia Scripturæ Hebraicæ l.12,c.4,10,&c.220
Purgatorij locus, pœnæ, ignis, &c. incerta ipsis Papistis, nondum à Romana Ecclesia definita l.2,c.13,11,20

Q.

Quadragesimæ obseruatio varia,&c. l.9,c.16,32,163
Quatenus limitatio l.3,c.3,44,29,& l.3,c.12,5,38
Quodcunque & quæcunque l.3,c.2,23,26

R.

Rationale Sacerdotis l.3,c.3,8,26
רחף quid significet l.13,c.8,7,230
רקיע quid sit l.13,c.8,7,ibid.
Raziæ facinus l.5,c.4,7.8,&c.55
Reformatio Breuiarij R. l.2,c.16,11,&15,23
Regula quid sit l.2,c.13,1.20
Regula fidei l.2,c.10,19,&c. an sit Ecclesia l.2,c.10,ibid.&c. an Papa l.3,c.1.&c.24
Regula fidei Scriptura l.8,c.11,125
Regula veritatis quid dicatur Tertulliano l.9,c.20,24,172
Regum libri à quibus sint scripti l.7,c.6,4,93
Reges fictitij, pro Magis l.3,c.16,8,22
Rei vnius inter Iudæos liberatio tempore Paschæ, sub Romanis, vnde l.9,c.8,16,147
Remedium peccati originalis in fœminis sub Vet. Test. l.9.c.8,2,5, &c.187
Retractatio quid l.2,c,8,2,18
Reuocatio, & reuocare aliquem quid sit l.3,c.11.11,38
Rituum vsus in Ecclesia l.9,c.11.5,155
Ritus ex traditione l.9,c.19,12,19,12,15,18,19,22,&c.169
Ritus varij l.9,c.20,8,&c,171,& seq.
Rituum propagatio l.9,c.21,12,175
Rufini de libris canonicis testimonium vindicatur l.5,c.17,10,71
Rufini interpretationes quam fidæ l.4,c.8,2,&c.51

S.

Sacerdotis legalis authoritas & iudicium l.3,c.14,24
Sacerdos legalis an fuerit errori obnoxius l.3,c.3,5,27
Sacerdotes vxorati apud Græcos l.2,c.14.8,21
Sacramentorum doctrinam esse in Scripturis l.9,c.19,33,153
משׁע l.3,c.1,16,25
Samuelis libri l.7,c.6,4,93
Sanguinis & suffocati abstinentia l.2,c.4 8,15
Sapientia apud Eusebium ex Melitone dicitur pro Salomonis Proverbiis l.5,c.14,6,70
Sapientiæ liber mendaciis fœdatus l.5,c.5,55
Sapientia nostra est Scriptura l.1,c.5,3
Sapientia inter perfectos l.9,c.3,16,17,&c.139
χῶ & χῶσιμ, in historia Susannæ l.5,c.3,3,54
Scientia duplex, historica, & inspirata l.9,c.15,16,160
Scientia *ὅτι & διότι* l.15,c.14,7,278
Scortatio Sacerdotum Romanensium est potior matrimonio ex Nouatorum sententia l.2,c.14,8,21
Scortationes à multis permissas tamẽ esse peccata l.9,c.15,11,160
Scripta in corde, & scripta in libris nõ opponuntur l.9,c.15,27,161
Scriptio librorum sacrorum an à Deo imperata l.9,c.6,145
Scriptionis librorum N. Test. tempus l.9,c.7,6,146
Scripturæ necessitas l.9,c.7,7,ibid.
Scripturam aliquam esse diuinam constare ex Scripturis, & quænam illa sit l.9,c.10,3,150
Scripturæ libri, vide Libri & Canon
Scripturæ Authoritas l.1,c.7,2, &l.6,c.1,72, vide Synopsim l.13 & 6,&7
Scripturæ *αὐθεντεία* l.2,c.1,9,16
Scripturæ authoritas quoad nos l.6,c.2,9,74
Scriptura probat suam authoritatem l.7,c.9,96
Scripturæ in nos authoritatem non esse precariam l.6,c.17,87
Scripturam non obtinuisse authoritatem ex decreto Ecclesiæ l.6,c.12,83
Scripturam receptam esse ante iudicium Ecclesiæ l.6,c.11,83
Scripturæ iudicium admissum à Patribus l.9,c.13,4,157
Scripturæ iudicium recusarunt multi hæretici l.9,c.13,6,ibid.
Scripturis damnatos fuisse Arrianos & alios hæreticos l.9,c.17,5,6,7,8,& 9,164
Scripturam esse controuersiarum iudicandarum normam l.1,c.1,&c.2
Scripturam esse canonem fidei l.1,c.2,3,2 (276
Scripturæ obiecta obscuritas discutitur l.1,c.17,9,&c. & l.15,c.3.
Scripturæ libri quinam,&c. l.4,c.2,46
Scripturæ Perfectio l.8,c.1,&c.101, vide Synopsyn l.8,&9
Scriptura refellit quasuis hæreses l.9,c.12.8,9,10,11,&c.156
Scripturæ Lectio l.10,c.1,179,&c. vide Synopsin l.10
Scripturæ Intellectus l.11,c.1.&c.190,&c. toto l.11
Scripturæ Versiones l.11,c.1,&c.190,&c.l.11
Scripturæ Editiones variæ l.12,c.1,&c.11, vide Synopsin l.12,c.7
Scripturæ Editio *αὐθεντικὸς* & authentica, Hebræa in Veteri, Græca in Nouo Test. l.12,c.2,3,&c.209,&c. vide Synopsin l.12
Scripturæ editio Septuaginta Interpretum l.13,c.1,&c.224, vide Synopsin l.13
Scripturæ editio Vulgata Latina l.14,c.1,&c.242,& toto l.14
Scripturæ Interpretatio quid & vnde sit,&c. l.9,c.15,2,3,5,6,7, &c.160,&c.& l.15,c.1,&c.26,&c.& l.16,c.1.286
Scripturæ Sensus verus vnus,&c. l.15,c.1,&c.262 (276
Scripturæ Perspicuitas l.1,c.17,9,l.15,c.4,&c.267, &c. & l.15,c.132
Silentium opponi tum voci tum scripto l.9,c.14,3,159
Silo l.12,c.12,56,221
שילה l.12,c.12,56,221
שוב exp. l.13,c.8,23,232
שבנא quid significet Aben-Ezræ l.5,c.7,16.58
שופטם l.3,c.1,15,25
Σοφίζειν quid sit l.8,c.2,17,103
Spiritum S. esse Deum, constare ex Scripturis l.9,c.10,22,152
Spiritus S. testimonium de S. Scripturæ autoritate l.16,c.1,&c.72, & l.6,c.3,74,& l.6,c.4,74
Spiritus S. *ἐνεργείας* gradus varij l.13,c.4,227
Spiritus priuatus l.16,c.1,6,7,&c.287,&c.c.2,4,288
Seniores viginti quatuor qui sint l.7,c.4,11,13,92
Sensus Scripturæ l.15,c.1,261
Sensus Scripturæ literalis & mysticus l.15,c.1,ibid.
Sensum literalem S. Scripturæ vnum esse l.15,c.2,262
Sensus verus vel absolute, vel relate l.15,c.3,21,126
Septuaginta Interpretes l.12,c.1,15,207

Septuaginta Interpretum versio l.4,c.9,2,50,& l.13,c.1,&c.224
illi non sempe hæsisse Christum & Apostolos l.13,c.2,10,224
ab ea etiam sæpe discessisse Ignatium c.3,3,225, ea versione
non vsam esse Ecclesiam in Daniele legendo ibid.15,226,an sit
ψεῦδος c.4,227
Septuaginta interpretum editionem esse humanam, nõ prophe-
ticam & diuinam l.13,c.6,228,ea dari meliorem,c.7,229, Eius
errores c.8,229,Errores eius in Psalmis c.9,233.Exculationes
c.11,241
Serapionis testimonium l.7,c.11,11,100
Series in Scriptura consideranda l.16,c.4,6,290
Sermones Pauli l.7,c,4,8,91
Stephanus Sextus Papa,eiusque facta l.3,c.6.7.31
Stylus Scripturæ l.15,c.15,279
Stylus Apostolorum l.9 c.16,11,162
Successores dupliciter dicuntur l.3,c.2,18,26
Sufficientia Canonis Script.l.9,c.5,1,&c.143
Συμβιβάζειν quid l.16,c.6,10,292
Symbolum Apostolorum, an contineatur in Scriptura l.9,c.10,8,
150
Σύμφωνα quæ l.9,c.18,19,&c.165
Σύγχεσις locorum Scripturæ ad interpret. l.19,c.4,1,29
Συνοδικῶν l.14,c.13,15,258
Supposititia scripta l.9,16,5,161
Susannæ historia Apocrypha l.5,c.3,58,&l.5,c.6,17,58

T.

Targum Bibliorum l.12.c.1,9,207
θάλαμος l.9,c.9,12,148
Thalamus quid l.9,c.9,12,ibid.
תמם l.13,c.10,40 41,239
תמנו exp.l.13,c.10,40,41,&c.ibid.
תמים l.8,c.4,3,105
πλεόνασις quid l.9,c.19,27,170
Tenebræ quæ factæ sunt cum Christus pependit in cruce l.7,c.3,
44,141
Theodotionis versio Bibliorum l.13,c.3,6,226
Tertulliani autoritas de *Traditionibus* exp.l.9,c.20,1,171
θεσμοὶ Epiphanio quid sint l.9,c.19,47,171
Testamentum Christi l.8,c.10.5,65,123,&c.
Testamenti Veteris defectus ex sententia Papistarum l.9,c.147
Testamentum Vetus Hebr.an sit corruptum l.12,c.11,11,216
Noui Testamenti defectus confícti à Papistis l.9,c.9,147
Testamentum Nouum Syriacum l.12,c.1,13,207
תשוקה exp.l.13,c.8.15,230
Textus Scripturæ originalis autoritas l.12,c.2.209,&c. vide Au-
tographa.
Tikkim Sopherim l.12,c.11,16,217
Tobiæ Apocrypha historia l.5,c.3,4,54,& l.5,c.4,2, ibid.eius men-
dacia l.5,c.5,4.105
Traditionis nomen generale l.9,c.1,8,135
Traditionum diuisio l.8,c.13,14,127
Traditiones l.8,c.1,&c.101
Traditionum variæ diuisiones ibid.&c.l.8.c,1,10,11,12,&c.101
Traditionum distinctio l.9,c.16,3,161,& sæpe alias toto libro IX.
vt l.9,c.7.11,147
Traditionum discernendarum Regulæ l.8,c.13,24,128
Traditiones Patrum l.8,c.12,3.125
an Traditiones à Scripturis commendentur l.9,c.1,134
Traditionum Pontificia probatio ex Scriptura l.9 c.1,&c.134, ex
Romanis Pontificibus l.9,c.16,ex Conciliis l.9,c.17,163
Traditionum memoria an conseruetur inuiolata l.8,c.15,131.
Traditio Irenæo quid sit l.9,c.18,29,116
Traditio Origeni quid l.9,c.13,19,109
Traditionum confirmatio ex Augustino refellitur l.9,c.21.124
Traditionis vsus variis Ecclesiæ ætatibus l.8,c.15.& l.9,c.7,145
Traditionis vsus ab Adam ad Mosem l.8,c.15,5,131
Traditiones Iudaicæ l.8,c.12,3,125
Traditiones nõ scriptas non esse ad salutẽ necessarias l.8,c.11,124
an Traditione probanda fidei dogmata l.9,c.12,156
Traditiones omnes esse incertas l.8,c.13.226,&c.multas falsas l.
8,c.13,18,128
Traditionibus vsos hæreticos l.8,c.16,133
an Traditiones contemnant hæretici l.9,c.13,157
Translationes, vide Versiones l 157
Translationes Scripturæ l.11,c.1,&c.190, & c.5.194, vide Syno-
psin lib.XI.
Transsubstantiatio non definita decem post Christi mortem seculis
l.2,c.13,5.21
Tridentini Concilij decreta Pontificum veterum oraculis contra-
ria l.3,c.14,42
Trinitatis doctrina an contineatur in Scripturis l.9,c.10,15,151
Tropi in Scriptura l.15,c.15,12,279
Tropologia quid,&c.l.15,c.17,261
τύπῳ διδαχῆς quid l.1,c.8,19,& l.2,c.10,7,20
Τύποι τῆς ἐκκλησίας Nazianzeno quid sint l.9,c.19,26,169
Tyrannidis mores l.10,c.1,9,179

V.

Valentiniani ab Irenæo ex Scriptura refutati l.9,c.12,8,156
Variæ lectiones codicum sacrorum l.12,c.10,216
Venetorum excommunicatio l.3,c.22,33
Venia quid & cuius rei sit l.10,c.2,12,180
Versiones Scripturæ l.11,c.1,&c.190,& c.5,194,&c,& l.12,c.1 207
Versiones interdum esse autographo obscuriores l.15,c,17,24,
283
Versio Septuaginta, vide Septuaginta
Versiones Græcæ Bibliorum l.12,c.1,15,&c.207
Versiones Latinæ Bibliorum l.12,c.1,26,ibid.
Versio Hieronymiana an extet hodie, & quantæ sit authoritatis
l.13,c.7,229
Versionis vulgatæ Latinæ authoritas l.14.c.1,&c.242. vide vul-
gata.
Vetus Testamentum Græcum ex versione Septuaginta l.13,c.1,&c.
224,vide Septuaginta.
Vuiclefus authoritatis & perfectionis Scripturæ assertor l.9,c.13,15
158
Vigiliæ sublatæ l.11,c.6.7,&14,196
Vigilij Papæ lapsus l.3,c.7,15,33
Vincentius Lyrinensis l.2,c.9,18
Virginitas B.Mariæ l.9,c.5,148
Vocales Hebrææ linguæ l.12,c.4,10,210
Vocis & Scripturæ efficacia l.9,c.15,22,23,24,161
Vox æque ac Scriptura irrisioni obnoxia l.9,c.15,22,ibid.
Voluntates duas in Christo negauit Honorius Papa l.3,c.12.38,39
Vrim & Thummim l.9,c.3,8,155
אורים ותומים l.3,c.3,5,26
Vsuardus quo tempore vixerit l.2,c.16,17,23
Vsus Ecclesiæ an imitandus per omnia l.11,c.9,7
Vsus duplex, vel ab institutione, vel à constitutione, ibid.10,200
Vtilis l.8,c.15,104
Vulgatæ Editionis Latinæ author l.14,c.1,241,&c.3,7,245
eius vsus diuturnus s.14,c.12.241,Patres an vsi l.14,c.3,243
Veterum testimonia pro illa l.14,c.4,244
An sint authentica & ψεύδογραφος l.14,c.5,& 6,248, humanam es-
se l.14,c.7,249
Vulgatæ editionis Latinæ Bibliorum authoritas l,14,c.1,&c.242
Vulgatæ versionis errores l.13,c.9,233.475, & l.14,c.7,249,& c.
9.149, &c.errores eius in Vet.Testamento l.14,c.253,& c.12,
255,errores eius in Nouo Testam.c.13,258
Vulgatæ editionis varietates l.12.c.6,12,212, ad Hebraicam ve-
ritatem exigendæ,& vitia corrigenda ibid.
Vulgatæ Bibliorum versionis censores & correctores l.12,cap.1,
32,208

Z.

זבר l.12,c.4,16,210.

FINIS.

PAN-

PANSTRATIÆ CATHOLICÆ
TOMI PRIMI
LIBER PRIMVS.
Qui est
DE CANONE FIDEI.

Caput Primum.

Distributio totius operis Controuersiarum.

PVS aggredior magnum: multi temporis, immensi laboris. Capitum in Doctrina fidei Christianæ controuersorum, Catholicos inter ac Papistas, plenam tractationem: partibus multiplicem: quæstionibus perplexam: sophismatis obscuratam: incredibili contendentium pertinacia tantum non desperatam: Ecclesiæ hoc seculo cũ primis necessariam.

II. Tu mihi statim ab limine tam serio, quam necessario inuocatus ad esto, Omnipotens: autor luminis, fons scientiæ, ipsissima veritas. Tu, qui mysteria sapientibus huius seculi abscondita; paruulis tuis reuelare dignatus es. Tu, qui das petenti: pulsanti aperis: quærenti ostendis te ipsum. Tu, qui ex ore infantium perficis laudem tuam. Tu, qui prohibes vel vnicum abs te acceptum talentum defodi in terram.

III. Tu ab initio per Filium, per Apostolos, per Prophetas, per Euangelistas, effundere dignatus es totum saluificæ veritatis thesaurum, in Ecclesiam tuam depositorium diues, cuius sic fundamenta iaciebas, vt ne aduersus eam prævalerent inferorum portæ: hæreticorum agmina: exercitus Antichristi. Tu, sequutis Apostolorum initia seculis, varios errores à Sathana in orbem emissos magnifice compescuisti verbo tuo potenter efficaci in ore Pastorum & Doctorum, magno numero: quorum opera, Simonianos, Gnosticos, Marcionitas, Manichæos contriuisti: Arrianos, Pneumatomachos, Nestorianos, Eutychianos, Pelagianos fregisti: aliorũ etiam minutiorũ hæreticorũ agmina vix numero recensenda iampridem disturbasti. Tu nostro tãdem seculo, non iam à paucis hæresibus tentatam: sed tota Antichristianæ tyrannidis mole pressam: tantumque non misere extinctam, Ecclesiam vindicasti, per fortissimos illos seruos tuos, viros magnos: nec magnos, nisi à re: qui voce, qui scripto, qui sanguine, qui cineribus suis, τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας, τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας impugnarunt: tuam veritatem constantissime propugnarunt: adeo vt post tenebras plus quam Cimmerias, & palpabiles, lucem salutis cœperit orbis vsurpare.

IV. Ast hoc tuum profundissimæ misericordiæ opus, qui maxime debebant admirari; admirantes amplecti; amplectentes frui, ingratissimi homines in perniciem suam pertinaciter ruentes; immane quantum oderint: quantis conatib. oppugnent. Et vim quidem apertam, armatamq; ignibus, laqueis, gladijs sæuitiem (nam & hanc exeruerunt rediuini Nerones) tu compescuisti: efficiens vt senserint miseri non magis contra malleorum ictus incudem, quam contra persequentium crudelitatem, Ecclesiam durare. Reddidisti seculo pacem, Domine: cuius beneficio, qui ante paucos annos in caueis, in cryptis delitescebant veritatis tuæ amatores, nunc in publicum prodeant: & aperte profiteantur multi: quod ante apud se ipsos taciti suspirabant pauci. Quin & huic regno, nostræ (inquam) Galliæ, hunc secundum iam regem indulsisti: quo imperante cuiuis liceat esse pio. Huic tu regi, ô tu summe Rex regum, Domine dominantium: tu, per quem reges regnant, adde annos plurimos, sed & hunc illustrato veritatis tuæ cognitione: vt qui puer à patre didicit tuos non vexare: vir factus eorũdem amet reformatam sinceritatem: veniatq; in gyrum Ecclesiæ, ab vmbra alarum tuarum, nec aliunde suam securitatem expectaturus: quam in sinu magnæ meretricis iam bis vidit male quæsitam suis decessoribus.

V. Sed compositis bellicis furoribus, restat Sophistarum numerus, quãtus antea nunquam, conatus etiam maximi. Hi seruiunt dementandis hominibus, vt in erroribus Papisticis & pereant, & per re gaudeant: sintq; certum testimonium ἐνεργείας illius, quam te mendacio concessurum minatus es, aduersus eos, qui amorem veritatis non receperint, vt salui fiant. Da, summe Pater, vt hoc etiam quantum est sophistarum, dissectum, fractum, contritum videamus. Atque hoc vt sit, aliquando, da tuis, quod respondeant: Da spiritum, cui resistere nequeant hostes veritatis tuæ: Da felices laborum successus; vt incipiant surdi audire, cæci videre, claudi ambulare in semitis tuis. Et quia inter istos seruos tuos, imo post istos seruos tuos plurimos, etiam me in hanc arenam descendere voluisti: Da vitam: Da vires: Da otiũ. Quin potius da omnia. Quid enim meum pollicear? Sed tu non soles deesse inuocantibus nomen tuum, quærentibus gloriam tuam. Et hoc quidem certe tu mihi iam dedisti: quo securius cætera exspecto, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, cui tecum & cum Spiritu Sancto, regnum, honor, & gloria in æternum.

VI. Omnes Controuersias, quæ inter Catholicos sunt & Papistas, de rebus ad religionem Christianam pertinentibus; animus est pertractare, neq; aduersus vnum aut alterum & solis meis viribus: vt μονομαχία sit: sed aduersus omnes Papistas, quotcunque in manibus habere potui, collectisque omnium similiter, qui pro veritate dimicarunt, viribus, quasi παντρατιᾷ dimicetur potius. Controuersiarum ipse miratus sum numerum. Etsi enim iãpridem non esset obscurum, non vnum aut alterum membrum fidei à Papistis labefactari, vt olim ab hæreticis, sed totum potius corpus oppugnari: tamen cum in rem præsentem deductus; singula minutim consectatus sum: tũ vero nouus horror inuasit animum. Deus bone! quis factum credidisset: imo quis fieri posse putasset, vt qui se Christianos dicunt: qui se Catholicos solos tanto fastu iactant: ij vix vnum, aut alterum; aut ad summum, tertium caput in articulis fidei, retinuerint?

VII. In tanto numero, ne, quod fit, confusio officiat, tum mihi disputanti; tum hasce disputationes lecturis; colligam locos generales. Itaq; dicam primum de Canone fidei Christianæ, tum de reliqua doctrina, cuius ex eo Canone constat certitudo. Huius κεφαλαίας χοινότητες (sic locos commnes appellat apud Quintilianum Theodorus) erunt; vnum de Deo, alterum de Homine; qua corrupto, qua restaurato.

VIII. In disputando, fidem bonam præstabo: diligentiam adhibebo: breuitatem non negligam. Prima erit cura, in singulis capitibus, status causę: non à meis coniecturis: non ab incertis rumoribus: non à partium studijs, sed à disertis verbis aduersariorum. Secundus labor, Argumentorum; Solutionum, Instantiarum comparatio, & sincera & exacta: vt ne quid aut vafre dissimulatum: aut callide delumbatum: aut perfide quisquam inuersum conqueri possit.

IX. Hunc mihi sinceritatis amorem Deus dedit. Sed & dedit hominẽ meminisse: Itaq; illud Isidori libet hoc initio lectoribus in mentem reuocare ex Epist. 247. lib 2. Δίκαιον οἶμαι ἐπὶ τῷ μεγίστων ἐπιθέσεων, καὶ ὁ λέγων τὴν ἀξίαν ἀπολιμπάνειν, μὴ ἀδυναμίαν κατηγορεῖσθαι τοὺς ἀπραγμόνας, ἀλλὰ συγγνώμην τυγχάνειν ἐπὶ τῷ τῶν πράξεων μέγεθος αὐαφέρειν τοὺς; *æquum esse in magno opere, si quis infra materiæ dignitatem subsidat, non impotentiam damnari dicentis, sed veniam potius concedi, reputata rei magnitudine.*

Cap. II.

De Canone Fidei, status primæ Controuersiæ.

I. PRimum locum sibi merito ac necessario vindicant in Controuersijs Theologicis; quæcunque sunt de Canone: siue de Principijs Fidei Doctrinalibus, vt loquebatur Stapletonus. Merito quidem; quia nullum procedat ædificium non positis prius fundamentis: & in qualibet scientia sint ante omnia constituenda principia, vnde postea peti necesse est demonstrationes. Necessario autem: quia hinc etiam bella mouent Papistæ: magna contentione conantes abducere nos à veris, certisq; Religionis principijs,

cipijs, ad alia, quę si non solidiora, certe sibi commodiora existimant. Et illa, si quando patiuntur nominari, tamen infinitis Sophismatis, & vim extenuãt & vsum minuunt: vt ne sint nisi nomine tenus principia: præstiteritq; fere omnino remouere.

II. Hîc prima se quæstio offert, quid illud sit, quod habendum pro Canone, siue regula Fidei Christianæ; ac proinde summo iudice Controuersiarum omnium ad eam fidem pertinentium; & prius quidem καθ' ἑαυτὸ, deinde πρὸς ἡμᾶς.

III. De priori nunquam hactenus, quod sciam, erat inter Christianos disputatum. Hoc tantum seculo; & quidem ante haud ita multos annos, Papistæ cœperunt, vt quocunq; modo vim veritatis eluderent, Catholicis negotium facessere. Melchior Canus locor. Theologic. lib. 4 Franciscus Cordubensis Annotat. Catholic. artic. 2. cap. 80. & seqq. aliquot; item sermone in solemnitate omnium Sanctorum. Ruardus Tapperus orat. 3. Theologica, Bartholo. Carranza controu. 1 & 2. prolegomenon in summam Conciliorum, Greg. de Valentia Analyseos lib. 5. 6. & 7. Petrus Charroneus, 3. veritatis cap. 2. Gordonus Huntleus Epitomes controu. 2. Martinus Beccanus Theologiæ scholasticæ p. 2 tomi post. tract. 1. c. 7.

IV. Et cum Ratisbonam conuenissent iussu Principum anno huius decimi septimi seculi primo, Lutherani aliquot, Papisticique Theologi, vt de rebus religiosis fierę collatio, effecerunt isti, vt de nullo articulo contenderetur ante istum: nam quum (inquit Tannerus in Relatione) inter alias cõditiones futuræ disputationis, hanc etiam Lutherani ponerent, vt sola Scriptura sancta esset vnica norma, & iudex omnium Controuersiarum, respondêrunt Papistæ iniquum esse postulatum: tum quia ridiculum sit, hostem ad certum armorum genus velle adstringere: tum quia hoc ipsum, videlicet, an Scriptura sit vnica norma & iudex Controuersiarum omnium, sit origo quodammodo & radix aliarum Controuersiarum omnium: denique, quia iniquum est ab aduersario petere, vt suis se præsidijs exuat: nam id aliud nihil esse, quam postulare, vt sua causa ante omnem conflictum sponte cedat, qua in sententia cum serio perstarent; tandem consenserunt Lutherani, vt de hoc articulo disputaretur ante omnia: quod vtinam solide, candideque factum esset.

V. Sed quæstionis status hic est. Confessio Gallica artic. 4. libros Scripturæ vocatos Canonicos, testatur habere, vt fidei normam & regulam. Anglica paulo plenius artic. 5 Scripturas esse fundamenta Prophetarum & Apostolorum, in quibus ædificata sit Ecclesia Dei: esse certissimam normam, ad quam Ecclesia si vacillet, aut erret, possit exigi: & ad quam omnis doctrina Ecclesiastica debeat reuocari. Contra eas nec legem, nec traditionem, nec consuetudinem vllam audiendam: ne si Paulus quidem ipse, aut Angelus de cœlo veniat, & secus doceat. Belgice etiam artic. 5 hos libros solos recipit tanquam Sacros, & Canonicos, quibus fides nostra inniti, confirmari, & stabiliri possit.

VI. Denique Lutherani in illo Ratisbonensi colloquio, his primis duabus thesibus mentem suam conceperunt. *Verbum Dei Prophetarum & Apostolorum scriptis comprehensum, doctrinæ, cultus, ac fidei Christianæ, vnicam, certam, atq; infallibilem normam, regulam, ac mẽsuram, cui propter ipsum Deũ authorem, fides [illegible] habenda sit, indubitanter agnoscimus. Idipsum Controuersiarum religionis omnium, inter eos præsertim, qui Christianorum nomen sibi vindicant, iudicem, aut sane vocem iudicis supremi, quem omnes agnoscere, timere, ac venerari tenemur, constituimus.* Quibus verbis tam libenter nos subscribimus, quam serio optamus in reliquis omnibus illos & nobis & veritati diuinæ consentire: atque hæc esto nostræ sententiæ perspicua explicatio.

VII. Papistæ contra valde reluctantur: & primo nostræ sententiæ suam αὐτοφανῆ opponunt in eodem colloquio; hac thesi, *Sacra Scriptura non est iudex omnium controuersiarũ fidei & religionis Christianæ: est quidẽ norma infallibilis; verũ nec sola nec vnica.* At Lorich. Iesuita in fortalitio, hær. 5 de Scriptura, *Impossibile est Scripturam sacram ipsammet esse iudicem dubiorum de fide ac religione Christiana.* Longe iste durior: nam Ratisbonenses saltem concedebant esse normam, etsi non solam, non vnicam, at iste audacius prorsus negat esse normam: imo fieri non posse, vt sit norma.

VIII. Sed ablegata hac Scriptura, deturbataq; de isto dignitatis gradu: si pergas, & interroges, quod igitur constituant principium, quem summũ iudicem? statim audies Ecclesiam: audies Papam, id est, Episcopum Romanũ: De Ecclesia, Corduben. art. 2. c. 80. *In proponendis fidei dogmatib. & dirimendis fidei controuersijs, Catholicæ Ecclesiæ traditio est rectissima regula,* & cap. sequ. *Religionis dogmatum notitia exigenda est ad Catholicam Ecclesiam.* Panigarolla lect. 1. Discept. Cathol. *Omnes controuersiæ, quæ inter nos & Caluinistas sunt exiguum est quod dixi. Imo omnes controuersiæ, quæ vnquam fuerunt, quæ sunt quæve vllis temporib. futuræ sunt, ad fidem catholicam pertinentes, ad hoc vniũ rediguntur, vt reperiatur, quanam sit vera Ecclesia.* Et causam assignat: quia quoties sese aliqua quæstio offeret, *percũctabor,* inquit, *quid Ecclesia sentiat.* Iacob. à Dauentria in refutat. 7. art. Confess. August. *Catholica Ecclesia post Deum certissimus, & supremus Iudex est in terris, super ea quæ de rebus dubiis, de Fide, de moribus, determinari debent.*

IX. Sed longe insolentior Carranza in 1. Controu. *Primum principium certum infallibile, ex quo potest demonstrari aliquid esse verum & indubitate tenendum in Fide & religione Christiana, est sine aliquo scripto Ecclesiastica traditio & vniuersalis Ecclesiæ communis definitio.* Rursus in 2 seipsum iam superans. *Nos dicimus quod prior regula, & notior, & multo latior est Ecclesia, quam Scriptura Canonica: & hæc per illam debet regulari: & non econtra* Matthias Bredembach. de dissidijs Ecclesiæ componendis: *Neq; enim Scriptura est Iudex Ecclesiæ: sed Ecclesia & Iudex est & interpres Scripturæ.*

X. Displicuit, aut certe displicere visa est hæc tanta, tam aurib. Christianis insolens audacia Iacobo Gautiero Iesuitæ: qui mihi eum Carranzæ locũ obiicienti spem fecit purgationis ex auctoritate quorundam Romæ ad id munus delegatorum. Nempe opinor subindicans nouum aliquem Indicem expurgatoriũ. Quasi nobis ex Belgico & Hispano, qui iam prodiere (quanquam inuitis, saltem inscijs auctorib.) non sit coniectura facilis, qualis ille futurus sit Romanus, si futurus est aliquis. Nam in illis sedulo purgãtur, id est, deleri iubentur quæcunq; occurrunt, cum decretis Papisticis, aut Papæ honore nõ satis bene conuenientia. Sed peccatis Carranzæ similia peccata religio fuit attingere. Sic Index Hispanicus Gasparis Quirogæ Cardinalis, in Biblijs Roberti Stephani editis cum annotationibus Vatabli; deleri iubet ad cap. 11. Deuteron. annotatiunculam: *Benedictio obedientibus Verbo Dei: maledictio non credentibus.* Ad Esaiæ 8. *Verbum Dei interrogandum, quod sequamur.* Ex Indice, *Verbum Dei solum faciendum.* Item ex libello Cyrilli ad Calosyrium in 2. cap. *Quæ in Scriptura Sacra aperte dicta non sunt, curiosius indagari non debent:* Hæc & similia ad Scripturæ laudem spectantia, fuere diligenter obseruata, expuncta. At quæ identidem occurrunt ei euandæ Canonicorum librorum auctoritati; non fuit bonis viris satis otij ad ea indaganda. Alioquin quis credat Hispanis incognitum fuisse Carranzam, ipsum Hispanum? Et quidem non nullius nominis ob Concilia in Epitomen contracta? Videlicet hoc vnum meus agebat Iesuita, vt præsentem vitaret inuidiam: auditorumque, etiam suorum, pacaret animos, tantam blasphemiam abominantes.

XI. Quanquam, quid ego vnum Carranzam exagito? Aut, quam prope abest à Carranza Pighius? En tibi huius verba ex Controuersia tertia, *Hæc* (nimirum Ecclesiastica traditio) *est ipsissima veritatis ac pietatis regula: quam efficaciorem semper quam Scripturas, ab ipso Ecclesiæ initio sanctissimi orthodoxique Patres nostri semper experti sunt.* Et aliquanto post negat Apostolorum, & Euangelistarum hoc fuisse in scribendo consilium, *vt Scripta illa suæ præessent nostræ religioni, sed subessent potius.* Nec alius Spiritus in Noguera, qui lib. 2. de Ecclesia, Christum statuisse asserit, vt *qui Scripturæ quam Ecclesiæ plus fidei adhiberet, is Ethnicus & Publicanus, atq; à populo Dei extraneus iudicaretur.*

XII. Verum his omnibus longe modestior Canus; libr. 4 cap. 4. nihil aliud nisi ostensurum se pollicetur Ecclesiæ auctoritatem tantum habere ad faciendam fidem virium, vt firmissima, etiam Theologis argumenta suppeditet.

XIII. Atque ea esto Papistarum de Ecclesia opinio. Iam de Episcopo Romano. Hosius oratione 3. Theologica, sibi probandum proponit, quod ad Romanum Pontificem, quæstiones Fidei semper relatæ fuerint definiendæ. Carranza etiam 3. Controu. *Ponimus,* inquit, *tertium principium certum in eisdem, sententiam & definitionem Apostolicæ sedis; quæ nunquam visa est discordare à sententia Ecclesiæ Catholicæ.* In disputatione Ratisbonensi, vix precibus multis, auctoritate etiam Principum adducti Papistæ, tandem his verbis mentem suam conceperunt: *Iudex generalis, legitimus ordinarius omnium Controuersiarum, quæcunque possunt oriri in negotio Religionis, est Pontifex Romanus: siue solus definiat aliquid, siue definiat cum Concilio generali. Iste Iudex semper est infallibilis, quando ex Cathedra definit, vt Pontifex nulli errori obnoxius.*

XIV. Ex his omnibus disertam facilemque habemus quæstionis notationem: ex eaq; tres Controuersias emergentes. Primam: vtrum Scriptura sola sit regula fidei. Quod Catholici asserunt, negant Papistæ. Alteram: vtrum Ecclesiæ auctoritas summa sit, & vniuersalis Controuersiarum iudicãdarum regula. Quod Papistæ affirmant Catholici negant. Tertiam: an omnes de fide Controuersiæ referendæ sint ad Romanum Pontificem: quod rursus Papistæ affirmant: Catholici negant.

CAP. III.

De lucerna & lumine.

I. SVam de prima Quæstione sententiam affirmantem; sic probant Catholici: Si scriptura est lucerna pedibus fidelium: ergo est etiam regula religionis. At prius verum. Ergo & posterius.

II. Probatur antecedens. Psalmo centesimo decimo nono, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Petrus poster. epist. c. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco: donec dies eluescat, & lucifer oriatur in cordib. vestris.* Item Ps. 19. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos:* vbi illuminatio oculorum, quod proprium est lucernæ officium, tribuitur præcepto Dei.

III. Hos locos ad Scripturam pertinere; non est difficilis demonstratio. Nam primo, Petrus nominauit Propheticum sermonem. At is, saltem Petri tempore nullus erat, nisi scriptus. Nulli enim amplius extabant Prophetæ, qui audirentur viua voce prædicantes, vt olim: sed eorum legebantur in scriptis Prophetiæ in canonem relatæ. Iraq; Augustin. de tempore sermon. 237. *Ad lucernam Scripturæ ambulamus, sicut dicit Apostolus Petrus, Habemus certiorem Propheticum sermonem,* & quæ sequuntur. Nec aliter intellexere, Gagnæus, & Guillaudus, doctores Sorbonici: non Salmero Iesuita. *Quæ nunc Apostoli apud Iudæos fideles aut faciebant, aut dicebant,* (inquit explicans firmiorem) *non erant tantæ authoritatis, quantæ veteres Scripturæ* & post; quæstioni quid sit illud, *cui bene facitis attendentes. Respondemus,* inquit, *Iudæos conuersos Petrum alloqui, & commendare illis studium Propheticorum librorum.* Deniq; comparat cum illo Pauli 4. 1. ad Timoth. *Attende lectioni.* Caietan. *vniuersum præsentis vitæ statum, assimilat caligineso loco, egenti lucernæ lumine, quod est sacra Scriptura.* Adde Lorinum, *aptius Propheticæ Scriptqræ vocatur lucerna, omnisq; alia testamenti veteris.*

IV. Tum autem in Psal. 119. Verbum Dei non aliter interpretes accipiunt quam scriptum. Augustinus, *Quid est hoc verbum, quod ita lumen dicitur, vt lucerna sit?* (ait enim) *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis (nisi verbum intelligamus, quod factum est ad Prophetas, vel quod prædicatum est per Apostolos? non verbũ Christum, sed verbũ Christi: de quo scriptũ est; fides ex auditu: auditu autẽ per verbum Christi: nã & verbum Propheticum lucernæ cõparans Apostolus Petrus, Habemus, inquit, certiorẽ Propheticũ sermonẽ, cui bene facitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco. Quod itaque hic ait, lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis verbum est quod Scripturis sanctis omnibus continetur.* Theodoretus de lege dictum intelligit: ac proinde de Scriptura: erat enim lex Scripta. *Non enim,* inquit, *in tenebris ambulabo, veluti quadam lucerna, lege illustratus. Sciendum est legem lucernam nominari.* Nec aliter Cyprianus, siue aliquis alius est autor libri de Singularitate Clericorum. *Humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, nisi ipse lucernam legis offendat:* citatque statim hunc nostrum

ñostrum locum. Euthymius. *In nocte præsentis vitæ, atq; in affectuum nostrorũ tenebris, rectam nobis lex viam ad bene ac beate viuendum demonstrat: nec labi nos sinit in peccatum.* & mox, *illud etiam sciendum, quod lex Mosaica iuxta literam intellecta, lucerna ijs est, qui per illam virtutis semitam incedunt, quæ ad actiones pertinet*, imo & Bellarminus.

V. Remigius Augustinum imitatus, *quasi dicat* (inquit) *ideo odio habui viam iniquitatis; quia verbum tuum, non verbum Christus, sed verbum Christi ad Prophetas factum, per Apostolos prædicatum, quod continetur in omnibus Scripturis, est lucerna pedibus meis, id est affectionibus meis.* Dionysius à Rickel Carthusianus, *Lucerna pedibus meis verbum tuum: hoc est, sacra Scriptura est intellectui meo, atque affectui, & cunctis operibus meis, lucerna, qua illuminat me, ne ambulem in tenebris vitiorum.* Lombardus partim secutus Ambrosium exponit verbum Christum: partim vero post Augustinum, cui illud displicuit, Verbum Christi; id est Scripturas. *Vel*, inquit, *Verbum intelligitur, verbum omnis Sanctæ Scripturæ, quæ est nobis lucerna.* Francisc. de Puteo ex Cassiodoro, *In quo testatur beata cohors pedibus suis Verbum Dei, id est Scripturas Sanctas lucere.*

VI. Est ergo verum antecedens, quo referebantur loci recitati, non ad Verbum Dei generaliter, quo nomine, vt alias videbimus, Papistæ comprehendunt non scripturas tantum, sed etiam traditiones, sed specialiter & determinate ad verbum Dei scriptum, de quo nunc est quæstio. Nunc firmanda consequentia est, quæ ponit, si sit lucerna, esse etiam regulam; quæ nostra est Controuersia.

VII. Probatur ergo consequentia ab explicatione metaphoræ. Cum enim lucernam Propheta nominauit, & lumen: intellexit, quomodo noctu ne ruamus in præcipitia, solemus vti lucerna & lumine, vnde nobis ostendatur via recta, ac tuta: sic in hac vita, quam instituere debemus ex veræ religionis pręscripto, ne aberremus ab officio, admouendum esse verbum Dei, in scripturis comprehensum; eoq; diligenter attendendum.

VIII. Testes appello interpretes cum veteres tum recentiores. In Hebr. Dauid Kimhi. *Quemadmodum qui in tenebris ambulat, si ei lucerna affuerit, non offendit in itinere suo: sic ego non offendam in operibus meis, & via mea: quia verba tua sunt tanquam lucerna coram me, & illuminant me ne peccẽ.* Hieronym. si tamen Hieronym. & non Beda potius. *Si in huius seculi noctibus in nobis verbi Dei luceat lumen, non incident pedes nostri in laqueos funiũ, ac præcipitia fouearum, quæ manus artis Diabolicæ in nostris offendiculis præparãt*, Hilarius. *Vt quis nocte egressus lucernam ante fert: & quo pedem inferat, intuetur, atq; ad singulos gressus lumine præcute sollicitus est: ita vnus quisq; nostrũm manens*, (an potius, habens: nam a ijs luxatus erit locus) *in se verbum Dei in omnes operum processus tanquam lucernam prætendit.* Guillandus in 2. Petri, *vt illa* lucerna *posita in obscuro loco, viam aperit transeuntibus, ne impingant, & tenebræ euadant: ita Scriptura attenta & fideli mente lecta, lectoribus ne vsquam offendant, quod à veritate abducat, viam veritatis aperit, & è senticosis hæreticorum diuerticulis auertit.* Ianssen. in Psalm. illum, *In præsentis vitæ tenebris, atq; in affectuum nostrorum nocte, verba legis tuæ rectam mihi virtutis viam commonstrant, ne deuiem, impingam, & cadam, quemadmodum contingit iis qui in tenebris illis sine lucerna legis tuæ ambulant, secundum præscriptum legis tuæ non viuentes*, Bellarm. *lex homini vera bona, ac vera mala demonstrat: ideo qui eam sequuntur, non errant, neque cæcutiunt: sed recto tramite ad patriam cœlestem iter faciunt.*

IX. Hæc sunt manifesta. Nam si Scriptura Sacra præit, siue viam ostendit, tanquam lucerna, tum intellectui, tum affectui nostro; quod illi dicebant quos citauimus in probatione antecedentis: si efficit ne incidant pedes nostri in laqueos Diaboli, neve vsquam offendant; aut à veritate abducantur, quod hi postremo citati dixere: tum profecto necesse est, esse normam ac regulam: vnde Genebrardus in illum locum Psalmi 119. *Verbum Dei est lux, lucerna, lumen: quoniam ad Deum dirigit in agendis, credendis, sperandis, amandis: & ducatum præstat, ne vspiam offendamus, & labamur in vita huius tenebris: neve aberremus ab ea via quæ ducit ad beatam vitam: est enim fidei & vitæ regula, monstrans viam in tenebris mundi ad vitam æternam.*

X. Est igitur regula: sed & perfecta, non partialis. Primo, quia alioquin nõ lucerna. Hęc enim pedes illuminat; non alterum pedem duntaxat. Tum autem Propheta appellat lumen semitis: non vero vni semitæ; deniq;, quicquid nobis ad religionem necessarium est, continetur in credendis, & agendis: quod si ex Genebrardo addas speranda, & amanda; quid supererit? Adde, si esset duntaxat partialis regula: ergo non posset obstare, quominus aliquando offenderemus, impingeremus, peccaremus: in illis saltem ad quæ sese illa nõ extenderet: non posset, inquam, efficere, quominus aberraremus aliquando ab ea via quæ ducit ad beatam vitam.

XI. Lorinus ad eum locum Psalmi 119. de Scripturis dici obseruat, quoniam cum fuerint intellectæ, illustrent mentem: vehemens arcanum, & dignum subtilitatis Iesuiticæ laboribus: quum fuerint intellectæ, quasi traditio id habeat præ Scripturis, vt etiam non intellecta illustret. Atqui Scriptura non intellecta non est verbum Dei: quid igitur hac opus erat circumscriptione? Deinde, illustrent mentem: quid hoc est? nam Propheta nõ mentem dixit, sed pedes, sed semitas: atqui ita significatur non intellectus tãtum, sed etiam voluntas: vt cumulatior longe textus sit, quam Iesuiticus commentarius.

CAP. IV.

Non deflectendum à Scriptura.

I. SI à Scriptura fideles deflectere vetantur, siue ad dextram, siue ad sinistram: ergo Scriptura est regula perfecta fidelium, at prius verum: ergo & posterius.

II. Probatur consequentia: quia non deflectere ad dextram aut sinistram, phrasis est Scripturæ; significans aliquid exactissime sequendum, vt nunquam inde vel tantillum recedatur. Metaphora sumta vel à via, vel à regula: vt fit manifestum ex his locis. Numeror. 20. *Gradiemur via publica, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes.* Et 22. *Ad locum angustum, vbi nec ad dextram, nec ad sinistram poterat deuiari.* Deuteron. 17. cum de iudicum auctoritate sermo esset: *Sequeris quæ sententiam eorum: nec declinabis ad dextram, neq; ad sinistram.* Vatablus in annotationibus Bibliorum Roberti Stephani, ad 1. cap. Iosuæ, hanc phrasin ita exponit, *ire ad dextram est, addere Verbo Dei: ire ad sinistram detrahere:* quod quia facit ad Scripturæ laudem, non latuit Cardinalem Quirogam; quin notaret in Indice suo Purgatorio; & expungi iuberet.

III. Probatur nunc antecedens. Deuteron. 5. *Custodite igitur, & facite quæ præcipit Dominus Deus vobis: non declinabitis neq; ad dextram neq; ad sinistram:* Et 17. de rege constituendo, *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteron. legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuitica tribus, & habebit secum: leget q; illud omnibus diebus vitæ suæ.* Et post pauca, *Neq; declinet in partem dextram, vel sinistram.* Vbi tamen corrigenda Latina versio, quæ Deuteronomium dixit, imitata Græcam editionem; pro exemplari. Est n. Hebraice משנה: pro qua voce Chaldæus Paraphrastes habet צתמגן, quam Elias Leuita explicat בתב חדת, scripturam nouam. Boderianus, exemplar alicuius scripturæ. Munsterus, copiam. Ideoque Tremellius, & Vatablus reddunt, exemplar. Arias, duplum. Castellio liberius, *Eamque legem sibi in libro describito.* Abben Ezra dixit נסחה שנית codicem alterum. Et Iudęi docent ex hoc loco teneri regem sua manu sibi legem describere; etiamsi alias, cum priuatus esset, descripsisset. Vide Fagium in Targum: & Dauid de Pomis in Lexico ad מלבא. Quamquam alias Hebræi per משנה תורה non raro Deuteronomium intelligant.

IV. Redeo ad rem. Deuter. 28. *Constituet te Dominus Deus tuus in caput, & non in caudam: & eris semper supra & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris: ac nõ declinaueris ab eis, nec ad dextram, nec ad sinistram.* Ios. 1 *Confortare igitur, & esto robustus valde, vt custodias & facias õem legẽ, quã præcepit tibi Moses seruus meus: ne declines ab ea ad dextrã, vel ad sinistrã.* Et 23. *Tantũ cõfortamini, & estote solliciti vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Mosis: & non declinetis ab eis, neq; ad dextram, neq; sinistram.*

V. Hæc diserta sunt. Et ne nobis aut solis aut primis in mentem venisse calumnientur hoc argumentum, Cyprianus Epistola 74. ex iis locis similiter concludebat, nihil admittendum, quod non esset scriptum. *Vnde est* (inquiebat) *ista traditio? vtrum ne de Dominica, & Euangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque Epistolis veniens? ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur, & proponit ad Iesum Naue, dicens, Non recedat liber legis huius ex ore tuo: sed meditaberis in eo die ac nocte, vt obseruet facere quæ scripta sunt in eo.* Quæ verba proxime sequuntur ea quæ nos recitauimus.

CAP. V.

De Ecclesiæ Sapientia.

I. SI Scriptura est Ecclesiæ sapientia, & intellectus: ergo est etiam Ecclesiæ norma. At verum prius. Ergo & posterius.

II. Probatur antecedens. Deuter. 4. *Et obseruabitis & implebitis opere. Hæc est n. vestra sapientia, & intellectus coram populis: vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant: En populus sapiens, & intelligens. Gens magna.* Sic Moses. Nec est opus vt probemus agi de Scriptura. Cum enim loquatur de lege, quam scripto tradiderat; non debet illud verti in dubium.

III. Consequentia patet ex ipsa phrasi. Diserte enim Moses, hanc esse Iudæorum, id est, Ecclesiæ (nam Iudæi tunc Ecclesia) sapientiam, per quam differunt à gentibus: significans hanc non aliam aliquam esse, qua vere prudentes doctique esse possent: cum reliqui populi versarentur in imprudentia, & imperitia. Est autem certum, nullam esse aut sapientiam, aut intelligentiam, nisi eius, qui singula ad suam normam norit aptare, & vere iustum gemina suspendere lance, Ancipitis libræ: rectum discernit, vbi inter Curua subit: vel cum fallit pede regula vario: & potis est vitio nigrum præfigere theta. Δεῖ γὰρ τὸν σοφὸν μὴ μόνον τὰ ὲκ τῶν ἀρχῶν εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν. Verba Philosophi, Ethic. Eudemicor. lib. 5. c. 7. *Sapientiam oportet non tantum quæ à principiis deducuntur cognita habere: verum etiam in ipsis principiis non falli.*

IV. Itaque Lyranus hunc locum optime explicat: intellectum referens ad notitiam principiorum, de quorum veritate nulla sit hæsitatio. Præstat ipsum audire. *Lex diuina vocatur intellectus, quia eius veritas est certissima, certitudine adhæsionis: licet non certitudine euidentiæ. Item, sicut ea quæ manifestissime sequuntur ex principiis per se notis, absq; hæsitatione tenentur, tanquam per se vera: quæ autem repugnant, repudiantur tanquam falsa: sic ea quæ sequuntur ex diuina lege, debent tanquam vera approbari, & quæ repugnant, tanquam falsa repudiari.* Itaq; sensus erit Mosis, ex Lyrani mente, eos qui scientiam legis adepti fuerint, habere in se quendam habitum ex veris certisq; fidei principijs, omnia iudicandi, cum bona tum mala: cum vera tũ falsa. Quod fieri non posset, nisi constituatur lex ipsa, pro principiorum quodam quasi contextu.

V. Eo pertinet Vatablus, in Biblijs maioribus Roberti. *Sapientiam vocat, qui ea norit quæ fidei sunt & religionis erga Deum: & iuris ac charitatis erga proximum. Intelligentem vero, siue prudentem, qui in vtrisque acutus, prudens, & cautus sit, vt recte in his incedat, & nulla fallacia seducatur.* Adeo vt ex lege habeatur non tantum indefinita quædam officij notitia: tum in Deum, tum in proximos, sed etiam accuratissima, & exactissima. Quis ergo iam neget confici, legem, id est, Sacram Scripturam, esse regulam: esse etiam summum iudicem (non enim possunt hæc separari) Controuersiarum? Certe enim Controuersiæ nullæ sunt, nisi ad discernenda à falsis vera.

Cap. VI.

Scripturam docere αὐθεντικῶς.

I. QVicquid docet certo & αὐθεντικῶς rectum ab obliquo discernere in causis religiosis, id ipsum est Canon, siue regula omnium Controuersiarum fidei. At Scriptura Sacra docet certo & αὐθεντικῶς discernere rectum ab obliquo in causis religionis. Ergo Scriptura Sancta est Canon, seu regula omnium Controuersiarum Fidei.

II. Maior à se ipsa lumen habet. Est enim à Canonis natura, quam norunt omnes esse primo ἀδιάψευστον; vt neque in ea vllus error sit, neq; quenquam legitime vtentem inducat in errorem. Deinde αὐθεντικὴν: vt à se eam vim habeat, & quidem semper. Nam alias possent quædam proferri, quibus ex certa suppositione, certis etiam circumstantijs, hic discernendi vsus conuenire queat. Sic nos vtimur sæpe Patrum Scriptis, in enucleandis Fidei Cõtrouersijs; quibus tamen nec velimus, nec possimus tribuere Canonis nomen: & hæc mens fuit Augustini, disparantis Scripta Canonica, à reliquis quibuscunque: quod istis non sit necessarium consentire, tanquam absq; exceptione veris: aut etiam à se: sed quantum vel Canonicis consentiunt; vel rationibus probant, quod asserunt.

III. Firmatur minor. Ad Romanos 2. Ἴδε, σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ, καὶ καυχᾶσαι ἐν τῷ Θεῷ, καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα. Quem locum ita vetus interpres Latinum fecit. *Si autem tu Iudæus cognominaris, requiescis in lege, & gloriaris in Deo; & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per legem.* At Beza, *Ecce tu cognominaris Iudæus, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo: & nosti voluntatem eius: & exploras quæ discrepant, institutus ex lege.* Et, vt videtur, melius. Vt enim omittam, Si, pro *ecce*, quod accidere potuit exemplaris vitio habentis εἰ δὲ pro ἴδε: quanquam facile erat videre paulo attentiori, quanto hoc quam illud aptius legatur, in multo maxima exemplarium parte, alias hiante constructione, vt vt Latino consentiat Syrus, scribens אן דין אנת: quod tamen in editione Ariæ Montani redditur, *Et vero tu*: non *Si tu*, vt apud Tremellium, & Boderianum: vt hoc, inquam, missum faciam, certe, illud *probas*, ambiguum, vel examinas vel approbas: sed hoc non ad mentem Pauli: vnde Syrus ܘܦܪܫ *& discernis*: quod Beza expressit *exploras*. Iam τὰ διαφέροντα nolim ego quidem negare sumi pro vtilibus, vt voluit & Syrus, nec pauci Græci: item pro eximijs; quod Erasmo ac Caietano magis placuit. Sed vicissim certum propriam significationem esse discrepantiæ: quam Beza maluit; propter τὸ δοκιμάζειν.

IV. Quanquam hæc quæcunque versionum diuersitas nihil aut confert aut detrahit argumento. Nam ex Beza sensus erit: Iudæum: quidni autem etiam alium? imo, quidni multo magis Christianum? sed Iudæum tamen fretum ea institutione quam imbibit ex lege: imo qua imbibit legem: hoc est, Scripturas, primo nosse voluntatem Dei, deinde discernere quæcunque ab ea discrepant. Ex veteri axiomate rectum esse indicem sui & obliqui. Sic Theodoretus, *& probas vtiliora: pro eo quod est, dignoscis quæ inter se sunt contraria: iustitiam & iniustitiam: temperantiam & intemperantiam: pietatem & impietatem.* Vbi manifestum, τὰ διαφέροντα fuisse Theodoreto, discrepantia, vt & Bezæ: quamuis, qui ea commentaria in Latinum vertit Gentianus Heruetus, noluerit discedere à vulgari editione.

V. Accedit Chrysostomus homilia 8. in poster. ad Timoth. καὶ τὰ πρακτέα ὑποτίθενται αἱ γραφαί, καὶ τὰ μὴ πρακτέα *& agenda suggerunt Scripturæ, & quæ non.* Rursus homilia 9. εἴ τι μαθεῖν, εἰ ἀγνοῆσαι χρή, ἐκεῖθεν εἰσόμεθα, εἰ ἐλέγξαι τὰ ψευδῆ, καὶ τοῦτο ἐκεῖθεν, εἰ ἐπανορθωθῆναι, καὶ σωφρονισθῆναι. *Si quid discendum, aut ignorandum sit: inde sciemus: si confutanda falsa, etiam inde: & si quid corrigendum ac castigandum.* Et hoc quis neget esse Canonis officium?

VI. Nec ab eo sensu discedunt, qui vtilia vertunt. Debet enim vtilitas intelligi, non quælibet, sed quæ conducat ad salutem. Nec vero probari, id est explorari possunt vtilia, vel potius vtiliora (sic enim melius: neque enim τὸ διαφέρον potest simpliciter vtile significare, sed cum comparatione: vt ex multis datis, vnum præferatur, reliquis posthabitis) nisi discriminis ratio habeatur neq; hæc haberi ex lege, nisi hoc posito fundamento, vtilia esse quæ congruant cum lege, id est, voluntate diuina: noxia vero, siue inutilia, quæ ab eadem discrepent, Oecumenius ab his partibus, ἡ γὰρ τοῦ νόμου κατήχησις, ὁ δὲ τῶν συμφερόντων ἀκριβῆ δοκιμασίαν ἐκδιδάξαι. *Nouit institutio ex lege exactam docere vtilium explorationem.* At id qui potest, si non sit in ipsa lege, id est, Scriptura, Canon exactissimus?

VII. Nam, quod vnum superest in argumento, τὸ αὐθεντικῶς, expectat-ne aliquis vt demonstrẽ? atqui ipsa legis appellatio sufficit: quæ in nullam rem cadere potest, quæ non sit authentica, & qualibet exceptione maior. Neque enim quæ in lege aut præcipiuntur aut vetantur, cuiusquam permittũtur arbitrio, faciat-ne an secus; sed habent necessitatem. Ideoq; infinitis locis Scriptura exigit obedientiam legi præstandam. Et Paulus ad Rom. 8. cum negat carnis affectionem subijci posse legi Dei, hoc ipso ostendit ei legi eam subiectionem deberi.

VIII. Sed de Scriptura in vniuersum Augustinus de Baptismo contra Donatistas libr. 2. cap. 3. negat omnino dubitari & disceptari posse, vtrum verum, rectumve sit, quicquid in ea scriptum esse comperitur. Et de ciuitate Dei libr. 11. cap. 3. eam asserit esse eminentissimæ authoritatis. Alibi etiam, ei seruiendum ab omni fideli, & pio intellectu. Epiphanius hæresi 78. εἰ μὲν γὰρ ἔλεγεν ἡ γραφή, ἀπεδιδόαμεν ἂν τὴν ἀλήθειαν καὶ οὐδὲν διενοούμεθα. *Si scriptura dixisset, veritatem vtiq; ei assignaremus, neque deliberandi tempus sumsissemus.*

Cap. VII.

De forma cognitionis & veritatis.

I. SI in Scriptura est forma cognitionis & veritatis: ergo & regula omnium Controuersiarum de fide. At verum antecedens. Ergo & consequens.

II. Probatur antecedens ex eodem capite ad Romanos 2. cum inter prærogatiuas Iudæi, vltimo loco Paulus hanc numerat: ἔχοντα τὴν μόρφωσιν, τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ: *Habentem formam scientiæ, & veritatis in lege.*

III. Verum hanc μόρφωσιν, siue formam, non exposuerunt omnes eodem modo. Oecumenius. ἐπίπλαστον εἰκόνα: vt sit sensus, Iudæos magnifice efferri ob veritatis quandam personam: δηλῶν, inquit, ὅτι οὐκ αὐτὴν ἀληθῆ γνῶσιν καὶ εὐσέβειαν ἀλλὰ ἐπίπλαστον εἰκόνα τινα, σχῆμα μὲν ἔχουσαν ἀληθείας, οὐκ οὖσαν δέ. *significans eos non habere veram cognitionem, & pietatem: sed personatam imaginem, quæ quidem figuram gereret veritatis: nihil autem esset minus:* & hunc sensum inter recentiores amplexus est Dominicus à Soto, *formam scilicet* (inquit) non rem.

IV. Sed non quadrat hic sensus. Primo, quia non simpliciter dixit Apostolus, Iudæum habere formam cognitionis & veritatis: tum enim posset ferri: fortasse etiam necessarius esset. At dixit habere in lege. Quod Chrysostom. expendit, οὐκ εἶπε πάλιν ἐν τῷ συνειδότι, καὶ ἐν τοῖς κατορθώμασιν, ἀλλ' ἐν τῷ νόμῳ, *non dixit iterum in conscientia, aut in bonis operibus: verum in lege.* Quis autẽ ausit dicere haberi in lege spectrum veritatis? Secundo, totus est adhuc Apostolus in enumerandis Iudæorum prærogatiuis, ob quas illi sibi blandiebãtur, atq; adeo efferebantur, tanquam feliciores multo reliquis gentibus, & prærogatiuis illis quidem non falsis, sed veris: postea deuenturus ad eos arguendos, quod ijs prærogatiuis sese præstarent indignos: quod statim exsequitur. *Qui igitur doces alium, te ipsum non doces?* & quæ sequũtur & ita Thomas. *Primo, ostendit prærogatiuam Iudæorum, quantum ad legis susceptionem. Secundo ponit eorum defectum, quantum ad legis transgressionem: ibi, qui ergo alium doces,* Lombardus etiam; *& qui hæc omnia habeas, ô Iudæe, qui alium doces, cur te ipsum non doces?* Quomodo autem hæc inter se congruerent? nã si dixisset Paulus eos personam tantum habere veritatis: non sane priuilegium vllum dixisset: sed iam seriam reprehensionem inchoasset.

V. Itaque alia verior est interpretatio eorum, qui formam illam in ipsa lege constitui animaduertentes, exponunt, ideo Iudæos magnificis verbis polliceri se duces cæcorum, eruditores insipientium, lucem eorum qui sunt in tenebris, magistros infantium: quod legem haberent, in qua esset forma illa cognitionis & veritatis, qua qui destituebantur, erant & cæci, & in tenebris, & insipientes, & infantes. Ac proinde indigebant magistris; à quib. iuxta eam formam instituerentur. Quæ causa fuit Bezæ non tantum vt μόρφωσιν, informationem, diceret, ad vitandam formę ambiguitatem: sed etiam vt ἔχοντα, resolueret in *quod habeas*: ita locum interpretatus, *quod habeas informationem cognitionis & veritatis in lege.*

VI. Et hanc amplectitur interpretum pars maior. Origenes. *Confidunt, quod eruditores sint insipientium, & magistri infantium, tanquam qui ex legis litera formam scientiæ & veritatis acceperunt.* Ambrosius. *Vera sunt hæc: quia legis documentum hoc est erudire imperitos, & Deo subijcere prophanos, vel per idololatriæ culturam impios. Promissio namq; facta per legem est, ad melioris spei fiduciam prouocare. Recte ergo gloriatur in his legis. Doctor, quia formam tradit veritatis.* Nec aliter Chrysostomus, Theophylactus, atque alij. Ambrosius. *Recte ergo gloriatur in his legis Doctor, quia formam tradit veritatis.*

VII. Ex recentioribus. Aquinas. *Tertij sunt, qui iam sunt in scientia prouecti. Et isti indigent à sapientibus informari, vt habeant sapientum dicta in auctoritate, quasi quandam regulam seu formam. Et quantum ad hoc dicit habentem formam scientiæ. Secundæ ad Timot. 1. formam habes bonorum verborum, quæ à me audiuisti.* Caietanus. *Hoc est habentem rationem formandi alios secundum notitiam legis, & secundum verum sensum legis.* Toletus. *Formam scientiæ & veritatis id est, regulam agendorum & credendorum in lege ipsa, & Scriptura habes.* Iustinianus Iesuita, *Græce μόρφωσιν, veluti formandi rationem; perinde quasi profiteantur Iudæi callere se veram fidei tradendæ rationem.*

VIII. Hæc cum ita sint, iam non difficile est consequentiæ necessitatem aduertere. Nam si forma est ratio informandi, tum non potest non significare, aut certe inferre regulam hanc ipsam de qua disputamus: vnde etiam Aquinas vtramque nominauit, & regulam & formam. Quinetiã Theodoretus ad ea verba Pauli sic annotauit, *Eorum n. omniũ characteres tibi diuina lex attulit.* Auctor etiam eorum Comment. qui & Hieronymo tribuuntur & Primasio. *Habes*, inquit, *formam ad quam semper respiciens errare non possis.* Quæ verba incidunt cum verbis Psal. 119 *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

IX. Est ergo Scriptura regula religionis: & quidem perfecta: alias errare contingeret aliquando etiam eos, qui ad eam diligentissime respicerent: quod tamen illi negant.

Cap. VIII.

De typo Doctrinæ.

I. QVæcunque doctrina tradita fuit fidelibus ab initio, ea est τύπος διδαχῆς. At doctrina scripta in libris sacris, tradita fuit ab initio fidelib. Ergo, doctrina scripta in libris sacris, est τύπος διδαχῆς, id est, forma doctrinæ & si forma, ergo regula. Nam etiam τύπος regulam significat. Glossarium vetus τύπος *formula, forma, norma.*

II. Probatur maior, ex Paulo ad Roman. 6. χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. *Gratia Deo, quod fuistis quidem serui peccati: sed ex corde obedistis ei formæ doctrinæ, in quam estis traditi.* Sensus est manifestus nempe Romanos ita abductos esse à priori

conuer-

Cõnuersatione, v. tra 'erentur vni alicui doctrinæ, cuius certa esset forma & ratio.

III. Probatur minor: tum ex Paulo, qui Actor. 26. protestatur se nihil docuisse, extra ea quæ Moses & Prophetæ dixerant futura: tum ex Irenæo, qui libro tertio asserit idipsum Euangelium, quod prius viua voce fuit præconiatum, postea fuisse scriptis mandatum, & quidem vt esset fundamẽtum nostræ fidei. Sed de hoc capite plenius agetur in Controuersia de Perfectione Scripturæ.

Cap. IX.

Omnia confirmanda testimoniis Scripturæ.

I. SI quæ docentur in Ecclesia, omnia confirmanda sunt Scripturæ testimoniis: ergo Scripturæ sunt siue regula, siue principium fidei. At prius verum: ergo & posterius. Consequentia per se patet: quia id solet esse officiũ regulæ, & principij. Sic Iurisconsulti erubescunt sine lege loqui: sic Philosophi omnia reducunt ad suarum scientiarum principia.

II. Probatur antecedens: primo ex 8. c. Esaiæ, *Ad legem, & ad testimonium, quod si non dixerint iuxta verbum hoc; non erit eis matutina lux.* In quem locum Hieronymus ita annotat, *Si vultis nosse quæ dubia sunt, magis vos legi & testimoniis tradite Scripturarum.* Vnde facil: eruitur Prophetæ sensus. Nimirum, quia solebant in rebus obscurioribus, & difficiliorib. Ethnici accurrere ad Pythones, diuinos, & incantatores, vt earum solutionẽ acciperent, præcipit suis Deus, vt conferant se potius ad legem, id est, ad Scripturas; cum hac interminatione, futurum vt nulla sit lux illis qui ea dubia non soluent ex præscripto earum.

III. Itaque nihil aliud quam puluerem iniiciunt oculis Hayus, & Iesuitæ in Colloquio Ratisbonensi: qui hoc loco eos tantum reprehendi asserunt, qui irent ad augures & Pythonissas: docerique veritatem esse potius exquirendam à viuis quam à mortuis: ideo autem remitti ad legem, quia ab ea prohibeatur tale aliquid facere. Sic enim solenne est Iesuitis, quum premuntur aliquo testimonio, nouas & longe petitas interpretationes in medium proferre: quarum sola audacia aduersarios & terreant, & fatigent.

IV. Porro verum est eos reprehendi, qui irent ad augures: sed præterea etiam verum est ostendi quo potius abeundum sit, nimirum ad legem & testimonium, hoc est, ad Scripturam. Falsum vero doceri veritatem inquirendam à viuis potius quam à mortuis, sed ostendi potius absurditatem eorum, qui mortuos consulant pro viuis. Quanquam etsi hoc verum esset, nihil ad nos. Nam si consulendi essent viui magis quam mortui, tamen illis viuis loquendum esset iuxta legem: quod nunc vrgemus.

V. Amandari autem ad legem, quæ prohibeat adire diuinos: frigidius multo dictum est, quam vt satisfiat Hieronymo; qui, eos qui nosse volent quæ dubia sunt; hoc est, sibi enodari difficilia, quæ Ethnici ad suos Pythones tanquam hodie ad suos Pontifices Papistæ, decidenda referebant; vult se ipsos tradere legi, & testimoniis Scripturarum. Atque ita frustra nobis locum conantur eripere.

VI. Sed deinde probatur Antecedens frequentibus Patrum testimonijs. Origenes in Matth. tract. 25. *Debemus ergo ad testimonium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem quem exponimus sensum.* Et in Epist. ad Rom. c. 3 *Posthac vero, vt ei* (Paulo) *moris est, de Scripturis Sanctis vult affirmare quod dixerat, simul & Doctoribus Ecclesiæ præbens exemplum, vt ea quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumpta sententiis, sed diuinis munita testimoniis proferant. Si enim ipse, tantus ac talis Apostolus, auctoritatem dictorum suorum sufficere posse non credidit, nisi doceat in lege & Prophetis scripta esse quæ dicit: quanto magis nos minimi hoc obseruare debemus, vt non nostras, cum docemus, sed Spiritus sancti sententias proferamus?*

VII. Basilius in Ethicis definit. 26. Δεῖ πᾶν ῥῆμα ἢ πρᾶγμα πιστοῦσθαι τῇ μαρτυρίᾳ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς εἰς πληροφορίαν μὲν τῶν ἀγαθῶν ἐντροπὴν δὲ τῶν πονηρῶν *Oportet, quicquid dicitur, quicquid fit, confirmari testimonio Scripturæ diuinitus inspiratæ, cum ad certam bonorum persuasionem, tum ad improborum redargutionem.*

VIII. Chrysostomus in Psalm. 95. *Non oportet quicquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione. Nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem, vt friuolum auersans, interdum vt probabilẽ recipiens: verum vbi è Scriptura diuinæ vocis prodijt testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Atq; hoc loco obseruanda est Bellarmini vafrities, qui de Verbo Dei lib. 4. c. 11 horum verborum sensum vult esse, vt si quid dicatur ex propria inuentione, non ita facile persuadeatur, atque fieret, si quod dicitur, Scripturæ testimonio confirmari posset.

IX. Quasi non sint diserta verba, *non oportet quicquam dicere sine testibus:* quibus non aliquid significatur in medio constitutum, atque in arbitrio cuiusque, vt vel faciat, vel negligat: sed officium, cui omnes alligantur, qui in Ecclesia docere volunt. Deinde, cum claudicare dicit auditorum animos, tum cum nulla proferuntur testimonia: eaque recipere quæ audit, saltem vt probabilia: nonne ostendit nulli rei certo fidem fieri posse sine Scripturis? Ergo erunt Chrysostomo Scripturæ principia, vnde confirmentur singula.

X. Cyrillus Hierosolymitanus, illuminatorum catechesi 4. Δεῖ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν: μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι. μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν, ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας, ἀλλὰ ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν. *Oportet ne minimum quidem aliquid tradere de sanctis & diuinis fidei mysteriis absq; diuinis Scripturis, aut moueri probabilib. sermonum compositionibus. Ac ne mihi quidem ipsi hæc dicenti fidem adhibeto, nisi acceptæ eorum quæ proponuntur demonstratione è Sacris petita Scripturis. Hæc enim ratio est conseruandæ fidei nostræ, non quæ ducitur ex ingenioso acumine, sed ex demonstratione diuinarum Scripturarum.*

XI. Rufinus in expositione Symboli; post enumeratos Scripturæ libros; *Hæc sunt* (inquit) *quæ Patres intra Canonem concluserunt, ex quib. fidei nostræ assertiones constare voluerunt.* Lyranus prolog. 1. in Biblia, de lib. Canon. *Sicut in Philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota ita & in Scripturis à Sanctis doctoribus traditis veritas cognoscitur, quatenus ad ea quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ sunt habitæ diuina reuelatione, cui nullo modo potest falsum subesse.*

Cap. X.

De Demonstrationibus è Scriptura.

I. SI ex Scriptura demonstrationes oriuntur dogmatum fidei: ergo ea est regula fidei. At certum est è Scriptura oriri eas demonstrationes: ergo etiam certum est, eam esse regulam fidei.

II. Probatur consequentia; quia in hoc sermone idem est regula & principium. Iam vero ἀνάγκη (inquit Aristoteles cap. 2. posterior. 1.) τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην ἐξ ἀληθῶν τ' εἶναι καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων, καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων, καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος. Hoc est, interprete Boethio: *necesse est demonstratiuam scientiam, ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus & prioribus, causisque conclusionis:* & cap. 6. ἔστιν ἡ ἀποδεικτικὴ ἐπιστήμη ἐξ ἀναγκαίων ἀρχῶν. *Demõstratiua scientia est ex necessariis principiis.* Vnde & c. 2. ἐκ πρώτων δ' ἐστὶ τὸ ἐξ ἀρχῶν οἰκείων, ex primis illud est, quod est ex proprijs principijs: nimirum vt explicaret quod in primo dixerat demonstrationem esse ex primis.

III. Hæc manifesta sunt. Nam si nulla demonstratio non est ex principiis: sit autem eorum quæ in Ecclesia docentur, demonstratio ex Scriptura: nemini iam negare licet, Scripturam esse principium eorum quæ docentur in Ecclesia: ideoq; & regulam, & iudicem summum.

IV. Restat ergo probandum antecedens. Id fit ex infinitis veterũ Theologorum Græcorum locis, qui τὴν ἀπόδειξιν nominarunt probationem ex Scriptura Clemẽs Stromat. 7. ἀποδείξεως οὔσης εἰ ἀνάγκη συγκαταβαίνειν εἰς τὰς ζητήσεις, καὶ δι' αὐτῶν τῶν γραφῶν ἐκμανθάνειν ἀποδεικτικῶς. *Si conceditur est aliqua demõstratio, deueniendum erit ad inquisitiones & per ipsas Scripturas demõstratiue discendum.* Et paulo post, οἱ πονεῖν ἕτοιμοι ἐπὶ τοῖς καλλίστοις, οὐ πρότερον ἀποστήσονται ζητοῦντες τὴν ἀλήθειαν, πρὶν ἂν τὴν ἀπόδειξιν ἀπ' αὐτῶν λάβωσι τῶν γραφῶν. *Qui libenter in rebus præclaris laborem impendunt, non prius absistent ab inuestigãda veritate, quam ab ipsis Scripturis demonstrationem eruerint.*

V. Basilius contra Eunom. lib. 2. πρῶτον τοίνυν ἐκεῖνο δεικνύτω, τίνες τῶν ἁγίων γέννημα καὶ ποίημα τὸν χριστὸν προσειρήκασι, καὶ ποίας ἔχει φωνὰς τῶν γραφῶν εἰς ἀπόδειξιν. *Primum ostendat, quinam ex Sanctis Christum appellarunt genitum & factum quippiam, & quas habeat Scripturæ voces ad hoc demonstrandum idoneas.* Præclare, ostendit n. non sufficere si quid ostendamus à Patrib. olim vsurpatum etiam Sanctis; nisi addamus è Scripturis demonstrationes, quibus probemus ea recte fuisse vsurpata.

VI. Gregor. Nazianz. contra Iulianum orat. 1. βούλεται γὰρ ἡμῖν ὁ λόγος, μὴ ἐξεῖναι διαπιστεῖν, τοῖς ὑπὸ τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν εἰρημένοις. ἀλλὰ ἀπόδειξιν εἶναι τοῦ λόγου, τὸ ἐκείνων ἀξιόπιστον πάσης δυνάμεως λογικῆς καὶ ἀντιλογικῆς ἰσχυρότερον. *Is orationis nostræ scopus est, non licere fidem abrogare iis quæ dicta sunt à viris Deo plenis: sed esse eorum quæ dicuntur demonstrationem, eorum authoritatem fide dignam; multo efficaciorem potentioremq;, qualibet vi logica, quæq; in contradictione versetur.* Quę verba Billius annotat esse intelligenda de vtriusq; testamenti autoritate, maiori quauis ratione.

VII. Theodoretus (nam ei à Photio tribuitur id opus contra varias hæreses; quod editum est cum operib. Athanasij tom. 2.) cum dixisset eos qui vetant ex Scripturis inquisitiones fieri (qui germanissimus est nostrorum Papistarum fœtus) hoc ipso testari se suo dogmati non satis fidere: contra Catholicorum geniũ his verbis exprimit, ἀλλ' ἡμεῖς θαρροῦντες τῇ ἀληθείᾳ τοῦ μυστηρίου, καὶ τῇ βοηθείᾳ τοῦ ἀψευδοῦς, εἰπόντος, πᾶς ὁ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ ζητοῦμεν ὡς δεῖ, καὶ εὑρίσκομεν ἃ δεῖ, καὶ μετ' ἀποδείξεως λέγομεν, *Nos autem confisi ipsa veritate mysterij, auxilioque eius qui mentiri non potest, dicentis, Quicunque quærit, inueniet: & quærimus vt oportet, & inuenimus quæ oportet, eaque proferimus cum demonstratione.*

VIII. Potest horum locorum numerus augeri: sed ex multis sufficiãt pauci: dum addiderimus Clementis, quem primo nominauimus, insigne, notatuq; dignissimum apophthegma eod. stromat lib. οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν: ἀλλὰ τῇ τοῦ κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον, ἣ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα: μᾶλλον δὲ ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει. *Non moramur ab homine testimonium: sed quæstionem confirmamus diuina voce: quæ omnium demonstrationum certissima: imo vero sola demonstratio existit.*

IX. Magnum est horum pondus verborum. Hominibus testimonium tribuitur duntaxat: Verbo autem Dei demonstratio. Vt sciamus, & ex nullius hominis voce exspectandam esse demonstrationem, hoc est dogmatum fidei certissimam & ἀνενδοίαστον probationem. Et non esse de gradu suo deturbandam Scripturam, vt ei nihil aliud tribuamus, quam quod hominibus, nempe testimonij vim. Nam etsi verum sit, Scripturas esse testes, vt Christus dicebat, Scripturas de se testari, quinto Ioannis: & Paulus 3. ad Rom. iustitiam Dei comprobari testimonio legis & Prophetarum: tamen huic testimonio vis inest demonstrandi, quæ alij nunquam testimonio accidit.

X. Deinde omnium certissima dicitur demonstratio ex Scripturis. Quia enim varij sunt demonstrationum gradus: vnum ἀπὸ τῶν ἀμέσων, vt loquitur Aristoteles; id est, ex eis axiomatis, quæ primo & per se nota sunt, adeo vt nõ egeant ipsa demonstratione, hoc est, ἐκ πρώτων ἀναποδείκτων. Alius ἐκ τοιούτων, ἃ διά τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν, τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφε: ex iis, quæ etsi non primo & per se, tamen ex primis illis cognita sunt. Est autem eorum graduum prior certissimus. Ideo voluit Clemens demonstrationem ex Scripturis, non in secundo gradu consistere; sed ad priorem ascendere. Ideo enim certissimam esse dixit.

XI. Tertio, quia etiam in hoc priori ordine multa sunt è quibus demonstratio petitur: ne hanc quæ fit è Scriptura, in turbam misisse quis putet, solam appellauit demonstrationem. Nimirũ, quia cũ illa reliquæ omnes com-

paratæ, coniecturarum potius nomen mereantur. Hæc enim primo, est ab ipsa æterna & immutabili veritate, deinde ab ipsa causa efficiente omnis veritatis. Nihil enim vel in Theologia, vel vsquam verum est, nisi quatenus ita Deus constituit; atque, vt loquitur Augustinus Epist. 2. ad Volusianum, *Veritas lumenq; animæ rationalis, non nisi Deus est.*

CAP. XI.

Reiicienda quæ non consentiunt Scripturæ, & admittenda quæ consentiunt.

I. QVæ Doctrina eiusmodi est, vt quæcunq; ei consentiunt, recipiantur, quæcunq; dissentiunt, reiiciantur ab Ecclesia, ea est regula fidei. At Scriptura Sacta est eiusmodi. Ergo est regula fidei. Maior est per se nota, supponit n. quæcunq; proferuntur, comparanda esse cum ea doctrina: quia alias cognosci non posset, vtrum consentiant, an dissentiant.

II. Et quamuis sit certum, quamlibet veritatem id habere proprium, vt quicquid ab ea dissentit, siue ei est contrarium, reiici debeat, quia nil potest esse contrarium vero, nisi sit falsum: tamen non id habet omnis veritas, vt quæcunque ei consentiunt, statim sint admittenda in fidem Christianam. Itaque certa est maior, quæ non alterutrum proponit seorsim, sed vtrumque connectit.

III. Minor probatur. Primo, quia Berœenses, teste Luca, Act. 17. cum Paulum audirent prædicantem, τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως: *quotidie scrutabantur Scripturas, an hæc* (scilicet quæ audiebant à Paulo) *ita se haberent.*

IV. Ad quem locum Chrysost. *Volebant n. & à seipsis certissimam persuasionem habere de Passione.* Theophyl. & Oecum. διὰ τοῦτο πιστότεροι ἐγίνοντο, ἐρευνῶντες τὰς γραφὰς, καὶ εὑρίσκοντες τοῖς τῶν παλαιῶν προφητῶν λόγοις συνᾴδοντα τὰ περὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ κυρίου πράγματα. *Inde confirmatiores fiebant in fide quod scrutarentur Scripturas, & inuenirent quæcunq; pertinebant ad Domini in carne conuersationem, consentire cum veterum Prophetarum oraculis.*

V. Sensus est igitur, hanc illis fuisse persuasionem certissimam, debere omnia quæ docentur in Ecclesia, à quibuscunq; tandem doceantur (nam quis excipiatur, si ne Paulus quidem?) consentire cum Scripturis, indeq; probari: ab ipsis etiam auditoribus sic examinari: hàncq; esse certissimam viam confirmandæ fidei. Quis neget, esse igitur prædicationis normam?

VI. In eam sententiam frequentes eunt Patres. Basilius, cum sibi negotium esse videret cum Arianis, prouocauit eos, quamuis audacissimos, ad disputationem ex Scriptura; hoc est, in qua summum iudicium tribueretur Scripturæ. Epist. 80. οὐκοῦν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή. *Iudicet* (inquit) *nobis Scriptura.* Nam τὸ διαιτᾶν est rem controuersam sententia definire. Plutarc. in Comparatione Philopœmenis & Flaminij σκόπει μὴ τῷ μὲν Ἕλληνι τὸν ἐμπειρίας πολεμικῆς καὶ στρατηγίας στέφανον, τῷ δὲ Ῥωμαίῳ τὸν δικαιοσύνης καὶ χρηστότητος ἀποδιδόντες, οὐ φαύλως διαιτᾶν δόξωμεν. Guarinus vertit, *arbitri minime contemnendi fore videamur.* Sed ipse Basil. explicat: καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ἡ ψῆφος. *Et apud quos comperta fuerint dogmata Scripturæ consentientia, eorum prorsus esto veritatis calculus.* Similiterq; lib. contra Eunom. 2. τίς ἂν οὖν τρόπος τῆς ἐξετάσεως δικαιότερος γένοιτο, ἢ τοῖς διδάγμασι τοῖς παρὰ τοῦ πνεύματος ἡμῖν δεδομένοις τὸν λόγον συγκρίνοντας, ὃ μὲν ἂν ἐκείνοις σύμφωνον εὑρίσκωμεν παραδέχεσθαι, τὸ δὲ ἐναντίως ἔχοντα πιστεῖν, καὶ ὡς ἐχθρὸν ἀποφεύγειν; *Quæ fuerit autem iustior inquirendi ratio quam si comparata istius oratione cum iis quæ nos Spiritus sanctus docuit, quicquid eis consentaneum inueniemus, admittamus: contrariis vero fidem nullam adhibeamus, atq; adeo illa vt inimica fugiamus?*

VII. Disertius idem in Ascæticis definitione 72. ὅτι δεῖ τῶν ἀκροατῶν τοὺς πεπαιδευμένους τὰς γραφὰς, δοκιμάζειν τὰ παρὰ τῶν διδασκάλων λεγόμενα· καὶ τὰ μὲν σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, δέχεσθαι, τὰ δὲ ἀλλότρια ἀποβάλλειν, καὶ τοὺς τοιούτοις διδάγμασιν ἐπιμένοντας ἀποστρέφεσθαι σφοδρότερον. *Oportet auditores eruditos in Scripturis explorare ea quæ dicuntur à Doctoribus, & quæ consonant Scripturis admittere: quæ vero sunt aliena, abiicere: imo eos qui huiusmodi doctrinis addicti sunt, auersari magna cum vehementia.*

VIII. Chrysostomus disertissime, in Acta Apostolor. homil. 33. respondens ijs, qui ex varijs, quæ inter Christianos sunt, sectis, causantur se incertos esse, quid potissimum sequantur: quo argumento hodie vtuntur nostri Papistæ: vt abducant à Scripturis Chrysostomus ergo respondens, ita habet, *Venit Gentilis, & dicit Velim fieri Christianus: sed nescio cui adhæream: multæ inter vos sunt pugnæ, seditiones; ac tumultus: nescio quod dogma eligam, quod præferam. Singuli dicunt, Ego verum dico. Cui credam nescio, quum ergo Scripturarum sim ignarus, & illi vtrinque idem præferunt. Sane hoc multum pro nobis. Nam si quidem diceremus, nos rationibus credere, merito turbareris. Sed cum Scripturas accipimus, & illæ simplices sint, ac veræ, facile tibi fuerit iudicare. Si quis illis consentit, Christianus est: si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc Canone.* εἴ τις ἐκείναις συμφωνεῖ οὗτος χριστιανός. εἴ τις μάχεται, οὗτος πόρρω τοῦ κανόνος τούτου. Et in eandem sententiam Epiphanius de Montano, hæresi 48. ἀσύμφωνος τοίνυν πανταπᾶσιν ὁ τοιοῦτος ταῖς θείαις γραφαῖς ηὑρέθη. εἰ τοίνυν ἀσύμφωνος ὑπάρχει ἀλλότριός ἐστι τῆς ἁγίας Καθολικῆς Ἐκκλησίας. *Comperitur ergo iste discordans cum Scriptura: quod si discordat, ergo alienus est à Sancta Catholica Ecclesia,* Basilius in caput 2. Esaiæ, *Omnis vtique operatio, quæ efficitur præter rectitudinem Scripturæ, apud Deum execrabilis est abominatio.*

IX. Rupertus lib. 7. in Matth. vult omnia, quæ ab aliquo dicuntur, quicunque tandem ille sit, exigi ad Scripturam, quæ ob eam causam Canonica dicatur, *Quicquid dicat quis, conferendum est cum Scripturis, quas non ab homine, neque per hominem, sed à Spiritu sancto per reuelationem Iesu Christi acceperunt, vt loquerentur, & scriberent homines sancti. Et licet nos* (ait Apostolus) *aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter id quod accepistis, anathema sit, & iterum anathema sit. Hoc dictum, hæc sententia similiter omnium illorum est, qui neque ab homine, neque per hominem acceperunt, sed per Spiritum sanctum, vnde & Scripturæ illorum omnes solæ Canonicæ dicuntur, & sunt.*

X. Denique, ne omnia colligam, in eundem sensum Lyranum audiuimus in c. Deuteron. 4. asserentem inde dici legem, intellectum, quia quemadmodum quæ manifeste sequuntur ex principijs per se notis absque hæsitatione tenentur, tanquam per se vera; quæ vero repugnant, repudiantur, tanquam falsa: ad eundem modum, quæ sequuntur ex diuina lege, tanquam vera approbari debeant: repudiari autem tanquam falsa, quæ repugnant. Et prologo primo in Biblia, voluit omnia reduci ad Scripturas, tanquam ad principia.

CAP. XII.

Veterum testimonia de Canone.

I. POstremo probatur Thesis ex disertis veterum testimonijs; qui Scripturam appellarunt cum ipso nomine Canonis, & regulæ: tum aliis idem significantibus.

II. Chrysostomus in 2. ad Corinth. homil. 13. ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, exactissimam trutinam omnium, & normam, & regulam vocat, τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφανσιν; diuinarum legum determinationem; διὸ παρακαλῶ καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, ἀφέντες τί τῷ δεῖνι καὶ τῷ δεῖνι δοκεῖ περὶ τούτων παρὰ τῶν γραφῶν ταῦτα ἅπαντα πυνθάνεσθε. *Propterea,* inquit, *vos omnes rogo atq; obsecro, vt quid hic aut ille de his rebus sentiat, nihil morantes, è Scripturis hæc omnia requiratis.* Mirum, ni hunc Huguonotum proscribant Iesuitæ! Quid enim potuit à nobis dici disertius? Vix ipsa nostræ Thesis verba tantam habent emphasin.

III. Ζυγὸν vocat, & γνώμονα, & κανόνα: cur varijs vsus nominibus; nisi vt ne quicquam omitteret? nisi vt rem magis serio affirmatam auditorum cordibus insculperet? Et quidem ζυγὸν vetus Glossarium vertit, libram, examen, stateram, trutinam, Γνώμονα, grumam: & hanc Nonius Marcellus capit. 1. mensuram quandam describit, qua flexæ viæ ad lineam diriguntur. Ipsumque Glossarium; grumare vertit μετρεῖν, ἐξισοῦν. Κανόνα autem regulam, & normam. Iam vero Isidorus Originum lib. 19. cap. 18. Normam ait dictam Græco vocabulo, *extra quam nihil rectum fieri potest.*

IV. Hæc igitur omnia voluit bonus ille piusque pater à Christianis intelligi conuenire Scripturæ in rebus religiosis: nimirum vt ea tanquam libra statera, trutinaque vtentes diligentissime singula examinemus: & tanquam gruma, si quæ sunt distorta, inflexaque corrigamus, rectaque faciamus: denique vt credamus normam esse, quæ non solum ipsa sit in se recta; sed etiam à qua si quid discedat vel tantillum, id rectum esse nequeat. Hęc si nobis aduersarij concedant: nihil pugnamus: sin negent; cur pro se consensum iactant antiquitatis? Gregorius Nyssenus contra Eunom. 1. Κριτήριον ἀσφαλὲς τῆς ἀληθείας ἐπὶ παντὸς δόγματος ἡ θεόπνευστος ἐστι μαρτυρία, *In omni dogmate optima iudicandi ratio est diuinitus inspirata Scriptura: sic enim interpretatus est Iacobus Gretserus.*

V. Augustinus de Bono viduit. c. 1. *Scriptura Sancta doctrinæ nostræ regulam figi.* Et de Baptismo contra Donatist. lib. 2. c. 6. *Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue est, hoc leue est. Sed afferamus diuinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus: imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.*

VI. Illustris locus, quo Scriptura non tantum statera appellatur; sed statera è thesauris dominicis. Nimirum allusit Augustinus ad id quod in politicis rebus fieri solet. Habent n. in ciuitate singuli mercatores suam stateram; quam quidem exactam esse oportet, sed potest tamen vocari in dubium, sitne sincera, an vero malo artificio corrupta. Ideo solet in publicis thesauris asseruari statera, quæ & ipsa sit exactissima; & sit regula; ad quam examinẽtur aliæ omnes, ipsa autem non nisi ad seipsam. Significauit ergo Scripturã, nõ quamlibet esse è turba staterã, sed authenticam ex thesauris publicis, iisq; nũ humanis, sed diuinis; ex qua iudicandum sit, non tantum de qualibet doctrina; sed etiam de omnibus, si quæ sunt, regulis fidei.

VII. Beda in Matth. & citatur à Gratiano causa 8. qu. 1. canone vlt. *Sacris literis vnica est credendi pariter & viuendi regula præscripta.* Ioannes Gerson, ipse quidem Papista, sed seculi paulo felicioris, conscientię etiam non desperatæ, de examinatione doctrinarum p. 2. consid. 1. *Scriptura nobis tradita est, tanquam regula sufficiens, & infallibilis pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, vsq; in finem seculi,* Videte quam in peius profecerint Papistæ, ab eo tempore: qui ad alios errores, quib. Gerson erat implicatus, hũc etiam addiderunt, à quo Gerson longe aberat, vt negarent Scripturam esse regulam sufficientem.

VIII. Thomas Aquinas lect. 1. in 6. cap. 1. ad Corint. *Doctrina Apostolorum & Prophetarum dicitur Canonica, quia est quasi regula intellectus nostri.* Et ipsi Andradio, quantumlibet Iesuitæ, lib. 3. defension. Trident. non displicet eorum sententia, *qui Canonicos ideo appellari dixerunt, quia pietatis, fidei, & religionis Canonem, hoc est, regulam atq; normam è cœlis summo Dei beneficio ad nos delatam, continent.*

IX. Hieron. in Micheæ c. 1. *Ecclesia Christi, quæ habitat bene, & in toto orbe Ecclesias possidens, spiritus vnitate coniuncta est: & habet vrbes legis, Prophetarum, Euangelij, & Apostolorum; non est egressa de finib. suis, id est, de Scripturis sanctis.* Hic Metaphora alia est; sed sensus idem: non magis enim fines transiliri debent, quam regula excedi.

X. Nec alia mens Athanasij in Synopsi, post enumerata Canonis volumina. Τοσαῦτα καὶ τὰ τῆς καινῆς διαθήκης βιβλία, τά γε κανονιζόμενα, καὶ τῆς πίστεως ἡμῶν οἱονεὶ ἀκροθίνια ἢ ἄγκυραι, καὶ ἐρείσματα. *Hi, totque sunt noui instrumenti libri, qui quidem Canonici sunt, & fidei nostræ veluti primitiæ, vel certæ anchoræ, & sustentacula.* Sensus est, non tantum ab initio prædicatæ fidei conscriptos fuisse eos libros, vt essent primitiæ: sed etiam in eum finem scriptos, vt illis fides nostra nitatur, id est, tum demum certa sit fides nostra, & amplectatur saluificam doctrinam absque vlla hæsitatione; quando ea confirmatur his libris: quemadmodum nauis contra ventorum impetum manet ἀσάλευτος, cum anchoris firmatur. Isidorus Pelusiota, libr. 4. Epist. 114. ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας, τὰς θείας φημὶ, γραφὰς καταπτεύσωμεν. *Has ita se habere, adhibita norma veritatis, sacras dico scripturas, age contemplemur.*

XI. Habemus igitur Scripturam esse regulam. Sed & Optatus non veretur eandem constituere, atque appellare Controuersiarum iudicem. Eius hæc verba sunt ex lib. 5. *Quærendi sunt iudices. Si Christiani de vtraque par. dari non possunt; quia studiis veritas impeditur.* En tibi iam Optatum, minime Papistam: qui non alio fine pertinacissime de iudice religionis disputant, quam vt nobis persuadeant, standum esse suarum partium, id est, aduersari orum

rum nostrorum iudicio. Erat Optatus Catholicus; & tamen agnoscit Catholicorum iudicia posse ab hæreticis recusari propter studia partium. Quemadmodum Augustinus nolebat suos aduersarios vrgere authoritatem Niceni concilii. Nimirum, suis rebus optime sic consultum vident Papistæ, si ipsi pronuncient pro arbitrio, quid sit credendum, quid non.

XII. Sed pergit Optatus. *De foris quærendus est iudex. Si Paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Iudæus: inimicus est Christiani Baptismatis.* Et tamen confinxit aliquis ingeniosulus disputationem contra Iudæos; Sylueſtri nomine Episcopi Romani, vbi electi sint iudices; qui nec Christiani essent, nec Iudæi; (ne alterè duobus gratiam suæ partis seruaret, & veritatem pro suo cultu assereret) Craton Philosophus, Xenophilus Prætorius: quorum rata esset assertio: nec inueniretur, qui in ambiguo poneret, quod eorum iudicio fuisset determinatum: eleganter. Optime enim cæci iudicant de coloribus scilicet.

XIII. *Ergo* (inquit) *in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium. De cœlo quærendus est iudex. Sed vt quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Euangelio testamentum?* Habemus igitur non tantum normam fidei; sed etiam iudicem Controuersiarum: aut certe iudicium: contra quam Papistæ contendunt.

XIV. Theophilus Alexandrinus Paschali 3. *Vt Cæmentarii quadram volentes ædificare domum, æquales ex omni parte parietes metiuntur, eosque norma & perpendiculo dirigentes, quod animo depinxerunt, opere exstruunt; & eiusdem mensuræ per quadrum latera quatuor iungunt angulis sursum & deorsum, cœptam æqualitatem paulatimque incrementa seruantes, vt materiæ diuersitatem iungat operis pulchritudo, & angulares lineas artifex structura custodiat. Sic sic Ecclesiæ præceptores, habentes testimonia Scripturarum, firma doctrinæ faciunt fundamenta, & intrepidi permanent, offerentes opera sua Christo, atque dicentes, Confirma me in verbis tuis.*

XV. His veteribus liceat addere duos recentiores, & Papistam vtrumque, eoque pluris apud Papistas. Lyranus Prologo de Scripturis Canonicis scripsit ad hunc modum. *Sicut in Philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: ita & in Scripturis à sanctis Doctoribus traditis veritas cognoscitur, quantum ad ea quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ sunt habitæ diuina reuelatione, cui nullo modo potest falsum subesse.* Driedo Tomi 1. c. 1. statim initio Scripturam dixit certissimis suis definitam voluminibus: tum, *Ex quibus* inquit, *tota Sanctorum Schola, tota Prophetarum & Apostolorum Ecclesia fidei nostræ assertiones constare voluerunt, & quarum sententias in dubium reuocare iudicauerunt esse nefarium. Ex quibus tota salutis nostræ via discenda est, ex quibus quotidianus vitæ nostræ panis est colligendus, ex quibus haurienda sunt sapientiæ salutaris pocula: Ex quibus Dei voluntas, sapientia, misericordia, bonitas, & iustitia est inuestiganda, ex quibus etiam corroboranda est omnis orthodoxæ fidei veritas.* Olim Ioannes de Ragusio, de Communione sub vtraque 7. supposit. *Sacra Scriptura in sensu literali sane & bene intellecta, est infallibilis fidei regula, & sufficientissima.*

CAP. XIII.

De Iudice præter legem.

I. HActenus Catholicorum explicuimus argumenta ad confirmationem Thesis propositæ. Nunc, quid opponant Papistæ, vicissim considerandum. Si in omni Republica bene ordinata requiritur alius aliquis iudex præter scriptam legem; tunc in Ecclesia, vtpote rectissime ordinata, alius etiam iudex præter Scripturam, seu legem scriptam, admitti & assignari debet. Sed verum est primum illud antecedens: ergo & posterius, seu consequens. Argumentū est Tanneri Iesuitæ in Colloquio Ratisbonensi, sessio. 9.

II. Probatur consequentia; quia si ad hoc, vt aliqua Respublica sit bene ordinata, requiritur vt præter scriptam legem, sit alius quoque iudex visibilis, tunc ad id, vt Ecclesia sit bene ordinata, requiritur, vt sit aliquis visibilis iudex præter legem scriptam. Et rursus probatur consequentia; quia ideo requiritur alius iudex visibilis, præter scriptam legem in Republica bene ordinata, quia scilicet iudex cognoscere debet controuersias in Republica ortas, atque adeo vtriusque partis argumenta inspicere. Secundo, quia debet sensum legis explicando; sententiam ferre: tertio, quia debet sua auctoritate posse compellere transgressores ad ius & fas; & vt sententiæ seu decisioni stent. Atqui eadem ratio est in Ecclesia.

III. Respondeo. Iesuitas abuti Iudicis Amphibolia, in eaque pueriliter ludere. Proprie autem iudex is est, qui singulas Controuersias cognoscit, & dirimit, pronuncians ex præscripto legis. At hic cum Scriptura iudex appellatur, fit improprie, vt significemus inde desumendas esse singularum Controuersiarum decisiones, quemadmodum in Republica sumuntur iudicia à lege. Δεῖ γὰρ (inquit Aristoteles Politic. 4. c. 4. τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων, τῶν δὲ καθ' ἕκαστα τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν. Hoc est, interprete Perionio, *Nam & in rebus vniuersis, leges valere debent, & de rebus singulis proprium magistratum reique publicæ iudicium est.* Atque hunc esse Controuersiæ statum debebat obseruare Iesuita, ex ipsis Thesibus: nam & Lutherani Scripturam constituebant doctrinæ, cultus, ac fidei Christianæ normam, regulam, ac mensuram. Et ipsi Papistæ negabant eam esse vnicam & solam normam. At nullus vnquam iudex appellatus est norma, regula, aut mensura: imo ne potuit quidem: cum ipse sua iudicia non à se ipso habeat, sed à lege, secundum quam si pronunciat, æquus dicitur, sin minus iniquus, cum tamen nullus vnquam esse posset iniquus, si esset regula, & à se hauriret sua iudicia.

IV. Itaque Syllogismum ita dissoluo, supposita hac inter iudicem & normam differentia. Vt de norma quidem, negetur antecedens: quia etsi verum sit alios iudices proprie dictos & τὰ καθ' ἕκαστα requiri præter legem: tamen falsum sit aliam normam constitui præter legem. Neque contrarium probatur secunda argumentatione, in qua est mera, crassaque petitio principii, cū idem probatur per idem. In tertia autem, quæ enumerantur tria capita, partes sunt, non normæ, sed iudicis proprie dicti.

V. Sin autem in primo Syllogismo loquatur Iesuita de iudice proprie dicto, facile totum concedimus. Sunt enim re vera in singulis Ecclesiis constituti iudices præter Scripturam, qui Controuersiarum τὰ καθ' ἕκαστα cognoscant. Sic enim Christus, *Dic Ecclesiæ.* Sic Paulus Tito: *Huius rei gratia, reliqui te in Creta, vt quæ reliqua sunt pergas corrigere.* Et Timotheo, *Aduersus Presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Denique consentit Ecclesiæ praxis perpetua. Sic Cyprianus vnum agnoscit in Ecclesia vice Christi iudicem; epist. 55. & 69. seipsum appellat iudicem ad tempus à Deo constitutum. Sed hoc esset extra oleas inepte vagari; non ad Thesim argumentari.

VI. Sed pergit Iesuita, quæritque, an ea qualiscunque autoritas; quam ministerio tribuimus, sit fallibilis, an vero infallibilis. Et quia nos infallibilem negare satis sciebat, contra argumentatur. Vt Respublica Ecclesiastica sit bene ordinata, requiritur omnino autoritas aliqua visibilis, non qualiscunque; sed infallibilis. Ergo illud ministerium iam assignatum, non est sufficiens, sed alio præterea opus est iudice. Antecedens probat: quia si istud ministerium est absolute fallibile, & nihilominus habet publicam autoritatem, tum sequitur, quod tota Ecclesia, vi talis ministerii, possit quandoque penitus ad interitum redigi. At hoc est absurdum: ergo & illud. Et consequentiam probat: quia quando aliquis magistratus habens publicam autoritatem est fallibilis, & in aliquo dubio definiendo errare potest; tunc etiam subditi in tali dubio, vi talis regiminis, errare possunt, imo debent.

VII. At hæc primum extra rem sunt, deinde sunt inania. Non sunt ad rem: quia cum certum sit, tum non errare iudicem, quum pronunciat secundum legem: ergo qui iudex constituetur infallibilis, eum oportet ita definiri vt nunquam non pronunciet secundum legem. Quare eius etiam ita constituti infallibilis, concedetur lege esse norma. Semper ergo conseruatur discrimen illud inter normam, & iudicem: vt non sequatur, si oporteat præter legem, esse aliquem iudicem infallibilem: ergo normam non esse vnicam. Et tamen hæc nostra est Controuersia.

VIII. Sed deinde negatur antecedens primi argumenti, quo asseritur, vt bene ordinata sit Ecclesia, requiri autoritatem aliquam visibilem, infallibilem. Quemadmodum enim in Repub. bene ordinata, sufficit esse leges bonas, ex quibus τὰ καθ' ἕκαστα iudicari possint à singulis iudicibus: sic in Ecclesia sufficit esse verbum Dei Scriptum, ipsum verissimum, certissimum, & infallibile, vnde singuli in Ministerio Ecclesiastico constituti in eum finem, vt sint iudices singularum Controuersiarum, suum iudicium desumant. Et quidem Ecclesiæ in hac re tanto fœliciore conditione, & ordinatione tanto præstantiore, quanto certius est, Dei Verbum præstare omnibus omnium Rerumpub. legibus.

IX. Absurdum autem illud nullum est, duplicem ob causam. Primo, quia nullus est iudex visibilis vnus, cui tota Ecclesia subiiciatur: sed tantum singulis suæ Ecclesiæ: quemadmodum Cyprianus dicebat epist. 55. *Singulis pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Et longe ante Cyprianum Petrus c. 5. prior. Epist. Presbyteros sic hortabatur, *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Itaque Iesuita, cum supponit vnum aliquem iudicem, quo errante, vniuersalis Ecclesia corruat, facit Papistice; non solide. Hac tamen Controuersia suo loco plene disputabitur. Interea, si nemo vnus toti præest Ecclesiæ; sed infinitis partibus infiniti, aut necesse erit omnes simul errare: aut non erit necesse vniuersalem Ecclesiam perire. Sic cum Oriens aliquando errauit, Occidens mansit integer.

X. Secundo falsum est subditos errare debere, errantibus Ecclesiæ Magistratibus. Nam Paulus seuere, *Etiamsi nos aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto.* Chrysostomus homil. 2. in poste. ad Timoth. οὐδὲ Παύλῳ δεῖ πειθαρχεῖν, ἄν τι ἴδιον λέγῃ, ἄν τι ἀνθρώπινον, *Ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, sed quid humanum.* Erat autem Paulus, vt Apostolus, in summo gradu Ecclesiastici ministerii: & docuit tamen sibi dicendum anathema, non vero fidem adhibendam, si populum in errorem conaretur inducere. Quare hinc efficitur, non sequendos esse, etiam summos in Ecclesia Magistratus, cum errant in definiendo. Hoc est, non vouendam esse Christianis Iesuiticam illam cæcam obedientiam, quæ nouis Loiolæ catulis pro summo est perfectionis gradu. Nimirum, ita oportuit, iusto iudicio τυφλῶν τυφλὸς ὁδηγὸς εἶναι.

XI. Consentiunt veteres. Ignatius ad Philadelphenses, εἴ τις οὐκ ἀφίσταται τοῦ ψευδολόγου κήρυκος, εἰς γέενναν κατακριθήσεται. *Si quis non recedit à præconibus falsum annunciantibus, ad gehennam condemnabitur.* Clemens Constitutionum lib. 2. c. 19. Μὴ ποτε εἴπῃ ὁ λαϊκὸς, ὅτι ἐγὼ πρόβατόν εἰμι, καὶ οὐ ποιμὴν, καὶ οὐδένα λόγον ἐμαυτοῦ ποιοῦμαι· ἀλλ' ὁ ποιμὴν ὄψεται, καὶ αὐτὸς μόνος εἰσπραχθήσεται τὴν ὑπὲρ ἐμοῦ δίκην· ὥσπερ γὰρ τῷ καλῷ ποιμένι τὸ μὴ ἀκόλουθον πρόβατον λύκοις ἔκκειται εἰς διαφθορὰν, οὕτω τῷ πονηρῷ ποιμένι τὸ ἀκολουθοῦν πρόδηλον ἔχει τὸν θάνατον, ὅτι καταφαγεῖται αὐτὸ διὰ φθόνον ἀπὸ τῶν φθορέων ποιμένων. *Ne laicus dicat, Ego ouis sum, & non pastor, & nullam mei rationem habui: pastor viderit, ipse solus pœnas pro me dabit. Vt enim, cum ouis non sequitur bonum pastorem, lupis exposita est ad intereundum: sic rursus, cum ouis malum pastorem sequitur, certus est ouis interitus à malo pastore, qui eam deuorabit. Quare fugiendi sunt pastores interfectores.* Cyprianus epist. 68. *Plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet.* Leo primus epist. 23. quæ est ad Clerum & plebem Constantinopolitanam. *Nec quisquam sibi audeat de Sacerdotali honore blandiri, qui potuerit in execrandi sensus impietate conuinci.* Et paulo post, *Separentur huiusmodi à sanctis membris corporis Christi, neque sibi Catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi.*

XII. Quinetiam in Decretis causa 11. quæst. 3. *Si is, qui præest, fecerit, aut cuiquam quod à Domino prohibitum est, facere iusserit, vel quod præceptum est, præterierit, aut præterire mandauerit, sancti Pauli sententia ei ingerenda est, dicentis, etiamsi nos, aut angelus de cœlo, euangelizauerit vobis præterquam quod vobis euangelizauimus, anathema sit.* Et post pauca, *Is qui præest, si præter voluntatem Dei, vel præter quod in sanctis Scripturis euidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur.* Aliorum etiam non pauca in ead. q. p. 7. quæ ex professo docent, *obedientiam non esse seruandam prælatis in rebus illicitis.*

XIII. Consentit praxis. Theodoretus hist. lib. 1. c. 22. quum obseruasset, Eulalium, Euphronium, Placentium constitutos fuisse Antiochenos Episcopos, in quorum animis delituerit Ariana labes; *quamplurimi* inquit *tum ex clero, tum ex populo, quibus propositum erat Deum sancte & sincere colere, relictis publicis Ecclesiæ conuentibus, separatim per se conuentus agere cœperunt.* Idem libr. 2. cap. 24. testatur, cum Antiochiæ constitutus esset Leontius, Arianam hæresin pro viribus dissimulans, sed Arianos tamen fouens, Flauianum & Diodorum, aperte doctrinam propugnantes Apostolicam, eum palam corripuisse, timoris, quamuis nondum Sacerdotii dignitate m

 adeptos,

ad pios,diu noctuque ad pietatis studium omnes sedulo excitasse: quod fane neri non poterat,nisi docerent plebem, ne pastori erranti adhiberent fidem. Quinetiam c. 17. in ipsa vrbe Roma cum constitutus esset Fœlix Episcopus Arianis fauens, adeo legimus ab eo Romanos dissensisse, vt nemo eorum in Ecclesiam ingredi voluerit,dum ille intus esset. Sic cum Fotinus Sirmitanam Ecclesiam in Pannonia tentaret, commissæ ipsi oues Christi (quæ ipsum magno omnium fauore exceperant) multum pro Catholica fide vigilantes, quamquam pastoris sui admirarentur eloquentiam: tamen, quem antea quasi arietem gregis sequebantur, eundem deinceps velut lupum fugere cœperunt. Sic Vincentius Lyrinensis testatur cap. 16.

XIV. Et tamen contra hanc Scripturæ autoritatem: contra Patrum admonitiones: contra Ecclesiæ praxim, instant Iesuitæ. Populus (inquit Tannerus) in re dubia magistratui publicam authoritatem habenti, debet obtemperare. Sane vero,(inquam) si nullo modo constare potest aliunde, quid agendum sit. Quod in rebus ad fidem pertinentibus, & ex quibus sequitur Ecclesiæ ruina, non est timendum apud eos qui Scripturis sanctis suum honorem deferunt: ex qua certissima ratio patet omnium errorum circa fidem corrigendorum. Itaque hæc instantia non est ad rem.

XV. Sed obiicit rursus: Erit ergo melior conditio populi, quam magistratus. Scilicet nondum legerat illud Cyrilli catechesi 15. ἔξεστι καὶ ἀκροατὰς καλλίονας γενέσθαι τοῦ διδασκάλου, καὶ τὸν ἔσχατον ἐλθόντα γενέσθαι πρῶτον. *Licet & discipulos meliores esse magistris, & qui postremus venit, esse primum.* Et hoc quidem præfixa admonitione, οὔτε αὖ ἐγὼ ὁ διδάσκων σε ἀπόλωμαι, καὶ σὺ μετ᾽ ἐμοῦ συναπόλῃ. *Caue, ne si ego qui te doceo, peream, tu vna mecum pereas.* Magnum vero sane & memorandum infortunium. Quasi piaculum fecerit plebs Constantinopolitana, cum recessit à Nestorio: aut scelerati fuerint Flauianus & Diodorus Antiocheni, qui Episcopos suos obiurgarent. Imo vero necesse est plebis fidelis meliorem esse sortem, quam pastoris errantis: tum quia alias nullum esset priuilegium fidei: tum, quia non propter Pastores est Ecclesia, sed contra, propter Ecclesiam Pastores. Itaque oportet cognitam esse plebi perpetuam illam veritatis normam, ad quam reuocet pastorum suorum iudicia. Quod cum non accidit, & plebs potius remanet imperita, nec scire curat, quæ pertinent ad propriam salutem, quod serio curatur in Papatu, tum facile persuadentur à pastoribus quilibet errores; abduciturque plebs à veritate. Quod suo tempore factum conqueritur per Hieremiam Dominus c. 50. *Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.*

XVI. Ergo (inquit) plebs iudex erit sui Magistratus. Respondeo varia esse Magistratuum genera: alios esse summos, alios subalternos: alios absolutos: alios autoritate certis coercita terminis. Summos iudices & absolutos, nefas esse ab vllo iudicari. Reliquos non idem. Iam in Ecclesia nullos esse summos, absolutosque Magistratus, ex Pastorum ordinariorum numero. Itaque non esse absurdum, si quando iudicentur à plebe. Quemadmodum enim in Republica Romana, Decemviros populus recte iudicauit, & coegit Magistratum exuere, qui tamen erant constituti iudices ipsius populi: Sic non potest plebs Constantinopolitana non laudari, quæ teste Socrate lib. 7. c. 32. blasphemiam Nestorii, cum primum audiit, detestata est. *Hæc verba,* (inquit Socrates, nempe eius qui negaret virginem esse Deiparam) *omnium animos tam Clericorum quam Laicorum, magnopere conturbauerunt: nam iam olim didicerant Christum vere Deum esse,* & quæ sequuntur.

XVII. Itaque coercuit se Tannerus, &, *Absurdum est* (inquit) *constituere populum iudicem Magistratus in dubio,* Non ergo (inquam) simpliciter sui Magistratus, sed solum tum cum incertum est id, de quo suam sententiam ille pronunciat. Sed ergo (inquam non efficiet magistratus autoritas, vt de eo plebs non iudicet: sed rei ipsius de qua iudicandum, natura: quia vero nulla est regula, nisi authentica, id est, quæ sua autoritate definiat; non erit igitur ille Magistratus quisquis est, regula. Deinde non erit omnium Controuersiarum: sed tantum earum, quæ futuræ sunt obscuriores. At nos omnium regulam quærimus, non aliquarum.

XVIII. Et meminisse Tannerus debuit, hanc obiectionem inde natam, quod negaremus, etiamsi non detur visibilis iudex infallibilis, posse ex vi ministerii totam Ecclesiam ad interitum redigi: quia non esset necesse erranti pastori plebem obtemperare. Quod si retexamus disputationem, ita necesse erit partes connectere: vt sit primus Syllogismus: Quæcunque Ecclesia Magistratum habet potentem errare, ea potest interire. At Ecclesia Christiana non potest interire. Ergo non habet Magistratum qui possit errare. Nos maiorem negabamus: illi probabant hoc 2. syllogismo: Quæcunque Ecclesia tenetur obedire Magistratui erranti, ea potest deficere. At quæcunque Ecclesia habet magistratum potentem errare, tenetur obedire magistratui erranti: ergo quæcunque Ecclesia habet magistratum potentem errare, ea potest deficere. Nos minorem negabamus, illi confirmabant hoc tertio syllogismo. Cuicunque magistratui denegatur obedientia à populo, is iudicatur à populo. At nullus magistratus iudicandus est à populo. Ergo nulli magistratui deneganda est obedientia à populo. Nos minorem negabamus: at viderunt Iesuitæ esse nimis generalem, id est, falsam, itaque iam coercuerunt. At nullus magistratus iudicandus est à populo in re dubia.

XIX. Ergo (inquam) vel nouum assumunt terminum, & quæstionem auertunt: vel superiora oportet etiam retexendo corrigere: & secundum syllogismum ita constituere: Quæcunque Ecclesia tenetur obedire magistratui erranti in dubio, ea potest interire. At Ecclesia, quæ habet magistratum fallibilem, tenetur obedire magistratui erranti in dubio. Ergo ea potest interire. Actum, non tantum vt prius, minorem negabimus, sed etiam maiorem.

XX. Nam eas sententias, ex quibus possit tota Ecclesia ad interitum redigi, necesse est pertinere ad fidem vniuersalem, aut ad morum iustitiam vniuersalem. At si supponatur Scriptura norma omnium Controuersiarum, nihil potest esse huiusmodi, quod sit obscurum aut dubium: sicut etiam Augustinus diserte pronunciat in iis, quæ clare posita sunt in Scripturis, inueniri ea omnia quæ pertinent ad fidem & mores. Itaque sic concludo, Si id, de quo suam sententiam magistratus pronuntiat, est de fide Catholica, tum non potest esse dubium; ac proinde si erronea sit sententia, debet plebs eam iudicare, & repudiare: ideoque effugere potest internecionis periculum. Sin autem est obscurum, ergo non pertinet ad fidem Catholicam: ac proinde, etiam si non posset à populo iudicari, tamen non inferret perniciem toti Ecclesiæ. Quare hoc argumentum nihil probat.

CAP. XVI.

De sententia summi iudicis.

I. OMnis iudex, præsertim supremus & generalis, ita debet dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat se vicisse: altera pars euidenter sciat se causam amisisse, quantum est ex parte huius iudicis. At hoc neque Scriptura Sacra, neque Spiritus Sanctus per Scripturam potest facere. Ergo neque Sacra Scriptura, neque Spiritus Sanctus loquens per Scripturam est talis iudex. Argumentum est Beccani, item Gretseri Iesuitæ in colloquio Ratisbonensi. Et minorem illustrabat, his totidem verbis, *Stamus ego & Collega & Domini aduersarii, in conspectu huius iudicis* (Bibliorum) *en contendimus, an sit iudex controuersiarum. Iam ille iudex debet pronunciare sententiam, vt nobis constet euidenter. Sumus hic in conspectu Sacræ Scripturæ, & Spiritus Sancti, pronunciet sententiam, & sic dicat, Tu Iacobe Gretsere, male sentis, cecidisti causa tua. Tu Iacobe Hailbrunnere vicisti. Tunc ego statim transibo ad vestrum scamnum.* Et paulo post, *Iam adsit Spiritus Sanctus, iam iudicet, iam me condemnet.* Quibus ille, non aliter insultat Spiritui Sancto, quam Elias olim Pseudoprophetarum diis: quod vtrum sine horrore possint aures piæ ferre, viderint alii. Certe, etsi nostra falsa esset sententia, tamen hoc merebatur Spiritus Dei, vt honorificentius nominaretur.

II. Et poterat meminisse non carere historiam Ecclesiasticam exemplis manifestis, huius ipsius energiæ Spiritus, quam ille non ad cuiuslibet Iesuituli impatientiam & procacitatem exserere tenetur, sed pro suo liberrimo arbitrio. Nam quidni huc referamus illud ex Act. 6. de Stephano: *Non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui per quem loquebatur?* Certe Stephanus ex Scripturis solis disputabat. Addo historiam illam solemnem eius Philosophi, qui, pene dicam, coactus est credere id ipsum, quod impugnaturus venerat, tum quum cogebatur Nicena Synodus: non rationibus victus, non miraculis, non autoritate pronunciantis Ecclesiæ, sed grauissima diuini nominis obtestatione commotus tacuit; *In nomine Iesu Christi, Philosophe audito.* Sic enim refert Sozomenus lib. 1. c. 17.

III. Quid? non est luculentissimum illud exemplum ex 2. Actorum. Cum Petrus prolixe ex Scripturis concionatus esset de Christi morte, & resurrectione, deque salute in eius nomine quærenda; & eorum scelere, à quibus erat occisus, Iudæi *compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apostolos, Quid faciemus viri fratres?* Et baptizata sunt, additaque Ecclesiæ die illo capita quasi ter mille. Nimirum audiebant illi Spiritum Sanctum pronunciantem, Vicisti Petre; vos Iudæi causa cecidistis. Et quia audierunt, transierunt ad scamnum Apostolorum. Sed Iesuitæ ex eorum sunt surdorum genere, qui aures habent, vt non audiant: quo minus mirum est, si absque horrore insurgant in Spiritum Sanctum.

IV. Quid? Nonne potuit Catharina, si tamen hæc historia est non fabula: sed quid tum? nã quæ reuera est fabula, eam Papistæ habent pro verissima historia: potuit inquam Catharina, congressa Philosophis quinquaginta, & quidem ipso flore Philosophorum, sic disputare, vt tandem victi Philosophi ad Imperatorem dicerent, *Hæc puella, in qua Spiritus Dei loquitur, sic nos in admirationem conuertit, vt contra Christum aliquid dicere, aut omnino nesciamus, aut penitus formidemus: vnde, Imperator, constanter fatemur, quod nisi probabiliorem sententiam de his quos vsque modo coluimus, protuleris, ecce omnes ad Christum conuertimur.* Et nobis Iesuitæ negent posse Spiritum Sanctum ita dicere sententiam, vt se altera pars sciat victum, altera victricem? Nimirum neque illi Scripturam sciunt, nec sua etiam mysteria curant.

V. Itaque nego minorem Syllogismi. Nam qua ratione iudicis nomen tribuitur Normæ, eadem tribuuntur ei quæ sunt iudicis partes, condemnare iudicare, & similia. Atque adeo ipsi nominatim Scripturæ Ioannis 5. *Est qui accuset vos Moses.* Nam hoc accusare, etsi proprie sumptum non sit iudicis, tamen facile vident omnes sumi hoc loco pro condemnare: quia non tanquam actor cum reo. Moses cum Iudæis componi potest. Nam ipsi aduersarii non diffitentur Scripturam esse normam, & quidem infallibilem, etsi non solam: Accusari autem à norma iudiciorum, siue à lege, quid aliud esse potest nisi condemnari? Nam Mosem nominari pro lege à Mose scripta, vix admonendum videtur. Thomas in hunc locum: *Accusat autem eos Moses dupliciter. Materialiter, quod ex hoc, quod prætergressi sunt mandata eius, sunt accusandi: ad Rom. 4. Quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: item accusat eos: quod Moyses, & alii Sancti potestatem habebant in iudicio.* Maldonatus, *Quomodo accusaturus Moses: Quia ex ipsius libris in iudicio conuincentur.*

VI. Basilius Epist. 80. ad Eustathium medicum: ὑμῶν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή. Est autem διαιτεῖν verbum iudiciale. Etymologicum, Διαιτητὴς, κριτής: ἐκ τοῦ διαιτᾶν, διακρίνειν. Glossarium vetus, Διαιτητὴς, disceptator, arbiter, interuentor. Significauit igitur Basilius, has partes, quæ sunt pronunciandæ sententiæ; competere Scripturæ: contra quam nostri putant Iesuitæ, Et mihi vide, quæso, viri illius sancti sanctam confidentiam. Erat illi negotium cum Arianis de maximo religionis negotio: & prouocabat eos ad Scripturæ iudicium. Quid videtur? An similis nostris Papistis, qui negant hanc ipsam inter Catholicos & Arianos controuersiam, ex Scripturis iudicari posse? Imo negant Scripturam in vlla Controuersia posse pronunciare, vtra partium vicerit. Denique cum prouocantur ad Scripturam, nihil habent antiquius quam ab ea deflectere, vndique conquisitis, & quidem curiosissime, exceptionibus, & calumniis.

VII. Quod reliqua attinet, in iis hanc oportet inesse vim argumenti: Quicunque ita dicit sententiam, vt altera pars euidenter sciat se vicisse, altera se causa cecidisse; is diserte vtramque partem suo proprio nomine compellat. At hoc neque scriptura, neque Spiritus Sanctus per Scripturam facere potest. Ergo ne potest quidem ita sententiam dicere, vt altera pars se euidenter vicisse sciat, altera se esse victam. At nos negamus maiorem. Nam hæ partes non cuiuslibet sunt iudicis: sed tantum eorum, qui singulares Controuersiarum circumstantias examinant: non autem eius iudicis, qui est norma, regula, & lex iudiciorum. Neque vnquam in vlla quantumlibet bene ordinata Repub. accidit, vt in legibus diserte legatur condemnatio Titii & Meuii litigantium.

CAP.

CAP. XV.

An Scriptura dirimat omnes Controuersias.

I. IVdex supremus & generalis omnium Controuersiarum, debet dirimere, vel posse dirimere omnes Controuersias, quæ oriuntur circa negotium religionis. At Scriptura Sacra non potest dirimere omnes illas Controuersias, quæ circa negotium religionis oriuntur. Ergo Sacra Scriptura non est generalis & supremus iudex omnium Controuersiarum. Argumentũ est eiusdem Gretseri, sed & Gregorij de Valentia. Et ad minoris confirmationem, exempla colligunt de Pascha, vtrum sit celebrandum die Dominica, an cum Iudæis decima quarta luna. De perpetua virginitate Mariæ: De Euangelio Nicodemi, & Epistola ad Philemonem, vtrum sint in Canone: De autoritate Scripturæ. De non rebaptizandis hæreticis. De Sacramentis.

II. Respondeo, controuersias orientes circa negotium religionis esse vel de iure, vel de facto. Has versari circa particulares circumstantias. Illas vero in communib. axiomatis esse, vnde postea iudicentur singularia, postquam de facto constiterit.

III. De Controuersiis facti negatur maior. Exempli gratia, si dicat quis Omnis negans Christum esse verum Deum, est hæreticus: at Nestorius negauit Christum esse verum Deum. Ergo Nestorius est hæreticus. Controuersia oriri potest non tantum de maiore, sed etiam de minore, vtrum Nestorius ea docuerit. At hanc Controuersiam Scriptura dirimere non tenetur. Sic ex Scripturis habemus, nullum librum Canonicum mentiri: sed librum Sapientiæ, aut Maccabæorum mentiri non debent Scripturæ docere.

IV. Quod attinet ad Controuersias alterius generis, id est, iuris, dico minorem nisi blasphema illa Papistarum sententia, de imperfectione Scripturæ quam prolixe refutabimus σὺν θεῷ, cum ad eius proprium locum fuerit peruentum; examinatis his ipsis exemplis, atque aliis plurimis, quæ varie à variis conquiruntur, in id tantum intentis, vt quoquo modo calumniam faciant Spiritui Sancto, in accusationem conuersi Scripturarum, vt de sui temporis hæreticis loquebatur Irenæus.

V. Interea dico hanc esse regulæ naturam, vt ex ea iudicentur, non tantum quæ in ea continentur, sed etiam quæ non sunt in ea. Nam quis nescit in singulis scientiis ipsa principia esse normam, vnde iudicentur omnia quæ ad eas pertinent? & tamen singula præcepta non sunt in ipsis principiis: nisi forte δυνάμει, & tanquam in semine: quomodo Hosius fatetur in Euangelio contineri quæcunque sunt ad salutem necessaria. Leges etiam non habent intra se definitas omnes inter Titium & Meuium lites, expresse, & explicite: & tamen à Iureconsultis habentur pro regula: nimirum quia cum primum ipsæ particulares lites comparantur cum legibus, statim elucet illud, *Quid iuris*. Hoc modo nos dicimus Scripturam sufficere ad omnia diiudicanda.

VI. Omnes enim Controuersiæ de rebus sunt, quæ vel proprie, & per se ad fidem pertinent: vel sunt contra fidem: vel sunt adiaphoræ, id est, in medio positæ, vt neque sint contra fidem, neque propriæ & per se ad fidem pertineant; sed per accidens; quasi fidei siue religionis circumstantiæ, & appendices. Ad hæc autem tria rerum genera exacte iudicanda sufficit Scriptura. Ergo & ad omnia.

VII. Nam quæ ad primum pertinent, omnia necessario constant ex Scriptura, vel ex disertis locis, vt sunt omnes articuli fidei comprehensi in Symbolo: vel ex consequentia κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, vnde factum, vt veteres Patres singula sua dogmata tot constabiliant Scripturis. Ad hunc modum nos asserimus sola fide hominem iustificari. Nam iustificari quidem fide, totidem literis in Scriptura legimus. Sola autem fide, etsi non sit ita expressum quæ Papistis est plausibilis occasio nostri calumniandi, tamen necessario sequitur ex Scriptura vt non magis necessaria sit conclusio, Sol lucet, ergo dies est. Nam cum excogitari non possint plures iustificationis caussæ ex parte hominis, quam duæ, nempe opera & fides: certe exclusis operibus; quod diligentissime facit Paulus pluribus locis, necesse est solam fidem remanere.

VIII. Quæ sunt ordinis secundi, nonnulla quidem etiam diserte prohibita leguntur, vt veneratio imaginum; iustificatio ex operibus; & similia. Cætera negantur ex consequentia, quia pugnant cum dogmatis scriptis. Sic Catholici Christum negant ab impiis sumi, quia ipse Christus dixit, habiturum vitam æternam, quicunque carnem eius comedet, & sanguinem bibet: Ioan. 6. Sic purgatorium impugnant, quia negauit Paulus, vllum superesse κατάκριμα iis, qui sunt in Christo, 8. ad Romanos.

IX. Iam in tertio genere, ea quidem, quorum institutio constat ex Scriptura, inde etiam facile iudicantur, Dies Dominica, Ieiunium, & similia. Reliqua autem ex generalibus censenda sunt axiomatis scriptis: cuiusmodi hæc sunt. Prior. ad Corinth. 14. *Omnia decenter, & ordine fiant*. Ad Coloss. 2. *Si mortui cum Christo, liberi estis ab elementis mundi, quid vt viuentes in mundo ritibus oneramini? Nec attigeris, neque gustaris, neque contrectaris: quæ omnia ipso vsu pereunt, præscripta ex mandatis & doctrinis hominum*. Et si qua sunt alia.

X. Sic Pascha Iudaicum facile videmus non esse Christianis obseruandũ. Cum enim Paulus dixit prioris ad Corinth. 5. *Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est*: facile est colligere non idem esse Pascha Iudæorum. Imo generalius non esse religiose obseruandos dies, idem Paulus monuit ad Galat. 4. *Dies obseruatis, & menses & tempora, & annos: metuo de vobis, ne frustra fatigatus sim apud vos*. Et 2. ad Coloss. *Ne quis vos damnet ob cibum vel potum; vel respectu diei festi, aut nouilunij, aut Sabbatorum*. Quare concludimus eos iure fuisse damnatos, qui contenderent cum Iudæis Pascha esse celebrandum.

XI. Nec male Nicena Synodus diem assignauit Dominicam: sed tantum decoris cuiusdam & ordinis gratia: vt facile colligitur ex Epistola Constantini ad Episcopos, qui Synodo non interfuerant. Primo enim prolixe docet nihil nobis debere esse cum Iudæis commune. Deinde esse δεινὸν καὶ ἀπρεπές, graue & indecorum, in eadem Ecclesia Catholica κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας, ἑτέρους μὲν ταῖς νηστείαις σχολάζειν, ἑτέρους δὲ συμπόσια ἐπιτελεῖν, *iisdem dieb. alios quidem vacare ieiuniis, alios vero conuiuia agitare*. Vnde concludit tandem in hunc modũ, ἐπειδὴ γὰρ τὸ οὕτως ἐπανορθοῦσθαι προσῆκεν, ὡς μηδὲν μετὰ τῶν πατροκτόνων τε καὶ κυριοκτόνων ἐκείνων ἡμῖν κοινὸν εἶναι· ἔστι δὲ τάξις εὐπρεπὴς, ἣν πᾶσαι αἱ τῶν δυτικῶν, καὶ μεσημβρινῶν, καὶ ἀρκτώων τῆς οἰκουμένης μερῶν φυλάττουσιν ἐκκλησίαι, ἥν τινες τῶν κατὰ τὴν ἑῴαν τόπων οὐ προσίενται. ὧν ἕνεκεν ἐπὶ τοῦ παρόντος καλῶς ἔχειν ἅπαντες ἡγήσαντο, *Cum igitur hæc ita corrigi oporteat, vt ne quid nobis sit cũ parricidis Iudæis, qui Dominũ nostrũ occiderũt, cõmune: est vero ordo ille decorus, quẽ oẽs Occidẽtales, Meridionales, & Septẽtrionales Ecclesiæ seruãt, etsi eũ quædã Orientales non admittãt: propterea in præsens ita censuerunt omnes recte se habere*. Ex quibus verbis apparet Nicenos Patres hanc Controuersiam definiuisse, non ex argumentis necessariis, cuiusmodi quærenda sunt in articulis fidei, sed probabilibus, quæ locum habent in iis quæ pertinent ad decorum Ecclesiæ.

XII. De Mariæ virginitate, id docent Scripturæ Sacræ, quod est ad fidẽ necessarium: Mariam virginem, hoc est, à viro integram, ex Spiritu Sancto concepisse, deinde peperisse Filium Dei. Cætera vero, vtrum ne in partu quidem apertus sit vterus, an etiam vsq; ad mortem viro intacta permanserit: illud curiose, nec satis pudenter inuestigari credimus, hoc autem pie credimus: cum nihil sit in Scriptura, quod repugnet: etsi non sit articulus fidei. Qua de re alias.

XIII. Euangelium illud, quod circumfertur Nicodemi nomine, cuius sit, nõ magis certe ex Scriptura probari debet, quam sintne Æsopi quæ leguntur fabulæ, aut aureus asinus Apuleii. Sufficit argumentis necessariis euinci, ineptissime consutum somnium, non sine blasphemia inter Canonicos libros numerari posse. De Epistola ad Philemonem idem iudicium cum cæteris Canonicis, de quibus suo loco, vt de reliquis exemplis.

CAP. XVI.

De hæreticis prouocantibus ad Scripturam.

I. PLerique hæretici, si non omnes, prouocant audacissime ad Scripturam. Ergo Scriptura sola non est iudex, & norma omnium Cõtrouersiarum. Argumentum rursus est Gretseri, consequentiam probantis hoc syllogismo, Nullus reus, qui euidenter scit se damnatum iri, prouocat audacissime ad iudicem, à quo scit euidenter se damnatum iri. Sed hæretici sunt rei. Ergo non prouocarent ad illum iudicem, à quo euidenter scirent se damnatum iri.

II. Franciscus Cordubensis paulo aliter concipit: *Si*, inquit, *Dei verbum religionis dogmata exponit, & controuersias decernit, cum omnes sectarij purum Dei verbum sibi vendicent, quid est, quod adhuc in tanta rerum & verborum Controuersia versantur?* Quasi diceret: Quicunq; iudex est omnium Controuersiarum, eum qui sibi vendicant, nihil habent controuersi: at Scripturam & sibi vendicant hæretici, & habent multas controuersias. Ergo Scriptura non est iudex omnium Controuersiarum.

III. Respondeo ad vtrumque sigillatim. Ad Gretserum, recte fuisse illi ab Hunnio negatum consequentiam: vtpote, quæ nullo nitatur rationis fundamento, alias oporteret nullum esse iudicem, ad quem fiat prouocatio. Exempli gratia: Prouocabat Paulus ad Cæsarem, Actorum 25. an credimus, eam ob causam non fuisse Cæsarem Pauli iudicem: Imo contra, eo ipso constat fuisse, quia Paulus appellauit. Similique ratione eo certius constat omnium Controuersiarum iudicem esse Scripturam, quia ad eam prouocant, non tantum Catholici, vt Basilius, Optatus, atq; alii, sed etiam hæretici: quod non fieret, nisi vtrisq; notum esset; id ius esse Scripturæ.

IV. Probatio consequentiæ est vitiosissima. Primo, non probat id quod negabatur, quodq; positum fuerat pro argumento. Quod vt fiat manifestũ, sic expleo syllogismum, quem Gretserus reliquerat imperfectum. Nemo ad quem ab hæreticis prouocatur, est iudex omnium Controuersiarum. At omnes hæretici prouocant ad Scripturam: ergo Scriptura non est iudex omniũ Controuersiarum. Nos maiorem negamus, quæ, quia non erat expressa, ideo consequentiam nominabamus. Debuit igitur Gretserus probare hanc maiorẽ, ac proinde ex ea cõponere conclusionem posterioris syllogismi. Quod tamen non facit. Quis enim non videt, quantopere differant hæ propositiones, *Nemo, ad quem ab hæreticis prouocatur, est iudex Controuersiarum*: &, *Hæretici non prouocarent audacissime ad illum iudicem, à quo euidenter scirent se damnatum iri?* Enimuero, etiamsi non prouocarent, tamen Scriptura esset iudex, quę inuitos etiam ac recusantes damnaret.

V. Secundo, huius secundi syllogismi maior non est certa. Prouocant n. sæpe multi etiam ad eos iudices, à quibus certo sciunt se condemnandos, varias ob causas. Vel vt tanti temporis interea lucrum faciant, vt sępe etiam manifestorum criminum rei: vel vt ne sibi ipsis defuisse videantur: quomodo Paulus ad Cæsarem, etsi certo sciret, ex reuelatione, sic sibi testificandum esse Romæ, vt Hierosolymis, Act. 23. & nostro tempore plurimi martyres, qui à sententia Ordinariorum prouocabant ad superiores, etsi experimento didicissent æq; ab his, atq; ab illis in ignem coniici eos, qui Papismum improbarent. Vel denique (ne omnia colligam) vt interea fatigentur aduersarii firmiores, incautiores decipiantur: quod est frequentissimum hæreticis prouocantibus ad Scripturam, teste Tertulliano in Præscriptionibus.

VI. Cæterum fieri potest, vt hæretici nesciant manifeste se damnatum iri à Scripturis: sed nihil hoc ad rem: non enim quæritur, quid illi sciant, aut nesciant, sed quid sit re verum, & apud Paulum legimus, ad Rom. 2. *Qui sine lege peccauerunt, sine lege quoq; peribunt*: quamuis certum sit legem esse perfectissimam regulam operum. Quinetiam Patres asserunt ignorationem Scripturarum esse causam hæreseon. Et Irenæus ita scribit lib. 3. c. 2. *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex authoritate*. Quibus verbis, quis non videt significari, hæreticos statim atque percipiunt se à Scripturis condemnari, respuere earũ autoritatem? Ergo, cum non respuunt, necesse est eos non percipere se ab eis damnari. Illustratur idipsum exemplo nostrorum Papistarum, qui, quia sentiunt, si cogantur, secundum Tertullianum, sua de Scripturis sistere, stare non posse, ideo nunquam ad eas prouocant; imo ferre non possunt, cum ad eas prouocantur.

VII. Præterea vt ignorent quidam, tamen non omnes. Nam Theodoretus his verbis describit hæreticorũ ingeniũ, in opusculis illis cõtra varias hæreses quæ sunt in 2. tomo oper. Athanasii, ὅταν ἴδωσι μὲν τὴν ἑαυτῶν κακοφροσύνην ἐμποδιζομένην ἀπὸ τῶν τῆς γραφῆς ἀποδείξεων, παραγράφονται τῶν γραφῶν τὸν σκοπὸν καὶ τὴν χρείαν. ὅταν δὲ νομίσωσι συντελεῖν αὐτοῖς γυμνόν τι ῥητὸν πρὸς τὴν ἰδίαν ἐγχείρησιν ἀποτμηθὲν τῆς εἱρμοῦ ἀκολουθίας, ἕλκουσιν αὐτὸ πρὸς τὴν ἰδίαν κατασκευήν: *Si videãt petitis è Scriptura à demõstrationib. stultitiã suã cõstringi, tũ Scripturæ recusant & scopũ & vsum, Si quãdo vero putãt sibi fauere nudũ aliquod effatum à genuina recisum orationis serie ad suum propositũ, accõmodant suis cõfirmandis.* Vnde duo notantur: aliquãdo quidẽ hæreticos sentire se Scripturis cõstringi: aliquando autem putare eas sibi fauere. Priores recusare Scripturam (id enim significat τὸ παραγράφεσθαι, non autem inuertere, vt reddidit Abrahamus Scultetus) non autem ad eam prouocare: posteriores autem prouocare quidem; sed certum est nescire se ab iis condemnari, alias non crederent sibi fauere.

VIII. Iam

VIII. Iam ad Cordubensem: primo negatur maior: Nam & Iurisconsulti, qui easdem leges habent pro norma, siue iudice, habent tamen plurimas Controuersias. Et ipsi Papistæ, etsi omnes admittant suam Ecclesiam pro summo iudice Controuersiarum, tamen in non paucis, non prorsus consentiunt inuicem. Exempli gratia, quidam Papam Conciliis subiiciunt, quidam præferunt. Quidam Papam esse posse hæreticum asserunt, quidam negant: Mariam conceptam absque orginali peccato, nonnulli asserunt: alii impugnant.

IX. Secundo, quæro, quomodo intelligendum sit illud vendicare: verene an falso? Nam si vere, vt sit sensus, eos sibi vendicare Scripturam, à quorum partibus vere stant Scripturam testimonia, negatur minor: nunquam enim sibi hoc modo hæretici vendicare poterunt Scripturarum: alioqui non essent hæretici: quia id hæreticum esse non potest, quod consentit Scripturis. Sin autem non vere, sed falso concedit hæreticos sibi Scripturam vendicare, tum negabitur maior: non enim verum est, eos, qui quocunque tandem modo siue vere, siue falso vendicant iudicem Controuersiarum, nihil habere controuersum.

Cap. XVII.

De Obscuritate regulæ, & eius interpretatione.

I. NVlla omnium Controuersiarum regula est obscura. At Scriptura sacra est obscura: ergo non est regula omnium Controuersiarum. Argumentum est Gregorii de Valentia, *Sententiam* (inquit) *eius autoritatis, cuius de omnibus rebus iudicium est, apertam oportet esse, vt ab omnibus fidelibus commode possit intelligi.* Maiorem probat, *Si non ita perspicue ac plane autoritas illa doceat, non ad eam rem valebit, cuius causa diuinitus instituta est: nempe vt omnes, nisi nimium velint esse cæci, facile cognoscere possint, quid ex fide credere debeant, quid tanquam fidei contrarium repudiare.* Et hoc ipsum rursus. *Quomodo enim conscientia acquiescet, aut in animum aliquis inducet, certo & absque vlla hæsitatione id credere, quod scire clare ipse non possit, ab aliqua authoritate proponi & t[illegible], quam sibi persuadeat esse infallibilem?* Minorem ita confirmat, *Iam vero sententia Scripturæ de maximis etiam fidei quæstionibus, ita obscura & difficilis ad intelligendum est, vt homines etiam bene literati, nedum vulgares fideles, in eius inquisitione facile allucinentur, ab eaque aberrent.* Atque hunc sermonem postea prosequitur fusissime variis corrogatis argumentis, per totum cap. 2. lib. 5. Analyseos.

II. Respondeo primum ad minorem; suo loco & tempore tractandam esse quæstionem de obscuritate Scripturæ, qua iam pridem nouimus Papistas, & in Papistis præcipue Iesuitas, egregie abuti tanquam μορμολυκείῳ, ad absterrendos à libris Canonicis Christianos: non secus ac apud Plautum in Mostellaria, sceleratus Tranio *terrifica monstra ait videri in ædibus,* senem vt ludificaretur. Sed ea nos terriculamenta, fauente Deo, facile amouebimus, cum eo fuerit deuentum. Interea sufficiant nobis luculentissima Augustini Patris piissimi, id est, nihil minus quam Iesuitæ, verba ex c. 9. lib. 2. de Doctrina Christ. *In iis quæ aperte in scripturis posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque viuendi, spem atque charitatem.* Item hæc Chrysostomi, homil. 3. in 2. ad Thessal. πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. *Omnia sunt dilucida & recta, quæ sunt in diuinis Scripturis: manifesta sunt, quæcunque sunt necessaria.*

III. Sed nunc, nego maiorem. Re vera enim obscuritas aut perspicuitas non est de natura regulæ: sed tantum certitudo, & authoritas: nempe, vt certum sit eam esse alienam ab omni errore: esseque per se certum quicquid ab ea habetur. Hæc duo si in Scriptura esse ne aduersarii quidem, quantumlibet Iesuitæ negare possunt, non habent, vnde negent esse regulam, ac propterea iudicem Controuersiarum.

IV. Illud autem probatur; quia primo, regulæ natura est in rebus ipsis: obscuritas vero pertinet ad modum & rationem tradendarum rerum, quæ multis circumstantiis variari potest, rebus iisdem manentibus, nam quemadmodum vnum idemque præceptum est, seu Latine, siue Græce, siue Hebraice dicas, *Non occides,* etsi linguæ sint aliæ aliis obscuriores: sic nulla ratio efficere potest, vt non sit isthæc prohibitio cædis regula, secundum quam iudicari debeant homicidæ.

V. Nec tantum linguarum varietas, sed etiam in eadem lingua phrasium diuersitas, confert aliquid ad perspicuitatem, vel obscuritatem. Sic aliquando obscuriores sunt figuratæ, quam propriæ dictiones: & tamen non amittunt propterea regulæ autoritatem, Eucharistiæ institutionem regulam esse, non tantum nos fatemur, & Papistæ contendunt, sed Paulus etiam ostendit, cum, Corinthiorum defectus vt corrigeret, eam recitauit, & tamen in ea institutione, non tantum nos contendimus figuratum esse, *Hoc est corpus meum,* sed ne Papistæ quidem negare possunt, hæc saltem non esse propria, *Hic calix est nouum Testamentum in sanguine meo.*

VI. Secundo, obscuritas plerumque non est absolute in re ipsa, aut in modo tradendi: sed relate, habita ratione variorum ingeniorum, adeo vt vnum idemque sit huic quidem perspicuum, illi vero obscurum, cum alias ob causas, tum ob maiorem minoremue profectum: & in Ecclesia secundum mensuram gratiæ Dei cuilibet distributæ: vt Paulus ad Philip. 3. *Si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis reteget.* Itaque, si quæcunque obscura sunt ea non possunt dici regula, tum sane accideret, vt vnum idemque præceptum vniquidem, à quo intelligeretur, esset regula; alteri vero minime: ac si pro variis personis amitteretur, aut acquireretur auctoritas regulæ. Quod est absurdissimum. Quis enim audiuit vnquam, regulam ab iis, quibus regula est, habere, vt sit regula?

VII. Tertio ipsa experientia docet, in regularum censu, multas numerari, quæ sunt obscurissimæ. Nam cum nulla lex non sit regula, sciunt tamen Iurisconsulti in suis legibus infinitos esse gryphos; quas tamen nondum antiquarunt, aut etiam antiquare cogitant. Atque adeo, vt si minus ipse Gregorius, certe reliqui Papistæ Scripturam agnoscunt pro regula, etsi non solam: quantumlibet accusent eam nimiæ obscuritatis, æque ac Gregorius.

VIII. Ad primam confirmationem, nego regulam, si non facile doceat, non fore vtilem ad id cuius gratia instituta est: falsumque assero, quod Gregorius supponit, tanquam à se probatum libro Analys. 3. in eum finem institutam esse regulam fidei, vt omnes nisi nimium velint esse cæci, facile cognoscere possint, quid sit tenendum. Neque sane quod posuit, demonstrare potuit: imo ne demonstrare quidem aggressus est. Disputauit enim duntaxat regulam huiusmodi esse debere, vt ad omnem quæstionem extendatur, nec quicquam relinquat, quod ex ea non queat solui. Quæ quidem illi disputatio ἐκ περιουσίας conquisita est: quem enim habet aduersarium?

IX. Sed non sufficere dicimus, si ex regula certo cognosci possit, quid sit tenendum. Id autem fieri, aliquando facilius, aliquando difficilius. Nam quæcunque totidem verbis Scriptura definiuit, ea sunt facilima: exempli gratia, Deum creasse cœlum & terram. Quæ vero non sunt expressa conceptis verbis, paulo difficilius eruuntur: sed eruuntur tamen; & quidem variis gradibus. Spiritum Sanctum esse adorandum, non lego totidem verbis: sed constare tamen ex Scripturis tam certo assero, quam aliud quicquam: & quidem non difficulter. Paulo fortasse difficilius Humanam Christi naturam non subsistere nisi in diuina: sed tamen singula conferendo, tandem euincitur. Animam esse immortalem, non lego diserte in veteri testamento, quod etiam Perronus Tileno obiiciebat, vt probaret Scripturæ imperfectionem: sed elicitur ex infinitis (vt ita dicam) veteris Testamenti locis.

X. Ad secundam confirmationem, qua hæc prior fulciebatur, concedo non posse absque hæsitatione id credi, quod non clare sciri possit esse ab aliqua auctoritate infallibili. Sed inde nego confirmari eam facilitatem, de qua est quæstio. Non enim idem est clare scire, & facile scire. Nam etiam quæ multo labore ac sudore, id est, difficile discuntur, ea clare tandem sciuntur ac certo. Sic ex quo intellexerunt fideles illud, *Ego & Pater vnum sumus,* significare essentiæ identitatem, etsi cum aliqua difficultate propter Arianorum sophismata, tamen iam & clare, & certo sciunt τὸ ὁμοούσιον esse ab auctoritate infallibili.

XI. Huic vicinum argumentum Lorichii. Nulla lex, de cuius sensu dubitatur, seipsam declarare, & sententiam dicere potest. At Scriptura Sacra est ipsa lex, de cuius sensu vel intelligentia dubitatur. Ergo non potest de se ferre sententiam, siue iudicare quis verior sit sensus. Et maior probatur: quia nulla lex seipsam interpretatur: sed opus habet doctissimis viris.

XII Respondeo, legis nomen proprie dici de singulis capitibus: non autem de toto corpore legum: nisi improprie. Sic nemo dixit vnquam legem Solonis, aut Draconis, aut duodecim tabularum: sed leges. In Ecclesia tamen vsus contra inualuit: non solum enim leges Decalogi dicuntur decem; sed etiam totus ipse Decalogus, lex; imo vero etiam quinque libri legis. Itaq; ad Syllogismum respondeo, Minorem esse falsam, de lege dicta priori sensu; id est, pro singulis legis capitibus. Non est n. verum totam Scripturam esse vnum aliquod caput legis, definientis rem aliquam. Quod si priori sensu legem sumat, distinguo legem, de cuius sensu dubitatur. Nam id intelligitur vel vniuersaliter, vt eius legis nullæ sint partes, de quarum sensu non dubitetur: vel ἀδιορίστως, vt eius legis nonnullæ sint particulæ, quarum interpretatio vertatur in dubium. Illo sensu negatur assumptio. Sunt enim quam plurima capita Scripturæ, quorum sensus certus. Altero autem sensu negatur maior: nihil enim obstat quominus perspicua capita lucem præferant obscuris: quo modo veteres senserunt.

XIII. Nam quod excipit, hanc locorum collationem non fieri à Sacra Scriptura, sed à viris doctissimis, & in Scripturæ lectione exercitatissimis. Itaque non seipsam, sed eam Doctores interpretari: hoc nullius est momenti: quia enim iis viris doctis iidem loci, qui comparantur, non extrinsecus assumuntur, sed ab ipsa Scriptura sufficiuntur, ideo recte dicitur Scriptura seipsam interpretari. Atque ita loqui solent omnes: & merito. Nam tum viri docti, non sunt nisi instrumenta quædam eruendi sensus ex locorum comparatione. Concurrunt autem in eodem opere, causa præcipua, & causa instrumentalis. Sic panis alit, & diues alit pauperem. Sic Spiritus Sanctus docet fideles, & Pastores docent fideles. Nempe Spiritus per Pastores. Ineptum est igitur, si quis dicat, Docti viri è Scriptura sumunt Scripturæ interpretationem: Ergo Scriptura sese non interpretatur: Sed Docti viri eandem interpretantur: Imo vtrumque verum est.

Cap. XVIII.

An Scriptura sit accommodata ad omnes errores cauendos.

I. REgula, quæ ad iudicandas omnes fidei quæstiones diuinitus est instituta, proculdubio accommodatissima est ad cognoscendos & cauendos errores omnes fidei cõtrarios. At Scriptura Sacra sic omnino composita est, vt experientia etiam doceat, eam per se solam, non tam regulam accommodatam esse ad declinandos omnes errores, quam arcano Dei iudicio esse velut lapidem offensionis, & in tentationem pedibus insipientium, vt qui velint ea sola niti, facillime impingant & errent. Vnde enim illi errores existunt nisi de Scripturis male intellectis? Aut qui fieri potest, vt quæ doctrina tam facile ab hominibus adulteratur, vt in patrocinium omnium errorum aduocetur, eadem sit accommodatissima, aptissimaque regula ad reiiciendum omnes omnino errores. Non magis certe hoc stare potest, quam si quis diceret, accommodatissimum remedium ad recte videndum, ex quo accideret omnes cæcutire, quicunque fierent cæci.

II. Deus bone! tantamne inter Christianos blasphemiam! Et neget aliquis Papistas in accusationem conuerti Scripturarum? Et neget aliquis Papistas esse hæreticos? Horrui profecto hæc legens & reuocaui in mentem ista apud Pamelium, annotat. 237. in Tertulliani præscriptiones. *Posteri, grata sane, & perleganti metaphora, Scripturam vocarunt ceream, eiusque cereum nasum dixere, quia possit ad libitum quocunque flecti. Tam facile est enim, imo facilius est ad res profanas & impias probandas detorquere sanctam Scripturam quam facile est ex pedibus ac semipedibus, aut Penthemimeribus Virgilianis epithalamia; seu quiduis aliud in vnum congerere.* Ναὶ ἴσχυν κύριε Ἰησοῦ. Sed argumentum est Gregorii de Valentia, αὐτολεξεὶ descriptum: quod ita per partes dispono. Primus Syllogismus, Omnis regula fidei est accommodata ad omnes errores vitandos. At Scriptura non est accommodata ad omnes errores vitandos. Ergo, Scriptura non est regula fidei. Maior per se patet. Minor probatur duobus Argumentis. Primum continetur hoc secundo syllogismo: Quæcunque Scriptura, arcano Dei iudicio, est velut lapis offensionis, vt qui velint ea sola niti, facillime impingant, & errent: ea non est accommodata ad cauendos omnes errores. At Scriptura est huiusmodi. Ergo non est accommodata ad omnes errores cauendos. Probatur minor tertio syllogismo, Quæcunque Scriptura est eiusmodi, vt ex ea male intellecta oriantur omnes errores,

ea

ea est lapis offensionis. At Scriptura est eiusmodi. Ergo est lapis offensionis. Alterum argumentum ad minorem primi syllogismi, hoc quarto continetur, Nulla Doctrina, quæ tam facile adulteratur, vt in patrocinium omnium errorum aduocetur, est accommodata ad errores omnes vitandos. At Scripturę Sacræ Doctrina est eiusmodi. Ergo non est accommodata ad omnes errores vitandos.

III. Respondeo, negari minorem primi syllogismi. Et contra verum esse, Scripturam omnino accommodatam esse ad omnes errores refutandos, ideoque vitandos. Quia enim sufficit ad omnem veritatis confirmationem: sic enim Athanasius pronunciauit αὐτάρκη εἶναι πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν; qua de re alias, hoc est, in controuersia de Perfectione Scripturæ. Et rectum iudex est sui & obliqui. Ergo Scriptura, eo ipso quod sufficiat ad veritatis præconium, sufficit etiam ad omnium errorum refutationem. Qua de re rursus plura in eadem Controuersia. Et si verum est, quod Veteres asserebant, ex Scripturarum ignoratione hæreses originem ducere: tum contra verum erit ex earundem cognitione, hæreses omnes fugari.

IV. In secundo syllogismo lapis offensionis distinguendus est. Dupliciter enim dicitur, vel per se, vel per accidens. De lapide offensionis per se conceditur maior: sed negatur minor. Est enim Scriptura vere salutaris doctrina: imo lucerna pedibus nostris, teste Dauide, vt paulo ante vidimus: quia eius beneficio habent fideles, ne offendant in viis suis; vt notabant ad eum locum interpretes. Sunt autem hæc prorsus contraria; vt nullo modo possit, quæ lucerna est pedibus nostris, esse eadem per se lapis offensionis.

V. Iam vero de lapide offensionis per accidens, conceditur minor. Quidni enim id confiteamur de Scriptura, quod de ipso Christo certissimum est? Lucæ 2. *Positus est iste in casum & resurrectionem multorum.* Esse autem sic intelligendum confirmatur ab ipso tertio syllogismo; qui oriri omnes errores asserit, non à Scriptura simpliciter, hoc est, ab ea Doctrina, quæ continetur in Scriptura: sed à Scriptura male intellecta, hoc est, ab ea Doctrina, quæ non est in Scriptura: & vt loquitur Clemens Papa apud Gratianum dist. 27. ex sensu extrinsecus alieno, & extraneo.

VI. Sed negatur maior. Quemadmodum enim Christus, etiamsi per accidens sit lapis, ad quem multi offendant, nihilominus est vere, & quidem solus, causa salutis credentibus in eum. Sic Scriptura, etiamsi à plurimis torqueatur ad proprium interitum, est tamen Doctrina prorsus vera, sancta, & diuina: ac proinde ob eum abusum non potest deturbari de sua auctoritate, vt desinat esse regula fidei.

VII. Est etiam falsum quod Gregorius asseruit, eos, qui sola nituntur Scriptura, facile impingere. Nemo enim errans sola vtitur Scriptura. Nam qui ea sola nititur, ex ipsa Scriptura sensum capit veritatis, vt idem Clemens docebat faciendum. At non faciunt, sed extraneum inferunt aliunde, vel à se inuentum, vel ab aliis acceptum, vt Papistæ, qui, exempli gratia, eum locum Matthæi 26. *Bibite ex hoc omnes*: non ex natiuo sensu explicant, siue ipsorum verborum, quæ mandatum significant omnibus præsentibus, vt biberent de calice consecrato: siue aliorum locorum, vt Marci 14. *Biberunt ex eo omnes*, vnde constat id factum, quod verba mandati significabant, & prior ad Cor. 11. confirmatur, *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hunc biberitis.* Sed inferunt in eum sensum quendam desumptum ex praxi suæ Ecclesiæ, quę hoc habet, vt nemo bibat præter vnum: vt iam sensus sit, *Bibite ex hoc omnes*: id est, is tantum bibat qui consecrat. Hi sane non sola nituntur Scriptura: sed Scriptura & traditione: vel potius Scripturam ex traditione στρεβλοῦσιν, vt loquitur Petrus.

VIII. Quarti syllogismi etiam non difficilis solutio, primo, falsa est minor: quia fieri non potest, vt Scripturæ Doctrina adulteretur: etsi fieri interdum possit, vt eius verba in alienum sensum detorqueantur. Differunt enim verba, & Doctrina, tanquam signum & res significata: & signa quidem aliquando sunt πολύσημα; ideoque possunt varie intelligi: sed eius tamen qui locutus est sensus non potest esse non vnicus. Sic, cum legimus, *Verbum caro factum est*, Ioannis 1. possunt quidem verba, si ipsa nuda considerentur, intelligi vel de assumptione, vt apud Catholicos, vel de confusione, vt apud Eutychianos: sed fieri tamen non potest, vt verus eorum verborum sensus sit hic posterior, quod euincitur ex aliis locis; quantumlibet omnes Sophisticæ neruos intendant hæretici. Si ergo non potest alius esse Scripturæ sensus, non potest eius doctrina adulterari.

IX. Secundo; ne ipsa quidem verba detorqueri possunt omnia; sed tantum quædam. Nulla enim est hæresis, quæ totum corpus Scripturæ accommodare possit, ita vt eius mendaciis conueniant quæcunque leguntur. Nam remanent, aut quidam, aut certe multo plures loci integri, vt nullo artificio obscurari possint: ex quibus deprehenditur reliquorum falsatio. Sic Tertullianus de Resurrect. carnis, c. vlt. *Pristina* (inquit) *instrumenta quasdam materias illis videntur subministrasse: & ipsas quidem iisdem literis reuincibiles.*

X. Itaque distinguo: Doctrina enim Scripturæ, siue potius verba, adulterari dicuntur, vel ὅλως, vt tota Scriptura errori faueat: vel ἀνὰ μέρος, vt eius tantum partes detorqueantur. Si ὅλως, negatur minor: quia id accidere Scripturæ nunquam potest. Si ἀνὰ μέρος, negatur maior: quia, si ex aliis locis reuincitur alicuius loci deprauatio: Ergo Scriptura non fauet vlli errori, neque in eius patrocinium adduci potest: propterea hoc argumento non potest spoliari auctoritate regulæ.

CAP. XIX.

De Prophetiæ propria interpretatione.

I. ARgumentatur etiam Gregorius ex 1. c. Epist. Petri post. *Quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.*

II. Hic primum eos refellit, qui censent mentem esse Apostoli, nullum Scripturæ locum interpretandum ex ingenio proprio, non collatis & consultis aliis locis. Refellit autem duobus argumentis. Primo, quia id nullus putauit hæreticorum: ac proinde non fuisset opus tam serio monere. Secundo, quia si vnum aut alterum locum ingenio sensuque proprio interpretari non licet; multo minus plures, inter quos collatio constituitur.

III. Deinde suam ipse profert expositionem priuato suo labore, atque proprio studio, quacunque demum ratione, atque adeo ne ex ipsa quidem Scriptura, Doctrinam Scripturæ certo ac infallibiliter in controuersis quæstionibus intelligere posse: sed opus esse, vt discat ex aliqua alia auctoritate in Ecclesia, communi, per quam Spiritus Sanctus communiter loquatur, omnesque doceat. Ratio est, quia, quemadmodum non auctoritate humana sed diuina loquuti in Scripturis sunt sancti Dei homines: ita etiam non humana ac propria industria huius vel illius hominis, vllo modo ne ex ipsa quidem Scriptura, sententia Scripturæ certo cognoscenda est, sed ex aliqua auctoritate item diuina, per quam ipse Spiritus Sanctus sit certissimus Scripturæ interpres.

IV. Respondeo primum de interpretatione: deinde de vi argumenti. Quod attinet igitur ad Apostoli verba, constat sensum esse, non magis humano ingenio exponi, quam primo proponi Prophetias. Et in id conspirant aut omnes, aut plerique omnes interpretes: facileque conicitur ex verbis sequentibus, *Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia: sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti homines Dei.* Quasi diceret, artes liberales, scientiasque altiores, vt inuentæ sunt primum, solerti indagatione humani ingenii; ita posse explicari sola eiusdem ingenii virtute, seipsum colligentis ac neruos intendentis. Exempli gratia, Non expectanda est aliqua particularis & extraordinaria Spiritus gratia ad intelligendos Aristotelis libros, obscuros alioqui, Quia ne Aristoteli quidem adfuit Spiritus: quantumlibet suos acroamaticos iactet apud Aulum Gellium, καὶ ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους, neque editos neque non editos: at Pauli Epistolas ille nunquam recte interpretabitur, qui sola sui ingenii virtute nixus ad eas accedit: ratio est, quia Paulus, non minus quam Petrus, ea, quæ scripsit, habuit, non à carne aut sanguine: sed à Patre, qui est in cœlis. Vnde Caietanus in eum locum, *Inter scriptas scientias, & scriptas Prophetias differentiam tangit; penes hoc, quod vir doctus ea, quæ in lumine intellectus agentis apparent, iuxta propriam interpretationem, & docet & scribit. Propheta autem, ea, quæ sibi sub lumine diuinæ reuelationis apparent, non secundum proprii iudicii interpretationem & dicit & scribit.*

V. Hæc sunt absque controuersia; sed non perinde quæ Gregorius disputat. Nam primo, non recte refellit priorem interpretationem asserentium non esse singulos locos seorsim, & per se interpretandos ex ingenio: sed ex collatione cum aliis. Et miror, ausum profiteri nullum hæreticorum putasse Scripturas, & seorsim, & ex ingenio proprio exponendas: nam vtrumque prorsus constat ex veterum querelis. Tertullianus aduersus Hermogenem, c. 19. *Occasionem sibi sumpsit quorundam verborum: vt hæreticis fere mos est, simplicia quæque torquere.* Clemens Alexandrinus Stromat. 7. clamat eos excerpere nonnulla, οὐχ ὡς τὸ ὕφος καὶ τὸ σῶμα τῆς προφητείας ὑπαγορεύει; aliter quam poscit contextus, & corpus Prophetiæ. Theodoretus paulo ante, γυμνόν τι ῥηθὲν ἀποτεμόντες τῆς οἰκείας ἀκολουθίας ἐλκύσαι πρὸς τὴν ἰδίαν κατασκευήν, nudum aliquod effatum recisum ex propria serie, detorquere ad suam confirmationem, οὐ τῇ δηλουμένῃ διανοίᾳ δουλεύοντες, ἀλλὰ πρὸς τὴν οἰκείαν κακοτεχνίαν τὰς συλλαβὰς βιαζόμενοι. Non ipsos subiicientes se manifesto sensui: sed ad proprii ingenii artificium malum vi pertrahentes syllabas. Sic illi, sic alii complures: ne in re clara multos testes non necessarios corrogem.

VI. Esse vero legitimam consequentiam, si vnum aut alterum locum ingenio sensuque proprio non liceat interpretari, ergo multo minus plures inter quos collatio instituitur, absit vt nullus neget sanæ mentis. Sed velim mihi, aut ipse Gregorius, aut pro eo acutior aliquis Iesuitulus, ostendat, quid ea faciat aduersus eam, quæ impugnabatur, verborum Petri interpretationem. Aut, si id difficilius est; saltem quid contra eos faciat, qui asserunt Scripturam esse controuersiarum regulam. Ego enim videre non possum.

VII. Contra autem vere credo hoc loco indicari eam interpretationem Scripturæ, quam nos vrgemus, quam Iesuita oppugnat. Nam quia oportet esse à Spiritu Sancto, quæcunque tandem profertur ἐπίλυσις: necesse est hauriri ab inspiratione, vel ordinaria, vel extraordinaria. Extraordinaria, vt cum Daniel intellexit, somnia regis eorumque significationem exposuit. Sed hæc ratio nunc nulla expectatur: & iampridem cum Montani paracleto τῶν ἐνθουσιαστῶν Prophetias valere iussit Ecclesia.

VIII. Restat igitur ordinaria; quam quis neget è Scriptura peti? Certe ipse Daniel, etsi Propheta, perindeque alias non indignus habitus reuelatione extraordinaria, tamen se profitetur intellexisse numerum annorum septuaginta, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam Prophetam *ex libris*: id est, annotante sic Iunio, tum Prophetiarum Iirmeiæ, quibus annorum numerus fuerat præfinitus, tum historiis temporum, quæ à deportationis initio effluxerant. Nec alia causa erat Beroensibus comparandi cum Scripturis prędicationem Pauli: aut Paulo Timotheum hortandi, vt attenderet lectioni; cap. 4. prior. Epist. aut denique affirmandi Scripturam vtilem esse ad instructionem, redargutionem, & reliqua; vt homo Dei esset ἄρτιος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος; perfectus, ad omne opus bonum perfecte instructus.

IX. Sed in interpretatione Gregorii hæc reprehendo. Primum, quod αὐτὶ τῆς ἰδίας ἐπιλύσεως, substituerit, proprium laborem: quasi negarit Apostolus, vllo modo cuiquam laborandum, vt Scripturarum intelligentiam adipiscatur. Quod contra semper factum est: imo etiam præceptum à Domino, cum diceret, ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *Scrutamini Scripturas.* Est enim scrutari, aliquid magna diligentia ac solicitudine quærere. Vetus Glossarium, ἐρευνῶ, *Scrutor, rimor.* Festus, *Rimari, valde quærere, vt in rimis quoque.* Etymologicum magnum, ἐρευνᾷ ἐπὶ πολὺ ἐρευνῶν ἐνδιατρίβει: *Qui scrutatur, multum in inquirendo satagit.* Prætereo Augustinum, multa de hac diligentia præcipientem in libris de Doctrina Christiana.

X. Deinde, opponuntur tanquam dissentanea, quæque se inuicem tollant; hinc quidem labor priuatus propriumque studium ex ipsa Scriptura: illinc vero, auctoritas in Ecclesia communis, per quam Spiritus Sanctus communiter loquatur, & omnes doceat. At hoc inepte factum est. Nam neque priuatus labor, propriumque studium, opponenda fuerunt ei auctoritati, cui potius subordinantur: & Scriptura, est ea ipsa communis auctoritas in Ecclesia, per quam Spiritus Sanctus omnes docet.

XI. Tertio, quis non miretur huius hominis tyrannidem; qui cum alienam sententiam adeo refellat frigide, suam tamen obtrudat nullo confirmatam argumento, αὐθεντίᾳ μόνῃ τῇ οἰκοδομεῖν κατασκευάζων, vt de sui temporis hæreticis Theodoretus loquebatur? Quasi vero, tantam sibi comparassent in orbe pietatis, doctrinæque famam Iesuitastri Loyolitæ, vt quicquid excreare libuerit, vnum nobis supersit αὐτὸς ἔφα.

XII. Iam nō argumentū hoc esse dico, sed merā μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Cū n. quæstio sit, vtrū Scriptura sit regula omniu Controuersiarū, iste mihi de Scripturarū interpretatione litē mouet, negans esse interpretandas proprio labore. At hæc alia est Controuersia, de qua suo tandē tempore agendū erit.

XIII. Nec

XIII. Nec ſequitur, ſi non ſit à quoquam ſic interpretanda, non eſſe regulam fidei. Enimuero quomodocunque tandem quis interpretetur, ſiue ex inſpiratione extraordinaria, vt olim Prophetæ & Apoſtoli: ſiue ex auctoritate Eccleſiæ, vt volunt Papiſtæ: ſiue ex diligenti collatione locorum, vt nos contendimus: quia tamen interpretari nihil eſt aliud, quam iudicare genuinum ſenſum eorum verborum quæ leguntur: & eum ſenſum oportet eſſe intrinſecum, hoc eſt, non violenter aliunde illatum, ſed ipſis Scripturis, vt ita dicam, ἀυτοφυῆ, ab iiſque decerptum: ideo interpretatio Scripturæ, erit ipſa Scriptura: ac proinde propter interpretationem nihil amittit illic de ſua auctoritate.

Cap. XX.

An Scriptura doceat omnes & ſingulos, & de obedientia Eccleſiæ debita.

I. SI Scriptura eſt regula fidei, ergo per Scripturam ſolam Deus omnes ac ſingulos de rebus fidei ſufficienter docet. At Deus ſufficienter non docet omnes per Scripturam ſolam. Ergo Scriptura non eſt regula fidei. Argumentum eſt rurſus Gregorii de Valentia; c.47. lib.5. Analyſeos: vbi tamen illud coniiciendum reliquit ex capitis titulo, non autem explicuit in contextu.

II. Probat vero minorem diligentius. Quærendum eſt (inquit) vtro modo Deus doceat per ſolam Scripturam. Nunquid ita omnes ac ſingulos docet per ſolam Scripturam, vt nequeant omnino ipſi falli, dum iudicant ſe aliquid in fidei quæſtionibus didiciſſe ex Scriptura diuinitus? an vero ita, vt permittat eos in huiuſmodi iudicio quandoque falli? Primum dici non poteſt: quia oportet hæreſes eſſe: & ſunt ob Scripturam male intellectam. Poſteriori autem modo, non ſatis bene conſuluiſſet hominum ſaluti Deus.

III. Reſpondeo, primum negari conſequentiam argumenti, quam ille nulla ratione fulciuit. Nam etſi ad docendos ſingulos fideles, Deus adhibeat alia inſtrumenta præter Scripturam; nimirum Paſtores, & Doctores, hoc eſt, ex idiomate papiſtico, Eccleſiam: tum alias ob cauſas, tum quia non omnes poſſunt per ſe Scripturas intelligere: vt accidit Eunucho reginæ Candaces, Act.8. qui à Philippo accepit ſenſum Eſaiæ: tamen, quia Scriptura fundamentum eſt Doctorum; propterea non minus Scriptura eſt regula fidei.

IV. Secundo negatur aſſumptio. Nam ſi & omnia ad fidem neceſſaria Deus comprehendit in Scripturis; & ita comprehendit, vt nihil habeant admixtum falſi. Ergo neceſſe eſt fateri, Deum per Scripturas ſufficienter docere. Antecedentis autem poſteriorem partem ipſi fatentur aduerſarii, priorem nos aliquando probabimus proprio loco.

V. Ad probationem reſpondeo, diſtinguendum eſſe inter docere, & diſcere, quorum illud eſt Dei, hoc vero hominum. Aberrat igitur à ſcopo Gregorius, quando, cum probare debuiſſet Deum non ſufficienter docere, tantum oſtendit homines, non ſufficienter diſcere. Atqui ne inter homines quidem vlla eſt Doctoris culpa, ſi non proficiant diſcipuli, aut ſegniores, aut hebetiores. Quis igitur audeat Deum accuſare, ſi Scriptura non bene nos vtamur? Imo eſto potius omnis homo mendax.

VI. Reſtat alterum Gregorii argumentum: Si ex Scripturis ſolis diſcenda eſſet fides, non oporteret, ex diuino mandato, Eccleſiæ in credendo obedire, illius iudicio prorſus acquieſcendo, eique ſubmittendo iudicium proprium. At poſterius abſurdum. Ergo & prius. Conſequentiæ ratio: quia liceret ſemper illi refragari prætextu Scripturæ. Conſequentis abſurditas inde patet, quia veram & Chriſtianam fidem, cum quadam obedientia mentis, nempe erga Eccelſiam, per cuius os Deus loquitur, & auditur, coniunctam eſſe neceſſe eſt.

VII. Reſpondeo, primum in Antecedente, ambiguum eſſe illud, ex ſolis Scripturis fidem diſci. Vel enim excluduntur media alia omnia præter Scripturam: vel tantum alia principia, aliæque regulæ: vt ſit ſenſus, ex ſola Scriptura, tanquam ſummo principio, aut certiſſima regula, fidem eſſe petendam. Priori ſenſu concedimus totum argumentum. Neque enim adeo inſaniuimus, vt negemus quod nos Scriptura diſertiſſime docuit, datos eſſe Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores, *ad ædificationem corporis Chriſti, donec euadamus omnes in vnitatem fidei*, quarto ad Epheſios. Quod ſi quos nouit Gregorius hæc impugnantes, agat ſane cum illis, de nobis omnino ſecurus: qui ſcimus, non tantum ab Eccleſia, id eſt, ab omnibus ſimul Paſtoribus, ſed etiam à ſingulis: nec tantum à Paſtoribus, ſed etiam à priuatis fidelibus diſcendam eſſe veritatem. Nam & hoc ſæpe accidit.

VIII. Paulus n. de mulieribus prior. ad Cor.14. *Quod ſi quid diſcere velint, domi viros ſuos interrogent.* Et Act.11. *illi, qui diſperſi fuerant ex oppreſſione orta ob Stephanum, loquuti ſunt Græcis, euangelizantes Dominum Ieſum.* Indos Ædeſius & Frumentius primi ad fidem conuerterunt: Iberos etiam vna mulıercula, teſte Socrate lib.1.c.15. & 16. Quid? nonne etiam fingunt Papiſtæ à ſua Catharina, non tantum fuiſſe Maxentium obiurgatum publice, ſed etiam quinquaginta Philoſophos, tum vxorem Maxentii, & Procopium ducem exercitus, ad fidem Chriſtianam conuerſos?

IX. Poſteriori autem ſenſu; diſtinguimus obedientiam. Nam alia eſt abſoluta, propter ſummam iubentis auctoritatem, quæ ſit omni exceptione maior. Et ſic concedimus argumentum. Neque enim probamus cæcum illud obedientiæ genus, à Ieſuitis recens excogitatum, vt ſit iuxta prouerbium, mali corui malum ouum; quo volunt abſolute & ſimpliciter, atque adeo ἀνεξετάστως inferiores pendere à ſuperioribus, προστάττοντες (vt verbis vtar Theodoreti) τοῖς μὲν ὠσὶν ἀκούειν τῇ δὲ καρδίᾳ μὴ συνιέναι: *præcipientes auribus quidem audire, corde vero non intelligere*, Nimirum, vt ſint cæci cæcorum duces. Certe, εἰ ἁπλῶς ἅπερ, ἂν ἀκούσῃς καταδέχῃ. οὐκ ἔστι τοῦτο ἀνδρὸς, inquit Chryſoſtomus in Acta homil.23. Non eſt viri accipere ſimpliciter quæ audit.

X. Negatur autem eadem opera, etiam ratio conſequentis. Quia licet verum ſit fidem coniunctam eſſe cum obedientia mentis; tamen falſo eam refert Gregorius ad Eccleſiam; quæ eſt referenda tantum ad Deum. Alias enim valet Pauli ſententia prior. ad Theſſalon.5. *Omnia explorate, quod bonum fuerit, retinete*: Erat autem hæc non tam ratio, quam mera petitio principii.

XI. Alia eſt obedientia, non abſoluta, ſed ſubalterna & ſubordinata: eis exhibenda: quorum opera Deus vtitur ad ſalutem noſtram promouendam. Et ſic negamus iterum conſequentiam. Cum enim Scripturæ ſuus honos redditur, non denegatur ſuus Paſtoribus, id eſt, Eccleſiæ. Sic, etſi agnoſcat Athanaſius Epiſtolis ad Dracontium, munus eſſe Epiſcopi, vt adferat plebi τροφὴν, τὴν ἐκ τῶν γραφῶν διδασκαλίαν, pro cibo, doctrinam non quamlibet, ſed ex Scripturis: tamen idem, Epiſtola ad Palladium, vult Monachos Baſilio Epiſcopo, ὡς τέκνα ὑπακούειν πατρὶ, καὶ μὴ ἀντιλέγειν οἷς αὐτὸς δοκιμάζει, tanquam filios Patri obtemperare; neque iis quæ ille probaret, contradicere.

XII. Negatur autem ratio conſequentiæ. Non tantum enim non ſemper: ſed ne vnquam quidem licet, Eccleſiæ, ſiue Paſtoribus refragari prætextu Scripturæ, quandoquidem prætextus ſignificat non certam neceſſariamque cauſam, ſed artificioſe captatam occaſionem. Licet tamen aliquando refragari; nimirum, ſi quando Scripturæ contradicant: tum enim non artificioſa, ſed neceſſaria; non conquiſita, ſed oblata cauſa eſt.

Cap. XXI.

An Euangelium ſit Scriptura.

I. SI Euangelium non eſt Scriptura: ergo non erit prima regula in rebus fidei Scriptura. Argumentum eſt Carranzæ mutuatum ab Eckio. Et probat antecedens: primo, quia Chriſtus nihil ſcripſit, nihilque ſcribendum mandauit Apoſtolis, aut diſcipulis: ſed dixit Matth.28. *Euntes docete omnes gentes ſeruare quæcunque mandaui vobis.* Et Marci vlt. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium.* Docere igitur & prædicare iuſſi ſunt Apoſtoli, non ſcribere.

II. Secundo, Euangelium non eſt Scriptura, ſed vocalis annuntiatio. Euangelium enim bonum nuntium ſignificat: nempe illud redemptionis & ſalutis æternæ, quæ promiſſa fuit Patribus, adumbrata in lege, prænuntiata in Prophetis, & tandem in plenitudine temporis exhibita ab vno Chriſto, ad quam annuntiandam orbi vniuerſo mittebantur Apoſtoli.

III. Tertio, in hoc differt lex vetus à noua, quod illa conſtat Scripturis, hæc autem non. Ideo Hieremias c.31. diſtinguens hanc legem ab illa, dicit hanc ſcriptam in viſceribus hominum, illam vero in tabulis lapideis: ſic, *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam.* Hoc demonſtrat magis Paulus ad Hebræos 8. Et poſter. ad Cor.8. ait, *Epiſtola noſtra vos eſtis, non in tabulis lapideis.*

IV. Reſpondeo, Antecedens intelligi vel vniuerſaliter, vt ſenſus ſit, Euangelium nunquam eſſe Scripturam, id eſt, nunquam eſſe ſcriptum. Vel indefinite, aliquando Euangelium non eſſe ſcriptum. Poſteriori modo concedimus antecedens. Re vera enim aliquando Euangelium conſiſtit in viuæ vocis traditione, vt tum cum adhuc nihil ſcripſiſſent Apoſtoli: & deinceps etiam cum prædicatur à Paſtoribus, & Doctoribus: aliquando eſt in corde fidelium, nempe quatenus vera fide creditur ex vi Spiritus Sancti. Sed tum falſa eſt conſequentia: quia enim nullum aliud Euangelium eſt, ſiue prædicatum, ſiue corde creditum, ab eo quod ſcriptis mandatur, ideo æque ſcriptum regula eſt, & iudex fidei, atque prædicatum. Vnde Irenæus dicebat, Euangelium primo præconiatum, poſtea vero per Dei voluntatem in Scripturis traditum, vt eſſet fundamentum & columna fidei noſtræ.

V. At priori modo, id eſt, ſi intelligitur Antecedens vniuerſaliter, proculdubio falſum eſt. Si enim nullum Euangelium eſſet Scriptura: Ergo etiam nulla Scriptura eſſet Euangelium; ex vniuerſalium negantium prærogatiua, quæ ſimpliciter conuertuntur. At hoc poſterius, quis ſuſtineat Chriſtianus? Etſi enim proprie ſit ipſa per Chriſtum ſalus, quatenus annunciatur hominibus; tamen vt ſolent ſigna pro rebus ipſis ſumi, non aliter ea annunciatio quæ fit per Scripta, appellatur Euangelium, quam quæ eſt in viua voce: quia non magis viua vox ſignificat eam ſalutẽ, quã vox ſcripta. Proinde cum Lucam laudaret Paulus poſt. ad Cor.8. eius Euangelium nominat. *Cuius* (inquit) *laus eſt in Euangelio.* Sic enim quidam eum locum ſunt interpretati, teſte Chryſoſtomo, atque aliis.

VI. Prima confirmatio nulla eſt: tum quia non ſequitur, Chriſtus, neque ipſe ſcripſit, neque aliis mandauit vt ſcriberent: ergo Euangelium non eſt Scriptura. Tum quia nõ mandaſſe falſum eſt. Irenæus enim teſtabatur Euangelium idipſum primo præconiatum, poſtea fuiſſe ſcriptum *per Dei voluntatem.* Sic Theophylactus præfatione in Matthæum, cum in veteri teſtamento, δέδωκεν (inquit) ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς τὰς γραφὰς: & in nouo δέδωκεν γραφῆναι τὰ Εὐαγγέλια; voluit ſcribi Euangelia Chriſtus. Et ſane continetur hoc mandatum generali mandato docendi. Nam docere comprehendit tam viuam vocem, quam ſcriptionem. Sic Romanis prædicauit Euangelium Paulus non minus ſcripta ad eos Epiſtola, quã viua voce docens è carcere. Et Patrum ſolennis eſt conſuetudo, vt cum aliquid citant ex literis Apoſtolicis, id ſignificent his verbis, *docet nos Apoſtolus.* Sed & Paulus Scripturis tribuit τὸ σοφίζειν inſtruere.

VII. Secunda confirmatio eſt etiam falſa. Dictio enim Euangelium non excludit Scripturam: nam ſciunt omnes nunciari aliquid duobus modis; & viua voce & ſcripto. Nimirum, quia quemadmodum τὰ ἐν τῇ φωνῇ σημεῖα ἐστι τῶν ἐν τῷ νῷ, ſimiliter etiam τὰ ἐν τῇ γραφῇ τῶν ἐν τῇ φωνῇ. Ac proinde æque vtrinque idem ſignificatur, id eſt, nunciatur.

VIII. Tertia confirmatio falſo aſſerit, id diſcrimen eſſe legis veteris & nouæ, vt illa ſit ſcripta, hæc non item: alioqui perperam egiſſent Apoſtoli, qui hanc legem nouam ſcripſerunt. Nec quicquam eſt apud Hieremiam; & Paulum ad Hebræos, quod Carranzæ faueat. Etſi enim dixit Propheta, legem nouam in viſceribus & cordibus inſcribendam à Deo, tamen non ſignificauit hoc differre nouam à veteri. Alias ne nouam quidem oportuit doceri: quia ſcriptum eſt, *Et non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens cognoſce Dominum.* Senſus eſt potius, futurum vt lex noua abundantiori fruatur Spiritus efficacia, diligenter animis hominum eam ſculpentis. At non ſequitur, vt ſi eam Spiritus inſculpat cordibus, non etiam ſit ſcripta. Alter autem locus ex poſt. ad Corinthios inepte profertur: neque enim loquitur de Euangelio, ſed de literis commendatoriis, quibus ſuum Apoſtolatum probaret Paulus.

IX. Pergit

IX. Pergit Carranza. Ecclesia est antiquior omnibus Scripturis: ante enim quam Dominus daret legem Mosi, iam erat Ecclesia: & post annos aliquot à Passione Christi, primus scripsit Matthæus; at ante illum erat Ecclesia. Ergo non regulabatur per Scripturas.

X. Sed hoc sophisma est plus quam puerile. Scriptura est, vel ipsa scriptio, & literarum per lineas certas, pictura: vel ipsa doctrina per eas picturas significata, &, vt loqui mos est, in iis literis contenta. Scriptione fatemur Ecclesiam esse antiquiorem. Et id recte probatur ex annorum supputatione, cui absit vt contradicamus. Sed negamus esse antiquiorem ea doctrina, quæ significatur ea scriptione. Proinde non valet consequentia: nam etsi Matthæus primus Euangelium scripserit, annis aliquot post initium Ecclesiæ; tamen Ecclesiam certum est semper à suo statim initio regulatam fuisse per id Euangelium, quod Matthæus scripsit, ac post eum reliqui.

XI. Sed iam fortè seuerius: Scripturæ superuenientes Ecclesiæ acceperunt robur ab illa. Ergo Scripturæ non sunt regula Ecclesiæ. Probatur antecedens. quia Scriptores erant membra Ecclesiæ, in quibus non poterat esse maior auctoritas, quam in ipsa Ecclesia. Sed Scriptura Matthæi habet auctoritatem ab illo. Matthæus autem, siue Ioannes, siue Paulus, ab Ecclesia. Ergo iudex omnium est Ecclesia, non Scriptura aliqua: Confirmatur. Quæ Petrus viua voce docuerat, à subsequentibus Marci scriptis non accipiebant auctoritatis robur, aut veritatis aliquod testimonium: sed contra magis hæc ab illis: quia Scripta Marci Apostolicæ prædicationi, & doctrinę inueniebantur conformia, habebantur rata.

XII. Negatur antecedens, de quo prolixius disputandum erit in quarta Controuersia. Nec rationes contra concludunt. Primo, quia falsum est Scripturas suam auctoritatem habere à suis Scriptoribus: habent enim à Deo vnde appellantur θεοπνευστοι, & diuinæ. Alias, quia inæqualis fuit auctoritas Marci ac Lucæ, non Apostolorum, Matthæique & Ioannis Apostolorũ: oporteret etiam non æquali gradu, & fide suscipi illorum & horum Euangelia: quod est absurdum.

XIII. Secundo, nego Matthæum, Ioannem; Paulum, & similes auctoritatem suam habuisse ab Ecclesia. Contra enim Paulus disertis verbis se dixit esse Apostolum, non tantum, διὰ θελήματος θεοῦ, ex voluntate Dei, prior. ad Corinthios 1. & ad Ephesios & ad Colossenses: sed etiam primo ad Galatas, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρός: non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum ac Deum Patrem. Et secundo capite, ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο, mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Et sane fieri non potuit, vt qui mitterentur ad docendas gentes, & constituendam Ecclesiã, ij quicquid haberent auctoritatis, aliunde non haberent, quam ab ipsa Ecclesia aut gentibus.

XIV. Tertio, in iis scriptoribus non fuisse maiorem auctoritatem, quam in tota Ecclesia, dupliciter intelligi potest. Vel enim comparantur cum Ecclesia, in qua ipsi comprehendantur. & sic verum est non fuisse eorum maiorem auctoritatem. Nam quemadmodum ipsi continentur in Ecclesia, sic eorum etiam auctoritas, in auctoritate Ecclesiæ, ac proinde eos oporteret auctoritatem habere, maiorem sua ipsorum auctoritate, quod est ineptum: nec concluditur tamen Ecclesiæ auctoritatem esse ab Ecclesia: quia hęc Scriptorum auctoritas, etsi esset in Ecclesia, tamen non erat ab Ecclesia.

XV. Vel ita comparantur cum Ecclesia, vt seorsim considerentur à reliquo Ecclesiæ corpore. Ac tum nego, non maiorem fuisse eorum auctoritatem, quam Ecclesiæ. Alias, primo tam ipsi potuissent doceri ab Ecclesia quam ab ipsis Ecclesia: quod est absurdum. Secundo, oporteret tantam auctoritatem esse hodiernæ Ecclesiæ, quanta fuit eorum Scriptorum: quod rursus quis ferat? Neque enim hodie Ecclesia potest condere librum Canonicum; ipsis concedentibus aduersariis.

XVI. Quarto, concedimus Scripta Marci rata fuisse ob eam causam, quia Apostolicæ prædicationi essent conformia. Sed oblitus est Carranza indicare, quomodo hinc probetur, vel iudicem omnium esse Ecclesiam, non Scripturam, vel ab Ecclesia Scripturam accipere robur autoritatis. Nam vtrumque negamus inde confici. Ratio est, quia est Marci Euangelium, non aliud quam doctrina Petri: ergo inde autoritatem habet illud, vnde hæc. Hæc autem non habuit ab Ecclesia: non habuit à Petro, sed à Spiritu Sancto. Ergo & illud.

CAP. XXII.

An Dei Verbum sit mutum: & post ipsum recurrendum sit ad Ecclesiam.

I. SI Dei verbum sit mutum ad dogmata exponenda: ergo opus est authentico doctore, nempe Dei Ecclesia. At prius verum, ergo & posterius. Sic Franciscus Cordubensis cap. 82. artic. 2. qui est de Ecclesia. Sed & Pighius Controuersia tertia, *Si ad Scripturarum hæc referri oportere dixeris iudicium, communis te sensus ignarum comprobas. Sunt enim Scripturæ, muti iudices.* Nec aliter Charronæus cap. 2. Veritatis, 3. artic. 8. vbi Scripturam asserit esse rem mutam, quæque non moueatur, agatve à seipsa: semper in eodem statu maneat, nec seipsam indicet aut magis explicet.

II. Respondeo, Scripturam esse mutam, eo tantum, quia non vtitur viua voce: sed quia viua vox non alium in finem vsurpatur, nisi vt sensus loquentis exprimantur; Scriptura autem diserte exprimit sensum loquentis Dei, ideo hactenus esse mutam falsum est. Non minus enim intelligimus, fide hominem iustificari; quum id legimus apud Paulum, quam cum ipse Paulus viua voce pronunciabat.

III. Ergo negatur consequentia: in qua etiam ineptia est Cordubensis non prætermittenda, opponentis mutum authentico. Quasi vero nihil mutum, hoc est, viua voce destitutum, esse possit authenticum. Atqui non tantum Scriptura Sacra; sed etiam omnes omnino leges, eo modo mutæ sunt. Quid igitur? Ealne aliquis Iurisconsultus neget esse authenticas? Imo omnino leges non sint, si non authenticæ.

IV. Scripturam non moueri, sed in eodem semper statu manere, verissime dictum Charionæo concedimus. Et nimirum hoc male habet Papistas, qui, cum sibi conscij sint, multa mutasse in Religione Christiana, ideo nollent esse aliquam legem, quæ de iisdem semper eadem responderet: multoque auro redemptam vellent Pighianæ blasphemiæ veritatem, in Controuersia tertia de Ecclesia, asserentis, Scripturas esse velut cereum quendam nasum, qui horsum, illorsumque facile se trahi permittat, & quo traxeris, haud inuitus sequatur. Nos vero contra, serio amamus illud fidei nostræ fundamentum: *Vsque dum præterierit cœlum & terra, iota vnus, aut vnus apex nequaquam præterierit ex lege, vsque dum omnia facta fuerint.* Matthæi 5. & rursus 24. *Cœlum & terra præteribunt: sermones autem mei, nequaquã præteribunt.* Indeque plene persuademur esse Fidei regulam, solum Verbum Dei scriptum, quia regulam oportet esse ἀμεταχίνητον.

V. Non agere autem à seipsa Scripturam, non satis capio; quo sensu dictum sit; itaque vellem Charronæum explicasse. Certè Paulus ad Hebræos 4. λόγον, sermonem Dei asserit esse, primum ζῶν καὶ viuum, deinde ἐνεργῆ, efficacem, hoc est, præditum certa vi ad aliquid efficiendum: & τῷ ἐνεργοῦντι sublicit; τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας, Penetrantior quouis gladio ancipiti: ac pertingens vsque ad diuisionem animæ simul, ac spiritus, compagumque & medullarum, & diiudicans cogitationes & conceptiones cordis. Atque hæc nobis sufficere videtur efficacia, vt constituatur Scriptura, (quam esse Verbum Dei nemo negat) iudex omnium religionis Controuersiarum.

VI. Falsum est etiam, Scripturam non indicare, aut interpretari seipsam. Contra, Lactantius, lib. 6. cap. 21. *Num Deus, & mentis, & vocis, & linguæ artifex, diserte loqui non potuit? Imò vero summa prouidentia carere fuco voluit ea, quæ diuina sunt, vt omnes intelligerent, quæ ipse loquebatur.* Quinetiam Iosephus à Costa Iesuita, de Christo reuelato, lib. 1. cap. 2. asserit, Testamenti Veteris interpretandi, nullam esse meliorem rationem quam Noui cognitionem. Sed de hac quæstione alias.

VII. Rursus Charronæus in hunc modum disputat, & quidem confidenter. Scriptura neque est, neque esse potest, vltima regula, & summus iudex Doctrinæ. Quia post eam accurrendum est ad Ecclesiam, quæ eam & interpretetur & applicet αὐθεντικῶς, & certo: atque ita Ecclesiæ auctoritas postrema remanet & summa.

VIII. Imo (inquam) primo falsum est, post Scripturam accurrendũ esse ad Ecclesiam. Nam si aliquid eruatur, quod vere sit ex Scriptura, tum id certo tenendum est: quicquid etiam in contrarium Ecclesia definiat, si quidem definiat. Quod quis non credat, cum audiat ab Apostolo adeo seuere pronunciatum anathema contra non Apostolos tantum, sed etiam Angelos, si quid aliter doceant? Tum si olim post Apostolos viua voce loquentes, non fuit necesse accurrere ad Ecclesiam, ergo ne hodie quidem, cum eosdem, eadem loquentes audiuimus in Scripturis, venia nobis ab vllo petenda est eorum credendorum, quæ ab ijs discimus. Tertio, tam falsum est, quod asserit Charronæus, vt contra potius certum sit, oportere post Ecclesiæ definitionẽ accurrere ad Scripturam, exemplo Beroænsium, qui post Apostolum auditum, Scripturas consuluerunt, vt certo sibi persuaderent, vera esse quæ audierant.

IX. Deinde in ipsum Charronæum torqueo argumentum, & dico vere Scripturam Sacram esse vltimam regulam, eam ipsam ob causam, quia Ecclesiæ nullæ sunt partes aliæ, quam Scripturam interpretandi & applicandi. Nam qui interpretatur aliquid, is nullo modo regula est eius quod interpretandum sumpsit: sed contra potius. Sic Aristoteles est norma eorum omniũ, qui Aristotelem interpretantur: quoniam necesse est hos omnes, nihil dicere contra, aut præter mentem Aristotelis. Nam si aliquid addant de suo, quod Aristoteli nunquam venerit in mentem, ij tum prorsus non interpretantur, sed aut corrumpunt, aut emendant. Quorum illud in Scriptura fieri non debet, hoc vero non potest.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS.
De CANONE FIDEI.

Caput Primum.

AN OMNES CONTROVERSIÆ AD ECCLESIAM DEFERENDÆ.

HActenus est disputata prima Controuersia de Autoritate Scripturæ. Sequitur altera de Autoritate Ecclesiæ in decidendis Controuersijs Fidei. Nam, vt diximus, remota Scriptura, hanc Papistæ substituunt, constitutam in summa sede. Et argumētantur in hunc modum.

II. Si omnes Controuersiæ ad Ecclesiam diiudicandæ referendæ sunt, sequitur Ecclesiam esse iudicem omnium Controuersiarum. Atqui verum est antecedens. Ergo etiam consequēs. Tannerus hoc protulit argumentum in Colloquio Ratisbonensi session. 13. Et probauit antecedens, ex 18. Matthæi, *Si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

III. Respondeo Hunnium in eodem Colloquio recte distinxisse iudicem in eum, cuius sit absoluta iudicandi autoritas: & eum, cuius potestas sit adstricta, limitataq; ad legem, & de posteriori quidem concedi totum argumētum. Neminem enim iure negare posse vniuersaliter loquendo, non tantum aliquas, sed etiam omnes omnino Controuersias referendas esse ad Ecclesiā, examinandas & iudicandas. Perspicuum est enim exemplum ab initio Christianitatis, fidelium Antiochenorum, qui, cum quæstio exorta esset de vsu legalium, *statuerunt, vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ad Apostolos ac Presbyteros Hierosolymam percontaturi de hac quæstione*, Act. 15. Secutæ etiam Ecclesiæ, in qua celeberrimus fuit Conciliorum vsus, Niceni aduersus Arium, Constantinopolitani contra Macedonium; Ephesini contra Nestorium; atque aliorum contra alios hæreticos, quæ magno conatu augendæ pompæ gratia colligit Episcopus Claromontanus per singula secula.

IV. Sed si iudex intelligatur priori modo, negamus consequentiam. Nam quantumlibet certum sit omnes Controuersias, quæ emergere possunt inter Christianos, referendas ad Ecclesiam, vt eius habeatur iudicium: tamen falsum est eandem Ecclesiam, ita esse iudicem, vt absoluta sit ab omni lege, pronuncietq; ex proprio arbitrio: ac proinde esse posse summum atque vltimum iudicem, id est, normam & regulam. Quemadmodum in regno, Parlamenta, quæ vocant, id iuris habent, vt lites omnes, quæ oriuntur inter eius regni ciues, ad ea referantur, & tamen non sunt norma omnium iudiciorum: habent enim Regum edicta, habent Iurisconsultorum veterum responsa, pro norma suorum arrestorum.

V. In loco autem Matthæi, nego agi de summo iudice, siue norma. Ratio est, quia id quicquid est iuris, quod eo loco significatur, pertinet ad singulas Ecclesias, puta Hierosolymitanam, Constantinopolitanā, Smyrnensem, Romanam, reliquas: non tantum (inquam) omnes simul, sed etiam singulas seorsim. At ne ipsi quidem aduersarij contendent singulas Ecclesias esse normam omnium Controuersiarum.

VI. Probatur ita esse, Primo, quia sermo est de priuatis offensis inter fratres. Sic enim Christus, *Si peccauerit in te frater tuus*. At hæ offensæ referri solent, non ad Oecumenicum Cōcilium, aut ad vniuersas per orbem Ecclesias, sed ad cuiusuis loci cœtum Ecclesiasticum, siue Presbyterium, à quo vtrinque rationes cognoscuntur, deinde pronunciatur iudicium.

VII. Secundo, quia is primus gradus est iudicij publici, siue Ecclesiastici. Nam duo priores à Christo ibidem nominati, priuati sunt, nempe cum læsus, fratrem admonet, tum solus, tum adhibitis testibus. At vix vnquam factum, vt aut priuatæ offensæ, aut etiam publicæ & ad Ecclesiam spectantes, primo statim actu referrentur ad vniuersam per totam orbem, Ecclesiam.

VIII. Tertio, quia agitur de excommunicatione, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus aut Publicanus.* At excommunicatio, & omne genus censurarum, pertinet etiam ad singulas Ecclesias: quod ipsa praxis docet, ex Decreto Concilij Niceni Canon. 5. περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γενομένων, εἴτε τῶν ἐν κλήρῳ, εἴτε τῶν ἐν λαϊκῷ τάγματι, ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπων, κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι. *De his, qui siue sint cleri i, siue laici, communione priuantur ab Episcopis per singulas prouincias: seruetur hæc sententia, iuxta Canonem præcipientem, vt qui ab aliis reiiciuntur, ab aliis non admittantur.* Qui Canon sæpius legitur renouatus: vt in Arelatensi secundo, Arausicensi, Carthaginensi secundo, Cæsaraugustano & alijs.

IX. Ergo verum est, hoc loco Ecclesiæ nomine intelligi particularium Ecclesiarum presbyteria. Non igitur (inquam) eiusmodi iudicem, qui ab omni lege sit absolutus, & liber, suamque voluntatem habeat sōlam pro norma: sic enim arguo: Si omnis Ecclesia, quam qui non audit, habendus est pro publicano, est iudex absolutus omnium Controuersiarum; ergo quælibet Ecclesia particularis est iudex absolutus omnium Controuersiarum. At falsum consequens: ergo & antecedens.

X. Sed Tannerus, vt sunt Iesuitæ cedere nescij, probat Ecclesiam esse iudicem absolutum omnium Controuersiarum, hoc argumēto: Si ad Ecclesiam pertinet absolutum iudicium de Controuersiis Fidei, & Religionis, tūc Ecclesia est iudex absolutus omnium Controuersiarum Fidei, & Religionis. Sed pertinet ad Ecclesiam iudicium absolutum Controuersiarum omnium Religionis: ergo Ecclesia est absolutus iudex omnium Controuersiarum. Assumptionem probat, si Ecclesiæ iudicio, in dirimendis Controuersiis, absolute standum est, sequitur quod ad Ecclesiam pertinet absolutum iudicium omnium Controuersiarum. Sed verum est antecedens. Ergo & consequens. Rursus assumptionem probat. Si enim absolutè iudicio Ecclesiæ standum non est, sequitur nullas Controuersias ab Ecclesia dirimi posse: ac consequens est absurdum: ergo & antecedens. Probat propositionem: Si iudicium relinquitur partibus disceptantibus post sententiam latam, tunc nulla Controuersia à iudice dirimi potest. At si Ecclesiæ iudicio standum non sit absolutè, iudicium relinquitur partibus disceptantibus. Ergo, si non absolute iudicio Ecclesiæ standum sit, Controuersiæ non possunt dirimi in Ecclesia.

XI. Respondeo, absolutum iudicem dici dupliciter: vel eum, qui absolutus sit ab omni lege: vel eum, cuius secundum homines summum sit, hoc est, postremum iudicium, à quo ad alium iudicem, ipsum etiam hominem, appellari non possit. Si iudex intelligatur priori modo, concedo maiorem primi Syllogismi; sed minorem nego: tenetur enim Ecclesia iudicium suum dirigere vel secundum Scripturas, secundum nos: vel secundum traditiones, secundum Papistas: ergo non est absolutus iudex priori sensu; propterea neque norma omnium Controuersiarum. Neque contrarium probatur vllo argumento, nam quæ sequuntur confirmationes, eo non pertinent. Et quamuis concederetur standum esse simpliciter à partibus litigantibus iudicio pronūciantis Ecclesiæ; tamen non sequeretur Ecclesiæ iudicium ab omni lege absolutum esse.

XII. Sin autem intelligimus iudicem posteriore modo, primo negatur maioris consequentia. Et ratio est euidens, exemplo, vt dixi, Parlamētorum, quæ non ideo sunt regula, siue norma iuris, quod summa autoritate iudicent, & partes litigantes teneantur, imo cogantur eorum iudicio absolute stare. Nā habent ipsi ius diuinum, ius naturale, ius politicum pro suorum iudiciorum norma. Itaque vt rem illustrem, quamuis concedam (vt postea explicabo) Concilij Niceni decreto absolute Arium stare debuisse definientis quæstionem de Trinitate; tamen nego Concilium Nicenum fuisse absolutum iudicem, id est, normam eius quæstionis: sed Scripturam Sanctam, vnde id Concilium sui iudicij formam mutuatum est.

XIII. Secundo, ad minorem, distinguo Controuersias, in eas quæ sunt de fide: & eas quæ pertinent ad charitatem, id est, mutua inter fideles officia. In hoc posteriori genere concedo Ecclesiæ decisioni absolutè standum: & hoc doceri illo Matthæi loco, vbi disertè obseruaui Christum loqui de mutuis offensis. Debet ergo is qui alium offendit, satisfacere prout Ecclesia iudicatit: quia tum nihil est contra fidem. Imo vero is etiam qui se offensum queritur, debet Ecclesiam audire, quamuis non exacte sibi ius redditum videat: quia potest de suo condonare quantum velit; imo etiam debet, tum vt fratrem lucretur, tum vt Ecclesiæ debitum reddat officium. Nec sequitur tamen Ecclesiam esse aut omnium, aut etiam harum Controuersiarum regulam.

XIV. Sin autem agitur de Controuersiis primi generis, quæ sunt de Fide, nego minorem: & assero non debere Ecclesiam à fidelibus postulare, vt sibi obediant absolute, sed solummodo, quantum ipsa ostendet se secundum Scripturam iudicare. Nec aliter à Niceno Concilio factum dicimus ex Theodoreto in historia, lib. 1. c. 8. asserente Arianos voces non scriptas inducentes, ἐξ ἐγγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων κατακεκλεῖσθαι, damnatos esse ex vocibus scriptis pie intellectis.

XV. Et negatur consequentia in tertio Syllogismo, quæ infert, si non sit absolute standum iudicio Ecclesiæ, ergo nullas posse finiri Controuersias. Sequeretur enim, nullas Controuersias definiri posse à singularibus Ecclesiis. Imo sequeretur nullas Controuersias finiri posse ex autoritate Scripturæ, quod est absurdum. Nam in Concilio Niceno Eusebius, qui primo Arianus erat, subscripsit tamen Symbolo, post suæ partis homines condemnatos è Scripturis. Certè Iosephus à Costa insignis ex orbe nouo Peruensis Iesuita de Christo reuelato lib. 1. c. 6. negat confundendi expugnandiq; Iudæos vllam esse aliam rationem, vllam viam, nisi ex Scripturis ipsorum, id est, veteri Testamento Iesus Christus demonstretur.

XVI. In vltimo Syllogismo propositio est falsa. Nam definiri possunt Cōtrouersiæ, etiamsi post sententiam latam permittitur partibus iudicium aliquod. Apud Berœenses certo experimento id probatum est, qui post Pauli cōciones, tamen voluerunt auditam doctrinam iudicare ex Scripturis. Et Patres etiam, post Conciliorum Decreta, hæreticos admiserunt, imo prouocarunt ad disputationem ex Scripturis: vt Augustinus; qui, *neque ego* (inquit) *Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed vtriusque communibus testibus, res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione decertet.* Vt Basilius epist. 80. vt alij. Quod certe frustra & inepte fecissent, si nihil se promouere credidissent.

CAP. II.

De Cathedra Mosis.

I. BArtholomæus Latomus in Defensione aduersus Bucerum præcedenti loco, addit alterum ex Matthæi 23. *Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* His autem verbis autoritatem ministrorum asserit constitui in Ecclesia, atque eam quidem summam, cui parere necesse sit.

II. Respon-

II. Respondeo, negari consequentiam. Ratio prima. Quia, cum Ministrorum in conclusione nominatur auctoritas, vel intelliguntur Ministri omnes confertim: vel singuli quicunque. Si hoc: tum vero disceditur à quæstione, quæ agit de Ecclesiæ autoritate in iudicandis rebus fidei. Non est autem Ecclesiæ in singulis Ministris. Tum autem, ne ipsi quidem Papistæ, tam sunt alieni à bona mente; vt iis, quicunque sedent in Cathedra, id est, pollent autoritate Ecclesiastica, sint summi iudices Controuersiarum. Nam hoc iuris soli reseruant Romano, de quo agetur proxima Controuersia.

III. Sin autem omnes confertim Ministri intelliguntur, tum disceditur ab huius loci sensu legitimo. Quum enim Christus, Scribas, & Pharisæos nominauit, intellexit, vt vulgo fit, singulos. Patet ex sequentibus. Nam & illud, *amant primos accubitus*, non potest nisi de singulis accipi, & illud *dicunt, & non faciunt:* haud aliter. Sed illud certe, *Secundum opera eorum ne facite*: potestne aliter quam de singulis? Sed & Patres plerique omnes applicant singulis Pastoribus: vt doceant quatenus eis obedire suæ plebes debeant. Chrysostomus homil. 10. in 1. ad Thessalon. Augustinus tractatu in Ioann. 46. & contra literas Petiliani lib. 2. c. 6. & de Doctrina Christiana lib. 4. c. 27. atque alibi. Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 18.

IV. Ratio secunda. Quia, si summa concluderetur Ministrorum Ecclesiæ autoritas, cui parere necesse esset: tum necesse esset proponi etiam talem Scribarum & Pharisæorum autoritatem. Quia, propter quod quidque est tale, id ipsum magis tale. Et facile vident omnes ab autoritate Scribarum nō summa, non posse concludi Ministrorum summam. Atqui antecedens falsum. Ratio in promptu. Quia, si fuisset eorum summa autoritas, cui necesse esset obtemperare, ergo nunquam fuisset ab ea recedendum. At hoc falsum. Nam Matth. 16. *Cauete* (aiebat Christus) *à fermento Pharisæorum:* quod statim Matthæus interpretatur dictum de Doctrina. Atqui quæcunq; docebant Pharisæi, & plebi obseruanda proponebant; sane haud aliter, quam sui autoritate magisterij docebant, proponebantque populo, quem & volebant & videbant à se pendere. Vnde, si Cathedra Mosis hanc eorum autoritatem significabat, sequeretur nihil repudiandum eorum quæ illi suo illo iure docerent. Hîc tamen vides contrarium præcipi a Domino: nempe vt quædam vitarentur, quæ illi docerent. Quis ergo non videt in his Christi verbis Cathedram non significare summam autoritatem?

V. Ratio tertia. Si Scribis & Pharisæis tanta fuisset autoritas, vt eis parere esset necesse: tum illi fuissent regula veritatis. At hoc falsum. Regula enim sibi ipsi semper constat, nec vnquam discedit à rectitudine. At Pharisæi sibi non constabant; & discedebant non raro à doctrinæ sinceritate. Hoc probatur, quia si aliquando vera docebant: at non raro etiam falsa. Patet ex eo ipso fermento, de quo iam diximus. Patet iterum ex 15. Matth. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, per traditionem vestram? Nam Deus mandauit dicens, Honora patrem tuum, & matrem. Et qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri aut matri, donum quodcunque à me erit, tibi proderit, etiamsi nequaquam honorauerit patrem suũ aut matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestrã.* Vnde constat apertè, non tantum in eo peccasse Scribas & Pharisæos, quod suam ipsi vitam non componerent ex præscripto legis, quam alijs proponerent, sed etiam, quod in interpretanda ea ipsa lege, multas traditiones coaceruarent, non legitimas: imo eneruantes eam legem. Vnde fit non tantum, non legis, sed ne interpretationis quidem aut normam, aut summos iudices fuisse, hos ipsos, qui sedebant in Cathedra Mosis.

VI. Quare, cum aliquando male docuerint, & fuerint aliquando vitandi, necesse est, quum Christus dixit, quia sedent in Cathedra Mosis, ideo obtemperandum esse: per Cathedram Mosis intelligi, non vllam eorum autoritatem: sed potius regulam aliquam, ex qua constare posset, quando bene, quandove male docerent. Et quidem secundum quam liceret auditoribus iudicium ferre de eorum doctrina: quandoquidem auditoribus, ipsis (inquam) auditoribus, præcipitur aliquando quidem vt audiant: aliquando vero vt caueant.

VII. Et ita interpretes. Hieronymus, *Per cathedram* (inquit) *doctrinam legis intelligit.* Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 18. διὸ καὶ τῆς καθέδρας Μωυσέως ἐμνημόνευσε, τοῦ νομοθέτου. τότε γὰρ οὐ τὰ ἑαυτῶν, ἀλλὰ τὰ τῶν γραφῶν φράζουσιν, *Propterea meminit Cathedræ Mosi, legislatoris. Tunc enim, non quæ sua essent, loquebantur, sed quæ Scripturarum.* Etiam Papistæ hodierni. Franciscus Lucas Brugensis, *Quæcunque, Non aduersantia cathedræ Mosis: non contraria legi Dei: omnia licita & honesta: etiamsi fortè minus necessaria:* & post, *Integra perfectaq; obedientia declaratur his signis vniuersalibus: eiusmodi tamen, quæ ponat Deo magis obediendum quam hominibus. Nam si Pharisæis ideo obediendum est, quia in cathedra Mosis sedent: igitur si quid doceant aduersus cathedram Mosis, id est, aduersus Mosem, seu eam quam Moses promulgauit Dei legem: aduersus doctrinam à Mose, & maioribus acceptam, ac traditam, non est eis obediendum.* Maldonatus, *Cum iubet seruare ac facere quæ Scribæ & Pharisæi, dum in cathedra Mosis sedent, dicunt: non de ipsorum, sed de legis, ac Mosis doctrina loquitur: perinde enim est ac si dicat: omnia, quæ lex & Moses vobis dixerint, Scribis & Pharisæis recitantibus, seruate, ac facite.* Ioannes Altenstaig in Dictionario, agens de Cathedra; *Habetur Matthæi vigesimo tertio, super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite. Quod verum est, nisi contra legem diuinam dixerint: tunc enim locũ habet illud* Petri, Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quã hominibus. Nec sic præcipiendo sedent super Cathedram Moysi, quum præcipiunt quod est contra Deum. Non enim procedunt hæc de Cathedra, id est, doctrina Moysi: sed de Cathedra pestilentiæ & erroris.*

VIII. Nunc igitur plana solutio. Nam, si tum obtemperandum Pastoribus sedentibus in Cathedra, cum docent secundum Cathedram: si autem cõtra eandem, tum obtemperandum minime: ergo Cathedra est regula obedientiæ debitæ Pastoribus. At hęc Cathedra est lex Mosis: ergo lex Mosis est regula eius obedientiæ. At lex Mosis est Scriptura. Ergo Scriptura est ea regula: & ita paulo ante Isidorus: cum docent ex Cathedra, non quæ sua sunt, sed quæ scripturarũ, docent. Iansenius Concordiæ c. 120. *Non tantum Dominus exigit obedientiam in his, quæ ex Scripturis, & lege Dei iuberent, aut docerent: sed etiam in his, quæ sua auctoritate pro temporis & loci exigentia, statuerent & iuberent.* Hæc pars Papistam redolet: & est contra Pelusiotam: imo contra Hieronymum: pertinet tamen ad aliam Controuersiam de Perfectione Scripturæ: cui suus debetur locus, sed pergit: *non contra Scripturas, sed secundum eas.*

VIII. Denique si verum est, obtemperandum Pastoribus tum cum bene docent: & vidimus ita esse testibus Interpretibus citatis: tum omnino falsum, esse Pastores summos iudices: multo magis, regulam, aut Canonem veræ doctrinæ, siue omnium Controuersiarum: Nam si essent, tum vero absurde loqueretur, quicunque diceret obtemperandum, cum recte docent. Nam absolute, & simpliciter potius asserendum, esse obtemperandum. Quomodo blasphemaret qui diceret, Scripturas tum sequendas, cum bene docent.

CAP. III.

De Prophetis diiudicantibus.

I. Franciscus Cordubensis c. 80. Ecclesiasticam doctrinam esse regulam probat ex 1. ad Cor. 14. *Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent.* Quia nimirum Paulus dicat, non Dei Verbum, siue Scriptura: sed cæteri, id est, Ecclesia, diiudicent. Argumentum ita concipio: Quicunque alios dicentes diiudicat, eius iudicium est regula Controuersiarum. At Ecclesia cæteros docentes diiudicat: Ergo Ecclesiæ iudicium est regula Controuersiarum.

II. Respondeo primo, maiorem esse falsam. Proprie enim regula non diiudicat: sed secundum eam potius diiudicantur omnia. Ratio, quia τὸ διακρίνειν, pertinet ad τὰ καθ᾽ ἕκαστα, nimirum ad cuiuslibet Prophetæ conciones, quæ singulæ examinandæ veniunt. At regula est τῶν καθ᾽ ὅλου: quæ quando diiudicantibus cognita est: tum particularia, de quibus quæstio erit, facile diiudicabuntur.

III. Rursus, si maior esset vera: tum singularum Ecclesiarum iudicium esset Controuersiarum norma. Loquitur enim Paulus de singularũ Ecclesiarum politia: nempe, vt ne omnes simul in eodem cœtu prophetent; sed alij loquantur, alij vero taceant. Vnde Salmero in hunc locum, *Vtinam cuique Episcopo in Ecclesia sua contingeret, vt multos Prophetas secum haberent, vt iudicium ferre possent, num prædicatores, iuxta spiritum Dei prædicent: & Scripturas Sacras recte & Catholicè interpretentur.* Itaq;, si apud Paulum *alij* significant Ecclesiam: tum sane Ecclesia Corinthiorum, cui hunc ordinem specialiter Apostolus præscribit, intelligenda esset. At ista, quî poterat esse regula Controuersiarum, quæ ipsa acciperet formam suam ab Apostolo? Imo, quæ tam seuere reprehenditur, non solum ob toleratum incestum: sed etiam ob schismata, & corruptam Cœnam Dominicam: ob non satis defensum articulum Resurrectionis?

IV. Præterea, Minor non probatur ex hoc loco Pauli. Nego enim illud, *alij*, significare Ecclesiam. Nam Ecclesia significat omnes fideles: aut certe omnes Pastores collectiue. At hic, alij intelliguntur ab Apostolo omnes Prophetæ distributiue; hoc est; ita, vt non omnes communi consensu: sed singuli motu particulari diiudicarent. Patet ex verbis Apostoli. Statim enim subiungitur, *Quod si quid alij patefactum fuerit assidenti, prior taceat. Potestis enim omnes sigillatim prophetare.*

CAP. IV.

An Ecclesia possit facere contra Scripturas.

I. Ecclesia visa est aliquando facere contra Scripturas, & aliquando præter Scripturas. Ergo ipsa est regula eorum quæ traduntur in Scripturis. Sic argumentatur Carranza ex Eckio. Et probat antecedens: primo, quia in Scripturis tradebatur Baptismus exercendus sub hac forma, *Ego te abluo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Tamen Apostoli baptizabant in nomine Iesu Christi, vt traditur in Actibus Apostolorum. Secundo, quia in Scripturis mandatur cauendum à suffocato & sanguine: & tamen per Ecclesiam abrogatum est illud mandatum. Tertio, traditione Ecclesiastica obseruatio Sabbathi mutata est in diem Dominicam. Quarto, Ecclesia determinauit multa, quæ non habentur in Scripturis expresse, vt de Descensu Christi ad inferos: & multa, quæ ad ritum Sacramentorum, & Ecclesiasticam disciplinam pertinent: alia item, quæ nec expresse, nec obscure habentur in Scripturis, sed constant ex sola traditione Apostolorum.

II. Respondeo, prius ad argumentum, deinde ad exempla. Negatur cõsequentia: vel si perficitur Syllogismus in hunc modum: Quicunque agit cõtra Scripturam, is est regula eorum quæ traduntur in Scripturis: at Ecclesia visa est agere & contra & præter Scripturas: ergo est regula eorum, quæ traduntur, in Scripturis. Negatur maior, alioquin Arius, qui contra Scripturam docuit, Iesum non esse Deum. Montanus, qui præter Scripturam ieiunia certis diebus circumscripsit: ij (inquam) atque alij plurimi, iudices essent eorum, quæ continentur in Scripturis. Quod est auditu horrendum.

III. Præterea, Nullus anathematizandus, est regula eorum quæ traduntur in Scripturis. At quicunque vel facit, vel docet, & contra & præter Scripturam, est anathematizandus. Ergo nullus qui docet, facitve contra & præter Scripturam, est iudex eorum quæ traduntur in Scripturis. Maior per se patet. Minor certa est, ex Pauli c. 1. ad Galat.

IV. Breuiter; quicunque asserit Ecclesiam facere aliquid contra Scripturam, is eo ipso pronunciat Ecclesiam errare. Nam quæ contraria sunt, simul esse aut vera, aut iusta non possunt. Itaque è duobus alterum necessario eligendum esset, vel Scripturam errare, vel Ecclesiam potius: è quibus quis prius non abominetur? At nulla fert ratio, vt qui errat, iudex sit Controuersiarum in religione. Quicunque enim ille futurus est, is constituendus est infallibilis, hoc est, qui à vero aberrare non possit.

V. Iam de exemplis. In primo, nego quicquam ab Ecclesia factum contra Scripturam: Nam immutatam esse Baptismi formam falsum est; nec certè in Actibus docetur. Qui autem ex 8. & 19. citant baptizari εἰς ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, in nomen Domini Iesu, & ex decimo, ἐν τῷ ὀνόματι, in nomine; perperam eos locos torquent. Significatur enim, non forma, qua in baptizando vsi sint Apostoli: sed autoritas Christi, ex cuius pręscripto vtebãtur Baptismo.

VI. Sic iam olim optimè explicauit Eulogius, vt est apud Photium Biblioth. cap. post. τὸ ἐν ταῖς πράξεσιν εἰρημένον περὶ τῶν ἐχόντων τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, ὅτι, ἀκούσαντες δὲ, ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, πιστὸν ἐστὶν, ὅτι ἐβαπτίσθησαν κατὰ τὴν παράδοσιν καὶ διδασκαλίαν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ· ὥστε καὶ ἀλλαχοῦ ὅταν λέγῃ ὅτι εἰς Χριστὸν ἢ εἰς θάνατον τοῦ Χριστοῦ ἐβαπτίσθησαν· τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὀφειλομένην νοεῖν δηλοῦσθαι· τουτέστιν, ὅτι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐβαπτίσθησαν· οὕτω γὰρ ἐδίδαξε καὶ παρέδωκε βαπτίζειν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, *Quod in Actibus dicitur de iis qui habebant Ioannis Baptisma, Au-*

ma. Audientes vero baptizati sunt in nomen Domini Iesu, eiusmodi est, vt baptizati fuerint secundum traditionem & doctrinam Domini Iesu. Quemadmodum, alibi quoque, cum dicitur, baptizati sunt in Christum, vel in mortem Christi eundem sensum concipere debemus, hoc est, baptizatos esse in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sic enim docuit & tradidit Dominus noster Iesus Christus.

VII. Est autem hæc interpretatio multo sincerior, & facilior ea, quam ex Ambrosio mutuatus est Lombardus lib. 4. sentent. dist. 3. Nisi forte Ambrosij verbis his, *in nomine Christi tota Trinitas intelligitur,* dicamus non absolutè nomen Christi intelligi, sed determinatè nomen illud sic in iis locis nominatum: id est, Lucam ita Christum nominasse, vt reuocaret in mentem totam Trinitatem, quam in Baptismo Christus nominari voluerit: vt sit Ambrosij sensus idem cum Eulogio. Consentit autem Bellarminus libro primo de Baptismo, c. 3. & Suarez de Sacramentis disp. 21. sect. 3. Et alij plurimi.

VIII. In secundo exemplo, abstinentiam à suffocato & sanguine esse, aut contra, aut præter Scripturam ab Ecclesia abrogatam, falso supponitur. Habemus enim Christi dictum Matth. 15. *Non quod ingreditur in os, polluit hominem.* Et Pauli ad Rom. 14. *Non est regnum Dei esca & potus,* Et 1. ad Cor. 10. *Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiã: Domini enim est terra, & plenitudo eius.* Habentur etiam alia, quæ ostendunt vsum cibi esse ἀδιάφορον: vnde necesse est præceptum illud de suffocato & sanguine, Act. 15. non necessarium fuisse, sed temporale: ac proinde tandem abrogandum.

IX. In tertio, duo sunt, prima abrogatio Sabbathi: altera institutio diei Dominicæ. De illa notũ satis quid Apostolus docuerit, & scripserit 2. ad Coloss. *Ne quis vos damnet ob cibum, vel potũ, aut respectu diei festi, aut nouilunij, aut Sabbathorum.* Quis enim non videt his verbis significari; non magis discernendum esse Sabbathum ab alijs diebus apud Christianos, quam cibos prohibitos ex lege, ab alijs, puta suillam à bubula?

X. Dominicæ diei vsum inuenimus etiam in Scripturis sacris. Nam 1. ad Cor. 16. destinatur primus hebdomadis & cœtibus, & eleemosynis Ecclesiæ. Act. 20. impenditur iisdem cœtibus ad Dei Verbum audiendum & communicandum Eucharistiæ. Quinetiam nomen ipsum, quo vtimur hodie, Ioannes exprimit Apocal. 1. Et hæc cuilibet sano sufficiunt, vt ne, aut contra, aut præter Scripturam, eius vsus inualuisse dicatur.

XI. In quarto; Si descensus Christi ad inferos continetur in Scripturis, nõ potest verè dici determinatus, aut præter, aut contra Scripturas. Nam quid tum, si non expresse? Sufficit enim, dum contineatur. Neq; sic argumentum concipiebatur, vt nominaret id quod non est expressum. Si tamen hoc nomine fabulam illam intelligit Carranza, desumtam ex Euangelio illo Nicodemi scilicet, quo finguntur Patres, qui erãt in profundo inferni sub Imperio Principis Tartari, inde fuisse educti à Christo, qui relicto corpore in sepulchro, apparuerit tamen in forma hominis: & similes nugas. Tum vero, non pugnabo id esse, & præter, & contra Scripturam inductum: quantumuis diu assertum & creditum: sed nunquam tamen ab Ecclesia Catholica.

XII. Reliqua, quæ in turba nominantur, tum considerabimus, cum sigillatim explicabuntur. Scimus tamen ea, quæ ad ritus spectant, liberæ obseruationis esse, in ijsq; non paruam autoritatem Ecclesiæ: quanquam non immensam tyrannidem. Ne quis hoc prætextu immanem Papistarum ἐθελοπερισσοφροσύνῃ (vt voce vtar Epiphanij in Pharisæis) fucare velit: qui suæ superstitioni modum facere nondum potuere, quin quotidie nouis inuentis onerent plebem. Hanc enim nos audaciam prorsus corrigendam asserimus ex autoritate Scripturarum: longe remoti ab iis, qui ex ea non verentur præiudicium facere libertati Christianæ, & sacrosanctam illam autoritatem minuendo violare.

CAP. V.

De Ecclesiæ infallibilitate.

I. SI Ecclesia est infallibilis: ergo est iudex omnium Controuersiarum. At prius verum est; ergo & posterius. Argumentum sumpsi ex Stapletoni verbis, qui lib. 8. de principijs, c. 12. ita loquutus est, *Facit hæc infallibilitas iudicandi de fide Ecclesiæ data, vt omnium de fide Controuersiarum iudex legitima merito censeatur.*

II. Consequentiam probat ab exemplo. Non secus (inquit) quam scriptum Dei verbum: quia per Ecclesiam, non secus quam in Scriptura, Deus loquitur. Cuius rei exemplum in Augustini disputatione contra Pelagianam hæresin, tale occurrit. Sic enim scribit de Iuliano Pelagiano, *Ipse dicit, quomodo rei sunt paruuli, pro quibus Christus mortuus est? Nos respondemus, Imo paruuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est? Ista Controuersia iudicem quærit: Iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat. Iudicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus.* Hæc ille: quibus rectissime addi posse Stapletonus censet: iudicet cum illo & Ecclesia, quia & in Ecclesia loquitur Christus, ipseq; Apostolus in quo loquebatur Christus, Ecclesiasticus Pastor erat, & in eo quatenus tali loquebatur Christus.

III. De Antecedente diligens est apud Papistas disputatio: asserentes Ecclesiam esse infallibilem in iis quæ tradit, & decernit esse de fide & moribus. Ecclesiæ nomine intelligentes vniuersitatem tam fidelium, quam Episcoporum, sic enim disertè Bellarminus: vt sensus sit: (inquit) id quod tenent omnes fideles tanquam de fide, necessario est verũ, & de fide: & similiter id quod docent omnes Episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessario est verũ & de fide. Nec dissimiliter etsi alijs verbis, Thomas Bozius de signis Eccles. l. 2. c. 11.

IV. Respondeo; primũ negatur Antecedens: nullo enim argumento probari potest, aut omnes simul fideles, id est, maximam eorum partem errare non posse, aut omnes Episcopos nihil non legitime definire: contrarium autem constare ipso experimento. Sed non est tempus agendi hac de re, cui assignabitur propria Controuersia Deo dante in loco communi de Ecclesia.

V. Nunc consequentiam nego. Neque enim quicquid est infallibile, est regula summa fidei. Quod probo, quia Angeli sunt infallibiles: Apostoli etiã fuerunt infallibiles, ex particulari Spiritus assistentia: Et tamen neutri sunt, aut fuerunt Ecclesiæ summa regula. Hoc nos ipse Paulus docuit, ne quis me finxisse calumnietur. Ad Galatas primo, iubet & Angelos & Apostolos haberi pro anathemate, si quid annuntiarent præter Euangelium, quod iam erat prædicatum. Locus est notissimus, *Etiamsi nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id quod euangelizauimus, anathema esto.* Et iterum, ἵνα μὴ νομίσῃς (inquit Chrysostomus) θυμοῦ τὰ ῥήματα εἶναι, ἢ ὑπερβολικῶς εἰρῆσθαι, ἢ κατὰ συναρπαγήν τινα, *ne putes ea verba ab ira profecta esse, aut iuxta hyperbolen magnificentius quam pro re dicta, aut impetu cursuque sermonis raptim excidisse, vt ante diximus, etiam nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema esto.*

VI. Chrysostomus in eum locum ita commentatur: Παῦλος καὶ ἀγγέλων ἐξ οὐρανοῦ καταβαινόντων αὐτὰς προτίθησι τὰς γραφάς, καὶ μάλα εἰκότως. οἱ γὰρ ἄγγελοι κἂν μεγάλοι, ἀλλὰ δοῦλοι καὶ λειτουργοὶ τυγχάνουσιν ὄντες. αἱ δὲ γραφαὶ πᾶσαι, οὐ παρὰ δούλων, ἀλλὰ παρὰ τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ δεσπότου γραφεῖσαι ἐπέμφθησαν. *Paulus Angelis è cœlo descendentibus Scripturas præfert. Et merito quidem: Angeli enim, quantumlibet magni, tamen serui sunt ac ministri. At Scripturæ Sanctæ omnes, non à seruis, sed à Deo omnium Domino scriptæ delatæ sunt.*

VII. At hæc indigna sunt quæ dicantur de regula fidei, ac præsertim summa regula: quæ nulli rei ita comparari debet, vt inde coerceatur, alias desinit esse regula: sed potius, vt inde sint omnia iudicanda. Et certe nunquam ita Paulus aut Chrysostomus loquutus esset de Dei verbo, cui ἀνεξετάστως seruiendum est: nec dubitandum, vtrum verum vel rectum sit, quod in eo præcipitur, quomodocunque præcipiatur. Sic iubente hoc Dei verbo, aut hominem circuncidi, aut Isaacum occidi, aut Ægyptios expoliari, aut pecudes in sacrificium mactari; tum ea omnia opere erant explenda. Rursus vero eodem vetante, & hominem circuncidi, & quenquam occidi, & furtum fieri, & pecudes sacrificari, iam nostrum non est mandata mandatis opponere, vel exempla præceptis obijcere: sed prorsus à prohibitis abstinere.

VIII. Rursus, summo quid præferri potest? At Chrysostomus Angelis ipsis in negotio fidei, præferendam dixit Scripturam. Ergo non sunt, inquam, Angeli, in eo negotio summi. Si non summi, ergo ne quidẽ summa regula. Et tamẽ infallibiles. Non igitur, quicquid est infallibile summa est regula fidei.

IX. Quare præter infallibilitatem, aliud quiddam necessarium est, vt fiat regula. Nimirum αὐθεντία hoc est, vt summæ sit, suæque auctoritatis, non autem subalternæ, aliundeque emendicatæ. Ideo Chrysostomus, sic Scripturas Angelis comparat, vt hos notet esse δούλους καὶ λειτουργούς: non igitur authenticos: serui enim nullam habent auctoritatem, nisi à suo Domino. Illas vero esse ab omnium Domino, id est, eo ipso authenticas. Nam verbum Dei, est Deus loquens. Itaq;, quæ auctoritas est Dei loquentis, eadẽ est verbi Dei.

X. Stapletoni exemplum non est simile. Neque enim verum sic per Ecclesiam Deum loqui, quemadmodum in Scripturis. Nam vt de Angelis dixit Chrysostomus, sic verum est Ecclesiam esse δούλην seruam Dei. Certè Apostoli omnes hoc se titulo honestarunt: Et Ecclesiæ nomen ipsi Papistæ ad Pastores contrahunt. Ergo eadem ratio præferendas concludit Ecclesiæ Scripturas. Quod si verum est, ergo magis authenticè loquetur Deus per Scripturas, quam per Ecclesiam. Imo vero, quia non rectè dicitur aliquid alio magis authenticum, rectius dixerim loqui Deum per Scripturam αὐθεντικῶς, per Ecclesiam vero λειτουργικῶς, sic enim Basilius homilia de Fide hæc duo opponit vocabula.

XI. Quæ igitur ad Augustinum verba Stapletonus addidit, vana sunt: quia addidit à seipso, ex mera petitione principij. Rectè autem dixit Augustinus in Apostolo Christum esse loquutum; ac proinde iudicante Paulo Christum iudicare: nimirum, quia Paulum μετωνυμικῶς nominauit, pro verbo Dei per Paulum scripto ex Spiritus inspiratione extraordinaria, ideoque non tantum infallibili, sed etiam authentica. Quę altera causa est dissimilitudinis. Neq; enim Ecclesia extraordinariè siue ἀμέσως inspiratur, sed ordinariè docetur ipso docente & argumentis confirmante Stapletono in Relectione, Cõtrou. 4. q. 2. in explicatione articuli.

XII. Est etiam falsum, Christum in Paulo loquutum esse, quatenus Pastor erat Ecclesiæ. Alias oporteret in omnibus Pastoribus loqui Christum: quod non facit, saltem αὐθεντικῶς: nam loqui ordinariè per Pastores, nemo negat, & ad quæstionem hanc non pertinet. Sed in Paulo loquutus est αὐθεντικῶς, non tanquam Pastore simpliciter: sed tanquam Apostolo. Illo enim vocabulo omnes complectimur qui Ecclesiam docent: Hoc autem certos duntaxat aliquos, eosque paucos, qui post Ecclesiæ initia nulli vnquam fuerunt.

CAP. VI.

De Veterum testimoniis pro auctoritate Ecclesiæ.

I. NEc plura aut Scripturæ testimonia, aut à ratione petita argumenta ab aduersariis numerata, licuit obseruare. Iam è Patribus, nonnullos seligunt locos, vnde conficere se sperant, Ecclesiam esse iudicem Controuersiarum. Quanquam vero sit eorum labor admodum inanis, cum nullo loco docere possint, Patribus persuasum fuisse, Scripturam non esse normam fidei, nam ne vnum quidem obseruauimus in præcedenti Controuersia qui dicat, aut Ecclesiam solam eo fungi munere; siue esse summum iudicem: tamen ne quid prætermissum calumnientur, (vt solent) tantoque magis pateat eius causæ infirmitas, operæ pretium est ipsos locos nunc examinare.

II. Franciscus Cordubensis, è 6. Clementis Stromat. hæc verba selegit, *Cæterum recta sunt omnia, inquit Scriptura, coram iis qui intelligunt, hoc est, iis, qui ab ipso declaratam Scripturarum expositionem, ex Ecclesiastica regula accipientes conseruant. Regula autem Ecclesiastica est concentus, & consensio legis & Prophetarum conuenienter Testamento, quod traditur per Domini aduentum.*

III. Sed hic nihil est difficile. Nam ὁ κανὼν ὁ ἐκκλησιαστικὸς, non significat ipsius auctoritatem Ecclesiæ, qua tanquam canone, siue regula fides regatur: Sed ipsam potius regulam, qua Ecclesia regitur, vt secundum eam fidem têperet. Atque hanc quidem è Scripturis. Explicatur enim ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία τοῦ νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν τοῦ κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ. Quæ verba intelligi non possunt, nisi de consensu Scripturarum veteris ac noui Testamenti. Qui consensus pendere nullo modo potest ab auctoritate Ecclesiæ: sed est re vera ac per se, quicquid alias sentiant, aut sentire possint quilibet Ecclesiæ Doctores, aut etiam ipsa Ecclesia, si quid forte ab iis Doctoribus diuersum sit Ecclesia.

IV. Itaque hic locus egregiam nobis potius operam nauat. Nam, si est consensus Scripturæ, Canon Ecclesiæ: ergo ipsa Ecclesia nõ est is Canon: ac

proinde

proinde, ne summus quidem Controuersiarum iudex. Contra vero, si omnia recta sunt iis, qui eum sequuntur Canonem: Ergo nos rectè contendimus Scripturam esse omnium Controuersiarum iudicem: nam si non esset, tum qui eum sequerentur, possent aliquando falli: ac proinde non essent illi omnia recta, quod tamen vult Clemens.

V. Addit ad Clementem Cordubensis vnum atque alterum ex Augustino locum. Priorem ex libro de vtilitate credendi, c. 5. *Quum autem & hoc sentimus, quod ille, quem legimus, & id est vita bene agenda accommodatissimum, cumulatissime sese habet veritas, nec aliunde aperitur falsitatis locus. Quod genus, cum de rebus obscurissimis lectio est, rarissimum omnino est, neque id mea sententia liquido scirt, sed tantummodo credi potest. Quibus enim argumentis absentis vel mortui hominis voluntatem ita colligam, vt de illa iurare possim, cum etiam si præsens interrogaretur, multa esse possent, quæ, si malus non esset, officiosissime absconderet.* Hæc Augustinus. Cordubensis autem infert: vt igitur certa fides habeatur de Scripturæ sensu, per Ecclesiæ doctrinam omnes credentes certiores fieri oportere.

VI. Alter locus est ex 3. de Doctrina Christiana, c. 2. *Cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primo prouidendum est, ne male distinxerimus, aut pronuntiauerimus. Cum ergo adhibita intentione certum esse prouiderit, quomodo distinguendum, aut quomodo pronunciandum sit, consulet regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit.* Hic vero obseruari iubet, manifestè doceri, Dei verbum, sine Ecclesiæ traditione, exponendorum Dogmatum non esse regulam, neque dirimendarum Controuersiarum iudicem, quandoquidem fidei regula non ex sola Sacra Scriptura, nec ex sola Ecclesiæ auctoritate, sed ex ambabus simul consistat.

VII. Respondeo ad priorem locum. Primo Augustinum loqui non de omnibus Scripturis, sed tantum de obscurissimis, id est, Veteris Testamenti: cuius plurima non satis facilia Manichæi, contra quos tum scribebat, populariter accusabant. Non poterant autem populariter defendi propter mysteria, quæ iis continerentur. Etiamsi igitur consequentia valeret, tamen coarctanda esset ad Scripturas difficillimas, non autem extendenda ad omnes: quum certum sit obscuritatem non occupare totum corpus Scripturarum: ipso teste Augustino, cum in libris de Doctrina Christiana, alias citatis: tum hoc ipso de vtilitate credendi c. 6. vbi serio testatur etiam in veteri Testamẽto Scripturam, *ita esse modificatam, vt nemo inde hauirire non possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum deuote ac pie, vt vera religio poscit, accedat.*

VIII. Secundo, non est necessaria consequentia. Etsi enim verum sit locorum in Scriptura obscurissimorum non posse sensum sic elici, vt liquido sciri possit, sed tantum credi: tamen non sequitur necessariam esse Ecclesiæ Doctrinam. Quorsum enim necessariam? An ad liquido sciendum? an vero ad credendum? Prius est contra Augustini mentem; qui simpliciter negat liquido sciri posse; non excipiens auctoritatem Ecclesiæ, aut aliquid aliud. Nõ potest autem esse necessaria ad id, ad quod ne peruenire quidem potest.

IX. Præterea obseruemus non agere Augustinum de fide Theologica: sed de ea, quam vulgo nominamus, quum nos testamur aliquid credere, de quo tamen non simus certissimi in nobis ipsis. Hoc patet; quia cum negasset id sciri liquido posse, sed tantum credi; rationem subiunxit, quod nullis rationibus absentis, aut mortui voluntas ita colligi possit, vt de illa iurare quis possit. Credidit ergo, illud liquido scire, inferre etiam iuramentum: non autem illud credere. Quid ergo? Non possunt coniecturæ efficere, vt alicuius loci sensum aliquem esse, ita semifrigide credamus.

X. Tertio, etsi necessaria esset Ecclesiæ siue Doctrina siue auctoritas ad interpretandam Scripturam; tamen hinc nego confici, Ecclesiam esse regulam fidei. Potest enim esse necessaria, tanquam necessarij sunt pueris Doctores Philosophi ad discendam Philosophiam; qui tamen non sunt norma Philosophiæ. Et sane impius sit, qui neget nos ab Ecclesia, siue potius à Pastoribus in Ecclesia, doceri verum sensum Scripturarum.

XI. Ex altero loco, negamus sequi, Dei verbum non esse regulam Dogmatum absque traditione. Neque enim aut iis verbis vsus est Augustinus: aut alijs idem significantibus. Sed dixit regulam fidei esse perceptam tum ex locis Scripturæ, tum ex auctoritate Ecclesiæ. Aliud est vero, regulam constare ex auctoritate Ecclesiæ, aliud acceptam esse ab ea.

XII. Et quidem vicissim obseruari iubeo distertam Augustini distinctionem, assignantis Scripturæ quidem locos: Ecclesiæ vero auctoritatem. Locos enim non possumus intelligere, nisi sedes ipsas articulorum, quatenus doctrinam significant; quæ desumpta ex iis locis translata est, vt ita dicam, in eam regulam. Vnde colligimus Augustinum credidisse, non aliunde desumendã esse fidei regulam, nisi ex Scripturis, contra mentem Cordubensis.

XIII. Auctoritatem vero Ecclesiæ intelligimus; quam habent Doctores in discipulos; Nam hos, quandiu discunt, oportet docentibus credere. Agit autem de iis Augustinus, qui accedunt tum primum ad Scripturarum meditationem: atque adeo qui ex ea institutione, cuius vsus est in Ecclesia erga Catechumenos; didicerunt fidei articulos. At hæc auctoritas non summa est & absoluta in iudicando potestas: sed tantum in veritate assignanda probitas & sinceritas.

XIV. Nec prætermittendum eo ipso loco Augustinum addere, se de ea regula satis egisse, cum de rebus in primo libro loqueretur. Quæ verba ipsam nobis regulam digito indicant. Cum enim totum illud opus de Doctrina Christiana, in duo capita tribueret, nimirum in Res, & Signa: primi libri tota tractatio in rebus insumitur; distinctis in eas quibus fruendum est, easque quibus vtendum. At de vtrisque cum multa dicat; tum certè nihil, quod non confirmet ex distertis Scripturæ locis. Quare, si verum est eam esse regulam exponendarum Scripturarum, quæ consistit in ijs rebus, quas Augustinus tractauit: eæ res autem constant, imo sumuntur ex Scriptura: tum necesse est ipsam regulam totam constare ex Scriptura. Atque hoc quidem eo certius, quod in toto illo lib. 1. ne verbo quidem meminerit, aut traditionis non scriptæ, aut auctoritatis Ecclesiasticæ, aut vllius omnino rei, quæ non constet ex perspicuis Scripturæ locis.

XV. Denique, vt rem in pauca contraham: Si regula fidei accipitur ab auctoritate Ecclesiæ: ergo ipsa auctoritas Ecclesiæ, non est regula. Quod si obijciant, accipi etiam ex Scripturæ locis; & inferant, non esse igitur Scripturam hanc regulam. Respondeo, negari consequentiam: nec esse eandem vbique rationem: nam auctoritas Ecclesiæ non est Doctrina: sed loci Scripturæ sunt ipsa Doctrina, ex qua constat regula.

CAP. VII.

De testimonijs Augustini.

I. IN Colloquio Ratisbonensi Iesuitæ quosdam alios locos è Patribus collegerunt, vt probarent præter Scripturam, agnoscendam esse quoq; communem & infallibilem aliquam Ecclesiæ auctoritatem Scripturas explicantem, & hæreses condemnantem. Cautè. Non ausi polliceri se ex Patrum Scriptis demonstraturos, communem illam auctoritatem, esse summum; aut absolutum iudicem, normamve omnium Controuersiarum. Atqui hoc opus erat potius. Nam esse illam aliquam auctoritatem communem, eiusque esse & Scripturas explicare, & omnes hæreses condemnare; nemo est nostrûm qui neget. Tantum non concedimus esse infallibilem. Sed hoc; quid ad rem? Non enim sequitur, vt sæpe dixi, ideo esse regulam, si sit infallibilis.

II. Possem itaque securus abstinere hoc toto labore; ex quo thesis non concluditur. Tamen, ne quid conquerantur, locos percurramus. Ex Augustino sex omnino collegerunt. Primus est ex lib. 1. contra Cresconium cap. 33. *Quamuis huius rei certum de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas; quum hoc facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: vt quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.*

III. Secundus, ex lib. 1 contra Aduersarium legis & Prophetarum c. 24. *Iste posuit testimonia, quæ sub nominibus Apostolorum Andreæ, Ioanniſque conscripta sunt. Quæ si illorum essent, receptæ essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus, per Episcoporum successiones certissimas, vsque ad nostra & deinceps tempora perseuerat.*

IV. Tertius ex lib. 28. contra Faustum c. 2. *Cum necesse sit alterum horum librorum esse mendacem, cui nos potius censes fidem accommodare debere? Eine, quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata, & per Apostolos profecta, certa successionum serie, vsque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata; ab initio traditum & conseruatum agnoscit, atque approbat? An ei quem eadem Ecclesia incognitum reprobat, cum etiam proferatur ab hominibus ita veracibus, vt Christum laudent esse mentitum?*

V. Quartus contra Epistolam fundamenti c. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Et post pauca. *Actibus Apostolorum necesse est me credere. Si credo Euangelio: quoniam vtramque Scripturam similiter mihi commendat Ecclesiæ auctoritas.*

VI. Quintus, in Psalm. 57. *In ventre Ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est vt falsa loquatur. Necesse est, inquam, vt falsa loquatur, qui aut concipi noluit; aut quem conceptum mater excussit.*

VII. Sextus, concione ad Catechumenos contra Iudæos, Paganos, & Arianos; cap. 21. *Hæc (Ecclesia) est mater vera, pia mater & casta: intrinsecus sui viri dignitate ornata: non forinsecus mendacio fallente turpiter colorata. Non nos ab ista matre nomen confictum seducat alienum, non nos Ecclesiæ species decipiat aliena.*

VIII. Hactenus ex Augustino Iesuitæ; nudum textum ita recitantes: Quæ quidem segnities esset excusanda, si distertis verbis, totidemque, vt ita dicam, syllabis, iis locis ea contineretur sententia, quam probare oportebat. Sed, cum longe verba recedant, imo etiam verborum sensus: quis non miretur ab iis viris nullo signo indicatam vim consequentiæ; sed relictam nobis diuinandam? At hæc non iam segnities est, sed dolus malus. Certe hoc eorum est ingenium, qui maximi sunt inter Sophistas, nempe, vt eas occultent partes, quas vident infirmissimas.

IX. Cæterum maior pars horum locorum in alijs Controuersijs aptius explicabitur: primus quidem in Perfectione Scripturæ: secundus, tertius & quartus, in Auctoritate confignandi Canonis: Nam & iis locis rursus obijcientur: itaque hoc loco non erit necesse de iis multa dicere; tantum, vt ostendamus nullo modo confici, quod Iesuitæ volunt; alium esse summũ siue absolutum iudicem; hoc est, normam Controuersiarum sacrarum præter Scripturam. Nam sic mihi status causæ reperiendus est, cum quo hi loci certius comparentur.

X. In primo igitur, Nego sequi, esse Ecclesiam Controuersiarum normam; quia eam sequendam dixit Augustinus ab iis, qui falli metuunt in quæstione de baptizandis hæreticis. Primo, quia id argumentum est à posteriori: hoc modo: Si rebaptizandi essent hæretici, ergo eos aliquando Ecclesia rebaptizasset. At non rebaptizauit vnquam: Ergo non sunt rebaptizandi. Quæ consequentia non excludit causas, propter quas id nunquam fecit Ecclesia. Hæ autem causæ aliunde non possunt desumi, quam ex norma ipsius Ecclesiæ, secundum quam ipsa Controuersias decidit.

XI. Secundo, quia si Ecclesia esset norma, ergo non aliunde sumeret auctoritatem. At Augustinus eodem verborum contextu, auctoritatem Ecclesiæ mutuatur à Scriptura. Sunt enim diserta verba, *Quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas*: quibus significatur, totam auctoritatem Ecclesiæ inde aut sumi, aut probari: quod eam Scripturæ diligenter nobis commendent. Imo vero; quia dixit, earum Scripturarum veritatem teneri, cum id fit, quod Ecclesiæ placuit, quam ipsæ commendant; perspicuum est mentem esse Augustini, tum certam esse in qualibet quæstione veritatem, cum pro fundamento habentur Scripturæ: idque duntaxat Ecclesiæ reliquum esse, vt ab ea discamus, quæ sit mens Scripturarum.

XII. Tertio: in eis verbis nullum significatur summum iudicium, sed tantum praxis: in qua nulla proprie auctoritas est decidendi: sed tantum humilitas obsequendi; vt diligenter custodiantur, quę ab initio tradita sunt. Itaque, qui ab ea praxi ducunt argumentum, non quid iudicarit Ecclesia, vel nõ iudicarit, attendunt; sed tantum, quid acceperit sibi commendatum: qua in re nulla potest esse norma iudicandarum Controuersiarum, sed tantum testimonium.

XIII. At (inquient) infallibilem Augustinus ostendit eam praxim Ecclesiæ. Respondeo primo, non propterea sequi Ecclesiam esse normam. Non e-

nim norma eſt, quicquid eſt infallibile: ſed tantum id, quod præterea non pendet aliunde; quod de Eccleſia dici non poteſt. Sed de hac conſequentia, paulo ante plura.

XIV. Denique nego Eccleſiam hîc ab Auguſtino aſſeri eſſe infallibilem. Infallibile enim illud eſt, non quod non errauit: ſed potius, quod neque errauit in præteritum, neque errare poteſt in futurum. Illud facile dici poterat de Eccleſia in ea quæſtione; & alijs multis in quibus retinuerat eandem ab initio traditionis ſinceritatem. At hoc poſterius neque Auguſtinus vnquam dixit, nec verè quiſquam polliceri poteſt: qua de re etiam paulo poſt plura.

X V. In ſecundo & tertio loco, nulla vis eſt conſequentiæ. Quid enim? An quia libri Apocryphi non ſunt recepti ab Eccleſia? vel quia ijs libris credendum eſt potius, quos illa recepit, quam iis; qui obtruduntur ab hæreticis, ideo ſequitur Eccleſiam eſſe normam Doctrinæ? Nihilominus ratio eſt; quia libri Apocryphi non pertinent ad fidem. Deinde recipit Canonicos Eccleſia non iudicio, ſed obſequio: tertio, quia ſic conſtituerentur Eccleſiæ particulares, norma fidei. Auguſtinus enim inter ipſos Eccleſiaſticos libros, ita diſtinguit, vt eos velit eſſe maioris auctoritatis, qui vel à pluribus, vel à præcipuis Eccleſijs admittuntur. At id eſt abſurdum.

XVI. In quarto, nego id, cuius auctoritate commouemur ad credendum, regulam eſſe eius quod creditur. Nam etiam occaſio commouet. Sic Apoſtoli miraculorum vi multos quotidie commouebant: nec tamen miracula aut ſunt, aut eſſe poſſunt regula fidei; ſed occaſio tantum. Sic Diſcipuli auctoritati magiſtrorum credentes diſcunt. Nec alio modo ſe Auguſtinus teſtatur Eccleſiæ auctoritate commotum, vt etiam poſtea ſibi, & Euangelium, & Actus dicit fuiſſe commendata. Sed hac de re alias prolixius.

XVII. Quintus & ſextus locus docent intra ſolam Eccleſiam veritatem exſtare, nec ab ea diſcedendum, Quod nemo ſanus negat. Nam omnes hæreſes falſum & docent & tuentur. Sed inde concludere Eccleſiam eſſe regulam Controuerſiarum omnium, ſola audeat Sophiſtice: & quidem vix alia quam Papiſtica, quæ ex quolibet quidlibet ſe ſperat effecturam. Quid enim non audeat, quæ ſemel modeſtiæ fines eſt prætergreſſa? Sed non ita, qui modeſte & ad ſalutem ſapiunt.

CAP. VIII.

De Tertulliano.

I. EX Tertulliani libro de Præſcriptionibus multa deſcribunt, vbi docetur; primo non prouocandum ad Scripturas, neque in iis conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta ſit victoria: ſed prius diſputandũ, quibus competat fides ipſa, cuius ſint Scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Tum alios non eſſe recipiendos Prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit: quid autem hi prædicauerint, quid illis Chriſtus reuelauerit, non aliunde probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viua voce, quam per Epiſtolas poſtea. Indeque conſtare, omnem Doctrinã, quæ cum illis Eccleſijs Apoſtolicis conſpiret, veritati deputandam: & multa præterea in eandem ſententiam.

II. Reſpondeo, Tertullianum, cum hæc ita effudit, non agere de regula fidei, ſed de præſcriptionibus aduerſus hæreticos. Non eſt autem Præſcriptio idem cum regula. Nam dupliciter agendum docet cum hæreticis: vel Præſcriptione, vel Retractatione. Sic enim opponit lib. 1. contra Marcionem cap. 21. & 22. *Nihil* (inquit) *retractare oportebat*. Et poſt paulo, *Sed quomodo funditus euertetur Antichriſtus, niſi cæteris quoque iniectionibus eius elidendis locus detur, relaxata præſcriptionum defenſione?* Eſt autem Tertulliano retractare, vt obſeruat Iunius in Indice ad eius opera ἀνατυποῦν, tractare diligenter: quod facile norunt; qui in eo ſunt verſati. Et ſane præſcriptionum capite quadrageſimo quinto præſcriptioni opponit ſpecialem reſponſionem. *Sed nunc quidem* (inquit) *generaliter actum eſt à nobis aduerſus hæreſes omnes, certis & iuſtis & neceſſarijs præſcriptionibus repellendas à collatione Scripturarum. De reliquo, ſi Dei gratia annuerit, etiam ſpecialiter quibuſdam reſpondebimus.*

III. Eſt autem Præſcribere, verbum forenſe, qualia non pauca in Eccleſiam induxit Tertullianus, ex Iuriſconſulto, Chriſtianus. Et ſignificat, cum quis aduerſarium certis exceptionibus remouet à lite conteſtanda; ita vt de ſumma rei neget agendum, eamve cauſam ex iuris præſcripto iudicandam. Vetus Gloſſarium, *Præſcriptio*, παραγραφή: & rurſus, παραγραφή, *exceptio, præſcriptio*: παραγράφω, *præſcribo*. Iam Iulius Pollux in Onomaſtico lib. 8. παραγραφὴν exponit, ὅταν τις μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι λέγῃ τὴν δίκην, quando quis negat litem inferri poſſe: verbis opinor ab Iſocratis oratione Paragraphica mutuatis: quæ non ita multo poſt explicantur, ὡς οὐκ ἐξὸν αὐτῷ δικάζεσθαι περὶ τῶν τότε γεγενημένων, quod non liceret ipſi litem mouere de ijs quę olim acta eſſent, οὐδ' εἰ πάντα τὰ ὄντα ἦν πεποιηκώς, ne ſi quidem (inquit) hæc omnia commiſiſſem, nimirum propter legem τῆς ἀμνηστίας.

IV. Propterea ſolet Tertullianus Præſcriptionem compendio aſſignare, vt de Patientia cap. 4. *In expedito, & quaſi præſcriptionis compendio.* Aduerſus Hermogenem ſtatim initio, *Solemus hæreticis compendij gratia de poſteritate præſcribere.* Senſus eſt, ad vitandam rerum ipſarum prolixam perplexamque retractationem, eo deueniri, vt negetur admittendos hæreticos, ad diſputationem de ſumma Doctrinæ. Quo etiam ſenſu Auguſtinus præſcriptionem nominat contra Creſconium lib. 2. ſtatim ab initio: *Hac* (inquit) *quaſi præſcriptione ſe in cauſa peſſima putant acutiſſimos*: videlicet Donatiſtæ, quum de cauſa diſſenſionis cum Catholicis nollent habere Colloquium.

V. Quinetiam de Virginibus velandis c. 1. tria numerat præſcriptionum genera. *Hoc* (inquit) *exigere veritatem, cui nemo præſcribere poteſt: non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum.* Atqui cum tempus, tum perſonæ & regiones, eiuſmodi ſunt, vt extra cauſam ſint, & accidentia quædam, quæ propriè loquendo non poſſunt ius conſtituere, nec eſſe regula.

VI. Ex his apparet neque inter præſcriptiones regulam numerari poſſe; neque inter regulas præſcriptionem. Nam præſcriptio hoc agit, vt ne iure diſceptetur de ſumma rei: Regula autem, contra, vt in rem penitus inquiratur ex iuris formula. Quare, cum Tertullianus inter præſcriptiones numerarit Eccleſiæ illam auctoritatem, quam tanti faciunt aduerſarij, eo ipſo iudicauit, eandem non poſſe legitime haberi pro veritatis norma, aut ſumma iudice.

VII. Addo eam præſcriptionem ab Eccleſiarum Apoſtolicarum auctoritate, non eſſe certam: ac proinde non neceſſariam: imo ne iuſtam quidẽ, contra quam Tertullianus aſſerebat; cuius non eſt in Eccleſia tantum nomẽ, vt non liceat melius ſentire. Eſt enim fallax præſcriptio: quod etſi Tertulliani tempore poterat in dubium vocari, tamen hodie eſt manifeſtiſſimum. Eã ille ita concipit: *Hanc igitur dirigimus præſcriptionem, Si Dominus Ieſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos, quam quos Chriſtus inſtituit.* Hactenus optimè, nobis & conſentientibus, & ſerio laudantibus. Sed pergit, *Quid autem prædicauerint, id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, & hic præſcribam non aliunde probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem Doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus & originalibus fidei conſpiret veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit.*

VIII. Hic primo falſum eſt non poſſe aliunde probari, quid Apoſtoli docuerint, quam ab ijs Eccleſiis. Alias quorſum Scripturæ? aut quis earum futurus eſt vſus? Itane? Nos quotidie ex operibus Auguſtini inquirimus, & deprehendimus, quid ille Pater docuerit? Et ex Epiſtolis ad Romanos, ad Corinthios, reliquis, nemo ſcire poterit quid Paulus docuerit? Imo Paulus ipſe contradicit, ad Epheſ. 3. *Ante ſcripſi paucis: ex quo perlecto poteſtis intelligere quæ ſit mea intelligentia in myſterio Chriſti.*

IX. Secundo falſum eſt, omnem Doctrinam, quæ conſpiret cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, eſſe veritati deputandam. Niſi forte earum intelligat ſtatum primum; non vero deinceps præſentem: quod non ſatis quadrat eius inſtituto. Re vera enim obiecit præſentem ſtatum; vt apparet ex circunſtantiis. Sed hoc falſum eſſe, non eſt multi laboris docere, cum habeamus teſtem experientiam. Nam inter eas Eccleſias ipſe numerat, non Romanam tantum, ſed etiam Corinthiam, Philippenſem, Theſſalonicenſem, Epheſinam. Quid ergo dicimus? Omnes-ne, an ſingulas? Singulas, abſurdum. Quis enim audiuit vnquam Smyrnenſis Eccleſiæ iudicium (vt hanc pro exemplo nominem) regulam fuiſſe Controuerſiarum inter Chriſtianos? Etſi fuiſſet aliquando, tum vero à multis iam ſæculis, ea perijſſet regula, cum perit eo loco Eccleſia. Nec de alijs aliud iudicium.

X. Et tamen ſingulas ſine dubio Tertullianus intelligebat; vt apparet ex c. 36. *Age iam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ eorum literæ recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vnius cuiuſque. Proxime eſt tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longe es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſto eſt.* Significãt enim hæc verba ſufficere Aſianis Epheſum; vt non ſit neceſſe Philippos currere. Achæis ſuam Corinthum ſatis eſſe, quamuis Romam non adeant. Italis Romam: vtut Epheſum non nauigent. Quo magis apparet, quam incommode ſenſerit: ſiquidem ita ſenſerit, aut certè quam fruſtra eius verbis Papiſtæ abutantur. Quis enim hodie bene Chriſtianus aut Epheſum conſulat, aut Corinthum, aut Philippenſes, aut Theſſalonicenſes? Imo Papiſtæ pro Roma tantum pugnant, ſua Helena.

XI. Quod ſi non ſingulas Eccleſias Apoſtolicas aduerſarij velint eſſe iudices, ſed cunctas ſimul, primo diſcedunt à ſuo auctore: hoc ipſoque eludunt eius teſtimonium, quod opponebant tanquam grauiſſimum, locupletiſſimumque. Secundo: non facile patietur Romanæ faſtus Eccleſiæ, ſibi riuales addi in eiuſdem auctoritatis, crimine dicam, an culmine? Tertio nihil promouent. Quia enim ex iis Eccleſiis nulla remanſit integra, noſtro quidem, hoc eſt, verè ſentientium iudicio, Papiſtarum autem, omnes defecerint excepta Romana, tum ſane eam regulam oportet iampridem nullam eſſe. Quod eſt abſurdum.

CAP. IX.

De Vincentio Lyrinenſi.

I. SVpereſt Vincentius Lyrinenſis: cuius quantulum abfuit, vt librum integrum tranſcriberent? Et ſane fateor iſtum vnum de hac Eccleſiæ auctoritate in decidendis Controuerſiis, multo loqui & prolixius & confidentius, quam vllum alium ex vniuerſa antiquitate. Sed quid tamen ille? Contraham in pauca quæ fuſiſſime collecta ſunt à Ieſuitis, non paucis paginis.

II. Vult ergo, eum, qui velit hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus atq; integer permanere, duplici modo fidẽ ſuam munire. *Primo ſcilicet diuinæ legis auctoritate, tum deinde Catholicæ Eccleſiæ traditione.* Non quidem quod non ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat: ſed quia eiuſdem eloquia alij aliter interpretantur: vt neceſſe ſit Propheticæ, & Apoſtolicæ interpretationis lineam, ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigi.

III. In ipſa Eccleſia tenendum, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc ita demum fieri, *ſi ſequamur vniuerſalitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Nouitates in Eccleſiam non admittendas, neque Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalem & antiquam fidem dimittendam. Atque hæc ſumma eſt totius libelli, plauſibilius certè, quam ſolidius ſcripti, quamuis habeat non pauca, laudanda, & Catholicæ fidei zelum vbique ſpiret.

IV. Sed reſpondeo, primo poſſe à nobis in eum ſua tela torqueri. Nam c. 39. cum eorum Patrum conferendas dixit ſententias, qui in fide & communione Catholica ſancte, ſapienter, conſtanter viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerũt: tum ſtatim ſubdit, *Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quicquid, vel omnes, vel plures, vno eodemque ſenſu, manifeſtè, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmauerunt, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quicquid vero, quamuis ille ſanctus & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis confeſſor & martyr: præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas, & priuatas opiniunculas, à communis & publicæ, & generalis ſententiæ autoritate ſecretum ſit.* At hanc eius ſententiam, quam in nos torquent aduerſarij, eiuſmodi eſſe dicimus; vt numeranda ſit inter Vincentij proprias & priua-

tas, ſi

tas, si non contra, certe præter reliquos Patres excogitatam. Quem enim alium citabunt aduersarij? Et si forte alium: an omnes? an saltem plures. Nam si paucos, satis vident se nihil promouere, ipso Vincentio iudice, qui vel omnes, vel certe plures vult in idem consentire, & quidem manifeste, frequenter, perseueranter.

V. At nos huic, siue vni, siue cum paucis, alios possumus opponere. Clementem Alexandr. Stoma. 7. asserentē eam, quæ petitur è Scripturis, omnium certissimam esse demonstrationem, imo vero solam demonstrationem. Basilium, qui epist. 80. non vult obiici τὴν συνήθειαν, aut ab aduersariis sibi, aut à se aduersariis, cum tamen posset, & quidem Catholicam, in re Catholica; sed agi ex Scripturis. Augustinum, qui non patitur sibi obiici Ariminense Concilium ab Arianis, quos ne ipse quidem premat, auctoritate Niceni, sed Scripturarum auctoritatibus rem disceptari. Locus est contra Maximinum, lib. 3. cap. 14.

VI. Secundo, hunc ipsum, siue modū, siue Canonem dico, tot difficultatib. intricari, vt pene sit inutilis, imo vix possibilis, certe πληροφορίαν Fidei, nō possit ingenerare, quod tamen in omnib. Fidei rebus est in primis necessariū, imo sine quo nulla fides esse potest. Cum enim oporteat id teneri, ac proinde inquiri, quod vbique, quod semper, quod ab omnib. creditum est, ex ipsa vi nominis Catholici, quis non videt in quas labyrinthos se induat, qui hoc tantum negotium aggrediatur? Ille vidit ipse. Itaq; sententiam aut correxit, aut inflexit. Vidit posse aliquam Ecclesiæ particulam ab vniuersalis fidei communione præcidi, ergo, inquam, non potest, aut certe vix potest in omnibus fidei rebus, teneri id, quod vbique, semper, & ab omnibus.

VII. Huic incommodo sic medetur, vt velit pestifero, corruptoque membro, sanitatem vniuersi corporis anteponi, Et merito quidem, quis enim neget? At vidit rursus posse, non portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam nouella contagione commaculari, vt cum Ariani totum orbem occuparent, paucissimis exceptis Catholicis. Et mihi iam ab hoc homine normam quis iactet indicatam omnium Controuersiarum? Sane vero, sed Lesbiam quæ huc illuc flectatur. Huic tamen morbo remedium est, vt antiquitati inhæreatur. Esto sane, sed erit igitur, nostris Papistis, asserentibus Ecclesiam esse nomam, ita distinguendum, vt loquantur non de præsenti Ecclesia, sed de antiquis Ecclesiæ temporibus, quod saltem non patietur Gregorius de Valentia, qui vlt. cap. lib. 5. Analyseos disputat, *Nec præteritam aliquam traditionem, sine præsenti auctoritate, iudicem esse sufficientem omnium Controuersiarum Fidei.*

VIII. Deinde, quid ergo? saltemne in hoc consistimus tertio gradu? Imo rursus in ipsa antiquitate agnoscit posse errores deprehendi, duorū aut trium hominum, ciuitatis vnius: vnius etiam prouinciæ. En igitur, secūdo Lesbiam regulam. Rursusq; idem remedium, vt paucorum temeritati, vel inscitiæ præponantur, si qua sunt, vniuersaliū Conciliorum Decreta. Atqui ne hoc ipsum quidem in promptu est semper, ipso fatente. Et mihi tanta inconstantia Fidei regulam figat? Tanta incertitudo πληροφορίαν generet? Iungentur iam gryphes equis, æuoq; sequenti cum canib. timidi venient ad pocula damæ.

IX. Nunc ergo extremam adhibet machinam, atque ad Triarios confugit. Vultque collatas inter se maiorum consuli sententias: caute tamen, non enim omnium, sed eorum duntaxat, qui diuersis licet temporibus & locis, in vnius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione, & Fide permanentes, Magistri probabiles exstiterunt, tum non quaslibet sententias, sed quicquid non vnus, aut duo tantū, sed omnes pariter, vno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseueranter, tenuerint, scripserint, docuerint. Hactenus Lyrinensis, quatuor primis capitibus.

X. At tu mihi, ô bone, crucem fixisti potius, quam vllum Canonem ostendisti. Quid? Patres vt consulam omnes? Omnium, inquam, vt explorem sententiam? Qua arte? Nam vix centesimam partem in libris superstitem habeo. Et tu mihi non quosdam indicasti, sed vel omnes, vel certe plurimos. Atqui, cum maxime omnes consuluero, quorum in libris superest sententia, tamen neq; omnes, neq; plurimos audiero, sed tantum pauciores. Ergo nihil illi mihi solidum suadebunt.

XI. Quid rursus? tu me vis omnes illos, qui supersunt, libros euoluere? Et cum me dico, singulos indico fideles. Omnes enim debent scire, & certo scire quid sit credendum, ac proinde vti hac, quæcunque tandem futura est, Controuersiarum norma. Tu igitur singulos fideles cogas ad euoluenda, quotquot supersunt Patrum volumina, vt sciant quid omnes, & in omnibus quid singuli, neque id obiter, sed constanter senserint? Quin tu igitur nobis totidem Mathusalemos redde. Nam hæc quidem, quæ nunc viuimus tempora non sufficient, & si sufficerent, tum qui iuuenis tantum laborem aggressus sit, eum necesse erit in extrema demum, & decrepita senectute, certum esse de sua fide.

XII. Præterea, hanc ipsam Patrum consensionem, ipse negat Lyrinensis posse omnes Controuersias componere. *Quæ tamen* (verba recito ex cap. 49.) *antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solum, certe præcipue, in Fidei regula, magno nobis studio & inuestiganda est, & sequenda. Sed neq; semper, neq; omnes hæreses, hoc modo impugnandæ sunt, sed nouitiæ recentesq; tantummodo.* Duplici ergo contrahitur exceptione vsus consensionis huius, primo ad maiores Cotrouersias tantum, deinde ad nouitias hæreses, id est, quæ tum temporis incipiunt germinare. At tum nostra quæstio, tum aduersariorum sententia, tum etiam rei euidentia, regulam postulat vniuersalem, quæ ad omnes cum maiores, tum minimas, cum veteres, tum recentissimas, applicata, veritatem patefaciat.

XIII. Denique regulam oportet esse infallibilem, neque obnoxiam deprauationi, id est, ἀδιάφθορον. At hæc patrum consensio non est eiusmodi. Quod probo ex ipso Vincentio, ipsam infalsari & viciari posse, αὐταῖς λέξεσι asserēte. *Sed neq; semper*, inquit, *neq; omnes hæreses hoc modo impugnandæ sunt, sed nouitiæ recentesq; tantummodo, cum primum scilicet exoriuntur, ante quam in falsare vetustæ fidei regulas, ipsius temporis vetantur angustiis, ac priusquam manante latius veneno maiorum volumina vitiare conentur. Cæterum dilatatæ & inueteratæ hæreses, nequaquam hac via aggrediendæ sunt, eo quod prolixo temporum tractu longa his furandæ veritatis patuerit occasio.* Locus est leuicule corruptus, sed sensus tamen facilis: vnde & generaliter concludimus, nō esse hanc veram fidei regulam, & specialiter admonemur, quanta debemus Papistarum imposturas sagacitate cauere, qui nihil omiserunt diligentiæ, doli, malitiæ, vt vetustatem sibi possent vendicare, impudenter suppositis infinitis operibus, quæ etsi recentioribus seculis inepte aborta, non verentur tamen viris sanctissimis inscribere, vt Epistolas Decretales infinitas, vt Donationem Constantini, vt Synodum Romanam sub Syluestro, & alia magno numero. Cui sceleri, quid poterat deesse, præter Indices expurgatorios, qui tandem his pauculis annis emerserunt auctoritate freti Tridentinæ Pseudosynodi? Prodierunt autem, non ab auctoribus publicati, à quibus potius diligentissime custodiebantur, ne fraus omnibus cognita, in ventos abiret. Erant enim iis tantum distribuendi, qui expurgationi librorum suspectorum erant præfecti, addito seuerissimo mandato, vt hi ipsi censores priuatim, nullisq; conscijs apud se haberent, & nec ipsum aliis communicarent, nec eius exemplum vlli darent.

XIV. Sed effecit iustissima Dei prouidentia, vt tandem in oculos omnium proferrentur. Primus, id est, Belgicus, publicatus à Francisco Iunio primum, deinde à Joanne Pappo. Alter, id est, Hispanicus, ab illustrissimo viro Philippo Mornæo Plessæo. Tertium audio Neapolitanum, & quartum Romanum adhuc latere, digna scilicet Romana sinceritate mysteria. Sed non meminerunt miseri, nihil esse absconditum, quod non reueletur. Hi tamen illi sunt, qui nobis Ecclesiam obtrudunt, pro salutis norma. Quod si hodie in tanta luce, in tanta librorum copia, in tanta prælorum facilitate, hoc audens, quid credimus factum esse seculis illis obscurioribus, cum nemo Græce sciret, vix quisquam Latine, præter Monachos, & libri nulli essent nisi manu scripti?

CAP. X.

An Ecclesia sit regula sui ipsius.

I. HActenus Papistarum incubuimus examinandis argumentis, sequitur vt nostra proferamus, concludentia Ecclesiam non esse fidei regulam. Si Ecclesia est regula fidei, ergo erit regula sui ipsius. At hoc consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Patet consequentia, quia Ecclesia non regitur nisi veritate fidei, itaque si est ipsa regula fidei, tum ipsa disponit ipsam fidem, per quam regenda est. Indeq; fit, vt suo arbitrio credat, & doceat.

II. Absurditas consequentis probatur, quia nulla domus est regula sui ipsius. At Ecclesia est domus: Ergo non est regula sui ipsius. Maior per seipsam manifesta est, nec eget aliis argumentis. Minor patet ex 1. cap. 3. ad Timoth. *Hæc scribo tibi, sperans fore vt celerius ad te veniam. Quod si tardius ad te venero, vt noris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei viui.* Notanda est verborum efficacia. Nam domus ad œconomiæ suæ leges habet se mere passiue, vt eius partes sint duntaxat obediendi, nō autem constituendi & decernendi. Vel igitur Paulus non satis recte Ecclesiam appellat Domum Dei, vel eam oportet pure & simpliciter à Deo suas regulas accipere, ac proinde ipsam non esse sui ipsius regulam.

III. Si Ecclesia alligatur ad aliquam regulam, ergo ipsa nō est regula sui ipsius. At verum antecedens, ergo & consequens. Consequentia est per se nota. Probatur Antecedens. Primo, ex iis locis veteris Testamenti, quos recitauimus lib. præced. cap. 4. quibus constat prohibitum esse fidelibus omnibus ne recedant à lege Dei, siue ad dextram siue ad sinistram, vnde quis neget confici, eos alligari ad legem: Sunt autem fideles Ecclesia.

IV. Secundo, ex 1. ad Galat. vbi pronunciatur anathema tum Apostolis, tum Angelis euangelizantibus præter id, quod iam tum erat euangelizatum. Vnde sequitur, omnes, qui in Ecclesia sunt Pastores & Doctores, cuiuscunque gradus illi esse possint (non possunt enim superiores esse Angelis & Apostolis,) multo etiam magis plebem, ac proinde totam ipsam, vniuersamque Ecclesiam, alligari ad eam doctrinam, quæ fuit ab initio prædicata, ideoque hanc ipsam doctriam esse regulam Ecclesiæ, non vero Ecclesiam regulam eius doctrinæ.

V. Tertio ex aduersariorum confessione. Nam Stapletonus Principior. fidei doctrinal. lib. 7. cap. 1. ita scriptum reliquit, *Maxime proprium & formale medium conseruandæ vnitatis est ad ipsius fidei notissimam regulam, quæ statim ab initio per Apostolos promulgata, & diligentissime commendata est, respicere, eamque in omnibus sequi.* Et hanc regulam distinguit ab efficiente causa eius vnionis, videlicet Episcopis, atque adeo Papa, hoc est ab Ecclesia. Iam, quia semper illa conseruanda est vnitas, ex iis Stapletoni verbis necessario infertur, Episcopos, Papam, totam Ecclesiam in omnibus sequi debere regulam illam ab initio constitutam, itaque esse aliud regulam fidei, aliud vero ipsam Ecclesiam.

VI. Si Ecclesia tradita est in regulam doctrinæ: Ergo ipsa nō est regula sui ipsius. At prius verum, ergo & posterius. Patet consequentia, alias ipsa Ecclesia in seipsam tradita esse diceretur, hoc est non tradita. Neque enim cuiquam traditur, qui sibi ipsi relinquitur, suoq; permittitur arbitrio.

VII. Antecedens probatur ex 6. ad Romanos, Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, Hūc locum ita vertit Latinus interpres vetus, *Gratia autem Deo, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.* Τὸν τύπον, formam dicens, recte, est enim forma, certa illa rei natura, quę immutari non debet, imo nō potest, quin res ipsa dereat. Est etiam pro informatione alicuius rei, vnde 2. ad Roman. eadem voce redditur μόρφωσις, de qua actum est super. lib. cap. 6. Syrus interpres τύπον reddit דמותא, cum μόρφωσιν reddidisset cognato vocabulo רומוא.

VIII. Sed Glossarium vetus habet τύπος, *formula, forma, norma.* Qua significatione Athanasius Epist. ad Palladium vsus est verbo inde facto, ἃ ὁ κύριος διὰ τῶν ἀποστόλων τετύπωκε, ταῦτα καλά τε καὶ βέβαια μένει. Nannius reddidit, *Quæ Dominus per Apostolos instituit, ea & bona sunt, & firma persistunt.* Recte. Est enim instituere, rei statum ab initio constituere, id est, formare, quomodo Glossarium τυπῶ, *formo*, &, διατυπῶ, *constituo, dispono, statuo.*

IX. Est ergo manifesta mens Apostoli, fidelib. Romanis, cum translati sunt ab eo statu in quo seruiebant peccato, certam esse propositam doctrinæ rationem, siue formam, aut formulam, qua illi pro norma vtentes, deinceps ex ea seipsos reformarent, exprimerentque eam tota vita. Quemadmodum Philo in vitæ Mosis libro tertio, τῇ τύπου voce significauit exemplar illud, quod Mosi in monte ostensum, deinde opere expressum est, ὁ μὲν οὖν τύπος (inquit) τοῦ παραδείγματος ἐνεσφραγίζετο τῇ διανοίᾳ τοῦ προφήτου, διαζωγραφούμενος, καὶ προδιαπλαττόμενος ἀφανῶς ἄνευ ὕλης ἀοράτοις εἴδεσι. τὸ δ' ἀποτέλεσμα πρὸς τὸν

τῷ τοῖς ἐδημικευμένῳ; *Formula quidem exemplaris insculpebatur menti Prophetæ, picta, fictaq; inuisibiliter sine materia formis quæ videri non poterant. Opus vero ipsum iuxta illam formulam constitutum est.* Et sane hac eadem voce vsi sunt Septuaginta, postque eos Stephanus Actor.7. & Paulus ad Hebr.8. cum verterent locum ex ca.25. Exodi; *Fac secundum exemplar quod tibi in monte ostensum est.* Vbi Hebraice est תבנית Chaldaice דמות: qua Syrus nostrum hunc τύπον expressit, vt diximus.

X. Est autem phraseos emphasis non prætereunda, cum dixit Apostolus, non fidelibus traditam esse formam, vt peruertebat Castellio, sed fideles ipsos esse traditos in eam normam. Nimirum vt magnificentius exprimeret vim illam τοῦ ὑπακούειν, quæ significat, ita fidelibus propositam esse normã illam, non vt eam pro arbitrio fingant & refingant; siue, vt Carranza blasphemabat, eam regulent, sed vt sola eis restet obedientia ex animo præstanda.

XI. Sed & locus eo magis obseruandus, quod Romanos alloquitur. Hinc enim constat ipsam Ecclesiam Romanam tantum ab eo abesse, vt sit regula doctrinæ, vt potius necesse fuerit, accepisse regulam doctrinæ, cui obediret, vt fieret Ecclesia. Et tamen nostri Papistæ, cum multa declamarunt de autoritate Ecclesiæ in constituendis, & definiendis dogmatibus, tum ad extremum; id quicquid est, totum conferunt in Ecclesiam Romanam, tanquam illi proprium.

CAP. XI.

An Fides sit differentia & fundamentum Ecclesiæ.

I. SI Fides est specifica differentia Ecclesiæ, ergo Ecclesia non est regula Fidei. At fides est specifica differentia Ecclesiæ. Ergo Ecclesia nõ est regula Fidei. Consequentiam opinor non egere demonstratione. Cum enim omnia per specificam differentiam, sint id quod sunt, ne cogitari quidem potest, quomodo quicquam suæ formæ sit κύριον, cum habens in proprio arbitrio, eiusque sit regula & norma, alioqui ipsum sibi esset causa suæ essentiæ.

II. Assumptum probatur ex Ecclesiæ definitione, in quam necesse est ingredi formam, siue differentiam specificam, qua fit vt distinguatur, imo potius separetur ab aliis omnibus, id est, falsis Ecclesiis. At ipsi Papistæ ita coguntur hanc definitionem concipere, vt fidem comprehendant. Catechismus ad Parochos exponens articulum Symboli, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*; asserit Ecclesiæ vocem vsurpari ad significandas congregationes fidelium, *qui ad lucem veritatis, & Dei notitiam per Fidem vocati sunt*. Antonius Florebellus de Auctoritate Ecclesiæ, *Ecclesia commode definiri potest, vniuersitas hominum recta Fide Christum colens, concordiam seruans, terrarum orbe diffusa, successione perpetua.*

III. Carranza Controuersia 1. tum veram Ecclesiam distinguit à falsa, ex vera & falsa religione, tum veram Ecclesiam definit eam, *quæ rectam de Deo Fidem seruans, vera religione Deum verum colit & adorat.* Sonnius Demonstrat. tract. 8. cap. 1. *Cum dicimus Ecclesiam Christi, intelligimus eos, qui sociati sunt in vnum populum Verbo Dei, ac Sacramentis Fidei Christianæ.*

IV. Stapletonus in Relect. principior. Controuersia 1. quæst. 5. artic. 1. *Ecclesia est societas Christi nomen profitentium, in vnitate Fidei & Sacramentorum collecta, atque legitime ordinata.* Enchiridion Christianæ institutionis in Concilio prouinciali Coloniensi editum, postquam distinxit Ecclesiam, in inuisibilem & visibilem, de hac ita sentiendum docet, *vt sit populus in vnam professionem Fidei, & communionem Sacramentorum vocatus.*

V. Ioannes Monlucius Episcopus Valentinus in Instructione sua Christiana Gallice edita, *Ecclesiam vocamus, congregationem & cœtum omnium fidelium, qui sunt sub eodem Deo, sub eadem Fide, sub eodem Spiritu.* Denique ne omnes colligam, qui sunt ad manum, Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 2. non potuit aliter, *Nostra* (inquit) *Sententia est, Ecclesiam vnam tantum esse non duas, & illam vnam & veram, esse cœtum hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue vnius Christi in terris vicarij Romani Pontificis.*

VI. Hos locos de industria collegi duplicem ob causam. Primo, ne mihi esset necesse disputare de ipsa Ecclesiæ definitione, quæ ad aliam Controuersiam pertinet. Id autem obtinuisse videor, mutuo sumptis ipsis Papistarum verbis, & quidem non vnius, aut alterius, sed plurium, vt iam videri possit concors eorum communisque sententia.

VII. Secundo, vt mihi prosit diuersorum collatio locorum. Quia enim omnes se Papistas profitentur, verisimile est vnam eandemq; sententiam variis esse verbis expressam. Non enim placet, Jesuitarum more λογομαχεῖν, atque ex variis vocabulis, totidem discrepantes sententias mihi fingere, quemadmodum illi myriadas iam ferme Controuersiarum extuderunt è variis doctorum nostrorum phrasibus, atque his etiam calumniosissime, non explicatis, sed detortis, non aliter profecto quam Hercules olim furens duplices Thebas videre videbatur.

VIII. Quia igitur dupliciter Fides nominatur, alias pro virtute Theologica (sic enim vulgo vocant) quæ est ipse habitus credendi, qui in quolibet fideli reperitur, alias autem pro ipsa doctrina, quæ est obiectum eius virtutis, poterat fortasse in Catechismo ad Parochos, aliquis fidem priori notione interpretari, de qua nulla nostra est Controuersia.

IX. Sed obstant reliqui. Nam Carranza *Fidem de Deo* nominauit, quæ verba miror equidem, si quid aliud significent, quam veram de Deo doctrinam, quam Christiani pro certa amplectuntur. Nam habitus ille, solet potius appellari Fides in Deum. Stapletonus *vnitatem Fidei*: Monlucius *eandem Fidem*. At hæc siue vnitas, siue identitas in sola constat doctrina: Nam habitum illum, non omnes Christiani vnum, sed suum quisque possidet. Sed & Concilium Coloniense, professionem dixit eiusdem Fidei, itemque Bellarminus eodem sensu.

X. Præterea, tum Stapletonus Fidem distinxit à Sacramentis, & Bellarminus, & Concilium Coloniense, quod quomodo fieri possit non video, nisi doctrinam intelligas Fidei nomine. Nam habitus ille virtutis fertur etiam in Sacramenta. Hinc est, opinor, quod Sonnius à Sacramentis distinxit Verbum Dei, pro quo Edmundus Augerius, quem omiseram, substituit Euangelium, in Catechismo Gallico. *Quid est* (inquit) *Ecclesia? Cœtus eorum qui vocantur ad Euangelium & sub eo baptizantur.*

XI. Huic argumento vicinum est hoc alterum: Si fides est fundamentum Ecclesiæ, ergo Ecclesia non est Fidei regula. At Fides est fundamentum Ecclesiæ. Ergo Ecclesia non est fidei regula. Consequentia per se patet. Quis enim vidit vnquam à suo ædificio fundamentum regi, aut dirigi, siue disponi? Certe regulam necesse est priorem esse regulato. At ædificium posterius fundamento.

XII. Antecedens probatur ex 2. ad Ephes. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Apocalyp. 21. *Murus vrbis habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum Agni.* Quos locos de doctrina Apostolorum interpretandos vix est qui dubitet.

XIII. Et ex Papistis Albertus Pighius in Ratione componendorum dissidiorum, ita habet; *Hoc inprimis extra Controuersiam est, religiosæ societatis vnitatem ante omnia requirere consensum vnitatemq; sinceræ orthodoxæque Fidei, quæ vt vere religionis est caput & principium, ita religiosæ societatis velut basis & fundamentum est.*

CAP. XII.

An Ecclesia sit notior ipsa Fide.

I. SI Ecclesia est regula Fidei, necesse est semper esse notiorem ipsa fide. At Ecclesia non est semper notior ipsa fide: ergo non est regula Fidei. Consequentia est manifesta. Nam, quia ideo asserunt Ecclesiam esse Fidei regulam, vt inde constet Fidei veritatem demonstrandam, discendumque quid sequi debeamus, aut vetare: certe cum ex obscurioribus, & magis ignotis nulla fiat demonstratio, semper autem demonstranda est veritas, necesse est, quæcunque tandem constituetur Fidei regula, eam esse manifestiorem notioremque ipsa Fide.

II. Assumptum ita probatur. Primo, quia Ignatius Armandus Jesuita, ac tum temporis Rector Academiæ Turnonensis, in postr. ad me Epist. *Non nego* (inquit) *quin aliquando contingere possit, vt ex Scriptura Ecclesia probetur, sitq; illa ex hypothesi notior quam hæc, quando nimirum Scriptura est recepta, & clare loquitur, & oritur quæstio de ipsa Ecclesia.* Ex his verbis semiplenam habemus confessionem, vtpote à Jesuita, id est, eo hominum genere, quod vix adducas magno labore ad eam ingenue, candideque profitendam, & si quando aut rei euidentia impellat, aut argumentorum vis cogat, tum illi sic verba sua metiri, sic orationem librare, vt medium caute teneant inter plenam confessionem, & disertam abnegationem.

III. Nunc quoniam ita se res habet, vt oporteat τὰ παρόντα στέργειν, & ex difficili debitore, quidlibet solutionis loco accipere, quod Ignatius concessit gratis, grate assumẽtes, extorqueamus si possumus reliqua: Si igitur aliquando notior est Scriptura quam Ecclesia, ergo non semper Ecclesia notior est quam Scriptura. At regulam Scripturæ semper oportet esse notiorem ipsa Scriptura. Non est ergo Ecclesia regula Scripturæ, id est Fdei.

IV. Hodie vero omnium minime, si vera est Ignatij confessio, tum probari ex Scriptura Ecclesiam, cum oritur quæstio de ipsa Ecclesia. Nam quis nescit nullum esse doctrinæ caput, de quo tanta sit dissensio, tantæ, tamq; vehementes, aut prolixæ disputationes: Testes sunt nostri Apostatæ, Spondani, Rebulli, Doremeti, alij, qui suæ Apostasiæ vix vllum vtilius prætextum induere potuerunt, Pighius etiam tertiam Controuersiam his verbis orditur, *De Ecclesia non est leuis, nec parui momenti aduersariorum à nobis dissensio.*

V. Secundo, Si per Fidei prædicationem homines adducuntur ad Ecclesiam, tum necesse est Fidem prius cognitam esse, quam Ecclesiam. Probatur antecedens ex 2. c. Actor. vbi post recitatam Petri concionem, Judæorumque compunctionem, Lucas, (inquit) *Qui ergo libenter exceperunt sermonem eius, baptizati sunt*, καὶ προσετέθησαν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι, id est, Beza interprete, *Et addita sunt Ecclesiæ die illo capita quasi ter mille.* Etsi autem non additur à Luca vox Ecclesiæ, tamen & per se facile intelligitur, & postea exprimitur vltimo eiusdem capitis versu: *Dominus autem addebat quotidie Ecclesiæ qui salui fierent.*

VI. Est autem Lucæ verborum obseruandus ordo. Primo enim illos ait ἀσμένως ἀποδέξασθαι libenter excepisse sermonẽ, id est, doctrinam Fidei, quam Petrus proponebat, secundo, baptizatos esse, deniq; additos Ecclesiæ. Ergo (inquam) prius crediderunt doctrinæ, quam Ecclesiæ. Itaque non potuit illis esse Ecclesia regula Doctrinæ, siue Fidei. Quî nobis potius? Nisi velimus quotannis regulas Christianitatis multiplicare.

VII. Addo caput *Quæ dignior*, ex Ambrosio, apud Gratianum, causa 24. quæst. 1. *Fides in primis Ecclesiæ quærenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, haud dubie sit legendum* (an potius degendum) *Si vero perfidus populus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum Ecclesiæ, vitanda est hæreticorum communio.* Ineptus sane Ambrosius, qui ex fide de Ecclesia voluerit iudicari, eamque propterea in primis & ante omnia inquiri, nisi fides sit manifestior.

VIII. Accedit auctor operis imperfecti in Matthæum, quod vulgo tribuitur Chrysostomo, homil. 49. *In tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere Fidei veritatem, nisi Scripturæ diuinæ. Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas. Nunc autem nullo modo cognoscitur, volentib. cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas.* Et postea bis exclamat, *Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat nisi tantummodo per Scripturas?*

IX. Hæc sunt perspicua. Nam si ex Scripturis, & quidem solis cognoscitur Ecclesia, tum certe Scripturas oportet esse notiores. Non erit igitur Ecclesia regula Scripturarum. Et quia Scripturæ nihil sunt aliud, quam doctrina Fidei, ne Fidei quidem regula erit Ecclesia.

CAP. XIII.

An quæcunque pertinent ad Fidem, sint ab Ecclesia definita.

I. SI omnia quæ pertinent ad Fidem, non sunt semper definita ab Ecclesia, ergo non est Ecclesia omnium Controuersiarum norma. Verum est autem antecedens, ergo & consequens. Patet consequentia, quia esse potest Controuersia de iis rebus, quæ non sunt definitæ. Tum ea est regulæ natura,

vtne-

vt neque additionem admittat neque detractionem, teste Chryſoſtomo in 3. cap. ad Philipp. ὁ κανὼν οὔτε πρόσθεσιν, οὔτε ἀφαίρεσιν δέχεται. ἐπεὶ τὸ κανὼν εἶναι ἀπόλλυσι, *Canon neq; additionem, neque detractionem recipit, alioquin deſinit eſſe Canon.*

II. Antecedens probatur ex ipſorum Papiſtarum teſtimoniis, & confeſſione, vt & breuius negocium conficiam, & agnoſcant omnes, quam parum ſibi Eccleſiæ Romanæ doctrina conſtet. Primum in genere Canus locorum lib.7.cap.3. *Res nonnullæ non erant tunc adeo in Eccleſia deſinitæ, vt nunc eſſe videmus.* Quid ergo? potuit-ne tunc Eccleſia regula eſſe, cum non haberet omnia definita? Nihil abſurdius.

III. Secundo, in variis Controuerſiis ad Patres à nobis citatos, reſpondent ea capita iis temporibus nondum fuiſſe definita. Sic numerum librorum Canonicorum, Hieronymi & Rufini temporibus, id eſt, annis poſt Chriſtum quadringentis, conſtitutum negant Duræus, Canus, Hoſius, vt videbimus in Controuerſ.5.lib.5.

IV. Joannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus ad Articulum Lutheri 18. Indulgentiarum vſum concedit in Eccleſia eſſe recentiorem, & admodum ſero repertum apud Chriſtianos. De Purgatorio etiam, apud priſcos, vel nullam, vel quam rariſſimam fieri mentionem. Et generalius nemini obſcurum eſſe poſterioribus ingeniis, multa eſſe tam ex Euangeliis quam ex Scripturis cæteris, nunc excuſſa diligentius, & intellecta perſpicacius quam fuerant olim, imo veteribus non ſatis fuiſſe perfractam glaciem. De Jubilæo cognata Indulgentiis materia, Kranſius Saxoniæ lib.4.cap.26. *Milleſimus Chriſtianæ ſalutis annus toto ſilentio dilabitur ſub Pontificio Silueſtri ſecundi, & Imperio Othonis III. Iubilæus autem annus necdum venerat in mentem Pontificibus, vt eo inſtituto, quo præſens quingenteſimus poſt mille, celebraretur.*

V. Gregorius de Valentia, cap.5. libelli de Tranſubſtantiatione, eius dogmatis confirmationem ab Eccleſiaſtica definitione, nō potuit altius repetere, quam à quatuor Conciliis aduerſus Berengarium, ſcilicet Vercellenſi, Turonenſi, du obuſq; Romanis, quorum antiquiſſimum excedit decem à Chriſto ſecula. Tanto tempore non potuit ab Eccleſia peti huius, & quidem tantæ Cōtrouerſiæ regula! Ante id autem tempus concedit capite ſeptimo, paulo inconſideratius nonnullos ex Patribus eſſe loquutos. Nimirum, quia non poſſunt non plurima incommoda oriri ex defectu regulæ. Quamquam in eo proprie nullum eſt incommodum, nec illi ſunt inconſiderate locuti, ſed Papiſtæ potius ſic teſtantur ſuæ cauſæ peruerſitatem. Nos tamen nihil vetat ex eorum hypotheſi ſic diſputare.

VI. De ſtatu animarum poſt mortem, an aliquæ ſaltem Sanctorū fruantur ſua beatitudine, Deumque videant ante poſtremi iudicij diem, notum ſic eſſe philoſophatos veteres, vel omnes, vel ferme omnes, vt negarint, quod tamen nunc contra tenent Papiſtæ, & quidem tam neceſſario credendum, vt aduerſariam ſententiam computent in hæreſibus. Quid ergo? Nempe Bellarminus cap.12. lib.4. de Pontifice, *Reſpondeo Ioannem hunc re vera ſenſiſſe animas non viſuras Deum, niſi poſt reſurrectionem: Cæterum hoc ſenſiſſe, quando adhuc ſentire licebat, ſine periculo hæreſeos, nulla enim adhuc præceſſerat Eccleſiæ definitio.* Et regnabat tamen Joannes ille ſeculo decimo quarto. Imo Pamelium audi in Tertulliani 9. parad. *Eccleſia illorum temporibus nihil adhuc certi de hoc articulo ſtatuerat. Sed citra Synodum Oecumenicam Florentinam, aliter ſentire non licet.* Seculo nempe poſt Joannem. En regulam.

VII. Tertio probatur Antecedens ex nonnullis capitibus apud ipſos Papiſtas, ne nunc quidem certis, ob eam ipſam cauſam, quod ea negent adhuc ab Eccleſia fuiſſe definita. Alphonſus de Caſtro aduerſus hæreſes lib.1.ca.8. teſtatur Eccleſiam nondum definiuiſſe, vtrum perſonæ diuinæ, conſtituantur in eſſe perſonali per reſpectiua, an vero per abſoluta. Et ſane Otto Friſingenſis de vita Friderici lib.1.c.57. De Proprietatibus an perſonæ eſſent, nihil definitum fuiſſe teſtatur in Synodo Rhemenſi præſente Epiſcopo Romano, ob theologicas rationes, quæ hinc inde habentur, cum tamen de eo capite Controuerſiam mouiſſet Gilbertus Epiſcopus Pictauienſis. At hunc ipſum articulum Melchior Canus obiicit cum aliis lib.3.ca.3. locor. commun. vt probet non omnia, quæ ad doctrinam Chriſtianam pertinent, eſſe in Sacris literis expreſſa. Vnde quis non videt ſimiliter à nobis concludi, aduerſus hanc autoritatem, quam Eccleſiæ nimiam tribuunt Papiſtæ? Nam ſi Scriptura ideo eſt imperfecta, quia hunc articulum non exprimit, certe etiam Eccleſia, quæ non definiuit. At ſi imperfecta, ergo non regula.

VIII. Quantæ fuerint inter Franciſcanos & Jacobitas excitatæ Tragœdiæ, ob Mariæ Virginis conceptionem, norunt omnes, cum alij ſic à gratia præuentam aſſererent, vt immunis eſſet à peccato originali, aliis animoſe negantibus. Sed quid facerent miſeri, qui ſua deſtituebantur Eccleſiæ regula? Nam ne hodie quidem definitam eſſe quæſtionem aſſerit Canus lib 4. ca.4. Aſſerit etiam Bellarminus de Amiſſione gratiæ libr.4.cap.15. Dominicus à Soto de Natura & Gratia lib.1.c.7. permiſſam vtramque partem ab ipſo Tridentino Concilio oculatus teſtis aſſerit. Ne quis tamen putet rem indignam, quæ Eccleſiam Romanam occuparet, Nicolaus Baſilius Monachus Hirſaugienſis in additionibus ad Nauclerum, anno milleſimo quingenteſimo nono, quatuor fratres, ob eam rem crematos Bernæ, vocat Archihæreticos.

IX. De Peccato originali, quidnam ſit, nihil habent certi Papiſtæ. Joannes Delphinus libro de ea re, tot ait eſſe ſenſus, quot capita. Pighius diſerte negat eſſe Eccleſiaſtica definitione certum. Andradius non modo illuſtres Theologos aſſerit laborare, ſed etiam Cōcilium Tridentinum, eius peccati propriam rationem conſulto ſilentio inuoluiſſe, & ita liberum cuique eſſe opinari. Vide Tom.3.lib.1.cap.2. De non renatorum operibus ſint-ne omnia peccata, an non ſint, non liquet. Teſtis Andradius eodem opere orthodoxarum explicationum lib.3. *Quo genere*, inquit, *infidelium opera cenſenda ſint, nondum eſt ab Eccleſia, ſacriſq; Conciliis (vt arbitror) definitum.*

X. Quid fiat infantibus mortuis ante Baptiſmi perceptionem, non frigide diſputatur in ſcholis. Damnari conſentiunt omnes, ſed, vtrum ad pœnam damni tantum, an etiam ad pœnam ſenſus, hoc opus hic labor eſt. De hoc capite, ſi Romanam interroges Eccleſiam, reſpondebit illud ſolenne, nondum liquet, teſte Bellarm. de Amiſſione gratiæ lib.6.c.4. Et interea, dum ampliatur, ſinguli ſuam audacter ſententiam dicunt. Inter quos Claudius Caronæus medicus apud Heluios, negat eis pœnā damni fore grauem, propterea quod ad id nati non ſint, vt cœlos poſſideant, quomodo non fert ægre agricolæ filius, ſi non aſcendat ad regium ſolium. Quoſdam item inducit opinantes recipiendam ab eis naturalem beatitatem cognito Deo, ex contemplatione rerum, id eſt, ſpirituum, cœlorum, elementorum, & omnium creaturarum. Adeo laſciuit humanum ingenium.

XI. In Purgatorij Doctrina, tam vtili, tam fertili, imo Papiſtico clero tam neceſſaria, quæritur vbinam rerū ſit is locus, ſub terra-ne, an in terra, an potius in aere, an in valle Joſaphat, an variis locis. Itē cuiuſmodi ſint pœnæ, anne ab igne vero & corporeo, an potius metaphorico. Etſi ſit verus, quomodo agat in animas, quæ nihil habent corporeū. Qui ſint animabus illic exiſtentibus torquendis deſtinati carnifices, Diabolin-e, an potius Angeli. Deniq; maioreſne ſint pœnæ, an vero minores omnibus pœnis huius vitæ, non tantum omnes, ſed etiam ſingulæ, & quidem minimæ. Hæc omnia capita negant eſſe ad hunc diem certa, Bellarminus lib.2. de Purgatorio, cap.6. & 10. Gregorius de Valentia cap.1. addens has quæſtiones prohibuiſſe Concil. Trident. ne coram populo inſtituantur, quo nobis conſtet non potuiſſe ab eo definiri.

XII. Quid? quod de hoc ipſo tam controuerſo capite, ſed tamen tanto, tamque neceſſario nondum bene conſtat Papiſtis. Quæſtio eſt ergo, vtrum Romani Pontificis definitio, ſit regula omnium Controuerſiarum. Quod ſi eſt, tum ſane neceſſe eſt, eſſe impeccabilem. At hoc non tantum multi negant Papiſtæ, ſed ipſe Bellarminus negat omnino certum eſſe, an poſſit necne hæreticus eſſe. De Pontifice lib.4.c.7.

XIII. Ex his omnibus, aliiſq; non paucis, quæ colligi poſſunt, concludimus imperfectionem autoritatis Eccleſiaſticæ, vt euincamus, Eccleſiam non eſſe normam fidei. Eodem ſane iure, quo vtebantur Jeſuitæ in Colloquio Ratisbonenſi aduerſus Scripturam, quam imperfectam eſſe conabantur euincere. Sed vtilius, quia ad euincendam ſcripturæ imperfectionem, ſuis illi ſophiſmatibus nitebantur, non vllis ſanis argumentis. At nos eorum, quorum in Papiſmo non eſt exiguum nomen, plenam confeſſionem proferimus, contra quam, quid excipient? Niſi forte ſibi mutuo velint oculos configere.

Cap. XIV.

An Eccleſia diſcrepet à ſeipſa.

I. NVlla regula fidei in iiſdem rebus diſcrepat à ſeipſa. At Eccleſia in iiſdem rebus diſcrepat à ſeipſa. Ergo non eſt regula fidei. Maior eſt per ſe manifeſta, ex luce naturæ. Nam & regulam oportet ſemper eſſe rectam, & legem de iiſdem eadem reſpondere. Sic in ſcientiis Principia ſemper eadem ſunt.

II. Aſſumptio probatur exemplis, idque bifariam. Primum enim in Eccleſia oſtenduntur diſcrepantiæ ſecundum ætates varias, rebus aliter atque aliter mutatis. Exemplum in Communione vtriuſque ſpeciei in Euchariſtia. Primis enim ſeculis omnes fideles admittebantur ad calicem, æque ac ad panem: deinceps vero paulatim à calice repulſi ſunt laici, quos vocant, teſtatur Thomas Aquinas in cap. Joan.6. *Secundum antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem, omnes ſicut communicabant corpori, ita communicabant & ſanguini.* Teſtatur etiam ipſum Conſtantienſe Concilium, quo hæc diminutio primum ſancita eſt, vt ex conſuetudine in legem abiret. Hæc eius verba ſunt ſeſſion.13. *Hæc conſuetudo eſt rationabiliter introducta, quod licet in Primitiua Eccleſia ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub vtraq; ſpecie, poſtea à conficientibus ſub vtraque, & à laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur.* Et tamen non eſt hæc diſcrepantia de re nihili. Nam Alphonſus de Caſtro in hæreſi 12. de Euchariſtia, *Græci* (inquit) *Bohemi, & Lutherani oppoſitum aſſerentes, hæretici cenſendi ſunt, at velut tales euitandi.*

III. Olim tritum, infantibus eſſe neceſſariam Euchariſtiam, quod ne Papiſtæ quidem hodie tolerant. Maldonatus in 6. Joan. *Miſſam facio Auguſtini & Innocentij I. ſententiam, quæ 600. circiter annos viguit in Eccleſia, Euchariſtiam etiam infantibus neceſſariam. Res iam ab Eccleſia & multorum ſeculorum vſu, & decreto Concilij Tridentini explicata eſt, non ſolum neceſſariam illis non eſſe, ſed ne licere quidem dari.*

IV. Rurſus olim in vſu Eccleſiæ fuiſſe verſionem Scripturarum in maternam cuiuſque nationi linguam, item Euchariſtiam tradere in manus fidelium communicantium, denique nocturna peruigilia ad Martyrum ſepulcra, teſtatur Sixtus Senenſis Biblioth. lib.6. annot.152. deinceps vero illa omnia abolita. Ex iis tertium nos aſſerimus nunquam legitime inſtitutum, & poſtea concedimus recte abolitum, ſed primum & ſecundum non item. Hoc tamen quid ad rem? Nam ſiue prius errarit Eccleſia, ſiue poſterius, eadem vis eſt argumenti. Nam ſi Eccleſia eſt regula fidei, tum illa profecto ſiue potius eius temporis Eccleſia, hoc gaudebat priuilegio, itaque non fuit mutandum id, quod approbabat. Aut ſi mutandum, tum duorum alterutrum eſt neceſſe, vel vt non fuerit regula fidei, vel vt à regula fidei liceat Chriſtianis diſcedere. At hoc abſurdum eſt: illud ergo potius falſum. Et ſi non fuit eius temporis Eccleſia regula fidei, certe ne aliorum quidem temporum.

V. In moribus. Olim deponi ſolitos eſſe Presbyteros ob ſimplicem fornicationem, erat Canonibus conſtitutum: Et tamen contra ſit iam multis ſeculis inter eos, qui ſe Chriſtianos dicunt, ſoloſque Catholicos, indeque ſibi Eccleſiæ nomen tanquam proprium vendicant. Hæc diſſenſio notatur in Decretis Gratiani diſtinct.72. *Presbyter ſi fornicationem fecerit, quanquam ſecundum Canones Apoſtolorum debeat deponi, tamen iuxta auctoritatem beati Sylueſtri, ſi in vitio perdurauerit, ſi ſua ſponte confeſſus adiecit, vt reſurgat, decem annis pœniteat.* Gloſſator in eum locum, *Dicunt hodie pro fornicatione neminem deponendum, niſi in ea perduret, & ideo quia hodie fragiliora ſunt corpora noſtra quam erant.* Et cauſa 2. quæſt.7. in caput *Lætor*, diſerte negat pro fornicatione quenquam deponi, ideoque corporale crimen, pro quo Paulus quidam Deaclitæ ciuitatis Epiſcopus fuerat depoſitus, interpretatur adulterium vel inceſtum. Tantopere profecit inter Papiſtas clericorum ordo ſanctitate, & quam præcipue iactant, caſtitate!

VI. Rurſus in Eccleſia diſcrepantiæ deprehenduntur per partes, vt de eadem re aliter cenſeant Eccleſiæ Latinæ, aliter Græcæ. Inter Latinos Papiſtarum ſententia eſt, eos mortaliter peccare, qui non hac vtantur in baptizando forma, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Græci vero non ſeruant hæc concepta verba, ſed vtuntur paſſiuo baptizetur. In Euchariſtia Papiſtæ omnes azymis vtuntur non tam panibus quam foliis, nec ſine grandi ſcelere aliter fieri poſſe cenſent: at Græci conficiunt in fermentato.

VII. Gloſ-

VII. Glossator Decreti de Pœnitentia distinct. 5. auricularem confessionem necessariam esse asserit apud Latinos tantum, nõ etiam apud Græcos, *Necessaria est* (inquit) *confessio in mortalibus apud nos, apud Græcos non, quia non emanauit apud illos traditio talis, sicut nec conficiunt in azymis, sed in fermentatis.*

VIII. Græcos Sacerdotes esse vxoratos omnes sciunt: At in Latinis non tantum cœlibatus asseritur esse de iure humano annexus ordinibus, vt apud Bellarminum de Clericis cap.18. sed etiam matrimonium repugnare ordini sacro ex natura ipsa sacerdotij, repugnantia virtuali, quoniam scilicet ordinis sacris functionibus, cum matrimonij & nuptiarum vsu nullo pacto cõueniat, ita enim affirmat Michael Medina, libro de sacrorum hominum continentia primo, ca.47.& 50. Denique eo ventum, vt affirmet Costerus, grauius peccare Presbyterum contrahentem matrimonium, eo Presbytero qui aut concubinam fouet, aut scortatur, in Enchiridio, cap.15. Imo Andreas Fricius epistola Nuncupatoria præfixa lib.2. de Ecclesia, testatur quosdam scripsisse, minus peccare Presbyterum, qui cum centum diuersis personis scortaretur, quam qui cum vna quapiam contrahat.

IX. Hæc sunt exempli gratia duntaxat collecta, alia enim non pauca supersunt in variis regionis partibus, ex quibus quis non videat incertam, inconstantemque eam esse regulam, quæ pro variis regionibus varie se habeat? Nullus autem sanus eam credet esse veram religionem, cuius non sit alia certior lex, quam hæc ridicula.

Cum fueris Romæ, Romano viuito more:
Cum fueris alibi, viuito sicut ibi.

Cap. XV.

An Ecclesia doceatur aliunde quam à se ipsa.

I. Summa Religionis regula non instruitur siue docetur aliunde. At Ecclesia instruitur siue docetur aliunde, quid sit pronuntiatura de religionis Controuersiis: Ergo non est summa religionis regula. Maior patet, quia regulam necesse est habere in se sitam rectitudinẽ, nec aliunde mutuari, eo ipso, quod eam oporteat esse immutabilem, mutabitur autem, si ex nõ recta, quoties opus fuerit, fiat recta. Et clarius, quoniam instrui & doceri significat formari ad aliquam regulam, ergo quod ita instruitur & docetur, non erit summa regula, sed potius aliquid regulatum.

II. At minor facile probatur. Nam Ecclesiæ partes sunt Plebs, & Pastores. Plebem à Pastoribus doceri nemo aut nescit, aut negat: restat igitur vt Pastores etiam ipsos doceri probemus, & quidem Pastores, quorum proprie hanc totam esse auctoritatem volunt Papistæ. Primo igitur habemus testimonium Pauli 3. cap. post. ad Timoth. *Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem:* σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. Erat autem Timotheus inter Pastores, & quidem primarios, vt ne reliqui sibi pudori ducant, quod ei non fuit inhonestum.

III. Secundo: cum Pastores aliquid definiunt, omnino oportet vel ἀμέσως inspirari, vel non. Prius autem non potest concedi, quia τὰ ἐνθουσιάσματα iampridem cum Montano, eiusq; Propheticis explosit Ecclesia. Si non inspirantur ἀμέσως, tum necesse est eos vti mediis ordinariis, à quibus veritatem discant. Quod si fit, tum nulla ratio ferre potest, vt sint ipsi regula eius veritatis: quam ipsos accurate oportet discere antequam doceant.

IV. Et quidem ipsa Synodus Tridentina, quæ huic Ecclesiæ auctoritati suo magno commodo impense fauit, non potuit non hoc agnoscere. Nam sess.24. Purgatorij ignem confirmatura, præfatur Ecclesiam Catholicam Spiritu sancto edoctam ex sacris literis, & antiqua Patrum traditione docuisse Purgatorium.

V. Sed multo magnificentius Constantinus Imperator oratione & docta & pia, Patres Niceæ coactos hortabatur, vt ex Scripturis Cõtrouersias dissoluerent, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων (intelligebat autem Scripturas) λαβῶμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν, apud Theodoretum, lib.1. hist. c.7. & Gelazium Cyzicenum de Actis Synodi Nicenæ lib.2. c.7. Et addebat causam, quia libri sacri σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι, *Perspicue nos docent, quid sit de numine sentiendum.* Audin-tu? perspicue docent: At quos-nam, quæso? Nos. Quos illos? nempe eos ipsos qui tum congregati aderant ad pronunciandam de Controuersiis sententiam. Sensit igitur magnus ille & pius Imperator, Scripturam esse Pastorum regulam docentium veritatem.

VI. Atque hanc piam Pij Constantini adhortationem amplexi Patres, non suo arbitrio, aut ex proprio cerebro Arium damnarunt, sed συνήγαγον ἐκ τῶν γραφῶν τὸ ἀπαύγασμα, τὴν τε πηγὴν, καὶ ποταμὸν, καὶ χαρακτῆρα, πρὸς τὴν ὑπόστασιν, καὶ τὸ ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς, καὶ τὸ ἐγὼ, καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. καὶ λοιπὸν ... λοιπὸν, ... ἔγραψαν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱόν, *Collegerunt ex Scripturis, splendorem, fontem, fluuium, characterem relatum ad subsistentiam, & illud in lumine tuo videbimus lumen, & ego & Pater, vnum sumus, deincepsq; apertius & breuius scripserunt filium Patri consubstantialem.* Collegerunt igitur è libris Sacris, id est, didicerunt rem ipsam variis & verbis significatam, & locis affirmatam, nempe consubstantialitatem, quam damnata Arij inæqualitate sanciuerunt.

VII. Rursus Ephesina Synodus seipsam subiecit Scripturæ. Nam in relatione, qua confutantur ea quę Candidianus Comes ad Imperat. retulerat, testantur Patres se obsequutos antiquæ traditioni Patrum, sed & Apostolorũ, Euangelistarumq;, inquisiuisse veritatem, τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου ἐν μέσῳ κειμένου, καὶ δεικνύντος παρεῖναι τὸν τῶν ὅλων δεσπότην Χριστόν, constituto in medio Euangelio, quod præsentem Christum exhiberet. Et postea Cyrillus ipse in Apologia ad Theodosium, συνέδριον ... ὥσπερ καὶ κεφαλὴν ἐποιεῖτο Χριστόν. ἔκειτο γὰρ ἐν ἁγίῳ θρόνῳ τὸ σεπτὸν εὐαγγέλιον. *Assidentem constituit Synodus, imo & caput Christum. Erat enim in Sancto throno positum Euangelium.*

VIII. Nec alia mens est horum ex eadem relatione verborũ, αὐτὰ τῆς εὐσεβείας ἐκθέμενοι τὰ δόγματα, οἷς παραβάλλοντες τὰ ὑπὸ Νεστορίου κηρυττόμενα, τὴν ψῆφον ἐξηνέγκαμεν, *Propositis pietatis dogmatibus, comparatisq; ad hæc iis, quæ Nestorius prædicabat, decretum fecimus.* Significant enim iam ante id temporis certa fuisse, rataq; dogmata Fidei, aduersus quæ peccaret Nestorius, ita vt nõ fuerit opus, nisi vt ex iis tanquã regula, ille iudicaretur. Necesse est ergo cõcludamus, non à seipsis Ephesinos Patres, sed à Scriptura didicisse, cur esset eius hæresis condemnanda, quod hodie parum abest, quin sibi dedecori esse credant Papistæ: tam sunt illis bonis Patribus similes, scilicet.

Cap. XVI.

An Ecclesia sit infallibilis.

I. Omnis Fidei Regula est ἀδιάψευστος. At Ecclesia non est ἀδιάψευστος. Ergo non est regula Fidei. Maior per se, suaque luce fit manifesta. Minor pertinet ad eam Controuersiam, quam nos polliciti sumus disputaturos, si fauerit Deus, in loco communi quinto, qui erit de Ecclesia. Propterea nõ debent fuse tractari, sed indicari duntaxat argumenta, quibus eam sumus Deo dante confirmaturi, exemplis tamen corruptionum nonnihil indulgebimus.

II. Sunt igitur è Scriptura hi loci; Luc.18. *Filius hominis cum venerit, num reperturus est fidem in terra?* & post. ad Thessal.2. notissima est ἀποστασίας futuræ prædictio, quam etsi nonnulli intelligunt defectionem ab Imperio Romano, tamen & textus circumstantia, & maxima pars interpretum, huc potius inclinat, vt sit apostasia à Fide. Et præter Scripturam Vincentius Lyrinensis, capite quarto agnoscit, non tantum posse aliquam Ecclesiæ particulam, se ab vniuersalis Fidei communione præcidere, sed etiam non repugnare, nouellam aliquam contagionem totam pariter Ecclesiam commaculare posse.

III. Respondet experientia. Nam idem Lyrinensis testatur Arianorum temporibus, eo veneno non portiunculam tantum, sed pene orbem totum fuisse contaminatum. Et paulo post Nicenæ Synodi tempora Sulpitius Seuerus histor. lib.2. omnes fere duarum Pannoniarum Episcopos, multos Orientales, ac totam Asiam in perfidia coniurauisse obseruat. At hi, si bene numerantur, maiorem conficiebant orbis Christiani partem. Atque vt scias hinc lædi regulæ Papisticæ certitudinem, Lyrinensis notat tam fuisse caliginem quandam mentibus offusam, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret.

IV. Et sane multudinem aliquando iactarunt hæretici contra Catholicos, iam non Catholicos, si Catholicum ex numero metiremur, vt volunt Papistæ. Nam & Nazianzenus Oratione ad Arianos iis insultabat, qui Ecclesiam multitudine metirentur, paruumq; gregem respuerent. Et Theodoretus in opusculis, Athanasij nomine editis, 2. Tom. Eutychianot notat τοῖς πλήθει μόνῳ τοῦ λόγου τὴν ἰσχὺν ἐπιγραφομένους, soli multitudini vim rationis vendicantes, obiiciens immensum semper esse veritatis robur, κἂν παρ' ὀλίγοις εὑρίσκηται, quantumuis apud paucos reperiatur. Apud Theodoretum historiæ Ecclesiast. lib.2. cap.16. Imperator Arianus Liberio Episcopo solitudinem exprobrabat, ipso non negante Liberio, sed respondente; οὐ διὰ τὸ εἶναί με μόνον, ὁ τῆς πίστεως ἐλαττοῦται λόγος, *Quantumlibet ego solus sim, non tamen infirmatur Fidei ratio.* Adeo nondum didicerant Catholici amplitudinem esse notam Ecclesiæ, aut Ecclesiam regulam Fidei.

V. Addo testes, Alciatus inter celebres Iurisconsultos, magni nominis vir, in disputatione de quinque pedum præscriptione: *Iudicium Ecclesiæ* (inquit) *nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli.* Sic ille, sed alij vehementius. Adrianus VI. Episcopus Romanus in Instructione Francisci Cheregati ab eo missi ad Principes Germaniæ, *Scimus in hac sancta sede, aliquot iam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deniq; in peruersum mutata. Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios inferiores prælatos descenderit. Omnes nos (id est prælati Ecclesiastici) declinauimus, vnusquisquisque in vias suas, nec fuit iamdiu qui faceret bonum, non fuit vsq; ad vnum.*

VI. Delecti Cardinales à Paulo tertio, in sui Concilii vestibulo statim vehementer deplorant Ecclesiæ corruptionem à capite manantem ad omnia membra. Testanturque Pontifici significaturos se abusus illos, grauissimos videlicet morbos, quibus iampridem Ecclesia Dei laborabat, & quibus effectum prope esset, paulatim, ac sensim ingrauescentibus, vt magnam ruinam traheret, laboraretq; ad desperationem fere salutis.

VII. Nunc, si quis Ecclesiasticorum errorũ specimen postulet, in promptu fuerit plurima capita colligere. Sed non iuuat ire per singula, imo non est necesse: tum, quia locus est paulo alienior: tum, quia vt ex vnguibus Leonem agnoscimus, sic ex paucis facile reliqua coniicientur. Certe si nonnulla traditionum capita ostenderimus à vero rectoque deflexisse, facile euincemus, non posse Ecclesiam dici regulam Fidei. Vt autem breuius negocium conficiatur, exempla colligam tantum historica: nam Doctrinæ capita, quia paulo difficilius, eoque prolixius demonstrantur, non attingam: Etsi potui nonnulla, quæ ipsi Papistæ non negant esse non satis legitima, vt Eucharistiam infantibus communicatam apud veteres, qua de re multa leguntur apud Augustinum, atq; alios.

VIII. Sed multo maximam mendaciorum syluam exhibet Idolomania, in quam se præcipitem dedit orbis ea pars, quæ se, & Ecclesiã, & Catholicam esse iactat Ecclesiam. Hæc nobis Magos Christum inuisentes, transformauit in tres Reges. Cuius mendacij Baronium puduit, *Qui dixerunt* (inquit ad annum Christi primum, num.24.) *eosdem Magos fuisse Reges Persarum, errasse certum est.* Et tamen, vt noris ita credidisse Ecclesiam Romanam, non tantum Epiphaniæ dies, vulgo vocatur festum trium Regum, sed etiam omnes eorum picturæ eis & coronam tribuunt, & sceptrum. Deinde omnes legendarij paulo vetustiores idipsum asserunt, non tantum Ioannes de Voragine, sed etiam Petrus de Natalibus, Antonius Archiepiscopus Florentinus, item Guilelmus Durandus Rationalis lib.6. cap.16. *Magi ipsi fuerunt* (inquit) *Gaspar, Melchior, & Balthasar, & fuerunt reges, iuxta illud Psalmistæ: Tibi offerent reges munera.* Et sic adorantur Coloniæ, quo feruntur translata eorum corpora, quæ prius erant Mediolani. Sed & Baronius, qui negauit fuisse reges Persarum, Reges tamen esse, fidelium appellat traditionem, sed ex Arabia, quasi aliquis audierit vnquam Magos in Arabia.

IX. Catharinæ festum agunt 7. Calend. Decemb. eamq; tanquam literarum tutelarem, Pallademque, si ita loqui licet, Christianam, studiosi venerantur. Eius historiam sic olim Papistæ describebant, vt Iacobus de Voragine Legendæ aureæ cap.157. Dionysius Carthusianus serm.3. in eius festo, & vetus Breuiarium Romanum. Filia erat Costi Regis Cydri, elegantissima forma, ingenio acutissimo atq; eruditissimo. Eam Maxentius Romanus Imperator filio suo in vxorem postulauit à parentibus. Sed ea negante cuiquam nupturam, qui se non æquaret diuitiis, forma, doctrina; Mater Eremitam adiit, qui autor fuit Catharinæ, vt crederet in Christum, habitura hoc modo sponsum multo ditiorem, formosiorem, doctiorem. Tradit tabellam, in qua esset Virgo Maria Filium in vlnis tenẽs, iubet orare eius pueri matrem. Quod

cum

cum illa faceret, apparuit noctu cum matre Christus, eamque inserto digitis annulo desponsauit.

X. Exinde Christiana, cum Maxentius Alexandriæ omnes cogeret ad sacrificandum idolis, illa ad templum accedens Imperatorem acriter increpuit. Imperator in carcerem trudit, iubet adesse Philosophos quinquaginta; disputaturos. At illi congressi vincuntur, fidem amplectuntur, à Tyranno igni cremantur. Vxor Imperatoris, & Porphyrius dux cum ducentis militibus ab eadem conuertuntur. Iratus Maxentius vxori mammas auelli, tum caput abscindi iubet. Ad Catharinæ necem parari machinam ex rotis quatuor, gladiisque & clauis infinitis. Hanc Angelus tanto confregit impetu, vt quatuor Ethnicorum astantium millia occiderentur. Tandem virgini caput rescinditur, vnde lac pro sanguine. Corpus ab Angelis in montem Sina delatum, deinceps adoratur.

XI. Deus bone! quis non Chorœbo stultiores dicat Papistas, & vt ille aiebat, λημᾶν τοῖς κολοκυνθαις, qui fabulæ τὴν κακογνωμοσύνην non viderint? Etsi hanc fabulam καὶ κ' ἀλλὰ, διαγνώσεις ἀμφαφόων. Nam primo, si vera est historia, quis non miretur incognitam omnibus eius seculi, cui assignatur, imo & sequentium auctoribus, quos fuisse magno & numero, & nomine scimus? Virginem regis filiam: Virginem, quæ (vt obseruat Gobelinus Persona ætate sexta cap.15.) supra aliarum virginum agones merito esset extollenda. Quid dicam Imperatoris vxorem Faustinam (sic enim nominat Breuiarium reformatum) & Christianam, & martyrem? Quid Porphyrium, quem admirabilem virum apud Metaphrastem Imperator appellat, ducem exercitus? Quid ducentos milites? Quid, quod omnem fidem superat, quinquaginta Philosophos, viros totius orbis doctissimos? Tantamne martyrum messem prorsus ignoratam?

XII. Quod si obscurissima fuissent tẽpora immersa profundissimis ignorantiæ tenebris, excusarem. At id Constantini fuit seculum, magnis ingeniis florentissimum, maxime Christianis. Erat in viuis Eusebius, primus autor historiæ Ecclesiasticæ: Alexandrinorumque martyria prolixe prosequutus, vsque ad ignotas mulierculas, Credin-tu Imperatoris, aut, mimimum, regis filiam, Imperatoris etiam vxorem, silentio obruturum fuisse? Aut quinquaginta Philosophos? & quidem Philosophiæ florem.

XIII. Secundo, quis mihi ex aliquo auctore probato, demonstrabit Cyprum insulam sub rege aliquo fuisse? Et si fuit, quomodo illa Alexãdriæ enutrita? Non enim solent regum familiæ sic ablegari à patria. Mitto Eremitam, etsi hoc genus hominum vix eo seculo cœperit nominari. Maxentium vero Alexandriæ imperium vllum aut exercuisse, aut habuisse, falsum est, sed tantum in Italia, Africa, aliisque Occidentis partibus.

XIV. Quid? quod non consentiunt fabulæ Scriptores? Simeon Metaphrastes Æcatherinam (nam ita vocat) filiam fingit, non regis Cypri, vt alij, sed Imperatoris ante Maxentium. *Sum* (inquiebat illa) *filia Imperatoris qui te præcessit.* Æque hoc atque illud verum. Sed mendacibus ita ludendum fuit, vt suam Spartam certatim ornarent.

XV. Illud autem mendacium de quatuor millibus occisis, quantum est? aut quo colore fucandum? Scilicet, ita solebat Deus martyres suos vindicare à tyrãnorum immanitate! Pudentior Metaphrastes, qui numerum nullum certum designauit. Multo etiam magis religiosi illi ex Tridentino Decreto emendatores, qui hanc particulam è Breuiario totam eraserunt. Non veriti Tragicos illos clamores Cani, qui, cum ex Breuiario argumentum duceret ad confirmandam Apocryphorum auctoritatem, verebatur ne simul atque populus intelligeret se à Sacerdotibus ludificatum, nullam deinceps certam illis fidem haberet. Locus est c.9.li.2.locor. Theolog.

XVI. Et tamen, vt de Jesuitis scias idem posse dici, quod ille apud Aristophanem de suo nato recens à Sophistica Schola redeunte asserebat, ἐπὶ δ' ἐπιχώριος τ' ἐστὶν Ἀττικὸν βλέπος, non deterretur Petrus Cotonus his ἀσυστάτοις; sed obiicit in Apologetico Bedam, Adonem, Vzuardum, Metaphrastem. Quasi aliquis negaret hanc aliquando literis proditam fabulam: aut sufficiat Jesuitæ aliquem auctorem nominare ad plenam fidem faciendam. Imo hoc posterius ineptum est, neq; enim omnib. omnia affirmantibus statim credendum. Illud pro nobis facit: quomodo enim traditionis corruptionem, imo Ecclesiæ Romanæ, & quando ita volunt, Ecclesiæ Catholicæ (non enim discernunt sine imperitia siue malitia) errorem, si nemo fabulam admisisset?

XVII. Sed hi fidem nullam facere possunt. Primo quia sunt recentiores. Beda paulo ante Caroli Magni tempora, hoc est, 8. seculo, annis plus minus 400. post Maxentium. Vzuardus ipso Caroli tempore, cuius mandato Martyrologium scripsit. Ado Treuirensis post decimum seculum. Metaphrastes longe recentior. Mirum vero, Eusebium & σύγχρονοι, & præsentem Alexandriæ, aut vllum proxime sequẽtium seculorum de hac Catharina nihil inaudiuisse, hos vero tanto posteriores adeo familiariter cognouisse, vt Metaphrastes singula verba potuerit recitare.

XVIII. Deinde. Quid si ne Beda quidem, aut Ado, aut Vzuardus eam nouerint? Certe Gobelinus Persona, qui vixit decimo quinto seculo, vir doctus, & Ecclesiasticarum rerum non imperitus, vtpote Decanus Bilfeldensis, & Officialis Paderbornensis, diserte negat, non tantum Hieronymum, & Eusebium, sed etiam Bedam huius sanctæ in Martyrologiis mentionem fecisse, imo vero etiam libros antiquos id nomen, aut in Kalend. aut in Missalibus habuisse. Præterea Joannes Molanus Martyrologium Bedæ & Vzuardi ad nos peruenisse integrum negat, multa enim esse addita, quæ ille in Vzuardo edendo charactere discreuit, atq; inter alia hoc ipsum de Catharina. Quare hæc erat in Ecclesia mere fabula.

XIX. Verum heus! discedit cœlum: καὶ Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Baronius magnus ille, magnisque nominis Cardinalis, insignis Annalium Ecclesiasticorum scriptor, anno trecentesimo septimo hanc ipsam nobis Catharinam ex vetustatis situ profert in lucem, tam lynceis præditus oculis, vt eam primus viderit agnoueritque apud Eusebium historiæ 8. cap.27. editionis Christophorsonianæ. Rufinianæ vero decimo septimo. Quid igitur? Describit Eusebius mulierem Christianam Alexandrinã [illegible] πλούτῳ τε καὶ γένει καὶ παιδείᾳ, splendidissimam, illustrissimamque, atque insignem, cum aliis tum diuitiis & genere, & eruditione. Hanc Maxentius de stupro sæpius frustra interpellatam [illegible], exilio damnatam spoliauit facultatibus. His lectis magnus ille Baronius in animum induxit suam hanc ipsam esse Catharinam.

XX. Quam acute rem, vt dicunt, acu! Næ iste minerual est meritus, qui tantam rem tam facile docuerit. Et habet quod succenseat nostræ tarditati, qui eundem locum haud semel versantes, rem tantam tamque apertam non aduerteramus. Meretur tamen nostra simplicitas veniam: qui non facile diuinamus; nec vidimus illa tam multa quæ Bisciolæ breuiatori persuadere videntur hanc sui auctoris coniecturam. Imo prope est, vt conquetamur, malitiose siue Baronium, siue Bisciolam egisse; qui ea tam multa, tam secure omiserint, vt vere apud eos sint nulla. Nec vero potuimus intelligere, quomodo virgo, quæ esset adhuc in patris potestate, facultatibus spoliari potuerit. Multo minus, quo pacto, exilium & spoliatio illa bonorum, significet vltimum mortis supplicium. Quin illud κτείνειν μὲν ἑτοίμην χρῆναι θανατοῦν, οὐχ οἷός τε ἦν, τῆς ἐπιθυμίας μᾶλλον τοῦ θυμοῦ κρατησάσης αὐτοῦ, *Interficere eam, alioqui paratam mori, non potuit, dominante magis libidine, quam ira.* Id (inquam) quem non auertisset ab extremi supplicij cogitatione? vno excepto Baronio, tantæ in historiis peritiæ viro, vt optime nouerit, quæ, quandoque mendacissimæ historiæ, verissimis præponderent? quando antiquissimis, grauissimisque auctoribus, nouissimi, nugacissimique legendarij sint præferendi. Itaque hunc virum tantum, hæc liberanda veritas; expectabat, an expetebat?

XXI. Ille igitur cognouit Eusebium eius mulieris ignorasse nomẽ, ignorasse potiora certamina. Ille diuinauit Maximi libidinis faces nõ fuisse opum possessione extinctas. Quanquam exilium Eusebius addiderit, et id dissimulatum oportuit. Ille diuinauit Maximum, qui pollebat rerum imperio, insequi non desiisse prædam, tam amatam ardenter, ab anhelantibus faucibus fuga abreptam. Ille diuinauit, Maximum conatum esse eam quam sciret eruditissimam, per gentiles Philosophos à religione diuellere. Diuinauit eadem fuga illam Arabiæ montes petiuisse. Diuinat, ei primo nomen fuisse ab Hecate, Hecaterinam, eleganti scilicet paronomasia, & valde ad Græcam analogiam. Diuinauit factæ Christianæ, mutatum nomen in Dorotheam apud Rufinum: diuinat notiorem tamen fuisse de pristino nomine. Denique diuinat, Eusebio addenda omnia, quo similis fiat eius narratio historiæ Lombardicæ. Mirum artificium! Næ mihi si liceat esse eius discipulo, facile diuinem Homerum descripsisse gesta Dauidis in Iliade: & Virgilium Caroli Magni in Æneide. Deniq; Statium Thebaide, Rolandi Furiosi.

XXII. Addo, ne omnes colligam, Georgium Cappadoca, & Christophorum Chananæum. Quorum iste nobis duodecim cubitos longus describitur: seruus primo regis Chananæorum, deinde alterius nescio cuius, aut nominis, aut regni, non enim fabula significauit, maximi tamen & Christiani, tertio Diaboli: Denique Christi, quem humeris impositum, traiecerit maximum flumen. Inde factus Christianus, à Dacno rege iussus est sagittis confodi, quæ tamen omnes pendulæ restabant in aere, vna excepta, quæ conuersa retrorsum, Dacno oculum eruit. Tandem capite cæsus vitam finiit. Dacnus autem, facto ex eius sanguine luto, oculum recepit, fitque Christianus.

XXIII. Georgij fabula refert, Silenam vrbem quandam Libyæ infestatam ab immensæ molis Dracone stagnum vicinum incolente. Huic pacando primum oues obiectas singulis diebus binas, deinde, ouibus deficientibus, ouem cum homine, sicque sorte tandem deprehensam regis filiam. Hac ad rupem alligata, Draconemque expectante iamiam deuoraturum; Georgium forte fortuna prætereuntem belluam lancea confodisse, virginem liberasse (locumque adeo etiamnum ostendi Beryti, testatur Ludouicus Romanus, suæ nauigationis cap.3.) populum conuertisse ad CHRISTVM, denique sub Diocletiano & Maximo tyrannis martyrio vitam finiuisse.

XXIV. Perculerunt hæ ineptiæ nostros quantumuis audacissimos Papistas, quorum alij indignas prorsus putauerunt, quas suis laboribus illustrarent: Franciscum dico Haræum, qui vitas sanctorum profitetur ex probatissimis auctoribus describere, & eos qui nobis magnum illud volumen Gallice compilarunt eodem argumento.

XXV. Et tamen constat his pridem imbutam plebem Christianam, cum Curionum concionibus, tum pictis tabellis, quæ quotidie in templis exponuntur spectandæ, imo etiam adorandæ. In quibus non aliter Georgio Draconem adiiciunt, quam Antonio porcum; Rocho canem; Barbaræ turrim. Christophorus autem insana proceritate notabilis in medio mari infantulum gestans humeris, magnaque nixus trabe, omnium aut pene omnium in Galliis templorum ianuam custodit.

XXVI. Alij, & in his præcipui Jesuitæ nouo excusant & ingenioso commento. Esse nimirum illa emblemata, & hieroglyphica quędam potius, quam historiæ alicuius repræsentationem. Nimirum quia Hieronymus Vida, ingeniosior (meo iudicio) poeta, quam sanctior Episcopus, faceto lusit epigrammate in Christophoro, humeros pro corde, mare pro afflictionibus, virentem palmam pro victoria allegorice exponens, atque hanc pictorum audaciam vno versu facile excusauit,

Quod potis, ars tibi dat, nequeat cum fingere vera.

XXVII. Enimuero, Vicimus ergo, inquam. Nam quid hæc emblematum sibi vult recens excogitata venustas, nisi illa omnia, quæ sic narrabãtur, esse mera commenta? esse φαντάσματα; *Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet* (verba Arnobij in 5. contra gentes in re simili) *inclinatũ est in has partes, vt alia subiiceretur res alij, & in speciem decoris turpitudinis interpretatio cogeretur.* Verum tamen illa aliquando, cum crediderint, imo credenda obtruserint ij, qui non se tantum Ecclesiæ præsules appellitant, sed ipsius Ecclesiæ nomen suo sibi iure vendicant, possunt-ne iam negare errorib. obnoxiam esse Ecclesiam? Næ πάντη γὰρ ἠσέβησεν, εἰ μὴ ἠλληγόρησεν Ὅμηρος, *Omnino impius fuit, si non vsus est allegoriis Homerus*, inquiebat Heraclides Ponticus.

XXVIII. Sed enim quã iucundum nobis, Papistas accusantibus, quod Christianam pietatem transformarint in Ethnicã idololatriam, cuius rem ipsam seruauerint mutatis nominibus, videl. Catharinam pro Pallade Christophorum pro Atlante, Georgium pro Perseo nominantes, quam iucundum est, inquã, in iis Ethnicæ solertiæ vestigia deprehendere! Solebant enim Ethnici, cum vrgeri se viderent à Christianis, immani Deorum suorum absurditate, ad allegorias confugere tanquam sui vindices dedecoris (*Quærunt* (inquiebat Augustinus de Ciuitate libr.4.cap.10.) *quemadmodum sarciant fabulas.* Et lib.6.cap.8. *Si ista sacra hinc excusantur, atque purgantur, quod habent interpretationes suas, cur non etiam poetica similiter excusentur atque purgentur?*

XXIX. Le-

XXIX. Lepide Krantzius Saxoniæ lib. 2. cap. 12. cum describeret Veneris imaginem Ethnicam, eiusque interpretationem *Bono* (inquit) *mysterio vana suberat religio.* Quidni ego similiter illa laudem emblematum interpretamenta, damnata tamen superstitione? Sed grauiter Tatianus ad Græcos, πείσθητέ μοι νῦν ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, μηδὲ τοὺς μύθους, μηδὲ τοὺς θεοὺς ὑμῶν ἀλληγορήσητε. Κἂν γὰρ τοῦτο πράττειν ἐπιχειρήσητε, ἡ θεότης ἡ καθ' ὑμᾶς ἀνῄρηται, καὶ ὑφ' ὑμῶν. *Credite mihi* (inquit) *ô Græci, ne vestras fabulas, vestrosque Deos in allegorias transformate. Nam si id facitis, tum quæ apud vos est Deitas funditus tollitur etiam à vobis.* Audiant idipsum Papistæ: meminerintque, nullum esse ad eorum Ecclesiæ detegendas imposturas opportunius argumentum, hac subtili commentationum ingeniositate. Hieronymus apologia 1. aduersus Rufinum, *Quando dico tropicam, doceo verum non esse quod dicitur, sed allegoriæ nubilo figuratum.* Ergo nolim meliores mendaciorum Papisticorum testes ipsis Papistis.

XXX. Dionysius Halycarnasseus lib. 2. vir Ethnicus, cum Romanorum laudaret simplicitatem περὶ τὰ θεῖα, alienam à fabulis Græcorum. Καὶ μηδεὶς ὑπολάβοι, inquit, με ἀγνοεῖν ὅτι τῶν Ἑλληνικῶν μύθων εἰσί τινες ἀνθρώποις χρήσιμοι, οἱ μὲν ἐπιδεικνύμενοι τὰ τῆς φύσεως ἔργα δι' ἀλληγορίας, οἱ δὲ παραμυθίας ἕνεκα συγκείμενοι τῶν ἀνθρωπίνων συμφορῶν, οἱ δὲ ταραχὰς ἐξαιροῦντες ψυχῆς καὶ δείματα, καὶ δόξας καθαίροντες οὐχ ὑγιεῖς, οἱ δ' ἄλλης τινὸς ἕνεκα συμπλασθέντες ὠφελείας. ἀλλὰ καίπερ ἐπιστάμενος ταῦτα οὐδενὸς χεῖρον, ὅμως εὐλαβῶς διάκειμαι πρὸς αὐτούς, καὶ τὴν Ῥωμαίων μᾶλλον ἀποδέχομαι θεολογίαν. ἐνθυμούμενος ὅτι τὰ μὲν ἐκ τῶν Ἑλληνικῶν μύθων ἀγαθὰ μικρά τέ ἐστι, καὶ οὐ πολλοὺς δυνάμενα ὠφελεῖν. ἀλλὰ μόνους τοὺς ἐξητακότας ὧν ἕνεκα γίνονται· σπάνιοι δ' εἰσὶν οἱ μετειληφότες ταύτης τῆς φιλοσοφίας. ὁ δὲ πολὺς καὶ ἀφιλοσόφητος ὄχλος ἐπὶ τὰ χείρω λαμβάνειν φιλεῖ τοὺς περὶ αὐτῶν λόγους. καὶ πάσχειν δυοῖν θάτερον, ἢ καταφρονεῖν τῶν θεῶν, ὡς ἐν πολλῇ κακοδαιμονίᾳ κυλινδουμένων, ἢ τῶν αἰσχίστων, καὶ παρανομωτάτων οὐδενὸς ἀπέχεσθαι, θεοῖς αὐτὰ προσκείμενα ὁρῶν. *Enimuero nemo suspicetur me ignorare fabulas quasdam Græcas esse perutiles hominibus, quæ vel opera naturæ per allegoriam indicant, vel ad consolationem humanorum casuum excogitatæ sunt, vel perturbationes, ac terrores insanasq; opiniones ex animis eximunt, vel ad aliam quampiam vtilitatem sunt confictæ. Equidem ista noui, æque ac quiuis alius: attamen illas religiosa cautione mitto, ac Romanam Theologiam magis probo, reputans quod in Græcorum fabulis exigua insunt bona, nec multis prosunt, nisi qui scopum earum accurato examine cognouerint, quæ quidem sapientia paucis contigit: cæterum vulgus & philosophiæ rudis turba, tales de iis sermones in deteriorem partem accipit, & è duobus alterum hinc capit incommodum, aut enim Deos contemnit tanquam multis inuolutos infortuniis, aut à nulla iniquitate, turpitudineve abstinet, dum Deos quoq; his obnoxios videat.*

XXXI. Recte: Pauci intelligunt, plures in deterius accipiunt. Enimuero, quotusquisque fuit Papistarum ante Vidam, heri denatum, aut nudius tertius, qui Christophori, qui Georgij allegoriam aut mente conceperint, aut verbis expresserint? Age. Detur aliquis ex veteribus legendariis, aut sermonariis, qui τῷ μύθῳ suum subiecerit ἐπιμύθιον. Vin' & vulgus scire, quomodo habuerit se? Apud Parisienses, non procul Lutetia ostentari dentem audio Christophori, insane quantum. Ludouicus Viues in 9. caput lib. 15. de Ciuitate, sibi in Hispania ostentatum fuisse vnum scripsit pugno maiorem. Et Genuæ ostentari vnum item magnum legas in Itinerario Stunicæ. Hoccine allegoricum? hoccine allegoria vlla sanandum? Certe, si dentes Christophorus habuit, qui ostentari queant, verus fuit, non allegoricus, & si tantos dentes, profecto non allegorice tantus. Aut si allegorice tantus, tum vero illi non tanti dentes, meraque est impostura, mera idololatria, cum Parisiensibus ostentandi præbentur ij dentes. Nec alia ratio Georgij, cum ostentetur peregrinis, non tantum eius sepulchrum, sed & antrum Draconis, teste Henrico de Breauuau, parte 3. Itinerarij Hierosolymitani. Ludit videlicet lasciuiens Ecclesia imposturis. En tibi, quæ ex Georgio & Christophoro allegorias finxit, eadem ex clauibus Petri finxit reliquias omnibus adorandas. Habes testimonium Theodori Studitis in dogmatica de honore Imaginum. *Intelligo asseruari Romæ claues Petri Apostolici Senatus Principis, honoris gratia, etiamsi claues nullas sensibiles dederit Dominus Petro, sed ore tenus in hoc, vt omnes illum esset potestas ligandi ac soluendi. Eas autem argento confectas palam adorandas proponunt.* Quod mirum miræ pietatis effectum Gennadius Scholarius assumpsit tanquam inuictissimum veræ Ecclesiæ argumentum, in defensione Florentinæ Synodi cap. 5. sect. 12.

XXXII. Constat igitur Ecclesiam non esse ἀδιάψευστον, cuius traditiones tot sint erroribus, tot mendaciis deturpatæ. Quod etiam Episcopus Claromontanus, Franciscus Rupefocaldus vltro confitetur, aut profitetur potius lib. de auctoritate Ecclesiæ, cap. 2. traditiones videlicet progressu temporis fieri multo magis obnoxias corruptioni deprauationique, quam Scripturas.

XXXIII. Quid? quod ab ipsa Ecclesia latæ leges non omnes probari possunt? Nam traditiones potest illa excusare, prætexta vulgi persuasione, cui difficile sit occurrere: quam difficile sit auellere. Ita fabulosum quid redolere eas res, quarum certus nullus auctor dari potest, sed tantum, vt verbis vtar Tertulliani, traditio prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix, non multum quis miretur. Sed leges ipsas certo consilio primum latas, auctoritate summa sancitas, non satis ad veritatem, ad pietatem exactas esse, hoc vero omnem excusationem superat. Habemus tamen Canum, non de vulgi fece hominem, sed & Episcopum, & doctum, auctorem libro locor. Theologic. 5. cap. 5. *Non ego* (inquit) *omnes Ecclesiæ leges approbo, non vniuersas pœnas, censuras, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta, commendo. Scio nonnullas eiusmodi leges esse, in quibus, si non aliud præterea quicquam, at prudentiam certe modumq; desideres.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS.

De CANONE FIDEI.

Caput Primum.

AN LEGALIS PONTIFEX FVERIT CERTA REGVLA.

EVICIMVS præcedenti libro non posse Ecclesiam appellari Regulam Fidei, aut supremum iudicem omnium Controuersiarum. Tertius restat labor de Episcopo Romano, ad quem id quicquid est iuris, vno conatu tandem deuoluunt. Bellarminus hanc Controuersiam cum alia miscuit, de Interpretatione Scripturæ, De Verbo Dei, lib. 3. c. 3. & seq. confusis eam ob causam argumentis, quæ nos separabimus, ea quæ ad Interpretationem proprie pertinent, suo loco tandem tractaturi.

II. Si Sacerdos legalis erat certa regula in his quæ ad Deum pertinebant, multo melius erit Pontifex Euangelicus. At prius verum, ergo & posterius. Argumentum est Carrranzæ, & probat antecedens ex Deuter. cap. 7. *Si difficile & ambiguum iudicium apud te esse perspexeris inter sanguinẽ & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variare, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur.*

III. Pighius Controuers. 3. tria distincte notat, primum, quod in Controuersiis dubiis non ad Scripturas, sed ad viuum iudicium Sacerdotum, qui præerant Cathedræ, suos altercantes remiserit Moses. Alterum, quod præceperit districte illorum obedire iudicio, nec de eorum sententia inquiri amplius, sed simpliciter facere, quodcunq; desiderarent Præsides Cathedræ, non declinando ad dextram, nec ad sinistram. Postremum, contumaciam aduersus autoritatem Sacerdotis Præsidis mortis supplicio necessario expiari.

IV. Respondeo, primo negari consequentiam à Judaico Sacerdote ad Episcopum Romanum. Nam à lege ad Euangelium non concluditur necessario, nisi aliunde cõstet vis consequentiæ, erant enim plurima instituta in Mosaica Politia, quorum nullus vsus est inter Christianos. Et ne longe abeam, hoc ipsum iudicium inter lepram & lepram, imo etiam inter sanguinem & sanguinem, non exercet vllus Pontifex Christianus, ne ipse quidem Romanus Episcopus, sed solus ciuilis Magistratus. Itaq; si quid ex lege retinendum sit, id oportet aliis argumentis adstrui.

V. Ad hæc. Verba Mosis vel intelliguntur de solo summo Judæorum Pontifice, vel de quibuslibet Sacerdotibus Leuitici generis. Si de summo, tum ad Episcopum Romanum hic locus non pertinet. Non enim tenet inter Christianos eundem locum, quem Pontifex inter Judæos. Nam hic summus erat, reliquos omnes Sacerdotes habẽs sibi subditos. Ille autem minime, sed vnus est duntaxat inter omnes, habens collegas, siue plurimos Episcopos, vt ab initio, siue paucos Patriarchas, vt postea factũ est, cum superbe reliquis conculcatis quatuor, se extulerunt Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, orbemq; diuiserunt. Sed huic Controuersiæ sua debetur disputatio.

VI. Si autẽ Mosis verba intelligimus de singulis Sacerdotibus, tum multo importunius, quod erat multorum, contrahitur in vnum. Multo sane iudiciosius veteres, hoc quicquid est iuris vendicabant omnibus Episcopis appellatis etiam vulgo, non Pontificib. tantum, sed etiam summis. Nam Cyprian. epist. 62. hunc ipsum locum torquet in eos qui Episcopis & Sacerdotib. obtemperare noluerint. Atq; hic notandus iterum error vulgatæ editionis, in his verbis; *Et iudicum intra portas tuas videris verba variare*, quæ cum alij tum Costerus Apologia secunda contra Gomarum intelligunt de sentẽtiis variantibus Leuitarum, ac Sacerdotum domesticorum, à quibus eundum sit ad supremum Judaici populi tribunal. Quæ somnia sunt Papistica, non vlla Mosis aut verba, aut sensa. Nam Moses nulla iudicum verba dixit variare, sed partium affectus oppositos designauit Titij ac Mæuij eandem sibi rem vindicantium, ac proinde iure agentium.

VII. Secundo, nego antecedens. Non est enim verum hunc Sacerdotem, qui hic nominatur, fuisse regulam in iis quæ ad Deum pertinerent. Probatur tripliciter. Primo quia habuit ipse suam regulam, id est, legem, cui debuit seipsum conformare, tum in ministrando, quæ eius officij partes erant propriæ, vt patet ex eodem loco vbi dicitur העמד לשרת שם παρεστηκὼς λειτουργεῖν: tum in iure dicundo. Et sane ea verba, *Indicabunt* (sic enim legendum, non *iudicabunt*, vt Carranza) *tibi iudicij veritatem*, quæ sunt pro Hebraicis דבר המשפט הגידו לך, nihil aliud significant, quam illum siue Sacerdotẽ siue iudicem responsurum ex iuris formula, non autem ipsum ius suo constituturũ arbitrio. Vnde Chaldæus Paraphrastes vertit ויחוון Septuaginta ἀναγγελοῦσι, id est, nuntiabunt, id nimirum, quod non à se inuenerunt, sed aliunde acceperint.

VIII. Imo statim additur, *iuxta legem quã docebunt te, & iuxta iudicium quod loquentur tibi, facito.* Quib. verbis, quis nõ videt significari has esse Sacerdotis & iudicis partes, vt nõ tam condant, quam doceant legem? Ergo necesse est, vt in iudicando astringantur legi. Ab his verbis paulum discessit Latinus interpres, sed sensum vehementius expressit. *Et facies quodcunq; dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.*

IX. Sed

IX. Sed excipit Bellarminus primum hæc verba, *& docuerint te iuxta legem eius*, non esse nisi in editione vulgari, quam nos nō probamus. Secundo, non sonare conditionem, sed assertionem siue promissionem, non enim voluisse dicere, Sta iudicio Sacerdotis, si docuerit te secundum legem, sed secutum reddere populum, qui sacerdotis iudicio acquiescit, affirmando iudicaturum eum secundum legem.

X. Sed quid tum, inquā? Nam vulgatæ editionis in hoc tantum error cōsistit, quod quæ ad sequentē versum verba pertinebāt, copulauerit antecedenti. Prorsus enim non esse in textu Hebræo, falsum est. Sed non satis Jesuitice autoritatē vellicauit eius editionis, quam ex Concilij Trident. decreto solam debet authenticam agnoscere. Quod si est, tum sane etiam si nos non agnoscamus, tamen valet argumentum aduersus Papistas, quos suis telis confodimus. Sic enim valent etiam quæcunque in illos torquemus ex Concilio illo Tridentino, à qua tamen vt prorsus Papistico & impio nos abhorremus. Non absurde enim dixit author alias illepidus disputationis Syluestri cum Judæis, *Tunc demum conuincitur rationabiliter pars, quæ è diuerso est, cum suorum fuerit dictorum authoritate conuicta.*

XI. Esse autem promissionem, an vero conditionem potius, non pili interest, vtrouis enim modo constat obseruatio nostra, nimirum alligari ad legem tum Sacerdotem, tum iudicem, quod sufficit, vt negemus esse igitur aut hunc aut illum normam religionis. Hebraica tamen nulla est, neque conditio, neque promissio.

XII. Secunda probatio est ex ipsarum personarum consideratione, eaq; duplici. Nam primo nominatur non summus Sacerdos, sed Sacerdotes Leuitici generis, quo nomine comprehendebantur etiam infimi. Atq; hic corrigendus error tum Bellarmini, qui bis Sacerdotem legit singulari numero, nēpe de Verbo Dei lib. 3. c. 4. Et de Pontifice Rom. lib. 4. ca. 1. cum tamen & Hebraice sit הכהנים & Græce τῶν ἱερέων. Tum Pighij, qui in libello de ratione cōponendorum discidiorum legit, *Sacerdotis præsidis*, & controuersia tertia, exponit præsides cathedræ. Ex vulgata opinor versione Latina, quæ legit, *qui præsunt loco quem elegerit Dominus*, cum tamen Hebraice nihil sit quod præsidentiam significet. Tantum enim est, *Quicquid dixerint ex loco isto.* Si igitur quicunque hoc loco designantur, essent summi iudices omnium controuersiarum, siue norma religionis, tum is honor deferendus esset quibuslibet Judaicis Sacerdotibus, quod ne Jesuitæ quidem concedent.

XIII. Deinde non tantum Pontifices nominantur, sed etiam iudex eius temporis, quem Abben Ezra Regem interpretatur. Absurdum est autem regem, vel quencunque alium ciuilem magistratum constituere iudicem siue normam omnium controuersiarum in religione, quod nec Papistæ negant. Necesse est igitur falsum esse hoc loco agi de eiusmodi iudice & norma. Ac proinde locum frustra, imo inepte proferri.

XIV. Bellarminus primo asserit posse iudicis nomine intelligi principem Sacerdotum, vt sensus sit, Ascende ad Concilium Sacerdotum, & eorū principem summū Sacerdotem. Deinde si intelligatur politicus princeps, esse distincta officia: nā sacerdoti tribui sententiam definitiuam, imo imperium, vt idem obseruat lib. 4. de Pontifice c. 16. iudici autem exsequutionem in contumaces.

XV. Resp. ad prius: Paulum Fagium annotationib. in Targum huius loci, obseruare à quibusdam nomine iudicis intelligi summum Pontificem. Sed absq; ratione. Nullum enim possunt locum ostēdere vbi summus Pōtifex appelletur iudex, sed plurib. locis occurrit ita designatus magistratus: Imo c. 16. huius ipsius libri eorum continetur institutio. *Iudices & Magistros constitues in omnib. portis tuis.* Et alias Sacerdotib. coniuncti inueniuntur vt cap. 19. *in conspectu Sacerdotum & iudicum*, alias cum principib. Ios. 8. *ducesq; ac iudices*, Et 23. & 24. *principes ac iudices.* Cæterum Judæi שפטים definiunt vt obseruat Paulus Fagius in 16. Deuter. הדיונים הפוסקים ארץ הדין, iudices qui determinant causam siue iudicium. Hoc autem loco distinguuntur à Sacerdotibus *nolens obedire Sacerdoti aut iudici.*

XVI. Ad posterius, dico Bellarminum, qui paulo ante suggillauit autoritatem Latini interpretis ob suum cōmodum, nuncitem ob suum cōmodum pati sibi ab eodem imponi, & quidem bis in paucorum verborum complexu. Semel, cum Sacerdotis vrget imperium. Nam in textu Hebræo id nullum est לבלתי שמע אל הכהן: Græce, τῷ μὴ ὑπακούσαι τῷ ἱερέως Arias, *ad non audiendum ad Sacerdotem*: barbare, quia ἀπολελυκώς. Vatablus, *vt nolit audire Sacerdotem.* Hæc autem phrasis in vsu est, non tantum cum imperium aliquod significatur, sed etiam cum admonitio. Nam Iethro Exod. 18. Mosem admonet iisdem verbis, vt suo consilio vteretur שמע בקלי ἄκουσόν μου. Chaldaice מני קבל acquiesce mihi, vt etiam hoc nostro loco בהי רלא לקבלא מן כהנא, Et tamen certum est nullum fuisse Jethronis imperium in Mosen.

XVII. Iterum imposuit Bellarmino Latinus interpres, cum persuasit sic esse distincta Sacerdotis & iudicis munera, vt illi quidem sententia, huic vero exsequutio mandetur. Nam Hebraice ad vtrumq; sententia refertur, morteq; plectitur contumelia in vtrumque. Er sic bene interpretati sunt septuaginta, ὁ ἄνθρωπος ὃς ἂν ποιήσῃ ὑπερηφανίαν τοῦ μὴ ὑπακούσαι τοῦ ἱερέως, ἢ τοῦ κριτοῦ, ἀποθανεῖται ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, *Homo qui fecerit in superbia, vt non audiat Sacerdotem, vel iudicem, morietur homo ille.*

XVIII. Tertia probatio, est ex ipsarum rerum de quib. agitur natura. Nō enim doctrinæ constitutionem, aut legum his siue Sacerdotib. siue iudicibus Moses mandat, sed tantum singularum litium diiudicationem, hoc est, non τῶν καθ' ὅλης, sed τῶν καθ' ἑκάστην. Exempli gratia, cum ad illos defertur iudicium inter lepram & lepram, non id illis permittitur vt videant quid sit de leproso constituendū, sitne eiiciendus extra castra, an secus, sed tantum vtrum hic vnus aliquis sit leprosus. Sæpius admonuimus τῶν καθ' ἑκάστην iudices, nou posse appellari normam iudiciorum.

XIX. Iam vero vt ne Pighij considerationes intactas dimittam, quid tum, si non amandauit Moses ad Scripturas? Quasi vero omnia sint omnibus locis exprimenda. Constituebatur hic iudiciorum forma, atque autoritas, non vero iudicibus leges tradebantur, ex quarum præscripto iudicaturi essent, quod quidem alias fit. Tum sciunt omnes ab authoritate negatiue nihil legitime concludi. Concedo necessario, & sub pœna mortis fuisse illis iudicibus obtemperandum, sed vicissim dico: Primo cum autoritas sanctur Magistratuum, semper intelligi conditionem, si non abutantur suo munere. Secundo inde non sequi eos esse regulam iuris.

* * *

CAP. II.

De iudicio Sacerdotis legalis.

I. PRæter hunc, quem præcipue vrgent, etiam alios locos Scripturæ colligit Bellarmin. ad quos facilior erit responsio. Ex veteri Testamento Exod. 18. sedebat Moses tanquam princeps & caput Ecclesiæ Judaicæ, & ad omnia dubia circa legem Domini exorta respondebat. Deinde authore socero suo minoribus constitutis magistratibus, sibi reseruabat dubia circa religionem, nimirum vt intelligeremus vnum esse debere cōmune tribunal, à quo omnes petant diuinæ legis intetpretationem, & cui omnes simpliciter acquiescant.

II. Ecclesiastæ 12. *Verba sapientū sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. His amplius fili mi, ne requiras.* Hoc loco Salomon docet, non esse vlterius inquirendum, sed acquiescendum penitus, quando sententia data est à summo pastore, adiuncto præsertim consilio sapientum. Quod si verum est de Sacerdote veteris, quanto magis de Sacerdote noui Testamenti?

III. Aggæi 2. *Interroga Sacerdotem legem.* Et Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Ex quibus verbis intelligimus, non esse priuatorum hominum iudicare de sententia legis Domini, sed Sacerdotis, qui cum sit Angelus, id est nuncius Dei, ad eum pertinet ex officio explicare sententiam Dei.

IV. Ex poster. Paralip. 19. vbi sic loquitur ad Sacerdotes Rex optimus Josaphat: *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitāt in vrbib. suis, inter cognationem & cognationem, vbicunq; quæstio est de lege, de mandato, de cæremonis, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit, porro Zabadias filius Ismael, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad regis officiū pertinent.* Vides hic quam clare Rex distinguat officiū Pontificis ab officio Regis, & soli Pontifici tribuat iudicium de dubiis legis.

V. Respond. de Mose, primo vt supra, non sequi à lege ad Euangelium. Secundo, non sequi à Mose ad Episcopum Romanum, quia hic non eundem locum tenet inter Christianos, quem Moses inter Judæos. Nam Moses autoritatem habebat secundum Deum summam in omnes Israelitas, non vero Episcopus Romanus in omnes Christianos. Tertio non bene ex facto extraordinario, inferri ad perpetuum ordinem. Fuit autem Mosis autoritas extraordinaria, vt facile apparet, quod in eius locum nemo successerit, qui eodem munere functus sit. Josue enim tantum fuit Dux, siue iudex in rebus ciuilibus: Aaron autem tantum Sacerdos, constitutus rebus sacris administrandis. At Moses vtrumque habuit.

VI. Quinto, non tantum fuit autoritas Mosis extraordinaria, sed ipse etiam Propheta, extra ordinem à Deo doctus, & ἄμεσος inspiratus, atq; in id ipsum missus, vt Ecclesiæ Israeliticæ iam tum incipienti, leges ferret potius quam latas interpretaretur. At in Ecclesia Christiana nemo est post Apostolos extra ordinem sic missus, quinetiam leges Christianæ pietatis iam ab initio constitutæ sunt. Itaque cum tanta sit & personarum & temporum diuersitas, non potest consequentia esse certa.

VII. In secundo loco nego primum, quicquā haberi de addito cōsilio sapientum, est enim hæc tātum audacia Latini interpretis, qui paulo difficiliorem Hebraicum contextum, cum nō posset concipere, extricauit se vt potuit. Non debuit autē Bellarminus nobis hominis, & quidem non omnium peritissimi, verba, pro Dei sensu substituere. Fateor vero in loco difficiliori, varias esse interpretum sententias. Sed hanc omniū maxime è incōgruam, quilibet agnoscet, qui vel perfunctorie verba contulerit: Nam & distinctiones, membraq; contextus confundit, & addit particulam *per*, de suo, & vxorē אספרת imperite consilia vertit, & Syntaxim eius inuertit, quæ referret potius magistros consiliorum, quam magistrorum consilia. Sunt autem בעלי אספרת ad verbum, Magistri congregationum, siue pandectarum.

VIII. Secundo, per vnum Pastorem, Pontificem Vet. Testam. Bellarminus intellexit, vnicam ob causam, quia sic libuit. Habent enim vt plurimū Jesuitæ voluntatē pro ratione, non secus ac tyranni. Interpretes autem omnes de Deo exposuerunt, cum veteres tum recentes, etiam Papistæ. Hieronymus hoc loco eos argui dicit qui negarent eundem Deum vtriusq; testamenti autorem. Olympiodor. *Ex vno*, inquit, *Pastore. Quo autem? qui scil. & in cœlis & in terra, rationalet pascit creaturas, qui & dixit, Ego sum Pastor bonus.* Salonius, *Pastor vnus, est Deus à quo data sunt omnia verba Sapientum, qui ipse docuit magistros, id est, Prophetas & Apostolos.* Lyran. *vno Pastore, scil. ipso Deo, qui omnia regit & pascit.* Francisc. Titelman. etiam prolixius, *Vnde vero hanc vim, occultamq; energiā habeant sapientum verba, & vnde suam nacta sint auctoritatem, subsequenter insinuat, dum ait: Quæ per magistrorum Consilium, data sunt à Pastore vno, nēpe Deo. Non enim (vt S. Petrus ait) voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Et in Euangelio dicitur: Omnis Sapientia à Domino Deo est. Ac hoc igitur vno Pastore summo, qui est veritas prima, & regula veritatis, mentiri nescia, verba sapientum procedunt.* Ioan. Ferus, *Hæc est summa commendatio Sacræ Scripturæ, quod ab vno illo & vero Pastore data est, nempe Deo.* Nec aliter Vatablus, & Mercerus Spiritum sanctum nominant.

IX. Tertius locus nihil habet difficultatis. Quis enim negat interrogādos fuisse Sacerdotes de iis quę præcipiebantur in lege? Quis negat ēt hodie à Pastorib. quærenda Euangelij mysteria? Nō nos certe ita insanimus, sed hoc tādem negamus, nimirum inde confici, Sacerdotes esse regulā pietatis, aut hoc sensu summos Controuersiarum iudices. Imo cōtra potius. Nā inquiri ab iis voluit legē Deus. Quam quæso? Illā ipsam, quæ per Mosen erat tradita: quod satis patet ex Aggæo, qui statim exemplum subiicit eius inquisitionis, de sanctificatione & pollutione ex cæremoniis Legis. Quare si eam legē custodire debet Sacerdos, & ex eius præscriptio respōdere, constat nō esse ipsum legem.

X. Quartum miror prolatum, quid. n. habet noui? Distinctas esse regis & Sacerdotis partes, non soli cōtendunt Papistæ: nā nos etiam affirmamus. Sed (inquit Jesuita) soli Sacerdoti tribuitur iudicium de dubiis legis. At hoc primum falsum est. Tum quia Amariæ summo Sacerdoti tribuitur præsidentia super reliquos, omnib. autem iudicia, tum quia hæc ipsa præsidentia diuiditur in duas partes. Nā dubia quæ incidebant circa legem, vel pertinebant ad Deum, & tum sacerdotib. pręerat Amarias, vel cōcernebant iura regia, & tum non Amarias, sed Zabadias, dux, non Sacerdos, è tribu non Leui, sed Judæ, præsidebat. Erant igitur omnes Sacerdotes iudices, sed erant hi duo præsides. Hæc vero præsidum dignitas nihil ad nostram controuersiam.

XI. Deinde, hoc iudicium non erat de ipſa lege, ſed de controuerſiis ex lege iudicandis: nimirum de litibus ſingularibus, quarum cognito facto, ſtatim ius dicebatur, non ad arbitrium Sacerdotum, ſed ex inſtitutis Moſis, quorum ſcientia Sacerdotes reliquis Iſraelitis aut re vera præſtabant, aut ſaltem præſtare ex officio & debebant, & præſumebantur. Itaque non ipſi lex erant, ſed legis periti, non ipſi regula, ſed ad regulam alligati.

XII. Præter hos locos addit alios ex Nouo Teſtamento, è quib. hi ad inſtitutum hoc pertinent. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*. Vbi per claues intelligitur poteſtas ſoluendi, non ſolum à peccatis, ſed etiam ab omnib. aliis vinculis, & impedimentis, quæ niſi tollantur, non poteſt intrari in regnũ cœlorum. Ratio eſt, quia non dicitur Quemcunq; ſolueris, ſed quodcunque, vt intelligamus nodos omnes, ſeu legum diſpẽſando, ſeu peccatorum, & pœnarum relaxando, ſeu dogmatum & Controuerſiarum explicando, à Petro eiuſq; ſucceſſoribus ſolui poſſe.

XIII. Ioan. vlt. *Simon Petre, paſce oues*. Vbi notanda ſunt tria. Primo, quod dicitur Petro, dici etiam ſucceſſoribus. Ratio, quia noluit Chriſtus prouidere Eccleſiæ ſuæ ad annos viginti quinq; tantum, ſed quouſq; mundus duraret. Secundo, illud *paſce*, intelligi præcipue de doctrina, ſic enim paſcuntur oues rationales. Tertio, illud *oues*, ſignificare omnes Chriſtianos, ne Apoſtolis quidem exceptis, qui enim non vult paſci à Petro, non eſt *ouis* Chriſti. Ex his efficitur Petro & ſucceſſoribus eius ſingulariter commiſſum eſſe, vt doceant omnes Chriſtianos, quid circa doctrinam fidei tenendum ſit, conſtituendo, ac decernendo.

XIV. Actor. 15. cum orta eſſet quæſtio grauis de fide, Concilium Hieroſolymæ fuit habitum, cui Petrus præerat, primuſque omnium loquutus eſt, deinde Jacobus Petri ſententiam confirmans. Sicque ſoluta quæſtio, his verbis, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Vnde patet ſententiam Concilij cui præeſt Petrus, ſententiam eſſe Spiritus ſancti. Paulus etiam quocunq; ibat, præcipiebat, vt ſeruarent decretum illius Concilij, id eſt, vt acquieſcerent, & non vellent ipſi de ſententia Concilij iudicare.

XV. Ad Galat. cap. 2. *Aſcendi* (inquit Paulus) *Hieroſolymam cum Barnaba, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, ſeorſum autem iis qui videbantur eſſe aliquid, ne forte in vanum currerem, aut cucurriſſem*. Erant autem illi Petrus, Jacobus, & Ioannes. Atque hunc locum explicantes Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Hieronymus Epiſt. 89. Auguſt. lib. 28. contra Fauſtum cap. 4. diſerte affirmant, Eccleſiam non fuiſſe Paulo credituram, niſi eius Euangelium à Petro confirmatum fuiſſet. Ergo Petri erat tunc, & proinde ſucceſſoris eius nunc, de doctrina fidei iudicare.

XVI. Reſpondeo, in his omnib. locis generale eſſe peccatum, quod à Petro ad Succeſſorem concludatur, in hunc modum: Quæcunq; dicta ſunt Petro, ea pertinent ad eius ſucceſſores. At hæc dicta ſunt Petro. Ergo pertinent ad eius ſucceſſores. At omnes Petri ſucceſſores ſunt Epiſcopi Romani. Ergo illa pertinent ad Epiſcopos Romanos. At ego primum nego maiorem, ſunt enim multa perſonalia, quæ locum habuerunt in eo tantum. Sunt etiam nonnulla Apoſtolatui propria, quę ne ipſa quidem durauerunt, ceſſante ipſo munere.

XVII. Concedo ſane Chriſtum voluiſſe Eccleſiæ ſuæ prouidere vſque ad finem ſeculi, ſed nego ſic voluiſſe prouiſum, vt omnia quæ Petro conceſſerat, in perpetua eſſent duratione, alias ipſum Apoſtolatum, ipſumque Apoſtolorum numerum continuaſſet, quod falſum eſt. Prouidit autem alia ratione, & quidem ſapientiſſime, ſed nunc non eſt de ea dicendi locus.

XVIII. Præterea diſtinguo ſucceſſores, dicuntur enim dupliciter. Vel ſtricte, pro iis qui idẽ officij genus eodẽ loco aſſumunt poſt alios. Ita ſucceſſores nominantur Clementis, non quicunq; aliquod munus gerunt in Eccleſia, ſed qui Epiſcopatum. Nec omnes qui Epiſcopatum, ſed in Eccleſia Romana. Neq; enim aut Laurentius Diaconus Clementis fuit ſucceſſor, aut Cyprianus, nimirum quia neq; ille fuit Epiſcopus, neq; iſte Romanus.

XIX. Alias vero latius producitur ſucceſſio, ad eos etiam, qui neq; omnino idem miniſterij genus, neq; eodem loco exercent, ſed qui in eodem opere laborant alij poſt alios. Sic Cyprian. epiſt. 42. ad Cornelium, *Hoc enim vel maxime frater & laboramus & laborare debemus, vt vnitatem à Domino & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus*. Ad quem locum Pamelius, *Pulchre Epiſcopos ſucceſſores Apoſtolorum nuncupat*. Gaudentius in Tract. de ordinatione ſua, de Ambroſio loquens, *tanquam Petri Apoſtoli ſucceſſor, ipſe erit os vniuerſorum circumſtantium ſacerdotum*. Theodoret. dialog. 1. poſt citatos patres multos, Athanaſium, Nazianzenum, Ambroſium, Flauianum, Gelaſium, Chryſoſtomum, Ignatium, Irenæum, Hippolytum, Methodium, atque alios, tandem ca. vlt. vt eorum ſanciret authoritatem: Διάδοχοι τῶν θείων Ἀποστόλων οἱ ἄνδρες γεγόνασι, *Succeſſores diuorum Apoſtolorum fuerunt hi viri*.

XX. Hæc cum ita ſint, quæro vtro modo intelligantur in argumento ſucceſſores Petri. Nã ſi priori, tum negamus Epiſcopos Romanos eſſe Petri ſucceſſores, quia non ſint Apoſtoli, quantũuis Romæ Petrus & docuerit & mortuus ſit. Non magis certe, quã Laurentius, quem ante nominaui, aut ipſi etiã Bellarminus, qui Romæ viuit, Romæ docet, ſeq; S.R.E. presbyterum Cardin. appellat. Sed hæc controuerſia eſt, nobiſq; alias retractanda.

XXI. Sin autem poſteriori, ipſe, credo, Bellarminus, fatebitur ſe operam ludere, imo indignabitur tot Epiſcoporum myriadib. ea communicari maxima priuilegia, quæ ſuo Tarpeio Ioui volebat eſſe eximia. Et ſane quis feret Ambroſium dici iudicem omnium controuerſiarum de religione? Et ſi multo felicius functus eſſet eo munere, quam longe maxima pars Epiſcoporum Romanorum, in quibus præter horrendam ſuperbiam nihil eſt iampridem eximium.

XXII. Quod ad ſingulos locos attinet, etſi erunt plenius tractandi in quæſtione de Oecumenico Pontifice, tamen paucis reſpondeo ad primum & ſecundum, nihil promitti Petro peculiare. Nam in primo claues ſignificant eam poteſtatem Eccleſiæ regendæ, quæ tum promiſſa vni Petro, poſtea omnibus Apoſtolis eſt re ipſa exhibita. Itaque cum dixit Chriſtus, *Tibi dabo claues*, ſenſus eſt, tu vnus eris ex iis quibus dabo claues regni cœlorum. Nec aliter veteribus intellectum.

XXIII. Sophiſticatur autem Bellarminus in vocula, *Quodcunq;*, cuius tamen vis nulla maior eſſe poteſt, quam eius quæ legitur Matth. 18. *Quæcunque*. Certe vtramque eadem voce reddidit Syrus interpres, priori loco מדם ובל, poſteriori דבל מא. Quinetiam Louanienſes Theologi in editione Gallica eodem modo, in priori, *Quoy que tu lies*, in poſteriori, *Quoy que vous lierez*. Iam vero tum Patres vtrumque locum omnibus applicant Epiſcopis, tum ne ipſi quidem Papiſtæ negant poſteriorem, non tam late patere, vt ſignificet etiam ſummum iudicium omnium controuerſiarum. Quod ſi vtriuſque, vt eadem verba, ſic idem ſenſus, quis non videt inepte priorem vrgeri in hac controuerſia?

XXIV. In ſecundo, *Paſcere* fateor intelligi præcipue de doctrina, ſed nego propterea ſequi, quicunq; paſcat, eum eſſe regulam fidei: Nam Petrus 5. prioris hortatur presbyteros omnes vt paſcant gregem Dei. Intelligi per oues, omnes Chriſtianos, fateor, dummodo indefinite, non autem ſigillatim, ac proinde Apoſtolos non excipi falſum eſt. Certe Paulum Petrus nunquam pauit, hoc eſt nunquam ei doctrinam tradidit, ipſo Paulo ſic teſtante 1. ad Galatas, *Notum vobis facio fratres, Euangelium prædicatum à me, non eſſe ſecundum hominem. Non enim ego ab homine id accepi, neq; edoctus ſum, ſed patefaciẽte mihi Chriſto*. Et 2. *Qui ſunt in pretio nihil contulerunt*.

XXV. In tertio, primo falſum eſt Petrum fuiſſe præſidem eius Concilij, quod deſcribitur Act. 15. Nullas enim ille præſidis partes egit, non propoſuit factum: Non primus loquutus eſt, ſed ſuo loco, i d eſt, cum iam multa diſceptatio fuiſſet, ſuam ſententiam dixit, non etiam clauſit actionem, neq; in eius verba decretum conceptum eſt, ſed in verba Jacobi, vt patet, quia in decreto ſancitur abſtinentia, ab idololatria, ſcortatione, ſuffocato, & ſanguine, quam Petrus ne nominabat quidem.

XXVI. Deinde etiamſi fuiſſet præſes, quid hoc pertineret ad hanc controuerſiam? Nam quod ait Bellarminus inde patere, ſententiam Concilij cui præſidet Petrus, eſſe ſententiam Spiritus ſancti, primum eſt extra rem. Diſputatur enim non de Petro, ſed de Epiſcopo Romano, ſint-ne ad eum nec-ne deferendæ omnes controuerſiæ. Tum, cur non potius concluſit de Concilio cui aliquis Apoſtolus præſideret? Non enim ſi præſedit Petrus, id fecit proprio, ſuoque iure. Imo quid non potius in vniuerſum de legitimo Concilio? Nam ne quidem Apoſtolorum tantum erat, ius illud præſidentiæ, alias poſt Apoſtolos, nemo fuiſſet in Conciliis præſes.

XXVII. In quarto, mentitur Bellarminus Tertullianũ, Hieronymum, Auguſtinum, diſerte aſſerere Eccleſiam non fuiſſe credituram Paulo, niſi eius Euangelium à Petro confirmatum fuiſſet. Tertullian. *Propterea Hieroſolymã aſcendit, ad cognoſcendos Apoſtolos, & conſalutandos, ne forte in vacuum cucurriſſet, id eſt, ne non ſecundum illos credidiſſet, & non ſecundum illos euangelizaret. Deniq; vt cum autorib. contulit, & conuenit de regula fidei, dexteras miſcuere*. Hieronymus, *Oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatẽ prædicandi Euangelij, niſi Petri, & cæterorum Apoſtolorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum*. Auguſtinus, *Ipſe Apoſtolus Paulus poſt Aſcenſionem Domini de cœlo vocatus, ſi non inueniret in carne Apoſtolos, quib. communicando, & cum quib. conferendo Euangelium, eiuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omnino non crederet*.

XXVIII. Videte fraudem Jeſuitæ. Nemo eſt eorum Patrum, qui non Apoſtolos nominet, iſte autem Petrum ſolum. Nimirum vt ex aliorum iniuſtis ſpoliis, ſuum ornet Oecumenicum. Satis vafre. Porro Pauli verba ſatis ſunt perſpicua, quib. ſe teſtatur cõtuliſſe cum iis qui erant Hieroſolymæ, & priuatim cum eis qui erant in pretio, id eſt Petro, Jacobo & Joanne. Vnde apparet, primo non ſoli Petro id honoris delatum, ſed & aliis. Non poterant Patres (nondum enim erant Jeſuitæ) contra hæc tam diſerta verba venire.

XXIX. Iam vero illa confirmatio, non autoritatis erat alicuius à qua Paulus penderet, ſed conſenſionis & ſocietatis. Verba ſunt Pauli diſerta, *Dexteram dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis*. Item Tertulliani, *ne non ſecundum illos & credidiſſet & euangelizaret*. Et Auguſtini, *conferendo Euangelium eiuſdem ſocietatis eſſe appareret*. Alias Paulus fuiſſet illis minor, quod ipſe bis negat, poſt. ad Corinth. 11. & 12. οὐδὲν ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν Ἀποστόλων: *nulla re inferior fui principibus Apoſtolorum*.

CAP. III.

An Epiſcopus Romanus errare non poßit.

I. SI Romanus Epiſcopus errare non poteſt. Ergo eſt ſummus iudex omnium controuerſiarum. At prius verum: Ergo & poſterius. Sic Bellarminus bis argumentatur: De Verbo Dei lib. 3. cap. 5. *Si Romanus Pontifex errare non poteſt, ex Cathedra docens, certe iudicio eius acquieſcendum eſt, & ipſe eſſe debet ſummus iudex*. Et rurſus de Romano Pontifice, lib. 4. ca. 1. *Si demonſtrare poterimus iudicium ſummi Pontificis certum ac infallibile eſſe, profecto conſtabit quoq;, eundem Pontificem ſummum Eccleſiæ iudicem eſſe*.

II. Reſpondeo negari conſequentiam, iiſdem argumentis, quæ enumerata ſunt in præced. controu. cap. 5. cum ageretur de Eccleſiæ infallibilitate. Sed negari etiam antecedens, de quo nunc agendum paulo fuſius, quoniam & animoſe & prolixe diſputatur à Papiſtis, Bellarmino lib. 4. de Pontifice. Cano locor. Theolog. lib. 6. Carranza Controuerſia 3. Gregorio de Valentia Analyſeos lib. 8. cap. 2. Franciſco Rupefocaldo Epiſcopo Claromontano in lib. de auctoritate Eccleſiæ, cap. 8. & aliis.

III. Sic autem quæſtionem definiunt, vt diſtinguant in eodem Epiſcopo priuatam perſonam, à publica. Et de priuata quidem, ſtatuunt nonnulli, errare poſſe. In quibus eſt Gregorius de Valentia, aſſerens communem ſententiam omnium Theologorum hanc eſſe. Nec tantum ſic errare, vt non omnia ſint vera & infallibilia, quæ ſic pronunciantur, ſed etiam vt ipſe poſſit in hæreſin incidere. Eadem ſententia eſt Selmeronis tract. 24. ad Galat. *De quocunque alio Papa Petri ſucceſſore aſſerendum, nihil prohibere, ipſum quoq; vt priuatum, errare poſſe, & in fide deficere, etſi noui quidam Scriptores aliud defendere tentauerint, præter communem Doctorum ſenſum. Verum noſtra ſapientia nõ ſunt fingenda priuilegia, vbi non ſunt neceſſaria*. Quod tamen Bellarmino non videtur ſatis pium. Contra enim, cap. 6. probabile eſſe, pieq; credi poſſe, Epiſcopum Romanum, non ſolum vt Pontificem errare non poſſe, ſed etiam vt particularem perſonam hæreticum eſſe non poſſe, falſum aliquid contra fidem pertinaciter credendo, diſputat.

IV. Quod autem attinet ad perſonam publicam, Bellarminus cap. 3. definit, Pontificẽ cum totam Eccleſiam docet, in his quæ ad fidẽ pertinent, nullo caſu errare poſſe. Et cap. 3. non ſolum in his fidei decretis, ſed neq; in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur, & quæ in rebus neceſſariis ad ſalutem, vel per ſe bonis aut malis verſantur. Gregorius de Valentia ſimiliter, quæcunq; Pontifex aſſerit obligando vniuerſam Eccleſiam, vt illud recipiat, nec quiſquam audeat ſibi perſuadere contrarium, tum certa fide credendum eſſe, illum infallibiliter ex diuina aſſiſtentia, id aſſerere. Salmero ſimiliter,

Aſſeri-

Asserimus,quod Papa,vt Papa,id est,sedens in Cathedra,& legitime claue scientia sibi singulariter credita vtens,& rem fidei determinans,errare non potest, ita vt definiat quicquam contra fidem. Et paulo post, quia varie posse aliquid determinari occurrebat, *Asserimus*,inquit, *errorem esse non posse in re determinata circa fidem, quando ita sit determinata expressis verbis in modum sententiæ, vel consuetudine munitum,vt clare,vel tacite appareat hoc præceptum,quod omnes credere,& sentire debeant sicut est determinatum.* Quæ verborum tam curiose conquisitorum,cumulatorumque ambages, mirum si rem non reddant inuolutissimam, nimirum vt cum ad exempla singularia deuentum fuerit, mille suppetant distinctiones, mille subtilitates, mille diuerticula, vt ne vel tum teneas,cum maxime ceperis anguillam.

V. Sed audiamus argumenta. Ex veteri testamento vnicum locum Bellarminus profert. Si Summus Sacerdos apud Judæos non potuit errare, ergo neq; Episcopus Romanus. Probat Antecedens ex cap. Exod.28. quia iubet Dominus in rationali Pontificis summi poni doctrinam & veritatem: Hebraice אורים ותומים. Quod cur fieret, explicatur Deuter.17. vbi Dominus præcipit iis qui dubitant circa intelligentiam diuinæ legis, vt ascendant ad summum Sacerdotem,atq; ab eo quærant solutionem,& subiungit, *Qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Et signo ergo,& verbo,Dominus promisit in pectore summi Sacerdotis habitaturam doctrinam & veritatem, & proinde eum non erraturum,cum populum docuerit.

VI. Respondeo, primo negari consequentiam. Quia nulla fert ratio vt concludatur de Episcopo Romano, magis quam de Hierosolymitano, Constantinopolitano,Smyrnensi,Mediolanensi,aut quolibet. At de aliis non valere consequentiam,neq; ipse Bellarminus negabit. Nos igitur concludimus non valere de Romano. Quod si supponat Romanum esse œcumenicum Pontificem,petit principium.

VII. Secundo,nego antecedens, fuit enim erroribus obnoxius Pontifex Judæus,& re vera sæpe errauit. Vt cum Aaron minister fuit idololatriæ conflando vitulum,Exod.32. Et vniuersum populum hortando, publicato festo. *Cras*,inquit,*solennitas Domini est.* Quod facere nunquam debuit,quantumuis vrgente populo. Vnde postea grauiter increpatur à fratre,his verbis, *Quid tibi fecit hic populus,vt induceres super eum peccatum maximum?* Et paulo post ipse Aaron dicitur nudasse populum ad ignominiam. *T*um autem 16. post. Reg. Vrias iussu Achas regis impij amoto altari primo, aliud ædificat ad formam altaris Damasceni.

VIII. Nec contrarium probatur à Bellarmino. Nam quod de rationali ait,nihil aliud est quam obscurum probare,per obscurius. Quid enim sit Vrim & Tummim,nemo scit,ne ipsi quidem Hebræi. Verba autem ipsa,prima & propria sua significatione,neq; Doctrinam & Veritatem, neque δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν significant, quamuis ita verterint Septuaginta, & Latinus interpres. Parumq; suo pudori Bellarminus consuluit, qui has voces deducat à ירה & אמן,contra omnia Grammaticæ præcepta. Multo & doctior & candidior Arias, qui & his vocib. suã reddit natiuam significationem,& hos interpretes recte defendit,in lib. cui titulum fecit Aaron, *Ex verbo Inflammationes,illuminationesq; & perfectiones atq; simplicitates reddere possumus, cum adiuncta notatione insigni,videlicet,illas illuminationes,& illas perfectiones. Noster interpres Doctrinam & veritatem vertit. Omnia enim hæc,& plura etiam in illis Hebraicis nominibus continentur.* Nempe Arias norat ea nomina deduci ab אור & תמם.

IX. Deinde,vt demus esse proprie doctrinam & veritatem, nihil tamen inde conficitur. Nam probabilius est id nomen inditum ex effectu quotidiano,nimirum, vt notauit Abben Ezra, propter Dei iudicia & decreta,quæ inde cognosci debebant. Nam etiam Numer.27. sic Deus præcipit,vt Eleazar sacerdos consulat pro Iosue במשפט האורים, id est, meo quidem iudicio, *vt solet fieri per Vrim.* Nam משפט pro consuetudine sumi norunt omnes,qui, vel à limine linguam sanctam salutarunt. Quanquam haud pili interest,etiamsi vertas,vt pleriq; omnes,iudicium.

X. Et tamen si demus iis verbis aliquod significari officium Sacerdotis, cur non sequimur potius morem horum signorum, quibus non tam significari solet, quid sit, quam quid esse debeat? Sic Glossa interlinearis hoc ipso Exod.ca.28. cum iubentur artifices vestimentorum Aaronis sumere aurum, hyacinthum, purpuram,& coccum bis tinctum,sic habet, *Nihil vile,vel sordidum in sacerdotis ore vel opere debet apparere.* Ipse etiam Bellarminus de Clericis cap.19. id præceptum, quo Exod.12. iubentur agnum comesturi renes accingere,interpretatur ex Gregorio,debere carnis voluptatem domare. Et illud Exod.28. quo præcipit Deus Aaronis & filiis eius, vt fœminalibus lineis à renibus vsque ad femora tecti essent, ex Beda,debere Sacerdotes noui Testamenti aut virgines esse,aut contracta cum vxoribus fœdera dissoluisse. Potuissemus Bellarminum hic similiter ἀλληγορεῦντα tolerare, nec certe improbamus quod apud Paulum Fagium legimus in huncipsum locum, *Quidam existimant Vrim & Tummim, ideo Dominum iussisse inscribi pectorali, vt admoneretur summus sacerdos, oportere eum esse summa doctrina præditum, quæ lumen & illuminatio sæpe in Scripturis dicitur: & morum summa integritate.* Verumtamen sicut non inferet quisquam Sophista, ex eo quod iubebatur agnos comedi renibus cinctis,aut Aaron vti fœminalibus, esse omnes sacerdotes noui Testamenti castos, nec posse in adulteros degnerare: Sic ridiculum sese sanis præbet Bellarminus,qui ex Vrim & Thummim concludit,non debere non errare,sed omnino non posse errare suos Pontifices.

XI. De altero loco ex Deuter.17. iam satis superque. Tantum dico ridicule connecti à Bellarmino locos dissimillimos. Nam iste de rationali,pertinet ad Summum Pontificẽ solum. Alter autẽ ad quosuis Sacerdotes. Imo non ad Sacerdotes tantũ,sed etiam ad iudices,qui non semper erant ex eo ordine.

XII. Addit tres ex nouo Testamento locos. Primus est ex 22.c.Luc. *Simon, Simon,ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret,sicut triticum,ego autem rogaui pro te,ne deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Huius autem loci, cum τὸ ῥητὸν videat non satis fauere suæ causæ, τὴν διάνοιαν peruertere conatur. Dicit ergo tribus modis exponi solere.

XIII. Primam expositionem esse Parisiensium, quod Dominus orauerit pro Ecclesia vniuersali,siue pro Petro vt totius Ecclesiæ figuram gerebat, impetraritq; vt fides Ecclesiæ Catholicæ nunquam deficiat. Alteram quorundam, qui docent Christum hoc loco orasse pro perseuerantia solius Petri in gratia Dei vsq; ad finem. Tertiam denique, quæ asserat duo fuisse priuilegia Petro impetrata. Vnum, vt ipse non posset vnquam veram fidem amittere. Alterum,vt tanquam Pontifex, non posset vnquam docere aliquid contra fidem, siue vt in sede eius nunquã inueniretur qui doceret cõtra veram fidem.

XIV. Harum trium expositionum priores duas reiicit, tertiam amplectitur Jesuita. Nimirum ita solet non veritatem,sed suæ causæ partim verã,quatenus de Petro agit, partim quatenus de sede,sectari commodum. Nos vero primam dicimus ineptam esse, tertiam ineptã simul & falsam, secundam solam rectam & veram. Et de prima quidem non est quod agam prolixius.

XV. Sed secundam confirmamus his argumentis,quib. prima etiam impugnatur. Nam Dominus vnam tantum personam designauit, bis repetito nomine proprio, *Simon,Simon*,& addito pro nomine secundæ personæ *pro te, fides tua,& tu,fratres tuos.* Et quidem,cum cœpisset Dominus loqui ad omnes Apostolos numero plurali, *Sathan expetiuit vos, vt cribraret*, subito phrasin mutauit in numerum singularem per Apostrophen Rhetoricã. At absurdum est pro singulari persona substituere Ecclesiam aut successores.

XVI. Deinde, *fides tua*,non potest sumi nisi pro virtute Theologica, quæ est habitus in vtroq;. Quemadmodum cum dixit Christus, *Fides tua te seruauit*,Matth.9. Et, *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Et 15. *Mulier, magna est fides tua.* Et Marc.2. *cum vidisset Iesus fidem illorum.* Ad Rom.1. *Fides vestra annunciatur in toto mundo.* Et rursus, *per mutuam fidem,vestram simul & meam.* Et 4. *reputatur fides eius ad iustitiam.* Et alias sæpe.

XVII. Ast hic habitus significare non potest vniuersalis Ecclesiæ fidem. Nam hæc actu nulla est,cum τὰ καθόλου non subsistant nisi in indiuiduis. Significat autem ex vsu communi, Doctrinam Christianam,quæ est nõ fides, sed obiectum illius fidei. Vt in Symbolo Athanasij, ὅστις βούλεται σωθῆναι, πρὸ πάντων χρὴ κρατεῖν τὴν καθολικὴν πίστιν, *Quisquis vult seruari, ante omnia opus est vt teneat fidem Catholicam.* Et statim post, πίστις δὲ ἡ καθολικὴ αὕτη ἐστίν, *Hæc autem est fides Catholica.* Et subdit articulos Doctrinæ.

XVIII. Non potest etiam ad successores transire, quia est indiuiduum aliquid,& donum personale,ita vt quisque suam habeat non alienam, vnde illæ phrases,fides tua,fides illius: Et Abacuc secundo, *Iustus in fide sua viuet.* Et Paulus diserte Rom.1. suam fidem distinxit à fide Romanorum; διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τε καὶ ἐμοῦ, *per mutuã fidem vestram & meam*, id est, mutuo consolemur, nimirum ego per vestram fidem, vos per meam, vt vertit Syrus interpres. Imo Bellarminus è duob. suis priuilegiis, quæ hoc loco impetrata dixit,prius de perseuerantia fidei, delicatule dicit fortasse non manare ad posteros. Non tam vt negaret non manare,quam vt ostenderet, ægre, & magno animi dolore,non posse Romanos Episcopos in totidem Deos transformare.

XIX. Præterea,pro eo rogatum est,qui erat conuertendus. Intelligitur autem hæc conuersio,à trina illa abnegatione,in quam Petrus turpissime lapsus est,quæ cum sit particularis circumstantia, designat etiam personam indiuiduam,non autem Ecclesiam quæ non abnegauerat Christum. Nõ etiam successores,id est Episcopos Romanos. Nam vel omnes significaret vel paucos. At paucos,absurdum est, neque ipsi Papistæ admittent. Omnes,falsum,quia non omnes Christum abnegarunt, imo multi pro eo martyrium constantissime passi sunt.

XX. Deniq; mecum sentiunt interpretes, Theophylact. περὶ δὲ τοῦ Πέτρου ταῦτα ἀποτείνεται, διότι καὶ θρασύτερος τῶν ἄλλων ἦν, καὶ εἰκὸς αὐτὸν μεγαλοφρονῆσαι ἐφ' οἷς ἐπηγγείλατο ὁ Χριστός· διὸ καὶ συστέλλων αὐτὸν φησιν, ὅτι πολλὴ μὲν σπουδὴ τῷ σατανᾷ ... καθ' ὑμῶν, ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ. Et post, οὐκ ἐάσω σε, φησιν, ... ἡ πίστις σου ... Hæc *in Petrum intendens dixit,quia & audacior reliquis esset, & verisimiliter elatus ob ea quæ promittebat Christus. Propterea iam cohibens eum, multum quidem,inquit,Sathanæ studium est contra vos,at ego rogaui pro te. Rogaui igitur,ne deficiat fides tua, quamuis enim parumper commouendus es,habes tamen intus reposita fidei semina.* Glossa interlinearis, *Sicut ego orando te protexi ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent.* Glossa ordinaria, *Non vt ne tenteris,sed ne deficiat fides tua,vt post lapsum negationis, ad pristinum statum pœnitendo resurgas.* Lyranus, *Non rogauit,quod Petrus non caderet,sed vt in casu non remaneret.*

XXI. Tamen contra Bellarminus argutatur. Primo, quia orauit Dominus paulo post pro perseuerantia omnium Apostolorum, imo etiã omnium electorum: Ioan.17. *Pater sancte,serua eos in nomine tuo,quos dedisti mihi.* Non erat igitur ratio cur bis oraret pro perseuerantia Petri. Secundo,quia hic aliquid speciale Petro impetratur, vt patet ex designatione certæ personæ. Sed perseuerantia in gratia est donum omnium electorum. Tertio,quia certum est Dominum saltem mediate orasse hoc loco pro aliis Apostolis. Nam ideo præmisit tanquam orationis causam, *Satan expetiuit vt cribraret vos*,& postea subiunxit tanquam effectum, *confirma fratres tuos.* Non igitur pro sola Petri perseuerantia rogauit, sed pro aliquo dono Petro communicando in aliorum vtilitatem. Quarto,donum hoc loco Petro impetratum, etiam ad successores pertinet. Nam Christus orauit pro Petro in vtilitatem Ecclesiæ,quæ semper indiget aliquo,à quo confirmetur. At perseuerantiæ donum non pertinet ad omnes Petri successores. Quinto,non dixit Dominus,Rogaui vt non deficiat charitas tua,sed fides tua. Et reipsa scimus defecisse Petri charitatem, & gratiam,quando negauit Dominum, fidem autem vnquam defecisse non scimus.

XXII. Hæc ille,subtiliter suo iudicio,id est,Jesuitice. Respondeo ad primum,consequentiam esse falsam: nam nec nouũ est,vt eadem sæpius à Deo postulentur repetitis precibus,atque adeo Matth.c.26. testatur Christum ter esse precatum pro se iisdem verbis,vno eodemq; momento,vt ita dicam. Sed & causa erat & quidem vrgens,cur specialiter oraretur pro Petro, specialiter tentando & magis omnib. concutiendo. Theophylactus obseruat audaciam & confidentiam,siue,vt ita dicam,speciem quandam superbiæ, εἰκὸς,inquit, αὐτὸν μεγαλοφρονῆσαι.

XXIII. Ad secundum,nihil esse impetratũ speciale,sed specialiter. Huc enim referri debet designatio illa certæ personæ. Vt cum alibi ad mulierem Christus dixit, *Fides tua saluam te fecit*,Matth.9. nihil sane peculiare dicitur: nã & aliis alias dictum est,nimirum Luc.7. mulieri peccatrici. Et Marc.10.c. Bartimæo cæco. Sed specialiter tamen, quia nulli præter eam tum dicebatur, propterea designata est persona,per *fides tua*,& *te fecit*,prorsus vt in hoc loco. Quid? cum dicitur *expetiuit vos*,nonne specialiter significantur, & designantur eæ personæ,id est,Apostolorum, ad quos Christus dirigebat sermonem? Et tamen Bellarminus fatetur nihil illis speciale dici,his verbis, *Nec Diabolus petiit cribrare tantum eos,qui tunc erant fideles,sed omnes omnino.*

XXIV. Quid? si etiam aliquid particulare Petro impetratum esse concedamus? Potest enim hoc ipsum vt ne deficeret, particulare dici, nempe suis circumstantiis determinatum. Is enim indiuiduus actus constantiæ, vt ne omnino deficeret, profecto nullius omnino fuit, sed Petri solius, quem tam vehementer concussum, quis non miretur non corruisse? Nam reliqui Apostoli, nec similiter tentati sunt, nec tam fœde commoti.

XXV. Ad tertium, orasse Christum pro Apostolis mediate, somnium est Jesuiticum, nec sequitur ex obseruatis. Nam neq; illud *vt cribraret vos*, neq; iterum *fratres tuos*, id aut significant aut efficiunt. Orasse quidem pro Apostolis, non est absurdum. Et sane non declaratur Christum, tunc temporis orare, sed antea orasse, diserte enim *rogaui*. Potuit igitur oratio tum cum facta est, generaliter concipi pro omnib. Apostolis, hic autem specialiter Petro applicari ob instantem necessitatem. Nam quia inter Apostolos erat Petrus, si rogauit Christus pro omnibus Apostolis, ergo & pro ipso.

XXVI. Porro effectum orationis huius proprium, designatur his verbis, *Ne deficiat fides tua*. Non autem istis, *Confirma fratres tuos*, sed tantum remotius, nempe quia ex eo quod non defectura erat fides, futurum etiã erat, vt Petrus conuerteretur à negatione in quam lapsurus erat, hæc autem conuersio fratres confirmauit, nimirum exemplo tam illustri summæ Christi in discipulum indignum misericordiæ. Sic Glossa interlinearis: *Tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent*.

XXVII. In quarto hæc est vis argumenti: Omne donum quod confertur in vtilitatem Ecclesiæ, etiam ad successores pertinet. At hoc donum hac oratione impetratum, Petro conferebatur in vtilitatem Ecclesiæ: Ergo pertinet ad successores Petri. Respondeo, nego maiorem, primo, quia donum tum miraculorum, tum linguarum non erant collata aut Petro, aut vlli Apostolo, nisi in vtilitatem Ecclesiæ, imo ne ipse quidem Apostolatus. At nihil horum pertinebat ad successores, nimirum vt eadem dona ad eos successiue transirent, sic enim Bellarminus intelligit. Imo fatetur orasse Christum etiam pro reliquis Apostolis, nec puto, negaturus impetratum eis aliquid fuisse, & quidem in vtilitatem Ecclesiæ. Ergone omnes Apostolorum successores obtinuerunt huiusmodi perseuerantiæ donum?

XXVIII. Deinde, successores Petri dupliciter nominantur, vel quicunque post Petrum futuri erant in Ecclesia Pastores, vel qui Petro essent in eodem munere specialiter successuri. Si hoc posteriori sensu Bellarminus loquutus est, supposuit falsum. Nos enim negamus vllum sic Petro successisse. At de priori, ne ipse quidem contendet. Non sunt enim tam liberales Papistæ, inter Papistas autem minime omnium Jesuitæ, vt omnib. Episcopis communicent, quæ suo Oecumenico eximia vendicant. Quare si neutro modo ad successores Petri pertinet id donum de quo agimus, concludendum est fuisse personale, non autem successiuum.

XXIX. Atqui Ecclesia (inquit) semper indiget aliquo à quo confirmetur. Respondeo, indigere non vno aliquo, sed plurimis. Christum autem hoc loco non dicere se rogasse pro omnibus, qui confirmaturi essent Ecclesiam, sed tantum pro Petro. Confirmant autem Ecclesiam, etiam illi qui errant in fide, si resipiscant, vt Marcellinus Romanus, qui *ad sacrificium ductus est* inquit Anastasius Bibliothecarius) *vt thurificaret, quod & fecit: Et post paucos dies pœnitentia ductus capite truncatus est*.

XXX. In quinto multiplex absurditas. Primo, etiam si non rogasset pro Petri charitate, sed fide, non sequitur tamen, non esse donum hoc personale. Nam fides æque personalis est, ac charitas, nec in illa plus iuris habent successores, quam in hac.

XXXI. Secundo, defecisse Petri charitatem falsum est. Non enim significatur hoc verbo cessatio aut interruptio aliqua, sed finalis extinctio, ita hunc locum exponentib. interpretibus: Chrysostomo in Joannem Homil. 72. ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. τουτέστιν ἵνα μὴ εἰς τέλος ἀπόληται, *Non rogauit vt Petrus non caderet, sed vt in casu non remaneret*.

XXXII. Tertio, Petri abnegatio, non tantum charitatis fuit vitium, sed etiam fidei, propterea eleganter Theophylact. εἰ γὰρ καὶ πρὸς μικρὸν μέλλεις σαλευθῆναι, ἀλλ' ἔχεις ἐναποκείμενα σπέρματα τῆς πίστεως κἂν τὰ φύλλα ἔρριψε τὸ πνεῦμα τοῦ ἐπηρεάζοντος, ἀλλ' ἡ ῥίζα ζῇ, καὶ οὐκ ἐκλείψει ἡ πίστις σου. *Etsi enim paulisper concutiendus es, habes tamen insita fide semina, quamuis folia deiecerit insultantis procella, radix tamen viuit, nec deficiet fides tua*. Et disertius Ambrosius serm. 47. *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit*. Et sane cum nominetur specialiter fides tua, id est, is habitus qui erat in Petro, necesse est intelligi fidem illam quam Papistæ formatam vocant, quæ esse nõ potest absque charitate. Itaque si defecisset charitas, id est, formã eius fidei, quis negare potest hanc negationem pertinere ad ipsam Petri fidem?

XXXIII. Nihil igitur protulit Bellarminus, quo nostram infirmet interpretationem huius loci. Suam autem, nullis prorsus confirmat argumentis: sed solum testimoniis quorundam, qui hoc loco vsi sunt applicantes Episcopi Romani, Lucius primus, ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ: Felix primus in epist. ad Benignum: Leo primus serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum: Agatho in Epist. ad Constantin. lecta & approbata in Synodo 6. actionib. 4. & 8. Nicolaus primus in epist. ad Michael. Leo IX. ad Petrum Antiochenum: Innocent. III. ad Episcopum Arelatensem.

XXXIV. Præter hos, Theophylact. in Luc. 21. aperte docet dari Petro hoc priuilegium, quia futurus erat princeps & caput aliorum, ac proinde dari omnib. aliis, qui illi in principatu succederent. Petrus Chrysologus epist. ad Eutychetem, quæ est in actis Concilij Chalcedonens. statim ab initio. Bernardus epist. 190. ad Innocentium.

XXXV. Respond. ad testimonia Romanorum Pontificum, Lucij & Felicis epistol. esse supposititias, vt paulo post docebo. Cæteras in hoc negotio suspectæ fidei. Leo enim, etsi alias orthodoxus, tamẽ ambitiosius solebat suam sedem prædicare, ac præferre reliquis, etiam affectaris occasionib. Atq; hoc ipso loco illud protulit falsissimum, diuinę gratiæ ita ordinari auxilium, vt firmitas per Petrum cæteris Apostolis conferatur. Profitetur enim Paulus sibi à Petro nihil esse collatum. Reliqui, Agatho, Nicolaus, Leo IX. Innocent. III. recentiores sunt, vixeruntq; diu post introductum Oecumenici pontificis & nomen & fastum.

XXXVI. At hi (inquit Bellarminus) & sancti fuerunt, & sine dubio notam habuerunt suæ sedis autoritatem. Ergo illis est credendum. Respond. etiam viris sanctis non esse credendum semper. Glossator decretor. dist. 50. cap. *Si quis præpostera*, annotat *non statim tenetur quis credere etiam bono viro*. Et causa 11. quæst. 3. cap. *Si is qui præst: Non semper*, inquit, *est credendum viro sancto*. Notans autem illis fuisse suam autoritatem, nunquam credent, qui ipsi notauerint immensam eorum virorum ambitionem, qua paulatim primo & quasi aliud agentes, postea etiam violentius, quamuis prætextu pietatis, sese reliquis symmistis prætulerint.

XXXVII. Quod ad reliquos attinet, Bernardum non admitto, vtpote recentiorem, & longe post confirmatam Romani Pontificis tyrannidem, scribentem ex more & errore sui temporis. Petrus Chrysologus, neque exponit hunc locum, neque citat, quod fatetur Bellarminus, sed ne alludit quidem ad eum, quicquid dicat Jesuita, itaque omitti potuit. Verum autem dixit, hypotheticos, siue pro tempore, nempe hoc sensu, vt non id perpetuum asseruerit esse Romanæ sedis priuilegium, sed tum esse verum; quia qui eam occupabat Leo, erat Catholicus. Alias nihil verum dixit.

XXXVIII. Theophylact. de sede Petri, aut successorib. prorsus nihil indicauit. Negatur autem Bellarmini consequentia. Dixit Theophylact. dari hoc priuilegium, quia erat princeps & caput aliorum: Ergo & omnib. qui illi in principatu succederent. Ratio est negatæ consequentiæ, quia in eo principatu nullos habere successores potuit Petrus, quemadmodum neque Ioannes aut Iacob. qui vocantur ὑπερλίαν ἀπόστολοι. Erat enim principatus personalis. Sed hac de re prolixius alias.

XXXX. Deinde, quia hæc confirmatio, prout exponitur à Theophylacto, non potuit transire ad successores, etiamsi concedantur fuisse aliqui. Ratio est, quia confirmationem credidit esse, non autoritatis, sed exempli. Verba sunt diserta, Νοήσειε δ' ἄν τις, τοῦτο οὐ μόνον περὶ τῶν ἀποστόλων εἰρῆσθαι, ὡς ἂν ὑποστηριχθῶσιν ὑπὸ τοῦ Πέτρου ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων τῶν ἄχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος πιστῶν. σὺ γὰρ ὦ Πέτρε ἐπιστρέψας, καλὸν ὑπόδειγμα γένοιο πᾶσιν εἰς μετάνοιαν, καὶ οὐδεὶς τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ ἀπογνώσεται ἀποβλέπων πρὸς σὲ τὸν ἀπόστολον μὲν ὄντα, ἀρνησάμενον δὲ, καὶ πάλιν τὰ πρωτεῖα πάντων, καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης ἐπιστασίαν λαβόντα διὰ τῆς μετανοίας, *Intellexerit autem quis, hoc non tantum de Apostolis esse dictum, nempe vt confirmarentur à Petro, sed etiam de omnibus fidelibus, vsq; ad consummationem seculi. Tu enim, Petre, conuersus, luculentum eris omnibus exemplum ad pœnitentiam, neq; vllus credentium in me desperaturus est, in te respiciens, qui cum sis Apostolus, & negaueris, rursus primatum acceperis omnium, & præfecturam orbis per pœnitentiam*. Et paulo post, γίνου καὶ τοῖς ἄλλοις πιστοῖς τύπος τοῦ μετανοεῖν, καὶ μὴ ἀπογινώσκειν. *Esto aliis exemplar pœnitendi, ac non desperandi*.

XL. At hoc non potest dici transisse in posteros. Nam si transiit, certe in omnes transiit. At non transiit in omnes. Ergo omnino non transiit. Maiorem non negabunt aduersarij. Minorem probo, exemplo Marcellini, qui postquam cecidit, sacrificans idolis, non recepit præfecturam, sed vel publica autoritate, vel, vt asserit Bellarminus, sua sponte cessit magistratu. Joannes etiam duodecimus, post infinita scelera, ab Othone Imperatore & Concilio destitutus, neminem sua conuersione confirmauit, in adulterio deprehensus & cæsus.

XLI. Supersunt duo loci ex nouo Testamento. Prior Matt. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam*. Nam Petra & fundamentum Ecclesiæ ad literam dicitur Petrus, vt summus Rector Ecclesiæ, & proinde quilibet eius successor. Inde dupliciter arguitur. Primo, si Petra est, ergo non frangetur, nec circumferetur omni vento doctrinæ, id est, non errabit in fide saltem quatenus petra, id est quatenus Pontifex est. Secundo, Si tale est ædificium, vt non possit ruere, certe nec eius fundamentum ruere potest. Tum veteres nonnulli citantur, Origenes, Chrysostomus, Cyrillus, Theodoret. Hieronym. Augustin. Gelasius, Gregor.

XLII. Respond. primo hæc verba, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, nõ esse de Petro ad literam intelligendam, teste Petro Alliaco Cardinali in Recommendatione sanctæ Scripturæ. *Videtur*, inquit, *quod non in Petra Petrus, sed in Petra Christus sit intelligendus, de quo agit Apostolus, Petra autem erat Christus. Quis enim in Petri infirmitate Ecclesiæ firmitatem stabiliat, de cuius infirmitate ancilla ostiaria interrogata respondeat?* Teste etiam Joan. Arboreo Theosophiæ lib. 5. c. 5. vbi disputat ex professo Ecclesiam fundatam esse super Petram & non super Petrum. Sed hæc quæstio proprie pertinet ad Oecumenicum Pontificem.

XLIII. Secundo, etsi de Petro ea verba intelligantur, tamen nego intelligenda de successorib. Fuissent enim dicta de eo vt Apostolo, quemadmodum omnes Apostoli fuerunt Ecclesiæ fundamentum ministeriale, hoc est, eiusmodi Pastores, qui primi iecerunt Ecclesiæ fundamenta, hoc est, eam doctrinam docuerunt, cui innititur Christiana fides. Cum igitur in Apostolatu nullos Petrus habeat successores, vt nec reliqui, adeo vt ne ipsi quidem, qui hodie hoc sibi successionis ius arrogant, audeant se Apostolos appellare, sed tantum Episcopos, apparet, quam inepte hæc verba longius extendantur vltra Petrum.

XLIV. Quod ipsum apparet ex falsitate consequentis prioris argumenti Bellarminiani, constat enim, vt postea apparebit, fuisse aliquos Episcopos Romanos hæreticos. Sed habet etiam infirmitatis argumẽtum certum, quia non simpliciter ac rotunde concluditur, non esse frangendum, hoc est, nõ erraturum in fide, sed tantum quatenus est Pontifex, nempe vt personam non tam distinguat, quam separet ab officio, quod est ridiculum. Nam quia officium nihil aliud est, quam qualitas accedens ad personam, non potest non illud affici ex vitiis aut virtutib. personæ. Sic qui doctus est homo, idem si fit Episcopus, erit doctus Episcopus, erit etiam similiter imperitus. Sic etsi matrimonium proprie personam spectet, tamen si idem qui vxoratus est, fit Episcopus, tum dicitur vxoratus Episcopus, quem prorsus ferre non possunt Papistæ, nec tum distinguunt personam ab officio. Sic etiam concubinarij. Deniq; Paulus 1. ad Timot. 3. Episcopum bonum vocat μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα νηφάλιον. σώφρονα, κόσμιον, φιλόξενον: Et contra malum, πάροινον, αἰσχροκερδῆ. Quæ tamen aut virtutes, aut vitia, non episcopatus sunt, sed personæ. Similiter verum est, non posse esse quemquam hæreticum hominem, qui, si fit Episcopus, non sit idem hæreticus Episcopus. Nec Episcopus vllus Catholicus, id est non hæreticus, qui non sit idem Catholicus homo.

XLV. Nam quemadmodum, quia gladius nihil est per se, sed tantum ferrum sic aptatum, ideo quæcunq; sunt vitia eius ferri sic aptati, vitia dicuntur ipsius gladij. Sic omnino cum Episcopus nihil sit per se, sed homo ad id electus, sine dubio quæ erunt hominis vitia, erunt etiam Episcopi. Itaq; ridiculi omnino sunt Papistæ, hoc modo λεπτολογοῦντες. Quod & aliquatenus animaduersum est Bellarmino cap. 6. lib. 4. de Pontifice, cum vidit ab ea persona publi-

publica concludi etiam ad personam priuatam. *Quomodo*, inquit, *confirmabit fratres in fide, & veram fidem semper prædicabit Pontifex hæreticus? Potest quidem Deus ex corde hæretico extorquere veræ fidei confessionem, sicut verba posuit quondam in ore asinæ Balaam: at violentum erit, & non secundum morem prouidentiæ Dei, suauiter disponentis omnia.* Concludimus autem hoc loco, si non promittatur infallibilitas personæ, non promitti infallibilitatem officij. At prius ne ipse quidem Bellarminus audet asserere: Ergo posterius non debuit negari.

XLVI. Ad secundum argumentum, distinguo fundamentum in proprie dictum, & ministeriale. De proprie dicto admitto consequentiam, & fateor cum Bellarmino, intelligi non posse, quomodo fundamentum destruatur, & domus non cadat, potiusq; ipsam domum destrui, quam fundamentum. At neq; Petrus, neque Petri successor vllus, est Ecclesiæ fundamentum proprie dictum, teste Apostolo 1. ad Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.*

XLVII. De fundamento autem ministeriali, nego consequentiam. Quia quemadmodum non propterea corruit Pantheon Romanum, quia mortuus est is à quo est constructum, sic nihil obstat, quominus perstet Ecclesia in fide recta, apostante eo à quo illa fidem didicit. Et sane cum vacillaret Petrus subtrahens se à Gentilibus propter Judæos, secundo ad Galatas, non vacillauit tamen Ecclesia.

XLVIII. Iam ad veteres sigillatim respondeo. Origenis hæc verba Bellarminus recitat, exponentis hunc Matth. locum, *Manifestum est, etsi non exprimatur, quod nec aduersus Petrum, nec aduersus Ecclesiam, portæ præualere poterunt inferorum. Nam si præualerent aduersus Petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam præualerent.* Sed hæc verba vnde hauserit, nescio, certe non exstant in editis Origenis operib. quod ante me obseruauit vir Doctissimus Francisc. Junius. Hæc tantum apud eum legi, *Neq; enim aduersus Petram, super quam Christus ædificat Ecclesiam, neq; aduersus Ecclesiam portæ inferi præualebunt.* Quæ nos etiam agnoscimus verissima. Sed quid illa ad Pontificem Romanum, aut etiam ad Romanam Ecclesiam?

XLIX. Primo enim petram intelligit & exponit Origenes quemlibet fidelem. *Petra*, inquit, *est, quisquis Christi discipulus est.* Quod nunquam Bellarminus probabit. Nam si petra infallibilitatē significat, essent igitur singuli fideles infallibiles, non tantum Episcopus Romanus. Deinde portas inferorum intelligit, non tantum hæreses contra fidem, sed etiam vitia contra bonos mores. *Vnumquodq; peccatorum, ob quæ Christus iturus erat ad inferos, portæ sunt inferorum.* Et paulo post, *Sicuti ciuitatum portæ proprium quæq; nomen habent, eodem modo portæ inferorum nominari possunt, iuxta species peccatorum. & vna quidem inferorum porta vocabitur scortatio, per quam ambulant scortatores, altera vero negatio, per quam qui Deum abnegant, descendunt ad inferos.* At Bellarm. nō negat variis peccatis obnoxios esse Romanos Pontifices, & id satis superq; docet experientia verissimum esse. Quare Origenis sententiam non potest Bellarminus absque violentia detorquere ad sui Pontificis infallibilitatem.

L. Chrysost. exponens 16. cap. Matth. non dixit, quod sciam, id quod Bellarminus profert, Deum solum potuisse facere, vt Ecclesia, super vnum piscatorem & ignobilem virum fundata, non caderet. Hoc enim apud eum nusquā legi. Imo legi contra, eum Petram exponere, non Apostolum Petrum, sed fidei cōfessionem: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν. τουτέστι τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας, *Super hac petra ædificabo Ecclesiam, hoc est, fide confessionis.* Hoc solum dixit; Nempe Iesum Christum polliceri se daturum ea, quæ solius Dei sunt, nimirum peccatorum remissionē, & stabilitatem Ecclesiæ, cuius pastor & caput sit piscator homo, atq; ignobilis. Sed id longe abit à verbis Bellarmini. Nos autem & fatemur & credimus, Petrum & piscatorem, & ignobilem fuisse pastorem & caput Ecclesiæ, sed negamus aut ipsum Petrum fuisse Petram Ecclesiæ, aut eius successores vllos.

LI. De Cyrillo nihil dicam: non enim habetur nisi à Thoma Aquinate, cuius fides sublestior est. Theodoreti etiam epist. ad Renatū videre nondum licuit, nō est enim in eius operib. excusis Coloniæ. De Hieronymo ad Damasum paulo post agā, interea dico non interpretari, imo ne citare quidem hunc locum. Augustin. in Psal. contra partem Donati, non sedem Petri petram vocat, sed vitem illam à qua dolebat Donatistas esse recisos. Altius enim repetenda est orationis series, quam à Bellarmino. *Venite fratres, si vultis vt inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus præcisos ita iacere. Numerate sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede: Et in ordine illo patrum, quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Nam alias sciunt omnes hunc Patrem constantissime Petram interpretatum esse de Christo, adeo vt cum semel accidisset imitari Ambrosium, id notauerit in Retractationibus.

LII. Gelasium & Gregorium respondeo fuisse Romanos Episcopos, & quidem, iam tumidiusculos, ex prædecessorum, affectatiori, quam sanctiori imitatione. Atq; vno verbo, ab Ænea Syluio non pudet responsionē mutuari lib. 1. de gestis Basiliensis Concilij, *Non considerant miseri, quia quæ prædicant tantopere verba, aut ipsorum summorum pontificum sunt suas fimbrias extendentium, aut illorum qui eis adulabantur.*

LIII. Gregorij tamen, ex epist. 32. lib. 4. mentem fœde torquet Jesuita, suo magis commodo, quam veritati seruiens, vt alias sępe. Nam hæc omnia, *Gregorium demonstrare non posse fieri, vt Episcopus Constantinopolitanus sit Episcopus vniuersalis, & proinde caput totius Ecclesiæ, quia multi Episcopi Constantinopolitani fuerant publice hæretici, imo hæresiarchæ.* Sophistica sunt, quia etsi specialiter agat Gregorius contra Ioannem, tamen sæpe testatur se causam vniuersalem tueri, & omnino ita disputat, vt neget quemquam esse debere vniuersalem Episcopum. Inter alia autem argumenta: & istud legitur ab incommodo, quia si is, qui est caput, deficiat à fide, tum tota Ecclesia de suo statu decidisset, quo tam Romani Episcopi arguitur arrogantia, quam Joannis Constantinopolitani cohibetur temeritas.

LIV. Postremus locus est Joan. vlt. *Pasce oues meas*, vnde tale fit argumentum: Pontifex est doctor & pastor totius Ecclesiæ: Ergo tota Ecclesia illum audire & sequi tenetur. Quare si ille erret, tota Ecclesia errabit.

LV. Respond. Nego antecedens, vt alias. Consequentiam item nego, si fit sine exceptione. Non enim omnino tenetur grex suo Pastori obtemperare, quicquid ille aut doceat aut præcipiat, hoc est, non tenetur cum pastore errante errare, qua de re iam actum est lib. 1. c. 11. aduersus Tannerum, neq; hic necesse est Penelopes telam retexere.

LVI. Vltimus Bellarmini conatus ab experimento, eoq; duplici. Primo, In Romana sede nulli sederunt hæretici: Ergo est infallibilis. Altero, plurimæ hæreses ab Epicopo Romano sunt absq; Concilio damnatæ, quas eo ipso pro veris hæresib. tota Christi Ecclesia habuit, & exhorruit. Ergo tota Ecclesia sentit in eiusmodi rebus Pontificem Romanum errare non posse.

LVII. Respondeo, prius experimentum esse falsum, fuerunt enim Papæ nonnulli hæretici, vt postea docebimus. Sed & consequentiam esse ineptam. Nam etsi Lugduni, aut Viennæ, (vt has Ecclesias nominem exempli gratia) nulli noscantur sedisse hæresin profitentes Episcopi, tamen non sequitur Episcopum Lugdunensem aut Viennensem esse infallibilem, nec sane id contendet Jesuitarum vllus, ne audacissimus quidem.

LVIII. In altero, primum illud falsum est in antecedente, quod asseritur eo ipso habitas pro veris hæresibus, quod eas Episcopus Romanus condemnasset. Nam si temere condemnasset, non essent illi assensi reliqui Catholici, vt cum Victor excommunicare voluit Orientales ob Paschatis celebrationem, tanquam alterius fidei & opinionis, opposuerunt se illi cæteri Episcopi, hortati vt pacis, concordiæ & charitatis erga proximos diligentem curam haberet. φέρονται δ' (inquit Euseb. hist. lib. 5.) αἱ τούτων φωναὶ πληκτικώτερον καθαπτομένων τοῦ βίκτορος, *Feruntur etiam nunc eorum verba, Victorem acrius corripientium*, atque in his Irenæus erat.

LIX. Secundo, negatur consequentia, damnauit hæreticos, ergo est infallibilis. Ratio est, primo quia nō omnes hæreticos damnauit, sed tantum multos. Secundo, non pertinet hoc ad omnes Episcopos Romanos, sed tantum ad quosdam. Si igitur illi quidam non errarunt, in illis hæresib. condemnandis, alij potuerunt errare, qui nullas damnarunt. Et sane experientia docuit postremos Romanos Episcopos multas hæreses aut inuexisse, aut suscepisse, nimirum eas ex quib. conflatum est Papismi corpus, quod oppugnamus hodie.

LX. Deinde alias hæreses alij damnarunt, vt Arium primus omnium Alexander Alexandrinus Episcopus, qui tamen non erat infallibilis. Sic Concilia cum vniuersalia, tum particularia, multo plures damnarunt hæreses, & tamen neutra sunt infallibilia.

CAP. IV.

An Christiani teneantur obedire Papæ.

I. CArranza pugnat hac ratione: Cunctus populus Christianus tenetur obedire Papæ in his quæ ad religionem Christianam pertinent. Ergo ille est certa regula in eorum traditiône: quoniam alias tota Ecclesia erraret si ipse erraret, quod est impossibile.

II. Antecedens probatur, primo ex Concilio Lateranēsi, & habetur, Extra, de Baptismo, capite *Maiores*. Secundo, ratione Thomæ in 2. 2. quæ. 1. in materia de fide. Quia alias scinderetur vnitas Ecclesiæ, si non esset vnum caput, cui omnes obedire teneātur. Tertio, ex vsu Ecclesiæ, quæ ab exordio suo semper sequuta est Papæ sententiam. Quarto, quia ferme omnes hæretici condemnati sunt per solum Papam, licet in nonnullis post secuta sit Conciliorum & Ecclesiæ sententia.

III. Respondeo, primo negari consequentiam. Etsi enim certissimum esset omnes omnino Christianos teneri ad obedientiam præstandam Episcopo Romano, tamen is non esset propterea fidei Christianæ regula. Quemadmodum, etsi Pontificis summi tanta esset autoritas, vt ei omnes Judæi obtemperare deberent, tamen is nunquam fuit regula religionis Judaicæ, sed tantum doctor regulæ, id est Legis. Sic enim significatum est Aaroni & filiis eius, Leuic. cap. 10. *Vt doceatis filios Israel omnia legitima mea, quæ loquutus est Dominus per manum Moysi.*

IV. Nec contra quicquam euincit subdita ratio, alias fore vt tota erraret Ecclesia. Quia inde conficitur tantum, nunquam fore, vt Pontifex erret, quod fieri quidem posset, etiam si non esset ipse norma, sed tantum dum semper adhæreret normæ quæ ei esset præfixa. Exempli gratia, Rex Dauid nunquam legitur errasse in iis rebus, quæ ad cultum Dei pertinerent, quod non ideo factum est, quia esset ipse norma cultus diuini, sed quia à lege Dei nunquam auertisset cor suum. *A lege tua*, (inquit Psalm. 119.) *non declinaui, custodiui legem tuam, legem tuam non sum oblitus.*

V. Secundo, negatur Antecedens. Nunquam enim iure id sibi potuit arrogare Romanus Episcopus, vt ei omnes obtemperare deberent Ecclesię, sed illæ tantum, quarum cura ad eum spectaret, sicut reliquis Episcopis suæ obtemperabant. Vnde Cyprianus epist. 55. quæ est ad Cornelium Romanum Episcopum, *Singulis Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat vnusquisque & gubernet rationem sui actus Domino redditurus*, vt alia pręteream infinita testimonia, quibus alibi suus tribuetur locus.

VI. Nec valent probationes antecedentis; Nam caput *Maiores* quod exstat in Decretalib. titulo de Baptismo, primo non est ex Decretis Synodi alicuius, sed ex Epist. Innocentij ad Arelatensem Archiepiscopum, insolenter iactantis, maiores Ecclesiæ causas, præsertim quæ contingunt articulos fidei, ad Petri sedem esse referendas. Innocentius autem vix meretur responsum, quia nec iudex esse nec testis idoneus in propria causa potest.

VII. Secundo etiam si decretum esset Lateranensis Concilij, nō tamen admitteretur. Tum quia recentius est, nempe celebratum anno millesimo centesimo decimo quinto, tum quia in hoc ipso negotio de autoritate Romani Pontificis, contraria statuit veterib. Conciliis. Nam cum Nicæę, Constantinopoli, Chalcedone, exæquatæ essent Patriarchales sedes, quod alias docebimus, tum Romæ in Laterano reliquis tanto spatio prælata est Romana, vt super eas omnes ordinariæ potestatis dicatur habere principatum, materq; esse & magistra vniuersorum Christi fidelium.

VIII. Atq; hic quidem operæpretium fuerit considerare Romanorum Episcoporum, vafritiemne dicam, an quid durius? Certe ingenium non candidum. Nam cum in Synodo Chalcedonensi decretum factum esset, quo sedes Constantinopolitana æquabatur Romanæ, præferebatur autem Alexandrinæ atq; Antiochenæ, tulit id non moderate Leo I. cuius legati ei decreto pro virib. intercesserant in ipsa Synodo. Et tamen ita veram doloris causam dissimulauit, vt suam non videretur agere, sed Ecclesiarum, nempe Alexandrinæ, & Antiochenæ, quæ pręposita sibi Constantinopolitana, è secundo & tertio gradu, ad tertium & quartum relegabantur. Multaque hac occasione disserebat de superbia vitanda, de conseruandis canonibus, & similia nonnulla, vt videre licet in eius Epistolis, præcipue 51. ad Anatolium Constantinopolit. & proxima ad Martianum Augustum.

IX. Sed eorum omnium oblitus Innocentius III. præterea, viuens, vidensque, in hac Lateranensi Synodo, id est, domi suæ, dum se è numero eximi gaudet, facile patitur hanc eandem iniuriam iisdem inferri, vt subiiciantur Constantinopolitano. Nec clamauit, violari fraternitatem, induci superbiam, canones conculcari. En sinceritatem! En candorem Romanum!

X. Vere autem dixi Romanum numero exemptum. Non enim eo decreto numeratur inter Patriarchas, vt olim: Nam primus constituitur Constantinopolitanus, secundus Alexandrinus, Antiochenus tertius, extra quē cum ordinem Romanæ Ecclesiæ tribuitur, vt dixi, super omnes alias ordinariæ potestatis principatus. Cum tamen & in Constantinopolitano Concilio decretum esset, vt eius vrbis Episcopus post Romanum primatus honorem haberet, & in Chalcedonensi, id ita fuisset interpretatum, vt intelligeretur Constantinopolitanus τῶν ἴσων ἀπολαύει πρεσβείων, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνη μεγαλύνεσθαι πράγμασι, atque adeo, vt constat ex Leonis Epistolis, hic esset ordo Patriarchalium sedium, vt Romana esset, non extra ordinem, & supra omnes, sed inter eas prima: Constantinopolitana secunda: Alexandrina III. Antiochena IV. quod Gratianus obseruauit dist. 22. cap. *Renouantes.* Tam bene suas res agere Romani norunt! Et horum iudicia quisquam existimet esse sincera? esse regulam veritatis?

XI. Thomæ incommodum secundo loco numeratum, vere sequeretur, si nulla esset norma, secundum quam omnes Ecclesię tenerentur & credere & docere. Sed dum erit certum eam aliquam esse, id est Scripturam sanctam, facile id omne vitari poterit absurdum, quamuis non sit vnus aliquis interris homo, cuius responsa omnes exspectent, tanquam oracula. Sicut olim Romæ, etsi nullus esset vnus, qui totam Rempub. suo nutu moderaretur, tamen quia erant optime constitutæ leges, optime fuit multis seculis administrata.

XII. Tertia confirmatio manifesto falsa est. Constat enim ex antiqua Ecclesiæ historia, sibi Catholicos permisisse sæpius suam tueri sententiam aduersus Episcopum Romanum. Sic Polycarpo Anicetus persuadere non potuit vt suum Paschatis obseruandi morem deponeret, non magis certe, quam Aniceto Polycarpus, teste Euseb. hist. lib. 5. Et Irenæus postea cum aliis, Victoris nimiam seueritatem compescuit. Sic Athanasius etsi excommunicatus à Liberio non desiit esse Catholicus. Nam excommunicatum fuisse testantur hæc Liberij verba ad Vrsacium & socios, *Cognoscat prudentia vestra Athanasium, qui Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus fuit, priusquam ad comitatum sancti Imperatoris peruenissem, secundum literas orientalium Episcoporum, ab Ecclesiæ Romanæ communione separatum esse.* Vide apud Baronium anni 357. §. 44.

XIII. De hæreseon condemnatione nonnihil egimus capite præcedenti. Nunc autem dico, condemnationem intelligi, vel dogmatum improbationem, ipsarumq; personarum excommunicationem, vel summum aliquod vltimumq; iudicium, cui omnes vbiq; terrarum Catholici subscribere tenerentur. Primo modo falsum est id solum fecisse Romanum. Omnes enim idipsum faciebant Episcopi, tum coniuncti in Synodis tam particularibus, quam vniuersalibus, vt patet infinitis exemplis, tum singuli, vt Alexander Alexandrinus, cum primum Arius prodiit, vt Septimum quendam, & postea Prosperum Photius Bibliothecæ cap. 54. testatur cōpescuisse Celestianos siue Pelagianos.

XIV. Posteriore autem modo, sciunt omnes has fuisse Oecumenicorum Conciliorum partes, adeo vt negarit Constantinus Magnus, alio modo cohiberi potuisse Arianismum. Nam cum se testaretur decere, vt conaretur restituere in omnibus Ecclesiis vnam fidem sinceramque charitatem, tunc negauit τοῦτο οὐκ εἶναι ἀκλινῆ καὶ βεβαίαν τάξιν λαβεῖν, εἰ μὴ εἰς ταὐτὸ πάντων ὁμοῦ, ἢ τῶν γοῦν πλειόνων ἐπισκόπων συνελθόντων, ἑκάστου τῶν προσηκόντων τῇ ἁγιωτάτῃ θρησκείᾳ διάκρισις γένοιτο, id posse tuto certoq; ordine constitui, nisi conuenientibus in vnum, vel omnib. vel plurimis Episcopis, disquisitio fieret eorum quę consentanea essent sanctissimæ religioni. Sic enim ipse loquebatur in Epistola ad Ecclesias, quam Eusebius recitat, libro de eius vita tertio.

XV. Et sane quis credat tanta vsum esse autoritate Roman. Episcopum, qui sciat cum quantolibet labore efficere non potuisse, vt aut Ioannes Chrysostomus non pelleretur à sua sede, quod cum alij, tum Photius Biblioth. ca. 98. testatur, his verbis: ὁ δὲ Ῥώμης Ἰννοκέντιος πολλὰ ὑπὲρ τοῦ ἁγίου ἠγωνίσατο, εἰ καὶ ἄπρακτος αὐτοῦ γέγονεν ἡ σπουδή. Innocentius Romanus multum pro illo sancto laborauit: quamuis frustra. Aut vt Flauianus in Antiochena non permanseret, quantumlibet acerbe contendentibus per annos viginti continuos, Damaso, Syricio, Anastasio? Itaq; non ratione, sed audacia mera fretus Carranza hæc protulit, non argumenta, sed mendacia.

CAP. V.

De autoritatibus Veterum pro Pontifice Romano.

I. SVpersunt autoritates quædam ex scriptis veterum. Et primo ipsorum Pontificum Romanorum. Habes, inquit Carranza, sexcentas Epistolas Decretales, Lucij, Felicis, Eusebij, Euaristi, Alexandri, Iulij I.

II. Papæ! tantum exercitū! Sed bene est, mera nomina. Nam quem terreat Decretalium epistolarum autoritas, quæ sunt maxima ex parte, purum putum figmentum, eorum hominum, qui portentosissime audaces suo somnia tribuerunt viris olim sanctis? Enimuero nemo est sanus, qui non indignetur Lucio (vt de hoc agam primo, quem primum ille nominauit) eam tribui Epistolam, quæ est ad Galliæ, & Hispaniæ Episcopos, ex perpetuis constantem centonib. hinc inde male corrogatis. In quam totum Ecclesiastici caput 11. cum parte decimi ad Verbum transcribitur, totus item Psalm. 89. excepto tantum primo versu. Et quidem ita vt afferatur scriptus aduersus eos, qui facultates Ecclesiæ rapiunt, fraudant, vel auferunt. Denique ne omnia colligam, bonus ille vir de dotibus Ecclesiæ sic est sollicitus, quasi iam amplissimas opes Ecclesiæ nomine tum temporis possiderent Episcopi, qui tamen vix seipsos possidebant, præ hostium rabie. Et hic scilicet dignus est, cui credamus Ecclesiam Romanam, aut matrem esse omnium Ecclesiarum, aut à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse.

III. Quanquam ille ipse pro nobis testimonium diceret luculentum, si quidem vir esset quantiuis pretij. Nam & cum negat Ecclesiam Romanam discessisse à tramite Apostolicæ traditionis, ostendit aliquem esse doctrinæ tramitem, quem non à se, sed ab Apostolis designatum, ipsa sequi debeat, quemque si desereret, siue hoc fieri possit, siue non, sed tamen si desereret, male ageret. Et rursus cum testatur Ecclesiam Romanam in exordio normam fidei Apostolicæ percepisse ab autorib. Apostolis, eo ipso diserte docet aliud esse normam fidei, aliud Ecclesiam Romanam, quod & nos volumus.

IV. Felicis primi tertiam Epistolam, quæ asserit semper dubia & maiora negotia a sancta Romana sede terminum accipere consueuisse, quis habeat pro legitima, qui eius dimidiam partem fere ad verbum transcriptam aduerteret, ab ea Lucij, quam modo nominauimus? Sed in ea tamen ipsa illa repetuntur verba de tramite & norma

V. Eusebij tres Epistolæ circumferuntur, in quarum primam translata sunt duo postrema capita prioris Epistolæ Joannis continuo contextu. In secunda, post exordium desumptum ex 1. cap. 2. ad Corinth. subnectitur pars 5. & 6. totum, interiectisq; pauculis lineis describitur ex Ecclesiastico pars cap. 18. & totum 19. cum fere toto 20. & rursus magna pars 4. ad Ephes. In tertia leges magnā partem ca. 14. & 16. cum toto intermedio capite Ecclesistici. Adeo centonib. iste delectabatur, vir, si credere fas est, magnus. Quid? quod in prima dicit ab initio ad sua vsq; tempora obseruatum fuisse ne à laicis accusarentur Episcopi? Et suadet accusationis veritatem diuersis cruciatibus à rigoroso tortore exigi? Quasi non sit inuentum nouitium Inquisitionis Hispanicæ. In secunda loquitur de Synodis generalibus, quæ tamen nullæ vnquam coactæ fuerant. Asserit etiam Synodalibus decretis regumq; edictis statutum fuisse, vt Episcopis spoliatis omnia redintegrarentur, recitatis edicti verbis, quasi ad id vsque temporis aliqui fuissent reges Christiani. Imo vero in legib. seculi cautum haberi, vt qui rem surripit alienam, decuplum restituat, quod tamen annotatio compilatoris ad marginem negat esse in Iure Romano, sed tantum in Lombardico, Scotico, & Gallico. Vnde quis non agnoscat horum scriptorum ætatem?

VI. Et tamen is tam locuples testis, scilicet, nihil habet quod Carranzæ faueat in hac causa, nisi hoc forte significarit, *In sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio.* Quod nec verum, si extendatur ad omnia tempora Eusebium sequuta, nec quicquam habet virium, non enim inde conficitur Ecclesiam Romanam esse regulam religionis.

VII. Euaristi prima laudat Africanos, quod sequuti normam prudentium, ad sedem Apostolicam retulerint quasi ad caput, quid deberent de reb. dubiis custodire. Sed vt ingenium noscas authoris, cum clandestinas nuptias damnauit, præcipiens vxorē peti ab iis in quorum est potestate, à parentibus sponsari, legib. dotari, sacerdotaliter benedici, solenniter accipi, sanciuitque aliter non coniugia, sed adulteria, contubernia, stupra, fornicationes potius censeri, tum addit egregiam, ac tanto legislatore valde dignam coronidem: *Nisi*, inquit, *voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima.* Spectatum admissi risum teneatis? Egregiam vero legem, cuius tota vis sit in singulorum voluntate.

VIII. Alexandri primi Epistola 1. cum alia non pauca habet stoliditatis indicia, tum hoc euidentissimum falsitatis, quod quæ de Deitatis vnitate & Trinitate disputantur alternatim, omnia sunt ad verbum ex Idacij Clari libro contra Varimadum Arianum: Et constituunt tamen magnam Epistolam partem.

IX. In Julij nomine lusit infacetus aliquis, qui audierat eum pro Athanasio seuere scripsisse ad Oriētales Episcopos, ab eisq; accepisse literas ironicas, quæ quia non exstarent, putauit se impune orbi illusurum confictis tribus, prima Iulij ad Orientales, altera Orientalium ad Julium, tertia rursus Iulij. Vt autem ab vnguibus leonem agnoscas, ille Græcos docet Synodi Nicenæ leges appellari Canones, idque non semel. *Posuerunt*, inquit, *leges, quas sacros Canones appellamus.* Sed & Canones ei Synodo affingit pro arbitrio. Non audiendum Episcopum accusatum nisi in legitima Synodo autoritate Apostolica, id est, Romana, conuocata. Accusatores & accusationes, quas seculi leges non admittunt, à Sacerdotali funditus auerti nocumento. Non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo concilia celebrari. Quid? quod Orientales dicit à Romana Ecclesia consecrationem honoris accipere? Itaq; hi Carranzæ testes, nullius omnino sunt momenti.

X. Tapperus ex Cyrillo citabat, *Ecclesia Petri Apostolica, ab omni seductionis hæreticæ circumuentione manet immaculata, super omnes præpositos & Episcopos, & primates Ecclesiarum, & populorum, in suis Pontificib. in fide plenissima, & autoritate Petri, cum aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum.* Et rursus, *Vt membra maneamus in capite nostro, in Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum præ omnib. venerantes. Quoniam eius solius est reprehendere, corrigere, statuere, soluere, & ligare, loco ipsius qui ædificauit & elegit, & nulli alij quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.*

XI. Ex Hieronymi Epist. 57. quæ est ad Damasum, bonam partem transcribit, sic præfatus, *Orthodoxus ille doctissimusq; Hieronymus, in Oriente prope Antiochiam habitans, vltra tam vasta terrarum mariumq; spatia, apud vnam Petri cathedram, Ecclesiæ Catholicæ sensum in quæstionibus Fidei, quas pertractabat, requirendum censuit.* Et subnectit Symboli ad Damasum explicationem, cuius autor (non est enim Hieronymi) si quid non satis caute dixerit, emendari cupit ab eo, sin autem approbetur, securum se aduersus obtrectatores pronunciat. Rursus Apologia aduersus Rufinum, eiusdem sedis fidem, etiam angelo de cœlis præferri debere docet.

XII. Addit Ambros. confiteri se in omnib. sequi magistram Romanam Ecclesiam. Sed Cyprianum aperte pronunciare, quod *non aliunde hæreses ortæ sint, aut natæ schismata, nisi inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex Christi vice cogitatur, cui si secundum magisteria diuina fraternitas obtemperaret vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum Collegium quicquam moueret, & nemo discidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet.*

XIII. Denique Bernardus Epist. 190. ad Innocent. Papam, *Oportet ad vestrū referri Apostolatum pericula, quæ & q; scandala emergentia in regno Dei, præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namq; arbitror ibi potissimum resarciri diuina, vbi non potest sentire fides defectum, hæc quippe huius prærogatiua sedis.*

XIV. Respond. Cyrilli testimonium esse suppositiium, neq; reperiri in vllis eius operibus, tantum citari à Papistis, ex Thomæ Aquinatis fide, apud quem primum legerunt. Non est autem Thomas omni exceptione maior. Certe ea verba non redolent stylum Cyrilli, aut eius temporis candorem. Extant

tant in Actis Synodi Ephesinæ multæ Cyrilli epistolæ, tum ad Cælestinum, tum ad alios, in quibus sæpe meminit sedis Romanæ, & quidem honorificetissime: sed nihil habent quod accedat ad ista insanæ adulationis verba.

XV. Bernardus vixit, vt alias dixi, post Romani Episcopi tyrannidem omnino confirmatam, ad summumque euectam: itaq; loquebatur ex sui seculi moribus; propterea nego eius testimonium esse idoneum, magis quam cuiuslibet Iesuitæ, in hac quidem Controuersia.

XVI. Consuluit Damasum Hieronymus. Recte: quid enim prohibet? sed & Hieronymum Damasus; & Augustinus & alij. Tum aût ipse causam ostendit: non quâ volunt Papistæ; nimirum quod esset Damasus regula Christianæ Fidei: sed longe aliam; videlicet, quia se meminisset Romæ baptizatum, *Inde nunc* (inquit) *meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi.* Quæ verba tum Erasmus, tum Marianus Victorius, interpretantur de Baptismo: quia tum temporis solebant recens baptizati indui albis vestibus. Et quidem Erasmus totum locum sic interpretatur in vita Hieronymi. *Id* (inquit, nempe Romæ baptizatû fuisse) *satis indicat in epistola quadã ad Damasum Papã, testificans sese eius vrbis fide velle sequi, in qua Christi veste accepisset.*

XVII. Quanquam alias nihil est absurdi quemlibet consuli. Fieriq; solet à variis varie, prout varia sunt iudicia: nec quicquam prolatum est ab Hieronymo, quo significetur debuisse ab omnibus Damasum consuli. Scimus aût Basilium epist. 52. non dissimiliter Athanasium alloqui ἐνομίσαμεν ἐπιτηδειοτάτην ἀρχὴν τοῖς πράγμασι δώσειν, εἰ ὥσπερ ἐπὶ κορυφὴν τῶν ὅλων, τὴν σὴν ἀξιοπιστίαν καταφύγοιμεν, καὶ συμβούλῳ τε χρησαίμεθα καὶ ἡγεμόνι τῶν πράξεων, *Existimauimus nos consultißime principium daturos his negotiis, si tanquam ad caput omnium, ad te accurreremus, vsuri & consiliario & duce in rebus gerendis.*

XVIII. In expositione Symboli non video quicquam esse ponderis. Cupit à Damaso corrigi, si non satis caute dixerit. Sic solent omnes in quibus est aliquid modestiæ, hanc gratiam postulare ab iis, quorû nota est vel doctrina, vel paulo eminentior autoritas. Itaque nego consequentiam: nam etsi voluerit hic autor à Damaso corrigi, & si approbaretur ab eo, fore se credidit tutum ab obtrectatoribus: tamen non erat Damasus, aut summus iudex Controuersiarum, aut norma fidei.

XIX. In Apologia contra Rufinum nusquam legi fidem Romanam præferri Angelis: sed tantum non fuisse mutãdam, etiamsi Angelus aliter annuntiaret quam esset prædicatum, *Scito* (inquit) *Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiam si Angelus aliter annuntiet, quam semel prædicatum est, Pauli autoritate munitam, non posse mutari.* Significatur Romanos non probaturos eam doctrinam de qua agebat, quia aliter esset ab Apostolis traditum. At hoc indicat Romanos habere regulam doctrinæ cui hærere deberent, neque ab illa abduci, ne Angelorum quidẽ prætextu. Tantum abest, vt ipsi fuerint regula.

XX. De Ambrosio facile negotium; vel leuissime inspecto loco, de Sacramentis lib. 3. c. 1. *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam. Sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectius seruatur, & nos recte custodimus.* Hinc primo apparet, non satis sincere locum à Tappero recitatum: tû quod dixit Ambrosium confiteri se sequi Ecclesiam Romanam, quod tamẽ contra est: significat enim potius se ab ea recedere in eo saltem capite. Tum quod magistram addiderit: quæ vox nulla est apud Ambrosium.

XXI. Cæterum hic ipse locus ostendit Ecclesiam Romanam non esse regulam fidei. Primo, cum significat in aliis Ecclesiis aliquid rectius seruari: quod ne fingi quidẽ potest, si constat quod Papistæ contendunt: nam regula nihil rectius esse potest. Secundo, cum pronunciat se recte facere, cum obseruaret aliud aliquid, quod non haberet Ecclesia Romana. Quis enim audiuit vnquam aliquẽ laudari, cum discederet à lege vel norma? Tertio hæc verba, *Cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus*, significant Ambrosio licuisse vti suo sensu, in censendis iis quæ obtruderet Ecclesia Romana: nec teneri vt pecorum more cæcam illi, id est, Iesuiticam præstaret obedientiam. Quorsum igitur illud tam sæpe nobis obiectum, *Quis iudicabit*

XXII. De Cypriano latius erit agendum in Controuersia de Oecumenico Pontifice: ideo paucis respondeo, Sacerdotem Dei intelligendum quemlibet in sua Ecclesia Episcopum: non autem vnum in vniuerso orbe. Conqueritur enim Cyprianus de Felicissimo & Fortunato aduersum se insurgentibus, Romamq; deferentibus calumnias. Hac occasione inter alia locû tractat cõmunem de iis qui insurgunt in Sacerdotes Dei. Fuisset vero ineptum, cum de se loqueretur, excurrere in eorum audaciam qui vniuersali Episcopo rebelles essent. Quid enim id ad Fortunati & Felicissimi causam? Aut etiam ad Cyprianum Episcopum Carthaginis, & vt maximum, primatem Africæ?

CAP. VI.

De Episcopis Romanis sceleratis.

I. HÆc erant Papistarum argumenta. Nos contra: Si omnes Episcopi Romani sunt regula fidei: Ergo quidam scelerati essent regula fidei. At posterius est absurdum: ergo & prius.

II. Probatur assumptum, ex post. ad Cor. c. 6. *Nullum est consortium iustitiæ cum iniustitia: nulla communio luci cum tenebris: nulla concordia Christo cû Belial.* At, vero nulla fingi potest maior concordia, quam regulæ cum regulato: conclusionis cum suis principiis; sententiæ cum iudice.

III. Item ex Sapientiæ 1. c. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* In quem locum Glossa ordinaria ex Rabano, *Frustra sibi blandiuntur Philosophi, & Hæretici, & falsi Christiani. Soli enim mundo corde sapientiam Dei possunt accipere.* Lyranus, *Nam introibit sapientia, per superiorum correptionem, nec per diuinam illuminationem.*

IV. Iam, si scelerati sapientiam Dei non possunt accipere, quomodo poterunt tradere? & quidem infallibiliter: Tradere autem necesse est, si quidem constituuntur pro regula. Rursus, si neque per superiorum correptionem, neque per diuinam illuminationem, id est, neque per ordinariam instructionẽ, neque per extraordinariam inspirationem, capaces sunt sapientiæ, quis credat eosdem eiusdem esse supremos iudices?

V. Actor. 8. Petrus Simoni Mago, *Non est tibi pars* (inquit) *neque sors in hoc negotio: cor enim tuum non est rectum in conspectu Dei.* Sic enim doctissimus Beza negotium vertit pro sermone: obseruata Hebraismi proprietate. Est autem sensus perspicuus: Simonem indignum esse, cuius opera distribueretur Spiritus Sanctus; imo qui omnino esset Christianus; hanc ob caussam, quia cor haberet peruersum coram Deo. Quidni etiam nos concludamus, eos, qui suis sceleribus testantur suam hypocrisin, hoc est, cordis alienationem a Deo, non esse dignos qui habeantur pro regula veritatis? Nam hoc opus esse Spiritus Sancti, ne ipsi quidem ignorant aduersarij.

VI. Consequentia autem patet; quia inter Pontifices Romanos multi fuerunt scelerati, ex quorum improba vita plus rediit ad Christianos scandali, quam ex eorum autoritate ædificationis. Vnde Wernerus Rolleuinkius in Fasciculo temporum, circa annum nongentesimum in hæc verba cogitur exclamare, *Heu, heu, Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Qualia contigisse circa hæc tempora, etiam in sancta sede Apostolica, quã vsq; huc tanto zelo custodisti, legimus scandala! Quales contentiones & æmulationes, sectæ, inuidiæ, ambitiones, intrusiones, persecutiones! O tempus pessimum, in quo defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum! Verumtamen post hæc tempora, fuerunt multi sancti Papæ: sed non sic continue, & in tanto numero, sicut in præcedentibus. Eia quis conuentus? quæ congregatio? quis homo iam securus erit, si sic defecit sanctitas primitiua?* Recte. Non potuit enim vir humani ingenij, non fremere, cû legenti Pontificum Romanorum vitas tot occurrerent monstra scelerum. Monstra (inquam) Nam ipse Genebrardus immanis παμπολλάτερ(?) ad Syluestrum secundum obseruat in Chronologia eius temporis Papas; monstra fuisse.

VII. Nec frustra. Nam Stephanus sextus tanto odio (inquit Platina) persecutus est Formosi præcessoris nomen; imo tanta rabie in eum desæuiit, vt habito Concilio, corpus tumulo detractum Pontificali habitu spoliatum, indutumq; seculari, sepulturæ laicorum mandauerit, abscissis duobus illis digitis, quibus in consecrandis Sacerdotibus vtebatur. Et tamen à Romano Theodoroq; vtroq; Stephani successore, Formosi acta postea confirmantur, Stephanus confunditur. Sed rursum Sergius tertius, illud idem corpus tumulo eductum decollari fecit, & in Tyberim proiici. *Ita grauissimo totius Christianismi scandalo* (inquit Krantzius Saxoniæ lib. 2. c. 32.) *Romani Pontifices, velut ebrij, imo furiosi iactabantur.*

VIII. Notatu dignum exemplum. Non enim solus peccauit Stephanus: sed cum Concilio. *Iste siquidem* (inquit Baronius ad annum 897.) *vi summa collecto conuenticulo Episcoporum simulq; Presbyterorum Cardinalium sibi similiû, Sergio, Benedicto, atq; Martino, diaconis etiam Ioanne, Paschali alteroq; Ioanne, hominibus perditissimis, violatoribus Pontificiæ sepulturæ, Formosi venerandum cadauer effossum, & sepulcro extractum, tanquam viuum hominem ad iudicium adductum, iudicari voluit.* Et nobis iam neget Bellarminus Concilium, siue Oecumenicum, siue particulare cum capite suo Romano Pontifice, errare posse? Scilicet, ea est Iesuitarum modestia. Imo vero sic mutuo muli.

IX. Ioannes, duodecimus à plerisq; numeratus, à nonnullis 13. ab Othone Imperatore Pontificatu priuatus est. Ac fatetur Bellarmin. de Pontif. lib. 2. c. 29. hunc fuisse omnium Pontificum fere deterrimû. Sed Platina multo fortius, sceleratissimum appellat, vel monstrum potius. Luithprandus Ticinensis hist. lib. 6. eius crimina prolixe exsequitur in Concilio proposita & probata. Quod Missam celebrarit non communicãs: diaconum ordinarit in stabulo equorum: Episcopos pretio crearit, & quidem annorum decem: sacrilegia commiserit: adulteria passim exercuerit: ex sancto palatio lupanar, & prostibulum fecerit: mulieres Romã deuotionis gratia venientes ad Sanctorum Apostolorum limina, coniugatas, viduas, virgines, vi cõpresserit: cædes multas varie perpetrarit: in amorem Diaboli vinum biberit: in ludo aleæ opem à Ioue, Venere, cæterisq; dæmoniis petierit. Quid plura? In ipso adulterij actu periisse tradunt historici. Et hunc necesse erat agnoscere pro norma ac regula veritatis.

X. Inuehitur tamen Baronius in id Cõcilium seuerissime, ad annum Christi 963. testans se nunquam vidisse magis offensum ius Ecclesiasticum: magis violatos canones, vulneratam traditionem, conculcatam, oppressam, atque maiori dedecore prostratam iustitiam: exclamatq;, ô indignum facinus, audax & insolens! Vide zelum τοῦ πατρολάτρου(?). Indignatur euocatam Synodum, absq; iussu Ioannis: nimirum, quia solet apud Papistas lupanarium reformatio à prostibulis exspectari. At meminisse debuit Baronius, tantus historiographus, vnicum esse Marcellinum, qui ad deponendum seipsum, conuocauit Concilium, si tamen conuocauit; nam hoc nemo veterum dixit. Indignatur, vtut esse alias legitima, tamen ab excommunicatis esse gestam. Nẽpe, quia cum primum citabatur, ad eos perterrendos, brutum suum vibrauit fulmen nouus ille semi-Iupiter. Et non vident omnes referri ab hoc Gnathone gratias pro adepto galero?

XI. Sed quid ad nos, si peccauit nonnihil Concilium? Nam ne nos quidẽ gestorum seriem omnino probemus: excusemus potius, quod in tanta eius monstri tyrannide, coacti sint ij, qui tam duro onere premi Ecclesiam dolebant, confugere ad extraordinaria remedia. Sufficit autem, quod ne ipse quidem Baronius hæc obiecta scelera potest aut purgare, aut excusare.

XII. De Gregorio septimo alias Hildebrando, mirû quanta sit historicorû dissensio. Nã, quia in duas partes diuisus erat orbis Christianus, & quidẽ animosissimis crudelissimisq; bellis, distractus, accidit, vt quicunq; Imperatori nõ essent iniqui, ea de Episcopo Romano scriberẽt, quæ de sceleratissimo homine scribi potuerût. Qui aût contra affecti essent, eû & bonû, & sanctû depinxerunt. Adeo transuersos egit, aut hinc, aut illinc fauor atq; odiû. Quo facilius fuit Bellarmino multa pro eo dicere aduersus Magdeburgenses.

XIII. Sed Matthæus Paris, qui vtpote Anglus, minus suspectus est quiq; in eius vita, hoc tantum non satis probat, quod Sacerdotes vxoratos ab altari remouerit; morientem asserit aduocatis Cardinalibus, confessum, se valde peccasse in cura pastorali, & suadente Diabolo, contra humanum genus, iram Dei, & odium concitasse.

XIV. Syluester secundus Necromanticus Diabolo seipsum dederat, vt omnia ex voto succederent: inde factus Episcopus Rhemensis, deinde Archiepiscopus Rauennatensis, demû Romanus Papa. Inquirens à Diabolo didicerat se regnaturû donec celebraret in Hierusalem: delusus nominis ambiguitate. Non enim ciuitatem in Iudæa Diabolus intelligebat, sed sacellû quoddam in ipsa vrbe Roma, cui id vulgo nomen erat: vbi cum Missam cantaret aduenientibus Diabolis intellexit sibi decedendum: itaq; peccata confessus, iussit se post mortẽ membratim concidi. Hæc testantur cuncti vetustiores, Sigebertus, Antoninus, Hermannus Contractus ex editione Vrstisij, Krantzius in Metropoli, Fasciculus temporum, Gobelinus, Persona, & alij.

XV. Nihilominus ausi sunt recentiores cornicum oculos configere. Primus Onufrius in additionibus ad Platinam, summam in Philosophia & Mathematicis doctrinam ei vitio datam conqueritur: eius se librum vidisse Geometriæ artis. Ammonium, Guillelmum Bibliothecarium, & vetustissimum quendam librum regni Siciliæ testati, fuisse insignem Philosophum, & Mathematicum, ex Floriacensi Cœnobio monachum, Genebrardus rem ponit in medio, vtraq; recitata sententia. Raphael Volaterranus Comment. vrban. lib. 22. mitissimè tantum notat dæmonem malum, ab eo fuisse consultum de vitæ longitudine. Sed Blondus decadis secundæ lib. 3. ausus erat asserere nullum fuisse Scriptorem, qui non assereret hunc Pontificem literis moribusq; fuisse ornatissimum. Sic Papistæ plus minusve genio indulgent.

XVI. At quis nescit sub Philosophiæ nomine sua scelera occultare omnes istos occultiorum scientiarũ amatores? Quasi nostra ætate non fuerint, Cardanus, Agrippa, & Nostradamus. Imo eam ob caussam olim Christianis Mathematici odio erant: Narrat enim Socr. lib. 2. c. 6. Eusebio Emisseno obiectum fuisse, quod disciplinam Mathematicam exercuisset. De Guillelmo, & libro Siciliæ testibus ab Onufrio laudatis, vt ignotis nihil dicam. Ammoniũ legi, asserentem fuisse Monachum, sed nullo nominato cœnobio: Philosophi etiam nomine designantem: sed nihil præterea de eius laudibus agentem. Itaque nulla satis iusta caussa est contradicendi omnibus historicis.

XVII. Bonifacius 8. post fraude destitutum, relegatumq; prædecessorem Cœlestinum quintum, in tantam arrogantiam se erexit, vt dominũ se diceret totius mundi tam in spiritualibus, quam temporalibus. Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis terrorem potius, quam religionem iniicere satagebat: dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi conabatur: aurum vndique conquisitum, plus quam dici potest, sitiebat. Denique clero & populis superbe, & contumeliose præfuit. Iubileũ instituens, primo die ostentauit se inditum Pontificalibus; altero vero imperatoriis, & regiis ornamentis. Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis. Ipse Papyrius Masso, alias indulgentissimus in hoc hominum genus, testatur eũ Pontificia autoritate in perniciẽ Christianorum abusum esse.

XVIII. Possum alios nominare: vt Benedictum decimum tertium, quem neque pondus, neq; mensuram in Ecclesia Ecclesiæq; subiectis seruare; olim seuerissime conquerebatur Carolus sextus Galliæ rex, edicto in eam rem publicato ad annum Domini millesimum quadringentesimum sextum. Sed mihi vltimus esto Alexander sextus: qui in Cardinalium discidio electus, illud probauit verum antiquum dictum ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς. Quanquam vix electum dico, qui præsenti pecunia Papatum mercatus sit: neque id clam, sed omnibus conscijs. Vir obscœnis moribus: in quo nihil sincerum, nullus pudor, nulla veritas, nulla fides, nulla religio: imo inexplebilis auaritia: omnes modestiæ fines excedens ambitio, cruldelitas plus quam barbara, perfidia plus quam punica. His enim eum coloribus pingit nobilis historicus Guicciardinus, hist. lib. 1. sed & Onufrius in eius vita.

XIX. Quid incestum dicam, an taceam? quale vix vnquam auditum inter Ethnicos.

Lucretia nomine, sed re
Thais: Pontificis filia, nupta, nurus.

Acute & Satyrice Sannazarius egregius poeta,

Ergo te semper cupiet Lucretia, Sextus?
O fatum diri nominis! Hic pater est.

Alludens ad Sextum Tarquinium Superbi filium violatorem Lucretiæ illius priscæ, & Alexandrum Sextum, in propria nata insanientem. Seuerius idem in Epitaphio,

Orbem rapinis, fero, & igne funditus
Vastauit, hausit, eruit.
Humana iura, nec minus cœlestia,
Ipsosque sustulit Deos.
Vt scilicet liceret (heu scelus) patri
Natæ sinum permingere.
Nec exsecrandis abstinere nuptiis
Timore sublato semel.
I nunc, Nerones, vel Caligulas nomina
Turpes vel Heliogabalos.

XX. Hæc sunt Vaticana numina: hæc religionis Romanæ columina: hæc Ecclesiæ Papisticæ fundamenta. Imo vero hi Controuersiarum omnium iudices: hi denique Fidei Canones. Proh Dei atque hominum fidem! adeone esse dementatos homines, vt id serio credant? ὢ τῆς ἐνεργείας! ὢ τῆς πλάνης!

XXI. Existimo vero responsuros, non obstare has morum sordes sinceritati Fidei. Sed hoc non potest non esse friuolum. Non enim agimus de sinceritate Fidei, id est, doctrinæ Christianæ in seipsa consideratæ: nam quis neget Deum esse veracem etiamsi omnis homo sit mendax? Sed agimus de eorum sinceritate, qui eam Fidem docent. Regula autem suam omnem autoritatem amittit, si vel tantillum deuiarit à recto.

XXII. Vnde Augustinus, ne officiosum quidem mendacium admitti voluit in Scripturam Sanctam. Cum enim Hieronymus ita exponeret locum illum Epistolæ ad Galatas, vbi se Paulus dicit restitisse Petro in faciem, quia esset condemnandus, vt assereret composito Paulum finxisse, nõ quod sic se res haberet, sed quod hoc officioso mendacio, crederet suum institutum promouendum: Augustinus valde repugnans: *Mihi videtur* (inquit) *exitiosissime credi aliquod in libris Sanctis esse mendacium. Admisso enim semel in tantum autoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non vtcunque videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad Fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis autoris consilium officiumque referatur.* Et rursus, *Cognoscis fluctuare autoritatem Scripturarum diuinarum, vt in eis, quod vult quisque credat, si semel fuerit persuasum, aliqua illos viros, per quos nobis hæc ministrata sunt in Scripturis suis officiose potuisse mentiri.* Hæc Augustinus Epistola octaua.

XXIII. Et tamen officiosum mendacium in moribus erat, non in Fide, siue doctrina. Patet ergo mentem Augustini hanc esse, Regulam Fidei non posse autoritatem suam retinere, si in ea reperitur error aliquis, non tantum contra Fidem, sed etiam contra bonos mores. Quare cũ Romani Pontifices à nobis enumerati non alicuius officiosi mẽdacij, sed immanium scelerum rei sint, quamuis probarentur nihil hæreticum credidisse, tamen esse non possunt regula Fidei. Nisi fortè aliquis adeo sit ineptus, vt dicat regulam posse sua autoritate carere.

CAP. VII.

An Episcopi Romani sint ἀμετακίνητοι.

I. Omnis regula Fidei est ἀμετακίνητος. At Episcopi Romani non sunt ἀμετακίνητοι: Ergo non sunt regula Fidei. Maior est extra Controuersiam: est enim naturali luce cognitum, omnem regulam in suo semper statu debere perseuerare: cum alias nihil futurum sit certo constitutum: nihil in Fide ratum fixumque. Restat ergo probanda minor: quod fit variis exemplis, vnde patet, vel metu, vel spe, vel ambitione, vel auaritia, vel odio, vel alijs passionibus varie agitatos fuisse Romanos Pontifices, æque ac cæteros homines, & quidem in rebus quæ ad Fidem pertinent.

II. Primus occurrit Marcellinus, quem Ethnico ritu Dęmoniis sacrificasse certum est, siue auro proposito persuasum: siue metu suppliciorum coactum. Quod confessus est ipse in Synodo Synuessana centum octoginta Episcoporum: vbi etiam vel sponte vel coactus deposuit Pontificatũ. Sed Bellarminus negat hunc quicquam docuisse contra Fidem. Esto, (inquam). Sed quantum ab eo abfuit? Aut quis propterea neget concussum fuisse? Aut quis securus sit, non progressuros vlterius alios, si vel similes, vel maiores intententur cruciatus?

III. Dixi esse certum de Marcellino: nec negabat Bellarminus; scribendo Controuersias. Verum idem recognoscendo; *Non videtur* (inquit) *id esse omnino certum.* Cur autem? Nempe, quia Augustinus libro de vnico baptism. c. 16. scribat, id obiectum fuisse à Donatistis, sed minime probatum: addatque Marcellinum innocentem fuisse. Item, quia nec Eusebius, neque alij veteres eius rei meminerint: Imo Theodoretus laudet Marcellinum, qui sese in persecutione præclarissime gesserit.

IV. Imo aut hoc certum est, aut apud Papistas nihil certi. Testes. Primo Synodus Sinuessana; quæ extat tom. I. Conciliorum; & teste Baronio, in antiqua collectione Cresconij. Deinde Latinorum quotquot scripsere vitas Pontificum Romanorum. Anastasius, *Quo tempore fuit persecutio magna, vt intra triginta dies, septemdecim millia hominum promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronarentur Christiani. De qua re, & ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, vt thurificaret: quod & fecit:* Luitprandus, *Tunc & ipse Marcellinus compulsus dæmonibus sacrificauit.* Item Albo; mutuatus etiam vocabula Anastasij. Platina, *Marcellinus Pontifex, ad sacrificia gentium ductus, cũ minis instarent carnifices, vt thura diis exhiberet, metu perterritus, Deos alienos adorauit.* Papirius Masso; & quidem zelo quodam Papistico quasi in ecstasim raptus, *Quid te Marcelline, accusant ij, qui abigei appellantur, & reum faciunt maiestatis diuinæ?* Ex quibus verbis agnosce virum gloriæ Pontificum adeo fauentem, vt huic aliquid obiici criminis ægrè ferret. Quid ergo? Negatne factum? Imo, *Metu quidem perterritus, non quouis, sed qui in constantem virum cadere potuisset* (at non in regulam Fidei inquam ego) *inter carnifices positus multitudinem Deorum adorasti.* Quid Chronica dicam, Mariani Scoti, Marini Poloni, & recentiorum? Baronius ipse, etsi nonnullo contradicendi desiderio titillatus; tamen testatur anno 302. n. 95. hæc huius immolationis acta extare veneranda antiquitate adeo signata, & veteribus testata monumentis, ac tabulis Ecclesiasticis consignata, plurimorumq; testificationibus confirmata, vt ab his desciscere stultum, & tot testibus obniti temerarium existimari possit: & in 2. editione Annalium, anno sequenti; ex professo impugnat argumenta, quibus labefactari videbantur Synodi Sinuessanæ acta, vt multum interesse necesse fuerit inter huius Cardinalis, & Bellarmini Cardinalis διὰ τέτορας φροντίδας. Nam ille se fatetur primo inclinasse in partem eorum qui eiusmodi actis auctoritatem labefactarẽt: sed postea veritatis amore mutasse. Hic autem quum primo factum concederet, secundo putauit consultius negare, an etiam veritatis amore?

V. Iam vero quæ habet argumenta, sunt non satis grauia. Primo de Marcellino apud Theodoretũ in historia, miror si quicquam legerit: quod ego nõ potuerim inuenire. Sed qui potest? cum Theodoretus historiam suã inchoet non nisi ab Ario, multis annis post Marcellinum? De Eusebio, aut omnino Græcis nihil mirũ; qui Marcellum nullum nominantes, Marcellino sunt cõtenti: sine dubio hunc putantes illum esse. Graue nomen Augustini: sed in testimonio pondus nullum. Non. n. innocentem pronunciat, quasi re bene perspecta cognitaq;: sed tantum deficientibus aduersariorum probationibus. Ipse loquatur, *Marcellinus, & presbyteri eius, Melchiades, Marcellus, & Syluester traditionis codicum diuinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur.* Hæc accusatio est: audi purgationem. *Sed numquid ideo ẽt conuincuntur, aut conuicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si vlla humanitas in rebus humanis, puto nos iustius posse reprehẽdi, si ignotos homines quos criminantur inimici, nec eorum crimen vlla testificatione demonstrant, nocentes potius, quam innocentes crediderimus. Quia si forte se aliter veritas habet, ipsi certe humanitati debitum redditur: quum homo de homine nihil mali temere suspicatur.* En tibi testimoniũ: dignũ scilicet, quod Bellarmino mentẽ verterit.

VI. Secundum exemplum est illustre, Liberii, cuius primo actu mira fuit aduersus Arianos constantia; prout describitur à Theodoreto in historia Ecclesiastica, lib. 2. c. 16. quem iam minis, iam pollicitationibus, frustra tamen Imperator sollicitabat, vt subscriberet Athanasij condemnationi. Et Theodoretus quidem dignum iudicauit & merito eius cum Imperatore dialogũ, quem ad verbum transcriberet, hoc præfixo elogio: ἐγὼ Λιβερίου τοῦ πανευφήμου τὴν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας παρρησίαν καὶ τοὺς ἀξιαγάστους λόγους οἷς ἐχρήσατο πρὸς Κωνστάντιον ἐνθεῖναι βούλομαι τῇ συγγραφῇ. ἀναγέγραπται γὰρ παρὰ τῶν τηνικαῦτα φιλοθέων γενομένων, ὡς ἱκανοὶ παραθῆξαι καὶ διεγεῖραι πρὸς ζῆλον τὸν θεῖον τοὺς ἐραστάς, *Ego Liberij celeberrimi viri in veritate asserenda libertatem, sed & sermones quauis laude dignos, quibus apud Constantium vsus est, huic operi accensere volo: sunt enim descripti à viris eo tempore Dei amantibus, vt qui sint ad acuendos excitandosque eos qui Dei amore mouentur, aptissimi.* Et sane non potest quicquam legi constantius, imo ne magnificentius quidem. Ergo abiit in exilium: constitutusque est in eius locum Felix.

VII. Iam vero miremur, imo doleamus humani sortem ingenij. Magnus ille vir, tandem vel tædio fractus exilij, vel inuidia in Felicem motus; suique ipsius oblitus; consensit hæreticis, subscripsit eorum confessioni: & restituitur in pristinũ locũ. Vnde Hilarius in libro aduersus Cõstantinum, *O te miserũ, qui nescio, an virũ maiore impietate relegaueris, an remiseris!* Athanasius ad solita-

folitariam vitam agentes. Λιβέριος ἐξορισθεὶς, ὕστερον μετὰ διετῆ χρόνον ὀκλάσας, καὶ φοβηθεὶς τὸν ἀπειλούμενον θάνατον, ὑπέγραψεν. *Liberius exul, post exactum biennium inflexus est, & veritus mortis minas, subscripsit.*

VIII. Nondum disputo vtrum fuerit hæreticus: tantum dico, siue hæreticus fuerit, siue non fuerit, tamen victam eius fuisse constantiam incommodis exilii, & terrore mortis. Et hunc aliquis obtrudat pro Canone Fidei? Et hunc aliquis contendat esse summum iudicem omnium Controuersiarũ? Perierat ergo Fides Catholica. Nam ille profecto subscribens, siue ficte, siue ex animo, nihil enim interest, sententiam pro Arianis ferebat. Sed absit vt vnius homuncionis, & quidem infirmissimi, arbitrio stare credamus vel cadere veritatem Dei.

IX. Eodem tempore Fœlix Secundus, dum manebat in exilio Liberius, in sedem intruditur à Constantino Imperatore, Vrsacioque & Valente Episcopis Arianis: in cuius rei gratiam ille deinceps Arianis communicauit, imo Arianos etiam ordinauit: quod ægrè ferentes Romani Catholici eius communionem deseruerunt; quamuis alias non hæretici. Videtisne, in eo potentiorem fuisse ambitionem Pontificatusque amorem, ipso Fidei zelo: cui tamen in primis studere oportebat? Nam si quis per alium facit, per se ipsum facere videtur, satis ille Ariananam hæresim docebat, qui Episcopos consecrabat eam docentes. Itaque nihil mirum, si ab aliquibus Felix Arianus est dictus.

X. Pighius cap. 8. lib. 4. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, hunc Felicem non purgat: sed negat numerandum in Romanorum Pontificum serie. Primum enim Felicem sub Probo Imperatore fuisse, secundum sub Zenone. Hunc autem, quum Liberio in exilium acto præfuit Romanæ Ecclesiæ, quicunque adscribat Romanorum Episcoporum catalogo, hunc ignorantiam suam prodere. Sed facile apparet Pighium voluisse nodum secare, cui soluendo sese sentiret imparem. Nam contradicunt ei omnes; non tantum recentiores, Baronius, Genebrardus, Papyrius Masso: sed etiam antiquiores Pighio, quoscunque videre contigit: nec Bellarminus contradicit.

XI. Sed audiamus mirum Bellarmini acumen; quo impense delectatus est Episcopus Claromontanus Rupefocaldus: vterque quasi cum pueri clamitant in faba se reperisse, ἕρμαιον. nescio quod Romanæ sedi in primis honorificum. Nimirum durante Liberij exilio, non fuisse Felicem verum & legitimum Pontificem; quia duo simul esse non poterant. Post biennium vero, lapso Liberio esse à clero Romano abrogatam dignitatem, & Fœlicem cœpisse esse verum Pōtificem. Nam habebatur Liberius pro Ariano, ob pacem cum Arianis. Fœlicem autem iam verum Papam, à Deo inspiratum esse, cœpisseque hæreticos persequi, quibus ante fauerat. Magnum (inquiunt) sedis priuilegium: vt quamdiu in ea Liberius fuit, firmus in Fide perstiterit: cum primum autem Felix cœpit in ea legitime sedere, eandem sit tutatus. Et rursus post Felicis obitum, Liberius sedi simul, & cōstantiæ pristinæ sit redditus.

XII. At hæc crepitacula sunt, præterea nihil. Dicite quæso; quando Liberius desierit Episcopus esse. Non opinor, antequam à Clero fuerit destitutus. Erat igitur ante destitutionem legitimus Pontifex. At destitutio facta est ob lapsum illum in hæresim. Ergo necesse est lapsum esse in hæresim tum cum legitimus erat Pontifex. Vt Marcellinus sacrificauit etiam cum adhuc esset Romanus Episcopus, qua dignitate eam ob causam priuatus est. Frustra ergo laborarunt magna illa ingenia conseruando eius sedis honori: & illis accidit quod est in Prouerbio, ἄνθρακες ὁ θησαυρός.

XIII. Secundo abrogatam Liberio dignitatem à Clero, vnde didicerunt? *Hoc* (inquit Bellarminus) *indicat Hieronymus in Chronico, cum ait permultos ex Romano Clero peierasse, & ad Felicem accessisse.* Ergo (inquam) mera coniectura, tantum hoc nititur mysterium: & quia Bellarmino placuit paucula verba in eum sensum deriuare: nobis vnum reliquum erit αὐτὸς ἔφα? At si destitutus est Liberius, oportet actionem fuisse solemnem. Hieronymus autem non ita refert, sed significat permultos, id est, proprio motu non vniuersali consilio, Clericos ad Felicem defecisse: & quidem contra iusiurandum; periuriique reos. Egregiam vero abrogationis solennitatem.

XIV. Ad hæc, quam inconsideratum nobis Clerum depingunt? Abdicant Liberium: quam ob causam? An quia erat hæreticus? Minime gentium: sed quia pacem fecerat cum hæreticis. Liberius autem quid? Nonne hoc ipsum ei vitio vertebatur? At sciebant esse Catholicum. Imo hæreseos suspectum habebant, neq; cum eo communicabant. Deinde Liberium nonne oportuit prius auditum, quam abdicatum? Sic vndiq; fabula perfluit.

XV. De Vigilio habemus Baronij siue testimonium, siue confessionem. Maxima eius temporibus controuersia erat de tribus capitibus, id est, damnatione Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ, in quam Iustinianus Imperator Edictum vulgauerat, obsistente Vigilio. Itaq; Vigilium Imperator ad se accersit & inflectit, vt sibi consentiret. *Vigilij Papæ Constantinopolim profectionem magnum intulisse Catholicæ Ecclesiæ damnum, declarant euenta: quæ & significarunt quam prudentissime egerint prædecessores Romani Pontifices, vt Sanctus Leo & alij, qui vocati sæpe ab orthodoxis, licet Imperatoribus, nunquam passi sunt ab ipsa fixa Romæ sede diuelli. Obfuisse haud modicum vsu rerum reperitur Pontificum ab Vrbe profectio ad Comitatum, quum Imperatorum siue blanditiis, siue minis, contrariis hisce ex aduerso pugnantibus ventis, exposita sæpe noscatur periculo Petri nauicula, cuius clauum immobilis sedens Romanus Pontifex tutius teneat.* Sic Baronius anno 546. Abi & Vigilium dicito regulam Ecclesiæ.

XVI. Paschalis secundus, ab Henrico quarto Imperatore, proditione captus, cum Cardinalibus; detinetur in monte Soracte loco excelso, munitissimoq; sub arcta custodia, Romaniq; interea, qui hanc ob causam irati arma sumpserant, acriter oppugnantur. Tum Papa, qui antea laicas inuestituras, vt vocabant, constanter denegarat, siue fractus carceris incommodis, siue (vt ait Platina) incommodis, precibusq; ciuium motus, in Episcopatu confirmauit eos omnes quos Imperator designauerat. Imo concessit, vt à laicis Episcoporum confirmaretur electio.

XVII. Ast Iuo Carnotensis tunc nefanda quædam permissa fuisse non dubitat dicere, Epistola 235. Ioannes vero Lugdunensis Archiepiscopus ad eundem scribens Iuonem, aut hæresim appellat, aut aliquid hæresi proximũ, *Licet* (inquit) *exteriores inuestituras per laicos factas non satis proprie hæresis nomine censeamus, sentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata hæresis est.*

XVIII. Sed frustra testes conuoco, cum habeam confitentem reum. Ipse enim Paschalis in Concilio factum suum damnauit; vt prolixe refert Krantzius Saxoniæ lib. 5. c. 38. In eo igitur Concilio varia fuerunt iudicia. Bruno Signinus Episcopus dixit, *Gratias Altissimo Deo, quod Papam audiuimus proprio ore damnantem priuilegium, quod prauitatem, & hæresin continebat.* Ioannes Caietanus moleste ferens hæreseos Pontificem accusari, dixit, *Scriptum illud non rectum erat, sed hæreticum non fuit.* Tandem Paschalis cum sedis suæ firmitatem laudasset, *Ego* (inquit) *priuilegium quod in tentoriis à nobis extortum est, quia Papæ Gregorij septimi sciis contradicit, dum omnem ille inuestiturā Ecclesiarum de laica manu interdicit, ego quoque condemno.*

XIX. En tibi igitur Pontifices non suæ potestatis: en tibi coactos sua autoritate comprobare, imo vero actis publicis confirmare, quod postea condemnent, & retractent. Quod sit vel contra Fidem, id est, hæreticum, vt nōnulli putabant, vel certe nefandum, & contra bonos mores. Et hos esse regulam, Canonem, normam Veritatis, id est credendorum, faciendorumque?

XX. Benedictus duodecimus legatis Ludouici Bauari Imperatoris postulantis absolutionem ab excommunicatione, respondit fauere se Ludouico: & quasi flens conquestus est, non posse absoluere Imperatorem, metu regis Franciæ, Bonifacij exemplo territum. Postmodum vero concordia inita inter Ludouicum & Regem, quum Imperator rursus postularet reconciliationem fauente eodem Rege, respondit Papa, *Nunquid Ludouicum ad arbitriū Regis Franciæ, nunc hæreticum, nunc Christianissimum habere deberet.* Et quidem dilata absolutio est, Benedicto ad nutum Regis simulante se id nolle, quod volebat. Vide Paralipomena ad Vrspergensem.

XXI. Non omittam Paulum tertium, non ita pridem patrum nostrorum memoria, sedem Romanam obtinentem. Henricus Rex Angliæ dissolui postulabat matrimonium à se contractum cum Catharina Austriaca; cuius studij quæcunq; tandem caussa fuerit, siue nouus ardor in Annam Boleniam: siue quod prætendebatur incestum, nihil ad rem. Controuersia defertur ad Episcopum Romanum Clementem 7. qui *obstrictus officio* (inquit Iouius lib. 35.) *neque Henricum, neque Cæsarem offendere destinarat.* Hoc mortuo ad Paulum lis delata, hunc habuit exitum; vt in gratiam Cæsaris Henricus Catharinam perinique atq; impie repudiasse diceretur. Ita constat Pontificem non sincere, sed vel gratiæ, vel odij præiudicio ius dicere. Eat nunc aliquis, atque eis suam salutem committat.

XXII. His ipsis diebus excitata est Tragœdia Veneta, insigne huius rei documentum. Excommunicat Venetos Paulus quintus ob quædam capita, in quibus derogari ab eo Senatu iuri Ecclesiastico contendebat: & scriptis libris Baronius, Bellarminus, aliiq; eius excommunicationis causam disputant acerrime. Magnis inde animis classicum canitur: arma expediuntur vndiq;. Galli, Hispaniq; iam parant se: multis magnisque boni illius Christianorum Patris orationibus exciti. Diceres extrema quæq; experturum Pontificem, potius quam de suo iure cederet, vel tantillum. Quid fit? nascitur ridiculus mus. Tandem enim pax sancitur: atque ea ipsa capita, tam noxia scilicet, Ecclesiasticæ iurisdictioni Venetis permittuntur. Et Paulus quintus norma Ecclesiæ? Is qui aut tam inconsiderate litem mouit: aut tam fœdè iura Ecclesiæ contemni postea passus est?

XXIII. Nam quod solent dicere, errare posse Pontificem in facto; at non in iure, ridicula est euasio. Primo, quia regulam oportet, aut ad factum non deuenire; id enim officium est iudicis, & eius qui τὰ καθ' ἕκαστα discernit: aut ne in facto quidem errare. Nam, quum hæ quæstiones, & longe plures sint, nec minus animæ noxiæ, quænam esse potest conscientiæ tranquillitas iis, qui se, suamque conscientiam Pontificum arbitrio committunt, & quidem absque prouocatione? Deinde meminerint Iesuitæ se Scripturam hoc argumento oppugnasse, quod de singularibus non iudicet. Cur nos non æque Pontificem, quia de singularibus bene non iudicet? Tertio, videant, vtrum Venetæ Controuersiæ de facto fuerint, an potius de iure. Imo & illa de Imperatore excommunicando & absoluendo.

CAP. VIII.

An Episcopi Romani confirmarint hæresim.

I. NVlla regula fidei potest docere aut confirmare hæresim. At Romani Pontifices docuerunt aut confirmarunt hæreses. Ergo Romani Pontifices non sunt regula fidei. Maior per se patet. Minor probatur, tum rationibus & auctoritatibus; tum exemplis Eleutheri, Liberij, Anastasij secundi, Honorii, Ioannis 22. de quibus prolixior erit disputatio, ob aduersariorum strophas, sua Ecclesiæ capita quouis modo purgare conantium.

II. Primo igitur doceo Romanos Pontifices posse in hæresim incidere, tribus argumentis. Vnũ est ex Nilo de primatu Papæ Romani lib. 2. Δουλεύεται ὁ Πάπας ψεύδους, φιλοχρηματίας; κενῆς δόξης καὶ τῶν ἄλλων ἀπειρημένων ἥττων ἐφθῆναι, ἢ καὶ τούτων αἴτιος, εἰ μὲν δὴ κἀκείνων κρείττων, εἰπάτωσαν, εἰ δὲ οὐδὲν λέγειν ἐστί. σφάλλεται γὰρ κἀκεῖνος πολλὰ περὶ τὴν συνείδησιν, ἄνθρωπος ὢν (δῆλον) ὡς περὶ ταῦτα ἁμαρτάνων, ἐνδέχεται καὶ περὶ τὴν πίστιν ναυάγιον ὑποστῆναι. Argumenti vis hæc est: Si Papa potest obnoxius esse mendacio, auaritiæ, superbiæ, reliquisque peccatis: Ergo & hæresi. Probatur antecedens ipsa aduersariorum confessione, qui id nunquam negare ausint. Probatur etiam experientia, cuius exempla tristissima aliquot enumerauimus c. 6.

III. Consequentia vero probatur. τοῦτο ὁ μακάριος φησὶ Παῦλος Τιμοθέῳ γράφων, ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν, ἥν τινες ἀπωσάμενοι, καὶ περὶ πίστιν ἐναυάγησαν. ὁρᾷς ὡς τὸν περὶ συνείδησιν οὐχ ὑγιαίνοντα ἐνδέχεται καὶ περὶ τὴν πίστιν ἀσθενῆσαι; Quicunque repellunt bonam conscientiam, ij possunt excidere à fide. At Romani Episcopi repellunt bonam conscientiam. Ergo possunt à fide excidere.

IV. Rursus probatur ex 1. c. ad Titum. Αὐτὸ δὲ περὶ τὴν συνείδησιν ἁμαρτάνειν, οὐκ εἶδος ἀθείας ἐστίν, Θεὸν γὰρ, φησὶν ὁ Παῦλος, τοῖς μὲν λόγοις ὁμολογοῦσιν, τοῖς δὲ ἔργοις ἀρνοῦνται. πῶς οὖν ἔργοις μὲν ἐνδέχεται τὸν Πάπαν ἀρνεῖσθαι Θεὸν, λόγοις δὲ οὐδαμῶς; Quicunque factis Deum abnegat, is etiam verbis potest eum abnegare. At Papæ factis Deum abnegant: vt paulo ante nobis Sannazarius de Alexandro Sexto,

Humana iura, nec minus cœlestia,
Ipsosque sustulit Deos.

Ergo verbis etiam Pontifices Romani Deum possunt abnegare; incidereque in hæresim.

V. Bellarminus negat consequentiam. & ad primum argumentũ fatetur

inde

inde recte colligi Papam posse ex natura sua incidere in hæresim: non tamen posit singulari Dei assistentia, quam Christus oratione sua illi impetrauit. Sed petit principium, supponens assistentiam illam singularem, quam Papæ nunquam Deus promisit: qua de re actum est paulo ante. Et si promisisset, tū illa tam pertineret ad hæc scelera, quam ad ipsam professionem fidei.

VI. Chrysost. homil. 5. in 1. ad Tim. ὅταν ἡ βίος ἀπεγνωσμένος, καὶ δόγμα τίκτεται τοιοῦτον. καὶ ἔστιν ἰδεῖν πολλοὺς ἐκ τούτου καταπεσόντας εἰς βάθος κακῶν, καὶ εἰς ἑλληνισμὸν ἐκτραπέντας. ἵνα γὰρ μὴ τῷ φόβῳ τῶν μελλόντων βασανίζωνται, πειρῶνται πείθειν τὴν ψυχὴν, ὅτι ψευδῆ πάντα τὰ παρ᾽ ἡμῖν. *Cū vita est desperata, dogma ēt simile efficitur. Ac videas plurimos in profundū malorū præcipites iuisse, diuertisseq́ ad Ethnicismū. Ne enim metu futurorum crucientur, persuadere sibi conantur, falsa esse nostra omnia.* Thomas de Vio: *Male applicando scientiam incurritur error in fide, & sic paulatim perditur fides.* Hilarius in Fragmentis, *Hoc ita sæpe est, vt cum incrementa vitiorum detrimenta in amore Dei fecerunt, versanum deprauatæ scientiæ studium increscat.*

VII. Ad secundam probationem, negat Apostolum eo loco intelligere quælibet mala opera; sed tantum quæ procedunt ab infidelitate, quia loquatur de Iudæis non sincere conuersis ad fidem. At talia opera Papā nec facere, nec facere posse. Sed fallitur: nā Apostolus loquitur generalius, *Factis negant* (inquit,) *quū sint abominandi, & rebelles, & ad omne opus bonū reprobi.* Quasi diceret: Quicunque abominandus est & rebellis, & ad omne opus bonum reprobus, is factis negat Deum. Cui nos maiori addimus assumptionem nostram: At Pontifices quidam abominandi sunt, & rebelles, & ad omne opus bonum reprobi. Ergo factis negant Deum.

VIII. Non esse vero tantum de factis quæ procedunt ab infidelitate, verum, probatur ex non dissimili loco, 1. ad Timoth. 5. *Si quis suis & maxime domesticis non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior.* Hic enim excipi iam non potest, agi de Iudæis non sincere conuersis. Fides enim Iudæorum non docebat suos negligere. Itaque sensus est, eum, qui malis operibus studet, etiamsi alias profiteatur Christum; re vera tamen esse infidelem. Cum ergo illud de non paucis Pontificibus dici possit, hoc cur negetur, nulla est ratio: sed mera pertinacia.

IX. Secundum argumentum: Quicunque deponi potest, cum est à fide deuius, idem non dicendus est infallibilis. At Papa deponi potest, cum est à fide deuius. Ergo non dicendus est in fide infallibilis. Antecedens patet ex multis locis variorum auctorum, qui cum de auctoritate Romani Episcopi loquuntur, excipiunt hunc (vt vulgo loquūtur) casum, si inciderit in hæresim: quod frustra, imo inepte facerent, si certum esset nunquam labi posse in hæresim. Neque enim solet casus poni impossibilis, nisi ab iis forte qui carent sensu communi.

X. Augustinus ad Generosum epist. 165. post enumeratam Pontificum Romanorum seriem, *In illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis.* Disertus est etiam canon Si Papa, in Decretis Gratiani distin. 40. qui etsi Papæ impudentissime aduletur, tamen non potuit hunc casum non excipere, *Huius* (inquit) *culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicadus: nisi deprehendatur à fide deuius.* Nec Bellarminus negat multis canonibus idem statui.

XI. Post hos canones ea tritissima erat Papistarum sententia, vt docet Ioannes de Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 2. c. 93. ipse non aliter sentiens, *Eandem* (inquit) *sententiam sequuntur alij clarissimi & præcipue in Theologica facultate magistri.* Tum nominantur Albertus, Thomas, Alexander de Ales, Bonauentura, Petrus de Tarentasia, Innocentius quintus, Vlricus, Richardus de Altavilla, Petrus de Palude, Herueus, Augustinus de Anchona, Alexander de Alpidio. *Qui omnes* (inquit) *apertissime tradunt & attestantur Romanum Pontificem verum & indubitatum, extra casum hæresis stricte sumptæ, nullum in terris iudicem habere superiorem.*

XII. Bellarminus respondet dupliciter. Primo, istos omnes loqui de errore Pontificis personali, non iudiciali. Nam Pontifex si possit esse hæreticus, solum erit, negando aliquam veritatem antea definitam: non autem potest esse hæreticus, dum ipse aliquid noui definit: tunc enim non sentit contra aliquid definitum ab Ecclesia. Illi autem loquuntur expresse de hæresi. igitur non loquuntur de errore iudiciali, sed personali.

XIII. Secundo, negat illos velle dicere, Pontificem etiam vt priuatam personam posse errare; sed tantum non posse Pontificem iudicari: Quia tamē non est omnino certum, an possit necne esse hęreticus: ideo ad maiorem cautelam, addunt conditionem, nisi sit hæreticus.

XIV. Sed prior responsio valde est absurda. Primum ad Controuersiam præsentem non interest inter errorem personalem, & iudicialem: Nam mendacium illud officiosum, à quo tantopere horrebat Augustinus, non erat error iudicialis; non enim definiebat aliquid; sed narrabat tantum. Ergo erat personalis. Et tamen negabat Augustinus suam Scripturæ constare posse auctoritatem in definiendis Controuersiis, si illud ipsum admitteretur mendacium. Similiter & nos Episcopum Romanum: si concedatur esse posse hæreticum, vt particularis est persona, negamus satis habere auctoritatis, vt sit regula fidei.

XV. Secundo nego illos siue Canones, siue auctores distinguere errorem personalem à iudiciali; & hanc non distinctionem sed distractionem importune à Iesuita excogitatam dico. Nam etiam Ioo Carnotensis, cum excusaret Paschalem secundum; ita loquitur epistola ducentesima trigesima quinta; interpretando dictum Christi de Scribis & Pharisæis, sedentibus in Cathedra Mosis, *Vult enim hæc sententia, præcepta præsidentium ad Cathedram pertinentia obedienter impleri, etiamsi tales sint, quales erant Pharisæi: non eos factiosa conspiratione à suis sedibus remoueri, Si vero ea præcipiant, quæ sint contra doctrinam Euangeli am vel Apostolicam, ibi non esse eis obediendum exemplo docemur Pauli Apostoli.* Vtroque enim membro præceptorum meminit.

XVI. Est autem inepta ad hanc fulciendam distinctionem ratio; quam sic in formam redigo: Omnis Pontifex hæreticus negat aliquam veritatem antea definitam. At nullus Pontifex aliquid noui definiens, aliquam negat veritatem antea definitam. Ergo nullus Pontifex aliquid noui definiens, est hæreticus. Deinde: At hi canones loquūtur de Pontifice hæretico. Ergo non loquuntur de Pontifice aliquid noui definiente. Ideoque nec de eius errore iudiciali. Hæc vero scatent ineptijs, vt serio mirer adeo sui Bellarminum potuisse obliuisci.

XVII. Primo, si hæ veræ sunt conclusiones, oportet nihil esse iudiciale nisi cum noui aliquid definitur. At hoc est falsissimum. Iudiciale enim dicitur non habita ratione eius rei quæ definitur, sed rationis secundum quam definitur. Nam si præcipitanter, nec re cognita, aut absque legitima auctoritate; proceditur, tum nihil fit iudiciale: sin autem leges seruentur, non potest negari esse decretum aliquod iudiciale. Alias, quotiescunque de eadem re secundo vel tertio habetur cognitio, nihil esset iudiciale. Quod tamen, contra est: nam tū in Conciliis: tū à Decretalibus infiniti canones leguntur similes.

XVIII. Exempli gratia. Synodus Nicæna cum ordinem sanciret, sedium Patriarchalium; nihil noui se decernere testatur. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. *Antiqua* (inquit) *consuetudines obtineant,* canon. 6. Et Trullensis c. 36. Ἀνανεοῦντες τὰ παρὰ τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ θεοφυλάκτῳ ταύτῃ καὶ βασιλίδι πόλει συνελθόντων, καὶ τῶν ἑξακοσίων τριάκοντα τῶν ἐν Καλχηδόνι συναθροισθέντων νομοθετηθέντα, ὁρίζομεν, *Renouantes ea quæ constituta fuerant à centum quinquaginta patribus sanctis in hanc regiam vrbem coactis, & à sexcetis triginta Chalcedone congregatis, definimus.* Erat tamen vtraque definitio iudicialis. Ergo aliquid est iudiciale, quo nihil noui definitur.

XIX. Secundo negatur assumptio. Nam quoties definitur vt aliquid credatur, quod antea nunquam fuit creditum in Ecclesia, tum vere aliquid noui definitur. Quod si nihil noui definitum impugnaret aliquam veritatem olim definitam: tum sequeretur nihil posse definiri credendum, quod nunquam antea sit creditum, quod impugnet aliquam veritatem olim definitā. Et sic excusarentur omnes hæretici. Exempli gratia, ante Arium, nunquam definitum fuerat Filium esse minorem Patre: & tamen cum primum definitū est, impugnauit sine dubio antiquam veritatem; quæ docet Filium esse in diuinis æqualē Patri. Quinetiā omnibus hæreticis semper obiecta fuit nouitas.

XX. In secunda responsione, primum illud accipio, quod dat, nondum satis constare, aut certum esse, Episcopum Romanum non posse esse hæreticum. Vnde necessario concluditur non esse regulam Fidei: Nam si (vt diximus initio) hæreticus est vt homo; certè non poterit orthodoxus esse vt Pontifex: alias ita excusarentur omnes Episcopi, non est enim magis in Romano distinctum aut separatum officium à priuata persona, quam in alio quolibet.

XXI. Secundo falsum est eos non credidisse Episcopum Romanum, vt ptiuatam personam, in hæresim cadere posse. Nam fieri non potest, vt sit hæreticus qnatenus Episcopus, quin sit hæreticus quatenus homo. At illi agnouerunt esse posse hæreticū quatenus Episcopus est, hoc est fungens suo munere, vt in præcedenti responsione obseruatum est. Ergo illud etiā agnouerūt.

XXII. Et confirmatur primum ex Ioanne de Turrecremata: qui in summa de Ecclesia lib. 4. p. 2. c. 18. & seq. hunc casum coniuncte tractat tam de Episcopo Romano, quam de alijs Episcopis. *Duximus hic disputandū, an prælatus Ecclesiasticus siue sit Papa, siue quicunque alius inferior prælatus, factus hæreticus pertinax sic ipso facto, iure & potestate prælationis priuatus.* Et concludit affirmatiuè. Cum igitur eodem sensu disputauerit de vtroque, & verè crediderit minores quos appellat prælatos incidere posse in hæresim: profecto necesse est eum credidisse hoc ipsum de Papa.

XXIII. Tertium argumentum, est ex autoritate non paucorum qui Episcopum Romanum hæreticum esse posse diserte pronunciauerunt, quia tamen omnes Papistæ fuerunt. Lyranus in 16. Matthæi, *Multi Principes, & summi Pontifices, & alij inferiores inuenti sunt apostatasse à Fide.* Carthusianus in festo Sancti Hilarij, *Nec verba Hieronymi possunt sic sumi, quod omnes summi Pontifices fuerunt, & erant* (lego erunt) *verè Catholici, quia huius oppositum in multis legitur locis.*

XXIV. Æneas Syluius de Gestis Basiliensis Concilij lib. 1. *De Romanis Pontificibus liceret exempla admodum multa referre si tempus sineret, quoniam aut hæretici, aut aliis imbuti vitiis sunt reperti. Nec nos fugit Marcellinum iussu Cæsareo, idolis thurificasse: alium vero, quod maius & horribilius est, Diabolica fraude Roman. Pontificatum ascendisse.* Cusanus Concord. lib. 1. c. 14. *Tā in successione directa in linea recta Pontificum Romanorum quam collateralium, certi Pontifices in hæresim ceciderunt.*

XXV. Adrianus Florentius, in ordine Episcoporum Romanorum eius nominis sextus, de Sacramento Confirmationis art. 3. ad finem. *Dico, quod si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput eius, puta Pontifex, certum est quod possit errare, etiam in iis quæ tangunt Fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo: plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Iacobus Almain de autoritate Eccles. c. 10. *Papa potest errare, errore iudiciali, de errore personali omnibus notum est.* Atque hanc propositionem prolixe probat.

XXVI. Alphonsus de Castro contra hæreses lib. 1. c. 2. *Papa in Fide errare potest, vt melius sentientes tenent etiam ex his qui Papatui plurimum fauent: inter quos est Innocentius eius nominis quartus Pontifex in capitulo primo de summa Trinitate.* Idem c. 4. *Omnis homo errare potest in Fide, etiamsi Papa sit.* Et paulo post, *Quod autem alij di unt, qui errauerit in Fide obstinante, iam non esse Papam, ac per hoc affirmant Papam non posse esse hæreticum, est in re seria verbis velle iocari. Ad hunc enim modum quis posset citra impudentiam asserere, nullum fidelem posse in Fide errare: nam cum hæreticus fuerit, iam desinet esse fidelis.* Et iterum, *Non credo aliquem esse adeo impudentem Papæ assentatorem, vt ei tribuere hoc velit, vt nec errare, aut interpretatione Sacrarum literarum allucinari possit. Nam cum constet plures eorum adeo illiteratos esse, vt Grammaticam penitus ignorent, qui fit vt sacras literas interpretari possint?*

XXVII. Carranza Controuersia quatta tractans quæstionem de Autoritate Concilij supra Papam; cum negaret vllum esse criminis casum, in quo Ecclesiæ vniuersalis pastor iudicari, aut deponi possit ab vllo Episcoporum Concilio, *Casum tamen* (inquit) *hæresis omnes excipiunt.* Et post, *Quod autem Papa hæreticus esse posit, nemo est qui ambigat.* Deinde, postquam prolixe tractasset eorum sententiam & argumenta, qui contra asserunt esse non posse hæreticum, tandem, *Hæc solutio non inuoluitur tantis difficultatibus, atq́ aliæ præcedentes: sed vtinam tam vera esset, quam est facilis & pia. Non ausim affirmare, nec est vero simile nullum Episcopum aliquem Romanum Fide errasse.* Canus l. 6. c. vlt. *Non est negandum, quin summus Pontifex hæreticus esse posit, cuius rei exemplum vnum item & alterum forsitan proferetur.* Driedo de dogmatib. lib. 4. c. 3. *Quamuis propter promissiones Saluatoris sit firma fide credendum, Petrum non defecisse finaliter à fide, hoc tamen non oportet sic credere de successorib. Petri, qui neq́ in fide sunt confirmati, vt Petrus, neq́ tales habuerunt promissiones à Christo, qui dixit, Sedebitis super sedes duodecim. Neq́ videtur vlla esse Scriptura, qua cogamur credere vniuersalis Ecclesiæ Pontificem nō fieri vnquā hæreticū.*

CAP.

CAP. IX.

De Eleutherio Papa.

I. VEnio ad exempla: id est, ad experientiam; quam vulgo magistram dicunt stultorum: vt Papistas oporteat esse etiam intra stultos, qui ne certis quidem euentibus admoneri possint suos Papas esse homines. Quemadmodum autem Bellarminus lib. 4. de Pontifice c. 3. probat cæteras sedes Patriarchales defecisse: quia in eis sederint hæretici: vt Constantinopoli Macedonius, Nestorius, Sergius: Alexandriæ, Georgius, Lucius, Dioscorus, Syrus: Antiochiæ, Paulus Samosatenus, Petrus Gnaphæus, Macharius: Hierosolymis, Eutychius, Irenæus, Hilarius, Ioannes. Sic nobis eodem iure licebit Romanæ sedi obiicere, Eleutherum, Iulium, Liberium, Felicem, Anastasium, Honorium, Ioannem 22. De quibus tamen, quia repugnant aduersarii, longior erit instituenda disputatio. Scripserunt de eis Papistæ, Bellarminus lib. 4. de Pontifice, Gretserus Apologia eiusdem libri; Baronius in Annalibus variis locis, Sanderus in Monarchia, Pighius c. 8. lib. 4. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, Cotonus Institution. lib 2. c. 13.

II. Eleutherum videamus. Quanquam Bellarminus mauult Zephyrinum: sed melius iudicium Pamelij & Iunij, quanquam vter fuerit, parum interfit. Tertullianus contra Praxeam, statim initio, *Idem* Praxeas, *tunc Episcopum Romanum, agnoscentem iam Prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesiis eorum adseuerando, & præcessorum eius autoritates defendendo, coegit, & literas pacis reuocare iam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessorii. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procurauit, Prophetiã expulit, & hæresim intulit: Paracletum fugauit, & Patrem crucifixit.* Ad quæ verba Beatus Rhenanus annotauerat, *Episcopus Romanus montanizat.*

III. Bellarminus respondet; primo non esse omnino fidem habendã Tertulliano in hac parte: Ratio prima: quia esset Montanista: altera, quia paulo ante, Artemon falso iactauerat, Victorem secum sentire, teste Eusebio hist. lib. 5. c. 27. Tertia: quia nec Eusebius, nec vllus alius notauit hunc errorem in Pontifice Romano. Secundo, respondet, credibile esse Zephyrinum à Montanistis persuasum fuisse, doctrinam Montani non esse diuersam à doctrina Romanæ Ecclesiæ; & ideo voluisse eis pacem dare: non quod approbaret errorem: sed quod existimaret falso accusatos Montanistas.

IV. Sed ego multo minus fidem habendam Bellarmino qui sit Papista: & quidem adeo pertinaciter, vt omnino decreuerit nihil agnoscere, quo vel tantillum derogetur Paparum auctoritati: sitque paratus fidem negare omnibus etiam manifestissimis, antiquissimisque & locupletissimis testibus: ne Conciliis quidem cedere potius quam non singulos Papas longe vltra humanitatis sortem euehere: Montanistam fatemur fuisse Tertullianum: atque ob hãc causam maiorem illi fidem habendam hac parte: quia tanto certius scire potuit ea quæ in ea hæresi gesta fuerunt. Tum autem Tertullianus, iis viuebat temporibus: & quidem forte Romæ erat: saltem si Eleutherius is Papa fuit, non Zephyrinus: vt videre est apud Pamelium in Tertulliani vita.

V. Nam de Artemone quid dicam? Næ sui semper similis Bellarminus. Sic paulo post asseret acta Concilij sexti esse falsata: quia in quinto nonnulli quaterniones deprehensi fraudulenter inserti. Sic alius quispiam in Iesuitæ schola doctus asseret, Solem singulis mensibus Zodiacum percurrere: quia etiã Luna percurrat. Et testudines velocissimas esse; quia & lepores. Et quid non quilibet quidlibet ex quolibet? Imo vide iudicij ἀνωμαλίαν. Quum hac parte negant fidem habendam Tertulliano; tum vero hunc ipsum locum diligenter annotant, vt Papæ auctoritatem in immensum extollant. Sic enim Rhenanus annotauerat, *Attende summam Romani Pontificis auctoritatem, etiam illis temporibus, dum aliquid aut recipit aut damnat.* Et Pamelius, qui alias videtur natus ad Rhenanum traducendum: hanc annotationem omissam noluit: quæ tamen nihil habet virium: quum sit ex ignoratione eorum temporum: quibus quilibet Episcopus, potetat cuilibet pacẽ dare; nimirum admisso in communionem suam: suam, inquam, non etiam aliorum omnium: itaque pacem dare dicebatur, sui respectu. Sed ad rem redeo. Si hac in parte Tertullianus fidem non meretur, quomodo potest vtilis esse tantæ auctoritati stabiliendæ? Aut si vtilis tantæ auctoritati stabiliendæ; quomodo hac parte fidem non meretur? Nisi forte illud *non omnino*, insidiosum est; & significat, fidem habendam Tertulliano, quatenus est Romanis commodis commodus: non habendam vero, quatenus eisdem est incommodus. Egregiè. Sic puto olim non nemo dixit, τὸν ἄνθρωπον εἶναι μέτρον ἁπάντων.

VI. Ad secundum respondeo; meras esse Bellarmini coniecturas, & diuinationes: quam facile sit nobis contemnere: quam illi comminisci. Maxime cum refutentur ex ipsis Tertulliani verbis. Nam is disertè dixit, *Agnoscentem iam Prophetias*: Quid hoc est autem, nisi iam approbantem, admittentem, recipientem? Atqui si putasset Montani doctrinam consonam doctrinæ Romanæ; hæc autem non admisisset Prophetias Montani, Priscæ, & Maximillæ: tum nihil ineptius, quam dicere, eum agnoscere eas Prophetias.

VII. Instat Gretserus: illud *approbare*, non esse Tertulliani: sed esse glossema, imperitiæ vel potius odij in Pontifices. Imo hæc ipsa instantia; meræ est imperitiæ commentum; vel potius cæcæ illius obedientiæ, quam Iesuitæ Romanis Pontificibus iurarunt. Nam primo quis nescit; hanc ei verbo significationem esse? Cicero pro Milone: *Cum tota Italia facti illius gloriam libenter agnosceret.* Imo ipse de se ipso Tertullianus paulo post: *Nos quidem postea agnitio Paracleti atque defensio disiunxit à Psychicis.* Quis non videt Agnitionem pro approbatione sumi? Ergo ne idem sensus negetur cum de Romano Papa agitur, vbi illud ipsum agnitionis vocabulum vsurpatur. *Agnoscentem* (inquit) *iam Prophetias Montani.* Et post, *Et ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem.* Quanquam coniecturis nihil opus: quum ipse Tertullianus sit disertus. Non enim dixit duntaxat; agnoscentem iam Prophetias Pontificem: sed etiam Praxeam, tum cum dissuasit eam pacem, Prophetiam expulisse Roma: paracletumque fugauisse. Quomodo expulisse, fugauisse, si non iam admittebantur?

VIII. Præterea, vt demus ita imposicum Pontifici; quæ hæc malum tanta est socordia? Adeon male esse Ecclesiæ consultum; vt Regula fidei tam facile decipiatur? Et quidem in rebus tanti momenti; & quæ fidem ipsam pessundant? Non enim in eo tantum erat momẽtum; quod pax dabatur Cataphrygibus: etsi non debent facile hæretici admitti in pacem Ecclesiæ: sed longe maximum; quod Prophetiæ admittebantur: paracletus excipiebatur: id est, ipsi hæretici vna cum suis hæresibus introducebantur in Ecclesiam. Atque hæc socordia, eo indignior, quo crebrior. Nam & in Acacio postea similiter peccasse dicet Baronius Anastasium: & in Arianis Liberium Bellarminus.

IX. Imo Gretserus; Non negamus, quin Pontifex falsis relationibus in errorem circa aliquod particulare factum induci queat. Et Bellarminus addit exemplum Constantini, cui Arius confessionem obtulit tanto artificio, vt à Catholicis putaretur Catholica.

X. Esto vero ita, inquam: Et Romanis Pontificibus possit fraus fieri. Nec aliter in Zephyrino, siue Eleutherio, siue postea Anastasio, & Liberio, non minus quam in Constantino, defleamus sortem humani ingenij. Sed primo, concedendum id humanæ infirmitati: non tamen propterea huiusmodi homunciones, in quorum aures tam facile mendacia sese insinuant; constituendi sunt, Canon fidei. Nec vero Constantinus ille verè magnus eo sese vnquam iactauit titulo.

XI. Quanquam longe Constantino imprudentius sese Zephyrinus gessit. Nam idem à quo hanc habet historiã Rufinus lib. hist. 10. c. 11. negat hoc astu quicquam promouisse Arium. *Miratus quidem est Imperator,* (inquit) *& putauit vnam eandemque in ipsius & Concilii dudum gesti expositione sententiam contineri: tamen in nullo relaxat animi vigorem: sed rursus eum ad Concilii remittit examen.* Et paulo post, *Ab his quidem, qui primo cœptis eius fauentes, cum simulatione subscripserant, facile receptus est. Cum vero Alexandriã perrexisset, ibi omne eius frustratur inceptum.* Viden exitum felicem prudentissimi consilij? Sed audi apophthegma. *Quoniam quidem dolis apud ignorantes locus est: scientibus vero dolum intendere, non aliud est, quã risum mouere.* Quid ergo? moueratne risum Zephyrino Eleutherove paracletus Mõtani? Imo locum habuerant Prophetiæ. Et hunc peritum quis dicat? Et hunc Canonem Fidei quisquam asserat? In quo ille tanto peccauit grauius, quanto certius omnem illi excusationis ansam ablatam. Non enim leui rumusculo, nullaque habita cognitione Montani paracletus damnatus fuerat. Lege Pamelium in vita Tertulliani: intelliges non solum Romæ, & in Galliis Episcopos: sed etiam in Asia, sæpenumero, & multis in locis in vnum conuenientes, prophetiam illam falsam explorasse, detestabilem ostendisse, ac Montanistas communione priuasse.

CAP. X.

De Liberio Romano Episcopo.

I. LIberius cum pro veritate Catholica primum, proq; Athanasio animosissime obstitisset Arianis, ipsiq; adeo Constantio Imperatori, deportatur in exiliũ. In exilio fuit triennium, suffecto in eius locum Felice 2. qui se minus Arianum, at certè Arianis exhibuit valde amicum. Interea Liberius tũ fractus longi tædio exilij, tum victus quorundam suasionibus; consensit Imperatori: communicauit Arianis horumque subscripsit confessioni; & Romam reuersus est.

II. Hieronymus in Catalogo in Fortunatiano; *Fortunatianus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ vrbis Episcopum, profide ad exilium pergentem primus solicitauit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* In Chronico, *Liberius tædio victus exilij, & in hæreticam prauitatem subscribens Romam quasi victor intrauit.* Gobelinus Cosmodromij c. 21. ætatis 6. hæc eadem Hieronymi descripsit verba. Lyranus in Zachariæ 11. *Potest etiam exponi de Liberio Papa, qui dicitur pastor stultus, eo quod fuit finaliter Arianus.* Platina, *Constantius Liberium ab exilio reuocat, qui Imperatoris beneficio motus cum hæreticis in rebus omnibus, vt quidam volunt, sentiens, illud tamen cum Catholicis tenebat, hæreticos ad fidem redeuntes non esse baptizandos.*

III. Liberium tamen defendunt Pighius Hierarchiæ lib. 4. c. 8. Nicolaus Sanderus de Monarchia visibili lib. 7. Bellarminus de Pontifice lib. 4. cap. 9. Gretserus Apologiæ 2. lib. 4. cap. 9. Baronius Annalium tom 3. Et primo eius tempora trifariam distribuunt: vt primum sit ab inito Pontificatu ad exilium vsque: secundum in ipso reditu ab exilio; tertium post reditum ab exilio. Et primo tertioq; tempore fuisse orthodoxum piumq; pro certo statuunt: in secundo qualis fuerit dubium relinquunt. Et quia de primo tempore satis constat; de tertio sic colligunt.

IV. Primo, Socratem lib. 4. c. 11. testari Liberium noluisse Macedonianos ad Ecclesiam recipere, nisi apertè hæresim detestarentur. Secundo, post mortem habitum sanctum. Apud Ambrosium de Virginibus lib. 3. Epiphanium hæresi 75. Basilium epist. 74. Siricium Epistola ad Himericum.

V. Respondeo, distinctionem temporum mihi non displicere. Etsi autem de tertio tempore possit etiam dubitari, cum Sozomeni vnicum sit testimonium, reliqui autem omnes prorsus taceant, quid tum fecerit Liberius: vix omissuri saltem Latini, qui huic impense fauent: tamen non existimo absurdũ esse, si concedatur tandem ad mẽtem rediisse: quod aliis accidit plurimis, qui eadem tempestate vi abducti fuerant ad Arianas partes: maxime vero mortuo iam pridem Constantio, cui suam Liberius restitutionem debuit. Nã hæc, quæ de Macedonianis narrantur, acciderunt Valentiniano & Valente imperantibus, post mortem non tantum Constantij, sed etiam Iuliani, & Iouiniani successorum.

VI. Sed in ea sanctitate quid sit momenti, intelligant ab exemplo simili, qui omnia mirantur in Episcopo Romano. Apud Baronium anno 499. Faustus Rhegiensis describitur §. 30. *instar cauponis, qui miscens aquam vino non iustificabitur:* Et §. 37. *nouus dogmatista* §. 33. *pro quo non possit aliqua in eius defensionem vel excusationem apologia elaborari, quem constet in vniuerso orbe Catholico impugnatum.* Deniq; §. 42. *Qui, cum eius fallacia detecta essent, quibus conatus est reuellere Pelagianas scrobes in lapsum simplicium, abalienauit à se animos episcoporum, atq; decessit inglorius: quem miramur,* inquit, *ab aliquibus impudenter sane inscribi sanctum.* Hæc cũ ille omnia de Fausto scripsisset, tamen in appendice tomi decimi ad hunc annum atque hunc §. agnouit esse Sanctum appellatum, & cultum in Ecclesia Rhegiensi, erecto etiam templo; idque Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente, nemine penitus

peratus contradicente. Cur quæso non excusabitur Fausti peccatum, & excusabitur Liberij.

VII. Sed videamus quid in excusationem medij temporis adferri potuerit. Primo Pighius post recitatum congressum Liberij cum Constantio, Vides, Christiane Lector, inquit, quales hæreticos nobis Romanos Pontifices obiiciant, hoc est, gloriosissimum Christi confessorem, & qui inuictus permansit veritatis athleta, compos victoriæ. Hieronymi autem testimonium audet falsi accusare, quod extat in Chronico; nempe subdititium, & ab aliquo, seu dolo, seu ignorantia infartum.

VIII. Sed hæc nimia est aut ignorantia, aut impudentia. Hieronymiani Chronici fidem eleuat frustra. Primo, quia contra omnium codicum fidem. Secundo contra omnes testes. Enimvero, si hoc loco tantum legeretur: posset nonnihil inesse suspecti. Sed nullus autor, saltem Latinus, historiam, annalesve, aut Chronicum scripsit Ecclesiæ, qui non huius meminerit Liberianæ perfidiæ: nec nulli Græci notarunt. Athanasius, Sozomenus. Quid Hilarium nostrum dico, tam confidenter hanc ob caussam anathema sæpius denunciantem Liberio? Vtinam vero statim post congressum Constantij, animam reddidisset: tum vero nos etiam illum gloriosissimum confessorem, inuictum veritatis athletam, & compotem Victoriæ non inuiti prædicaremus, sed qui ab eo actu, totam eius vitam metitur, idem ille Meletium neget tandem Schismaticum fuisse? & Osium delirum senem: & Origenem hæreticũ; & Tertullianum Montanistam & Nicolaum archihæreticum. Nam: istorum omnium initia non minus fuere quam Liberij pia, sancta, & magni zeli.

IX. Bellarminus Liberij lapsum primo conatur in dubium vocare. Nam Sulpitium, Socratem, Sozomenum, & Nicephorum, indicare ait semper eundem fuisse, nec vnquam de fidei constantia remisisse. Etsi alioquin propter Athanasij, Hilarij, Hieronymi autoritatem, rem vt certam & exploratam narrantium, propter etiam manuscriptas ipsius Liberij literas, quæ asseruantur in Vaticana Bibliotheca, veriorem agnoscat eorum sententiam, qui hæresi subscripsisse dicunt.

X. Sed ego in his cogor candorem desiderare. Nemo est enim ex laudatis autoribus, qui id significet, quod Bellarminus ait. Sulpitius testatur Liberium, paulo post exilium, restitutum ob Romanas seditiones. Socrates haud aliter, *Liberius non multo post ab exilio reuocatus, sedem Episcopatus propterea recuperauit, quod populus Romanus seditione coflata Felicem eiecerat.* At neuter aut asserit constantiam, aut negat lapsum. Sozomenus & Nicephorus non asserunt constantiam, & indicant lapsum. Nicephorus quidem lib. 9. c. 35. refert solicitatum à Romanis Imperatorem promisisse Liberio reditum, *Si in eandem cum Episcopis suis concederet sententiam*: quæ coniectura est non tenuis consensisse Liberium, quandoquidem reditum impetrauerit.

XI. Sozomenus autem cap. 15. Græci Codicis lib. 4. disertè significat cõsensisse. Παρασκευάζουσι (inquit) συναινέσαι Λιβέριον. Christophorsonus vertit, *Conantur vt consentiat.* Malè. Nam παρασκευάζειν non est conari: sed potius efficere, perficere: rem (inquam) ad exitum perducere. Exempla. In Edicto Iustiniani de Fide, Πάντα τὰ ἐναντία πάντως παρασκευάζουσιν αὐτὸν πρᾶξαι: quum de Iba sermo esset, quem Synodus Chalcedonensis, *compulit* (Sic enim Latine in eodem Edicto) *contraria suæ Epistolæ peragere.* Plutarchus in Aristide, Τὸν Ὑπέρβολον ἐξοστρακισθῆναι παρεσκεύασαν. Franciscus Barbarus vertit: *Egerunt vt Hyperbolus hoc exilij genere plecteretur.* Et vero non fuit initium duntaxat; sed etiam euentu impletum. Melissæ cap. 50. Τὸν γνωστικὸν ἐδὲ τῶν χρημάτων ἀπορεῖν εἰς ταπεινωσιν ἄγει, τῆς ἀρετῆς καὶ σοφίας αὐτὸν ὑπερυψούσης, καὶ ὑπερέχειν αὐτὸν ἴσασθαι παρασκευαζούσης, *Peritum ne indigentia quidem deiicit, efferente eum in altum Virtute, ac sapientia, efficienteque, vt longe sit illis superior.* Demosthenes Epitaphio: ὅσῳ ἂν ῥᾷον ... καὶ ἀνδρειοτέροις ... παρεσκευασάμην. Quanto hoc libentius & liberalius curaui. Dionysius Halicarnasseus Antiquitaton. 1. ἔθνος ... μέγιστον ἐξ ἐλαχίστου ... συγχρόνῳ παρεσκεύασαν. *Gentem ex minima effecerunt lapsu temporis vt euaderet in maximam.* Heliodorus Æthiopicum 1. ἡ τύχη ... φόβῳ τὸ ξίφος ... τῶν χειρῶν ἐκπεσεῖν παρεσκεύασε; *Fortuna repentino timore gladius è manibus, vt elaberetur, effecit.* Nec ita multo post. Τὸ μηδαμόθεν ἐν προσδοκίᾳ ... ἀπαλγεῖν παρασκευάζει τὰς ψυχάς. Vuarskeuiscus vertit, *Quod non amplius exspectatur, efficit vt ad omnem sensum doloris ægri animi occallescant.* Diodorus Siculus lib. 16. ... τὴν ... στρατιὰν παρεσκεύασε. Alexander cum videret post Darij mortem milites suos de reditu cogitare, habita oratione, *Eos paratiores reddidit ad reliquam expeditionem.* Quid plura? Chrysostom. hom. contra Anomæos: Λίθος πρὸς λίθον τριβόμενος πολλάκις σπινθῆρας ἐκπηδῆσαι παρεσκεύασε, *Lapis lapidem terens plerumque scintillas exilire fecit.* Idem homilia in Sanctum Pascha, Εὔα τὸν Ἀδὰμ παραβῆναι παρεσκεύασε. *Eua vt Adam præuaricaretur effecerat*: sic enim reddidit Petrus Pantinus Tiletanus, Homilia in Gen. 36. ... τὸν πατέρα παρεσκεύασε, *Effecit vt pater comes fieret itineris.* de Abrahamo loquitur; qui non tantum conatus est, sed etiam effecit vt Thare pater secum iter susciperet.

XII. Iam-ne satis exemplorum? Quanquam quid opus erat? Nam statim sequitur apud Sozomenum, ὁμοίως δὲ συνῄνεσαν καὶ Οὐρσάκιος, καὶ Γερμίνιος ὁ σερμὶς, καὶ Οὐάλης quæ rectè Christophorsonus, *Consentiunt itidem Vrsacius, Germanius, & Valens.* Ὁμοίως (inquit) Quomodo? aut quo sensu si restitisset Liberius, & sua constantia conatum elusisset Arianorum? Ergo ex Sozomeno tam certum est Liberium consensisse, quam Vrsacium, Germanium, Valentem. Adde reliquos, quorum paulo ante protulimus testimonia. Quid certius? Itaque corrigendus Christophorsonus; corrigendus Interpres Nicephori. Hic enim idem cum illo peccatum peccat, in iis verbis quæ Nicephorus ab Sozomeno descripsit. Imo grauius alterum: *Liberius* (inquit) *aliam quoque seorsim fidei conscripsit confessionem, qua omnes ab Ecclesiæ communione arcebat, qui filium Patri non secundum substantiam & per omnia æqualem dicerent.* Quasi hæc confessio fuerit prorsus Orthodoxa. At Sozomenus (vnde descripsit Nicephorus) dixit κατ' οὐσίαν καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον: interprete Christophorsono: *Substantia & cæteris rebus omnibus similem.* Nota Similem, non autem parem, siue æqualem: à quo Ariani non erant alieni.

XIII. Sed iam factum ipsum quomodo excusetur, attendo: nam factum esse aliquid, non satis dignum Christiana pietate, constat. Quicquid igitur id sit, tamen negant hæreticum fuisse. Quomodo autem? Quia peccarit tantum actu externo. Quod probant ex Athanasio ad solitariam vitam agentes, dicẽte: Liberium inuitum, & coactum vi tormentorum, fecisse quod fecerat; nec esse censendam eius sententiam, quam minæ & terrores extorserant: sed eam quam protulit, cum liberos haberet affectus.

XIV. Rursus hæresim docuisse negant: Duo enim mala tantum commisisse: vnum, quod subscripserit in damnationem Athanasij: alterum, quod cum hæreticis communicarit. In neutro autem fidem expresse violasse. Non in primo: quia etsi hæretici persequerentur Athanasium caussa fidei; tamen non caussam fidei, sed crimina circa mores prætexebant: propter crimina autem Liberius consensit in eius damnationem, non propter fidem. Non etiam in altero: quia cum hæreticis communicauit, quod Catholicos se fingerent: scribit enim in suis Epistolis, se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia inuenit eorum fidem congruere cum Catholica, & alienam esse ab Ariana perfidia.

XV. Sed contra primum; etsi solo externo actu peccasset, tamen quia erat Liberius non simpliciter Christianus, sed Episcopus, & quidem Romanus, inde confirmatur argumentum nostrum: Semper enim fidei negotium infirmatum est. Quod patet inde, quia Arianis eo actu satisfactum est: qui se inde futuros sperarunt superiores, εἰ τὸν Λιβέριον πείσομεν πάντων ταχέως κρατήσομεν, *Si Liberium flectere possumus, nemo est quem non expugnemus.* Apud Athanasium ad solitariam vitam agentes. Patet disertius in ipsius Liberij Epistola ad Orientales apud Baronium: *Statuta omnium vestrûm à me cum sede Apostolica suscipienda sunt.* Quæ verba alio referri non possunt, quam ad negotium fidei. Quem modum autem Papam quantumuis hypocritam, Papistæ credunt vtilem esse Ecclesiæ, si definiat actu saltem externo ea, quę sunt iusta & sancta: sic omnino quamuis Liberius in mente reconditam seruarit veritatem, nihilominus hæresin promouit, cum actu illo externo subscripsit hæreticæ confessioni. Ac proinde peccauit in regulæ naturam.

XVI. Secundo ipse Liberius negat se actu tantum externo subscripsisse. Verba sunt eius hæc, ex epist. ad Orientales apud Baronium, *Fidem veram & Catholicam, quæ Sirmij à pluribus fratribus, & coepiscopis nostris tractata, & exposita, & suscepta est, ego libenti animo suscepi in nullo contradicens.* Rursus in altera ad Vrsacium; Valentem, & Germinium, antesignanos Arianorum, *Non aliqua necessitate compulsus, teste Deo dico, sed pro bono pacis & concordiæ, quæ martyrio præponitur, his literis conuenio vos, Domini mei charissimi.* Quid? audimus testem Deum inuocatum & negamus quicquam agi ex interno motu? Iterum, *Me autem cum omnibus vobis Episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere, his literis meis æquo & simplici animo scire debetis.* Audin' tu, æquum & simplicem animum? Ergo non solo actu externo. Et suis nos volunt Iesuitę coniecturis maiorem habere fidem, quam ipsis Liberij disertis verbis? Tam sunt æquitatis amantes!

XVII. Audio libenter Athanasium culpam reiicientem in Arianorum sęuitiam. At primum ea non purgatio est, sed tantum humana atque amica excusatio. Solemus enim amicorum errores vel ex imprudentia, vel ex vi illata, eleuare: nemo tamen vnquam hac tem tenui excusatione habitus est innocens. Et sane id nihil est aliud quam iudicij corruptelam excusatione alieni arbitrij descendere, vt verbis vtar Hilarii in fragmentis. Itaque nego sequi, si victus incommodis exilij (nulla enim alia fuerunt) subscripsit, ideo externo tantum actu peccasse. Deinde hæc generalis est excusatio, τὰ γὰρ ἐκ βασάνων παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γνώμην γινόμενα, ταῦτα οὐ τῶν φοβηθέντων, ἀλλὰ τῶν βασανιζόντων ἐστὶ βουλήματα, *Quæ enim per tormenta contra priorem sententiam fiunt, ea iam non perterritorum, sed torquentium voluntates sunt.* Expecto igitur vt alios plurimos, qui similiter fracti subscripserunt, asserant, actu externo duntaxat peccasse. Quod si est absurdum, quid attinet in Liberio tam aperte prodere τὴν προσωποληψίαν? Certè olim Origenem Epiphanius testatur inuitum sacrificasse: Et tamen ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐξεώσθησαν.

XVIII. Iam peccata duo quam caute colligunt, quam callide extenuant? Subscripsit damnationi Athanasij, fidem non violauit. Primum concedatur sanè, si placet: sed quantum idipsum peccatum fuerit, discant quæso in alia persona, & discant ex Baronio. Nam solet hoc genus hominum tam alienũ esse à crimine τῆς προσωποληψίας, scilicet, vt in alijs libere, imo acriter damnent quæ in suis Pontificibus Romanis, tantum non adorant. Baronius ergo ad annum 351. §. 21. *Ecce tibi, hic ille Vincentius Episcopus Capuanus, qui ad Nicenum magnum Concilium vna cum collegis à Syluestro missis legatione honorificentißima perfunctus est: idemque ipse (quod exprobrat Liberius) tum Romæ, tũ in æque magno Concilio Sardicensi sederat, cum aliis Episcopis, iudex ad cognoscendam ac iudicandam sæpius iudicio ventilatam Athanasii causam, & candidum, vt aiunt, calculum pro eiusdem absolutione in vrnã sæpe coniecerat: hic (inquam) stipendiis omnibus Christianæ militiæ dignißimi per omne tempus emeritus, in vltimo senio constitutus, minimè considerans munus suum, quo Romani Pontificis vices ageret, nullam rationem ducens, suæ iam Angelis & hominibus venerandæ canitiei, nec denique veritus Deum & homines, adeo turpiter inflexus est, vel precibus, vel minis Arianorum atque Constantij, vt in summum Catholicæ fidei athletam, innocentißimum virum, toto Catholico orbe spectatum, in ipsum (inquam) magnum Athanasium adeo ignauiter atq; deformiter, quam optabant Ariani sententiam damnationis intulerit, tam fœda subscriptione oblitterans, tot honestis perfunctus laboribus partam gloriam, aspergensque tam sordida macula tantam sui celebris nominis claritudinem.* Audistin' vehementissimam declamationem? Dignam certè Vincentio. Sed muta nomen, historia erit Liberij: etiamsi concedamus hunc non peccasse aduersus fidem. Nam statim Baronius, *Verum in lapsu continuit gressum, ne in profundum præceps deferretur impietatis: nam non sic ipse velut Fortunatianus Episcopus Aquileiæ, subscripsit in Athanasiũ, vt factus quoq; fuerit proditor fidei.* Quid ergo causæ est, quominus Liberium dicamus non considerasse munus suum, non veritum Deum & homines: turpiter inflexũ: ignauiter, & deformiter in magnũ Athanasiũ tulisse sententiam, quam Ariani optabant, etiã si fidei proditor non fieret. Nisi forte in legato fuerit nefas, quod in Episcopo Romano liberum.

XIX. Verum non prætexi fidem id damnatione Athanasij, sed tantum crimina, merum est mendacium. Itaque Bzouius Pontificis Romani capite secundo testatur consensisse in Athanasij damnationem, hæresis etsi non labe, tamen suspicione laborantem. Et sane contrarium constat ex Dialogo Liberij cum Constantio, apud Theodoretum historiæ libro secundo, capite decimosexto: vbi non tantum sæpius vocatur Athanasius impius, quod forte ad mores referri possit: sed etiam Eusebius Eunuchns dixit, *Athanasius à fide Catholica alienus in Concilio Niceno declaratus est.* Et Liberius ipse, *Esto quod ego solus sim: non tamen propterea caussa fidei sit inferior.* At certe (inquit) Gretserus, vt nonnunquam fides scelerato conatui prætexta fuerit, raro id factum est, & obiter, & oblique, & quasi per cuniculos,

vt esset

Vt esset verum(inquam)tamen Liberius has artes non ignorabat, ideo debuit cauere. Sed profecto maluit dissimulare.

XIX. Secundo, Arianis communicasse, quia Catholicos se fingebant, mera est impostura. Nam fingere se Catholicum is dicitur, qui sua fide dissimulata, Catholicam simulat, cui tamen non credit. At isti eam, quæ verè Catholica erat, odio habebant, suam esse iactabant Catholicam, hoc est, agnoscendam pro Catholica, altera repudiata. Quomodo semper factum, vt se hæretici nunquā hæreticos dicerent, sed Catholicos. Imo in collatione Carthaginensi Donatistæ tertioquoq; verbo suū hoc nomen esse protestabantur. Et Liberius tam fuit vel hypocrita, vel corrupti iudicij, vt appellarit Episcopos Ecclesiæ Catholicæ, Arianos.

XX. Nec verum est, eum in literis profiteri, inuenisse eorum fidem congruere cum Catholica: sed potius testari, se credere eorum fidem esse Catholicam. *Sancta* (inquit ad Orientales scribens) *fides vestra Deo, cognita est hominibus bonæ voluntatis.* Hæc vero verba significant, non deprenendisse Liberium fidem eam, quam profitebantur Orientales, congruere cum ea fide, quam iam ante orthodoxi profiterentur: sed potius, hanc eorum fidei confessionem, quamuis alia esset ab ea, quæ orthodoxorum esse pridem solebat, tamen à se veram esse credi.

XXI. Quid enim? Nonne constat, subscripsisse formulæ fidei apud Sirmium editæ? Ipse Liberius ad Orientales, *Dominus meus & frater communis Demophilus, dignatus est pro sua beneuolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmij à pluribus fratribus & coepiscopis nostris tractata, & exposita, & suscepta est: hanc ego libenti animo suscepi in nullo contradicens.* Sozomenus asserit subscripsisse formulæ in Encænijs Antiochiæ conscriptæ, oblatæ à Basilio, Eustathio, & Eleusio, prætexentibus, quosdam ἐπὶ προφάσει τοῦ ὁμοουσίου conari hæresin quandam stabilire. Quid? quod idem Sozomenus asserit coactum ab Imperatore, vt confiteretur filium non esse Patri consubstantialem? ἐβιάζετο αὐτὸν ὁμολογεῖν μὴ εἶναι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον.

XXII. Respondent, eas confessiones, etsi non habeant vocabulum ὁμοούσιος, tamen esse Catholicas, ac sic exponi ab Hilario in libro de Synodis. Imo ipsum Liberium non modo non subscripsisse confessioni Arianæ, sed etiam suam edidisse, in qua apertè excommunicat eos qui filium Patri similem in substantia, & in alijs rebus omnibus esse negabant. Idq; ea de causa, quia Ariani falsum rumorem sparserant, Liberium docere cœpisse, filium non esse patri substantialem.

XXIII. Sed hæc eo tantum apta sunt, vt imponant ijs, quibus est incognita prorsus historia Ecclesiastica. Doctiores Bellarmini ridebunt audaciam. Nam Antiochiam quidem conuenerunt Episcopi nonaginta septem, προφάσει μὲν (inquit Sozomenus libro tertio, capite quinto) ὡς ἐπὶ ἀφιερώσει τῆς νεουργοῦ ἐκκλησίας. ὡς δὲ τὸ ἀποβὰν ἔδειξεν, ἐπὶ μετατιθέσει τῶν ἐν Νικαίᾳ δοξάντων, *prætextu quidem consecrandæ recens constructæ Ecclesiæ: sed reuera, sicut euentus declarauit, vt decreta Concilij Nicæni abrogarentur*: id est vt verbis vtar Nicephori libro nono, capite quinto, *ad professionem τοῦ ὁμοουσίου aperte abolendam & decreta Nicena immutanda.* Etsi autem verum sit, ita temperatam eam formulam, vt nihil exprimeret manifestè impium, tamen magnum id fuit versutissimumque artificium, nempe, *vt alia atq; alia subinde mutatione pedetentim in gurgitem Arianorum homines delaberentur*, vt rectè Nicephorus obseruauit.

XXIV. Quod ad Sirmiensem formulam spectat, id habet se in hunc modum: Photinus Sirmiensis Episcopus docebat filium Dei non esse ab æterno, sed ex Maria sumpsisse originem. Hac occasione Constantius autoribus quibusdam Episcopis Arianis Concilium cogit, in quo præter Photini condemnationem, tres fidei formulæ sunt editæ. Prima Græcè, reliquæ Latinè. Græca οὔτε ὁμοούσιον, οὔτε ὁμοιούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν εἶπε, *neq; eiusdem, neq; similis essentiæ filium dixit*, sed illos qui dicerent eum sine principio esse, aut essentiam Dei dilatatam illum procreasse, aut eum συντετάχθαι, ἀλλὰ μὴ τῷ πατρὶ ὑποτετάχθαι, *componi, & non supponi patri* condemnauit.

XXV Ex Latinis vero prior, tū de substantia, tum vtrū filius Patri consubstantialis, aut substantia similis sit, differere vetuit. Quin potius præcepit, vt omnes Patrem confiterentur esse filio maiorem, honore, dignitate, deitate, ipsoque Patris nomine: filiumque ei subditum cum omnibus cæteris creaturis. Sed hæc postea non tam reuocata est quam abolita tanquam temerè & imprudenter composita.

XXVI. Superest altera Latina. Hæc vero, τὰ μὲν ἄλλα συμφέρεται τῇ διανοίᾳ ταῖς ἄλλαις, cętera quidē reliquis sensu cōcordant: τὸ δὲ τῆς οὐσίας ὄνομα περιεῖλε, substantiæ nomen sustulit; hæc reddita caussa, τὸ δὲ ὄνομα τῆς οὐσίας ὅπερ ἁπλούστερον ἐτέθη ὑπὸ τῶν πατέρων, *Substantiæ vero nomen quod à Patribus incautius positum est in formula fidei, vulgo incognitum, scandalum attulit, quia non exstet in Scripturis, placuit auferre*, καὶ παντελῶς μηδεμίαν μνήμην οὐσίας ποιεῖσθαι: neq; vllam substantiæ mentionem fieri. Hæc ex Sozomeni libro quarto.

XXVII. Exspecto, vt videam aduersarios ex ijs tribus formulis aliquam eligentes, cui subscripsisse velint Liberium. Quanquam quid opus est? Nam Hilarius in fragmentis eam disertè notat fuisse Arianam perfidiam: proptereaque Liberio confidentissimè bis, terque anathema dicit, *Anathema tibi à me dictum Liberi, & socijs tuis. Iterum tibi anathema, & tertio, præuaricator Liberi.* Quid disertius expectamus? aut quid calumniari iam possunt Iesuitæ?

XXVIII. Quid tum igitur, si in libro de Synodis idem Hilarius confessionem aliquam Sirmiensem conatur ostendere non esse hæreticam? Cum constet eam, cui subscripsit Liberius, fuisse impiam, ipso teste Hilario, id est, eiusmodi, vt in bonam partem nemo eam posset interpretari? Vnde facile conijcere possumus, ei potius subscripsisse formulæ, quam ipse Hilarius in eodem libro de Synodis toties detestatur: tum Gallos laudans, qui missam proximè ipsis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non suscepissent: & rursus, quod prorumpentem à Sirmio hæresin condemnassent. Et tertio, *Meministis* (inquit) *in ea ipsa scripta proxime apud Sirmium blasphemia; id tentatum adlaboratum fuisse, vt dum pater vnus & solus omnium Deus prædicatur, Deus esse filius negaretur: & dum de homousio, & homœusio taceri decernitur, id decretum esse, vt aut ex nihilo vt creatura, aut ex alia essentia, vt consequentia creaturarum, & non ex Deo Patre Deus filius natus confirmaretur.*

XXIX. Iam quod attinet exhibitam ab ipso Liberio confessionem fidei, bis peccauit Bellarminus, primum mendacio, eoque duplici. Et cum negat subscripsisse confessioni Arianæ, quod contra esse iam vidimus: & cum asserit eam confessionem, ideo exhibitam, quia Ariani rumorem sparserant, Liberium docere cœpisse, filium non esse Patri consubstantialem. Non sic enim Sozomenus. Sed duplicem calumniam indicat Eudoxij, iactantis, ὡς καὶ Λιβέριος τὸ ὁμοούσιον ἀπεδοκίμασε, καὶ ἀνόμοιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν δοξάζει, id est, non tantum explosisse τὸ ὁμοούσιον, quod omnibus erat Arianis commune, sed etiam asseruisse omnino dissimilem esse Filium Patri, quod ex ijs paucis profitebantur.

XXX. Secundo peccat, dissimulans nondum esse Catholicam confessionem, quæ assereret filium patri esse καθ' οὐσίαν καὶ κατὰ πάντα ὅμοιον, secundum substantiam, & omnia similem. Nam vt luculenter explicat Nicetas in Thesauro capitibus duodecimo & decimotertio, paulo post Arium scissi sunt eius sectatores in duas partes. Et omnes quidem τὸ ὁμοούσιον impugnabant: sed nonnulli τὸ ὁμοιούσιον substituebant: dicti ἡμιάρειοι semiariani: οὐσίας siue essentiæ nomine ita sui dogmatis absurditatem contegentes: vt tamen non naturalem, sed imaginariam quandam similitudinem significarent. Alij autem maiore impudentia, neq; ὁμοούσιον, neque, ὁμοιούσιον, sed tantum ὅμοιον dicebant, eodem prorsus modo, quo imagines archetypis suis similes esse dicuntur: & ex his erat Eudoxius ille autor calumniæ. Liberius igitur se illis adiungebat: qui paulo minus à Catholicis distabant: sed Catholicam tamen confessionem non edidit.

CAP. XI.

De Anastasio hæretico.

I. SEquitur Anastasius secundus: qui à clericis Romanis vitatus dicitur apud Gratianum distinctione 19. Quia Photino Thessalonicensi diacono communicaret: communicabat autem Photinus Acacio in hæresi defuncto: dicitur etiam diuino nutu percussus, quia Acacium ipsum reuocare conaretur. Fasciculus temporum, *Iste Anastasius primo bonus fuit: sed postea seductus est ab Acacio, & communicauit ei, & ob hoc clerus separauit se ab eo. Et quod voluit restituere Acacium occulte, licet non potuit, diuino iudicio percussus est intestina eijciendo. Et hic videtur secundus infamis Papa de toto catalogo Pontificum vsq; huc, quia primus scilicet Liberius fauebat Arianis, iste Nestorianis, vtrobiq; concurrente vesania Imperatorum.* Consentiunt Anastasius, Bibliothecarius, Luitprandus Ticinensis, Albo Floriacensis, Platina, Nauclerus, atque alij.

II. Contra tantum historicorum consensum nihil ausus est Papyrius Masso: sed leuiter perstrinxit Dantem Hetruscum excellenti ingenio poetam, qui ob hoc factum, hunc beatum, scilicet, Pontificem apud inferos collocauit: quod tamen fieri debuisse non credit, *Diuina enim clementia* (inquit) *humanis sceleribus præponderare existimanda est.* At hæc culpæ cōfessio est. Nam indulgentia, quem liberat, notat.

III. Baronius (cuius in historia miros labores extollunt cuncti, vtinā sinceritatem etiam nos probare possemus) primo, quia Festus eius legatus, qui erat pollicitus se effecturum, vt Anastasius Zenonis concordiæ subscriberet, eum mortuum redux inuenit, inde satis probari putat Anastasij integritatem. Deinde si contra quis contendat, iubet admirari Dei prouidentiam erga Romanam Ecclesiam, quæ titubantem Apostolicæ sedis præsidentem ex humanis ante subduxerit, quam quod meditabatur, impleret.

IV. Sed hæc nihil sunt. Nam constat ex reliquis ab Anastasio clerum se subduxisse. Ergo (inquam) ante mortem, id est, ante reditum Festi, iam ostendisse Pontificem, quid haberet in animo. Quinetiam inde facile est conijcere, non temerè Festum vsq; esse prouectum, vt de Anastasio tam facilè polliceretur: sed quia iam eius animum perfectum haberet, quidni etiam mandata? saltem secreta?

V. De prouidentia autem Dei, nihil attinet nunc disputare. Solet ille sanè suæ Ecclesiæ variè prouidere: nec negem aliquos aliquando maturè subductos, à quibus magna erat pestis expectanda. Sed hæc via non est ordinaria: imo nec perpetua: non est enim subductus Liberius, aut Honorius, aut Ioannes, aut alij. Et quia id nunquam Deus est pollicitus, ideo & nos optare debemus, magis quam sperare: interea non valdè certi de Romanorum Pontificum sinceritate. Ego sanè ne ipsam quidem Scripturam Sacram agnoscerem pro Canone Fidei, si fides integra manere non posset, nisi Scriptura abolita. Et hi nos volunt Papis tanquam pecora subijcere, quibus saluis necesse sit fidem periclitari? O vesaniam! Ego, cum apud Vrspergensem legi Vrbanum illum tertium, quem Turbanum nonnulli maluere, *in odium Imperatoris voluisse turbare Ecclesiam, quæ iam paulisper quietem acceperat, sed nutu Dei percussum interijsse*, putaui neminem sanum non dicturum, perniciosissimum eum Papam fuisse paci Ecclesiæ.

VI. Sed Bellarminus longè audacior, Accusationem diuidit in tria capita. Primo, quod sine Concilio Episcoporum, Presbyterorum & Clericorum totius Ecclesiæ, communicarit Photino. Secundo, quod voluerit occultè reuocare Acacium, quem damnauerant Felix, & Gelasius, prædecessores. Tertio, quod approbauerit baptismata, & ordines collatos ab Acacio.

VII. Ad primum respondet; fortasse esse mendacium. Sed vt non sit, tamen licuisse summo Pontifici sine concilio absoluere excommunicatum: maximè (inquit) Gretserus resipiscentem. Tum vero (inquit idem Gretserus,) si quis cum hæretico communicet, hoc est, literas ad illum scribat, ab eoque recipiat: cum eo agat, loquatur, cibum, potumque sumat, illiusve opem in re aliqua perficienda imploret, non propterea est hæreticus. Illud secundum de reuocatione, esse falsissimum: quia constat Acacium mortuum tempore Felicis, à quo tertius fuit Anastasius: & hîc Bellarmino consentiunt, Pighius, Correctoresq; Decreti. Illud postremum de Baptismo & ordinibus prodere Gratiani ignorantiā. Esse n. certum apud Catholicos, & Baptisma & ordinationem hæreticorum esse rata: quando ordinator vere est Episcopus, saltem quantum ad characterem.

VIII. At in primo, quid aliud ostendit quam immane contradicendi cacoethes? Siccine vero viri graues solent omnium historicorum consensum eleuare, fidem conuellere? Nullo argumento, nulla coniectura? At nos oportet non quid Loyolitico spiritui non tam diuinare placet, quam optare sed quid probari possit, attendere. Certè longè Bellarmini coniecturis nudis præualebit auctoritas veterum historicorum.

IX. Sed licuit absoluere absque concilio, Respondeo, primum non tantum absoluisse absque concilio, sed etiam absque consistorio: id est, ex proprio tantum capite, non adhibitis in consilium, ne suis quidem Presbyteris aut clericis. At ipsi Papistæ, cum pro auctoritate pronunciaturus est Papa; tum volunt adhiberi multa solennia: ac vix, credo omitti Consistorium.

X. Secundo, verè non licet Episcopo Romano, quenquam publico iudicio damnatum, proprio priuatoque motu absoluere: sic enim apud Epiphanium in Marcionitis, negabat clerus Romanus à se absolui posse Marcionem ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ πατρὸς absque venia patris, à quo erat excommunicatus: καὶ οὐ δυνάμεθα (inquiebant) ἐναντιωθῆναι τῷ καλῷ συλλειτουργῷ: *nec possumus venire contra bonum collegam nostrum*. Similiter apud Krätzium Saxoniæ lib. 5. cap. 39. Pontifex Imperatori absolutionem postulanti, respondit, *Se, qui in eum excommunicationis sententiam non tulisset, non illam posse sustollere, nisi ex arbitrio Patrum, qui Synodo interfuissent*. Nam, quod resipiscentem Photinum Gretserus fingit, verè fingit: & habet à suo cerebro: Itaque merito ridetur. Multo illud magis, cum communicare Photino, interpretatur, literas mittere, & accipere, cum eo loqui, cibum, potumq; capere. Enimuero longe aliud Catholicorum communio significat: quod vel tyrones norunt.

XI. Reuocationem si sic intelligas, vt significet viuentis Acatij in Episcopatus thronum restitutionem, vt interpretatur Andradius, faterer falso asseri. Sed non est ita. Post mortem enim reuocare Anastasius Acacium voluit, hoc est, eius memoriam nomenq; ab infamia liberare, & vt loquebantur, diptychis restituere, vt fieret eius in precibus Catholicorum commemoratio, quod factum in Ioan. Chrysostomo post eius obitum in exilio. Glossator Gratiani. *Post mortem Acatij Anastasius Papa communicauit Photino, sine Concilio clericorum, Et occulte voluit reuocare Acatium defunctum in hæresi, vt orationes pro eo in Ecclesia fierent*. Rectè. Erat enim huius verbi in ea re vsus, vt reuocari dicerentur, qui post mortem restituerentur bonæ famæ, irrita facta damnatione. Iustinianus Edicto de Fide, ὅσεν δὲ πρὸς τὴν ἄνοιαν τῶν λεγόντων μὴ δεῖν ἀναθεματίζεσθαι μετὰ θάνατον τοὺς ἐν τῇ οἰκείᾳ ἀσεβείᾳ τελευτήσαντας. ἴδει μηδὲ τοὺς ἀδίκως κατακριθέντας πάλιν μετὰ θάνατον ἀνακαλεῖσθαι. ὅπερ συμβέβηκε, καὶ ἐπὶ Ἰωάννη τῷ ἐν ὁσίᾳ τῇ μνήμῃ ἐπισκόπῳ γενομένῳ Κωνσταντινουπόλεως, ὑπὸ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας μετὰ θάνατον ἀνακληθέντι. καὶ ἐπὶ Φλαβιανῷ τῷ τῆς ὁσίας μνήμης καὶ αὐτῷ Κωνσταντινουπόλεως γενομένῳ ἐπισκόπῳ, ἀδίκως μὲν ἐν ζωῇ κατακριθέντι, δικαίως δὲ μετὰ θάνατον ἀνακληθέντι, ὑπό τε τῆς ὁσίας μνήμης Πάπα Λέοντος, καὶ τῆς ἐν Χαλκηδόνι ἁγίας συνόδου, *Quantum autem ad insipientiam dicentium, non oportere anathematizari post mortem eos, qui in sua impietate mortui sunt: oportebat nec eos, qui iniuste condemnati sunt Patres post mortem reuocari, quale contigit in Ioanne sanctæ recordationis Episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis, ab vniuersali Ecclesia post mortem reuocato, & in Flauiano sanctæ memoriæ & ipso Episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis, iniuste quidem in vita condemnato, iuste autem post mortem reuocato, tam à sanctæ memoriæ Papa Leone, quam à sancta Chalcedonensi Synodo*. In Concilio Constantinopolitano sub Mena, Actione quinta, Relatio est facta Ioanni Oecumenico. In ea postulatur, ἵνα οἱ ἐν ὁσίᾳ μνήμῃ Εὐφήμιος καὶ Μακεδόνιος οἱ ἐκβληθέντες, καὶ ἐν ἐξορίᾳ τετελευτηκότες δικαίως καὶ κανονικῶς ἀνακληθῆναι, καὶ ἀποδοθῆναι τῷ καταλόγῳ τῶν πρὸ αὐτῶν ἐν Κυρίῳ ἀναπαυσαμένων ἐνταῦθα ἀρχιεπισκόπων. *Vt sanctæ memoriæ Euphemius & Macedonius expulsi, & in exilio mortui, iuste & canonice reuocentur, & inserantur Catalogo prædecessorum Archiepiscoporum in Domino ibidem quiescentium*: ἐντεθῆναι δὲ καὶ τοῖς ἱεροῖς δίπτυχοις τὰ τούτων προσηγορίας, *& ponantur in sacris diptychis eorum nomina*.

XII. At (inquit Bellarminus) exstat Epistola Anastasij ad Imperatorem, in qua petit nomen Acacij taceri: quandoquidem à Felice prædecessore fuisset condemnatus. Respondeo eam Epistolam scriptam esse statim ab inito Pontificatu, quod Baronius obseruauit, imo disertè exprimitur primis eius Epistolæ verbis, *Exordium Pontificatus mei, primitus oblata populis pace, pronuncio*. At fasciculus temporum asserebat Anastasium primo fuisse bonum, postea vero seductum. Itaque hæc purgatio nulla est.

XIII. Quanquam ea ipsa Epistola Acacij damnationem satis frigidè tuetur: nam etsi processisse dicat, ex facinoribus certis, & zelo diuinitatis: tamen multa mitiora quā mereatur hæresiarchæ cōdemnatio. Primo habet & Felicem damnatorem, & Acacium damnatum, ibi esse asserit, vbi neuter possit sui meriti perdere dignitatem: itaque de ijs non esse iudicandum, *Ne de his nobis præsumamus iudicium, de quibus nemo potest melius vel verius iudicare quam Deus: ne sibi in hoc quispiam temerarios ausus vsurpet, & propter hoc pax & vnitas Ecclesiæ dissipetur*. Deinde, vix audet ab errore vacuum dicere iudicium latum, *Non superbia* (inquit) *vel elatione sedis Apostolicæ in Acaciū talem processisse sententiam, sed facinoribus certis (quantum nos extra illud iudicium, quod solum falli non potest, æstimamus) zelo magis diuinitatis exortam*. Animaduertit hanc mollitiem Baronius: & non purgauit quidem, sed excusare conatus est, prætextu quorundam, qui bona conscientia Acacium defenderent.

XIV. In postremo capite, non tam Gratiani ignorantiam, quam suam Bellarminus incogitantiam prodidit. Nam baptismata quidem Acacij, nullo loco Gratianus dixit esse irrita, sed tantum ordinationes: quas factas ab hæreticis, qui ab Ecclesiæ communione sunt separati, pro legitimis non agnoscit Ecclesia: & ridet eos qui post depositionem legitimam, characterem nescio quem fingunt remanere. Itaque nihil proferri potest, quo Anastasius sufficienter purgetur.

CAP. XII.

De Honorio hæretico.

I. DE Honorio maxima est Bellarmini, & Baronij contentio. Sed constat fuisse inter hæreticos nominatum, & post mortem damnatum in sexta Synodo. Extat eius solenne iudicium actione decima tertia in hæc verba ad præsentem imo & præsidentem Imperatorem, *Secundum promissionem quæ à nobis ad vestrā gloriam facta est, retractantes dogmaticas Epistolas, quæ à Sergio Patriarcha huius regiæ vrbis scripta sunt, tam ad Cyrum (qui tum fuerat) Episcopum Phasidis, quā ad Honorium Papam antiquæ Romæ: similiter & epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundē Sergiū, hasq; inuenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatib. & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum: sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abijcimus, & tanquam animæ noxias execramur. Quorū & impia dogmata execramur, horum & nomina à sancta Dei Ecclesia proijci iudicamus*. Et in editione Græca c. 1. profitetur Synodus se damnare Theodorum oriundum è Pharam, Cyrum Alexādrinum, Honorium Romanum Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Constantinopolitanos, τοὺς τὸ ὀρθὸν τῆς ἀληθείας δόγμα παραχαράξαντας, καὶ ἓν θέλημα καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοὺς λαοὺς ἐκδιδάξαντας, *Qui rectum veritatis dogma adulterarant, & vnam voluntatem, vnamq; actionem in vno Domino Deo nostro Iesu Christo populos docuerunt*.

II. Inde factum, vt in septima Synodo, quæ est Nicena 2. actione vlt. nominentur Arius, Eunomius, Macedonius, Apollinarius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, Sergius, Honorius, improbe sentiētes. Et in actione 6. Epiphanius contra acta Synodi Cōstantinopolitanæ tom 2. *Vniuersales has & Sacras Synodos*, (quæ nempe post Ephesinam) *& quæ illas præcesserunt, & Sergius Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, & Honorius Romanus antistites, & omnes illi qui Monothelitæ dicuntur, receperunt: veruntamen vt hæretici à Catholica Ecclesia damnati sunt, quod noua quædam dogmata per suas hæreses in Ecclesiam effuderint*. Sed & Leo Romanus eius nominis secundus, Epistola ad Constantinum Augustum inserta act. 8. Synodi 6. *Anathematizamus noui erroris inuentores, id est, Theodorum Faranitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Pyrrhum, Paulum, Petrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ successores, magis quam præsules, necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustrauit, sed prophana traditione immaculatam fidem subuertere conatus est*. Nicephorum Cōstantinopolitanum ad Leonē Romanum, Psellus etiam in carmine de septem Synodis, eundem cum reliquis annumerat, qui *Incarnati verbi negabant duas naturas: vnam quandam dicentes esse compositam, & actionem vnam*.

III. Quin etiam Canus lib. 6. c. vlt. cum incidisset in Pighium, qui vt Honorium tueretur, sextæ generalis Synodi exemplaria falsarios corrupisse, multis coniecturis suadere nisus est, & Epistolam Honorij vitiatam fuisse, Synodum autem deceptam. Canus (inquam) hanc audaciam minimè probans, purgari posse non credit Honorium. *Honorium* (inquit) *quomodo ab errore vindicabit? Quem hæreticum fuisse, tradit Psellus in carmine de septem Synodis: Tharasius ad summos Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, sanctæ vrbis, vt septima Synodo, actione tertia scriptum est: Theodorus cum Synodo sua Hierosolymitana in confessione Fidei, quæ habetur eadem actione tertia: Epiphanius respondens hæreticis in conspectu concilij eiusdem actione 6. tomo 2. tota demum ipsa septima Synodus actione vltima, & in epistola ad omnes Sacerdotes & clericos, Adrianus quoq; Romanus Pontifex, in actione quinta Synodi octauæ generalis*. Denique his testibus adijcit Agathonem, qui in Epistola ad Concilium sextum Honorium anathematizat suum prædecessorem successor: Bedam de natura rerum c. 67. Sed & Franciscus Torrensis librum ex professo edidit contra Pighium de actis sextæ Synodi, vbi prolixè de damnatione Honorij.

IV. Sanderi alias audacissimi magnos fregit spiritus hic tantus tātorum autorum consensus: itaque factum nō inficiatur: sed primo negat propterea Romanam Ecclesiam errorem docuisse, aut Honorium ipsum hæresin confirmasse vt Papam, sed duntaxat vt hominem. Deinde negat id dogma de duabus Christi voluntatibus fuisse adhuc in aliquo Ecclesiæ consensu expresse definitum.

V. Respōdeo ad primum, Ecclesiam Romanam inutiliter nominari: quia nobis quæstio sit de capite eius Ecclesiæ, hoc est Papa, cui subest Romana Ecclesia. De homine etiam & Papa alias diximus: nunc iterum, distinctionem esse ridiculam: quum ea sint duo non re, sed ratione tantum distincta: functiones enim Papæ, non sunt nisi hominis: nec potest esse hæreticus homo, & idem Papa, quin sit hæreticus Papa, vt non potest esse obtusum ferrum, quod idem sit gladius, quin sit obtusus gladius, etsi ratione non minus distinguantur ferrum & gladius, quam homo & Papa.

VI. Ad secundum respondeo, primo si legitima sit excusatio à nondum definito dogmate, tum eam pertinere ad Sergium Constantinopolitanum, æquè ac ad Honorium: nam vterque tum mortuus erat, cum in Synodo sexta condemnatus est. Si igitur nemo est hæreticus nisi qui impingit in dogma iam ante definitum: Et dogma istud de duabus Christi voluntatibus nondum erat definitum, cum Honorius ad Sergium scriberet, aut Sergius ad Honorium: tum certè necesse est Sergium æquè ab hæresi purgari cum Honorio, aut si Sergius damnatur (quod certè non ægre ferunt Papistæ, nam Bellarminus hoc argumento probabat Cōstantinopolitanam sedem defecisse à fide, quod in ea sedissent Macedonius, Nestorius, Sergius hæresiarchæ, lib. 4. c. 3. de Pontifice) necesse erit etiam Honorium damnari.

VII. Deinde, nego nunquam ante id tempus definitum id dogma fuisse. Est enim definitum, primo in Scripturis Sanctis, quarum infinitis testimonijs conuicti sunt Monothelitæ: deinde eadem opera, qua damnati sunt Eutychiani confundentes naturas, eadem & isti vnam asserentes voluntatem. Nam reuera, isti eorum sunt tātum βλαστήματα & surculi.

VIII. Sed hæc leuis est Sanderi velitatio. Iam sequitur stataria pugna cum Bellarmino & Baronio: qui in hoc laborant, vt doceant Honorium fuisse Catholicum, ac alienum ab Hæresi Monothelitica: triplici

conatu

conatu. Nam primo Bellarminus Honorij literas, quæ inferuntur actis eius Synodi, fortasse confictas esse ait ab hæreticis. Atque hoc non temere dici, quia in quinta Synodo insertas esse fictitias epistolas Vigilij Romani, & Mennæ Constantinopolitani deprehensum sit in hac ipsa sexta Synodo. Quid ergo mirum, si idem factum in ipsa sexta? Secundo, cum Bellarminus, tum Baronius tomo 8. ad annum sexcentesimum trigesimũ tertium, disputat in ijs Epistolis nullum contineri errorem: & proferunt argumenta varia, postea examinanda. Tertio varios testes producunt.

IX. Sed illud, nihil aliud quam audaciam sonat. Quidni enim similiter de omnibus dici possit? Quidni similiter Græci suum Sergium excusent? Egregium vero argumentum, quia falsata sint acta quintæ Synodi. At ne nos quidem ita concludamus de omnibus decretalibus, quamuis constet magnum numerum earum ineptè & impudenter suppositum. Et in Augustini operibus Sermones ad fratres in Eremo vulgo leguntur, quorum autorem grauissimè, vt meretur, anno trecentesimo octogesimo secundo, §. 26. Baronius, tanquam impostorem perstringit. Quis tamen ob eam causam sibi omnia permittat opera Augustini calumniari?

X. Secundo ipsa Synodus actione duodecima testatur, collata esse rescripta cum exemplarib. authenticis, quæ producta sunt ex Patriarchio regiæ vrbis, & constitisse exemplaria, id est, nullo loco apparuisse vitiata, aut falsata. Enimuero non has tantum literas supposititias esse oporteret, sed & multa per totum Synodi corpus falsata: vt sapientius fecisse videatur Pighius, qui Synodum funditus conuellere conatus est: sic enim aliquando solent audacissima peccata esse tutissima.

XI. Tertio, Maximus in disputatione contra Pyrrhum Constantinopolitanum, quem ipse citat Bellarminus, agnoscit has epistolas esse scriptas à Secretario Honorij nomine ἐκ προσώπου Ὀνωρίου. Et conatur commodè interpretari. Quid igitur attinet tergiuersari? Hoc vero nihil aliud est, quã quod olim Cicero dicebat optimas causas ingenij calũnia ludificari: quod Carneades solebat. Itaq; Gretserus agnoscit non esse necessarium, siue apodicticum argumentum: sed tantum eiusmodi, vt doceat non esse inauditum Acta Synodalia à falsarijs corrumpi. Quod mihi quidem fit verisimile: itaq; non repugnem. Sed quid hoc ad Honorij Apologiam: Nam ipse etiam Gretserus, dupliciter, aiebat, defendi potest Honorius: primo si dicas Epistolas illas duas esse confictas. Secundo, fuisse Honorium dãnatum ex mala informatione. Tum vtramq; defensionis rationem tenet Bellarminus. Tu nunc hæc collige, & apud te reputa, vtrum possit defendi Honorius, si dicas non esse inauditum, falsari acta Conciliorum. Ego quidem non magis putem, quam famosum latronem, si dicas non esse inauditum, testes pecunia corrumpi. Enimuero Prætor diceret, docendum hos testes fuisse subornatos. Ita & quilibet sanus dixerit Bellarmino, docendũ hæc huius Concilij acta esse corrupta. Id si non facit, cachinnos referet.

XII. Iam de re ipsa videamus. In ijs igitur Epistolis nihil hæreticũ contineri contendunt nonnullis argumentis. Primo, quia confitetur duas in Christo voluntates & operationes: & solum prohibet nomina vnius & duarum voluntatum, quæ tunc erant inaudita: atq; hoc prudentissimè. Prius patet ex his Epistolæ verbis, *Vtrasq; naturas in vno Christo, vnitate naturali copulatas cum alterius cõmunione operantes, atq; operatrices confiteri debemus. Et diuinam quidem quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exsequentem, non diuise, neq; confuse, aut conuertibiliter Dei naturam in hominem nec humanam in Deum conuersam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes.* Quæ confessio catholicissima est, & Monothelitarum hæresin penitus destruens.

XIII. Prudentissimo a. consilio prohibita esse nomina vnius vel duarum operationum probatur: quia tum primum orta contentione inter Cyrum Alexandrinum & Sophronium Hierosolymitanum, metuebat Honorius, ne, quod postea euenit, in graue schisma euaderet. Itaq; videns sine his vocib. posse fidem esse saluam, voluit vtramq; opinionem conciliare, & prouidere ne vnius voluntatis confessione, Eutychianismus suscitaretur: aut Nestorianismus, si duo assererentur.

XIV. Respondeo inuerso ordine: de Honorij consilio priori loco: Etiãsi alias rectè sensisset, tamen hoc fuisse pessimum consilium. Nam & olim Ariani, quum viderent odiosum esse suum ὁμοιούσιον, consenserunt, vt simul cũ ὁμοουσίῳ aboleretur: quod orthodoxi nunquam concesserunt. Videbant n. per cuniculos id Arianos tentare, quod vi aperta non poterant perficere, vt abolito nomine, sensim res ipsa veniret in desuetudinem. Et sane, nunquam ea fuit legitima constituendæ vnitatis in Ecclesia ratio, quum veritas dissimulatur, quantumlibet eius confessione offendantur hæretici.

XV. Propterea in Concilio Romano sub Martino I. cuius meminerunt & Magdeburg. Centuria 7. & Baronius tom. 8. typus Imperatoris Constantini, in quo prohibebatur, ne quis siue vnam, siue duas in Christo diceret voluntates, & operationes, reijcitur actione quarta, dicentibus Patribus; *illum typum sanè bonum intentum habere, sed virtutem intentui contrariam. Nã dissensiones & altercationes pro causa fidei cohibere, omnibus timentibus Deum esse desiderabile: sed non esse vtile orthodoxorum Patrum dogmata & verba cum malo destruere, hoc est, vera & falsa dogmata simul damnare: sed oportere vera probari, & falsa & impia sola reprobari & damnari.*

XVI. Gretserus negat eandem rationẽ esse τοῦ ὁμοουσίου, duarumq; voluntatum: notat differentiæ hæc capita: τὸ ὁμοούσιον fuisse probatum à Concilio Niceno, traditumq; Catholicis pro clypeo aduersus Arianos. Tum Catholicos haud ignorasse fallaciter agere Arianos, nec tã de voce quam de re ipsa. At duas voluntates neq; vllam adhuc Synodum sanciuisse, neq; Monothelismum in apertum erupisse, sed tantum inter Episcopos disputatum: sperasseque Honorium contentionem posse componi.

XVII. Sed hæc frustra. Primo, quia duæ voluntates erant traditæ iã olim ab ipsa Scripturæ, cuius longè maior autoritas quam vllius Concilij. Nec potuit τὸ ὁμοούσιον esse pro clypeo Catholicis, nisi quatenus significauit rem ipsam, quæ aliter nõ debuit credi. Atqui eadem ratio duarum voluntatum. Nondum erupisse Monothelismum, quid ad rem? Aut quid interest, si arma abijcias statim ineunte prælio, an vero post diutius continuatum certamẽ? Nam æque vtrinque victoria amittitur. Tum autem quid obtinent, nisi Honorij fuisse improuidam prudentiam, quam effectus frustratus sit? Quod, opinor, non admodum est pro dignitate regulæ.

XVIII. Sed rursus in ipso Constantini typo, literisque Honorij differentiam multam Gretserus obseruat. Primum enim in eo simpliciter & grauibus pœnis propositis interdici, ne quis in posterum disputaret de vna in Christo voluntate, aut vna operatione, aut duab. voluntatibus, duabusue operationibus. Secundo, id factum, postquam ea hæresis longe lateq; esset diffusa. Tertio non actum de modo loquendi, re salua, sed cum phrasi res ipsa eliminata.

XIX. Sed ego non video quid tanti sit discriminis inter eum qui vetet disputare de duabus voluntatib. & eum qui duas dicendas neget. Imo iste meo iudicio grauius peccat, qui rem ipsam tollit, quum ille tantum contẽtiones videatur inhibere De secundo, & iam dixi, & nunc addo, principijs potius fuisse obstandum, ac tum libere veritatem profitendam cum primulum labefactaretur. Nec sanè vlla vnquam ratio fuit curandi vlcera dissimulando. Ideo neq; vnquam antea, neq; vnquam postea in vsu fuisse. Adde ne tum quidẽ. Apparet n. Catholicis non placuisse medium istud consilium sed tantum hæreticis. Constantino, inquam, Imperatori, & Paulo Constantinopolitano, nec ijs sine dubio solis: Conciliorum autem iudicio ea potior fuit sententia, quæ dissimulationem in re tanta non probabat.

XX. Ad tertium dico: eum, qui inhibeat duas dici voluntates, non agere de modo loquendi re salua. Doceo his rationibus. Primo, ea nulla est phrasis affectata, sed de medio petita: atque adeo tantæ simplicitatis, vt vix possit vllis alijs verbis non affectatis, non obscuris, & improprijs eadem res significari: atque adeo nunquam factum. Cum igitur in huiusmodi rebus, non tantum cordis fides postuletur, sed etiam oris confessio exigatur: qui prohibebat dici duas voluntates, si forte rem tollebat funditus: certè rei tollendæ magnum præiudicium afferebat. Secundo, quæcunque rationes redduntur, quare non sint dicendæ duę voluntates, eæ non dę phrasi agunt sed de re per phrasin significata. Arianorum cautior erat prudentia, qui τὸ ὁμοούσιον oppugnare fingebant, quia vocabulum esset alienum à Scriptura: neque à patribus vsurpatum: nam eo acumine poterãnt persuadere se rem in medio relinquere, vocabulum duntaxat odisse. Sed, qui negabat propterea vsurpandum, quia filius esset ἐξ οὐκ ὄντων, & minor Patre, omnino is rem ipsam eo vocabulo significatam iudicatus est improbare. Tertio, qui prohibuit duas dici voluntates, & rem tamen sartam tectam voluit, debuit aliam phrasin eius loco substituere, ad idem significandum vsurpandam: at Honorius nullam substituit.

XXI. Iam dico, re vera epistolas Honorij esse hæreticas, id est prorsus continere hæresin Monothelitarum, nec posse legitimè excusari. Et primo ea verba, quæ excerpsit Bellarminus, eo tantum faciunt, vt sciamus tantum Iesuitam, vel nescire, vel non meminisse, quis sit status causæ Monotheliticæ. Etsi n. verum sit his concessis necessario ruere eã hæresin, quæ vnam tantum in Christo voluntatem ponat, quia ex antecedente necessario non potest consequens non legitimè concludi: nihilominus Monothelitæ vtrumq; asserebant, nimirum & esse duas in Christo naturas proprietatib. distinctas (nam viderant Eutychẽ damnatum eo quod id negaret) & nõ esse tamen duas voluntates, & ἐνεργείας earum naturarum, sed vnicam. Haud aliter, quam hodie Papistæ, etsi concedant Christi corpus esse verè corpus humanum, vnde necesse est esse finitum, ideoq; in vno tantum loco, tamen pertinaciter asserunt, simul esse in pluribus atque adeo infinitis hostijs, altaribus, armarijs, stomachis.

XXII. Sic Zonaras in Heraclio testatur cum ab Imperatore accusaretur Patriarcha Iacobitarum, quod nollet obtemperare Concilio Chalcedonẽsi, & confiteri duarum naturarum vnionem absq; confusione, eum respondisse se probare id Concilium, & credere duas naturas vnitas, nolle tamen confiteri duas voluntates. Damas. in lib. de Hæresib. *Duas naturas, vnãq; personam in Christo illi quidem prædicant, sed vnam voluntatem, vnamq; actionem in eodem ponunt.* Harmenopolus, οἱ περὶ Σέργιον ἢ Πύῤῥον μίαν θέλησιν, καὶ μίαν ἐνέργειαν ἐπὶ Χριστοῦ ἔλεγον τοῦ ἐκ δύο φύσεων συγκειμένου. *Sergius & Pyrrhus vnicã dixerunt voluntatem & operationem Christi constantis ex duabus naturis.*

XXIII. Non sequitur ergo non fuisse Monothelitam Honorium, quia distinctionem naturarum in Christo voluit conseruatam. Nã confusio pertinet ad Eutychianismum, Monothelitæ a hunc odio habebant, & putabãt tamen se posse non absurdè vnicam voluntatem profiteri: & id à Leone Sergius didicisse asserebat scribens ad Honorium, *Hoc namq; nos Leo instruit, manifeste perhibens: Agit enim vtraq; forma cũ alterius communione quod proprium habet.* Viden' vt verba vsurpabant prorsus Orthodoxa? Viden' vt Leonis tomum probabant, quo velut exstincta est Eutychetis hæresis? Viden' vt vtramq; formam confitentur, hoc est, duas naturas distinctas? Viden' vt vtriq; suas concedant proprietates? Viden' vt vtramq; sua sibi propria agere concedant? Hæc omnia quis neget esse Catholicissima? Vbi igitur venenũ? In communione. Quam n. Catholici referebant ad ὑποστατικὴν ἕνωσιν, Sergius interpretabatur de vna voluntate. Vt, exempli gratia, mortuus sit Christus, carne, nõ a. deitate: & sic vtraq; forma agente, quod proprium habebat, sed nõ ita vt caro, hoc est αὐθορμήτως aliquam haberet voluntatem moriendi propriè, & per se, sed tantum personaliter suam. Inde erat hæreticus Sergius: inde etiam Honorius. Inde patet illud quod tantopere Gretserus vrget, de duabus naturis propria operantibus, esse inutile: quia id ipsus Sergius, quem non diffitentur hæreticum, profitebatur. Ita vt dicẽdum fuerit Honorio, non illud tantum eas naturas propria operantes: sed addendum & volentes. Quandoquidem hæretici, qui concedebant operantes, volentes negabant.

XXIV. Iam hæreticas esse eas literas doceo, primo ab exemplo: quia in Concilio Romano sub Martino Papa typus Constantini Imperatoris, qui nihil aliud agebat, quam vt prohiberet nominari, aut vnam aut duas siue voluntates, siue operationes, damnatur, eiusque sententia declaratur impia, *vt quæ omnes sanctorum Patrum definitiones, & neruos contra hæreticos tollat.* Et verba sunt ex actione prima. Sed hæc disertiora ex canonib. Martini 2 Conciliorum tom. canone 18. qui damnauit ἔκθεσιν Heraclij, & addidit cum ea, *impijssimum typum factum ex suasione Pauli, à Serenissimo principe Constantino Imperatore contra Catholicam Ecclesiam, vtpote duas naturales voluntates & operationes diuinam & humanam, quæ à sanctis Patribus in ipso Christo Deo vero, & Saluatore nostro pie prædicantur, cum vna voluntate & operatione, quæ ab hæreticis impie in eo dogmatizantur, simul denegare, & simul tacere promulgantem: & propterea cum sanctis patrib. & sceleratos hæreticos ab*

omni querela & condemnatione iniuste absoluere definientem, in interemptionem Catholicæ Ecclesiæ definitionum & regularum. At hoc ipsum efficiebant literæ Honorij: Ergo vel simul cum typo condemnandæ impietatis: vel simul cum ijs typus absoluendus.

XXV. Rursus hæreticas esse doceo, ex ipsis verbis. Et primo, quod asserat æquè duas voluntates, atque vnam, non inueniri in scripturis. Non enim schismatum aut constitutionum metus, sola Honorio prætexitur eius interdicti causa, sed etiam hæc quod nihil definitum esset, non tantum ab Ecclesia, ne à me Bellarminus præcedentes Synodos requirat, sed ne quidẽ à Scripturis: quo fretus asserit, si qua fortasse eo spectantia reperiantur in scriptis patrum, ea non esse torquenda ad dogmata Ecclesiastica. Recito ipsa verba, *Et si forte quædam balbutientes (vt ita dicam) nisi sunt proferentes exponere, non oportet ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neq; Synodales apices super hoc examinantes, neq; autoritates canonicæ visæ sunt explanasse, vt vnam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neq; Euãgelicæ, neq; Apostolicæ literæ, neq; Synodalis examinatio super his habita visa sunt terminasse: nisi fortassis (sicut præfati sumus) quidam aliqua balbutiendo docuerunt.* Et paulo post quæstionem irridet tanquam Theologis indignam, relinquendamq; Grammaticis, qui solent paruulis exquisita deriuando nomina vendicare: ita deridens eos qui ex operibus diuinitatis & humanitatis deriuabant geminas operationes.

XXVI. Secundo, quia eludit locos Scripturæ, quib. astruuntur duæ volũtates. *Et si quidem scriptum est* (inquit) *Nõ veni facere voluntatem meã, sed eius qui misit me Patris. Et non quod ego volo sed quod tu vis Pater: & alia huiusmodi non sunt hæc diuersæ voluntatis, sed dispẽsationis humanitatis assumptæ. Ista n. propter nos dicta sunt, quib. dedit exemplũ, vt assequamur vestigia eius, pius magister discipulos imbuens, vt non suam vnusquisq; nostrûm, sed potius Domini in omnib. præferat voluntatem.* Respondet his verbis obiectioni Catholicorum ex ijs locis inferentium humanitati Christi suam esse propriam & distinctã à diuinitate voluntatem, secundũ quam ea essent dicta. Ille igitur asserebat ea non vere dicta, sed per dispensationem tantum, hoc est, artificiose, & vt loquebatur Hieron. de mendacio Pauli obsistentis Petro, (sic n. putabat) officiose. Gretserus nugatur sensum esse non habuisse Christum contrarias voluntates humanas inter se pugnantes: sed ita loquutum ac si haberet vt doceret nos mortificare propriam voluntatem. Sed qui miratur peruersitatem nostram, næ is suam impudentiam traducit. Nam primo in tota ea Epistola ne vnus quidem locus est, qui indicet sermonem esse de voluntatib. humanis, sed de voluntatibus in Christo. Deinde quorsum inductæ essent voluntates humanæ, de quibus tum nemo contendebat? Nam Sergius nõ poterat ferre duas in Christo: & hic erat status quæstionis. Disertè Sergius, *Vnde & vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum vni eidemq; personæ Domini nostri Iesu Christi applicemus.*

XXVII. Tertio hæc diserta sunt, *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi*: quæ pura puta sunt hæretica: nam Catholicum dogma est, duas confiteri voluntates in Christo, pro numero naturarũ, duasq; energias siue operationes in vno eodemque apotelesmate.

XXVIII. At hæc verba contendunt aduersarij dicta non de persona, sed de natura humana: vt voluerit Honorius nõ fuisse in Christo homine duas pugnantes voluntates, vnam carnis, alteram Spiritus, sed vnam tantum, nimirum Spiritus. Et hoc probat tribus argumentis.

XXIX. Primum argumentum, ex ratione quam reddit Honorius: quia à diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa: illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ est post præuaricationem vitiata: quæ ratio nulla est, si adferatur ad probandum in Christo Deo, & homine vnam tantum esse voluntatem. Deinde, quia ad locos, *Non veni facere voluntatem meam: Non quod ego volo, sed quod tu*, respondet ea non esse diuersæ voluntatis, sed dispensationis: hoc est non habuisse Christum contrarias voluntates ita vt opus illi fuerit, vnam vincere, ac mortificare.

XXX. Secundum argumentum à testimonio Maximi, qui vixit Honorij tempore. Is in Dialogo, introducit Pyrrhum hæreticum proferentem pro se testimonium Honorij: eiq; respondet ex testimonio Secretarij ipsius Honorij adhuc superstitis, αὐτὸς πρὸς τὸν ἅγιον Κωνσταντῖνον τὸν γενόμενον βασιλέα ἐκ προσώπου πάλιν Ἰωάννου τοῦ ἐν ἁγίοις πάπα γράφων ἔφη. ὅτι ἓν θέλημα ἐφήσαμεν ἐπὶ τοῦ κυρίου, οὐ τῆς θεότητος αὐτοῦ καὶ τῆς ἀνθρωπότητος ἀλλὰ μόνης τῆς ἀνθρωπότητος. Σεργίου γὰρ γράψαντος, ὡς τινες δύο θελήματα λέγουσιν ἐπὶ Χριστοῦ ἐναντία, ἀντεγράψαμεν ὅτι ὁ Χριστὸς δύο θελήματα ἐναντία οὐκ εἶχε σαρκός, φημι, καὶ πνεύματος, *Scripsit ad sanctũ Constantinũ Imperatorem ex persona Io. Papæ: Vnã volũtatẽ diximus esse in Christo, non diuinitatis & humanitatis, sed solius humanitatis. Nam cum Sergius scripsisset, quosdam dicere duas esse in Christo voluntates contrarias, rescripsimus, Christum non habere duas voluntates contrarias, nimirum, carnis, & Spiritus.*

XXXI. Tertium argumentum: cum in tota Epistola Honorius contẽdat, non esse dicendam vnam nec duas voluntates, quomodo ipse sui oblitus tam aperte vnam fateretur? Non igitur vnam esse dixit: Dei & hominis, sed vnam solum hominis.

XXXII. Sed contra, verum est ea verba ab Honorio dicta non de humanitate sola, sed de Deitate & humanitate, id est tota persona. Nam particula *Vnde*, ostendit ea verba pendere, imo deduci a præcedentib. Præcedunt aista immediate. Imo vero hic est contextus: præstat n totum describere *Profecto diuinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti: sed propter ineffabilẽ coniunctionẽ humanæ diuinæq; naturæ, idcirco & vbiq; Deus dicitur pati, & humanitas ex cœlo cũ diuinitate descendisse. Vnde & vnã voluntatẽ fatemur Domini nostri Iesu Christi.* Hic tria obseruãda sunt primũ, quod nomen *Domini nostri Iesu Christi*, non alteram significet naturam, sed totã personam constantẽ ex vtraq; natura. Itaq; verba non possunt aliud significare, quam in ea persona, vnam esse voluntatẽ. Secundũ, quod etsi certũ sit nominatã personam, tamẽ nusquã exprimat alteram naturam, ad ea verba coercenda. Tertium, quod ipsa series ostendat Honorio tum temporis cum hæc diceret, ob oculos fuisse ipsam arctissimam naturarũ cõiunctionẽ. Vnde satis apparet, similiter vt reliquos Monothelitas, cõclusisse vnicam esse voluntatẽ, quia vna sit duarũ naturarũ persona. Addo, si tantũ negaret in Christo esse cõtrarias voluntates, ridicule faceret, discedẽs à quæstione Nã hoc nõ cõtrouertebatur inter Catholicos & Monothelitas. Nã quod Gretser. dicit, voluisse inter alia ostendere, quid Christus assumpsisset, quid non falsum esse videbunt, quicumque eam legent Epistolam: quæ tota occupatur in disputatione de duabus voluntatibus? Tum vero hæc dicta sunt non disputando, vbi potuerunt varia colligi argumenta: sed definiendo hanc ipsam quæstionem, quæ erat præ manibus.

XXXIII. Ad primum argumentum Bellarmini respondeo, hoc ipsum esse Monothelitarum argumentum, nimirum à contrarietate voluntatum. Existimabant enim necessario sequi, poni contrarias, si ponerentur plures. Sic enim Sergius ad Honorium contra Sophronium, *Insuper & consequens ei est prædicare duas voluntates contrarietates circa inuicem habentes, tãquam Deo verbo salutarem volente adimpleri passionem: humanitate vero eius obsistente eius voluntati, & resistente: & perinde duo contraria volentes introduci, quod impium est. Impossibile quippe est, in vno eodemq; subiacẽti duas simul & erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina operæpretium instruit, quod nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim & ex appetitu proprio contrario nutui vniti sibi secundum subsistentiam Dei verbi naturalem suum motum effecit, sed quando & qualem quantam ipse Deus verbum volebat.* Tantum igitur abest vt sit hæc excusatio Honorij, vt potius argumentum sit eius perfidiæ. Nam etiam explicans locos Scripturæ à Catholicis obiectos, negauit esse diuersæ voluntatis, non dixit inquam, non esse contrariæ, sed diuersæ.

XXXIV. Testimonium Secretarij facilè eleuatur. Potuit n. ille, cum videret, hæresin illam improbatam, excusare quæ siue ipse scripserat, vt plerumq; Secretarij solent, siue à magistri dictantis ore exceperat. Sed magis credendum est ipsi literarum contextui. Gretserus contra obseruat disputationem Maximi factam annis fere triginta quinq; ante Synodum, in qua Honorius damnatus. Quid tum inquam: At non profecto ante eam hæresin improbatam, quod sufficit. Nã in ea ipsa disputatione statim initio Pyrrhus conqueritur se suosq; a Maximo traductos pro hæreticis πανταχοῦ διασύρεις ἡμᾶς, αἱρετικὴν ὑπόληψιν διδοὺς ἡμῖν. Quod tantum abest, vt neget Maximus, vt potius eos dicat, ἀθετῆσαι τὸ Χριστιανῶν δόγμα. Quis neget hanc legitimam fuisse visum Secretario causam excusandi Honorij?

XXXV. Ad tertium respondeo, Arianos concedentes, vt neque ὁμοούσιος diceretur, neq; ὁμοιούσιον, tamen hoc posterius re ipsa tenuisse. Porro hoc ipsum siue vitium, siue quid aliud placet appellare, reperiri in ἐκθέσει, Heraclij Imperatoris. Nam cum prius dixisset, *Nullo modo concedentes ex omnibus vnã vel duas dicere, siue docere operationes in diuina Domini incarnatione*: ad extremum concludit in hæc verba, *Vnde sanctos Patres in omnibus & in hoc sequentes, vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi verissimi Dei confitemur.* Est autem hæc ἐκθέσις damnata à Martino primo, & impijssima nominata, factaque aduersus orthodoxam fidem.

XXXVI. Ergo Honorij literæ nihil quam hæresin spirant. Examinemus ergo testes à Bellarmino laudatos. Primus est Agatho, qui Epistola prima ad Imperatorem, quæ lecta est in Concilio, Actione 4. testatur Ecclesiã Romanam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse, nec hæreticis nouitatibus deprauantã succubuisse: imo, vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab autoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibatam fine tenus permanere: & suos prædecessores semper confirmasse fratres suos. Secundus est Nicolaus ad Michaelem, qui de Romanis Pontificibus ait, *Hoc enim nec tenuis saltem rumor asserit, aliquando cum praua sentientibus sapere, quanto minus concertare*? Tertio: in Concilio Romano sub Martino primo ante sextam Synodum, de hac ipsa Monothelitarum causa habito, damnati sunt quidem nominatim Sergius, Cyrus, Pyrrhus & Paulus: at Honorij nulla mentio facta.

XXXVII. Respondeo primo, Agathonis eas literas prius fuisse scriptas quam de Honorio iudicatum: imo, quam eius literæ essent prolatæ ex Patriarchio Constantinopolitano, & examinatæ. Potuisse igitur Agathonem verisimiliter ignorare, aut certè etiam dissimulare. Vnde Torrensis libro de sexta, septima & octaua Synodis, *In his quidem literis, quia fortasse nondum quicquam certi de Honorij sensu præter rumorem non bonum haberetur, vt in quem ante id tempus minime esset inquisitum, nihil in eum nominatim scriptum est.*

XXXVIII. Neque mouent me Gretseri exstatici clamores. Quid hoc dissimulare, inquit, aliud fuisset quam turpiter mentiri? Esto vero, inquam. Fac me dixisse Agathonem turpiter mentitum: quid tum postea? An tanti erat vnius homuncionis persona, vt non ausim, non debeam Scapham scapham dicere? Quanquam nihil est necesse: & debet mihi permittere Gretserus, vt antiquorum peccata modesto velamine obducam. Ille exaggeret quantum volet, & clamores tragicos tollat: ac me certè meæ modestiæ non pœnitebit. Quis autem nescit, exceptis his bipedibus, alienis humanitatis, nonnihil esse discriminis inter dissimulare & mentiri: & mentiri turpiter? Tum autem huic dissimulationi cur tam hæret mordicus, vt verisimilem ne attingat quidem? Non enim crudè dixeram dissimulasse, sed aut ignorasse, aut dissimulasse.

XXXIX. Porro has Agathonis literas fuisse quidem lectas, probatas etiam Patribus in ea Synodo: sed secundum quid: hoc est, quatenus definiebant negotium fidei, quod erat præ manibus. Nam actione 8. sic Imperator proponit, *Edicat Georgius sanctissimus Episcopus huius à Deo conseruandæ nostræ ciuitatis, & Macarius venerabilis Archiepiscopus Antiochiæ, & ei subiacens Synodus, si conuenit eis sensus suggestionum directarum ab Agathone sanctissimo Papa Romæ, & eius Synodo.* Tum reliqui omnes Episcopi ordine dixerunt se probare quicquid in eis suggestionibus erat aduersus Monothelitas Si quas igitur ille laudes suæ sedis adscripsit ἐκ περιουσίας, de eo Patres tum ne cogitarunt quidem. Itaque importunum sit eas vrgere tanquã à Concilio disertè approbatas.

XL. Secundo respondeo, ipsum Agathonem, primo per legatos, postea scriptis literis consensisse Actis Synodi: ac proinde Honorij damnationi, æque ac Sergij, Pauli, aliorum: eoque facto derogasse suis præcedentibus literis: vt sit earum deinceps inutile testimonium. Quid? Nihilne hîc ponderis erit testimonio Leonis successoris? *Post vero Agathonem Leo Pontifex* (totidem verba leges Torrensis libro de tribus Synodis) *in ea Epistola, quam ad Constantinum misit, quæ Conciliũ sextum confirmauit, enumerans eos, quos anathematizat. Et Honoriũ, ait, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non apostolica traditione lustrauit, sed profana proditione immaculatam fidẽ subuertere*

conatus

conatus est, & omnes qui in suo errore defuncti sunt, similiter anathematizamus & execramur. Perpende quæso diligenter. Non nominat Agatho inter damnatos Honorium, at nō eximit tamen. Sed post eum Leo, nominatim damnatis annumerat & diris insectatur: ille ante rem cognitam, hic post iudicatam. Quis locus tergiuersandi?

XLI. Tertio, resp. laudes Agathonis pertinere ad Ecclesiam Romanam: nō esse autem idem Honorium & Ecclesiam Romanam. Itaq; respōdisse iam pro me Sanderum: Etsi Honorius hunc errorem docuisset, tamen id crimen non attingere Romanam Ecclesiam. Vnde certum, etsi id crimen non attingeret eam Ecclesiam, tamen potuisse ab Honorio eum errorem doceri. Itaque peccare Gretserum, qui inexpiabile scelus asserat, dicere nullum Romanorum Pontificum vnquam à vero deflexisse, & tamen certo scire Honorium in Monothelitarum hæresin incidisse. Neque enim Agathonem esse loquutum de Romanis Pontificibus: sed de Ecclesia: pro qua Pontifices substituere Gretsero sola persuasit Sophistice: quæ neminem debet à vero abducere.

XLII. Nicolaus nullo modo excusari potest ab insigni mendacio: aut saltem crassa rerum præteritarum ignoratione: qui ne tenui quidem aspersos rumore dicat vnquam Romanos Pontifices Vixit iste annis paulo minus centum post Synodum septimam, in qua Bellarminus ipse fatetur Honorium inter hæreticos nominatum: nec queritur acta fuisse falsata. At is certe nō tenuis rumor dici debet, sed graue præiudicium: etiam si alioquin res ipsa posset negari. Adde, Leonis, quas diximus diras. Et tu hunc ne tenuem quidem rumorem dixeris? Quid si Liberij historiam repetamus? An fuerit ne tenuis quidem rumor, quem confirmabat grauissimorum virorum locuples testimonium, Athanasij, Hieronymi, Hilarij? Cum igitur tam sit confidenter mentitus, siue ignorans præterita, siue adulatus suæ sedi: vidēt omnes quam parum sit eius autoritati tribuendum.

XLIII. Sed hæc nimirum fuit Romanorum Episcoporum pertinacia, vt in sua sede nunquam voluerint errores agnoscere, ne quidem ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensos. Lepida est in eam rem historia Paschalis apud Vrspergensem an. 1116. Is priuilegium à se Imperatori concessum de inuestituris cōdemnabat, tanquam continens hæresin. Hic Bruno quidam subridens, & vt apparet, subtiliter dicax, *Si priuilegium illud hæresin continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit.* At hæc, patientia Domini Papæ horrendo hæresis nomine pulsata, expergefacta est: &, *Fratres & Domini mei audite: Ecclesia ista nunquam habuit hæresin: imo hic omnes hæreses conquassatæ sunt.* Audin' tu? Et meministin' mulieris adulteræ, quæ tergens os suum dicit, Non sum operata malum: Prouerb. 30.

XLIV. Synodus Romana, cui apud Bellarminum postremus testimonij locus est, celebrata est annis minimum triginta ante sextam: conuocante Martino Episcopos suæ ditionis. Fuit ergo particularis: tum Romæ: & absentibus Græcis, maximè Constantinopolitanis. Potuerunt igitur, & post annos triginta alia in notitiam venire, quæ tunc latebant, & Romæ dissimulari Romanorum Pontificum crimina. Quare nihil hactenus prolatum est, quo appareat Honorius immerito damnatus hæreseos.

CAP. XIII.

De Ioanne XXII. hæretico.

I. IOannes vigesimus secundus à Sanctis post hanc vitam Deum videri ante diem iudicij: ac proinde beatitudine donari negauit eorum animas. Testes, Adrianus Florentius in quartum Sententiarum de Sacramento confirmationis art. 3. Ioannes Gerson sermone de Paschate in 4. to. Alphonsus de Castro contra hæreses, lib. 3. de Beatitudine hæresi 6. Petrus Auratus parad. 11. Bellarminus ipse de Pontifice Romano lib 4. cap. 14. & de Ecclesia triumphante lib. 1. c. . Robertus Gaguinus lib. 8 ad finem Christianus Massæus in Chronic. libr. 18. Gobelinus, qui eodem vixit tempore, Cosmodromij ætate sexta, c 76. Auentinus annalium lib. 7. *Hunc Ioannem temere atq; male de beatitudine, atq; felicitate humana sensisse reperio. Nullam penitus animam mortalium, donec ij reuiuiscerent, atq; immortalitate donati post excidium demum orbis forent, cœlestem in curiam recipi prædicauit. Legi ego Epistolam quæ extat Theologorum eiusdem tempestatis, maximè Parisiorum, qui illum hæreseos nota inurunt, atq; vt resipiscat, commonefaciunt.*

II. Habebimus igitur hîc paulo æquiorem Bellarminum. Sed quantam oportet esse Costeri impudentiam asserentis in Euchiridio, in tanto Pontificum numero; qui beato Petro successerunt, ne vnum quidem vsq; ad Gregorium decimumtertium, esse inuentum, qui hæresin docuerit, aut in errorem sit lapsus? Et Iesuitarum aliquis conscientiæ posthac habeat fidem? Imo illa bruta sunt Papæ mancipia: vixque Deum credant esse, nisi ille annuerit.

III. Quid igitur Bellarminus? Peccatum, quod negare non potest, quātum potest extenuat. Primo, quod id senserit, quando adhuc sentire licebat sine periculo hæresis, quia nulla præcessisset Ecclesiæ definitio. Secundo, quia voluerit quidem quæstionem definire: sed dum adhuc in præparatione & consultationibus versaretur, mortuus sit, teste Benedicto XII. eius successore, in Bulla, quam recitat Alphonsus de Castro. Tertio, quia pridie ante mortem sententiam suam, teste Ioanne Villano, partim declararit testatus se nunquam quæstionem definire in animo habuisse, sed solum disserere ad veritatem inuestigandam: partim reuocarit, addens se existimare probabiliorem esse eam sententiam, quæ asserat, beatos frui visione diuina, etiam ante diem iudicij: & hanc sententiam se amplecti, nisi aliquando aliud Ecclesia definierit, cuius definitioni suas omnes sententias libentissimè esset subiecturus.

IV. Atqui illud non quæritur, quam grauiter, aut quam leuiter peccarit Ioannes, sed vtrum peccarit in fide. Nam quicunque peccat in fide, is fieri non potest vt sit regula fidei. At Ioannem peccasse constat, siue resipuerit, siue non resipuerit. Imo se resipuit, tum ipsum etiam iudicem habemus proprij peccati, &, vt dicunt, confitentem reum. Quid igitur obstat, quo minus negemus Ioannem fuisse regulam fidei? Et quia aut nulli Episcopi Romani, aut omnes sunt regula, etiam in vniuersum negemus vllum Episcopum Romanum esse regulam fidei?

V. Imo ex verbis Bellarmini constabit, ne supremum quidem esse iudicem controuersiarum: Nam asserit Bellarminus illum morientem declarasse se veriorem sententiam amplecti, nisi aliter videatur Ecclesiæ. Ergo credidit, aliud posse Ecclesiam iudicare aliud vero ipsum Et addidit, se Ecclesiæ iudicio suum subijcere. Ergo & hoc agnouit, suo iudicio superius esse Ecclesiæ iudicium. Suum, ergo sane non regulam.

VI. Quid autem illud est, sic sensisse Ioannem cum licebat sentire, absq; vllo hæreseos periculo? Saltem Massæus diserte, *Papa Ioannes prædicauit errorem.* Seuerinus Binius, *Erroneam aliquando sententiam de animabus certo loco ante diem iudicij detentis, ille sustinuit.* Genebrardus, *Errorem Lactantij & Irenæi de receptaculis animarum vsq; ad resurrectionem tenuit & publice prædicauit.* Quid hodie facta est Christianitas, vt errorem in fide neget esse hæresin: imo esse pronuntiet absq; hæreseos periculo? At cur tandem facta est hæresis, si non tantum erat non hæresis: sed etiam absque hæreseos periculo?

VII. Enimuero hæresin dicimus, vel in doctrina, vel in persona. Hæresin doctrinæ esse, quando idipsum, quod proponitur, est cōtra fidem Catholicam & orthodoxam. Hæresin personæ, cum quis hæresin doctrinæ proponens, appellatur hæreticus. Quid ergo sibi vult Bellarminus? An aliquando licuisse sic sentire absq; periculo hæreseos doctrinæ? id est, tum non fuisse falsam eam doctrinam? Atqui hoc ineptum est. Nihil est enim in fide Christiana aliquando falsum, quod non semper sit falsum: aut aliquando verum, quod nō semper sit verum. Est a. hæresis (inquit Ioannes de Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 4. par. 2. c. 1.) *opinio vel assertio falsa, siue dogma falsum catholicæ veritati contrarium, in eo qui Christianam fidem professus est.* Quamuis hoc paulo fortasse coactius: Nam etiam in non Christianis hæreses nominarunt Epiphanius, & Philastrius, sed nunc nihil ad rem.

VIII. Sin autem intelligit absq; periculo hæreseos personæ, hoc est, vt propterea non posset quis hæreticus appellari. Primo hoc nihil ad rē Quia vt infallibilis dicatur quis, nō tantum necesse est nunquam esse hæreticum sed etiam nunquam incidere in dogma falsum, aut opinionem erroneam. Nam quia hæresis est in intellectu, vt subiecto (sicut probat Ioan de Turrecremata eodem libro & parte, c. 4.) ergo quicunque incidit in hæresin, habet intellectum vitiatum quoad fidem. Quis autem non sanum habens intellectum, possit esse regula fidei?

IX. Secundo, est falsum. Nam hæreticus multis modis dicitur, vt idem docet c. 11. inter alios autem hic est, vt significet eum, *qui sentit contra sacrā scripturam, siue contra ea quæ necessaria & formali consequentia ex ea eliciuntur siue qui scripturam sanctam male interpretatur.* Et rursus eum, *qui aduersus quodcunq; genus veritatis Catholicæ opinionem suam peruersam atq; prauam pertinaciter defendit.* Ergo si fuerit paratus corrigi Ioannes, non fuerit quidem ille hæreticus posteriori modo, hoc est, pertinax. Sed altero modo, sine dubio fuit hæreticus: nisi negent Iesuitæ, sensisse contra ea, quæ necessario sequuntur ex Scriptura.

X. Sed nulla præcesserat Ecclesiæ definitio, inquiunt. Hoc rursus quid significet quæro: An nondum fuisse in Ecclesia traditum animas visuras Deum ante resurrectionem. An vero in nullo Concilio eam quæstionem adhuc definitam? Prius illud negatur, Nulla est enim Catholicæ fidei veritas, quæ non sit ab initio tradita, & constituta: itaq; aut negandum est, eam esse catholicam veritatem, aut ab initio esse traditam fatendum. Non est enim fides temporum, sed Euangeliorum, vt recte Hilarius ad Constantinum.

XI. Et sanè id docuit Scriptura. Christus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Paulus ad Philip. 1 *Desiderans migrare, & esse cum Christo.* Et post. ad Corinth. 5. *Scientes nos aduenas esse in corpore, peregre absumus à Domino. Confidimus a. & probamus potius migrare à corpore, & ad Dominum ire habitatum.* Steph. Act. 7. *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.*

XII. Docuerunt etiam Patres. Cyprianus libro de mortalitate, *Nobis quoq; ipsis minimis & extremis quoties reuelatum est, quam frequenter atq; manifeste de Dei dignatione præceptum est, vt contestarer assidue, & publice prædicarem, fratres nostros non esse lugendos, accersione dominica de seculo liberatos, cū sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, vt proficiscentes, vt nauigantes solent: desiderari eos debere non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba iam assumpserunt, occasionem dandam non esse gentibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod quos viuere apud Deū dicimus, vt extinctos, & perditos lugeamus.*

XIII. Non omnes colligam, addam duntaxat Augustinum in Ioan. tract. 49. *Requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisq; cum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ: videte ex quo requiescunt. Posteriores Prophetæ, recentius Apostoli, multo recentiores sancti martyres, quotidie boni fideles.* Et in libro de dogmatibus Ecclesiasticis (quem tamen Gēnadio Massiliensi Sanderus tribuit, c. 79 certe non est Augustini) *Post ascensionem Domini in cœlos, omnium sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, exspectantes resurrectionem corporis sui.*

X.V. Fuit ergo & Scripturarum authoritate ab initio definitium, & autoritate Patrum traditum in Ecclesia, animas sanctorum statim à morte esse beatas, & cum Deo, ac Christo. Ioannes igitur, & contra Scripturam docuit, & contra traditiones patrum, contra dogmata Ecclesiastica. Et aliquis dicat, non docuisse hæresin?

XV. Quod si alterum eligant effugium, & negent ab vllo Concilio definitum respondeo non minus fuisse hæreticum. Nam, ne tum quidem, quū Arius cœpit negare Trinitatis æqualitatem, vllum præcesserat vllius Concilij decretum: & tamen statim damnatus est ab Alexandro, Alexandriæ Episcopo, vt hæreticus. Nondum etiam Concilium Ephesinum sua decreta ediderat, cum Nestorius negans Mariam θεοτόκον, à Cyrillo de hæresi reprehensus est, negante cum eo vllum communicare debere, imo à Celestino excommunicationis minas audiuit, nisi intra decem dies resipisceret. Quid? nonne infinitæ sunt minutiores hæreses, ob quas nunquam vllum congregatum est Concilium? Imo vero, cum ante Nicenam nulla vnquam Synodus cogi potuerit vniuersalis, hoc est, trecentis post Christum annis,

multi tamen pro hæreticis ſunt & habiti & damnati. Neque vllus vnquam inuentus, qui eos hoc prætextu excuſaret, quod nulla adhuc eſſet Eccleſiæ publica aut ſolennis definitio. Sed & in Monothelitarum negotio luculentiſſimum mihi eſt exemplum. Diſputauit Maximus contra Pyrrhũ annis circiter triginta quinque antequam in Concilio Romano damnarentur Monothelitæ, & tamen eos in hæreticis poſuit. Vnde fit certum, qui duas voluntates in Chriſto negauit, hæreticum fuiſſe, etiam ante Concilij determinationem.

XVI. Nec vero recordatus eſt Bellarminus, mendacem memorem eſſe oportere. Nam lib. 1. de Eccleſia triumphante c. 2. vt probet ex Eccleſiæ teſtimonio animas ſanctorum frui Dei viſione, profert, ab Alphonſo de Caſtro monitus, Innocentium tertium, qui id diſertis verbis docuerat, Extra de Presbytero non baptizato, capite *Apoſtolicam*. Fuit autem Innocentius decimusnonus in ordine Pontificum ante Ioannem hunc, de quo agimus, interuallo annorum circiter centum.

XVII. Sed non potuit definire: hoc enim ſecundo Bellarminus dixit. En rurſus, inquam, vt in Anaſtaſio θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, totieſque expectandum nobis miraculum aliquod, quoties Romanus aliquis Pontificulus nouo percitus œſtro, nonnihil ſomniauerit aduerſus fidem, alias perierit veritatis regula. Imo quanta hæc eſt, quam certa veritatis regula, qua confracta opus ſit, ne nos à recto abducat? Nouum autem concluſionis genus. Morte præuentus eſt, antequam opinionem ſuam definiuerit. Ergo non fuit hæreticus. Imo: inquam, negatur conſequentia: & contra potius: morte præuentus eſt, antequam meliora edoctus: ergo mortuus hæreticus.

XVIII. Præterea neminem habet autorem præter Benedictum duodecimum Ioan. ſucceſſorem. Atqui hic ſeipſum ſatis ſuſpectum reddit, cum in hac ipſa extrauagante. Ioannem conſtituit tanquam iudicẽ, non vero tanquam partem, ita que deſcribit, quaſi in ſcholis tantum verſatã quæſtionem inter eos quos vulgo Theologos appellabant, ipſum autem Ioan. quaſi ſpectatorem: Cum tamen reliqui, hunc illi ſoli errorem tribuant. Quæ nimia eſt adulatio, nec ſatis digna homine ſincero. Eſt igitur veriſimile, cum iam tum hoc morbo laboraſſe, cui omnes obnoxij ſunt noſtri Ieſuitæ: nempe vt quantum poſſet extenuaret defectus ſuæ ſedis, quam initio valde extollit.

XIX. Reuocaſſe ſententiam in articulo mortis facilè patior, & ſerio velim eſſe verum. Quid tum vero? An nobis enim Pontifices Ieſuitæ volunt eſſe regulam veritatis, eo tantum momento, quo expirant? Imo toto autoritatis curriculo. Quare hæc ſtropha cauſſam non iuuat. Neque enim tolerandum Axioma; Quicumq; in mortis articulo errorem ſuum reuocat, is vt ſit regula veritatis. Imo regulæ officium eſt, nunquam errorem reuocare: hoc eſt, nunquam errare.

XX. Quinetiam ſincere reuocaſſe, non poſſum in animum inducere, cum conſidero declarationem eſſe mendacem. Quis enim perſuadeat eum vel micam habere ſinceritatis, qui iam expirans, & coram Dei tribunali poſitus, mentiatur? Mentitur autem, cum ſe proteſtatur nunquam in animo habuiſſe, contrarium definire. Nam Adrianus Florentius ipſe etiam Romanus Epiſcopus, contra aſſerit, *Nouiſſime fertur de Ioanne 22. quod publice docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quod animæ purgatæ ante finale iudicium non habent ſtolam: quæ eſt clara & facialis viſio Dei: & Vniuerſitatem Pariſiẽſem ad hoc induxiſſe dicitur, quod nemo in ea poterat gradum in Theologia adipiſci, niſi primitus hunc errorem peſtiferum iuraſſet ſe defenſurum, & perpetuo ei adhæſurum.*

XXI. Poteſt tamen eius audaciam fregiſſe Eccleſiæ Gallicanæ conſtantia, quæ ſe illi iuſſu Philippi Valeſij Regis oppoſuit, & quidem ſeueriſſime. Gerſon Sermone in feſto Paſchæ, *Apparet falſitas doctrinæ Papæ Ioannis viceſimi ſecundi* (ſic legit Bellarminus: nam in meo codice eſt vigeſimi) *quæ damnata fuit cum ſono buccinarum vel tubarum coram rege Philippo auũculo tuo, per Theologos Parrhiſienſes de Virgine beata, & credidit potius Theologis Parrhiſienſibus, quam Curiæ.* Gaguinus lib. 8. *Ioannes vigeſimus ſecundus Pontifex Romanus de diuina contemplatione atq; viſione temere ſentire atq; prædicare auſus eſt: aduerſantibus illi Catholicis viris, quibus inprimis Philippus adiutor fuit.* Chriſtianus Maſſæus Chronicorum lib. 18. *Miſit Pariſium duos alterum Dominicanum, alterum Franciſcanum, qui eandem hæreſin prædicarent, Pontifici reſtitit quidam Thomas prædicator Anglus, quem propterea Papa in carcerem miſit. Rex autem conuocauit Concilium ad palatium ſuum in Vintiana Sylua: qui omnes contra Pontificem ſubſcribebant. Statim rex legationem miſit Ioanni, petens vt & ſe corrigeret, & Thomam dimitteret: illi vinctum abſoluit.* Gobelinus eiuſdem temporis author ætate ſexta, c. 71. *Ipſe poſtquam ſenex effectus eſt, deſipuit, prædicans, animas ſeparatas à corporibus non videre eſſentiam diuinam viſione faciali ante diem iudicij. Contra quod Thomas Vualleis de ordine prædicatorum, ſe exponens periculo propter fidem Catholicam, publice prædicauit: ita quod propter hoc Papa miſit eum in carcerem: & ibidem fame cruciatus eſt, ſed tandem liberatus magno cum honore. Papa etiam anno vigeſimo Ludouici regis in extremis conſtitutus, ad inſtantiam quorundam amicorum ſuorum, prædictum errorem reuocauit.*

XXII. Hæc iſti, atque alij. Quis autem credat tot tantaque agentem in animo nunquam habuiſſe, ſuum dogma confirmare? Primum prædicauit publicè. At ſic ſolet plebs ſeduci, & imbui falſis opinionib. Secundo etiam ad abſentes miſit viros Academicos, perſuaſurus vt dogma admitterent, & ſancirent: ſic enim interpretor Adrianum Florentium: nam conſtat Pariſienſes non fuiſſe corruptos. Denique etiam carcerib. reſiſtentes coercebat. Et hæc omnia quis credat, eius eſſe, qui nihil definierit, ſaltem apud ſe, ſed tantum conſultet? Nimirum ſic aſtutiores ſolent alias διὰ ῥινὸς ἕλκειν.

CAP. XIV.

An Romani Epiſcopi ſibi conſtent.

I. Regula fidei ſemper ſibi conſtat. At Romani Pontifices non ſibi conſtat. Ergo non ſunt regula fidei. Maior eſt perſpicua. Minor probatur quia de ijſdem rebus diuerſa, imo contraria conſtituerunt: quod ipſum probatur multis exemplis.

II. Primum contradictionis exemplum. Gelaſius citatus à Gratiano de Conſecrat. diſt. 2. c. *Comperimus*, aſſerit eos arcendos à toto ſacramento Euchariſtiæ, qui calici non communicant. Non poſſe enim vnius eiuſdemque myſterij diuiſionem eſſe ſine grandi ſacrilegio. At Pontifices poſteriores in Conſtantienſi Concilio, & Tridentino diminutam communionem ſanxerunt.

III. Reſpondet Bellarminus negans eſſe contradictionem, quia ſermo ſit de diuerſis perſonis. Nempe Gelaſium loqui ſolum de Sacerdote ſacrificante, qui non poteſt ſine ſacrilegio vnam tantum ſpeciem ſumere, quia imperfectum ſacrificium redderet. Reliquos autem de nonſacrificantibus. Quam ſolutionem didicit à Gloſſatore Decreti, à Ioanne de Turrecremata, & alijs.

IV. Sed hæc ſolutio eorum eſt, qui veteres canones ad præſentem praxim accommodare quouis modo conantur: cum deberent potius ex canonibus antiquis, præſentem praxim emendare. Enimuero illa nititur nullis argumentis, ſed tantum ἐξουσίᾳ illa ſiue potius αὐθεντίᾳ, quam ſibi iampridem Papiſtæ arrogant, vt ſit pro ratione voluntas. Non ſequitur autem ita eſſe, quia illi ita volunt eſſe.

V. Nos contra, habemus primo inſtitutionem Dominicam, quæ cõmunionem vtriuſque ſpeciei obtulit non ſacrificantibus, vt loquuntur, ſed communicantibus. Secundo veteris Eccleſiæ praxim, quam ne ipſi quidem deſperatiſſimi Papiſtæ negare poſſunt: praxim, (inquam) longi & ante & poſt Gelaſium temporis. Tertio, quod nunquam legimus Sacerdotes celebrantes abſtinuiſſe à calice: ſed aliquos ex communicantib. de quibus Leo primus. Deniq; quod hoc capite, neque nominantur, neq; deſcribuntur, neque ſaltem indicantur, ſoli Sacerdotes; ſed generaliter canon concipitur, nulla ſiue temporum, ſiue perſonarum exceptione.

VI. Sed ex vna contradictione imprudens nobis aliam Bellarminus eſt fabricatus. Cum enim dixit Gelaſium cedere non poſſe ſine ſacrilegio ſacrificantem Sacerdotem à calice abſtinere: eius iudicium contrarium oſtendit iudicio Innocentij VIII. de quo loquitur lib. 4. de Pontifice cap. 14. Nam cum Raphael Volaterranus Geographiæ lib. 7. dixiſſet ab eo Pontifice Noruegis conceſſum, vt ſine vino ſacrificium celebrarent: hoc ita Bellarminus expoſuit, vt aſſereret, non permitti, vt loco vini aliũ liquorem: ſed ſolum vt in altera tantum ſpecie Euchariſtiam conſecrarent. Ergo (inquam) vt à calice abſtinerent. Credidit ergo vnius eiuſdemq; myſterij diuiſionem poſſe fieri abſque ſacrilegio. Ergo contradixit Gelaſio Innocentius VIII.

VII. Secundum exemplum. Gregorius III. apud Gratianum cauſſa 32. quæſt. 7. definit licere marito; cui mulier infirmitate correpta non valet debitum reddere, aliam vxorem ſuperinducere. *Quod propoſuiſti* (inquit) *quod ſi mulier infirmitate correpta, non valuerit viro debitum reddere, quid eius faciat iugalis, bonum eſſet ſi ſic permaneret, vt abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis.* At in Concilio Tridentino, ſeſſion. 22. cap. 2. *Siquis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Imo Gratianus annotat illud Gregorij, ſacris canonibus, ſed & Euangelicæ, Apoſtolicæque doctrinæ penitus aduerſari.

VIII. Bellarminus reſpondet varie. Primo, Gregorium non loqui de quacunque imbecillitate, ſed de impotentia perpetua & naturali, per quam eſt inepta ad coniugium mulier. Sed hæc ſolutio non conſiſtit. Non eſt enim veriſimile Auguſtinum, ad quem ſcripta eſt Epiſtola, ſciſſe licere ob impotentiam diuortium facere. Secundo, quia hæc verba, infirmitate correpta, non ſignificant perpetuam & naturalem impotentiam: ſed fortuito ſuperuenientem morbum. Tertio, quia cum ſit diuortium, tum maritus non obligatur ad ſubſidij opem dimiſſæ præſtandam, quod tamen Gregorius præcipit.

IX. Itaque Bellarminus aliud quærit effugium. Primo, non concedi aliud coniugium tanquam iuſtum, ſed tanquam minus malum. Secundo, Pontificem ex ignorantia lapſum eſſe: quod fieri poſſe non negant, cũ non definiunt aliquid tanquam de fide, ſed ſolum opinionem ſuam alijs declarant, vt hoc loco videtur Gregorius feciſſe. Tertio, non fuiſſe tum exploratum errorem: cum Auguſtinus etiam dubitarit an liceat vxori de licentia mariti, miſceri alteri viro.

X. Ergo (inquam) conſtat erraſſe Gregorium: conſtat ſibi non conſtare Pontifices. Nam quid tum ſi minus malum? Regula fidei, neq; maius neq; minus malum admittit, aut permittit. Eſt vero ridiculum, quod Bellarminus addit, de opinione priuata, vt ſemper. Sed & falſum. Nam ita Gregorius definiebat ex auctoritate, & tanquam ex Eccleſiæ ſuæ fide. Etenim ille, quiſquis erat, ſiue Bonifacius, vt eſt apud Gratianum, ſiue Auguſtinus, vt in 2. tomo Conciliorum, quæſiuit à Gregorio tertio (nam aſſentior Bellarmino non eſſe primum) qualiter teneat vel doceat ſancta Apoſtolica Romana Eccleſia. Et ipſe Greg reſpondit in hæc verba, *Beatus Apoſtolus Petrus, & Apoſtolatus & Epiſcopatus principiũ extitit, & conſulenti tibi de ſtatu Eccleſiæ, non ex nobis quaſi ex nobis, ſed ex gratia, quæ aperit os mutorũ & linguas infantium facit diſertas, qualiter tenere debeas, apoſtolici vigoris doctrina edicimus.* Porro Auguſtini dubitatio Gregorij factum excuſare non poteſt: regulam enim fidei quanto oporteret eſſe omnium exactiſſimam? vt auſim dicere, dubitationem eam, quæ in Auguſtino laudabilis poſſit videri ob modeſtiam, in eo qui ſe iactet regulam fidei, eſſe ſceleratiſſimam.

XI. Tertium exemplum. Nicolaus primum docuit Baptiſmum à Iudæo collatum in nomine ſolius Chriſti, eſſe ratum. Retulit Gratianus de conſecrat. diſt. 4. *A quodam Iudæo neſcitis vtrum Chriſtiano à Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid inde ſit agendum conſulitis. Hi profecto ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, baptizati ſunt (vnum quippe idemq; eſt, vt ſanctus Ambroſius exponit) quia non illorum, ſed eius eſt, rebaptizari non debent.* At contra, Pelagius ead. diſt. ex inſtitutione aliter docet, ſed diſertius Zacharias, *Si merſus in fonte baptiſmatis quis fuerit ſine inuocatione Trinitatis, perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*

fuerit

fuerit baptizatus. Hic a nihil excipiunt Bellarm. & Canus, nisi Nicolaum expressisse suam sententiam, vt Doctorem particularem: non a. definiuisse vt Pontificem. Qua de re quid attinet sæpius dicere.

XII. Quartum exemplum. Alphonsus de Castro libr. 1. de hæresib. c. 4. sic scripsit, *Cœlestinum Papam errasse circa matrimonium fidelium, quorũ alter labitur in hæresin, res est omnib. manifesta. Neq; hic Cœlestini error talis fuit, qui soli negligentiæ imputari debeat: ita vt illum errasse dicamus velut priuatam personam, & non vt Papã, qui in qualibet re seria definienda consulere debet viros sdoctos: quoniã huiusmodi Cœlestini definitio habebatur in antiquis Decretalib. in capite Laudabilẽ, titulo de Conuersione infidelium, quam ego ipse vidi & legi.* At contrarium definitum esse Bellarm. obseruat ab Innocentio III. Et à Concilio Tridentino. Et Salmero disp. 12. in prio. ad Cor. *Quando inter fideles ab initio contractum est matrimoniũ, si alter per infidelitatem vel hæresin labatur, hoc matrimonium secundum iura non dissoluitur, quoniam ab initio ratum fuit: etsi aliter cuidam summo Pontifici aliquando visum fuerit.*

XIII. Respondent Canus & Bellarm. Cœlestinum nihil definisse; vsitato κοκκυσμῷ. Id tamen ipsum ridicule probant, ex Innocentio tertio: qui in cõtrario definiendo his verbis vsus sit, *licet quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur.* Sensisse ait (inquiunt) non definisse. Optime: quasi qui definit, aliter sentiat quam definit. Sed oppono Alphonsum, qui se decretalem illam vidisse asserit: Ideo potuit non ex inanib. coniecturis, sed ex ipso textu epistolæ iudicare. Isti autem vt cæci de colorib. cum de ea nihil inaudierint nisi ex Alphonsi relatione: tamen diuinant pro arbitrio, non verissima, sed commodissima. Sic zelo ardent.

XIV. Quintum exemplum. *Adrianus tertius statuit* (inquit Fasciculus temporum) *vt Imperator nullo modo se intromitteret, de summi Pontificis electione: sed apparet quod hoc constitutio parum obtinuit. Imo Leo octauus directe contrarium statuit postea.* Et vero extat Leonis constitutio apud Gratianum dist. 63. qua concessit Othoni 1. & successorib. vt eligant & ordinent Romanum Pontificẽ, *Constituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per nostrã Apostolicam auctoritatem concedimus atq; largimur domino Othoni primo, regi Teutonicorum, eiusq; successorib. huius regni Italiæ in perpetuum, facultatem eligendi successorem, atq; summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi.* Similiter Adrianus cum Synodo decreuit Archiepiscopos, & Episcopos per singulas prouincias inuestituras à Carolo magno accipere: quo iure frequentes vsi sunt eius successores. Quam tamen satis legitimam causam putarunt Gregorius VII. eiusque successores, excommunicandorum, deponendorumq; Henrici quarti, Henrici V. Friderici 1. atque aliorum excitatis ob eam rem pernicios issimis bellis. Tam sancte sibi constat Papisticæ religionis regula.

XV. Sextum exemplum. Nicolai tertij & Io. 22. *Quorum vnus* (inquit Almain de auctoritate Ecclesiæ, 10) *determinauit iudicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in communi, nec in proprio: alter oppositum, vt videre est in eorum extrauagantib.* Gobelinus ætate sexta, c. 67. ait Nicolaum statuisse, vt fratres Minores in bonis mobilib. & immobilib. haberent tantum vsum fructum, sed dominium spectaret ad Romanã Ecclesiam specioso fuco ad eũ ordinem citandum contra regulam. Ioannẽ hæc omnia reuocasse, declarãtem eum esse hæreticũ, qui pertinaciter affirmet Dominum nostrum Iesum Christum & Apostolos nihil habuisse in speciali, vel etiam aliquid habuisse in communi. Platina in Io. 23. *Edictum proposuit, quo eos declarauit pertinaces & hæreticos, qui affirmarent Christum eiusq; discipulos nihil priuati, vel proprij habuisse: quod certe non multum cum Scriptura conuenit.* Et paulo post, *Damnauit præterea glossulam quandam fratris Petri ordinis Minorum, qui conuentum quendam tertij ordinis ad imitandam Christi paupertatem animauerat: quorum de numero multi damnati & exusti fuere.*

XVI. Vrit Papistas insignis αὐτοψίας exemplum; & medicinam facere satagunt. Ioannes de Turrecremata summæ de Ecclesia, lib. c. 112. ita conciliat, vt dicat duplicem esse paupertatem: primam pro illis qui prædicaturi mittendi erant in Iudæam: quæ est nihil proprium habere sub cœlo, nec in speciali, nec in cõmuni: alteram eorum, qui fixi mansuri erant in congregatione: quæ est nihil habere in proprio, sed tantum in communi. Christum vtramq; diuersis temporib. docuisse verbo, & firmasse exemplo. Et ita conliari Pontifices relatis ad diuersa tempora eorum constitutionibus. Bellarminus vero fatetur non posse per omnia cõciliari. Itaq; distinguit quæstiones: primam, vtrum in reb. quæ ipso vsu pereunt, separari possit vsus à dominio: secundã, vtrum paupertas, quæ à se dominium remouet, solo vsu telicto, sit sancta & meritoria. tertiam, vtrum Christus talem paupertatem verbo & exemplo docuerit. In 1. & 2. quæstione fatetur dissentire Nicolaum asserentem, Ioannem negantem. In tertia, distinctionem admittit: vt aliquando perfectissimam paupertatem Christus verbo & exemplo docuerit: aliquando vero minus rigidam: & hoc velle Nicolaum: Ioannem vero dixisse, hæretice asseri Christum nihil vnquam hic in terris habuisse proprij, nec in speciali, nec in communi.

XVII. Sed historiã audiamus potius ex Ioannis Delphini lib. 2. de cœlibatu. Is ex Nicolai verbis, quatuor elicit axiomata. *Abdicationem proprietatis omniũ rerum tã in speciali, quã etiam in communi spectare ad perfectionem. Apostolos hanc abdicationẽ à Christo accepisse, & didicisse. Hanc seruauisse Apostolos. Aliis exẽplo, & doctrina seruandã reddidisse.* Hæc ille ex Nicolai verbis: nõ bona tamen fide: quia omissum est præcipuũ axioma: Hanc paupertatẽ Christũ ipsum exẽplo firmasse: quo significatur, non tantũ docuisse Apostolos, vt profiterentur, sed etiã ipsum professum esse. Et diserta sunt verba Nicolai ab ipso Delphino recitata: *Quã & Christus, viam perfectionis ostendẽs, verbo docuit, & exemplo firmauit.* Porro Ioannẽ initio Pontificatus idẽ sensisse cum Nicolao, nẽpe Christum & Apostolos proprietatẽ & dominium rerum omnium tẽporalium deseruisse. Itaque confirmasse Decretalem, *Eximi de Paradiso,* in qua Francisci regula exponitur & laudatur: addita etiã insuper alia decretali *quorundã exigit:* quæ illam priorem explicaret. Sed elapso anno sexto sui Pontificatus, quatuor statuta fecisse, omnino contraria supradictis constitutionibus. In his nouem conclusiones contineri, in quibus istas: Christum & Apostolos in omnibus temporalibus rebus, quas Scriptura testatur eos habuisse, tam in particulari, quam in communi, proprietatem & dominium habuisse: & à se proprietatem, dominiumque temporalium rerum minime abdicasse, nec illa reliquisse: nec huiusmodi abdicationem vnquam docuisse: quin omnes quotquot asserunt, aut docent oppositum, æque damnandos esse atque impios hæreticos. Christum dominio & regno temporalium rerum nunquam abrenunciasse: imo ne potuisse quidem abrenuntiare. Apostolos, etiam post missionem Spiritus Sancti omnium temporalium rerum, quæ ipsis darentur, habuisse dominium, tam in particulari, quam in communi. Apostolos nullum emisisse votum abdicationis proprietatis & dominij. Christum nullum certum viuendi modum Apostolis iniunxisse in particulari: sed eum duntaxat, quẽ aliis omnib. discipulis. Christum nec verbo docuisse, nec exemplo firmasse, haudquaquam ferendam esse pecuniam ab iis qui esse cupiant in statu perfectionis. Has atque alias conclusiones docuisse Ioannem: & hæreticos pronuntiasse omnes, qui aliter docerent.

XVIII. Ex his facile nunc indicium contradictionis: eiusdemq; momenti. Neque enim de facto contentio fuit, sed de iure: ideoq; pertinens ad hæresin: & quidem tam serio, vt multi fuerint non damnati tantum, quod iam pridem in vsum abiit quotidianum, sed etiam exusti: quæ Ecclesiæ Romanæ potentissima demõstratio est, multis iam seculis: resoluẽs si minus quæstiones Theologicas in sua principia: at certe compagination em corporum in cineres. Et vero consentit Bellarminus non consentire Nicolaum & Ioannem in suis duabus primis quæstionib. atqui hæ sunt de iure, nam tertia propria est facto Et si prævalet Ioannis definitio, tota abit in ventos Monachorum perfectio, qua nihil habent sanctius Romanistæ. Sed illa potius definitio antiquanda est visa: ne nullus esset in orbe locus progeniei mendicãtium, neue euanesceret Christi oraculum testantis, Nos semper habituros nobiscum mendicantes. Quid ergo nobis fœlix faustumque sit, habemus ex testimonio Bellarmini, dissentientes Nicolaum & Ioannem: vtrumque Papam: an etiam vtrumque regulam fidei.

XIX. Sed in 3 capite mirare distinctionem temporum? Aliquando Christus & verbo & exemplo docuit eam paupertatem: & vere dixit Nicolaus: aliquando non docuit: Et non mentitus est Io. Quomodo id vero? Nam si actus Christi consideres: potuisse fieri concedo: quid enim est in vniuersa religione Christiana de quo non queat idem dici? Certe non simul & semel omnia docuit. Exempli causa, Passionis suæ mysterium docuit aliquando: nimirum Matthæi 16. aliquando non docuit, vt in Cana in nuptiis: aliquando celebrauit Eucharistiæ Sacramentum, vt pridie quam moreretur: aliquando non celebrauit, vt cum baptizatus est à Ioanne: aliquando beatitudines pronuntiauit, vt initio sermonis in monte: aliquando minime, vt cum Væ diceret Pharisæis, Matthæi 23. Et quid non? Sed cui vsui hæc λειτολογία: Nam quod Nicolaus asserebat de Christi verbo & exemplo: eo tendebat, vt probaret hanc propositionem: *Dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi omniũ rerum tam in speciali quam in communi propter, Deũ meritoria est.* Hanc propositionẽ negebat Ioa. ipso teste Bellarmino, & ne frustra negaret: fundamentum Nicolai sibi videbat diruendum. O fungum, ô stipitem Ioannem, si putauit sibi negandum aliquando docuisse sic Christum: puta cum dormiret in naui. Adeone solent prudenter, & considerate Pontifices disputare? Aut si non Pontifices disputare, saltem Pontificum asseclæ antinomias Pontificum conciliare! Raram artem! miram artem, siue illis disputandi, siue his conciliandi.

XX. Quod si nec fungus fuit Ioannes, nec stipes: tum oportuit dicere Christum nunquam docuisse, aut verbo, aut exemplo huiusmodi paupertatem. Et vero diserta Delphini verba, *Nec huiusmodi abdicationem vnquam docuisse. Christum dominio rerum temporalium nunquam renuntiasse.* Gemina hic negatio, geminæ Nicolai affirmationi opponitur de verbo & exemplo: & negatio quidem vniuersalis: cum Nicolao sufficeret affirmatio particularis. Eligat nunc Turrecremata: eligat Bellarm. n. vtrum malit. Aut n. inepti sunt, bardi, stupidi, fungi, stipites Romani Pontifices, qui absurde disputent: ac proinde minime omnium habendi pro regula fidei: aut si non bardi, stupidi, fungi, stipites: contradicunt alij aliis: dum de eodem eadẽ ratione idem vnus asserit, alter negat. Ac proinde rursus indigni qui obtrudantur pro regula fidei: quod videtur sensisse Delphinus disputans exprofesso, *Absurdam esse Ioannis vigesimi secundi opinionem.* Cum multo mollius dixerit Bellarminus, melius Nicolaum sensisse.

XXI. Septimum exemplum. In decretis de Consecratione dist. 2. definiũt Papæ non esse quicquam offerendum in Eucharistiæ consecratione, præter panẽ & vinum, & aquã: nunquam a. fine vino. Ast Innocentius VIII. Noruegis permisit, vt sine vino sacrificium celebrarent. Bellarm. respondet, primo non edidisse decretum, quo vniuersæ Ecclesiæ declararet licere sine vino sacrificium offerre: itaque si errauit, errasse facto, non dogmate. Secundo non permisisse loco vini liquorem alium consecrari: sed in altera tantũ specie Eucharistiam fieri, idque ob extremam necessitatem, cum in ea regione vinũ conseruari nequeat, quin statim acescat. Verum excusatio est friuola. Ad prius: fateor nõ esse decretum vniuersale: sed meminisse debuit Sophista: alterum illud esse vniuersale, quo prohibetur offerri sine vino: at vniuersali contradici specialiter. Esse vero errorem facti nego; fuit n. iuris: quia credidit posse eo modo legitime Eucharistiam celebrari: ideoq; indulsit iis regionib. hoc est, constituit, vt iis locis post id temporis ius fasque esset Eucharistiã eo modo celebrare. In secundo mendacium est: quia concessit Innocentius, non vt in altera tãtum specie consecrarent: sed vt pro vino alium liquorem substituerent. Volaterranus Geographiæ 7. *Noruegia Innocentij octaui Pontificis concessione permissum sine vino calicem sacrificare: quod ob immensa frigora, vinum in ea regione importatum acescat.* At ij qui in altera tantum specie consecrant, possunt-ne dici sacrificare calicem? Quanquam sit non mentiretur Bellarm. contradiceret tamen Innocentius Gelasio, cõtestãti vnius eiusdemq; Sacramenti diuisionẽ sine grandi sacrilegio non posse peruenire: De consecratione, dist. 2. *comperimus.* Quod ipsum de consecrante dictum volunt hodierni Sophistæ, ne diminutæ communioni præiudicet.

XXII. Octauum exemplum. Gregorius Papa apud Gratianum causæ 35. q. 2. gradus cognationis prohibitos definit ad septimum vsque, *De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis, placuit vsque ad septimam generationem obseruare.* Et Iulius, *Nullum in vtroq; sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel vxoris, vsq; ad septimum generis gradum, vxorem ducere.* At Innocentius tertius in Lateranensi Concilio, *Prohibitio copulæ coniugalis, quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat.* Manifesta contradictio: nam ex canone Gregorii & Iulii prohibebantur gradus quintus, sextus: septimus, octauus, quos Innocẽtius liberos esse voluit.

XXIII. Nonum exemplum: Pelagius constituerat Diaconos Siciliæ absti-

abstinere ab vxorib. Id decretũ Gregorius successor improbauit, vt durum & incompetens: apud Gratianum dist. 31. c. *Ante triennium*. In quem locum Cardinalis Io. Turrecremata, *Facit quatuor, Primo ostendit quando prohibitio illa fuit facta: scil. ante triennium: secundo, quod illa prohibitio fuit iniqua, & ideo cassanda: tertio cassat illam prohibitionem.* Paulo post, ex eo Gregorij facto sumit argumentum, *Quod successor põt cassare statutum sui prædecessoris, si iniustitiam contineat, & si præstet exemplum mali.* Egregie. Ergo (inquam) possunt Romanorum Episcoporum decreta cassari. Hoc iam nimis contra naturam regulæ. Insuper: ergo possunt Romanorum Episcoporum decreta iniustitiam continere, & præstare exemplum mali. Ito nunc: & Episcopos Romanos asserito aliquis esse regulam Ecclesiæ.

XXIV. Decimum exemplum, Bonifacius VIII. *in tantam arrogantiam erexit seipsum* (inquit Fasciculus temporum) *vt dominum totius mundi se diceret tam in temporalib. quam in spiritualib.* Vnde ad Philippum Galliæ regẽ scripsit, *Scire te volumus, quod in spiritualib. & temporalib. nobis subes.* Sed cõtra Innoc. III. in Decretalib. *Qui filij sint legitimi* capite *per Venerabilem*: quũ loqueretur de Rege Franciæ, cuius diuortium ab vxore probauerat, diserte significat eum regem *superiorem in temporalib. minime recognoscere*: vt nemo mirari iam debeat Philippum Bonifacio ita rescripsisse, *Sciat tua magna fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse.*

XXV. Quid plura colligam? Possum vno conatu rem tantam totam absoluere. Nam ipsi Romani Pontifices clamant sibi posteriorib. licere contra statuere, quam præcessores statuerint. Ioan. 22. in extrauagant. de verborum significatione c. 2. *Quia nonnunquam, quod coniectura profuturum credidit, subsequens experientia nociuum ostendit, non debet reprehensibile iudicari: Si canonum conditor canones à se vel à suis prædecessorib. editos, vel aliqua in eisdem contenta canonib. reuocare, modificare, vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit quam prodesse.* Idem c. 3. *Ad conditorẽ canonum non est dubiũ pertinere, cũ statuta à se vel prædecessorib. suis edita, obesse percipit potius quã prodesse, ne vlterius obesse valeant, prouidere.* Et cũ hac ipsa de re multa fuisset quæstio, occasione harũ decretalium, idem Io. c. 5. disputat: *Licet Innocẽtius quartus in Generali Concilio interdixisset nouas religiones instituí, tamẽ successores ipsius, nõ obstãte interdicto huiusmodi plures leguntur ordines confirmasse: qui etiã aliquib. exceptis fuerunt postea per Gregoriũ nonũ prædecessorẽ nostrum dissolui certo modo in Cõcilio Generali. Si igitur post interdictũ Generalis Cõcilij licuit summis Pontificib. non* (an potius *iã*) *confirmatos in totũ dissoluere: non est mirũ si quod declarat circa regulas ordinũ solus sũmus Pontifex, vel ordinat, liceat eius successorib. declarare seu alias immutare.* Et paulo post: *Vnde non possunt ex præmissis concludere nisi falsõ, quin contra ordinata per summos Pontifices circa talia valeat successor aliud ordinare.* Ab ea schola doctus Alfonsus de Castro, aduersus hæreses lib. 1. c. 2. scriptum reliquit, *Decretales Epistolæ per alios posteriores Pontifices, aut per eosdem à quib. missæ sunt, reuocari possunt: sicut de multis factum esse constat. Pro qua re commune est eorum prouerbium, Par in parem non habet imperium. Qua sententia significare volunt, priorũ Pontificum decretis nõ teneri Pontifices posteriores, quin liberum sit eis cum viderint, ea reuocare.*

XXVI. Aduertamus animum. Nam hæc totam præfocant aduersariorũ sophisticen: quos audiuimus distinguentes doctorem priuatum suam sententiã explicantem, à Papa ex auctoritate decernentem. At hæc λεπτολογία nunc fit inutilis. Diserte n. Canones Canonib. Decreta Decretis opponuntur: Pontifices Pontificib. Quid ergo? An nos Iesuitæ docebunt Papã condere canones non ex Cathedra? condere tantum ex priuati doctoris sententia.

CAP. XIV.

An quicquid decernunt Romani Pontifices, rectum sit.

I. QVicquid regula fidei decernit, sanum est & rectum. At quæ decernunt Romani Pontifices, non sunt omnia sana & recta. Ergo nõ sũt Romani Pontifices habendi pro regula fidei. Maiorem qui neget prorsus insaniat. Probanda minor igitur: quod sit variis exemplis.

II. Primum exemplum Caluinus Inst. lib 4. c. 12. sect. 14. obijciebat matrimonium in Canonib. Pontificum Romanorum vocari immunditiem, & pollutionem carnis: notabatur ad marginẽ Siricij epistola ad Episc. Hispaniarum. Accusatio grauis est. Nam Paulus contra, matrimonium vocat κοίτην ἀμίαντον, 13. ad Hebræos: imo Episcopum etiam vxoratũ ἀνέγκλητον inculpatum, 1. c. ad Titum: & ἀνεπίλημπτον, irreprehensum, 3. prio. ad Timo.

III. Respondet Bellar. Caluinum more suo impudenter mentiri: exacte, opinor, seruata Iesuitica modestia. Sed quamobrem? Non n. (inquit) Siricius coniugium verum & legitimum, pollutionem appellat; sed illicitam coniunctionem eorũ, qui post peractam publicam pœnitẽtiam, iterum redeunt ad eandem coniunctionem, propter quam pœnitentiam egerant. Nemo a. pœnitentiam vnquam egit, quod inierit legitimum matrimoniũ.

IV. Satis animose: sed audiamus Siricium: *Plurimos Sacerdotes Christi atq; Leuitas, post longa consecrationis suæ tẽpora, tam de cõiugib. propriis, quam etiã de turpi coitu sobole didicimus procreasse, & crimen juũ hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotib. ac ministris generandi facultas legitur attributa.* Duo igitur hominum genera sibi reprehendenda proponit: vnum eorum qui ex turpi coitu, hoc est (vt ego puto) ex scortatione, adulterio, vel incesto, liberos susciperent: alterum eorum, qui vxoribus propriis, hoc est, vt glossa exponit dist. 82. quas ante sacros ordines habuerunt, vterentur.

V. Iam vero aduersus eos disputationem examinemus. Primo, potestne illud nõ obscœnum videri castis animis, quod vtroq; copulet? Eos, inquã qui propriis id est, legitimis vtuntur vxorib. cum iis qui impuros coitus sectantur? Deinde, quale illud est, quod vtroq; impugnet iisdem argumentis? Deus bone! in Ecclesia Christiana iisdem peri argumentis legitimum matrimonium cum turpi scortatione? iisdem argumentis vtrumque prohiberi? O fidem antiquam! Non erit hoc crimen? non erit scelus? non erit blasphemia? Ita castas habent aures Iesuitæ.

VI. Expendamus vero hæc tam sancta tam sanctæ castitatis argumenta. *Dicat mihi nunc* (inquit) *quisquis ille est sectator libidinũ præceptorq; vitiorum, si æstimat, quod in lege Mosis passim sacris ordinib. à Deo nostro laxata sunt frena luxuriæ, cur eos, quib. committebantur sancta sanctorum, præmonet dicens, Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Hæc iam quæro, aduersus quos dicantur. Annon aduersus eos, qui se prætextu legis tuebantur? Ergo aduersus legitime coniugatos. Nam ij soli hoc argumento poterant vti: neque vnquam vel fando auditum est, scortatores inde sibi patrocinium asciuisse, quod ex lege Mosis Sacerdotes patres esse possent. Ergo, inquam, hi illi sunt, quos sectatores libidinum appellat, præceptores vitiorum: aut certe fatendum est insanire.

VII. Rursum, *Dominus Iesus, cum nos suo illustrasset aduentu, in Euangelio protestatur, quia legem venerit implere, non soluere. Et ideo Ecclesiam, cuius sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, vt in die iudicij, cum rursus aduenerit, sine macula & ruga eam possit sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quare sanctionum sacerdotes omnes & Leuitæ insolubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus & corpora, dum modo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus sacrificiis placeamus. Qui a. in carne sunt, dicente electionis vase, Deo placere non possunt.* His verbis duo continentur argumenta, quorum conclusio est non debere sacerdotes, legitimo matrimonio vti: primum est, quia Ecclesiam Christus vult castitatis splendore radiare: alterum, quia qui in carne sunt Deo placere non possunt. Oportet igitur in hunc modum cõcipi: Omnes sacerdotes debent esse casti. At nulli legitime coniugati sunt casti. Ergo nulli sacerdotes debent esse coniugati. Et Nemo in carne Deo placere potest. At omnes legitime coniugati sunt in carne: Ergo nulli legitime coniugati Deo placere possunt. Et hæc Iesuitæ excusabunt? Et qui hæ reprehendit, eum impudenter mentiri dicent! O Hispanum leporem! ô Loyoliticam castitatem! ô Monasticum zelum.

VIII. Sed aiebat Bellarminus loqui Siricium de illicita coniunctione eorum, qui publicam pœnitentiam egerant. Imo potius, inquam Bellarmin. vafra dissimulatione audax Sophista nobis se speratillusurum. Nam dissimulato septimo eius epistolæ capite, in quo est venenum; ad quintum nos reuocat. Quamobrẽ? Nam eius verba non magis, imo tam accedunt ad Caluinum, quam illa quæ citauimus. Perinde est igitur, ac si cum ego illum in Caluino calumniando omnes modestiæ fines hoc loco prætergressum esse dicerem, aliquis vt absolueret, auerteret me ad caput decimum nonum libri secundi de Christo, vbi Bellarmi. de Caluino sentit paulo modestius, in quæstione vtrum Filius Dei sit ἀυτόθεος, quam reliqua Loyolitici gregis decora.

IX. Secundum exemplum Innocentii tertij, qui in decretalib. *Qui filij sint legitimi* capite, *per venerabilem*, docet legem veterem nondum plane esse abrogatam: his verbis, *Sane cum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur: vt quod ibi decernitur in nouo testamento debeat obseruari.*

X. Bellarminus respondet: Innocentium noluisse dicere, Deuteronomium hoc tempore debere obseruari ad literam: sed quatenus quæ in eo dicebantur, figuræ erant testamenti noui: ideoque existimasse Deuteron. esse secundam legem, quia multa contineat ad legem nouam figurate pertinentia.

XI. At hoc est tantũ σοφὸν φάρμακον: astute à Bellarmino excogitatum: ab Innocentio ne cogitatum quidem. Si a. esset verum, primo non de solo Deuteronomio, sed de tota Mosis lege, ita oportuisset loqui: Nam & in Exodo, & in Leuitico, & in Numeris, non pauca sunt figurate adumbrantia Ecclesiæ Christianæ mysteria. Deinde non fuisse argumẽtum ducendum à nomine, vt omittam grammaticam ineptiam. Tertio, non asserendum fuisset, ea quæ ibi decernuntur, obseruari debere; sed ea potius quæ significantur, non enim decernere, idem est quod significare: Et in ceremoniis nemo nescit alia præcipi, alia vero significari.

XII. Tertium exemplum Iacob. Almain de autor. Ecclesiæ c. 10. obseruauit; *Aliqui Pontifices* (inquit) *statuerunt contra Euangelium: vt Pelagius, qui fecit constitutionem, quod omnes Subdiaconi Siciliæ à suis vxorib. abstinerent quas in minoribus ordinibus duxerant, aut ab officio cessarent: quam, quia erat iniqua & contra Euangelium, retractauit Gregorius primus eius successor: vt patet tricesima prima distinctione, capite, Ante triennium, in textu & in glossa.* Et sane eo capite Gregorius prædecessoris sui decretum testatur sibi videri durum & incompetens. Et Ioan. de Turrecremata id ita explicat: *Ostendit quod illa prohibitio fuit iniqua: & ideo cassanda. Inique est enim aliquem vxoratum compelli ad continentiam.*

XIII. Quartum exemplum Gregorii tertij: cuius hæc verba sunt scribẽtis ad Bonifacium, *Quod postulasti, quod si mulier infirmitate correpta, nõ voluerit debitũ viro reddere, quid eius faciat iugalis: bonũ esset, si sic permaneret, vt abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidij ei subtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.* Eat nunc Campianus, & Lutheri paradoxa exagitet etiam mentiendo. Sed si Lutherus dignus reprehensione, quid meritus Gregorius? Gregorius, inquam, cui ne hæc quidẽ vtilis esse queat, subtiliter excogitata distinctio; hominis, & Pontificis: priuati doctoris, & Papæ; facti aut iuris. Hæc n. Epistola de iure respondet: & respondet vt Papa: nimirum Bonifacio roganti: *qualiter teneat vel doceat sancta Apostolica Romana Eccl-sia.* Et præmissa præfatione: *Consulenti de statu Ecclesiæ, non ex nobis, quasi ex nobis: sed eius gratia qui aperit os mutorum, & linguas infantiũ facit disertas, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam, dicimus.* Imo extremam clausulam audite, *Hæc, frater charissime, ex Apostolicæ sedis vigore scripsisse sufficiat.*

XIV. Quintum exemplum Innocentij IV. de quo Vasques in 3. Thomæ disp. 129. c. 5. *Hic tamen obiter notãdum est falsam esse opinionẽ Innocentij quarti in capite primo de Baptismo: Et Felini in capite, Quæ in Ecclesiarum, de constitutionib. numero vicesimosexto & aliorũ Iurisperitorum, qui docent in Sacramẽto Eucharistiæ sufficere Græcis pro materia panem fermentatum, Latinis vero necessarium esse panem azymum, ita vt si in fermẽtato vellent consecrare, aut Græci in azymo, eorum consecratio effectum non haberet, & in Baptismo Græcis sufficere formam illam, Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti: Latinis vero non sufficere, sed necessariam esse illam, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ita vt si aliter baptizent, nullum sit Sacramentum. Hæc igitur opinio vulgo iam exploditur, & exsibilatur. Omnes n. affirmant materiam & formam, quæ in vna Ecclesia sufficit, vt verum sit Sacramentum, sufficere etiam in alia Ecclesia.*

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE CANONE.

CAP. I. *De Differentia Canonicorum & Apocryphorum.*

QVia Religionis Christianæ mysteria, prorsus pendent à reuelatione diuina, & nullo modo ab humana industria, quantacunq; illa aut sit, aut esse possit: cum ad Veritatem supernaturalem nulla pertingere queat aut experientia: aut ratiocinatio, ex quib. principiis manare necesse est, quicquid homo suis acquirit virib. Et rursus quia illa omnia mysteria sũt ἐν τῷ ἀσφαλεῖ; quæ nulla esse pôt, nisi à Principiis certissimis, atq; remotis: facile vident omnes eum Canonem quo nititur Christianorum dogmatum Veritas, non posse esse incertum, aut varium: sed omnino semel ita cõstitutum, retum, fixumq;, vt nihil vnquam in eo mutetur, ab eo nihil detrahatur, ei nihil addatur. Propterea Athanasius in Synopsi: πᾶσα γραφὴ ἡμῶν χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστιν οὐκ ἀόριστα δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία. *Omnis nostra Christianorum Scriptura, diuinitus est inspirata: libros a. habet nõ finitos, sed infinitos & in canonem compactas.* Augu. etiã contra Cresconiũ lib. 2. c. 31. *Neq; n. sine causa tã salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant.*

II. Qui in hoc Canone continentur libri trito nomine iam olim à Patrib. indeq; ad nos deriuata consuetudine, Canonici sunt appellati. Vt natura sic nomine distincti ab omnib. aliis libris, quicunq; tandẽ sint: non tantum qui de reb. prophanis, atq; ad religionẽ non spectantib. scripti: sed etiam qui ad pietatem pertinent. Neq; n. oportuit in infinitum canonem excrescere: non tantum vt ne oneraretur Ecclesia: sed etiã, vt ne incertus numerus confusionẽ induceret: ita nec possent facile, aut inutiles, aut etiã noxij libri secerni: quod absq; magno Ecclesiæ malo fieri nõ posset: cui multa impostores propinare possent pestifera, non facile vitanda. Hinc natum Apocryphorum nomẽ: quo significatur omne genus scriptorũ, qui ad illum certum, fixum, immotumq; canonẽ non pertinẽt: factumq; vt perpetua distinctione secura sit Christianorũ fides, cuius causa libri sint omnes vel Canonici vel Apocryphi.

III. Illi sic describi possunt, vt sint ij, qui cum certo sint ab autore Spiritu Sãcto autoritatis sunt ἀνενδοιάστου, ἀδιστάκτου, ἀνυπευθύνου: veritatisq; ἀναμαρτήτου: sic positi extra omnẽ Iudiciorum aleam: cui subijci oportet omnẽ piũ intellectum, vt loquitur Aug. deniq; quorum doctrina, nostræ fidei regulam figit. Iã Apocryphi erũt illi: qui cum sint ab humano ingenio profecti, quod falli, decipi errare sæpissime contingit, nõ tantũ in summis illis æternisq; ac naturam excedentib. mysteriis, sed etiam in humanis atq; quotidianis negotiis: nihil per se certũ habent: proinde possunt & debent examinari iudicarique ab Ecclesia. Ecclesiam a. cum dico: nõ doctores, siue potius pastores intelligo tantũ, etsi horum quidẽ eæ sunt maxime partes: sed etiam singulos fideles: cum singulorũ intersit non transferri, agitarive quolibet vento.

IV. Athanasius paulo ante dicebat, πᾶσα γραφὴ ἡμῶν χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστι. Aug. Epist. 8. quæ prima est ad Hier. *Mihi videtur exitiosissime credi, aliquod in sancti libris haberi mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atq; conscripta, aliquid in suis libris fuisse mentitos.* Et Epist. 19. quæ citatur a Gratiano dist. 9. *Ego solis iis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorẽ honoremq; deferre, vt nullum eorum auctorẽ scribendo aliquid errasse firmissime credam: ac si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutũ esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigã. Alios a. ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verũ putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero nõ abhorreat, persuadere potuerũt.* Et disertius de Baptismo contra Donatistas lib. 2. c. 3. *Quis nescit sanctam Scripturã Canonicam tam Veteris quã Noui Testamenti, certis suis terminis contineri, eamq; omnib. posteriorib. Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptũ esse constiterit? Episcopurum a. literas, quæ post confirmatum Canonẽ, vel scriptæ sunt vel scribuntur: & per sermonẽ forte sapientiorem cuiuslibet in ea reperitioris, & per aliorum Episcoporũ grauiorem autoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deuiatum est? Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagib. cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posteriorib. emẽdari, cũ aliquo experimento rerũ aperitur quod clausũ erat, & cognoscitur quod latebat?* Ex recentiorib. Lyranus in prologo de libris Canonicis, & nõ Canonicis tantũ inter vtrosq; distare asserit, quãtũ inter certum, & dubiũ: Canonicos n. tãtæ esse autoritatis, *quod quicquid ibi cõtinetur, verũ tenet firmiter & indiscusse: & per consequens illud quod ex hoc concluditur manifeste. Nã sicut in Philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota, ita in scripturis à sanctis doctorib. traditis, veritas cognoscitur quantum ad ea quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ sunt habitæ diuina reuelatione, qui nullo modo potest subesse falsum.*

V. Hinc oritur altera differentia: nempe quod ex Canonicis libris solida petitur dogmatũ Christianorũ confirmatio: ex aliis a. minime. Rufinus in expositione symboli post enumeratũ Canonẽ, *Hæc sunt*, inquit, *quæ Patres intra Canonẽ concluserunt: ex quib fidei nostræ assertiones constare voluerunt.* Et paulo post de Apocryphis, *Quæ omnia legi quide in Ecclesiis voluerũt, non tamẽ proferri ad autoritatẽ ex his fidei confirmandã.* Sic ante eũ Hier. præfatione in Prouerbia, legi quidẽ volebat Apocrypha, *ad ædificationẽ plebis, sed non ad autoritatẽ Ecclesiasticorum dogmatũ confirmanda.* Itẽ epistola ad Lætam de institutione filiæ: quæ numero septima est, *Caueat omnia Apocrypha: & si quãdo ea, non ad dogmatũ veritatẽ, sed ad signorũ reuerentiã legere voluerit, sciat non eorũ esse quorum titulis prænotantur, & grandis esse prudentiæ, aurum in luto quærere.* Lyranus etiã loco iã citato de Apocryphis, *Eorũ autoritas ad probandũ ea quæ veniunt in dubium, aut in contentionem, & ad confirmandam Ecclesiasticorum dogmatum veritatem, non putatur idonea.*

VI. Atq; inde ratio duci solet nominis. Sunt n. appellati libri Canonici, quia ex illis petenda esset regula, & norma fidei Christianæ. Chrys. in post. ad Cor. hom. 13. πῶς οὐκ ἄτοπον ὑπὲρ μὲν χρημάτων μὴ ἑτέροις πιστεύειν, ἀλλ' ἀριθμῷ καὶ ψήφῳ τοῦτο ἐπιτρέπειν, ὑπὲρ δὲ πραγμάτων ψηφιζομένους ἁπλῶς ταῖς ἑτέρων παρασύρεσθαι δόξαις, καὶ ταῦτα ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων ἔχοντας, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, τὴν τῶν θείων νόμων ἀπόφασιν: quib. verbis eos increpat, qui cum in re nũmaria tam sint solliciti, vt nisi & numeros ipsi videant & calculos constare: nemini credant: in reb. tamen grauiorib. hoc est vitæ officiis, tam sunt supini, vt simpliciter se huc illuc trahi patiantur aliorũ sententiis, hoc ipso sine dubio nunquam excusandos, quod præsto sit epactissima rerum omniũ trutina, & amussis, & regula, nãpe diuinarum legum sententia. Aug. de Baptismo contra Donat. lib. 2. c. 6. *Afferamus diuinas stateras de Scripturis sanctis.* Et de Bono viduitatis c. 1 *Scriptura sancta doctrinæ nostræ regulam figit.* Thomas Aquinas in 1. ad Cor. c. 6. lect. 1. *Doctrina Apostolorum & Prophetarum dicitur Canonica, quia est regula intellectus nostri, & ideo nullus aliter docere debet.* Deniq. Andradius Iesuita defensionis Tridentinæ lib. 3. *Minime mihi displicet eorum sententia, qui Canonicos ideo appellari dicunt, quia pietatis, fidei, & religionis canonem, hoc est, regulam atq; normam è cœlis summo Dei beneficio ad nos delatam continent amplissimam.*

VII. Apocryphi vero cur dicti, non omnium est vna sententia, etsi ab occultãdo nomen manifeste deductũ sit. Pauci ita censent appellatos, qu a eorum autorum essent, quorum nomina ignorantur. Sic Glossator Decreti ad caput *Canones* dist. 16. Apocrypha interpretatur *sine certo autore.* Quã rationem Andradius ineptissimam vocat: nec immerito. Nã inter Canonicos sũt etiam nõnulli, quorum autor (si autorem intelligas scriptorem) aut prorsus ignoratur, vt Iudicũ, & Ruth, aut incertus est, vt Iob: quem librũ Mosi quidam tribuunt. Alij ita dictos malunt: quia publice non legerentur, sed tantũ priuatim & secrete. Ita Viues ad 25. c. 15. de Ciuitate Dei, *Erant*, inquit, *ea scripta quib. publice Ecclesia nõ vtebatur: sed priuatim habebat legebatq; qui vellet.* Cui sententiæ Andradius accedit: *Multo sane rectius mihi videntur sentire, qui ad vocabuli vim atq; naturã respicientes apocryphos putant, hoc est, absconditos, & occultos eos appellari, quia palam & in publicis eos Ecclesiæ conuentib. perlegere, aut ex illis argumenta ad dogmata confirmanda assumere minime licebat.* Et sane verisimilior hæc sententia: fortasse etiam certa, si ad initiũ respicias. Sed tamen certum est tandem etiam non Canonica quædam fuisse publice lecta: vt constat ex Canone Concilij Carthaginensis tertij 47. & aliunde. Isidorus Originũ lib. 6 c. 2. *Apocrypha dicta, id est, secreta, quia in dubiũ veniunt. Est n. eorũ occulta origo, nec patet Patrib. ex quib. vsq; ad nos autoritas veracium scripturarũ certissima & notissima successione peruenit. In iis Apocryphis etsi inuenitur aliqua veritas, tamẽ propter multa falsa, nulla est in eis canonica autoritas: quæ recte à prudentib. iudicantur non esse eorum credenda, quib. adscribuntur. Nã multa & vetera* (sic n. lego) *sub nomine Prophetarũ, & recentiora sub nominibus Apostolorũ proferuntur, quæ omnia sub nomine Apocryphorum ab autoritate Canonica diligenti examine remota sunt.* Quam rationem mutuatus est Isidorus ab Augustino ex 11. de ciuitate Dei c. 23.

VIII. Iã Canonicos alio nomine Ecclesiasticos appellat Leontius libro de sectis act. 2. Sixtus Senẽsis Bibl. lib. 1. sed & post eũ è nostris Vvhitakerus in disp. de Sacra Scriptura. q. 1. c. 2. testatur à nonnullis appellari διαθηκογράφους. Eos tamẽ autores neq; ego videre memini, neq; illi nominarunt. Ἐνδιαθήκους appellauit Origenes apud Eusebium historiæ lib. 6. c. 19. ex dist. Christophorsoni: Et ipse Euseb. libro 3. c. 3. Cuius nominis eam esse rationem opinor, quod ij libri efficiant vtrumque testamentum, (διαθήκη Græci vocant) vetus scil. & nouum.

IX. Apocryphorũ a. non vnum genus esse videtur, quantum colligi pôt ex antiquorũ loquendi ratione. Alterum eorum, qui vtiles quidẽ esse, & pie legi poterant, quãuis nõ essent authentici: de quib. Hier. præfatione in libros Salomonis. *Legat eos Ecclesia ad ædificationẽ plebis, non ad auctoritatẽ Ecclesiasticorũ dogmatum cõfirmandã.* Cuiusmodi esse possunt omnes à piis viris, pio zelo cõquisiti quorũ infinitus est numerus. Alterum a. qui impij essent & cõtra fidẽ: de quib. Gelasius loquebatur in decreto, quod est apud Gratianum, dist. 15. qui cũ priore loco multos enumerasset auctores probatos extra numerũ Prophetarũ & Apostolorũ: *Quib.* (inquit) *& pauca quæ ad memoriã venerũt, & Catholicis vitanda sunt, decreuimus esse subdẽda.* Tum in iis enumerãdis Apocryphorum sæpe nomẽ vsurpat, Exẽpli gratia, *Euangelia Thomæ Apostoli, quib. Manichæi vtuntur, apocrypha. Euãgelia quæ falsauit Lucianus, apocrypha. Libri omnes, quos fecit Lentitius discipulus diaboli, apocryphi. Liber qui appellatur Fundamentum, apocryphus.*

X. At Rufinus, hæc duo Apocryphorũ genera videtur etiam nominib. voluisse discernere, nã post enumeratos Canonicos, *Sciendũ tamen est* (inquit) *quod & alij libri sunt, qui nõ Canonici, sed Ecclesiastici à maiorib. appellati sunt.* Et post pauca, *Quæ omnia legi quidẽ in Ecclesiis voluerũt, nõ tamen proferri ad auctoritatẽ ex his fidei confirmandam. Cæteras vero apocryphas nominauerunt, quas in Ecclesiis legi noluerũt.* Ita triplicẽ iã habemus librorũ ordinẽ: vt alij sint Canonici, alij Ecclesiastici, alij apocryphi: ita distincti; vt primi confirmet fidei dogmata; reliqui nõ itẽ: primi & secũdi legãtur in Ecclesia, tertij minime. Quæ distinctio vtilis est sine dubio: mihiq; valde placet. Certe n. nõ debuerunt omnes ij libri, qui nõ sunt authẽtici, siue αὐτόπιστοι, vno quasi fasciculo inuolui, vt cõfundãtur qui a viris pijs, Catholicisq; cõscripti sunt, etsi non Prophetis aut Apostolis, cũ iis qui nobis ex officina Satanæ prodierũt. Leuis est tamen verborũ dissensio, vbi res ipsa cõstat: neq; n. vnquã crediderim vel Hieronym. nõ pluris fecisse Sapiẽtiã, siue Ecclesiasticũ, quã hæretici cuiusuis deliria: etsi vtraq; apocryphorũ nomine cõtineat: vel Gelasiũ æquauisse Cypriani, Athanasij, Naziãzeni, Basilij, Hilarij, Augustini libros (nã hos omnes nominat) libris Mosis, Salomonis, Pauli, & Petri: quantumlibet omnes cõstituat extra catalogũ Apocryphorũ. Diuidãtur ergo, si placet, libri in Canonicos & nõ Canonicos: Nõ Canonici a. in Ecclesiasticos, & Apocryphos. Etsi Ecclesiasticos Leõtius nominauit pro Canonicis. Sed nos Apocryphorum nomine generalius vtemur, quando ita iampridem vsus obtinuit: vt non Canonici sic appellentur.

CAP. II.

De numero librorum Canonicorum status quæstionis.

SEd his omnibus se puriori antiquitate non inutiliter ad futuram disputationem repetitis: iam ad rém propius accedendum; inuestigan

dumque controuersię nodum, siue, vt loquuntur, quæstionis statum constituendum. Nos igitur libros Canonicos sic numeramus. In Veteri Testamento duos & viginti. Mosis quinque Genesin, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuter. tum Iosue, Iudicum, quib. additur Ruth: Samuelis duos, Regum duos, Chronicon siue Paralipomenon duos: Esdram, cũ Nehemia; Esther am: deinceps Iobum, Psalmos, & Solomonis Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Deniq; Prophetas: maiores 4. Esaiam, Ieremiã, Ezechielem, Danielem. Minores duodecim vno volumine: quorum hæc sunt nomina: Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas; Nahum, Habacuk, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Hi sunt omnes Canonici, qui ad vetus Testamentum pertinent: quorum varias distributiones Sixtus Senensis enumerat lib. 1. Bibliothecæ.

II. Noui Testamenti libros numeramus omnino 27. Historicos 5. nimirum Euangeliũ secundum Matthæum: Marcum, Lucam, & Ioannem, atq; Actus Apostolorum à Luca descripti: Inde quatuordecim epistolæ Pauli: ad Romanos, ad Corinth. prior & posterior: ad Gal. ad Ephes. ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonic. prior & posterior, ad Timotheum prior & posterior, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Tum septem Catholicæ vulgo nuncupatæ, Iacobi, Petri prior & posterior, Ioannis prima, secunda, tertia, Iudæ. Denique Ioannis Apocalypsis. Hos in vtroque Testamento agnoscimus Canonicos, nec plures, nec pauciores.

III. Apocryphos: siue potius non Canonicos, nominamus in Veteri Testamento, hos siue libros, siue partes librorum: Esdræ tertium & quartum, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruc, Supplementa Esther, Canticum trium puerorum, historiam Susannæ, historiam Belis, & Draconis, Orationem Manassæ: Maccabæorum siue duos, siue tres, siue quatuor. In Nouo Testamento, Pastorem Hermetis, Epistolam ad Laodicenos: & siqui sunt alij. Atque hæc nostra est sententia.

IV. Papistæ suam luculenter exposuerunt in Concilio Tridentino, sessione 4. Nam cum constituissent omnes libros tam Veteris quam Noui Testamenti, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipiendos, tum enumerationem hanc proposuerunt, *Indicem* (inquiunt) *huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Testamenti Veteris, quinq; Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Ester: Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias, cum Baruc, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Oseas: Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Maccabæorum, primus & secundus. Testamenti Noui, quatuor Euangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti: quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnib. suis partib. prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgatâ Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit.* Hactenus Tridentini.

V. Ex harum sententiarum collatione facile apparet quis sit controuersiæ nodus. Primum, qui à nobis inter Canonicos numerantur, tam in Veteri quam in Nouo Testamento, omnes accipiuntur, etiam ab Aduersariis pro Canonicis absq; vlla exceptione. Secundo, in Nouo Testamento, quicunque ab Aduersariis Canonici nuncupantur, iidem etiam à nobis. Tertioin Apocryphis illi relinquunt itidem vt nos, tertium & quartum Esdræ: Orationem Manassæ: & Maccabæorum tertium ac quartum. Atque hactenus illi nobis consentiunt.

VI. Sed in Veteri Testamento: primo ab illis integri libri annumerãtur Canonicis: quib. locum nos assignauimus inter Apocryphos, siue non Canonicos, hi sunt Tobias, Iudith, Baruc, Sapientia, Ecclesiasticus: & Maccabæorum primus & secundus. Secundo: quod illi ad finem Canonis de integris loquuntur & partib. hunc habet sensum, vt in Canonem admittantur Supplementa Esteræ: tanquam pars ipsius libri genuina: item, Canticum triũ puerorum, historiæ Susannæ, & Belis ac Draconis, tanquã partes Danielis.

VII. Is ergo est primæ huius controuersiæ status: de qua apud aduersarios quos quidem viderim disputarunt, Sixtus Senensis Bibliothecæ Sãctæ lib. 8. hæres. 11. & 12. Io. Driedo professor Lou. lib. 1. de Ecclesiasticis Scripturis: Melchior Canus Episc. Canariensis, loc. Theol. lib. 2. c. 9. 10. 11. Diegus Payua. Andradius in defensione Tridentinæ fidei lib. 3. Rob. Bellarm. Cardin Iesuita, 1. Controu. lib. 1. Et Gretserus Bellarmini Apologista. Alph. de Castro Zamorensis contra hæres. lib. 1. c. 2. Duræus Iesuita lib. 1. aduersus Vvitakerum: & Io. Hayus lib. 1. disp. aduersus ministrum anonymum. Guilhelmus Bailius in Catechismo controu. tract. 1. q. 13. 14.

VIII. Contra Papistas vero Martinus Chemnitius parte 1. Examinis Concilij Tridentini: Guilhelmus Vvitakerus de Scriptura Sacra, qu. 1. Ægidius Hunnius ad 1. controuersiam Bellarmini: sed & Franc. Iunius, ac Danæus ad eandem, Io. Rainoldus prolixissime in Censura librorum Apocryphorum Iacob. Kimedontius de scripto Dei verbo, lib. 1. Io. Vrbanus Hattemensis de verbo Dei scripto & non scripto, lib. 2. Sibrandus Lubbertus de principiis Christianorum dogmatum lib. 1. Andreas Riuetus in summa Controuersiarum tract. 1 qu 14.

CAP. III.

An libros controuersos Ecclesia pro Canonicis agnouerit.

IPRimum Argumentum Papistarum, est ab autoritate totius Ecclesiæ. Andradius, *Vt omnium Ecclesiarum, quæ per vniuersum orbem longe lateq; dispersæ sunt, consensum, Tridentinamq; Synodum, & Florentinam omittã, quæ antiquitatis sunt vestigia summa diligentia persecuta: Veteres certe id Ecclesiæ ab ipsis vsq; Apostolorum temporibus, continuata quadam, & nunquam interrupta serie nobis tradiderunt.* Argumentum instituitur in hunc modum: Omnes libri, quos Ecclesia semper habuit pro Canonicis, ij sunt habendi pro Canonicis. At hos libros, de quibus quæstio nunc est, Ecclesia semper habuit pro Canonicis. Ergo ij sunt habendi pro Canonicis.

II. Probatur assumptio: primo ex consensu omniũ Ecclesiarum, quæ per vniuersum orbẽ longe lateq; dispersæ sunt. Secundo, quia Concilia Tridentinum & Florentinum, sic statuerunt. Tertio, quia veteres Ecclesiæ ab ipsis vsq; Apostolorum temporib. continuata, & nunquam interrupta serie, sic tradiderunt. Atque hoc tertium caput probatur ex Carthaginensi Synodo, cui diuus August. interfuit, quæq; fuit in sexta Synodo generali cõprobata. Ex sanctissimo Innocentio primo Pontifice Romano, qui dignitate, eruditione, atque pietate mirum in modũ floruit, Augustini Hieronymiq; seculo. Nam illa Synodus illique patres, non tantum eundem numerum expresserunt librorum sacrorum cum Tridẽtina Synodo: sed etiam affirmarunt, eum numerum communi omnium Patrum consensu Ecclesiæ fuisse cõmendatum. Item ex Gelasio: in Synodo septuaginta Episcoporum. Ex Augustino, qui 2. lib. de Doctrina Christiana, ex veterum & Apostolicarũ Ecclesiarum opinione, eadem quæ Carthaginensis Synodus, sacra volumina recensuit. His Bellarm. addit Isidorum lib. 6. Etymol. c. 1. Cassiodorum lib. 1. diuin. lect. Rabanum lib. 2. de Institutione clericorum.

III. Respondeo ad Syllogismum, Concedi maiorem. Nam qui libri semper ab vniuersa Ecclesia habiti sunt pro Canonicis, eos oportet ab ipsis etiam Apostolis esse pro talib. approbatos. Eorum a. iudicio abest, vt quisquã se Catholicus opponat. Sed minor est prorsus falsa: neque asseri potest, aut concedi, nisi ab iis quib. prorsus incognita est, illa ipsa series Ecclesiæ. Sin. esset vera, nulla possent in contrariam partem testimonia proferri. At proferuntur, vt proximo libro manifestum fiet, & grauissima, & plurima: imo vero plura, quam pro se Papistæ colligere possint. Itaq; concludimus non esse illos pro Canonicis aut olim habitos ab vniuersa Ecclesia: aut nunc habendos, ab iis qui se Catholicos dici volent.

IV. Primam confirmationem minoris: respondeo esse falsam. Nam hodie solos Romanenses ita credere: qui blandiuntur quidem sibi hac vana opinione, se totum orbem occupare: sed id persuadent iis duntaxat: qui de toto orbe nihil norunt præter suum agellum. Re vera n. concluduntur angustissimo orbis angulo, atque eo etiam nõ toto. Omnes a. Ecclesias, quæ à Papatu discesserũt, alias aliis puriores, in hoc capite à Papistis dissentire, nemo nescit. Quinetiam apud ipsos Papistas, ante nouissimum illud Tridẽtinum Concilium, non pauci: imo longe maior pars, hos eosdem libros, negabat esse Canonicos: atq; in iis Lyranus, Petrus Cluniacensis, Richardus à S. Victore, Glossator decretorum Gratiani, Thomas de Vio, & alij.

V. De Autoritate Conciliorum Florentini, Tridentiniq; e: respondeo, primo, vtrumq; à nobis oppugnari, ac proinde, cum nobis ea pro argumẽto objiciuntur: nihil aliud quam principium peti. Secundo, vtrumq; fuisse particulare: neutrum Oecumenicum: itaq; non posse vniuersalis Ecclesiæ sententiam testari. Tridentinum ex solis Occidentalib. compositum: ac ne iis quidem omnib. Nam Ecclesiæ Gallicanæ nondum approbarunt. Quin etiam huic ipsi sessioni quartæ, qua hoc decretum factum est, interfuerunt duntaxat, præter quatuor præsides, tres q; legatos Imperatoris, Cardinalis vnus, Archiepiscopi nouem, Episcopi quadraginta nouem; procuratores duo; Abbates duo: Generales tres. Summa est septuaginta trium capitum: quo tam paruo numero nulla constitit vnquam Oecumenica Synodus. Imo multæ particulares plurib. Ad hæc erant omnes, pauciss imis exceptis, Itali, aut Hispani: non ergo ex toto orbe Christiano.

VI. Florentinam Synodum, Basileensis non probauit. Quomodo ergo dicatur Oecumenica, quum eodem tempore alia celebraretur, ab ea dissentiens? Imo vero nego fuisse legitimam: vtpote conuocatam Eugenij malitia vafritiaq; in fraudem Basileensis, quæ Eugenium tractabat pro meritis. Etsi Catholicis hæc necessaria non sint, qui sciant nullam Synodum Oecumenicam dici posse, quam solus Romanus Episcopus congregarit. Quid? quod hanc ipsam Florentinã Synodum falso nominant? Nam hæc librorũ enumeratio, non est in eius Actionib. aut Decretis: sed in Eugenij Commonitorio ad Armenos: quod licet publice in Synodo recitatum est, tamen ita illam contempsit, proque nihilo habuit Eugenius, vt non publico, sed priuato suo nomine conscribi voluerit: Exemplo, & nouo & malo.

VII. Tertia confirmatio est etiam falsa: Non est enim verum, veteres Ecclesias ab ipsis vsque Apostolorum temporib. continuata, & nunquam interrupta serie sic tradidisse. Nec probatio est efficax. Si Carthaginensis Synodus, & Innocentius, & Augustin. & Gelasius, & Isidorus, & Cassiodorus, & Rabanus, eundem texuerunt catalogum, quem Tridentina Synodus: Ergo Veteres Ecclesiæ ab ipsis Apostolorum temporib. non interrupta serie, eos libros pro Canonicis habuerunt. Negatur n. consequentia: multis de causis: quarum quædam generales sunt, quædam particulares.

VIII. Generalium prima. Quia ea series temporum, quæ est à Christo ad nos vsque in hac testimoniorum enumeratione, valde est interrupta. Nam Christo ad Carthaginenses Synodi, Innocentij, Augustinique tempora, anni sunt circiter quadringenti, qui siue vllis testibus prætermittuntur. Et rursus à Gelasio ad Florentinum Concilium interceesserunt secula nouem integra, ac plus eo. Hanccine vero appellant Papistæ continuatam seriem, neque vnquam interruptam.

IX. Secunda causa. Ea testimonia sunt omnia particularia: non autem Vniuersalis Ecclesiæ. Nam Innocentius, Gelasius, August. & Isidorus erãt Episcopi particularium Ecclesiarum: illi Romæ, tertius Hipponensis, quartus Hispalensis, qui suum singuli iudicium declarare poterant, non sententiam ferre, cui tota obnoxia esset Ecclesia Catholica. Cassiodorus autem & Rabanus, ne Episcopi quidẽ, sed Abbates, hic Fuldensis, ille Rauennẽsis.

X. Quod attinet ad Synodum Carthaginensem? illa particularis fuit in Africa. Et quod instant, fuisse approbatam ab vniuersali Synodo in Trullo, non est magni momenti. Primo, quia è Papistis nonnulli fidem prorsus ei derogant. Canus locor. Theolog. libr. 1. c. vlt. ad 6. argumentum. Sed & Albertus Pighius. Nouissime magno conatu prolixoque Cæsar Baronius Annalium to. 8. ad annum 692. negans à quoquam prudente dici posse, eam in Spiritu Sancto legitime congregatã. Licet contra defendatur eius autoritas à Francisco Torrensi libro aduersus Pighiũ edito: Et Francisco Iouerio præfatione in eius Concilij sanctiones. Secundo, non sequitur, Probatum est Concilium Carthaginense tertium, à Synodo Trullana Oecumenica: ergo eius Canones vim habent vniuersalium. Ratio est, quia vno & eodem canone

none eadem Trullana Synodus multas alias particulares Synodos confirmat, quæ nihilo magis habuerunt vnquam autoritatem generalem. Quid Synodos dico? Imo confirmauit etiam quorundam doctorum, quos vocat Canones, Dionysij, Petri, Athanasij, Alexandrinorum: Gregorij Neocæsariensis: Basilij Cæsariensis, Gregorij Nysseni, atque aliorum: quorum tamen authoritas nulla est alia, quam quæ solet esse singulorum Episcoporũ. Ad hæc, inter Synodos particulares confirmat etiam Laodicenam, quæ hos ipsos libros, de quibus agimus, reliquit extra Canonem, vt suo loco sumus dicturi.

XI. Tertia causa: quia proferuntur testimonia diuersa, atque adeo contraria. Primo, seculorum præcedentium, hoc est, quæ ad Christum propius accesserunt: secundo, eiusdem quo floruerunt Innocentius, Augult. & Gelasius: tertio, subsequentium: quæ prolixe enumerabuntur proximo libro ad argumentum quintum. At si contradicant testimoniis quæ pro se aduersarij proferunt, alia & quidem plura testimonia: sine dubio hoc sequitur nõ esse aut Synodi Carthaginensis, aut Innocentij, aut Augustini, aut aliorum sententiam eandem quæ omnium Ecclesiarum.

XII. Sequuntur causæ particulares, in consideratione ipsorum testimoniorum. Innocentius eius nominis primus Episcopus Romanus: primo testatur eius epistolæ initio se priuatam sententiam dicere, quemadmodum quiuis interrogatus solet, non ex tripode oracula dictare, sed ex proprio ingenio quid sibi potissimum videatur expromere. Sunt n. ista eius Epistolæ prima verba, *Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita specie vnaquaque sentirem, pro captu intelligentiæ meæ, quæ sunt visa respondi, quid sequendum, vel quid vitandum docilis ratio persuaderet, vel autoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret*: Et paulo post: *Mihi quoq; ipsi decollatione docilitas accedit, dum perscrutatis rationibus, ad proposita respondere compellar: eoque fit, vt semper aliquid addiscat, qui postulatur vt doceat.* Quæcunque igitur hac tota proponuntur epistola, eius sunt hominis, qui suum priuatum & particulare iudicium exprimat, vt intelligamus hanc ipsam librorum enumerationem, non ex publica aliqua totius Ecclesiæ autoritate depromptam: sed priuato studio elaboratam. At ipsi Papistæ concedunt Papam vt particularẽ doctorem, & cum non docet ex Cathedra, falli posse. Quum igitur hoc loco ipse testetur Innocentius, suum se ferre particulare iudicium, cur putant nobis suspectum esse nõ posse? Deinde, quo sensu Canonicos appellet, non explicat; & videtur paulo generalius nomen produxisse, vt cõprehenderet etiam Ecclesiasticos: quia his opponit eos, qui prorsus damnandi sunt. *Cætera a.* inquit, *quæ vel sub nomine Matthiæ siue Iacobi minoris, vel sub nomine Petri & Iohannis, quæ à quodam Leucio scripta sunt vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide & Leonide Philosophis, & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noueris esse damnanda.*

XIII. Gelasii decretum exstat, valde nudum: sola constans enumeratione, cui hic titulus præfigitur: *Ordo librorum Veteris Testamenti quem sancta & Catholica Romana suscipit & veneratur Ecclesia, digestus à Gelasio Papa, cũ septuaginta Episcopis.* Vbi duo notanda sunt. Primum, id iudicium esse vnius duntaxat Ecclesiæ, sc. Romanæ: non a. omnium per totum terrarum orbẽ Ecclesiarum: alterum, libros eos non nominatos Canonicos, sed duntaxat Veteris Testamenti: possunt a. hi libri, de quib. contendimus, sic appellari: quia sic facti sunt vt referri non possint nisi ad V. Testamentum: suscipiuntur a. & venerantur, sed tanquam Ecclesiastici, vt loquitur Rufinus: atq; eatenus aliquomodo Canonici, sed non vt vere & proprie Canonici: itaque hoc testimonium non vrget causam nostram.

XIV. Augustinus libr. 2 de Doctrina Christiana c. 8. in suam enumerationem ita præfatur, *Erit igitur diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasq; habuerit: etsi nondum intellectu, iam tamen lectione, duntaxat eas quæ appellantur Canonicæ. Nam cæteras securius leget fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, & periculosis mendaciis atque phantasmatibus eludentes præiudicent aliquid, contra sanam intelligentiam. In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum, quam plurium autoritatem sequatur, inter quas sane illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauioresq; accipiunt, eis quas pauciores, minorisq; autoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à plurib. alias à grauioribus haberi: quanquam hoc inuenire non possit, æqualis tamen autoritatis eas habendas puto. Totus a. Canon Scripturarum in quo istam consideratiõe versandam dicimus, his libris continetur.* Hactenus Augustin. In quibus verbis tria sunt diligenter obseruanda. Primum opponi hos libros ab Augustino Canonicos appellatos, iis libris qui periculosis mendaciis atq; phantasmatib. illudentes præiudicant contra sanam intelligentiam: vnde patet eum canonis nomine vsum esse laxiori significatione, quæ cõprehendat vtrosq; tam Canonicos proprie, quam Ecclesiasticos. Secundum, eos Canonicos non esse omnes eiusdẽ gradus: sed alios aliis præferri, esseq; vt ita dicam, magis Canonicos. Quod cum decreto Tridentino pugnat: cuius hæc diserta sunt verba, *Sancta Synodus Orthodoxorum Patrum exempla sequuta, omnes libros tã veteris quam noui Testamenti, cũ vtriusq; vnus Deus sit autor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit & veneratur.* Et quia Aug. eos, quos Canonicos vocat, sic distinguit, vt qui eis vtitur; debeat alios aliis præferre: Conciliũ a. Tridentin. suos velit pari reuerentia suscipi: profecto fieri non põt, vt eodem sensu Canonicum Aug. nominauerit, cum Concilio. Tertiũ, Aug. in suo Canone eos libros cõprehendit non tantum qui ab omnib. Ecclesiis reciperentur, sed etiã eos qui a nonnullis: imo vero nõ illos solum qui à plurib. sed eos etiam qui à paucioribus. Quare Canonicos etiam hic appellauit, quos Christianitatis pars maior à Canone expungebat: quod de vere Canonicis quam inepte dicatur quis non videt?

XV. Bellarm. ad has obiectiones respondet miro verborum inuolucro, vt vix quid sibi velit intelligas, *Augustinum fuisse certissimũ omnes libros Canonicos esse infallibilis veritatis: sed non fuisse æq; certũ de omnib. libris quos enumerauerat, an essent Canonici. Nã et si ita sentiebat, tamen sciebat rem non fuisse adhuc à generali Concilio definitam, & propterea potuisse sine labe hæreseos quosdam libros ab aliis non recipi. Id igitur est quod dicit obseruandum esse in libris qui dicuntur Canonici, vt ij qui ab omnib. recipiuntur, præponantur iis, qui non ab omnib. recipiuntur: quia videlicet de prioribus maior tum erat certitudo, quam de posteriorib. quod essent Canonici. Nunc a. quia generalia Concilia, rem totam definierunt, æque certi sumus de autoritate omnium librorum, nec vnum alteri præponere debemus.* Hactenus Bellarm. qui inepte hæc effutiit, etiam propria prodita causa.

XVI. Primum enim, si non fuit Augustin. certus de totius Ecclesiæ iudicio frustra profertur ab Andradio testis, vt euincat eos libros a Veteribus traditos pro Canonicis, serie ab ipsis Apostolis nunquam interrupta. Quin etiam luculenter mentitus erit ipse, cum hoc Augustini testimonium eo maioris ponderis esse dixit, quod non tam peculiarem ipsius sententiam designet, quã Ecclesiæ ipsius iudicium & persuasionem cõfirmet. Nam contra Bellarm. ipsum Augustinum ita dicit sensisse: quæ verba quid significant, si non priuatam sententiam? Secundo, quantum hic quæso pondus esse poterit testimonii in Augustino? Non n. publicum erit Ecclesiæ: cum de eo incertus esset, teste Bellarmino. Si priuatum, quis Augustino id prius concessit, vt suo priuato iudicio libros Canonicos efficiat; Tertio, non tantũ non fuit Aug. certus de Ecclesiæ iudicio; sed ne apud se de ipsis quidem libris, vtrum essent Canonici: nam hoc habent diserta Bellarmini verba, nõ fuisse æque certum de omnib. Quo iure ergo citatur tanquam certus testis, vt rei dubiæ fidem faciat? Nam hic est nodus: non n. disputamus vtrum omnes Canonici sint infallibilis autoritatis, quod Augustino certum fuisse Bellarm. contendit: sed vtrum hi omnes qui a Papistis, imo etiam ab Augustino numerantur, vere sint Canonici: quod Augustino negat Bellarm. satis exploratũ fuisse. Quarto, si ante Augustinũ nulla vniuersalia Concilia hanc rem definiuerant: ergo non tantum non potuit August. esse testis iudicij vniuersalis Ecclesiæ: sed ne vllum quidẽ re vera fuit huiusmodi iudicium. Et mentiebatur Andradius, qui veteres Ecclesias suum Canonẽ nobis inde vsque ab Apostolis tradidisse asserebat. Quinto: si ideo incertus erat Aug. quia nulla præcesserant generalia Concilia, quib hæc quæstio esset definita: ne nos quidem hodie certi esse possumus. Nam ab Augustino ad nos vsque nullum omnino factum est eiusmodi iudicium: nam de Carthaginensi, Trullano, Florentino, Tridentino, iam diximus. Denique quicquid sit de vniuersalibus Conciliis; tamen certum est Augustinum credidisse Canonem longe ante sua tempora fuisse constitutum ac certo numero librorum definitum. Contra Cresconium lib. 2 c. 31. quem locum c. præced recitauimus. *Neq; enim sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus.*

XVI. Ex quib. verbis rursus obseruo. Primum iam olim ante Augustinũ fuisse Canonem constitutum: non habuisse igitur causam Augustinum dubitandi de libris vere Canonicis: hos itaque non fuisse vere Canonicos, quandoquidem de iis nondũ certus erat. Secundum, eos qui ab Augustino credebantur pertinere ad canonem iã cõstitutum, tantæ apud illum fuisse auctoritatis, vt censeret à nemine iudicandos esse. At in hac enumeratione esse aliquos, quos censeat iudicandos non tantùm ab Ecclesia, sed etiam à singulis fidelib. Ergo necesse est, in hac enumeratione nonnullos libros esse additos, qui non pertinerent ad Canonem iam constitutũ. Et tamen certum est hanc enumerationem ab eo Canonem appellari: necesse est igitur eum vario sensu Canonis vocem vsurpasse: nempe aliquando pro enumeratione librorum quorũ est infallibilis auctoritas: alias vero pro enumeratione librorum quorum etsi non est infallibilis auctoritas, sit tamen nonnulla.

XVII. Et tamen colligit Bellarm. argumenta, quib. probet, Augustinum re vera sensisse, omnes eos libros, quos ibi vocat Canonicos, esse infallibilis veritatis. Ea tria sunt: Primum ex Concilio Carthaginensi tertio, cui ipse subscripsit. Secundum, quia nullus proferri locus põt, vbi librum aliquem vocet Canonicum & tamẽ de eius veritate dubitari posse dicat. Tertium, quia infinita possunt loca proferri, vbi dicit omnes libros, qui canonici vocantur, esse infallibilis veritatis.

XVIII. Respondeo ad primum, Concilium Carthaginense nihil habere de infallibili veritate: sed nude libros enumerare, qui Canonicarum, siue diuinarum Scripturarum nomine significari possent: quib. iisdem nominibus hoc loco vtitur August. propterea nihil adfertur inde luminis ad hæc verba de quib. nunc contendimus. Ad secundum etiam si nullus alius proferri locus posset præter hunc quem habemus præ manib. tamen sententiam esse manifestam, & certissimis argumentis confirmatam, quæ negari non possunt, aut impugnari.

XIX Ad tertium: fateor multos proferri locos posse quib. Canonicos significarit Aug. esse auctoritatis infallibilis: sed ij loci nulli pertinẽt ad hãc enumerationem, agunt n. omnes de libris, qui ab omnib Ecclesiis admittebantur, erantque vere & proprie Canonici: quod ex ipsis locis videre licet. Nam in epistolis ad Hieron sciunt omnes quæri de Epistola ad Galat. epist 48 de iis Scripturis vnde multa desumebàt testimonia: quorum nulla erant ex iis libris qui nunc in dubium vocantur: lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, quem paulo ante citauimus, de iis loquitur libris, quos omnino iudicare non audeamus. Reliquis locis nempe epist. 112. in Ps. 67. lib 2. contra Cresconium, c. 31 lib. 12. contra Faustum c. 5. qui omnes à Bellarmino citantur, nihil est quo indicentur hi omnes libri, quorum enumerationẽ nunc excutimus. Quid tũ a. Si alibi Canonicos proprie & strictiori significatione nominauit, an sequitur lib. 2 de Doctrina Christiana, non vsurpasse idem nomen latiori sensus ambitu? Nullo modo.

XX. Ad indicandam a. Augustini mentem duplici vtar adhuc argumẽto. Primum est: quia Apocryphos Augu. appellat eos, qui sunt impij, & ab impiis editi, Apostolorum nomine præfixo. Contra Faustũ, lib. 22. c. 79. *Legũt Scripturas Apocryphas Manichæi, à nescio quibus sutoribus fabularum, sub Apostolorum nomine scriptas.* Quæstione super Numeros 42. *In quo libro hoc scriptum sit non commemorauit, neque vllus est in his quos diuinæ Scripturæ Canonicos appellamus. De talib. occasiones reperiunt, qui libros Apocryphos incautorum aurib. & curiosorum conantur inserere, ad persuadendas fabulosas impietates.* Quibus locis alii similes possunt numerari. Ex quibus patet id nomen Augustinum ita vsurpasse, vt libros significaret, non eos quibus

sola

sola deerat auctoritas confirmandorum dogmatum ;sed eos qui nocerent fidei, & impietatem docerent, ac hæreticis inseruirent: quo facilius eos potuit aliquando inter Canonicos numerare, qui etsi non sint pares Propheticis & Apostolicis, tamen non sunt impij, imo non inutiles formandis moribus, ob idque recepti ab Ecclesia. Neque vllum ego sane locum offendi, vbi Augustinus Apocryphorum nomen alio sensu vsurpauerit.

XXI. Alterum argumentum ex nonnullis locis, quibus suam de Ecclesiastico, & Maccabæis, quos nunc Canonicos indigetat, sententiam sic prodit, vt aperte indicet se varios Canonicorum ordines agnoscere. Nam de Ecclesiastico ita legas in Retractationibus libri 2. capite decimo, *Videor non recte appellasse verba Prophetica, quib. scriptum est, Quid superbit terra & cinis? Quia non in eius libro legitur, quem certi sumus appellandum esse Prophetam.* Et est tamen is locus ex 10. Ecclesiastici. Quare non furtum tum temporis certus Augustinus de auctoritate Canonica eius libri. Est autem opus Recognitionum longe posterius opere de Doctrina Christiana.

XXII. Maccabæos autem, siue obiiciuntur sibi, siue ipse objiciat, exceptione modesta, indicat se non habere pro infallibiliter veris, aut extra omnem aleam. Sic cum Donatistæ Circumcelliones Raziæ exemplo seipsos tuerentur, & ipse docuisset frustra fieri considerato ipso facto: tandem ipsorum librorum auctoritatem amoliens, *Et hanc quidem* (inquit) *Scripturam, quæ appellatur Maccabæorum, non habent Iudæi sicut Legem, & Prophetas, & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam suis testibus, dicens, Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me: sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur: vel audiatur: maxime propter illos Maccabæos, qui pro Dei lege, sicut veri martyres à persecutoribus, tam indigna atq; horrenda perpessi sunt.* Rursus libr. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. *Quorum supputatio temporum, non in Scripturis sanctis quæ Canonicæ appellantur: sed in aliis inuenitur, in quib sunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atq; mirabiles* Hæc Augustinus, ex quib. hæc elicienda sunt & notanda. Primum quod excipiat non esse in Canone Hebræorum: sed tantum receptos ab Ecclesia. Quo quid erat opus si ab Ecclesia Christiana ita reciperentur vt æquanda reliquis? Nam Augustino res erat cum iis hominibus, qui Iudæorum iudicium non magni facerent, quatenus cõtrarium erat Ecclesiæ iudicio. Itaq; aut ridicula fuit exceptio, aut sensus est, etsi recepti sint ab Ecclesia, non tamen eorum esse auctoritatem tantam, quanta eorum est, quos à Iudæis constat admissos. Secundum: quod non absolute Canonicos dicat; sed pro Canonicis haberi propter quorundam martyrum passiones. Atqui libri vere Canonici, simpliciter sunt Canonici, non κατά τι. Quis enim sanus dixerit librum Geneseos haberi pro Canonico propter Arcam Noe, aut Sacrificium Abrahami; Est enim propter omnia etiam minima Canonicus. Sed hoc nimirum hoc illud est, quod Hieronymus dicebat, Apocryphos legi posse ad ædificationem plebis, & propter signorum reuerentiam. Tertium: quod eos ab Ecclesia receptos dicit non inutiliter: qua quidem laude quid exilius; aut minus dignum libro vere Canonico? Nam idem dicere quilibet possit de Athanasij, Basilij, Augustini scriptis: quos Gelasius admisit in suo decreto: nec enim admisisset omnino, si inutiles existimasset. Quartum: vtiliter receptos dicit, cum exceptione, *si sobrie legantur*: quæ iam non laus erit, sed iniuria magna vere Canonicis: siue enim sobrie legantur, siue minus, tamen Canonici sunt, & ab Ecclesia recipi debent. Nam & alii, aut omnes, aut plerique omnes, si non sobrie legantur; possunt non vtiles esse iis à quibus sic leguntur: sed nemo tamen ita ausit de iis loqui. Atque hoc Hayus pueriliter excusat, quod non sit contra historiæ certitudinem: quasi hoc iam quæratur, vtrum falsa sint quæ de Razia narrantur. At ego ea verba dico, & si non sint contra historiæ certitudinem, esse tamen contra eorum librorum vere canonicam auctoritatem: Quintum: non tantum negauit esse in Canone Hebræorum: sed etiam ad eos pertinere testimonium Christi, hoc est confirmationem, quam ille suo testimonio contulit Veteri Testamento. Hoc autem cuiusmodi est quæso? Nam quicunq; vere sunt Canonici, ij membra sunt vel Veteris, vel Noui Testamenti. Hos Noui non esse, norunt omnes. Veteris si essent, tum pertinerent vel ad Legem, vel ad Prophetas, vel ad Psalmos: At negat Augustinus. Restat igitur vt ex Augustini iudicio non sint vere Canonici.

XXIII. Hanc huius obseruationis vim conantur Andradius & Hayus eludere hoc modo, *August. cum Macchabæorum* (inquit) *Scripturam receptam fuisse ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur vel audiatur, haud quidẽ cœlestis auctoritatis expertem illã esse iudicauit, sed legib. ac Prophetis in eo inferiorẽ esse duxit, quod Christum minime demonstret, sed res gestas verissime prudentissimeq; contineat.* At hoc frustra fit. Primum saltem ergo discedendum à Cõcilio Tridentino: quo sancitur vt omnes libri enumerati pari reuerentia suscipiantur. Nam si Maccabæi aliquo modo inferiores sunt Lege, Prophetis, & Psalmis: sequitur non æquandos: at æquantur ab iis qui pari eos reuerentia suscipiendos contendunt. Secundo, manifeste Augustino impingunt, quod ne quidem cogitauit vnquam. Augustinus enim non dixit Maccabæos esse inferiores Lege, Prophetis, & Psalmis: sed dixit non haberi sicut Legem, Prophetas, & Psalmos; quod multo latius patet, & significat non tantum esse inferiores, quomodo esse fortasse possunt eiusdem generis libri: sed etiam non esse eiusdem aut generis aut ordinis: id est, non proprie Canonicos. Deinde non dixit Augustinus, non demonstrari ab iis libris Christum: sed dixit, non esse in ea Scriptura, quam Christus suo testimonio commendauit, distributam in tres partes: Legem, Prophetas, & Psalmos. At eæ tres partes totum continebant Vetus Testamentum: teste Sixto Senensi lib. 1. Bibl. qui in Septem Canonicorum distributionib. hanc primo loco constituit: *qua quidem (vt refert Lucas) vsus est Dominus noster Iesus Christus post resurrectionem suam: cum aperiens discipulis sensum Scripturarum, interpretatus est eis, quæcunq; de ipso scripta erant in Lege, Prophetis, & Psalmis. Iosephus quoq; in primo libro aduersus Appionem Grammaticum eandem partitionem sequutus est.* Vix igitur Augustinus potuit disertius Maccabæis locum assignare extra numerum eorum librorum, qui in Veteri Testamento habentur pro vere Catholicis.

XXIV. Et sane ratio sic contra Augustini mentem conficta, est ineptissima: nam si propterea Maccabæorum libri erant inferiores reliquis, quia Christum minime demonstrent: necesse est omnes qui Christum minime demonstrant, esse reliquis inferiores. At hoc falsum est: nam libri Iudicum, Ester, Ruth, quod sciam, non magis Christum demonstrant, quam Maccabæi: Et tamen non est eorum ordo inferior. Denique hoc iterum mendacissime subiunxit Andradius Augustinum, cæterosq; maiores, Maccabæorum libris non minorem fidem semper habuisse, quam Regum, Paralipomenon historiis, & pari omnia auctoritate valere existimasse. Nam contrarium constat ex his locis Augustini iam citatis: quia in Prophetis qui à Christo nominantur, & in quorum ordine negat Augustinus Maccabæos haberi, erant Iudicum, Regum, Paralipomenon historiæ. Atque hactenus de Augustino.

XXV. Synodus Carthaginensis tertia, nihil habet difficilius. Primum enim videtur non incommode explicanda ex mente Augustini, à quo vix credatur discessisse. Secundo, manifestum est enumerari libros legendos in Ecclesia: legi a. nonnullos qui non essent exacte Canonici, satis apparet cum ex Hieronymo, iam sæpiuscule citato, tum ex ipsius huius Canonis fine, quo permittuntur legi etiam Sanctorum legendæ. Sed hæc Synodus *vocat hos libros* (inquit Bellarm.) *non solum Canonicos, sed etiam diuinos. Librum a. esse diuinum, quid aliud est, quam diuinam auctoritatem habere?* Respondeo hæc esse eius Synodi verba, *Item placuit, vt præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur, sub nomine diuinarum Scripturarum.*

XXVI. Hic primum obseruo non directe dici eos libros diuinos, sed tãtum oblique inde colligi: aliud est enim dicere, nihil legatur sub nomine diuinæ Scripturæ, præter eos libros, qui sunt in Canone: aliud a. eos omnes affirmare esse diuinos: nam cum posteriore phrasi diserte asseritur qualitas librorum, tum priore, nihil aliud quam prohibetur, ne alij vlli libri hoc nomine censeantur. Non est autem consequens, vt si præter eos nulli libri legendi sint sub nomine diuinæ scripturæ, ideo omnes qui sunt in Canone sic enumerato, sint reuera scripturæ diuinæ. Vt cum Catholici dicunt nihil docendum in Ecclesia pro articulis fidei, nisi quæ scripta sunt in libris Canonicis; non tamen significant omnia scripta in libris Canonicis esse articulos fidei. Itaq; hæc mens fuit horum Patrum, non tam vt illi omnes quà auctoritate excipiendi essent, affirmarent, quam vt ansam præciderent alios intrudendi. Secundo, vt Canonici non vno modo nominantur, sic & diuini possunt vario censu nuncupari: nempe quia: vel θεόπνευστοι sunt, quæ propria est vsurpatio: vel de reb. diuinis scribuntur: quæ latior est significatio: vel κατὰ πλεῖον καὶ τὸ ἧττον, qui comparati aliis, magis accedunt ad primum ordinem. Confirmatur hæc consideratio ex c. 22. lib. 15. de Ciuitate Dei. *Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum in epistola Canonica Iudas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo Canone Scripturarum, qui seruatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia sacerdotum.* Ergo quædam diuina appellari possunt scripta, quæ tamen non sint in Canone proprie sic dicto. Et quidni nos æque cum Augustino dicamus hæc scripta, de quib. est quæstio, vtcunque diuina appellentur, non frustra non esse in Canone Hebræorum? Non esse enim omnes sciunt. Itaq; Concilium Carthaginense non valde iuuet hanc causam. Isidorus & recentior est, ac proinde explicandus ex antiquiorum auctoritate, & distinguit inter Canonem Iudæum & Christianum, qua de re agendum erit libro proximo, argumento vltimo, Rabanus etiam longe post Isidorum vixit.

XXVII. Atque ita refutatum est primum argumentum: quod à Duræo paulo aliter concipitur. *Nisi hi libri* (inquit) *quorum Canonicam auctoritatẽ defendimus, inter Canonicos numerentur, eodem argumento reliquos omnes reijciatis oportet, cum eadem Ecclesiæ Catholicæ auctoritate omnes cõmendẽtur.* Sed non est difficilior nodus. Est a. syllogismus ita constituendus. Omnes libri, qui eadem Ecclesiæ Catholicæ auctoritate commendantur, pariter vel recipiendi sunt, vel reiiciendi. At omnes hi libri eadem Ecclesiæ auctoritate commendantur. Ergo omnes pariter aut recipiendi aut reiiciendi. Et quia recipiuntur Genesis, Exodus, atq; alij: Ergo recipiendi sunt etiam Tobias, Iudith, Baruc, & similes.

XXVIII. Respondeo Catholicã Ecclesiam nominari, vel quatenus omnes vno tempore populos comprehendit, vel quatenus omnia etiam colligit tempora. Posteriori modo, negatur minor Syllogismi. Certe n. falsum est hos libros quos numeramus in Apocryphis, vnquam huiusmodi testimonio commendatos esse. Quin ipsi Papistæ cum huic rei insudant maxime, nullum notare possunt testem antiquiorem Augustino, qui vltra quartum seculum fuit in viuis: Nam Innocentius fuit illi σύγχρονος, & Conciliũ Carthaginense. Quod si priori sensu Duræus magis delectatur, tum negatur vtraq; pars antecedentis. Nam neque vllo seculo omnes Ecclesiæ id testimonium perhibuerunt, neq; si tandem, id est, postremis seculis tribuissent, ideo sequeretur hos libros esse legitime Canonicos. At vero illi quos recipimus, semper sunt ab omni Ecclesia & dicti & habiti Canonici: teste ipso Bellarmino c. 4. qui cum Canonicos distribuisset in duos ordines, atq; in primo nostros enumerasset, in secundo a. reliquos, tum diserte, *Primi ordinis libros* (inquit) *in Ecclesia Catholica diuinam auctoritatem semper habuisse, testes sunt omnes summi Pontifices, omnia Cõcilia, omnes Patres, qui quacunq; de causa libros enumerare studuerunt.* Quod de aliis nemo audeat asserere. Constat igitur non eadem vtrosque auctoritate Ecclesiæ Catholicæ esse commendatos: quare nihil nos peccare si distinguamus.

Cap. IV.

An omnes libri, ex quibus ducitur probatio, sint Canonici.

I. Argumentum secundum. Omnes libri è quib. ducitur comprobatio sacrorũ mysteriorum, sunt Canonici. At ex his libris ducitur cõprobatio sacrorum mysteriorum: Ergo ij sunt Canonici. Minor probatur ex vsu Veterum, qui hos libros libenter citarunt aduersus hæreticos. Argumentũ est Andradij, *Si Sacrorum librorũ dignitas & præstantia in Sacrorum mysteriorum cõprobatione cernitur, & eo potissimum sacra ab hagiographis distinguuntur illos profecto veterib. libros sacros fuisse fateri necesse est, quos hæreticorum furori opponere, & ad fidei mysteria confirmanda adhibere consueuerunt.*

II. Respondeo negari maiorẽ, plurib. de causis. I. causa, quia ne ij quidem libri qui citantur à Prophetis & Apostolis fiunt Canonici: teste Augustino q. in Nu. 42. *Neq; negandum est fuisse iam libros siue Chaldæorum, vnde egressus est A-*

est Abraham, siue Ægyptiorum, vbi didicerat Moses omnem illorum sapientiam siue cuiusq; gentis alterius, in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum: qui tamen non ideo sit assumendus in eas scripturas, quib. diuina commendatur auctoritas: sicut nec Propheta ille Cretensis, cuius mentionem facit Apostolus, nec Græcorum Scriptores vel Philosophi vel Poetæ, quos idem ipse Apostolus magnum sane aliquid & veraciter promptum apud Athenienses loquens dixisse confirmat. In illo n. viuimus, mouemur, & sumus. Licet enim diuinæ auctoritati vnde voluerit, quod verum inuenerit testimonium sumere: sed non ideo omnia quæ ibi scripta sunt, accipienda confirmat. Sic autem arguimus à maiori ad minus. Si neque ij libri quos Prophetæ citarunt & Apostoli ad confirmanda dogmata, propterea sunt Canonici, multo minus ij qui ab aliis citantur.

III. Secunda. Iidem Patres quemadmodum hos, sic alios frequenter citant, quos tamen habent ipsi Papistæ pro non Canonicis. Bellarm. capite vigesimo Hermetis Pastorem à Tertulliano, Clemente Alexandrino, Athanasio, Cassiano, Eusebio citatum obseruauit. Quartum Esdræ ab Ambrosio. Tertium ab Athanasio, Augustino, Clemente Alexandrino Cypriano. Pererius in Danielem lib. 16. *Nec mirandum accidat lectori, me vsum esse Sententiis libri quarti Esdræ, qui non modo non est Canonicus, verum etiam vt Apocryphus à Patrib. reiectus est. Equidem sequutus in hoc sum Diuum Ambrosium, qui in libro de bono mortis, eum ipsum locum Esdræ, quem nunc memoraui, sub nomine Esdræ, & cum magna laude Sententiæ, ad confirmandam fidei nostræ doctrinam, quæ est de resurrectione mortuorum, adhibuit. Quin idem epistola vigesima prima, quam scripsit ad Honorantium suadet librum quartum Esdræ legendum esse, quod in ipso animæ cœlestis esse naturæ demonstretur: & Philosophorum nugæ de ipsius substantia confutentur.*

IV. Tertia, hos ipsos libros citatos inuenias ab ipsis iis Patribus: à quib. tamen ponuntur extra ordinem Canonicorum. Sic Cano teste, Sapientiam citat Origenes super epist. ad Rom. lib. 8. & Hier. in Hieremiam. Ecclesiasticum Nazianzenus orat. 8. & Hier. in 10. Ecclesiastæ. Athanasius contra Arrianos orat. 1. δυνάμεθα λέγειν τὰ ὑπὸ τοῦ πνεύματος εἰς αὐτὸν εἰρημένα, *possumus dicere quæ à spiritu in eum dicta fuere*, statimque recitat locum ex Psal. 50. subnectitq; ex 5. Ecclesiastici: *Non est speciosa laus in ore peccatorum.* Item de virginitate, Λέγει γὰρ ἡ θεία γραφή, *dicit n. diuina Scriptura*, Ecclesiastici 13. *Qui attingit picem, inquinabitur.* Hilarius in Ps. 135. *Quod a. in omnia temperationis Spiritu transfusus ac penetrans sit, id docet Propheta dicens:* Sapientiæ 1. *Spiritus Dei repleuit orbem terrarum.* in Ps 125. *Discentes hæc omnia à lege, à Prophetis, Euangeliis, & Apostolis: & cantantes ex lege, Iudicum decimo sexto, Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.*

X. Quis credat adeo sui oblitos, vt aut citarent tanquam Canonicos, quos testabantur esse Apocryphos: aut testarentur esse Apocryphos, quib. pro Canonicis vterentur. Illud igitur est verius, putasse Patres, licere sibi etiam ab Apocryphis sumere testimonium veritatis. Et quidem cum præfatione honoris: non ad viuum tamen exacta eorum autoritate: ideoq; non sequi esse eos libros Canonicos, qui nomine Scripturæ sanctæ, ac Spiritus citantur à Patribus.

VI. Nec obstant quæ c. 1. obseruabamus ex Antiquis de discrimine Canonicorum & Apocryphorum, quo videtur Andradius alludere, nempe ex illis, non a. ex istis peti dogmatum Christianorum confirmationem. Nã illa confirmatio intelligenda dogmatum omnium in iis libris comprehensorum: vt sint propterea vera, infallibiliterque credenda, quod iis libris scripta contineantur: adeo vt nulli contra exceptioni locus detur: non autẽ de qualibet probatione, quamq; vndecunque liceat vestigare.

Cap. V.

De libris citatis in Nouo Testamento.

I. Argumentum tertium. Quicunq; libri citantur in Nouo Testamento ij sunt Canonici. At liber Sapientiæ, & Ecclesiasticus citantur in in Nouo Testamento. Ergo sunt Canonici. Argumentum est Sixti Senẽsis: *Quod Sapientia Salomonis, & Sapientia Iesu filij Sirach, quæ Ecclesiasticus dicitur, sint in Canone Sanctarum Scripturarum receptæ, demonstratur Noui Testamenti attestatione, Paulus n. ad Romanos vndecimo: & ad Hebræos vndecimo, ex nono & sexto & quarto capite Sapientiæ sententias allegat: & Petrus & Iacobus vterq; primo capite suarum Epistolarum ex decimo quarto Ecclesiastici testimonia proferunt.*

II. Respondeo: primum negari maiorem: tum ex iis quæ dicta sunt in præcedenti argumento, ex Augustino: tum exemplo Henoc, qui à Iuda diserte citatur, & tamen haberi in Canone paulo ante negauit Augustinus. Secundo negari minorem: nullum enim esse locum in Nouo Testamento exceptum ab iis libris.

III. Et primo iis locis à Sixto notatis nullo signo Apostoli se indicant aliquid citare: quod alias sæpe faciunt: sed simpliciter sua verba continuant vno contextu. Etsi a. nonnulla eiusmodi sint, vt legantur etiam alibi: non tamen necessarium est aliquid citari: atq; adeo nullus est antiquorum, qui quicquam notet huiusmodi. Et tamen secundo, si concedimus citari aliquid, negamus citari ex iis libris quos nobis Sixtus indicauit. Nam 11. ad Rom. Thomas Aquinas, Thomas Caietanus Dominicus à Soto testantur citari caput Esaiæ 40. nec sine ratione: nam & sententia est eadem, & verba magis eo accedunt. Sic n. Paulus τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο: quæ totidem sunt Esaiæ verba iuxta versionem Septuaginta interpretum; nec valde discedunt ab Hebraica veritate: certe sensus est idem. Capite a. 9. Sapientiæ, etsi sensus in idẽ recidit tamen verba sunt diuersa, τίς γὰρ ἀνθρώπων γνώσεται βουλὴν Θεοῦ; ἢ τίς ἐνθυμηθήσεται τί θέλει ὁ Θεός: *Quis enim hominum cognoscit consilium Dei? vel quis concipiet quid velit Deus?*

IV. Iam Iacob. & Petrus hæc verba, *Omnis caro fœnum.* Quare putandi sunt assumpsisse ab Ecclesiastico, potius quam ab Esaiæ c. 40. vbi eadem leguntur? Nam & Claudius Guillaudus vtroq; loco Esaiam potius nominat: sed & Lorinus in primam Petri, & Salmero in eandem, *Locus*, inquit, *productus ex Esaia.* Dominicus à Soto, *Confirmat iudicia Dei incomprehensibilia esse, testimonio Esaiæ.* Iustinianus, *Sumpta videtur sententia ab Esaia.*

V. Ex 6. c. Sapientiæ nihil occurrit mihi quidem, quod citatũ videri posit 11. ad Rom. Hebræosu:, vt voluit Sixtus. Sed Louaniẽses notarunt in margine Bibliorum Gallice editorum: quod retinuerunt ex editione Sixtina, ad hæc verba, *Quoniam data est à Domino potestas vobis*, notarunt, inquam, 13. ad Rom. vbi legimus, *Non est potestas nisi à Deo.* At vident omnes nihil omnino citari: sed tantum locos esse aliquantum similes: sicut eodem Sapiẽtiæ capite ad illud, *Non n subtrahet personam cuiusquam Deus*, notatur ad Roman. 2. *Non est acceptio personarum apud Deum.* Quod recurrit iterum secundo ad Galatas: & alias.

VI. Ad 4. caput Sapientiæ, atque hæc verba, *Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est.* Notarunt iidem 11. ad Hebr. *Henoc trãslatus est, ne videret mortem.* Et id puto Sixtum Senensem habuisse in animo. Sed hoc verum potius, Paulum historiam sumpsisse ex 5. Genes. Nam autor Sapientiæ non loquitur de Henoc, sed generaliter de quolibet pio immatura morte translato in vitam meliorem. Quod vidit Lorinus pluribus interpretibus placuisse: *quibus*, inquit, *adhæresco: ita tamen vt rem putem exemplo Henoc bene confirmari: atque de eodem sensu accommodationis locum præsentem recte accipi.*

VII. Ad hoc argumentum & illud pertinet de Maccabæis, quod apud vnum vidi Ioannem Perronum in tract. de Purgatorio. citari à Paulo tanquam fideiussores fidei, 11. ad Hebr. *Alij distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent redemptionem.* Indicari Maccabæorum historiam, argumento esse verbum *Distenti sunt:* tum autem Caluinum agnoscere: qui, *non dubito*, inquit, *quin sæuas illas persequutiones designet, quib. grassatus est Antiochus in populum Dei.* Et Bezam: *Non dubium est, quin eam designet persequutionem, quam Antiochus exercuit.* Denique, quis locus, inquit, Scripturæ hanc recitat historiam? Et vnde potuit, tanta præsertim certitudine, securitateque, quanta opus est, ad confirmanda præcipua fundamenta nostræ fidei, nisi ex libro sancto?

VIII. Respondeo: primo non constare desumptum exemplum ex libris Maccabæorum: neque ita dicere Caluinum, aut Bezam: sed tantum designatam persequutionem Antiochi. Verbum autem *distenti*, nunquam reperiri in Maccabaicis libris. Quod a. interrogat, vbi lectum in Scriptura, respondeo nusquam: & potuisse vel in Apocryphis quibusdam esse, vel in sola traditione: quæ non raro solet memoriam conseruare rerum gestarum: Nec est, quod quæratur de fide & certitudine: cũ varij sint gradus probationis: summus ab auctoritate diuina: & sub isto alij à rationib. quemadmodum Paulus resurrectionem confirmat. In iis possunt esse exempla: possunt & coniecturæ: & hos non est necesse omnes è Scripturis peti: sed primum solum: cui reliqui subseruire debent. Maxime vero exempla vndecunq; sumi possunt, siue ex historia, siue ex recenti memoria.

IX. Addit idem Perronus, Ioann. 10. mentionem esse Encæniorum, festi à Maccabæis instituti, teste in eum locum Beza. Eius (inquit) obseruatio, vel à traditione erat, vel ab auctoritate librorum Maccabæorum.

X. Vtrumlibet (inquam.) Quid tum enim? Nam neq; in Ioanne habes quicquã præter nudam temporis circunstantiam: nullũ siue auctorẽ, siue approbatorem eius festi. Ehem! tam nihili obseruatiũculas argumenta esse fulciendæ auctoritati Canonicæ! Non miror apud eos, apud quos canonizandis traditionib. vtilis est condonatio vnius sontis votis populi. Mirũ ni ex eo quod Lucas meminit Cyrenij præsidis, Annales Romani, aut certi Tiberij Commentarij, in Canonẽ admittantur. indignum facinus, exclamat hos libros reiicit prolatos in argumentũ Purgatorij: admitti si agatur de approbatione ritus tanti; cui tunc omnis Ecclesia esset obnoxia. Imo (inquam) indignum facinus, sic in media Ecclesia impostoriã exerceri. Nã cui dictum, agi de approbatione Encæniorum: & non esse potius nudam vt dixi, temporis circunstantiam, quomodo alias hyemis, alias messis; alias noctis, alias diei. Nempe hoc genus hominum nihil pudet.

XI. Non est alienũ ab hoc ordine argumentum ab auctoritate Caluini, apud Gautierum dilemmate decimo octauo. Is Caluinum obseruauit adeo apud se non fuisse, vt cum in Institutione eũ librum reijceret, tamen in *Psycopanoychia* dignitatem restituerit, verba recitauit, *Melius* (inquit) *nos docent Sacræ literæ. Corpus quod corrumpitur aggrauare animam: & terrena habitatione deprimi sensum multa cogitantẽ.* Quæ verba sunt ex c. 9. Sapientiæ. Proximo etiã dilemmate Ecclesiasticũ notat ab eodẽ, eod. lib. Sãctũ appellari.

XII. Sed respondebit ipse Caluinus, eodẽ illo libro, non procul ab initio, *Hoc sequuti sunt duo Scriptores: quorũ alter cum hominem distribuat in duas partes, corpus de terra sumptum, & animã ad quam refert imaginẽ Dei* (hic a. locus est Ecclesiastici 17.) *breuiter complexus est, quod Moses longius prosequutus fuerat. Alter vero cũ exegetice vellet designare, quo pertineret Dei imago, vocauit hominẽ inexterminabilẽ, cum creatus esset ad imaginẽ Dei* (locus est Sapientiæ 2.) *Quorum Scriptorum auctoritate aduersarios nostros non valde premerẽ, nisi eos ipsos nobis opponerent. Qui tamen vtcunq; aliquo loco nobis esse debent, si non vt Canonici, certe vt veteres, vt pij, & multorũ suffragiis recepti.* En tibi auctoritatem librorum: sed ad hominem: Non Canonicorum: sed veterum, sed piorum, sed à multis receptorum. Quæ laudes valde sunt infra Canonicã auctoritatem. Quid ergo fundamenti in Caluino.

Cap. VI.

An Canonici sint omnes qui leguntur publice in Ecclesia.

I. Argumentum quartum. Omnes libri, quos Ecclesia publice legit in officiis, sunt Canonici. At Ecclesia hos libros publice legit in officiis: Ergo hi libri sunt Canonici. Argumentum est è plurib. Bellarmini locis, qui hanc quæstionẽ tractare maluit per partes, c. 7. de libro Ester, *Quis nescit feria quarta post dominicam secundam Quadragesimæ, publice in Ecclesia inter ipsa sacrorum solennia, lectionẽ decantari ex 13. c. Ester? Et rursum ex eodem capite lectionẽ pronunciari in ea Missa quæ legi solet aduersus Paganos? Ac demũ orationẽ Ester recitari ex c. 14. eiusdem libri in Dominica 22. post Pentecosten, Euangelio ac Symbolo decantato:* Rursus 8. de Baruc, *Ecclesia Catholica auctoritas in profesto Pentecostes palam lectionem ex libro Baruc, cum lectionib. aliorum sacrorum librorum legi iubet.* Deniq; cap. 9. de quibusdam partib. Danielis. *Hymnus trium puerorum legitur cum in Missa in Sabbato quatuor temporum, tũ omnibus diebus festis in precibus officij matutini.*

II. Melchior Canus vrget argumentum ab incommodis, c.9.lib.2. loc. Theol. disp. de Baruc. *In vigilia Pentecostes nomine Prophetæ toti populo Christiano, per omnes Ecclesias legitur: Qua in re si Ecclesiæ Christi fallerentur, perniciosissime fallerentur. Quid ita? Nempe simul atq; populus intelligeret se in re eiusmodi à Sacerdotibus ludificari, nullam deinceps certam fidem haberet, aut Prophetis, aut etiam Euangelia proponentibus: vt qui in simili causa atq; negotio, iam & essent falsi, & fefellissent. Quod si hic plebis Christianæ fides vacillat & claudicat: certe ego non video, quo alio in loco possit firma consistere.*

III. Respondeo primum negari maiorem. Non tantum n. legebantur publicè Canonici proprie sic appellati: sed etiam nonnulli Apocryphi: ij sc. qui nihil contrà fidem continerent. Hier. præfatione in libros Solomonis: *Legat Ecclesia, ad ædificationem plebis, non ad auctoritatē Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Et paulo ante, *Iudith, & Tobiæ, & Maccabæorū libros, legit quidē Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit.* Rufinus in expositione Symboli, *Sciendū tamen est, quod & alij libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à maioribus appellati sunt.* Et post eorum enumerationē. *Quæ omnia legi quidē in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatē ex his fidei confirmandā.* Quinetiā Concilium Carthaginense tertiū eo ipso c. quod ab aduersarijs solet citari, primò non vetat quicquā legi præter ea quæ sunt in Canone: sed legi sub nomine diuinæ Scripturæ. Secundo ad finem addit, *Liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniuersarij dies eorū celebrantur.* Vnde opinor eis Legendarum nomen inditū: Non erant tamen in numero librorum Canonicorum. Non est ergo verū omnia esse Canonica, quæ publicè leguntur in Ecclesia. Agnoscit Pererius lib. 15. in Danielem, qui excusans à se citatum Esdræ quartū librū Apocryphum: *Sed quid ego (inquit) eius libri Ambrosiū, Cyprianum, aliosue Patres probatores, & laudatores memorē, cum eius libri sententias aliquot etiā Catholica Ecclesia in sacrosanctæ Missæ mysterio, & in publicis suis precationibus vsurpet: Siquidem per singulos annos in feria tertia Pentecostes Missam orditur ab ea sententia, quæ in 2. c. libri quarti Esdræ legitur: Accipite iucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes ei, qui vos ad cœlestia regna vocauit. Et ex eodem capite in solennitatibus Martyrum decantat illud, Modo coronantur, & accipiunt palmam.* Et libro 16. *Non sum nescius, multa recitari publicè in Ecclesiasticis precationibus, aliisq; cæremonijs, quinetiam in ipso Missæ sacrificio peragendo, quæ vt vera esse existimare conuenit, ita liquet ea ex sacris & Canonicis Scripturis non esse desumpta.* Quod dictum exemplis illustratur variis.

IV. Minorem, respondeo, si de Ecclesiis omnib. intelligatur, esse falsam. Fateor quidem in quibusdam Ecclesiis, & aliquando eos libros lectos: sed eum fuisse morem vniuersalem nemo vnquam probabit: ego etiam contra docebo. Nā quæ à Bellarmino colliguntur exempla: ea sunt particularia Ecclesiæ Romanæ: & quidē non omnium seculorū. Constat n. hodiernos ritus, qui in ea obseruantur, varie variis temporib. interpolatos esse. Certe in Constitutionib. Apostolicis, quas aduersarij contendunt esse Clementis eius quē Petro successorē faciunt, libri secundi c. 57. in describendis lectionibus publicis, nulla fit horum librorum mentio, sed eorum duntaxat qui à nobis admittuntur, *Lector (inquit) ex loco edito legat libros Mosis, & Iesu Naue, Iudicum, & Regum, item Paralipomena, & Esdram de redit u populi: præterea Iob & Salomonem: ad hæc sexdecim Prophetas: peractis vero binis lectionibus de binis libris, alius quispiam Psalmos Dauidis canat.*

V. Esse a. aliarum Ecclesiarum alium morem discere licet ex Concilio Laodiceno, cuius Canone 58. cauetur in hunc modū, ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀναγινώσκεσθαι βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς Διαθήκης, *Non oportet Psalmos priuatos in Ecclesiis dici, neq; libros qui sunt extra Cunonē legere: nisi solos Canonicos Veteris & Noui Testamēti.* Tum statim subditur, ὅτι οὐ βιβλία ἀναγνώσεως. *Quosnam libros legere oporteat:* subnexa enumeratione in quib. nullus est ex his pro quib. Papistæ pugnāt. Vnde patet Syras Ecclesias ita fuisse institutas vt non legerent publicè eos libros, quos & Romani legebant & Carthaginenses.

VI. Præterea Athanasius in Synopsi post enumeratos Canonicos, ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία, τῆς μὲν παλαιᾶς Διαθήκης, ἃ κανονίζόμενα μέν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις, *Præter istos 22. sunt adhuc alij eiusdem veteris instrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantum leguntur,* tum hi, qui nominātur. Hinc patet varie lectos fuisse libros in Ecclesia: quosdam n. omnib. etiam fidelibus, quib. erat in ipsa secretiora fidei mysteria liber aditus: quosdam vero tantum Catechumenis: atque hos quidem non propterea censeri Canonicos.

VII. Non est igitur argumentū Bellarmini necessarium. Ad exaggerationē Cani non difficilior est responsio. Quid tum n. si falluntur ij à quib. huiusmodi libri pro Canonicis habentur & leguntur? Quasi vero nunquam quicquam sit in Ecclesia peccatū, contra quam oportuit. Atq; vtinam minimum hoc esset omnium, peccatorū quæ admissa sunt in Ecclesiam: etsi n. non potuit non esse pernicioſum, tamen facile potuit emendari nisi alia grauiora spem præciderent. At populus nullam deinceps certam fidem haberet, inquit Canus. Nego consequentiam: nam alij variis temporib. admissi errores, tum cum sunt emendati, non id effecerunt. Imo (inquit) si populus intelligat se ea in re ludificari à Sacerdotib. nunquam eis credet. Nimirum (inquam) hoc est, Papistarum solenne axioma, vt omnia potius pessum eant, quam vel tantillum labefactetur Sacerdotum dignitas. Et tamen cōsequentia non est necessaria, nā & aliis multis experimentis constitit illusum esse miseræ plebeculæ, vt cum illi proponerentur Legendæ Christopheri, Georgij, Catharinæ, Vrsulæ quas esse fabulosas, quis non fateatur? & tamen nondum Sacrificuli Romani de suo exciderunt solio. Tum sciunt omnes non mente capti, humanum esse errare: nec propter aliquid non prorsus exactum, omnia esse abijcienda. Iisq; duntaxat fidem abrogandam, qui sæpius admoniti, nunquam resipiscunt discedentes ab errore. Deniq; non esse Sacerdotum auctoritatem vnicum fulcrum fidei.

CAP. VII.

An sint Canonica quæcunq; in Codicibus Græcis sunt.

I. ARgumentum quintum proprium est partib. Esther & Danielis. Quicunque Codices Græcos probant, ij partes eorum probant etiam. At veteres tum Synodi tum Patres, Græcos Codices Esther & Danielis probant. Ergo & eorum partes: nempe Supplementa Esther historiamque Susannæ, ac Draconis, & hymnum trium puerorum. Argumentum est apud Bellarminum c. 7. *Negari non potest, vetera Concilia, Laodicenum & Carthaginense tertium, veteres q; Patres Græci, necnon Latini, cum inter sacros libros volumen Esther numerant, de eo volumine esse loquutos, quo tum ipsi, tū Ecclesia vniuersa eo tēpore vtebatur. Vtebatur a. libris sacris iuxta editionem, quā S. Hieron. præfatione in libr. m Esther, & sæpe alibi vulgatam appellare solet: qua, vt ipse ait, Græcorum lingua & literis continetur, in qua editione septem illa capita, libri Esther, de quib. nunc agitur, non defuerunt. Quare si Concilia, & Patres librum Esther qualem ij si legere consueuerant, in sacrum Canonem retulerunt, certe librum integrum, atq; his septem adiunctis capitib. retulerunt.* Et rursus c. 9. *Credibile est Concilia vetera, vt Laodicenum, & Carthaginense tertium, & priscos Patres, qui Græca editione vtebantur, cum Danielem in numerum sanctarum Scripturarum retulerunt, de eo libro Danielis esse loquutos, qui in Græcis vulgatis codicibus habebātur: in Græcis autem vulgatis codicibus, ista omnes partes sine dubio habebantur.*

II. Respondeo, negatur maior. Primo, quia esset ergo tertius Esdræ Canonicus: quod tamen nondum voluerunt Papistæ. Testatur enim Sixtus Senensis Bibl. lib. 1. Græcos in eo à Latinis dissidere, quod hunc tertium Esdræ primum faciant: qui vero apud Latinos ordine sunt primus & secundus, ex iis secundum conficere. Quod si hic fallit maior, quæ certior regula reddi potest, vt non fallat in aliis? Et sane a non distributo ad distributū nō est satis sana conclusio: vt si quis similiter argueret a corpore Bibliorum, ad tertium & quartum Maccabæorum: siue ad orationem Manassæ.

III. Secundo dico, verius esse intelligi editionem Septuaginta, quæ omnium erat celeberrima. Etsi non ignorem è variis versionibus Græcis alias alibi fuisse in precio, teste Hieronymi prologo, in Paralipomena. Sed maxime tamē nota hæc fuit: quia Theodotion, Aquila, Symmachus, oēs hæreseos erant suspecti: reliquæ editiones erāt obscuriores. Illis a. Septuaginta etiam Aug. epist. 8. *præeminentem auctoritatem sine controuersia* tribuendam existimat. & Hier. lib. 3. aduersus Rufinum, *Græci post Septuaginta translatores, Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem legunt, vel ob studium doctrinæ suæ, vel vt Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant.* Etsi mihi in re adeo perspicua testes videri possint superflui.

IV. Huius autem editionis non esse has partes facile ostendimus. Nam de libro Esther, ita testatur Hieronymus in prologo, *Librum Esther variis translatorib. constat esse vitiatum: quē ego de archiuis Hebræorum reuelans, verbum è verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata, lacinioſis hinc inde verborum sinubus (sic n. lego, non funibus) trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant, & audiri: sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate, excogitare quibus verbis vti potuit, qui iniuriā passus est, vel qui iniuriam fecit.* De Daniele a. Sixtus Senensis disertissime, *Supplementū libri Danielis in Hebræo non habetur, sed ex Græca Theodotionis editione ab Hieronymo transcriptum est.*

Vbi sane hæc erat editio illa, quam communem appellabant, teste ipso Bellarmino, capite quinto libri secundi de Verbo Dei: Erat a. ab Origene facta confusis duabus, nempe Septuaginta & Theodotionis. Testatur Hieronymus Prologo in Pentateuch. *Origenis me studium prouocauit, inquit: qui editione antiqua Theodotionis miscuit, asteriſco & obelo opus omne distinguens, dum aut illucescere facit quæ minus ante fuerant, aut superflua quaq; iugulat, & confodit.*

VI. At Danielem nominatim idem testatur Hieronym. legi ex editione Theodotionis: tum Apologia 2. aduersus Rufinum, *In promptu sunt quatuor editiones, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis. Ecclesia iuxta Theodotionem legunt Danielem.* Tū fusius præfatione in Commentaria in Danielem, *Illud quoq; lectorem admoneo, Danielem nou iuxta Septuaginta Interpretes, sed iuxta Theodotionem Ecclesias legere: qui vtique post aduentum Christi incredulus fuit: licet eum quidam dicant Hebionitam, qui altero genere Iudæus est. Sed & Origenes de Theodotionis opere in editione vulgata, asteriſcos posuit: docens defuisse quæ addita sunt: Et rursus quosdam versus obelis prænotauit, superflua quæque designans. Cumq; omnes Christi Ecclesiæ, tam Græcorum quam Latinorum, Syrorumq; & Aegyptiorum, hanc sub asteriſcis & obelis editionem legant: ignoscant inuidi laberi meo.*

VII. Patet ergo argumenti falsitas: nam etsi vterentur Patres vulgata editione: non tamen sequitur eos probasse omnes eius particulas: alias obeliſcis & asteriſcis quid opus fuisset? In ea igitur probabant editionem Septuaginta Interpretum: non quascunque aliorum additiones.

CAP. VII.

De partibus Danielis ex Origene.

I. ARgumentum sextum est proprium partibus Danielis: ex Bellarmino, *Origenes, (inquit) studioſe defendit has partes Danielis, & præcipue Susannæ historiam, canonicam historiam esse contendit, tum homilia prima in Leuiticum, tum in Epistola ad Iulium Africanum.*

II. Respondeo: primo non esse Origenis testimonium vniuersale omnium Ecclesiarum, sed particulare vnius hominis: & quidem non satis probati. Secundo hom. 1. in Leu. hæc esse verba, *Tempus est nos aduersus improbos presbyteros vti sanctæ Susannæ vocibus, quas illi quidem repudiantes historiam Susannæ de Catalogo diuinorum voluminum resecarunt: nos autem & suscipimus & opportune contra ipsos proferimus, dicentes, Angustiæ sunt mihi vndiq;* At has in Leuiticum homilias nō habemus nisi ex Rufini versione. Solebat a. Rufinus, ad suam sententiā satis licenter accōmodare eos authores, quos Latinos faciebat: quod infinitis indiciis deprehendi pōt: & notauit Erasmus in. Censuris ad libros Origenis, *Libertas*, inquit, *vel licentia potius addēdi, adimendi, mutandi, Rufinum, clamant interpretem. Hanc licentiam fatetur vsurpasse se in Leuiticū, in Epistolam ad Romanos, in historiam Ecclesiasticam. Quod porro opus ille tractauit vnquam, quod non ad istum modum cōtaminarit?* Quare non facile discernas quæ sint Origenis. & hic locus eo magis suspectus est, quod Rufinus Hieronymo inuidiam concitare sit conatus ob huius ipsius historiæ negotium: vt patet ex 2. Hieronymi Apologia. Constat autem Origenem probasse Canonem Hebraicum: vt suo loco sumus obseruaturi. Dixi vero alias diuina volumina appellari nonnunquam illa etiā quæ non sunt exacte Canonica.

III. Ve-

I I. Venio ad alterum locum Origenis ex Epistola ad Iulium Africanum, quam Bellarm. citat è lib. 6. hist. Eccles. Eusebij. Locus Græce ita habet, ἐν τούτῳ καὶ Ἀφρικανὸς ὁ τῶν ἐπιγεγραμμένων κεστῶν συγγραφεὺς ἐγνωρίζετο, ἐπιστολὴ τούτου Ὠριγένει γραφεῖσα φέρεται, ἀποροῦντος ὡς ἂν νόθου καὶ πεπλασμένης οὔσης τῆς ἐν τῷ Δανιὴλ κατὰ Σωσάνναν ἱστορίας. πρὸς ἣν ὁ Ὠριγένης ἀντιγράφει πληρέστατα. Quæ verba Christophorsonus reddidit in hunc modum editionis suæ c. 24. *Per idem tempus Africanus librorum scriptor, qui κεστοὶ appellantur, magna commendatione ad hominum famam prosluxit. Huius de historia Susannæ à Daniele literis prodita, quasi adulterina esset & commentitia, magnopere dubitantis exstat Epistola ad Origenem scripta, ad quam Origenes per literas plenissime respondebat.* Sic Christophorsonus, sed non sincere: Nam illud τῆς ἐν τῷ Δανιὴλ non significat historiam à Daniele literis proditam; sed quæ est in libro Danielis. Et tamen non habetur ex his Eusebij verbis, cuiusmodi fuerit Origenis de hac historia iudicium: simpliciter enim testatus est Eusebius Origenem plenissime respondisse: sed quid, aut quomodo, hoc vero tacuit.

IV. Sed Rufinus, sua illa vsus licentia quam paulo ante notauimus, hũc locum ita nobis Latinum fecit, *Per idem tempus erat etiam Africanus, vir in Scripturis Ecclesiasticis nobilis. Huius epistola fertur ad Origenem scripta, obijcientis ei vel proponentis, quod historia Susannæ, quæ in Daniele scripta est, ficta videatur, & aliena à scriptura Prophetica. Cui Origenes magnificentissime rescribens, asserit nequaquam Iudæorum commentis & fraudib. auscultandum, sed hoc solum pro vero habendum in Scripturis diuinis, quod septuaginta interpretes trãstulissent: nam id esse solum quod autoritate Apostolica confirmatum sit.* Vnde apparet Rufinum, ad Eusebij contextum addidisse summam responsionis Origenicæ: vt quæ fuerit eius sententia, non difficile posset conijci. Et sane potuit Rufinus Origenis studiosissimus ipsam Epistolam Græce vidisse, cuius hodie initium duntaxat habemus, non ita pridem orbi communicatum à Dauide Hœschelio Augustano.

V. Dico a. his verbis iugulari Susannæ historiã: contra quam putauit Bellarm. Nam quia iam euicimus has partes non esse in editione Septuaginta Interpretum: quis non videt, eũ qui asserat, hoc solum pro vero habendum in Scripturis diuinis quod Septuaginta Interpretes transtulerunt: has nolle partes admitti in autoritatem Sacræ Scripturæ? Atque ideo certius, quia Origenem constet esse autorem eius editionis, quæ Septuaginta Theodotionem addidit, autorem Iudæum, saltem proselytum, qui propterea videri possit ab Origenij taxari. Maxime cum aliunde constet Origenem hanc historiam repudiasse vt fictam. Valla de Donatione Constãtini, *Apollinaris, & Origenes, atq; Eusebius, & nonnulli alij narrationem Beli fictam esse affirmant.* Et Hieronymus præfatione Commen. in Danielem, testetur, Eusebium & Apollinarem Porphyrio insultanti respondisse, Susannæ Belisque ac Draconis fabulas non contineri in Hebraico.

CAP. IX.

De Iudith ex Hieronymo.

I. ARgumentum septimum proprium est libro Iudith, à Bellarmino c. 12. *Librum Iudith egregium testimonium habere à Synodo Nicæna prima, omnium Synodorum prima & celeberrima, testatur S. Hieronymus Præfatione in Iudith.*

II. Respondeo, hæc esse Hieronymi verba, *Apud Hebræos liber Iudith inter Hagiographa legitur: cuius autoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur. Chaldæo tamẽ sermone conscriptus inter historias computatur. Sed quia hunc librũ Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, imo exactioni.* Non dixit Hieron. hunc librum habere egregium testimonium à Synodo Nicæna: nequenquam forte decipiat aut falsa, aut certe ambigua Bellarmini phrasis. Deinde si intellexit Bellarm. id testimonium esse illustre ideo, quia sit à Nicæna Synodo & prima & celeberrima: ex musca fit Elephas. Nam Hieron. non asserit ei libro testimonium perhiberi à Synodo Nicæna; sed tantum dixit, legi eum à Synodo Nycæna fuisse computatum in numero Sanctarum Scripturarum: apud quem a. aut vbi id legatur non notauit. Videtur vero perfunctorie protulisse, vt positum non concessum: quasi diceret: est hic quidem liber Apocryphus: sed tamen quia nonnulli credunt, aliquis etiam scripsit in Nicæna Synodo aliquo numero habitum, ideo non dedignatus sum Latine reddere. Sic n. & nos hodie omnes Apocryphos vertimus, non quod credamus esse Canonicos: sed quia magni fiunt à plerisque: nec nos ipsi contemnendos existimamus.

III. Viderũtq; nonnulli Papistæ. Erasmus notationib. in hanc ipsam præfationem, *Non affirmat*, inquit, *approbatum hoc in Synodo Nicæna: sed ait, legitur computasse.* Et Lindanus Ruremundensis Panoplia lib. 3. c. 3. *Legitur computasse, ait Hieron. quod mihi dubitantis suspicionem indicare videtur.* Deniq; Baronius, cum conficiens primum Annales, putasset etiam ipse decretum factum: mutauit sententiam in Appendice decimi tomi; notatione ad anni 325. §. 175. *Haud affirmandum omnino existimarem Canonem de libris sacris statutum esse à Nicæno Concilio, à quo neminem ausum fuisse recedere, iure debet existimari. Sed non ex Canone de Sacris libris confecto, id asseruisse S. Hieronymum, verum potius ex actis eius, in quib. obiter citatus idem liber inuentus fuerit. Nisi dicamus, librum, quem apud Occidentales in Canone Sacrorum librorum inuenerit, cum aliis Hagiographis annumeratum existimauerit, ex Nicæni Concilij fonte manasse.* Hactenus Baronius.

IV. Quid? quod computari in numero Sanctarum Scripturarum: non idem est ac numerari inter vere Canonicos. Sic Stapletonus in Relectione principiorum, controuersia quinta, articulo tertio, agnoscit posse aliquos libros citari dubios, non tanquã plane diuinos, sed tamen vt sanctos ac vtiles eosq; dici hagiographos; cum nondum in canonem sunt relati. Itaque ex Hieronymi verbis non sequitur librum Iudith esse Canonicum.

V. Sed instat Bellarm. *Notanda sunt Hieronymi verba: asserit n. Sanctissimus Doctor, apud Iudæos librum Iudith numerari in Sanctis libris, qui tamen non sint idonei ad dogmata fidei comprobanda: deinde huic Hebræorum sententiæ opponi Nicænæ Synodi autoritatem. Igitur teste Hieronymo, Nicæna Synodus librum Iudith ita retulit in numerum Sacrorum librorum, vt eum idoneum esse censuerit ad fidei dogmata confirmanda.*

VI. Respondeo: primo in contextu Hieronymi perperam legi Hagiographa, cum legendum sit Apocrypha, id confirmatur tum ex alijs locis, tum ex hoc ipso, cum ex teitib. Nam præfatione in librum Regum, cui Prologo Galeato nomen est, enumeratis libris quos Iudæi pro Canonicis agnoscũt, subdit, *vt scire valeamus, quicquid extra hos est inter Apocrypha esse ponendum*: ac tum inter alios hic ipse diserte nominatur. Quinetiam Bellarm. initio capitis 10. de libris Tobiæ, *Iudith*, *Sapientiæ*, Maccabæorum, *Hi*, inquit, *libri simul omnes reijciuntur ab Hebræis, vt Beatus Hieron. testatur in Prologo Galeato.* Quomodo autem verisimile est, & reijci ab Hebræis, numerarique inter apocrypha, & tamen haberi inter hagiographa.

VII. Deinde hæc ipsa verba, *cuius autoritas ad roboranda ea, quæ in contentionem veniunt minus idonea putatur*, ea sunt quibus solet Hiero. Apocryphorum naturam describere, vt alias notauimus: quare si cui definitio conuenit, ei necesse sit definitum conuenire, tum profecto erit hic liber dicendus Apocryphus.

VIII. Tertio, sciunt omnes Iudæorum Hagiographa, partem esse librorum Canonicorum qui כתובים appellantur, inter quos iste nullo est loco. Tum quo sensu dixisset Hieronymus legi quidem inter Hagiographa: computari tamẽ inter historias. Quasi hagiographorum ordo excluderet historiam? Sensus multo est facilior, si dicamus, legi inter Apocrypha.

IX. Denique corruptum esse hunc Hieronymi locum iampridem indicauit Petrus Comestor in historia Scholastica: teste Britone ordinis Minorum Monacho, super hoc ipso loco, *Ad euidentiam*, inquit, *istius prologi nota quod dicit Magister in historiis, quod hanc historiam transtulit Hier. ad petitionem Paulæ & Eustochij de Chaldæo in Latinum. Hic liber apud Chaldæos inter historias computatur, & apud Hebræos inter Apocrypha: quod dicit Hieronym. in prologo, qui sic inchoat, Viginti & duas literas, Si ergo in prologo super Iudith alicubi legitur inter Hagiographa, vitiũ scriptoris est.* Hæc ille. Lyranus etiam & quidem disertius prologo in Biblia, de libris Canonicis, *Neq; aliquem moueat, quod in Iudith & Tobiæ prologis dicitur, quod apud Hebræas inter Hagiographa legantur, quia manifestus error est, & Apocrypha non Hagiographa est legẽdum: qui error in omnib. quos viderim codicib. inuenitur: & inoleuit (vt puto) ex pietate & deuotione exscribentium qui deuotissimas historias horrebant annumerare inter Apocrypha. Nam quod hic error multis retro annis codices occupauerit, ostendit magister in historia Iudith, vbi dicit: Hic liber apud Chaldæos inter historias computatur, & apud Hebræos inter apocrypha, quod dicit Hieron. in prologo, qui sic incipit, Viginti & duas literas. Si ergo alicubi in prologo super Iudith legitur inter hagiographa, vitiũ scriptoris est, quod in ipso titulo deprehendi potest.* Hæc Lyranus. Deniq; Ioa. Driedo c. 4. lib. 1. idem testatur, *Alterum difficultatis nodum, qui est super libris Iudith & Tobiæ, conatur dissoluere magister in historiis, cuius sententiam sequitur, & aliis quidam expositor in proœmio Bibliorũ, dicens in prologis illis duob. Hieronymi super Iudith & Tobiam, mendosum esse codicem, & in eo loco vbi legimus hagiographa, legendum esse apocrypha. Neq; n. Hieron. potest sibi ipsi esse contrarius, vt doceat in prologo galeato, libros illos extra canonem inter apocrypha, hic vero eosdem extra canonem inter hagiographa collocari.*

X. His ego testib. propterea vsus sum, quia quem errorem in Hieronymo Comestor emendabat, is ipse eius codicem inuasit; eum saltem qui Lugduno prodiit anno trigesimo quarto supra millesimum quingentesimum; vt plane contrarium sensum affixerit Typographus ille: nescio an & alij. Sic n. habet, *Hic liber apud Hebræos inter historias computatur, & inter hagiographa, quod dicit Hier. in prologo qui sic inchoat, Viginti & duas literas. Si ergo in prologo super Iudith, alicubi legitur inter apocrypha, vitium est scriptoris: quod in ipso titulo deprehendi põt: quem Synodus Nicena in numero sanctarum Scripturarum recepit.* At hæc quanta fuit, quam effrons impudentia? nam & mutata præcipua, & mutilata nonnulla: quasi non facile fuisset tantam fraudem olfacere, quam & membranæ manifeste produnt meæ. Hieronymum ergo cõstat vitiatum: quare frustra à Bellarmino vrgetur.

XI. Præterea, peccat proprio marte Bellarm. cum ait, Hieronymum dixisse hunc librum computari ab Hebræis inter sanctos libros, qui tamen non sint idonei ad dogmata fidei comprobanda. Non sic n. neque in eum sensum verba sua contexuit Hieron. non dixit, inquam, hunc librum inter sanctos esse qui non sint idonei ad dogmata confirmanda: quasi Iudæis hagiographorum varij essent ordines: sed dixit duo: primũ numerari inter apocrypha; alterum eius libri non esse autoritatem idoneam: quorum prius pertinet quidem ad Iudæos: sed posterius est vniuersale: vt sensus sit, quia à Iudæis computetur inter apocryphos, hinc fieri, vt non sit eius libri autoritas idonea, siue apud Iudæos, siue apud Christianos. Itaque negatur Bellarmini conclusio.

XII. Atq; hactenus de aduersariorum argumentis, quæ plura nõ potuimus reperire: hęc omnia cum sint falsa: concludimus nulla ratione niti eorum in enumerandis libris Canonicis sententiam.

* * *

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS.

DE CANONE.

Caput I.

LIBRI CONTROVERSI NON SVNT SCRIPTI A PROPHETIS.

NVnc ordine post refutata Papistarum argumenta; nostra veniunt enumeranda, & confirmanda aduersus eorundem exceptiones & instantias.

II. Argumentum primum. Omnes libri Canonici veteris Testamenti, scripti sunt a Prophetis. At hi omnes libri Tobiæ, Iudith, Maccabæorũ, Sapientiæ, Ecclesiastici non sunt scripti à Prophetis: Ergo non sunt Canonici veteris Testamenti Maior patet, quia omnem Scripturam Sanctam oportet esse θεόπνευστον; id est ab iis autoribus quos certum sit esse a Deo inspiratos: eiusmodi a. erant apud Iudæos appellati Prophetæ. Sic Petrus 1. c. post. ep. οὐ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι. *Non voluntate hominis allata est olim Prophetia: sed Spiritu Sancto acti loquuti sunt sancti viri Dei.* Et Paulus ad Hebræos, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις. *Deus multis vicib. multisq; modis olim loquutus Patrib. per Prophetas.* Et c. 2. ad Ephes. cum significaret fideles inniti vtroq; Testamento, dixit eos ἐποικοδομηθέντας ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν. *Superstructos fundamento Apostolorũ & Prophetarum.* Iterumq; 16. ad Rom. Euangelium asserit manifestatum διὰ γραφῶν προφητικῶν. Iosephus libro contra Appionẽ 1. εἰκότως οὖν, μᾶλλον δὲ ἀναγκαίως, ἅτε μήτε τοῦ ὑπογράφειν αὐτεξουσίου πᾶσιν ὄντος, μήτε τινὸς ἐν τοῖς γραφομένοις ἐνούσης διαφωνίας, ἀλλὰ μόνον τῶν προφητῶν τὰ μὲν ἀνωτάτω καὶ παλαιότατα κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ μαθόντων, τὰ δὲ καθ' ἑαυτοὺς ὡς ἐγένετο σαφῶς συγγραφόντων, οὐ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν. *Consentaneum ergo fuit, imo necessarium cum neq; cuiuis liberum esset scribere: neq; vlla in scriptis discrepantia: verũ solis Prophetis, tum ea quæ præcesserant ex diuina inspiratione discentib. tum sui temporis quæq; erant scribentib. non esse infinitam multitudinem librorum apud nos.* Quibus verbis significat, apud Iudæos Prophetis solis licuisse libros sacros componere, qui tum ex inspiratione, tum ex præsenti experientia certo scirent ea quæ scribenda erant.

III. Iã vero minor sic probatur. Nulli qui post Malachiã scripserunt, fuerunt Prophetæ: At horũ librorũ authores scripserunt, post Malachiã: Ergo ij non fuerunt Prophetæ. Maior patet, quia Malachias fuit nouissimus Prophetarum, teste Theodoreto in argumento eius Prophetiæ. *Moses*, inquit, *legislator primus diuina responsa nobis perscripta reliquit: diuus vero Malachias post omnes qui Prophetiã scripserunt, diuina oracula scriptis mandauit* Sic & Genebrardus Chronologiæ lib. 2. ad annum mundi ter millesimum sexcentesimum quadragesimum testatur, secundum Templum destitutum fuisse *Spiritu siue afflatu Sancto qui Prophetas olim corripiebat nã à Malachia ad Ioannem Christi Baptistam nulli Prophetæ exstitere.* Iosephus etiã libro iam citato ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα, πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. *Sunt quidem*, inquit, *apud nos ab Artaxerxe ad nostra vsq; tempora scriptis mandata singula: sed non pari autoritate fideue cum præcedentib. quia non fuit exacta Prophetarum successio.* Euseb. Demonstrationis octauo, in recẽsenda serie Ducum Iudaicorum, negat se vltra Zorobabelem progredi τῶν μηδὲ φέρεσθαι θείας βίβλους ἐξ ἐκείνου μέχρι τῶν τοῦ σωτῆρος καιρῶν, *quod à reditu ex captiuitate ad tempora Seruatoris nullum haberetur sacrum volumen.*

IV. Assumptio probatur ex Genebrardo, qui lib. 2. Chronologiæ ad annum mundi ter millesimum sexcentesimum trigesimum octauũ, testatur eos libros qui sunt extra Canonẽ Hebraicum, post eam Synodum compositos, quæ Canonem constituit. Quare cum in eo canone sit Malachias vltimus Prophetarum, necesse est, eos scriptos esse post eius tẽpora, quẽ nulli Prophetæ sequuti sunt. Et lib. 1. ad annum ter millesimum quadringentesimum quadragesimũ, Tobiæ librũ asserit scriptum post reditum è Babylonia. Sed & Maccabæorum historiã nemo tam supinus est qui legendo non cognoscat multo recentiorẽ esse. Ecclesiastici ætatẽ ex præfatione nouim' temporib. n. Ptolomæi Euergetæ se interpres reperisse testatur & transtulisse librum aui sui. Vixit a. hic Ptolomæus annis circiter ducentis post Artaxerxem, vnde sunt decidendi anni ad summũ centum vt perueniatur ad ætatẽ aui autoris eius libri. Adde eum alludere ad verba Malachiæ: & sequi interpretationem septuaginta. Vtrumq; notat Iansenius in c. 48. *Non est dubium, quin Sapiens hic referre velit, quod scribitur Malachiæ vltimo.* Et post, *Imitatus est hic autor, vt alias semper, Septuaginta Interpretes.* Sic additiones Esther reperiuntur factæ tempore Ptolomæi & Cleopatræ ex c. 11.

V. Andradius argumentum conatur infirmare: primum negãs necessario nobis cognitos esse oportere librorum sacrorũ autores: testimonio fretus Gregorij & Iunilij Africani. Gregorius n. de libro Iob ita loquitur, *Quis hæc scripserit, valde superuacue quæritur, cum autor libri Spiritus Sanctus credatur fuisse: ipse n. hæc scripsit, qui hæc scribenda dictauit, & qui & illius operis inspirator existit: sed quali calamo, seu lingua verba hæc scripta fuerint, non est opus curiosius indagare.* Iunilius a. in hunc loquitur modum, *Sciendum præterea est, quod quorundam librorum penitus ignorantur authores: quod ideo credendũ est diuinitus dispensatum, vt alij quoq; diuini libri non autorum merito, sed Sancti Spiritus gratia, tantum autoritatis obtinuisse noscantur.* Secundo, *Si certo*, inquit Andradius, *demonstrare necessario deberemus, sacros hos libros fuisse à Prophetis compositos, quomodo persuadere poteris Iudicum historiam, tertium & quartum librum Regum, duos Paralipomenon, atq; Ruth sacros esse, quorum authores neq; probabilib. quidem coniecturis assequi poteris?* Tertio sugillare conatur id quod astruximus post Malachiam, non extitisse Prophetas, *Assequi non possum*, inquit, *quomodo illis repugnare queas, qui dixerint nunquam Israeliticum populum, viris excellentib. caruisse, quos cœlestis Spiritus occulto admirabiliq; afflatu ad scribendum incitauerit.*

VI. Respondeo ad primum: neque Gregorium neq; Iuniliũ negare libros Canonicos à Prophetis debuisse componi: sed duntaxat, non esse necesse eorum singula nomina nobis esse cognita, quod nos omnes libenter cõfitemur. Vterq; a. cum eorum librorum autoritatem refert ad Spiritum Sanctum, necessario id ipsum supponit, quo nos vtimur pro argumento; nẽpe eos autores inspiratos fuisse a Deo: id est, vt nos loquimur, Prophetas: ac proinde nos iis ipsis iudicibus superiores sumus.

VII. In secundo varie peccatur. Primo: etiamsi non possit de quibusdam libris necessario demonstrari fuisse à Prophetis compositos, tamen nõ propterea necesse non est, vt sint à Prophetis compositi, si quidem Canonici esse debent. Secundo, etiamsi eorum qui numerantur librorũ autores nõ possemus vel coniecturis assequi: tamen non sequitur non posse demonstrari esse à Prophetis compositos. Nam eos constat pertinere ad eam distributionem Christi, quæ vetus Testamentum partitur in Legem, Prophetas, & Psalmos: & quidem diserte ad Prophetas, quia non ad Legem, quæ continet tantum libros Mosis, neque ad Psalmos, quia non sunt poetice compositi.

VIII. Ad tertium, expecto dum mihi preclaros illos suos autores indicet, qui Israelem nunquam destitutum fuisse dicant Prophetis: nam ego contra, ne inuitatus quidem meos nominaui; produxique testes. Sed ne ille mihi pro Prophetis, viros excellẽtes, & afflatu excitatos iactitet. Nã ego Prophetas quæro. Nec quicunque ita fuerunt excellentes & afflati, potuere libros condere Canonicos. Alioquin essent apud Christianos canonicæ omnes Athanasij, Basilij, Chrysostomi, Augustini, (& quorum, Deus bone, quãtorumue virorum!) lucubrationes. Et quantam quæso in molem, mihi Canon excresceret? Fateor ergo Maccabæos excellentissimos fuisse: fuisse Syracidem, vltra reliquorum sortem: sed Prophetas nego: itaque nego eorundem Scripta Canonica. Quid ergo? Debet proferre afflatos extra ordinem: quandoquidem agatur de Canone. Legant Iansenium in c. 48. Ecclesiastici: *Post quem promissum*, id est Ioannem in Prophetia Malachiæ, *nulla exstat Prophetia scripta ab aliquo Propheta, qui Canonicus habeatur, quousq; ille promissus veniret, à quo incipit Scriptura Noui Testamenti.*

IX. Gretserus distinguit Prophetas in proprie dictos, & latius acceptos, qui aliquid sibi diuinitus reuelatum cognouerint, literisque mandarint. De illis, negat maiorem primi syllogismi: de his autem minorem, Horum n. librorum autores cœlesti lumine illustratos, atque Spiritu Sancto edoctos, scripsisse: Prophetasque fuisse, eo quod enunciarent, ac scriberent ea quæ à Spiritus magisterio didicissent. Hoc autem Prophetarum genus sufficere probat: quia alioquin sequeretur, nullum librum esse adæquate & integre Scripturam Sanctam: ratio: quia nullus sit, qui sit adæquate & integre Prophetia: sed magna ex parte historiæ, vel præceptiones: deinde quia non possit probari, quis Propheta proprie dictus scripserit libros Paralipomenon, Regum, & Ruth.

X. Sed Prophetarum nomen fateor ego quidẽ paulo latius sumi, quum significat quosuis autores librorum Sacrorum, quam cum peculiariter enuntiatores Prophetiarum, quibus non nisi futura prædicebantur. Veruntamen tam late produci, vt eos omnes complectatur, qui aliquid diuinitus reuelatum scribant, hoc vero nunquam mens bene Catholica patiatur. Nam Deus bone, quis finis esset librorum Canonicorum? Neque n. quisquam fidelis, quicquam cognoscit in reb. fidei, non diuinitus. Itaque necesse est Prophetas in hac disputatione strictius intelligi, pro iis quorum in docenda Ecclesia erat autoritas indubitata, & θεόπνευστος. Et ita profecto Iosephus intellexit, cum negauit cuilibet scribere licuisse.

XI. Hoc autem modo falsum est, nullum futurum librum adæquate sactum. Quid tum enim, si non est adæquate Prophetia? Nam hoc quidem nihil ad rem: dum sit totus scriptus ab autore θεοπνεύστῳ.

XII. Non demonstrari autorem quorundam librorum sacrorum, esse Prophetam: primo nihil ad rem: nam aliud est non demonstrari fuisse prophetã: aliud est vero demonstrari non fuisse prophetam. Fuerunt n. multa, quæ tamen demonstrari non possunt varias ob causas. Sed quæ demonstrantur non fuisse, ea necesse est non fuisse. Itaque argumentum est nihili: quando quidem horum librorum autores, non tantũ nõ demonstrantur à Papistis, fuisse prophetæ; sed etiam demonstrantur à nobis non fuisse prophetæ.

XIV. Deinde si non demonstrari Prophetas: intelligas ita, vt hunc illumue iudices peculiarem virum, cui hoc illudue nominis fuerit: concedimus non posse demonstrari. Sed quis hoc præscripsit, vt nulli sint libri Canonici, præter eos, quorum autores ita sint nominatim cogniti? Sin autem omnino demonstrari posse, non fuisse prophetam hoc, vero blasphemum est.

CAP.

CAP. II.

De Secundo Maccabæorum.

I. IN hoc argumento, specialis est demonstratio, ex qua constet, secundi Maccabæorum autorem non esse quenquam Prophetã. Primo, nullus Propheta breuiat librum prophanum. At autor secundi Maccabæorum breuiauit librum prophanum. Ergo non fuit Propheta. Maior patet, quia absurdum est, Prophetam inspiratum à Deo scribenda discere ab homine prophano: tum enim verbum id esset hominis, non Dei: præterea, is liber, vnde ea desumitur materia, esset non æqualis tãtum, sed etiam maioris autoritatis autographus apographo. Minor probatur ex disertis verbis secundi capitis, *Quæ ab Iasone Cyrenæo quinq; libris comprehensa, tentauimus nos vno volumine breuiare.*

II. Gretserus ex Serario respondet. Primo non esse absurdum. Tũ quia plurimi sint in Scriptura sermones impiorum in epitomen redacti. Vnde sequitur posse Spiritum Sanctum, si velit, pia minime piorum scripta breuire, & nobis tradere. Secundo, quia veritati etiam à prophano prolatæ diuinum testimonium dari posset. Tertio, quia per gentiles Sibyllas, per impiũ Caiapham, per brutæ asinæ os, Dominus loquutus sit. Quarto, quia Iosephus in præfatione captiuitatis testetur, Græcorũ nonnullos Iudæorũ res Græcam in linguam vertisse, neq; à veritate multum aberrasse. At istum, si quid aberrasset, Senatus Hierosolymitanus à quo mittebatur, correxisset. Quinto, quia historiæ veritas, aliunde potius, quam ab Scriptore pendeat: teste Beza Prolegomenis in Apocalypsin. Sit a. Euangelicum, quicquid Christum docet, siue à Iuda, siue ab Anna, Pilato, Herode fiat: teste Luthero in Epistolam Iacobi. Itaq; potuerit hæc historia ab Ecclesia Hierosolymitana examinari, & tanquam vera commendari. Sexto: quærunt vnde probetur hunc Iasonem fuisse prophanum: & videri potius bonum, & sanctum Iudæum: cuiusmodi multos fuisse in Cyrene patet Act. 2. & 6. & 4. Artemidoti, c. 16. & apud Iosephum sæpe.

III. Respondeo ad primum, fateri nos inuenire impiorum sermones in sacris scriptis; sed historice duntaxat relatos & ad exprimendas historiæ circunstantias: at integram historiam, ab vllo impio acceptam nego in corpore Canonis, aut esse, aut etiam esse debere. Ratio, quia non esset θεόπνευστος. Posse Spiritum quicquid velit nullus dubitat: neque Papistæ negare debent, posse quicquid velit omittere. Quare hoc momentũ esto quæstionis, virum voluerit facere, an potius voluerit omittere: Ad secundũ dari posse testimoniũ diuinum veritati, à prophano prolatæ; imo fortasse datum esse, non negem: sed de autoritate canonica nunc nobis quæstio est, non simpliciter de veritatis testimonio: quod commune esse potest non tantum prophanis historicis, sed etiam poetis, ex quib. obseruatur Paulus nonnihil descripsisse, nulla tamen illis delata autoritate canonica. Ad tertium miror tã distantia, potuisse in Iesuitico cerebro copulari. Loquutus est Deus per Sibyllam, per Caiapham, per asinam: fateor: sed hic contra potius Iason loqueretur per Spiritum Sanctum. Ad quartum, nemo negat prophanos historicos sæpe à veritate non deflexisse: sed nemo tamen dicit, prophanos esse Canonicos. Ad quintum, nego in Canonicis libris spectari tantum eam rei veritatem, quam Beza negauit ab autore pendere: alioquin nullo futuro sine librorum Canonicorum. Esse Euangelicum quicquid Christum docet, assentiar Luthero. Sed esse Euangelium non dabo.

IV. Verum videtur deniq; Iason iste fuisse bonus & sanctus. At primo, cui, inquam, videtur? Da testem vel vnum. Nam si Serarium, & Gretserum duntaxat: illud clamabimus, dignum patella operculum. Secundo, quid tũ? Nam & mihi quidem, multis etiam aliis Aug. bonus & sanctus Christianus: nec tamen eius Retractationes, puto, canonicæ. Itaq; potuit siue Serarius, siue Gretserus, non fatigare ingeniolum, corrogatis testib. quibus probaret in Cyrene fuisse aut Iudæos, aut bonos sanctosque.

V. Secundo. Nullus Propheta laborauit, aut sudauit in scribendo: At hic autor & laborauit & sudauit in scribendo: Ergo non fuit Propheta. Minor probatur ex eodem c. 2. *Et nobis quidem ipsis qui hoc opus breuiandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus.* Exemplo prorsus nouo: nullus est enim ex omnib. sacris autorib. qui se similiter testetur laborasse in scribendo: quod solet iis accidere, qui suo marte nonnihil componunt: non aliis quam proprij virib. ingenij: at Propheras docet Spiritus quid sit scribendum, & mouet in scribendo.

VI. Bellarm. respondet: *Deum aliter adesse solitum Prophetis, aliter aliis præsertim historicis. Nam Prophetis reuelabat futura, & simul assistebat ne aliquid falsi admiscerent in scribendo: & ideo Prophetæ non alium habuerunt laborem quam scribendi vel dictandi. Aliis a scriptorib. Deus non semper reuelabat ea, quæ scripturi erant, sed excitabat vt scriberent ea, quæ viderant, vel audierant, & simul assistebat ne falsi aliquid scriberent: quæ assistentia non faciebat ne laborarent in cogitando, & quærendo, quid & quomodo scripturi essent.* Distinguit igitur personas, vt alij sint Prophetæ, alij historici. Et de Prophetis concedit argumentum, de historicis negat.

VII. At hæc inutilis est distinctio. Primum enim vnde habet? aut qui potuit sperare sibi fidem habendam sine testibus, cum de rebus longe ante sua tempora gestis loquatur? Nam vident omnes Bellarmini somnia, longe abesse à demonstrationib. Secundo: Prophetarum nomen etsi κατ' ἐξοχὴν iis tribuatur, qui futura prædicebant, tamen reuera cõmune est omnib. à Deo inspiratis, siue ad loquendũ, siue ad scribendũ: & tamẽ fuerint sane alij futurarũ rerum scriptores, quas ex mero afflatu didicerint, alij præteritarũ. Sed horũ quo rursus genera nobis paulo ante Iosephus distinguebat, vt alij res anti quas scriberent, quas eodem afflatu cognoscerent: alij sui temporis gesta, quæ propria experientia. At horum trium generum nullum est in quo possimus hunc autorem explicare. Non enim futura scribit, quæ à Spiritu Sancto discere fuerit necesse: non etiam sui temporis negotia, quorum ipse αὐτόπτης testis esse potuerit: denique cum scribat præterita, tamen ipse se testatur humanitus didicisse, non ex afflatu diuino: sed eodem modo, quo ego possum res Romanorũ mutuari ex Tito Liuio. Ergo si omnes Prophetæ, aut futura prædicũt, aut antiqua narrant ex afflatu, aut paulo ante præterita ex propria experientia: Iste autem nihil horum, quis non videt non esse inter Prophetas.

VIII. Gretserus. Primo. Si hoc verum, tum neq; Moysi difficilis ac molestia fuit edicto Hebræorum ex Ægypto: neque dimicatio Heliæ cum Baaliticis Idololatris: neque Ionæ profectio & prædicatio apud Niniuitas: neq; Pauli disputationes cum Iudæis Ethnicisque. Secundo: Adeo difficile est Epitomas scite apteque conficere, vt pleriq; malint nouos libros componere, quam ab aliis compositos in compendium redigere.

IX. Atqui inepta est Mosis, Heliæ, Ionæ, Pauli comparatio, cum hoc Abbreuiatore. Enimuero nemo dixit nunquam laborasse, aut sudasse Prophetas in exsequendo vllo munere sibi demandato à Deo. Sed in Scribendo. At qui labores Mosis, Heliæ, Ionæ, Pauli proferuntur, nulli fuerunt in scribendo, sed in reb. gerendis. Iste a. suos labores nullos ostentare potuit in reb. gerendis: sed i nscribendo tantum iactitat. Quis a. nescit, quam dispar sit ratio eorum qui in magnis reb. gerendis occupantur: & eorum qui otiose, & in cubiculo suo scripturiunt?

X. Epitomen conficere scite apteque difficillimum est. Sed primo: quid? quod iste nec scite neque apte confecit? Secundo, iis difficile, qui propriis ingenij viribus nituntur, non a. inspiratione diuina? Nam quis nescit etiam nouos libros scribere non esse nullius laboris? Et tamen aut Mosem, aut Paulum sudasse in suis componendis, neq; vsquam legitur, neque est verisimile. Tertio, fieri põt, vt aliquando difficilis sit abbreuiatio: sed id fit tum demum, quum & liber ἀγχίνοως scite compositus est, rebusq; densior, verbis parcior, & qui summam colligit, laudẽ eius affectat. Sed nemo ignorat eiusmodi aliquos libros esse, quorum summa nihil sit facilius: nimirum cum verbis multis subiecta amplificantur. Sic opinor, leuius multo fuit Bisciolæ Annales Baronij: aut Ioanni Baptistæ des Bois, Bellarmini, disputationes in arctum cogere. Ea a. est historicorum conditio: qui res gestas sic describunt, vt minutias omnes exsequantur circunstantiasque colligant: quibus amputatis quod remanet admodum sit exiguum. Itaque Chronologis abundamus, qui præter annorum concinnationem, quæ non est huius instituti, vere dici possunt historicorum abbreuiatores.

XI. Tertium argumentum, Nullus Propheta veniam petit à lectoribus quasi non certus se vt oportebat scripsisse. At hic veniã petit à lectorib. quasi non certus se vt oportebat, scripsisse: Ergo non est propheta. Maior per se opinor patet. Sic enim obnoxius redditur Spiritus Sanctus iudicio humano, & censuræ subiicitur. Quanto melius Aug. se testabatur hunc honorem deferre sacris autorib. vt nihil in scribendo errasse crederet? Minor vero probatur ex vlt. c. Græce sic legimus. καὶ εἰ μὲν καλῶς καὶ δι' ἀκριβείας τοῦτο καὶ αὐτὸς ἤθελον· εἰ δ' ὑστέρως καὶ μετρίως τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι, *Si recte atq; vt historiã decet, hoc est, quod volui: sin exiliter & mediocriter hoc est quod potui.* In Latina a. editione paulo aliter, *Si quidem bene, & vt historia competit, hoc & ipse velim, sin a. minus digne, concedendum est mihi*: quæ apertior est veniæ petitio.

XII. Io. Hayus respondet ad maiorem, *Vos*, inquit, *modestiam vere Christianam reprehenditis.* Et subnectit exemplo Pauli & Mosis. Paulus dixit, *Etsi imperitus sermone, sed non scientia, in omnibus a. manifestati sumus vobis*, post. ad Cor. 11. Moses Exod. 4. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius: & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Bellarm. vero, minorem negat. *Non petis veniam iste autor erratorum, sed orationis minus politæ.*

XIII. Contra, ad Hayum. Falsum est nos huius autoris modestiã reprehendere: nec eo nomine accusamus, quod aut excusarit, aut veniã postulauerit, quod & nos, si sapimus, quotidie facimus, sed negamus, dignum esse Spiritu Sancto, negamus esse ex vsu eius. Exẽpla a. inepte adhibẽtur. Quid n. simile Breuiatori & Paulo? Hic se testatur imperium sermone, sed an veniam petit à Corinthiis? an excusat se quasi vereatur, ne satis bene aut scripserit, aut docuerit? Minime vero: imo cõtra, *non imperitus sum*, inquit, *scientia*: quæ sancta erat in suis laboribus confidentia ex testimonio Spiritus, nõ a. humana ex propriæ imbecillitatis sensu excusatio. Rursus, quid simile Mosi, & Breuiatori? Mosi inquam, qui cũ mitteretur ad loquendum, profitebatur apud Deum balbutiem, ne hoc onus cogeretur suscipere: sed nunquã apud homines: imo post hoc susceptũ munus balbutiem ne nominasse quidem legitur. Et Breuiatori, qui in sermonib. forte gaitulus, in scribẽdo nescio quid humanũ se pati testatur, & sibi à lectorib. vult concedi veniam? Breuiatori inquam: qui non profitetur infirmitatem vt onus detrectet: sed post opus peractũ excusari postulat: Quando ille melius Mosis professionem esset imitatus? Et puto nõ habiturum fuisse Deum tam iratum, vt nolentem cogi se videret. Sed hoc est profecto verius. Ille excusare maluit, quam carere culpa.

XIV. Ad Bellarminũ dico, nullo loco ab hoc autore nominari orationẽ siue politam siue impolitam, sed decentiam conscriptionis. Hæc n. verba: ἁρμοδίως τῇ συντάξει, nõ politiem significant, sed narrationis dignitatem. Deinde si nihil peccare se sciebat, cur veniam petit? Nam si sola esset impolities, nõ debuit: vt ne reliqui quidem: non quærit n. Spiritus delectare aures prurientes, sed animum famelicum pascere.

CAP. III.

Vtrum libri controuersi scripti sint in vsum Ecclesiæ Hebraicæ.

I. ARgumentum secundum. Omnes libri Canonici Veteris Testamenti scripti sunt in vsum Ecclesiæ Hebraicæ. At hi non sunt scripti in vsum Ecclesiæ Hebraicæ: Ergo non sunt Canonici Veteris Testamenti. Maior per se patet, quia nulla erat Ecclesia, nisi apud Hebræos. At minor probatur, primo de omnib. nam si essent scripti in vsum Ecclesiæ Hebraicæ, tũ illis Ecclesia Hebraica tanquam Canonicis esset vsa. At non est vsa, vt propti in vsum Ecclesiæ Hebraicæ.

II. Secundo probatur ex idiomate. Nã plurimi eorum scripti sunt Græce: quæ lingua incognita erat populo Iudaico: nunquam autem Deus Ecclesiam alloquutus est eo idiomate, quod illa non intellexerit. Scripti sunt autem Græce primum libri integri, Sapientia, Baruc, & Maccabæorum posteriores: tum quod est absurdissimum, partes Esther, & Danielis. Sapientiam Hieronym. prologo in libros Solomonis testatur apud Hebræos nusquã esse, & stylum redolere Græcam eloquentiã, atque à nonnullis tribui Philoni. Baruc vero præfatione in Hieremiam apud Hebræos nec legi nec habe-

haberi. De Maccabæorum 1. in Prologo Galeato, *Græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari pōt.* Librum Ester ab editione vulgata corruptam plurimis additionib. idem asserit: erat autem editio illa Græca. Et Sixtus Senensis ingenue agnoscit hæc additamenta esse ab incerto Græco scriptore. De Daniele Hier. *Apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconisq; fabulas.*

III. In Susanna vero etiam particulare, vehemensq; indicium, ex Etymologica allusione vocum σχῖνος σχίσαι, πρῖνος πρίσαι. *Cuius rei* (inquit Hier.) *nos intelligentiam nostris hanc possumus dare, vt verbi gratia dicamus, de arbore Ilice, dixisse eum, ilico pereas: & à lentisco, in lentem te comminuat angelus, vel non lente pereas.* Nam hæc allusio prorsus euincit stylum esse Græcum, cum non possit apud Hebræos esse huiusmodi arborum Etymologia. Atq; adeo hoc argumēto persuasus Sixtus Senēs. ita scripsit lib. 6. Bibl. hær. 6. ad tertiā obiectionē, *Fatemur historiam Susannæ, cuius ea verba sunt, vt Hier. & Patres omnes testātur, nec in Hebraico legi codice, nec ab Hebræo scriptore, sed à pio quodā Græco iuxta facti veritatē Græco sermone scriptam: deinde vero Apostolicæ Ecclesiæ iudicio additam sub finem libri Danielis, tāquam rem tali propheta dignā.* At quanta hæc est audacia, quam non ferenda impostura? Itane vero Christianis licet Prophetis supposititios fœtus obijcere? Nā & additio illa non facta est ad finem, nisi post Hieronymi tempora: prius enim ita immixta erat reliquo textui, vt Susannæ historia initium esset totius libri, Canticum trium puerorum esset in tertio capite, Belis & Draconis fabulæ librum clauderent. Nec aliter est Estheræ liber tractatus.

IV. Quod cæteros libros attinet, Tobiam, & Iudith, non Hebraice, sed Chaldaice scriptos Hieronym. testatur, seque transtulisse: & tamen iampridem periit is textus Chaldaicus, quod libris Canonicis non euenit. Conseruauit n. Deus sua prouidentia, vt nihil deesset ad eorum fidem adstruēdam. Ecclesiasticum, & primum Macchabæorum idem testatur se Hebraice vidisse, non tamen transtulisse: ac proinde nos id duntaxat habemus, quod Græce scriptum erat.

V. Constant igitur argumenti partes. Et de integris libris non occurrit quicquam quod aduersarij respondeant. De partibus nonnihil Bellarminus agit. De Ester: Primo, *probabile esse aliquando ista etiam capita in textu Hebræo fuisse, deinde casu aliquo excidisse: nam & Iosephū duas Epistolas Assueri, & orationem Mardochæi non prætermittere, cum tamen ipse testetur, se transtulisse libros Hebraicos.* Secundo, *posse responderi, primum libri eius autorē, qui Hebraice historiam Ester scribendā suscepit, summam tantū historiæ scripsisse, deinde alio tempore scriptam fuisse historiam eandem ab aliquo alio copiosius, & translatam in linguam Græcam à Lysimacho, regnāte in Aegypto Ptolomæo Epiphane, & Cleopatra, vt indicatur in hoc ipso libro capite 11. Porro prioris autoris librum ipsum Hebraicum posterioris autem non ipsum librum, sed solum translationem ad nos peruenisse.*

VI. At hæc eiusmodi sunt, vt audaciam Iesuiticam abunde testentur, quæ non quid debeat, respondere sollicita est, sed quid possit temere effutire, impudenter excogitat. Quid enim potest Bellarminus suo marte asserere de rebus gestis tot ante seculis? Si testes habet: cur non laudat nominatim? Sin experimentum fecit suæ in conijciendo facultatis; quare se Theologis immiscet? Aut quo iure sibi ille tantum autoritatis arrogat, vt non viderit à nobis eiusmodi somnia tam facile reijci, quam ab illo temere proferri? At hæc prior coniectura facile corruit: non esse enim vnius eiusdemque autoris librum Hebraicum, & supplementa Græca, facile euincunt tum styli diuersitas, tum etiam antinomiæ, quas enumerabimus suo loco. Quod autem de Iosepho inserit frustra est. Nam etsi testetur se Iosephus metaphrastis partes suscepisse, tamen sciunt quicumque eius libros legerunt, multa eum addere ad ea quæ continentur in libris Canonicis, vt libro primo illud de duabus columnis erectis ante diluuium. Quinetiam, quod ad rem nostram facit Sixtus Senensis, ad eo desumptam asserit horum additamentorum partem. *Cætera,* inquit, *sex capitula vsq; in finem libri ab incerto Græco scriptore addita sunt ex diuersis historiis, præcipue vero ex vndecimo libro antiquitatum Iosephi, ex quo exemplum literarum Aman, & exemplum epistolæ regis Artaxeris, quæ 13. & 16. huius libri c. recitantur, ad verbum desumpta sunt.* Sic Senensis, magis ingenuus nostris Iesuitis. Iam si diuersos esse constat autores, vt posteriore coniectura Bellarminus concedit, primum impudentiam eius nimiam fuisse oportet, qui posteris ita voluit imponere, vt persuaderet vnum esse libri corpus, atque vnum & eundem autorem. Deinde horum quæ Græca sunt duntaxat, suspecta merito fides est, quando à Iudaica Ecclesia non fuit cognitus author.

VII. Sed illa Hebræa quando amitti potuerint, non inutiliter, credo inquiremus. Nam quia testimonio Iosephi Bellarm. vtitur, oportuit ergo adhuc exstare, integro fere seculo post Christum natum. Vixit enim Iosephus sub Vespasiano & Tito. Non exstabant a. non tantum ætate Hiero. cuius habemus testimonia diserta: sed ne quidē Origenis, cuius Hexapla, & Octapla vidit Hier. Et vixit tamē Origenes annos paucos post secūdū seculū. Et quidem in Alexādrina schola celeberrimā, succedens Clementi, quē præcesserat Pantænus. Quis credat autem apud Syros adeo fuisse socordes Christianos, vt Canonicos libros nemo conseruaret? Saltem verisimile est Origenem accepturum fuisse à Clemente, si Clemens habuisset: Clementem vero à Pantæno: non erat autem a Iosepho ad Pantænum tantum interuallum, vt quæ Iosephi ætate exstarent, & quidem in Canone, ea subito nusquam comparerent. Itaque hæc sine dubio Bellarmini est fabula.

VIII. Quod vero secundam coniecturam confirmare nititur indicato Lysimacho interprete, facile est retundere; nam c. 11. non totius operis interpretatio illi tribuitur: sed duntaxat eius epistolæ, qua continetur narratio somnij Mardochæi: in qua multa continentur absurda, quæ suo loco enumerabimus. Ad hæc, quid nostra interest, quisquis tandem fuerit interpres, cum autor primus non appareat fuisse canonicus? Sed hoc etiam ridiculum est vel maxime. Quia constat hoc argumento non esse hanc, quam habemus versionem, sed ipsam primam compilationem: quis enim credat in textu autorem Hebraicum suum nominasse interpretem.

IX. De Susanna allusiones vocum ita soluit, vt dicat, *Danielem, non dixisse illi eum neque lentiscum, sed aliquid aliud nobis ignotum, cui tamen secundum proprietatem linguæ Hebraicæ, vel Chaldaicæ, qua ipse vtebatur, aliquod verbū secandi responderet: porro interpretem Græcum non vertisse ad verbum, sed ad sensum, & vt seruaret allusionem, accepisse alias arbores similes, quibus in Græco responderet allusio ad verbum scindendi.*

X. Atqui hæc tota coniectura tenuis est, cum nihil habeatur, Hebraice, aut Chaldaice, quod possit pro Græcis substitui. Ad hæc, indicatur interpres vir malæ fidei, qui leuiculæ allusionis gratia maluerit sua somnia pro veritate Hebraica substituere, quā illud quicquid erat gratiolæ sibi perire. Quam libertatem si Latinus interpres vsurpasset: si post Latinum itidem alij, qui in aliis linguis laborant, quorsum tandem res euaderet? Certe maior fuit Septuaginta interpretum religio, quos tamen antiquorum nonnulli tanquam prophetas venerantur, qui infinitis locis poterant similiter ludere, vt Genes. 4. in Cain, c. 5. in Noe, atque alias sæpissime, pro quibus poterant substituere ἐπίκτητον & ἡσύχιον: vt & Latinus Possidium, & Tranquillum, si sic libuisset insanire. Sed nimirum ille sibi putabat libere ludendum in suo argumento: hi vero religiose seruiendum Spiritui Sancto. Sincerius quam Theodotion qui teste Hieronymo, Euam interpretabatur Assumptionem.

Cap. IV.

Ab iis libris impia commendari.

I. ARgumentum tertium Nulli libri impia commendantes, sunt Canonici. At libri Tobiæ, Iudith, Maccabæorum, impia commendāt. Ergo non sunt Canonici. Maior per se patet, nec eget aut argumentis aut testib. disputatur tamen (si quis hoc quærat) a Melchiore Cano lib. 2. locor. Theol. Ergo minor superest probanda: id tamen prius testandum, impietatis me nomine complecti ea omnia, a quibus viro bono inque lege Dei edocto abstinendum est. Commendari a. impia, non minus exemplis laudādis, quam præceptis tradendis: qua in re sine dubio peccant hi libri.

I. Apud Tobiam, primo mendacium commendatur exemplo Angeli, qui introducitur prolixe mentiens c. 5. *Ego,* inquit, *sum Azarias Ananiæ magni filius*: siue vt in Græco, ἐγὼ τὸ γένος Ἀζαρίου καὶ Ἀνανίου τοῦ μεγάλου ἀδελφοῦ σου. Quib. mendac is etiam persuasus fingitur Tobit, vt exclamaret, *Ex magno genere es tu.* Et paulo post etiam in Græco contextu fratrem agnosceret, id est cognatum. Rursus idem Angelus c. 6. remedium quoddam docet aduersus vim dæmonum, ex corde & hepate cuiusdam piscis: quod quantulum distat a magia? Sed & cap. 12. idem Angelus asserit se, & detulisse preces Tobit ad cœlum, & vnum esse è septem Angelis qui adstant Deo, seu vt in Græcis habetur, οἳ προσαναφέρουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων, καὶ ἐκπορεύονται ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου, quæ si non sint superstitiose ficta, vndenam esse possunt?

III. Iudith inducitur non solum multa mentiens apud Holofernem: sed etiam, quod horrendum dictu est, in Græco contextu, Deum in hæc verba precans, πάταξον δοῦλον ἐκ χειλέων ἀπάτης μου: quibus verbis audet à Deo postulare suorum mendaciorum prosperum exitum. Quinetiam iisdem precibus, sibi proponit tanquam opus eximium, laudandum, atque diuinum, id quod tam diserte Scriptura Canonica damnat, tanquam impium & sceleratum: nempe cædem Sichemitarum à Simeone patratam Geneseos c. 34. quam crudelitatem cum perfidia iunctam, & sacrilegio Iacob vehementer exsecratur, Gen. 49.

IV. Gretserus respondet, duo in illa cæde fuisse: primo, ipsam flagitij detestationem, eiusq; puniendę zelum: deinde punitionis exsequēdæ modū. Illud esse laude dignum: at non posterius, non quasi non puniendi potestatem haberent: cum n. esset Hemor loci eius princeps, ad nullum vocari tribunal poterat, sed armis tantummodo puniri. Sed quia modus is, contra sancitum iam fœdus & fraudulentus, nimioque vehemens, & furiosus fuit. Porro à Iudith laudari illud: hoc vero à Patriarcha damnari. Autores huius subtilitatis laudat Pererium, & Serarium.

V. Ast ego hanc subtilitatem non miror illorum qui nostra hac ætate rationem inuenerunt, qua sicarios arment in reges legitimos. Et quid absurdi faciunt, qui scelus Simeonis extenuāt, ij, qui iam duos reges, Franciæ ἐφόνευσαν suis sceleratis artib. Et nondum oculos aperit Francia? Sed nostra hæc tempora temporumq; successus Deo committamus. Efficiet ille, vt quos iam audimus mutos loquentes, etiam paulo post videamus cœcos videntes, atque etiam claudos ambulantes. Rem nostram nunc agamus. Fatetur ergo Gretserus saltem zeli huius exsequutionem damnandam in Simeone. Atqui, inquam, hanc ipsam exsequutionem ista fabulosa Heroina & laudat, & sibi imitandam proponit. Diserta verba, *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*. Audin' gladium? Atqui is zelum non significat: nisi forte ita sapiant Iesuitæ vt sicas Iacobi Clementis, Ioannis Castelli, Francisci Raualliaci, transforment in mera religiosaq;, *Pater noster, Aue Maria, Credo in Deum.* Sed pergit Iudith, *Dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem: & omnē prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum.* Et ista quis persuadebit non pertinere ad exsequutionem? Sed applicatio disertior, *Fac Domine vt gladio proprio eius superbia amputetur: capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eū ex labiis ἀπάτης μου,* Vbi vides primo non zelū zelo comparatū sed successum successui. Zelus n. nō poterat esse nisi in ipsa viragine: non a. in Holoferne. Ad hæc orat, vt illa fiant non in seipsa, sed in Holoferne. Deniq; quis non videt, illud de labiis τῆς ἀπάτης manifeste alludere ad illud ex historia Hemor, *Responderunt filij Iacob Sichē, & patri eius in dolo?*

VI. Præterea, eadem Iudith non tantum mentiens inducitur, etiam cum ꝓfitetur se non mentituram, in Græca editione, c. 11. *Nec mendaciū hac nocte Domino meo enunciauero.* Etiam addito iureiurando, *Viuit Nabuchodonosor,* sed etiam sumens nomen Dei in vanum contra disertum Legis mandatum tertium, cuius ipsa non poterat ignorantiā prætexere. Capite eodem, *Rem Deus tecum perficiet, nec dominus meus ab iis quæ instituit, excidet:* ita n. est Græce. Item, *Misit me Dominus hæc ipsa nunciare tibi: Ego n. ancilla tua Deum colo: etiam nunc apud te: Et exiet ancilla tua: & orabo Deum, & dicet mihi quando eis reddat peccatum suum.* Horrenda sunt hæc & aliena ab animo religioso.

VII. Capite 15. Supplementorum, Ester etiam mentitur Assuero, se ob id defecisse, quod regem vidisset quasi Angelum Dei, quæ tamen paulo ante dicitur corruisse propter Regis furorem. Libro 2. Maccab. c. 14. laudatur Razias seipsum interficiens.

VIII.

VIII. De Razia Hayus in hunc modum respondet Disp. lib. 1. c. 19. *Raziæ mors Maccabæorum historiæ derogasset autoritatem, si aut ipsius interitum tanquam pium illa laudasset, aut fictam fabulam iussisset nos credere.* Quæ verba hũc habent sensum, vt quia nec fabulosa sit mors Raziæ, nec laudata vt pia, ideo nihil deroget autoritati eius libri.

IX. At ego contra: primo etiam fabulosam videri quæ primum, sibi gladium Raziam intentasse asserit: deinde eum ex eo vulnere non esset mortuus, se præcipitem dedisse: tertio, tantis fuisse viribus, vt post id vulnus, postque eum casum, non surgeret modo, sed & cursu præteriret turbas, in quas medias præcipitasset se: quarto, nescio quo modo super quadam prærupta petra constitutus, in subiectam plebem viscera sparsit proprijs auulsa manibus. Quæ vix credibile est eum facere voluisse aut valuisse, inquit Augustinus secundi contra Gaudentium 23. Et mihi reuocant in mentem lepidum illud Plutarchi scomma, in Artaxerxe, quo Ctesiam perstringit Cyri mortem, non dissimiliter fabricatum, οὗτος, inquit, ὁ Κτησίου λόγος, ὥσπερ ἀμβλεῖ ξιφιδίῳ μόλις ἀναιρῶν, τὸν ἄνθρωπον ἀνῄρηκεν. Sed esto tamen huius siue fabulæ, siue historiæ fides penes autorem.

X. Piam vero eiusmodi mortem fateor non esse totidem literis appellatam: sed fuisse tamen laudatam, atque etiam tanquam piã, non potest negari. Laudatam quidem quis ambigat? Nam & persona magnis laudib. afficitur. *Razias quidam de senioribus, ab Hierosolymis delatus est Nicanori, vir amator ciuitatis, & bene audiens, qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur, hic multis temporib. continentiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpusq; & animã tradere contentus pro perseuerantia.* Et mors ipsa cõceptis verbis prædicatur. *Eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniurijs agi.* Hæc enim verba mortem describunt generosam.

XI. At non piam, inquit Hayus ex Augustino. Quid tum, inquam? quasi sola ea laudentur quæ pia sunt, & non etiam generosa. *Melius*, inquit Augustinus, *vellet si humiliter, sic enim vtiliter.* Sane vero, inquam. Sed si hoc melius, an propterea illud non bonum? Rursus Augustinus, *Illis verbis historia gentiũ laudare consueuit, sed viros fortes huius seculi, non martyres Christi:* Quis neget? Sed hic autor illo ex historia gentium vsus est laudis genere, & hoc ipsum nos reprehendimus. Deinde ne Christiani quidem omnes sunt martyres: sed quibusdam necesse est mori pro patria: quare illis saltem hoc exemplum imitandum proponitur, quia laudatum, etsi non martyrib. Christi. Quemadmodum lib. 1. c. 6. laudatur mors Eleazari a fortitudine, & quidem non immerito. *Dedit se,* inquit, *vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum.*

XII. Quid? quod etiam medio illo in actu pietas commendatur. Nã quem is auctor ita scelerate morientem refert, tamen eius in media morte preces commemorat, quales piorum esse solent. *Inuocans,* inquit, *dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc ille iterum redderet.* Annon quæso sic solet piorum mors referri? Frustra ergo quæruntur effugia, quam n. verbis tantum laudauit vt fortem, eam re ipsa retulit vt piã. Habemus ergo coniuncta, quæ Hayus volebat discernere, cum diceret non pietatem & religionem, sed fortẽ & infractum animi robur in Razia laudari.

XIII. Gretserus: Mirum est Augustinum hoc perfugio nunquam vsum, vt diceret Maccab. libros esse Apocryphos: apud Dulcitium Epist. 61. Et libri contra Gaudentium 2. c. 23. Deinde omnis garriendi facultas eriperetur, si quis diceret, Raziam id fecisse, vt olim Sampsonem, peculiari impulsu Spiritus Sancti.

XIV. Atqui Augustinus hac ipsa exceptione vsus est: & quidem illo ipso contra Gaudentium libro: cum negat esse Maccabæos in Canone Iudæorũ id est, sicut Legem Prophetas, & Psalmos: receptosq; esse ab Ecclesia non inutiliter si sobrie legantur. De quo loco actum alias. Et tamen quamuis Augustinus hanc rationem omisisset, nihil in hac consideratione posset esse virium. Et quia argumentum est negatiuũ: Et quia Augustini priuata sententia, non habet vim legis.

XV. Inspiratum autem à Deo Raziam sibi manus intulisse, blasphemia est. Certe Augustinus: *Non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum,* contra Gandẽtium, Et Epist. 61. *Quid mirum est, si tanquam homine elatio superba subrepsit? Non fuit iste vir eligendæ mortis sapiens: sed ferendæ humilitatis impatiens. Magna hæc sunt, nec tamen bona. Si iste innocens & iustus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens & iustus fuit, quare interfector innocentis & iusti id est ipsius Razij, insuper putatur esse laudandus?* En tibi meram inspirationẽ: verum Iesuiticam: Et qualis esse solet ex Camera meditationum: vnde Clementes: & Castelli, & Raualliaci.

Cap. V.

De Mendaciis Sapientiæ, Tobiæ, Baruc.

I. ARgumentum quartum. Qui libri mendacij conuincuntur, ij nõ sunt Canonici. At liber Tobit, Sapientiæ, Iudith, Baruc, Maccabæorum, itemq; additiones Ester, & Danielis, mendacij conuincuntur. Ergo non sunt Canonici. Maior huius æque ac præcedentis Syllogismi per se adeo est perspicua, vt qui argumenta colligat, faces videatur accendere ad illustrandum solem. Itaq; minor restat confirmanda.

II. Libri Sapientiæ c. 8. ad finem, inducitur autor sic loquens, vt se Salomonem esse omnib. persuadere voluerit, *Vt sciui,* inquit, *quoniam aliter nõ possem esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia scire cuius esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ei ex totis præcordijs meis, Deus patrum meorum.* Et post pauca, *Tu a. elegisti me regẽ populo tuo, & iudicem filiorum tuorum & filiarum, & dixisti me ædificare templum, in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ, altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.* Et quidem his verbis illudi sibi passus Sixtus Senensis, Sapientiam tribuit Salomoni, tum lib. 1. tum etiam 9. ad hæresin nonam. Et Costerus hæc ipsa neget in Apologia 2. contra Gomarum c. 9. Et, *hæc,* (inquit) *qui præter Salomonem dicere potuit?* Sed hoc mendacium est. Testatur enim Hierony. in prologo librorum Salomonis librum hunc esse ψευδεπίγραφον, duobus argumentis, & quod apud Hebræos non exstet: & quod stylus redoleat Græcam eloquentiam. Augustinus etiam de doctrina Christiana lib. 2. c. 8. *Illi duo libri,* inquit, *vnus, qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur.*

III. Sed quid testibus opus est, cum res ipsola loquatur? Cap. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur illam: & desiderant illam, cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat: incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* ἐν τῷ αἰῶνι στεφανηφοροῦσα πομπεύει τὸν τῶν ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα. In quib. verbis manifesta allusio ad Græcorum certamina, cum hieronicæ coronarentur: vnde vocabula, στεφανηφορεῖν, πομπεύειν, ἄθλων, ἀγών. Et testis Petrus Faber Agonisticõ 2. non contradicente Lorino in eum locum. At quis sibi hoc de Salomone persuadeat, ducentis atq; amplius annis ante denato, quam prima Olympias esset acta?

IV. Tobiæ c. 6. narratur piscis aliquis exsilisse de fluuio deuoraturus Tobiam, qui etiam dicitur παιδάριον, puellus, & exclamasse, voce magna, *Domine, inuadit me,* iussus a. a Raphaele, prehendisse piscem, atq; extenterasse. Hæc vero fabulam plene ore redolent, aut fabulam nihil redoluit vnquam. Quid primum reprehendam? An quod Tobias παιδάριον appelletur vt qui paucis post diebus ducit vxorem? An quod piscis ita exilijt, vt, dum clamat puellus, dum iubet Angelus prehendi, non potuerit resilire? Et quidem magnum aliquem oportuit esse, duplici argumento, tum quia resilire non potuit, cum tamen non esset in sicco, quo a Tobia pertractus dicitur: tum quia deuoraturus esset Tobiam. Idem tamen quem nobis hæc argumenta tantum descripserunt, apprehensa modo branchia à puero attrahitur in siccum. Hem quam subito immutatus? Nam quem prius Sturionem aut Thunnum, aut aliquid maius credebamus, nunc nobis apparet Lucius aut Gobio. Et hæc Canonica sint: Non potuit etiam absq; insigni mendacio Angeli persona induci consutis mendacijs, qua de re diximus argumẽto præcedenti. Atq; hæc ab aduersarijs tractata nondum vidi.

V. Tantum Bellarminus notat ex c. 3. Saram habitasse in Raghes: & tamen è domo eius, Angelum à Tobia missum, c. 9. in Raghes, quæ videtur contradictio. Soluit eam tripliciter: vel cum Medina, qui corruptum codicem asserit: vel cum Lyrano; constituente duas esse ciuitates eiusdem nominis: vel deniq; distincta ciuitate ab eius agro, in quo Sara sit commorata. Ego malo codicem Latinum esse mendosum: nam in Græco Sara dicitur habitasse Ecbatanis. Et si alias tanta sit inter Græcam & Latinam editionem distantia, vt videatur alterutrius autor lusisse, Græcus breuitate, Latinus amplificatione.

VI. In libro Baruc hæc sunt mendacia. Primum, eum librum Baruc legisse dicitur anno quinto post excidium, & conflagrationem Hierusalem ad aures Ieconiæ regis, & vniuersi populi habitantis in Babylonia: qui audientes collegerunt pecuniam, & miserunt Hierusalem ad sacerdotes, vt restituerent vasa Domini & offerrent holocautomata, & thus & myrrham ad aram Domini Dei. Hæc quî possunt esse liquido vera? Primum Baruc legisse dicitur librum in Babylonia: qui tamen abductus esset vna cum Hieremia in Ægyptum post cædem Godoliæ, vt constat ex c. Hieremiæ 40. Respondet Lyranus, post Hieremiæ mortem Baruc abijsse in Babyloniam, ad consolandos captiuos. At hæc mera est coniectura, nec satis firma ad hanc mendacij notam delendam, maxime cum neque tempus mortis Hieremiæ ostendatur, & accidisse hæc lectio dicatur anno quinto post conflagrationem ciuitatis, hoc est, non integris quatuor annis post abductionem Hieremiæ in Babyloniam, quod non tantum est spatium, vt non conijci possit adhuc in viuis fuisse, quem mortuum Lyranus supponit. Sed quæ sequuntur sunt difficiliora.

VII. Secundo, dicitur hic liber lectus in aurib. Regis Ieconiæ & totius populi. At Iechoniam fuisse tum in carcere certum. Respondet Lyranus, nõ fuisse clausum continue, saltem vt non posset ad eum Baruc accedere. Et hæc rursus tenuis coniectura, eo infirmior, quia discerpit partes contextus qui ad aures non solum Iechoniæ librum fuisse lectum exponit, sed etiam totius populi: adeo vt oportuerit totum populum conuenire ad Regem, quod non sit verisimile.

VIII. Tertio, dicitur Rex & populus, rogasse Sacerdotes, vt offerrent sacrificia ad aram Domini Dei sui: At nullum erat templum, nullum altare quia à Babylonijs omnia excisa & cremata. Respondet Lyranus, verisimile esse, Iudæos extruxisse aram paruam ad sacrificandum prout poterant bono modo. Ast ego contra, verisimile esse Sophistas commentos esse aram paruam, prout poterant malo modo adeo aduersus disertam historiæ veritatem nihil habetur quo dignitas libri fulciatur, preter coniecturas eorum qui vixerunt annis bis mille circiter post rem gestam. Sed destruitur coniectura ex verbis libri, qui non tantum dicit rogatos sacerdotes, vt offerrent, sed vt offerrent ad aram Domini, quo nomine non est verisimile designari fortuitam aliquam, sed potius eam, cui id nomen erat familiare.

IX. Quarto in Epistola Hieremiæ, quæ refertur c. 6. ita legimus, *Ingressi Babylonem ibi eritis annis plurimis, & temporibus longis, vsq; ad generationes septem.* At hæc falsa est prophetia: nam verus Hieremias c. 25. & 29. numerabat duntaxat annos septuaginta. Respondet Lyranus, generationes esse annorum decadas. At hæc non explicatio aut solutio, sed correctio potius: quis enim generationem hoc vnquam sensu vidit vsurpatam.

X. Pererius in Danielem lib. 10. exactius pensiculare vult videri. Γενεὰν Generationem obseruat varie esse definitam: Alias annis septem. Sic Medicos vetare, ante duas generationes venam puero incidi: sic apud Suidam Orpheum vixisse nouem, vel vndecim generationes. Alias viginti annis. Sic apud Eusebium de Præparatione libr. 10. ab Inacho ad res Troianas transisse viginti generationes, annos autem quadringentos. Alias tribus & viginti: sic apud Herodotum lib. 1. Heraclidas tenuisse regnum ad vsque Candaulem Myrsi, annos quingentos quinq;, per generationes duas & viginti. Alias trib. & triginta: sic apud eundem lib. 2. tres virorum progenies contineri annis centum. Alias triginta: sic apud Diodorum Siculum lib. 3. triginta generationes annis sexcentis circumscribi: neq; aliter apud Plutarchum de Cessatione oraculorum: & Censorinum de Die natali Romanorum. Sic tres ætates vixisse Nestorem. Alias centum: sic apud Dionysium Halicarnasseũ lib. 1. Romanarũ Antiquitatum, stetisse Medorum Imperiũ prope quatuor generationes, annosq; quadringentos. Gen. 15. prædicitur

reuerſuri Iſraelitæ ex captiuitate, generatione quarta. Deniq; ab Auguſtino in Pſal. 104. generationem dici ætatem, qua quis poteſt generare: hanc vero eſſe annorum quindecim, vt minimum.

XI. His poſitis de Barucho ita tandē Pererius. Primo ex Carthuſiano vel hanc Baruchi ætatem deſcribit annis quatuordecim: atq; ita generationes quinq; fieri annos ſeptuaginta: primam a. & ſeptimam non pertinere ad captiuitatem. Vel ſeptem ætates non eſſe numerum certum: ſed ſignificare complementum & perfectionem: ideoq; intelligi perfectam vitæ humanæ periodum, id eſt, annos ſeptuaginta.

XII. Sed deinde Pererius alias rimas veſtigat. Primo, ſeptem poni pro numero indefinito: vt ſit poſt multas generationes. Secundo generationem eſſe ætatem quindecim annorum: quę quinquies, dabit annos ſeptuaginta quinque. Et quia hic numerus non exacte congruit primo ex ſeptem generationibus, extremas intelligendas, non plenas: deinde captiuitatem ordiendam à Iechonia annis vndecim ante Sedechiam. Inde enim ad Cyrum vſque annos eſſe vnum & octoginta. Tertio, ſi de Sedechia intelligatur, deſinendum eſſe non in Cyri annum primum: ſed Artaxerxis Longimani ſeptimum, quo ea pars Iudæorum, quæ Zorobabelo redeunte remanſerat, redijt Eſdra duce: vt fiant anni centum ſeptuaginta.

XIII. Sed in hoc tanto conatu nihil eſt difficile. Primo. Γενεὰς ſiue generationes nunquam certum aliquem annorum numerum ſignificarunt: Abbenezra in Ioelis 1. ad ea verba. De ea re filijs veſtris narrare מזה הפסיק נשמע כי דור איננו מספו ידוע. *Ex hoc verſus audimus, Generationem non eſſe numerum certum.* Significat ergo tantum hominum ſibi ſuccedentium ſeriem. Et quia non omnibus hominibus idem eſt ætatis terminus, ideo nihil mirū varie multarum generationum annos putari. Imo non leuiter Pererius peccat, qui omnibus ſigillatim generationibus æqualem annorum numerum tribui vult. Quod nunquam factum. Matt. c. 1. ab Abraham ad Dauidem, quatuordecim generationes collegit, ſpatio annorum nōgentorum triginta], Gen. 15. quatuor generationes ſunt, tum in tribu regia, Iudas, Phares, Eſron, Caleb. Tum in Sacerdotali, Leui, Cahal, Amram, Aaron: ſpatio annorum quadringentorum. Et Mercerus in illud ipſum caput notat à Iudæis numerari ab Adamo ad Noe generationes decem, ſpatio annorum mille ſexcētorum quinquaginta ſex. Et rurſus decem à Noe ad Abraham, annis non amplius quam ducentis nonaginta duobus. Adde exempla à Pererio collecta, & manifeſta erit diuerſitas.

XIV. Sed nihil hæc Baruco proficit. Nam quod attinet ad Carthuſianum: Textus ita habet, *Ingreſſi in Babylonem eritis ibi, annis plurimis, & temporibus longis, vſq; ad generationes ſeptem, poſt hoc autem educam vos inde cum pace.* At ſi quinque ſunt duntaxat: procul dubio falſum dixit, qui ſeptem numerauit. Neque vnquam vllum huiuſmodi comperiatur ſupputationis exemplum, apud vllum autorem, ſiue ſacrum, ſiue prophanum. Nam quod adfertur ex Matthæi 16. *Poſt dies ſex*, quos tamen Lucas 9. dixit *dies octo*, prorſus eſt diſſimile. Tum quia non dixit Lucas dies octo, ſed *quaſi dies octo*, vt oſtenderet non initam à ſe exactam ſupputationem, tum etiam quia dixit, non poſt dies octo: ſed *poſt hæc verba, quaſi dies octo*. Hoc autem modo, etiam communis vulgi vſus habet, vt octo dies computentur, qui tamen vere ſex ſunt elapſi: quia comprehenduntur, tum dies, quo id geſtum, vnde numerandi initium: tum ille, quo id geritur, in quod deſinit computatio. At in Baruco, & ſimpliciter generationes ſeptem legimus, & deſignatum tempus quo erat duratura captiuitatis, nullis nominatis antecedentibus, ſequentiſue circumſtantijs. Non poteſt igitur prior Carthuſiani ratio conſiſtere. Quid poſterior? Hac vero nihil magis ridiculum. Quis enim audiuit? Imo quis vnquam credidit poſſe ſeptem generationes, vnam generationem intelligi? Non negamus ſeptenarium pro perfectione ſumi interdum. Sed ſepties vnam, eandemque rem numerari, vt tamen eius vnicæ perfectio ſignificetur, id vero iterum dico nunquam auditum. Quanquam neq; anni ſeptuaginta deſcribunt perfectam vitæ humanæ periodum.

XV. Videamus nunc Pererium. Septem ætates, inquit, id eſt multæ. Mera, inquam, βαττολογία. Sic enim ter idem dicitur: annis plurimis, temporibus longis, ad generationes ſeptem. Nam hæc ita ſunt in Baruco diſerte. Eſt autem hic ſenſus adeo inſolens: vt quānquam omnib. notum ſit ſeptem aliquando dici pro multis: nemo tamen has ſeptem generationes, pro multis ſit interpretatus. Tum a. cur multas dicat. Et quidem incerto numero, quæ annis ſeptuaginta, vix duæ, aut tres ad ſummum numerari poſſunt? Matth. 1. *Poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salatiel, Salatiel autem genuit Zorobabel.*

XVI. Eſſe quindecim annorum generationem, primo non debet concedi. Non dabit enim vllum exemplum Chronographicum vnde id probetur. Deinde quid tum? Nā, ne ſic quidem numerus procedit. Etenim ſiue ſeptuaginta annos, ſiue octoginta vnum, ſiue centum ſeptuaginta adſcribas captiuitati, non redit numerus ſeptem generationum, quæ annos centum quinq; conficerent. Itaque Lyranus ſi non verius, ſaltem veriſimilius generationem diceret eſſe annorum decem. Quare hic locus excuſari non poteſt.

CAP. VI.

De mendaciis Additionum Eſterę & Danielis.

I. VEnio ad additiones Eſterę, qui hiſtoriam repræſentant in hunc modum: Anno ſecundo Artaxerxis, Mardochæus viriam tum magnus & inter primos aulicos: deq; numero captiuorū qui translati erant cum Iechonia rege Iuda vidit ſomniū, cuius obſcuritate attonitus, cum totum diem conſideraſſet apud ſe quid ſibi vellet, noctu tandem intelligit Eunuchos conſilium capere de occidendo Rege: quod cum ille Regi reuelaſſet, ij quidem capite plectuntur, ipſe vero aulicus factus donaria accepit: vnde illi Aman iam tum ἐνδοξότερον καὶ βασιλέως fit iratior. Quibus geſtis, (μετὰ τοὺς λόγους τούτους) tertio anno Artaxerxes repudiat Vaſthi, Eſteram autem in vxorem ducit anno ſeptimo. Paulo poſt fit edictum de Iudæis exterminā-dis: quod Eſter vt irritum faceret, adit regem, quo in eam furioſe contūe-te, illa corruit præ dolore: rex mutatus in manſuetudinem aſſumpſit in vl-nas: inde ſequuntur literæ regis, quibus edictum illud reuocatur: in ijs Aman dicitur animo & gente Macedo, coniuraſſe in regem, vt regnum tranſferret in Macedones, pro quo ſcelere ſuſpendio addicitur, atque eius omnis cognatio. Hæc narratio eſt, quæ non paucis capitib. contradicit hiſtoriæ Canonicæ, quorum nonnulla ſoluere conatur, alia diſſimulauit Bellarminus.

II. Primo, nō ſatis congrue Mardochæus anno ſecundo Artaxeris ita vegetus, vt etiam excubijs ſufficeret, dicitur fuiſſe translatus vna cum Iechonia, cum tamen à Iechonia ad Artaxerxem Longimanum anni fuerint centum quinquaginta quinq;, quibus maiorem fuiſſe Mardochæum neceſſe fuerit. Bellarminus reſpondet primo non eſſe incredibile: quando Paulus eremita vixerit annos centum quindecim: & ipſe viderit ſenem annorum centum & quinq;, vegetum & robuſtum. Egregie! quaſi ex vno aut altero exemplo recte concludatur: quaſi nullum ſit diſcrimen inter cē-tum quindecim años, & centum octoginta, quaſi deniq; aulica negotia, imo vero excubiæ pro nihilo ſint habendæ.

III. Deinde Mardochæum translatum fuiſſe cum Iechonia ita explicat vt intelligatur fuiſſe tranſlatus non in ſe, ſed in parentib. aut maioribus antequam naſceretur, ſic enim Zorobabel, & Ioſue rediſſe ex captiuitate, quā tranſtulerat Nabuchodonoſor cap. 7. Nehemiæ, qui tamen nati ſint in ipſa captiuitate: ſic ſeptuaginta animas intraſſe in Ægyptum cum Iacob, Genel. 46. ac Deuter. 10. añumeratis duob. filijs Ioſeph, qui nati erant in Ægypto. At non memini vidiſſe hactenus quicquam audacius. Verba ſunt contextus huiuſmodi, *Vir magnus & inter primos aulę regię. Erat autem de eo numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonozor rex Babylonis de Ieruſalem cum Iechonia rege Iuda.* Quis ſperaſſet adeo diſertis verbis fucum poſſe fieri? Itaq; negamus interpretationem: hac vna ratione, quod eius nullum vſquam reperiatur exemplum. Nam illa duo ex Nehemia & Geneſi falſo nominantur, ex vitioſa verſione. Apud Nehemiam ita legimus, iuxta veritatem Hebraicam, *Hi ſunt filij eius prouincię, qui aſcenderunt ex captiuitate deportationis, quam deportauit Nabucadneſar rex Babel, & reuerſi ſunt Hieruſalem & in Iudam ſinguli in ſuas ciuitates, venientes cum Zerubabel.* Quis nō videt iam, quātum hæc diſtent ab ijs quib. vtitur Bellarminus? Aliud enim eſt eam captiuitatem, è qua illi redierunt, fuiſſe deportatam, quod ſcripſit Nehemias: & tranſtulerunt ſeptuaginta interpretes ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας τῆς ἀποικίας ἧς ἀπῴκισε Ναβουχοδονόσορ, aliud autem ipſos fuiſſe in eam captiuitatem deportatos, quod perperam expreſſit Latina editio. Geneſ. 46. Hebraica veritas habet, *Omnes animæ familię Iacobi, quę ingreſſa eſt Ægyptum, ſeptuaginta.* Non enim dixit, animas ſeptuaginta ingreſſas, ſed familiam, ad quam pertinerent animæ ſeptuaginta, ingreſſam eſſe. Deuter. 10. tantum legitur, *In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui Ægyptum*: quorum verborū ſenſus eſt, tum cum deſcenderent patres illi in Ægyptum fuiſſe numero animas ſeptuaginta: non autem neceſſe eſt ad eius numeri veritatem, vt omnes animæ deſcenderint.

IV. Secundo, anno Artaxerxis ſecundo, Mardochæus dicitur magnus & inter aulicos primus. At Artaxerxes vel Aſſuerus eſt, vel nō. Si non eſt Aſſuerus, ergo falſa ſunt hæc additamenta, quū nihil pertineant ad regem Aſſuerum, quem canonica hiſtoria ſemper nominat. Sin eſt Aſſuerus, tum diſſentiunt iterum hæc additamenta cū Canonicis. Nam Mardochæus ſic deſcribitur in Canonicis, vt priuatū facile a gnoſcas, etiam cum Eſter nuberet Aſſuero: imo etiam, cum anno ſeptimo proderet inſidias. Quod ſi anno ſeptimo priuatus erat, non fuit igitur aulicus anno ſecundo. Hoc omiſit Bellarminus.

V. Tertio, inſidiarum hiſtoria conſtituitur ante abdicationem Vaſthi, & nuptias Eſterę: quod in ſcripto canonico contra eſt. Reſpondet Bellarminus inſidias narrari παραλλήλως, factas enim anno ſeptimo, non ſecundo & illa verba μετὰ τοὺς λόγους τούτους, non referri ad inſidias, ſed ad ſomnium. At ineptam eſſe παράληψιν, atq; eiuſmodi vt nullum ſimile dari exemplū poſſit facile iudicabunt omnes paulo ſanioris cerebri, qui vel leuiſſimè percurrerint locum. Deinde verba ſunt in contrariū. Nam in editione. Latina ſtatim poſt ſomnium ita legitur, *Morabatur autem eo tempore in aula regis cum Bagatha & Thara Ennuchis regis, qui ianitores erant palatij: cumq; intellexiſſet cogitationes eorum, & curas diligentius peruidiſſet, didicit quod conarentur inter-gem Artaxerxem manus mittere.* Quæ verba ſignificant id ſomnium accidiſſe eodem tempore, quo inſidiæ ſunt deprehenſæ. At quis vnquam ita loquutus eſt, vt ſomnium vnius noctis eodem tempore accidiſſe dicat, cū ijs quæ euenerunt annis quinq; poſt eam noctem? Græca vero ſunt etiam diſertiora, καὶ διεγερθεὶς Μαρδοχαῖος ὁ ἰουδαῖος τὸ ἐνύπνιον ἔβλεπεν, καὶ τί ὁ Θεὸς βούλεται ποιῆσαι, ᾐδει τὸ ἐνύπνιον ἔβλεπεν ἐν τῇ καρδίᾳ καὶ πάνυ λόγῳ ἐθέλησεν ἐπιγνῶναι αὐτὸ ἕως τῆς νυκτὸς καὶ ἠύξατο Μαρδοχαῖος ἐν τῇ αὐλῇ ἔτι γαββαθὰ, καὶ θαρρεῖ τὸν δύο εὐνούχων τοῦ βασιλέως τῶν φυλασσόντων τὴν αὐλὴν, ἤκουσε τὰ αὐτῶν τοὺς λογισμούς. Quæ verba ſignificant Mardochæum tum è ſomno ſurgeret, cogitabundum fuiſſe vſq; ad veſperam, ac tum cognouiſſe Eunuchorum inſidias: quare vnius tantum diei, non quinq; annorum ſignificatur interuallū. Gretſerus illud ἕως τῆς νυκτὸς indicare, non inſidias ſtructas eo tempore, ſed Mardochæum vſq; ad noctem ſedulo, & cum cura de ſomnij intelligentia cogitaſſe. Magnifice, quaſi quiſquam noſtrum contradicat. At nos illud ἕως τῆς νυκτὸς, ita conſideramus, vt meminerimus etiam legiſtatim: Quieuiſſe Mardochæum in aula. Nam ſi non continuantur partes hiſtoriæ, quo ſenſu illud ἕως νυκτὸς additum? Quaſi veriſimile ſit, Mardochæum vno tantum vnius diei curriculo, cogitaſſe de ſomno non intellecto: vel illud ἕως τῆς νυκτὸς poſſet multorum annorum ſpatium continere.

VI. Quarto, Mardochæus traditur poſt affectos Eunuchos ſupplicio, aulicus factus, & donaria accepiſſe, καὶ ἐπέταξεν ὁ βασιλεὺς Μαρδοχαῖον θεραπεύειν ἐν τῇ αὐλῇ, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ δῶρα πολλά τε καὶ τὰ. Cum tamen hiſtoria Canonica teſtetur Mardochæum nihil omnino mercedis accepiſſe. Bellarminus negat vllam eſſe difficultatem: ſignificari enim ijs verbis eos ipſos honores qui deſcribuntur c. 6. Sic ſemper ad παράληψιν recurritur: æque ineptè ac prius. Enimuero quæ cauſa anticipandi? Nam in ſomnio nihil eſt, quod ſpecialiter ſit de his muneribus intelligendum, vt videre licet in ipſa eius expoſitione, quam texere fingitur Mardochæus.

VII. Quinto, odij in Mardochæum cauſa Amani fuiſſe dicitur Eunuchorum ſupplicium. At vera hiſtoria cauſam aſſignat, quod ſe Aman non adoratum ægrè ferret. Sexto, cum Eſter regem adijt, Scriptura Canonica teſtatur

ſtatur exceptam à rege cum ſumma beneuolentia ; porrecto de more ſceptro. At hæc ſupplementa, fingunt regium furorem, deliquium Eſter, mutationem regis. Hæc duo mendacia Bellarminus non attigit. Gretſerus, de primo aſſerit arrogantes, in bene de ſe meritos ſolere eſſe ingratos. Quod concedo: ſed nihil ad rem: agat ille vt volet cum ijs qui negant potuiſſe Amanum conſpiraſſe cum Eunuchis. Nã ego in medio relinquo. Ad ſecundũ ponit Aſſuerum initio iratum, poſtea flexum ad lenitatem. Sed hoc hiſtoria canonica negat : quæ ſtatim ab initio pronunciat, nihil in rege fuiſſe non pacatum.

VIII. Septimo, Aman dicitur gente atq; animo Macedo, regnumq; voluiſſe transferre ad Macedones: quum tamen & in Canonico textu dicatur Agagæus. id eſt, de genere Agag regis Amalec, & de translatione regni prorſus taceat: quæ nec poteſt eſſe veriſimilis: cum eo tempore aut nullum, aut adeo exiguum fuerit regnum Macedonicum, vt vix de nomine apud Babylonios cognitum eſſe potuerit, nedum ipſi Babyloniæ regno potentiſſimo, & multa terrarum intercapedine diſſito, periculum aliquod creare. Hic Bellarminus longam texit diſputationem de tempore huius hiſtoriæ, enumeratis quatuor ſententijs: vt alij velint maritum Eſter fuiſſe Darij Medi patrem, cuius mentio Dan. 9. alij Cambyſen, qui Aſſuerus dicitur Eſdræ 4. alij Darium Hyſtaſpis, qui Cambyſi ſucceſſit: alij deniq; quibus ipſe aſſentitur, Artaxerxem Longimanum. Hæc pompam habent nonnullam: ſed quid ad rem? Nam primo de gente Amanis merum ſilentium: atqui non eſt id nullius momenti: nam ſi fuit Amaletica, tum ſane tã potuit Macedo dici quam Bellarminus Italus, oriundus ex America: ac proinde mendaciũ eſt. Gretſerus ſolita vſus audacia, potuiſſe & Amalecitam eſſe, & Macedonem: nempe eius proauos in excidione gentis ſuæ à Saulo, fugiſſe in Tyrum, inde in Macedoniam. Eleganter, & ſatis pro Ieſuitico acumine.

IX. Regnum a. Macedonicum ipſe negare non poteſt Bellarminus fuiſſe obſcuriſſimũ ad vſq; tempora Philippi patris Alexandri magni. Iam Alex. initium & Darium ab eo victũ idem ſibi annus vindicat: regnauit a. Philippus annis viginti quatuor: & quidem clarus duntaxat circa annum ſui regni vigeſimum, ſaltem vt Perſis ſuſpectus eſſet: id eſt, longe poſt eorum regum tempora, qui paulo ante nominati ſunt: niſi forte quis ſecũdam ſententiam admittat, id eſt, Iudæorum: qui Aſſuerum producunt ad Darium victum ab Alexandro: quæ tamen iuſtiſſimis rationib. refutatur à Bellarm. Numeratur a. regnum Perſarum ſucceſſio in hunc modum ab Euſebio in Chronico. Darium præceſſit Arſes vel Arſames annis quatuor. Arſen Artaxerxes Ochus an. viginti ſex. Ochum Artaxerxes Mnemon annis quadraginta. Mmemonem Darius Nothus annis nouẽdecim. Nothum Artaxerxes Longimanus an. quadraginta. Atq; hunc Bellarminus exiſtimat eſſe Aſſuerum maritum Eſter, à quo ad Philippum colliguntur anni centum triginta: atq; iſto tum Darius Hyſtaſpis, tum Aſſuerus pater longe ſunt antiquiores. Ex qua ſupputatione ſequitur Macedones terrori fuiſſe Perſis duobus ferè ſeculis, ante quam eorum nomen eſſet ab ijs auditum.

X. Huic abſurdo, Bellarminus, qua eſt audacia, hoc inuento medetur. Non ideo dici Aman transferre voluiſſe regnum ad Macedones, quod iam tum regnum Macedonicum ita floreret, vt cum Perſis de Imperio orbis terræ contenderet: ſed contra potius, quia cum ipſe gente Macedo eſſet, voluit gentem ſuam per ea tempora obſcuram, illuſtriſſimam reddere, tranſlato ad ſe & ſuos nobiliſſimo imperio. Nempe in eo ſemper Ieſuita laborat, vt ingenij ſpecimen edat in excogitandis remotiſſimis, imo etiam duriſſimis interpretationib. ſurſum, prorſum omnia mouens vt aliqua elabatur. At transferri regnum in aliquam gentem, tum dicitur, quem gens illa imperiũ ablatum ab altera, in ſe transfert. Sic Eccleſ. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias*. Et ſimili analogia dicitur transferri à perſona in perſonam, vel à familia in familiam. Nouo a. modo vult Ieſuita regnum Perſarum transferri ad Macedones, ſic tamen, vt neq; Macedones fruantur imperio, neq; eo Perſæ ſpolientur. Nimirum ſic à Romanis ad Hiſpanos imperium transferri potuit, cum Theodoſius factus eſt Imperator. Sed id nullus inquam hactenus inuentus eſt qui diceret.

XI. Deniq;, cum tot ſint in his additamentis mendacia, neceſſe eſt eſſe apocrypha: vt merito eas Sixtus Senenſis lacinias appellarit hinc inde quorundam temeritate inſertas: etſi propterea pœnas det Bellarmino.

XII. Non diſſimile iudicium additamentorum ad Danielem. Ioacim vir Suſannæ dicitur habitaſſe Babylone, & fuiſſe diues, habuiſſe domum ſplẽdidam, eiq; contiguũ pomarium, atque ad eum ventitaſſe Iudæi. Illo a. anno conſtituti eſſe duo ſenes iudices, ad quos venirent omnes qui haberent iudicia. Danielis ætas deſcribitur tanquam pueri, & quidem incogniti, ac priuati: Suſanna ad mortem damnata, reuocata tamen è ſupplicio. At hæc non ſunt veriſimilia. Primum n. ex Danielis c. 1. conſtat Danielem adductũ eſſe in captiuitatẽ à Nabuchodonoſore, educatumque per tres annos antequam ſiſteretur coram rege: ex 2. autẽ c. anno ſecundo expoſuiſſe ſomniũ regis, & conſtitutum eſſe ſuper omnes prouincias Babylonis. Quem ſecundum annum facile mihi à Iunio viro doctiſſimo perſuaderi patior ſupputandum ab eo an. qui ſecutus eſt tres illos educationis, nimirum, vt fuerit annus captiuitatis quintus. Iam vero hiſtoriam hanc neceſſe t eſſe accidiſſe ante annos illos quinque: alias quomodo Daniel & puer appellaretur, & deſcriberetur obſcurus atque incognitus? Quinetiam vix ſit veriſimile euenire potuiſſe poſt exactos tres educationis an. quis enim illum ſuis credat incognitum fuiſſe, aut pro puero reputatum, qui & ipſi regi notus eſſet, numeratuſque inter magnos, & quidem ipſo rege iudice, magos omnes decuplo, ſuperatos ſapientia? Ergo ſi accidit aliquando iudicium Suſanne oportet accidiſſe intra tres an. educationis. Sed contra obſtat, primo quod Ioachim dicitur diues, & quidem valde diues, idq; Babylone, vbi domum poſſidebat, & quidem amplam: quis autem credat intra annos tres eum, qui captiuus abductus eſt à patria, ſubito euaſiſſe in magnas diuitias?

XIII. Secundo, is deſcribitur Iudæorum ſtatus, quaſi ſuis legibus viuerent, magiſtratib. creatis qui poteſtatem haberent in ſuos vitæ ac necis: addo magiſtratus illos deſcribi annuos, ſic n. habet textus, *Conſtituti ſunt duo ſenes iudices in illo anno*. At hæc ſunt abſurda: primo, quia nuſquam legimus apud Iudæos in vſu fuiſſe magiſtratus annuos : ſecundo, quia non ſit veriſimile, captiuos, & quidem tam ſubito, permiſſos ſuis legibus viuere, maxime eiuſmodi captiuos, qui non in patria relicti eſſent, ſed abducti in aliam regionem: tertio eo tempore pars duntaxat populi abducta erat: nam reliqui abducti ſunt, tandem incenſa ciuitate an. decem poſt primam abductionem: non ſit autem veriſimile integra ciuitate, in qua eſſent legitimi magiſtratus, alios fuiſſe à captiuis electos.

XIV. Hæc omnia Bellarminus diſſimulauit, vt minus laboraret in alijs, quæ neſcio vnde collegerit. Et tamen quaſi ne ſibi quidem ſatisfaciens, *Non eſt*, (inquit) *improbabile, non eundem eſſe Danielem iſtum, qui Suſannam liberauit, Bel deſtruxit ac Draconem interfecit, & in lacu leonum ſex diebus fuit, & de eo quo agitur in ſuperiorib. capitibus: id enim multos olim ſenſiſſe teſtatur Hieronymus, & aperte Græca editio ſeptuaginta habet, hunc poſteriorem fuiſſe de tribu Leui, cum certum ſit priorem fuiſſe de tribu Iudæ.* Atq; hanc ego ſane exiſtimo veriſſimam, certiſſimamq; ſolutionem omnium earum difficultatum quas enumerauimus, cui libentiſſimè acquieſco: quid enim de nomine cõtendam, dum conſtet non eſſe prophetam? Sed impudentiſſimus ergo fuit ille, quicunq; primus has lacinias inſeruit corpori Propheticæ ſacræ, tanquam membra, quod factum eſt in vulgatis editionib. quod etiam faciendum videbatur paulo ante Bellarmino.

Cap. VII.

De mendaciis hiſtoriæ Iudith.

I. DE hiſtoria Iudith quæſtio magna Bellarminum, atq; alios exercuit ſerio. Et primo præiudicatur aduerſus eam merito, quod eius nulla veſtigia extent in libris ſacris, nulla ne apud Ioſephum quidẽ. Erat tamen illuſtriſſima liberatio, & παρὰ προσδοκίαν, & miraculoſa, vt omitti non debuerit, non potuerit ab ijs, qui eorum temporum res geſtas detegere profiterentur.

II. De Ioſepho reſpondet Sixtus Senenſis, & poſt hunc Salmero, eo factũ quod apud Hebræos liber non ſit Canonicus: ille a. ea ſolum ſcribenda aſſumpſiſſet, quæ in Canone haberentur, *Vnde* (inquit) *Sixtus ipſemet Ioſephus ſe excuſans, quod multas ſacras Hebræorum hiſtorias intactas dimiſerit, ſic loquitur: Nemo igitur culpet me, eo quod ita narrauerim ſingula, ſicut in antiquis libris inueniuntur ſcripta: nã ipſo hiſtoriæ meæ principio, propter eos qui quæſtiones mouent, & in aliquo culpare nituntur, aſtruxi, dicens translaturum me libros Hebraicos in eloquium Græcum, & hos aperire, nec adijcere aliquid ſeorſim, neq; ſubtrahere me promittens.* Locus eſt, c. 12. lib. 10. Antiquitatum.

III. Aſt ego nego Ioſephum adeo ſe religioſe libris addixiſſe Canonicis, vt aliunde nihil aſſumeret: quod infinita docẽt exempla. Nã, vt cætera miſſa faciam de Moſe, quanta narrat, quorum ne ſyllabam quidem inuenias in illis: Prænuntiatam eius natiuitatem: infantiæ, inſequentiſque ætatis geſta plurima: atq; alia. Et ne longe abeamus, ipſe nos Sixtus docuit additamenta ad librum Eſter ab hac manu eſſe. Itaque quæ proteſtationis verba recitantur, vel falſa eſſe oportet, vel certe per libros Hebraicos plures ſignificãtur, quam qui ſunt Canonici.

IV. Præterea aſſerit eadem hiſtoria diem quendam feſtum eſſe inſtitutũ. *Dies* (inquit) *victoriæ huius feſtiuitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore ad præſentẽ diem.* At huius feſti velim mihi alicunde vel veſtigia quædam indicari. Mirum n. ſi in tã accurata obſeruatione, omnes autores nihil potuerint notare, quo ad poſteros conſtaret tanti beneficij trãſlata memoria. Et vero in hoc ſaltem libro cur neq; menſis, neque dies vllus indicatus: Itane ſolent ἀορίστως ſolennia feſta nominari? Illud etiam autorem prodit non benè Iudæum, quod ad finem additur, Iudith tota deinceps vita cœlibem duraſſe, quãuis à plurimis expetiram, & nullis ſuſceptis liberis. Nam id alienum fuiſſe à Iudaicis morib. ſciunt, qui meminerunt apud eos ἀπαιδίαν genus opprobrij fuiſſe. Et cognatos debuiſſe ex lege ſuſcitare ſemen defunctorum.

V. Hæc tamen leuia ſunt, prout tẽporũ ratio eſt. Παρ' οἷς γὰρ (inquit) Tatianus, ἀσυνάρτητος ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφὴ, παρὰ τούτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δυνατόν. Τί γὰρ τὸ αἴτιον τοῦ ἐν τῷ γράφειν πλάνης, εἰ μὴ τὸ συνυφαίνειν τὰ μὴ ἀληθῆ. *Apud quos non conſtat temporum deſcriptio, apud eos non poteſt eſſe veritas hiſtoriæ. Quæ n. cauſa eſt errandi in ſcribendo, niſi cum conferruminantur non vera.* Eſt a. (inquit) Bellarminus, aduerſus hunc librum, difficillima obiectio, nempe de tempore cui poſſit hiſtoria aſſignari. Nullum n. inuenitur vnde non emergant plurima mendacia. Vnde factum, vt varij varias ſuas coniecturas ſecuti, in varias abierint ſententias, quas operæpretium erit recenſere, antequam enumeremus mendacia.

VI. Sed prius amouenda Gretſeri importunitas. Reſpondeo (inquit) nec inter doctiſſimos conuenit de tempore Natiuitatis, Baptiſmi, & Paſſionis Chriſti. An ideo hæc omnia fabulis annumerabimus?

VII. Mimine vero (inquam.) Sed tu non ſimilia comparas. Nos n. non inde diſputamus, quod inter doctiſſimos non conueniat, quod fieri poteſt ex defectu perſonarum: ſed quod res ipſa non conueniat temporib. Hæc a. longe eſt longeque alia quæſtio. Nam cum docti diſſentiunt, fieri poteſt, vt aut nullæ ſententiæ refutari poſſint ex ſerie temporum, aut ſaltem aliqua eidem cõueniat. At cum defectus eſt in re ipſa, tum nulla eſt ſententia, quæ non refutetur: quod accidit in hac hiſtoria, ſiue potius fabula. Nulla enim prodijt hactenus ſententia, quæ non ſolidiſſime refutetur collatis temporibus. Tum a. de Chriſto, quod genus eſt dubitationis? Non temporis: nam conſentiunt omnes natum ſub Auguſto, crucifixum ſub Tiberio. Sed quorundam ſcrupulorum temporis: vtpote, ſit-ne natus ſolſtitio æſtiuo, an circa vernum æquinoctium. Et ſi qua ſunt eiuſmodi. De Iudith a. immanis diſtantia eſt temporum, nonnunquam excedens ſeculum: Et tamen nulla nõ incommoda. Quod nunc imus examinatum, enumeratis ſententijs; quarum tria ſunt capita.

VIII. Sunt qui cenſeant accidiſſe poſt reditum è captiuitate Babylonica: quia c. 5. nor nihil huiuſmodi videatur ſignificari in Achioris narratione. Nec eſt tamen horum vna omnium ſententia. Euſebius in Chronico refert ad Cambyſis tẽpora, eumq; ſecuti plurimi, Auguſtinus, Beda, Comeſtor, Lyranus, Gobelinus, Marianus, Scotus, Driedo. At Sulpitius Seuerus retulit ad Artaxerxẽ Ochum, recentiorem Cambyſe annis plus minus centũ quinquaginta. Chriſtianus Maſſæus, & Gerardus Mercator maluerunt Darium Hiſtaſpis, eum qui Cãbyſi proximè ſucceſſit, ex equi hinnitu regnũ meritus,

IX. At

IX. At Genebrardus:Nabuchodonoſorem , cuius nomen in eo libro frequens,non alium intelligit,quam à quo Iudæi abducti ſunt in captiuitatem:hiſtoriam tamen accidiſſe ante vrbis templiq; exterminium.

X. Nouiſſimus Bellarminus poſtMelchiorem Canum,quibus acceſſit Gordonus,maluit referre ad tempora quæ captiuitatem Babylonicam præceſſerunt:aſſignato etiam Manaſſæ regno : non tamen ſatis certus de eius regni tempore,hoc eſt,ante durante captiuitate Manaſſis,an poſt eam. Salmero Epiſt.vlt.audacior,annos pacis illius profundæ poſt occiſum Holofernem,ſupputat ſtatim à liberatione Manaſſis,quod &Gordonus facit.

XI. Veruntamen,quantumcunq; laborarint viri ingenioſi,tamen in ijs ſententijs nulla eſt quæ poſſit conſiſtere.Primum omnib. commune mendacium Pontifex ſummus,ſiue Ioacim,vt in Græco contextu,ſiue Eliacim in Latino.Quod nomen nullum inuenitur in Pontificum ſerie,qui quidem inciderint in ea tempora.Nam ex 2.c.Eſdræ,habemus Ieſum Ioſedec tempore Cambyſis,& Darij Hiſtaſpis , quod annotauit iampridem Marianus Scotus.Nam quod hunc nodum ſoluit Driedo, ex Philonis Chronologia, Ieſum illum an.duodecimo Aſſueri,id eſt,Cambyſis,abijſſe in Babyloniam inde reducem anno Darij Longimani,primo,& eius abſentiæ tempore , id eſt,annis octo Ioakimum eius filium functum eſſe officio. Primum ſuſpectum eſt commentum autoris,quem iam omnes docti non Philonem ,ſed recentem impoſtorem accuſant ab Aniano haud pudenter ſubornatum. Deinde,quis pudor eſt non Pontificem,ſed Pontificis filium non conſtanter appellari Pontificem?Denique quid hoc ad editionem Latinam , quæ Ioakimum non magis nominet,quam Tragelaphum,ſed conſtanter Eliakimum.

XII. Tempore Ochi videtur Bellarmino fuiſſe vel Iaddus, vel Iaddi pater Ionatã Nec abſq; cauſa.Nam Iaddus in officio fuit tum cum Alex. magnus venit in Iudæam. Notatur a.initium Alexandri circa initia Darij Arſami filij quem præceſſit Arſes,annis quatuor,ſucceſſor Ochi.

XIII. A Salomone ad euerſionem Templi,quod temporis ſpatium continet ſecundam,tertiamq; ſententiam,nullus eo nomine Pontifex ſummus occurrit.Conſtat ex enumerationibus eius ſucceſſionis,quas tres profero. Primam ex c.6.prior.Chron *Achitob genuit Sadoc,& Sadoc genuit Achimaas Achimaas genuit Azariã: Azarias genuit Iohanan:Iohanan genuit Azariam: ipſe eſt qui ſacerdotio functus eſt in domo,quam ædificauit Salomo in Hieruſalẽ. Genuit a.Azarias Amariam:& Amarias genuit Achitob: Achitob genuit Sadoc & Sadoc genuit Sellum:Sellũ genuit Helciam:& Helcias genuit Azariã: Azarias genuit Saraiam:& Saraias genuit Ioſedec. Porro Ioſedec egreſſus eſt, quando trãſtulit Dominus Iudam & Hieruſalem per manus Nabuchodonoſor.* Altera enumeratio eſt Ioſephi Antiquitatum lib.10.c.10.hoc ordine,Sadoc,Achimaas Azarias,Ioram,Ioſuah,Axioram,Phideas,Sudeas,Iulus:Iotam,Vrias,Nerias,Odeas,Saldumus,Helcias,Sareas,Ioſadochus.Tertia ex Genebrardo in notis Chronicis ætate quinta.Sadoc,Achimaas.Azarias,Abimelec,Ioachas,Ioarib,Ioſaphat,Ioiada,Pedaias,Sedechias,Ioel,Ioathan,Vzias,Eſaias,Sellum,Helcias,Azarias,Seraias,Ioſedec. Viden' in his omnib. nullum eſſe aut Ioacim,aut Heliacim?

XIV. Atqui, *Viuebat*,(inquit) Bellarminus,*eo tempore*,nempe Manaſſæ, *Sacerdos magnus Heliacim,vt patet ex Chronologia Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani,qui enumerans Pontifices Iudæorum,inter Sobnam,qui fuit Pontifex tempore Ezechiæ,& Helciam,qui fuit tẽpore Ioſiæ.ponit Eliachim. Conſtat a inter Ezechiam,& Ioſiam interceſſiſſe Manaſſen.Conuenit etiam id cum lib.4. Reg.c.18.vbi Eliachim nominatur inter præcipuos ſacerdotes. Et magis etiam quadrat cum Prophetia Eſaiæ c.22.vbi prædicitur depoſitio Sobnæ impuri Pontificis,& exaltatio Eliachim in locum eius.*

XV. Reſpondeo,non debuiſſe Bellarminum omiſſa Scriptura ſectari Nicephorum,hominem ne Ioſepho quidem comparandum hac ſaltem in re, Tum a.Ioan.Camerarium,à quo hanc habemus Chronologiam,notaſſe, non eſſe eum numerum verum.Enimuero cum ab initio Salomonis,ad initium regis Achas,ſub quo Vrias vixit,numerentur anni ducenti ſeptuaginta nouem,toto tamen eo ſpatio quatuor nec plures ,Sacerdotes Nicephorus numerat,quod procul abhorret à veriſimili.Et ſane apud Ioſephum decem ſunt,apud Genebrardem 11.

XVI. Scripturæ a.citantur falſo ad probandum Sobnam &Eliachim fuiſſe ſummos Sacerdotes:quod illæ nuſquam dicunt. Apud Eſaiam Sobna Hebraicè שבנא appellatur: quam vocem Aben-Ezra explicat בות מל בות שהוא ממונה על *qui præfectus eſt domui regiæ* Kimchi in radicibus הפקיד הפקיד על האוצר *præfectus ærario*. Chaldæus Paraphraſtes trãſtulit פרנסא *principem*, Græcus interpres ταμίαν, *promum condum*. Quare quæ apud Eſaiã verba ſequuntur אשר על הבית male reddita ſunt Latinè, *præpoſitum templi* cum ſermo ſit de domo regia:neq; vnquam Scriptura appellet, aut templũ abſolute domum,aut ſummum Sacerdotem præfectum domui, vel etiam præfectum templi.Eadem ratione 2.Reg.Eliachim vocatur Hebraicè הבית אשר על à Latino interprete,præfectus domui:à Septuaginta ὁ οἰκονόμος.Depoſitio igitur Sobnæ ab Eſaia prædicta,non erat à Pontificatu ſummo, ſed a præfectura domus regiæ,quæ nihil pertinet ad rem noſtram.Quanquam peccat iterum Nicephorus,qui Eliachim facit filium Sellum , qui apud Eſaiam eſt filius Helciæ. Adde ſi Sobnæ Pontifici ſummo ſubſtitutus eſt Eliacim : ergo Sobna in ordine Pontificum, & quidem ante Eliacim. Vbi id autem?quo autore?qua in enumeratione?Denique depoſitio ſummi Pontificis,quid habet veriſimile?aut quo nititur exemplo ? Nam ex lege certus erat ſucceſſoris ordo.

XVII. Secundum mendacium. Cap 5.Holophernes,cum præter ſpem Iudæos videret armatos,*Dicite mihi*(inquit)*quis ſit populus iſte,qui montana obſidet:aut quæ,& quales & quantæ ſint ciuitates eorum,aut quæ ſit multitudo eorum:vel quis rex militiæ eorũ*.Quæ verba eius ſunt hominis,cui prorſus erat incognita ea natio. Quod multo magis apparet ex Achioris oratione, quæ ab ipſo,vt aiunt,ouo totam Iudaici populi ſeriem explicat Quis credat a.ignorari potuiſſe a Perſarum principibus ſub Cambyſe,&Dario:quorum ille Iudæos detinuit captiuos,hic liberauit?Ochus Artaxerxi ſucceſſit Mnemoni annis circiter ſexaginta poſt Longimanum , cui cognitiſſimus Nehemias:quod ſpatium non fuit tãtum,vt in tanto regno venerint prorſus in obliuionem res Iudaicæ.Vt taceam,Gordono videri hunc Ochum fuiſſe,in cuius tempora incurrerit hiſtoria Eſter,Sulpitio autem eius deceſſorem.De Nabucodonoſore quid dicam?cuius pater Ioachimum regem captiuum victum Babylonem deduxerat, conſtituto in eius locum Sedecia? Merodacus a.quem nobis Bellarminus ſubſtituit, ante Manaſſen amicus fuerat Ezechiæ regi eius patri:ad quem legatos miſerat gratulatum reſtitutam ſanitatem:quibus Ezechias in ſignum ſummi amoris oſtenderat quæcunq; in theſauris erant Et ducibus Merodaci credat quiſquam incognitum fuiſſe Ezechiæ filium Manaſſen:vel ante captiuitatem ? Multo certè minus ſiue captiuum,ſiue liberatum.

XVIII. Vſus erat hoc argumento Bellarminus contra priores ſententias:ſed in ſua diſſimulauit egregiè.At Gretſerus audacior interpretatur per figuram Rhetoricam, quæ Communicatio dicitur, cum is qui rem perfecte habet cognitam,interrogat tamen. Sic Deum ipſum Gen.3. *Adã vbi es?* Et, *Quis indicauit tibi,quod nudus eſſet?* Et, *Quare hoc feciſti?* Et 4. *Quare iratus es,& cur concidit facies tua* ?Et alia plurima.Eſſe igitur hanc Holophernis interrogationem,non ignorantis,ſed admirantis,quod ſibi aliquis auderet obſiſtere.

XIX. Sed Communicationis Rhetoricæ nullus hic locus eſſe poteſt.Hæc enim non ſolet expectare reſponſum , quale hic ſubijcitur per particulas. Habes Communicationis exemplum Act.5. *Anania,cur impleuit Satanas cor tuum,vt mentireris in Spiritum Sanctum,& interuerteres ex pretio iſtius prædij? Nonne ſi ſeruaſſes,manebat tibi,& venundatum in tua erat poteſtate? Quid erat cur induceres in animum rẽ iſtam?* Quib.dictis,nullo expectato reſpõſo , ſubijcitur. *Non es mentitus hominib.ſed Deo.* Similiter paulo poſt ad Sapphirã, *Quid eſt,cur conuenerit inter vos,vt tentaretis Spiritum Domini? Ecce pedes eorũ qui ſepelierunt virum tuũ ad oſtium adſunt,& efferent te.* Hæc vera eſt Communicationis illius natura.Quam aliena Deus bone ab iſto exemplo?Nã in eo expreſſa deſcriptio eſt conuocati conſilij, *Vocauitq; omnes principes Moab & duces Ammon.* Audis conuocatos?Lyranus. *Iſti habitabant prope Iudæam, propter quod de ſtatu Iudæorũ melius dicere poterant veritatẽ.* Et vero ad cõuocatos nulla eſt longa oratio,ſed hoc vnum obiectũ, ζήτημα,cui ſatisfaciendum eſſet.Enimuero quæ ex Geneſi repetuntur exempla ,nihil habent cõmunicationi ſimile,aut huic Holophernis interrogationi.Interrogabat Deus reos,vt ex eorum reſponſis condemnaret.Oportuit ad hanc formã Holopherni conuocatos eſſe Iudæos,non a.υἱοὺς Χαναὰν *filios Chanaan.* Admirationem equidem nullus negauerim,ſed hæc cognitionem non infert : imo oritur potius ab ignorantia.

XX. Tertium mendacium commune eſt primæ,tertiæq; ſententiæ.Cum rex ille qui Holophernem miſit cum exercitu Nabucodonoſor appellatur. At hicijs temporibus nullus inuenitur. Nam prima ſententia Perſarum Reges nominat,quos nuſquam hoc nomine nũcupatos rectè Bellarminus notauit,ſiue in ſacra,ſiue in prophana hiſtoria:quod nomen eſſet Babyloniorum Regum.Quin etiam horum primus ſic notatus,pater fuit illius Nabucodonoſori qui Sedechiam abduxit,cuius initia notantur ab Hiſtoricis itidem cum initijs Ioſiæ,annis tribus poſt defunctum Manaſſen. Vidit hoc incommodum Sulpitius, *Nullum*(inquit) *hoc nomine poſt captiuitatem apud Perſas regnaſſe comperio:niſi ſi ob impatientiam & pariles conatus ,quicunq; ille rex Nabucodonoſor à Iudæis vocatus eſt.* Sed hanc coniecturam quis probet in hiſtorico,& quidem ſerio.Æquali vanitate Bellarminus in Merodac Baladam ſuſpicionem deriuat.Quis igitur finis?

XXI. Quartum mendacium.Rex ille Nabucodonoſor bellum geſſit cũ Arphaxad rege Medorum qui imperio ſuo multas gentes ſubiecerat :ædificauerat Ecbatana Hunc prælio vicit,imo, ſi Græcis fides,cepit, confixit iaculis.At hic quis fuerit oſtendi non poteſt. Certe Medorum nullum regẽ indicare poſſunt autores primæ ſententiæ.Nam Cyrus,qui ante Cambyſen fuit Imperium tranſtulit à Medis ad Perſas.Tempore a. Nabucodonoſoris magni,regnabat apud Medos Cyaxares,annos quadraginta ; quem nemo ſuſpicatus eſt fuiſſe Arphaxad:Imo ne quidem potuit. Nam quia aſſignatur initium Nabucodonoſoris an. octauo Cyaxaris.Et an.duodecimo Nabucodonoſor dicitur viciſſe Arphaxad:conſequens eſſet Cyaxarem regnaſſe annos viginti ad ſummum,cui tamen alij quadraginta adſcribunt,quib. accepit Gordonus,alij duos & triginta.

XXII. Supereſt Bellarmini coniectura,qui hoc maxime fretus eam viam inſtitit,vt aſſereret Arphaxad fuiſſe Dioclem,ſiue Deiocem :quem Euſebius in Chronico teſtatur regnaſſe temporibus Manaſſæ, & ædificaſſe Ecbatana. Sed huic obſtat temporum ſupputatio.Quod vt fiat manifeſtum, notanda ſunt initia Merodaci &Dioclis.

XXIII. Euſebius,cuius autoritate Bellarminus innititur,Dioclis annũ primum refert ad quartum Manaſſæ,quem ſequuntur Gobelinus Perſona & Naucletus. Sed Funccius ad annum Manaſſæ quidem vndecimum;Merodaci vero decimum quintum.Gordonus ad Manaſſis decimumtertium. Genebrardus ab his omnibus procul recedens ,initium eius refert circa initia Ammonis , finem vero producit ad tempora Ioakimi , multo ſerius. Hæc omnia Bellarminus diſſimulauit ſatis Ieſuiticè. Iam Merodac collegit regnare cœpiſſe tertio anno Manaſſæ,ex coniectura : quia poſt Sennacheribum,& ſub finem Ezechiæ patris Manaſſe,regnarit Aſſaraddon , quẽ ſequutus Merodacus:Cæterum initium certum negat ex vllo probato autore habere potuiſſe.

XXIV. At hæc Bellarmini arguunt non religioſam conſcientiam,aut nimiam in hiſtorijs negligentiam.Certe recentiores Chronologi poterãt iuuare. Funccius primum annum Manaſſis notat ad quintum Merodaci. Maſſæus diſertè, *Anno*(inquit)*viceſimoquarto Ezechiæ regnare cœpit Aſſyrijs ait Metaſthenes in libro de cenſura temporum.* Et in Manaſſe , *Anno triceſimo ſexto Babyloniæ regnare cœpit Ben-Merodac*,ſucceſſor videlicet Merodaci patris.Deniq; Genebrardus cum lib.1.Manaſſen notet annũ mundi ter milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum nonum ,lib.de hinc 2. Merodacum adſcribit anno ter milleſimo quadringenteſimo ſexageſimoquarto.Quare his indicib.Merodac regnabat annos quatuor,cum cœpit regnare Manaſſes,quem tamen Bellarminus vult regnare annos tres:cum regnare inciperet Merodac:qui μεταχρονισμὸς eſt annorum ſeptem.

XXV. Chronologorum ſententiam confirmat ſupputatio ex autoritate Scripturæ.Etenim ſecundi Reg c.20.& Eſa. 39.narratur Ezechiæ patri Manaſſæ periculoſe ægrotanti promiſſos eſſe annos poſt reſtitutam ſanitatem quindecim.Merodacum iam tum regem Babylonis accepto nuncio de eius conualeſcentia miſiſſe legatos gratulatum. Quare ſi ad annos illos quindecim addas ſaltem vnum,conficietur Merodacum Babylone regnaſſe

gnasse annis sexdecim ante Manassen Hierosolymis defuncto patre Ezechia. Sed n. Chronographi Merodaci annos putant ex quo regnum vsurpauit Assyriorum: ideoq; detrahunt duodecim: testib. Funccio, Anselmo Ryd, Genebrardo, atq; alijs. Ita fiunt anni quatuor residui postremi Ezechiæ. Rursus Nabucodonosor primus, añum primum regnandi habuisse dicitur eundem cum Iosia rege Iudæ, ante quem regnauit Ben-Merodac añum vnum supra viginti: quib si addas patris Merodaci años quadraginta: quib. imperauit Assyrijs, redibit summa añorum vnius & sexaginta. Iam vero ante Iosiam regnauit Amon años duos, quos si addas annis Manassæ patris quinquaginta quinq; fiet summa quinquaginta septem, quib. additis quatuor vltimis Ezechiæ, summam efficies, quã prius. Tertio. Señacherib. año Ezechiæ decimoquarto obsedit Hierusalem: vnde redux fugiens Angelum destructorem, a filijs occiditur. Successit Assaradon añis decem: itaq; eius postremus añus fuit, annus Ezechiæ vicesimus quartus. Successit Assaradoni Merodac: hic itaq; regnauit años quatuor ante Manassen.

XXVI. His positis mendacium fit manifestum. Nam in Iudith, Arphaxad debellatur anno Nabuchodonosoris duodecimo: qui añus si numeretur ab exordio regni Babylonici, incidet in quartum ante Manassen, ante Dioclem 8. iuxta Eusebium, decimum quintum iuxta Funccium, sexagesimum iuxta Genebrardum. Sin autem supputationem instituas ab imperio in Assyrios, tum añus duodecimus incidet in Manassæ octauũ: id est, ante Dioclem iuxta Funccium añis tribus, iuxta Genebrardum quadraginta octo. Quæ quidem omnia sunt absurdissima. Iuxta Eusebium autem incidet in annum Dioclis quartum. Qui autem fieri potest, vt año suo quarto spoliatus fuerit regno vitaq;, qui tamẽ dicitur regnasse años quinquaginta duos, Eusebio, saltem quadraginta Herodoto, teste Gordono? Hæc Bellarmino fuerant expendenda.

XXVII. Quintum mendacium. Ad finem historiæ, ἐγήρασεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἑκατὸν πέντε ἔτη. Et paulo post, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἐκφοβῶν τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ἐν ταῖς ἡμέραις Ἰουδὴθ καὶ μετὰ τὸ ἀποθανεῖν αὐτὴν πολλαῖς ἡμέραις. Latine, *mansit in domo viri sui annos centum quinq;. In omni a. spatio vitæ eius non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis.* Hæc vero sunt eiusmodi, vt nulla supputatione conciliari possint cum Historiæ veritate. Ac primũ quidem, si verbis hæreamus mordicus, cum Græcis, tum præcipue Latinis, erunt añi illi centum quinq;, non totius vitæ, sed solius viduitatis. Quod & visum Sixto Senensi, *Vixit* (inquit) *Iudith, Philone teste, annos centum viginti quinq;, ex quib. centum quinq; annis post liberatam à se patriam in sancta viduitate perseuerauit.* Qua ratione, si addas años quindecim pacis post eius mortem, anni futuri sunt centum viginti profundæ continuæq; pacis in Israele Quos nemo est, qui neget non posse constare. Quare hac parte nostra prorsus causa superior est. Quo n. iure deijciẽt nos de litera? Nã quod Gordonus, textum nescio quem emendatiorem citat, asserentem mortuam ætatis anno quinto, viderit vtrum Iesuiticè dixerit. Certè nulla dum talis edita est, ne Sixtinorum quidem bibliorum.

XXVIII. Concedamus aliquid tamen de nostro iure: permittamusq; vt nõ tam interpretentur, quam errorem corrigant sui codicis, quod fieri non debet in libro canonico. Demus años numerari non viduitatis, sed vitæ: atque ita cedamus totis annis viginti, vt sint viduitatis octuaginta quinq;, relinquẽtur adhuc añi centum pacifici: qui demonstrari nullo modo possunt. Et quidem omniũ minimè si sequamur Genebrardum. Nabuchodonosor n. año suo decimo octauo excidit Hierusalem. Quare si accidit historia anno eius decimo tertio, anni fuerint pacifici quinq;, viderit que Iudith ipsa suam pacem captiuitate mutatam. Quid? quod Genebrardus ipse notat statim post eam cædem, Nabuzardanum missum aduersus Iudæos? Toto etiã Cambysis tempore Iudæi captiui fuerunt impedito effectu libertatis concessæ à Cyro, ad annum vsque Darij secundum.

XXIX. Sin a. imus ad Darium Hystaspis: constat Iudæos semper in potestate fuisse regum Persarum, adeo vt Nehemiam oportuerit veniam postulare ab Artaxerxe ædificandæ ciuitatis, vt patet ex Nehemiæ 2. prohibitum tamen paulo post à Samballat, c. 4. Sunt a. ab initio Darij ad initium Artaxerxis, añi duntaxat quinquaginta sex: vnde ablatis tredecim, reliqui fiunt quadraginta tres. Quod si magis placet Ochus, cum constet à decimotertio eius año ad vltimum Alexandri Magni, annos esse tantum quadraginta quinque, & Alexandrum expeditionem suscepisse in Iudæam: patet ne hac quidem via constare posse longissimam illam pacem.

XXX. Superest Bellarmini sententia: Si incidit añus Merodaci decimus tertius in Manasse nonũ, mors igitur Holophernis acciderit ante Manassæ captiuitatem, quam Bellarminus constituit ad eius añum decimumsextũ. Quare añi tantum septem restarent pacifici. Sed demus erratum fuisse in numeris, accidisseq; hæc negotia post Manassis captiuitatem: at certum est desijsse pacem Iudæorum anno vltimo Iosiæ, qui occisus à Pharaone Necone rege Ægypti. Sunt a. ab initio Manassæ ad hunc Iosiæ interitũ añi non plures quam octuaginta octo: quorum quinquaginta sunt Manassis: duo Amonis, vnus & triginta Iosiæ,

XXXI. Sed ab ea summa detrahendum quidquid Manassis fuit adusq; hanc Holophernis necem. Quantum id fuit? Non habemus in Scriptura notatum añũ abducti Manassis: sed Chronologia Iudæorum maior, quam Latinè edidit, & sequutus est Genebrardus, abductum docet año sui regni vicesimo secundo Marianus Scotus añis quinq; serius. Kimchi, teste Genebrardo, nouissimos duntaxat quindecim concedit resipiscentiæ: cuius autoritati si deferamus, captiuitas erit producenda ad vsq; añum quadragesimum. Ita fient à libertate ad finem pacis añi quadraginta octo: aut paulo plus? Nec tamen fiet verisimile ipso liberationis año hostiliter Merodacum inuasisse id regnum, cuius regem libertate recens donaret. Ne multis quidem post añis: quandoquidẽ Holopherni populus fingatur ignotus. Quare nullo modo constare potest numerus centum añorum pacificorum: imo ne tantus quidem, vt vitam ipsius liberatricis excesserit.

XXXII. Hic Sophistæ miri sunt. Bellarminus describit spacium ab Holopherne cæso, ad obitum Iudith nõ maius esse annorum sexaginta quinque. His addit años septem post eius obitum: sic colligit años septuaginta duos profundæ pacis. Hos fluere à Manassis captiuitate, ad primum Ioachazi. Eam captiuitatem incidisse in decimumsextum Manassis. Nam sic triginta nouem Manassis, duos Amonis, vnum & triginta Iosiæ, dare summã septuaginta duorum. Gordonus Iudith anno suo quinquag. Holophernem occidisse: superstitem ei años quadraginta septe viginti fuisse eam pacem post eius obitum: adusq; captiuitatem cam. Quare totam pacem fuisse annorum sexaginta septem.

XXXIII. Sed in his multa merito reprehenduntur Primum, quo centum quinq; asseruntur non viduitatis, sed vitæ: quod nos quidem p tuimus gratis concedere: sed non illi quasi suo iure assumere. Sed, *sic* (inquit Bellarminus) *intelligi debet quod habetur de numero annorum Iudith in fine libri, vt clarius colligitur ex textu Græco.* Imo (inquam) non debet. Verba n. contra sunt Latina, *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinq;* Alioquin sequeretur mansisse in domo viri iam inde à prima natiuitate, quod absurdissimum. Verba a Græca sunt, ἐγήρασεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἑκατὸν πέντε ἔτη. *Consenuit in domo viri sui, centum quinq; annis*, quæ eundem sensum efficiunt, nisi penitus ineptè scripta sunt. Itaq. non tantum Sixtus Senensis, sed etiam Stapletonus consentit.

XXXIV. Secundo, quis ferat Iudithæ tribui años quadraginta, aut etiam quinquaginta cum Gretsero, aut deniq; quinquaginta octo cum Gordono? Nam historia describit eximiam forma, θαυμασία τῷ κάλλει σφόδρα, *impense mirabili pulchritudine*, c 10. sed etiam 12. puella appellatur: & quidem à Bagoa Eunucho earum rerum haud ignaro, Μὴ ὀκνησάτω δὴ ἡ παιδίσκη ἡ καλὴ αὕτη ἐλθοῦσα πρὸς τὸν κύριόν μου, *Ne vereatur bona puella introire ad Dominum meum.* Vt Gen. 34. Dina filia Iacobi, *Dixit Sichem ad Hemor patrem suum, his verbis, Accipe mihi puellam hanc in vxorem.*

XXXV. Hunc nodum soluit Bellarminus, ea ætate adhuc potuisse esse pulcherrimam, iudicariq; ab Assyrijs puellam propter incredibilem pulcritudinem. Addit Gretserus potuisse esse pulcherrimam partim naturali, partim diuinitus indita forma. Nam ne nunc quidem esse insolens. Consueuisse a. puellas appellari mulieres, ab eis qui blandiri volunt: atque adeo ipsam Iudith appellasse seipsam παιδίσκην per demissionem.

XXXVI. Ast ego, non negauerim conseruari potuisse pulchritudinem: sed suo modo: hoc est, nõ absolute, vt fuerit omnium omnino pulcherrima: sed κατά τι, nempe pro ætate. Quomodo habemus, Genes. 12. Saram pulchram. *Noui*, inquiebat Abraham, *quod pulchra sis mulier.* Cyrillus Glaphyrorum 3. eo cap. quod est de Abraham & promisso Isaac, γυνὴ ἦν τὴν ὥραν ἐκπρεπεστάτη, καὶ λίαν εὐπρόσωπος, *mulier erat ætate elegantissima, & formosissima*, sed mirabilem fuisse eius formam non legimus. Itaque hic miracula Sophistæ coguntur comminisci, quæ in promptu habent semper, vt non sæpius olim in scena, Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Otiose: vnde enim probant? Nam quod ex c. 10. proferunt, contulisse illi Dominum splendorem, primo miraculum nullũ designat: nam Deus confert etiam naturalem formam. Deinde Græce est aliter, ἐκαλλωπίσατο σφόδρα εἰς ἀπάτησιν ἀνδρῶν ὅσοι ἂν ἴδωσιν αὐτήν, *Ornata est valde in deceptionem virorum, quicunq; vidissent eam:* quæ verba non vllum Dei miraculum, sed magnum ingenij muliebris artificiũ notant.

XXXVII. Solere, quæ annorum sunt quinquaginta, videri pulcherrimas, forte verum: sed in aulis, vbi varijs artibus etiam edentulæ formam mentiuntur: Sed mulierem pietatis austeræ, viduam, defunctique mariti desiderio tabescentem, magnum aliquid præstent Iesuitæ, si nostri seculi persuadeant Bagois, eas esse regum delicias.

XXXVIII. Puellas appellari mulieres ab adblandientibus, haud ita difficile crediderim affirmantibus Iesuitis: sed à Bagois appellari, & apud principes, quibus non nisi ob exquisitissimas voluptates subministrandas, sunt grati, vix credent qui aulicos mores norint. Nam quod se ipsa παιδίσκην dixerit, facile vident, non ætatem aut formam laudasse, sed conditionem professam esse, quasi famulam principis, quod nomen etiam decrepitas deceat.

XXXIX. Tertio, captiuitas Manassis, audacius, quam solidius confertur in annum decimum sextum. Cur enim? *Constat* (inquit) *initio regni eam captiuitatem incidisse.* Constat? vnde autem? *Iosephus annotauit lib. 10. antiquitatum c 5.* Imo Iosephus profecto nihil habet eiusmodi: nec magis quam Scriptura tempus designat huius captiuitatis. At quanta Iesuitæ autoritas est, vt eius nudis coniecturis abduci nos patiamur ab ijs autoribus quos paulo ante citaui?

XL. Gretserus arripit illud, Iosephi, νέος ὤν. Notat enim Iosephus filium Manassis imitatum esse patris nequitiam, οὗτος (inquit) μιμησάμενος τὰ τοῦ πατρὸς ἔργα, ἃ νέος ὢν ἐκεῖνος ἐτόλμησεν, ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τῶν ἰδίων οἰκετῶν, ἀπέθανεν, *Hic imitatus opera patris, quæ iuuenis cum esset, aggressus erat, insidijs suorum occidit.*

XLI. Respondeo, his abuti Gretserum Iosephi verbis. Primo enim, significari initia regni, quæ Bellarmino opus erant, nihil est quod cõgat. Nam νέος Græcis, & Latinis iuuenis, totam illam ætatem designat, quæ prætergressa pueritiam senectutem pertingit, apta Veneri, bello, rebusque gerendis. Aristoteles c. 11. ad Nicomachum, 3. Πᾶς γὰρ ἐπιθυμεῖ ὅταν ἐνδεὴς ξηρᾶς ἢ ὑγρᾶς τροφῆς. ὅτε δ' ἀμφοῖν καὶ εὐνῆς φησιν Ὅμηρος, ὁ νέος καὶ ἀκμάζων. *Cõcupiscit cũ indiget quisq; succi, humidiue cibi, vel vtriusq; & concubitus, vt (inquit Homerus) videliet iuuenis & vigens.* Lycurgus apud Plutarchum τοὺς γέροντας iubet dicere ἄμμες πόκ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι, *Nos olim fuimus robusti iuuenes.* Augustinus de tempore sermon. 237. *Qui pueri venerunt prima hora se adductos putent: qui adolescentuli tertia: qui iuuenes sexta: qui grauiores nona: qui decrepiti, vndecima.* Ordinem nota. Iuuenes medij: post pueros & adolescentes: ante senes & decrepitos. Appianus Ibericis ἐπέμφθη Κάτων νέος ὢν πάμπαν, *missus est Cato*, videlicet in Hispaniam ad bellum gerendum, *prorsus adhuc iuuenis.* Liuius passim ex iuuentute conscriptos exercitus narrat: Et disertè lib. 3. Decad. 1. *Quicunq; ætate militari essent armati cum cibarijs in dies quinq; coactis, vallis duodenis, ante Solis occasum Martio in campo adessent: quibus ætas ad militandum grauior esset vicino militi, dum is arma appararet, vallumq; peteret, cibaria coquere iussit. Sic iuuentus discurrit ad vallum petendum.* Audin' manifeste iuuentutem ætatem militarem? Oecumenius in 1. ad Cor. 7. Νεανίας ὢν ἔτι τῆς κλήσεως ἠξιώθη. *Cum esset adhuc iuuenis, vocationis honorem accepit:* de Paulo loquitur ad Apostolatum vocato.

XLII. Verum id, opinor, neque difficile, neque obscurum. Vtilius termini iuuentutis inquirentur. Atq; initium quidem non ambiguum ab extrema pueritia, primaque pube, circiter annum decimumquintum.

Liuius

Decad. 3 lib.1. *Auxit pauorem consulis vulnus periculumq́, intercursu primum pubescentis filij propulsatum. Hic erat iuuenis, penes quem perfecti huius belli laus est.* Lib.5. *Filium Gala Masanissam habebat septem & decem annos natum: caterum iuuenem ea indole, vt iam tum appareret eius regnum opulentius, quam quod accepisset facturum.* Tacitus Annal.3. *Neronem è liberis Germanici iam ingressum iuuentam.* Et post: *Germanici stirpem iam puberem.* Octauius Diui Iulij filius, annos octodecim, cũ cæsus Cæsar, νέος vocatur apud Plutarchum, ὁ νέος ἀφικνεῖται Καῖσαρ εἰς Ῥώμην, *Iuuenis Cæsar Romam aduentat.* Sic Halicarnasseus lib.2. agens de Romulo, Νέος δὴ παντάπασιν ἔτυχε τῆς ἡγεμονίας, ὀκτωκαιδεκαέτης, *admodum iuuenis ad principatum euectus est natus annos octodecim.* Nec opinor probandum plurib. quod neque vllus, quod sciam, vocat in controuersiam: neque nobis tanti est. Tantum noto hoc ipsum pubis initium, adscribi interdum pueritiæ. Liuius Decad.3. libro 4. puerum vocat Hieronis filium, *qui erat quindecim tum ferme annorum:* quem tamen statim iuuenem dictitauit Andronodorus.

XLIII. Ab hoc initio quantum spatium? Nam id maioris ad rem nostram momenti. Isaacus Casaubonus exercitat. 35. in Apparatum Baronij, docuit νέον & νεανίαν porrigere se supra annum tricesimum. Vere: sed auariter: Certum enim etiam vltra quadragesimum: denique ad quinquagesimum vsque, id est senectutis limen. Hannibalem tradunt anno ætatis sexto & vicesimo factum Imperatorem, & notauit Acciaiolus in eius vita. De eo, sic anno apud Liuium 1. Decad. 3. *Hunc iuuenem furiam, facemq́, huius belli odi ac detestor:* annis tamen minimum duobus post imperium acceptum: obsidebat enim Saguntum post subactos Olcadas, Vaccæos, Carpetanos. Quin anno post, iamque superatis Alpibus, Scipio Scipionis Africani pater, *Furiosum iuuenem* nominat anno ætatis vndetricesimo, aut circiter. Nam gesto in Italia bello annos octodecim redijt in Africam: anno ætatis quadragesimo quinto apud Polybium lib.16. Gregorius Nissen[9] in vita Macrinæ, Naucratium describit anno ætatis vicesimosecundo transisse πρὸς τὸν μονήρη καὶ ἀκτήμονα βίον, ad vitam monasticam, & in ea peractis annis quinque, denique mortuum: οὐδενὸς τῶν συνήθων καὶ γνωρίμων ἐπαγαγόντος τῷ νέῳ τὸν θάνατον, *nullo consueto cognitoque casu iuueni mortem inferente.*

XLIV. Hanc vero ætatem, vt non procul abesse scias ab initijs iuuentutis, aut certè procul ab initio senectutis. Non tantum Scipio Africanus qui Annibale ingresso Italiam tum primum pubescens dictus à Liuio, idem lib.2. Decad. 3. dicitur *admodum adolescens. Omnium consensu* (inquit Liuius) *ad P. Scipionem admodum adolescentem & ad App. Claudium summa imperij delata est.* Sed etiam apud Appianum Ibericis, Κορνήλιος ὁ Σκιπίων, νέος μὲν ὢν κομιδῇ, τεσσάρων γὰρ καὶ εἴκοσιν ἐτῶν ἦν, *Cornelius Scipio iuuenis erat admodum: quatuor enim & viginti annorum erat.* Admodum (inquit) iuuenis: qui tamen propius aberat à trigesimo, quam à pubis initio. Imo adeo vt magis noris annum trigesimum longe abfuisse à senectute, obserua dictos ea ætate viros, valde iuuenes, κομιδῇ νέους. Habes apud Polybium lib.15. Scipionem illum ab Hannibale audientem κομιδῇ νέον, pridie eius diei cum Carthaginenses vicit postremo prælio. Et libro 17. de Tito Flaminio: Νέος ἦν κομιδῇ· πλείω γὰρ τῶν τριάκοντα ἐτῶν οὐκ εἶχε, *inuenis admodum erat: nam annorum triginta maior tum non fuit.* Quæ sanè phrasis absurdissima, si is annus esset iuuentutis aut extremus, aut prope extremum.

XLV. Sed hæc deinceps disertiora, Liuius lib. 40. *Perseus iam tricesimum annum agens: Demetrius quinquennio minor: medio iuuenta robore ille hic flore.* Irenæus lib.2.c.39. *Triginta annorum ætas, prima indolis est iuuenis: & extenditur vsq; ad quadragesimum annum.* Liuius 1. Decad. libro 9. Alexandrum non tantũ iuuenem dicit, *Non intelligunt,* (inquit) *se vnius hominis res gestas: & eius iuuenis, cum populi iam octingentesimum bellantis annum conferre:* sed etiam adolescentem mortuum, *Adolescens in incremento rerum nondum alteram fortunam expertus, decessit,* qui tamen annus eius fuit ætatis tricesimus tertius: si quidem anno vicesimo regnum à patre suscepisse testatur Plutarchus: rebus autem ab eo gestis ætatem annorum tredecim assignat idem Liuius. Apud Tacitum Annal. 2. cum Germanicus dixisset, se *intra iuuentam præmaturo exitu rapi,* paulo post ipse Tacitus comparans Alexandro, *vtrumq́, haud multum triginta annos egressum, suorum insidijs* occidisse. Rursus Liuius Decad.4. lib.3. *Erat trium ferme & triginta annorum.* Consul Flaminius, *& cum robur iuuenta, tum gaudium ex tam insigni gloria fructu vires suppeditabant.* Apud Plutarchum Philopœmen anno tricesimo μειράκιον dicitur. Eidem Plutarcho Pompeius dicitur annorum trium & viginti, cum ad Sullam venit coacto exercitu Consl. Cn. Aufidio Oreste, P. Cornelio Lentulo Sura, ast sedecim post annos, ideoque anno ætatis vndequadragesimo Consl. C. Calpurnio Pisone M. Acilio Glabrione, missus ad bellum Pyraticum, ipse sese iuuenem appellauit apud Dionem Cassium lib.36. cum apud populum id oneris quasi deprecaretur, μὴ γὰρ ὅτι νέος ἔτ' εἶναι λογίζεσθε, *Neq; id vos attendite, me esse iuuenem.* Dionysius Halicarnasseus extremo lib.2. ἡγεμονίαν τὴν Ῥωμαίων παραλαβεῖν ἠξιώθη νέος ὤν, *Regnum Romanorum iuuenis adeptus est* Numa. Quo ergo ætatis anno? Βιώσας μὲν ὑπὲρ ὀγδοήκοντα ἔτη, βασιλεύσας δὲ τρία καὶ τετταράκοντα, *Excessit annum vitæ octogesimum, regnauit quadraginta tres,* fuit ergo iuuenis anno duodequadragesimo, vel amplius.

XLVI. Itaque nihil est quod cuiquam mirum videatur: quod Actor. 7. Paulus Νεανίας dicatur, qui tamen paulo post ab Anania cap. 9. vir: Et quidem computante Baronio, Anno trigesimo sexto, annorum triginta quatuor. Quanquam hinc cum Baronius, tum Lorinus occasionem sumsit, τὸν νεανίαν interpretandi metaphoricè, validum, robustum, ac audacis, strenui, acrisque spiritus hominem: quasi aliter non possent conciliari Vir & Iuuenis. Cum tamen certum sit & viros esse eos, qui attigissent annum tricesimum: & tamen iuuenes aliquot post quadragesimum. Simile exemplum lege apud Halicarnasseũ lib 9. vbi Publius Volero appellatur νεανίας καὶ ἐρρωμένος ἀνήρ, *vir ætate ferox & viribus.* Et paulo post νεανίσκος.

XLVII. Ne tamen istum quis putet iuuentæ summum terminum: Halicarnasseus lib.4. docet Tullio rege instituẽte discretos fuisse τοὺς ὑπὲρ τετταράκοντα καὶ πέντε ἔτη γεγονότας ἀπὸ τῶν ἐχόντων τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν, *eosqui superassent annum quintum & quadragesimum, ab ijs quibus esset ætas militaris* quam ætatem solenne fuit iuuentutem appellari. Sed & Liuius libr. 3. 5. Dec. cum Coss. questi essent ad delectum vocatos Iuniores non respondere, narrat Censores præter commune omnium ciuium iusiurandum hoc addidisse, *Tu minor annis sex & quadraginta es, tuq́, ex edicto C. Claudij, Tib. Sempronij Censorum ad delectum prodito: & quotiescunq́, delectus erit, quem hic Censores magistratum habebunt, si miles factus non eris, in delectu prodibis.* Æschines contra Timarchum, cum vocem præconis expressit Τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων. *Quis vult concionari, qui quidem annos quinquaginta sit supergressus?* Et post hos reliquis licuisse promiscuè in medium prodire, rationem instituti reddit, vt priores partes concederentur ijs, qui prudentia præstarent, ἅμα δὲ καὶ τοὺς νέους διδάσκει αἰδεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους, καὶ πάνθ' ὑστέρους πράττειν, καὶ τιμᾶν τὸ γῆρας, *Simul etiam doceret reuereri seniores, omniaq́, facere post eos, atq́, in honore habere senectutem.* Vbi vides τοὺς νέους dici, qui non superassent annum quinquagesimum. Quid plura? Plutarchus disputans vtrum seni sit gerenda respublica, senum exempla nulla recensuit non supra eum annum: atque adeo minimo nàtu Sophoclem annis quinque superiorem, Ὠιδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν πέντε καὶ πεντήκοντα, *Sophocles Herodoto oden composuit annos natus quinq́, & quinquaginta.*

XLVIII. Quid ergo promouit aut Bellarminus aut Gretserus? Nam quæ scelera Manasses admisit ante annum quinquagesimum, dici potuit à Iosepho iuuenis fecisse. Inchoauit autem regnum puer anno duodecimo, produxit ad quinquagesimum quintum, id est, ætatis sexagesimum septimum, cum annos septendecim fuisset senex. Agnosce ex simi ibus locis. Taciti Annalium 6. de L. Vitellio, *Bona iuuenta senectus flagitiosa obliterauit.* At cuius iuuentæ? Audi, *Regendis prouincijs prisca virtute egit.* An prouinciæ tradebantur regendæ adolescentib. annorum sedecim? Apage absurdum. Consul enim rexerat teste Suetonio in eius vita. Sed & prouincias: non prouinciam. Et in ea republica, in qua necesse fuit Scipionem natum annos viginti quatuor, legibus solui. Apud Appianum Mithridatis Fimbria senator additus Flacco misso in Asiam viro ἀπειροπολέμῳ, *rei militaris imperito,* ἀνὴρ πιθανὸς εἰς στρατιάν, *vir non contemnendæ autoritatis apud milites.* Is Fimbria Sullam rogauit συγγνώμης τυχεῖν, εἴ τι νέος ὢν ἐξήμαρτεν, *veniam si quid peccasset per ætatis imprudentiam,* id est, ad verbum *Si iuuenis peccasset.* Cur non æque nos Iosephi mentem exprimamus in Manasse, mala iuuentæ senectutem religiosam obliterasse: obtinuisse veniam eorum quæ admisisset iuuenis: & iuuentam tamen porrigamus longe vltra annum decimũ sextum, id est, primam pubem, quæ exiguo spatio, vix etiã nomine distet a pueritia? Incogitanter ergo Sophistis placuit initium regni Manassis: incogitanter annus ætatis pubescentis, qui multo serius sumi potuit: imo debuit.

XLIX. Enimuero quis est tam bardus, tam stipes, vt non aduertat eo loci Iosephum non de captiuitate loqui, sed de sceleribus Manasse? At Bellarmino non scelera, sed captiuitatem opus esse? Quid ergo ad rem? Etenim certum prius fuisse nequam, post captum: & quidem multo prius nequam. Id scies, si attendas Dei μακροθυμίαν, in illum præsertim populum: si addas prophetas missos. Meminit enim Iosephus, Λαβὼν δὲ ὀργὴν ἐπὶ τούτοις ὁ Θεὸς πέμπει προφήτας πρὸς τὸν βασιλέα καὶ τὸ πλῆθος, Super istis iratus Deus, mittit Prophetas ad regem & populum. Quin etiam scelera ipsa pondus habent, Ἀπὸ τῆς εἰς Θεὸν καταφρονήσεως ὁρμώμενος πάντας ἀμῶς τοὺς δικαίους τοὺς ἐν τοῖς Ἑβραίοις ἀπέκτεινεν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν προφητῶν ἔσχε φειδώ, ἀλλὰ καὶ τούτων δέ τινας καθ' ἡμέραν ἀπέσφαξεν, ὡς τῷ αἵματι ῥεῖσθαι τὰ Ἱεροσόλυμα, *Ab ipsius Dei contemptu facto initio, quicunq́, inter Hebræos erant iusti, crudeliter interfecit: ne à Prophetis quidem abstinuit: quin horum nonnullos dietim iugulauit, ita vt sanguine fluerent Hierosolyma.* Vide primo, quod de contemptu Dei dicit, significat quæcunq; Scriptura particulatim enumerat 2. Reg. 21. excelsa ædificata, aras erectas, lucos constitutos, filium traductum per ignem, alia, quæ quomodo potuerint omnia conferi ante annum decimum sextum, quis explicabit? Sed & tot, tantæque cædes tam paucis annis, quomodo patrari? Et quidem ab eo, qui per ætatem non esset in sua potestate, nedum potuerit tam imperiose regnum administrare. Sume iam mihi calculos. Captiuus abductus multo post tempore quam cœpit esse nequam: non potuit tam desperate esse nequam nisi magno natu, id est, longe vltra puerum. Et nega si potes, male subductam Bellarmino temporum rationem, assignanti captiuitatem anno decimo sexto.

L. Quarto, Insulse putatio fit ab ipso captiuitatis huius anno primo? Constat ex primo capite legatos missos à Nabuchodonosore anno eius duodecimo: anno autem proximo ipsum Holophernem. At Bellarminus hunc annum decimum tertium refert ad decimum sextum Nabuchodonosoris, id est, Merodaci. Missi igitur legati fuerint ante ipsam captiuitatẽ hanc autem captiuitatem oportuerit præcedere paucis mensibus hanc Holophernis expeditionem: quod esse ridiculum, est-ne quisquam qui non videat?

LI. Primum quis credat non fuisse vindicatam legatorum violationem prima expeditione cum Manasses caperetur? Sed iam tunc Merodaco aliam fuisse in animo, & gemino labore voluisse id effici, quod vno poterat? Nam Holophernes disertè missus dicitur ob eam causam. Deinde, quis credat intra paucos menses duas susceptas expeditiones, & tamen in secunda incognitum fuisse populũ Iudæorum? Enimuero, ne verisimile quidem sit illa euenisse durante regis captiuitate. Quis enim credat legatos missos impetrandi auxilij causa, ad eum populum, qui paulo ante esset bello victus: cuius Rex in vinculis esset apud ipsum Merodacum? Quis credat eum populum, eo statu, ausum recusare auxilia: ausum legatos violare eius regis à quo iam victus esset: esset rege proprio spoliatus?

LII. Itaque inquirendum esset tempus quo Manasses detentus fuit. Ast id ego quidem nusquam legisse memini, nisi apud Ægidium Hunnium in hac ipsa controuersia, asserentem historicis placere decennium: quod esset totum de summa detrahendum. Imo & biennium insuper vt fingamus anno vndecimo Nabuchodonosoris liberarum, deinde, vt est in textu, duodecimo legatos missos, victumque Arphaxad: decimotertio Holophernem cæsum, quæ qua ratione conciliari queant cum Bellarmini supputatione, videre non possum.

LII. Sextum mendacium. Id bellum describitur gestum auspiciis imperioque summi Sacerdotis. Capite 4. *Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad vniuersos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni iuxta Dothaim, & vniuersos per quos via transitus esse poterant, vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Hierusalem, & illic custodirent, vbi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filij Israel secundum quod constituerat eis Sacerdos Domini Eliachim.*

LIV. Hoc vero non fit verisimile. Nam politica potestas non fuit penes Sacerdotes, neque horum quisquam rebus bellicis gerendis præfectus legitur. Tum autem perpetua fuit regum series, & autoritas ante captiuitatem Babylonicam. Excepto, si forte Manassis infortunio, cum tamen bellis gerendis populus esset non aptus, & huic maxime. Post liberationem è Babylone, illustres fuerunt Zorobabel, & Nehemias, & Esdras dum regnarent Cyrus, Cambyses, Darius Hystaspis.

LV. Respondet Bellarminus forte hoc bellum incidisse in ipsam Manassę captiuitatem: & icirco rege absente per Pontificem negotia regni procurata fuisse. Fortasse etiam Regis mentionem non esse factam, quod non accesserit bellum ad ipsam vrbem Hierusalem, vbi rex erat.

LVI. Verum quis tam rudis in disputando, vt non obseruet hæc titubantis iudicij indicia, causam prodere? Forte (inquit) ita fuit. At nos, forte inquimus, haud ita fuit. Ergo aut falsum statuit Bellarminus, aut incertum. Quãta igitur esse potest libri Canonici fides? Deinde captiuitatem Manassis diximus ineptissimum tempus assignari huic bello. Tertio, quis dixit ad regis curam non pertinere, quæ in eo regno sunt procul ab vrbe regia? Denique cur sedes verisimilior in Rege, quam in Pontifice summo, qui tamen non solebat abesse Hierosolymis? Atque adeo post victoriam, c. 16. dicitur venisse ex Hierusalem in Bethaniam. Cur nõ rex potius? Repetamus subtilitatem. Non facta mentio regis, eo quod non peruenisset bellum ad vrbem. Esto. Sed cur facta Pontificis, qui tamen ipse erat in eadem vrbe?

LVII. Gretserus ex Serario quatuor causas docet. Primam, quod Manasses, maxime sub initium reditus, totus fuerit occupatus in cultu Dei, adeo vt penes eosdem maneret adhuc regni administratio, qui captiuo eo rebus præfuerant. Secundam, quod semper maxima fuerit apud Iudæos summi Pontificis autoritas, 2. Regum 11. Deuteron. 13. Numeror. 27. Iosephi contra Appionem 2. Manassis vero tempore longe maxima, tum propter regis iam excellentissimam religionem, ac demissionem: tum propter communis boni vtilitatem, cum vt magnarum rerum summa penes Eliachimum esset, populo secundissimo fieret: tum propter Esaiæ de isto Eliachimo prædictionem cap. 22. postremo propter summam Eliachimi sanctitatem, sapientiam, rerumque gerendarum industriam, & felicitatem. Tertiam, quia rex sibi Hierosolymam tuendam, mœnibus ac propugnaculis muniendam forte suscepisset: cæteram prouinciam aliis reliquisset. Quartam peculiarem literarum à Pontifice missarum: quod earum argumentum esset non tantum militare de montium faucibus occupandis, sed etiam sacrum & religiosum de precibus, ieiuniis, & ciliciis.

LVIII. Sed hæc omnia situm redolent literarij cubiculi, otiosamque sophistarum imaginationem. Prima causa, primo aduersatur Bellarmino, & Gordono, qui annos pacis putant ab ipso anno capti Manassis. Quod si est, tum omnino necesse nondum reducem fuisse Manassen, nondum ita intentum pietati. Deinde absurda est: quia non obstat pietas etiam altissima, quominus Reges suo fungantur officio: imo præcipit pietas altissima, vt suo fungantur officio. Nisi forte Monachum regem somnient Sophistæ: qui sceptro in aliquorum, puta Iesuitarum manus deposito, sese exoneratum voluerit. Habet etiam monstrosum quiddam, Regem propter altissimam pietatem abstinuisse bello: Pontificem Eliachinum administrasse bellum: Regem suæ dignitati tantum non renuntiasse: Pontificem in alienam inuolasse. An quia Pontifex procul ab altissima pietate? Denique supponit hanc historiam accidisse paulo post reditum Manassis: quod ij demum credituri sunt, qui Iesuitis cæcam obedientiam iurarunt: sed quibus iolium nullus est cibus, ridebunt.

LIX. Sacerdotum autoritatem, quæ secunda causa erat, fuisse semper maximam, nemo negat: sed in administrandis sacris: nam in obeundis regiis muneribus, imo bellis gerendis, nemo docuit: Nec habent simile quicquam qui citantur loci. In 2. Regem Ioiadas describitur, assumpsisse centuriones, ac milites, pactumque pepigisse. Quo significatur non imperium, sed quædam quasi coniuratio, si in bonam partem coniuratio dici potest, & conspiratio, Et quidem tunc temporis, cum nulla esset Regis autoritas: imo Rex adhuc cogeretur latere. Cum hîc habeamus, si Sophistis credimus restitutũ regem suo throno, & præsentem æque ac Pontificem ipsum: qualem si Ioiadas habuisset, næ ille sui muneris res egisset.

LX. In Deuter. 13. non video equidem quid Serario commodum esse possit. Num. 27. puto illud, quod iubetur Iosue egredi & ingredi ad verbum Eleazari sacerdotis. Verum id nullum imperium erat: tantum oraculi responsum, *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum.* Quo sensu legimus Iudic. 18. *Rogauerunt eum vt consuleret Deum, & scire possent, an prospero itinere pergerent.* Item 20. Sed & 1. Samuel. 9. *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque, vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem.* Sic 22. Achimelec consuluit pro Dauide Iehouam: & alias sæpe,

LXI. In Iosepho contra Appionem ista legi, Τίς ἂν καλλίων, ἢ δικαιοτέρα γένοιτο (nimirum κατάστασις πολιτεύματος) τῆς Θεὸν μὲν ἡγεμόνα τῶν ὅλων πεποιημένης· τοῖς ἱερεῦσι δὲ κοινῇ μὲν τὰ μέγιστα διοικεῖν ἐπιτρεπούσης· τῷ δὲ πάντων ἀρχιερεῖ πάλιν αὖ πεπιστευκυίας τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν, *Quæ potest esse vel elegantior: vel æquior ciuitatis constitutio, quam qua Deum constituit principem omnium: sacerdotibus autem communiter maximas res gerendas mandat: ac rursus in alios Sacerdotes principatum summo Pontifici tradit?* Hæc Iosephus. In quibus de regia, de bello administrando, quid audiuerunt Iesuitæ? Nam τὰ μέγιστα cur non sunt religiosa negotia, quibus in hominum vita nihil maius? Tum autem hac ipsa μέγιστα non summis Sacerdotibus, peculiariter demandata, sed τοῖς ἱερεῦσι κοινῇ promiscue omnibus Sacerdotibus quanquam non omnibus opinor regia autoritas. Denique summo, nonnisi Sacerdotes alii subiecti.

LXII. Nec in Manassis tempore maius momentum. Nam neque regis pietas, profundissimaque demissio significat abdicationem munerum regiorum: nec communis boni vtilitas, regem arcet ab administrando bello. Et quod de secundissimo populo est, diuinatur à Iesuitis. Nam cur non secundissimo populo fieret, vt rex, & quidem altissimæ pietatis rex publica administraret. Et Eliacimi summi Pontificis fabula est. Nec habent ex vllo loco, Eliacimi res tam bene gestas, secundo regum: sed tantum legationem, neque hanc ei propriam, sed communem duobus ei additis collegis. Denique describitur sane fidelissimus, piissimusque: sed belli peritus nusquam.

LXIII. De Hierosolymis muniendis, rursus diuinatio est. Et quidem contra illud pietatis μορμολυκεῖον, quo nobis persuasum iri sperabant, regem dimisisse curam belli: Nam hæc vnius vrbis munitio, cur minus impediuit hanc partem, quam reliquam regni curam? Sed verius, non sibi constare somniantes, diuinantes Iesuitas. Deinde illud repeto, non Manassen tantũ, sed etiam Eliacimum fuisse Hierosolymis.

LXIV. In quarta causa, obliti sunt Iesuitæ ieiunia publica indicta fuisse à regibus. Secundi Chron. 20. 1. Reg. 21. Deinde diuinarunt de precibus, ieiuniis, ciliciis mandatum fuisse in literis illis Eliacim, quod est contra codicis fidem. Nam hoc caput seorsim describitur, & post literarum argumentum.

LXV. Septimum mendacium. Capite 4. dicuntur filii Israel, qui habitant in terra Iuda, timuisse à facie Holophernis, & misisse in omnem Samariam per circuitum Ierico vsque ad occupandos montium vertices. At vero, quî potuit Iudæorum imperium admittere Samariam? Nam discesserat à Iudæis paulo post Salomonis mortem, facta regni Israelitici caput: tum autem annis non paucis ante Manassen, venerat in potestatem Assyriorum, vt constat ex decimo septimo capite secundi Regum. Obiecerat hoc mendacium Bellarminus, autoribus sententiæ primæ: sed dissimulauit in sua causa, admodum stupide.

LXVI. Octauum mendacium, ex c. 5. Achioris Holophernem docentis statum Iudæorum. Verba ita habent in Græco contextu. Καὶ ἕως οὐχ ἥμαρτον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ αὐτῶν, ἦν μετ' αὐτῶν τὰ ἀγαθὰ ὅτι ὁ Θεὸς μισῶν ἀδικίαν μετ' αὐτῶν ἐστιν, ὅτε δὲ ἀπέστησαν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ ἧς διέθετο αὐτοῖς, ἐξωλοθρεύθησαν ἐν πολλοῖς πολέμοις ἐπὶ πολὺ σφόδρα, καὶ ᾐχμαλωτεύθησαν εἰς γῆν οὐκ ἰδίαν, καὶ ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος, καὶ αἱ πόλεις αὐτῶν ἐκρατήθησαν ὑπὸ τῶν ὑπεναντίων. καὶ νῦν ἐπιστρέψαντες ἐπὶ τὸν Θεὸν αὐτῶν, ἀνέβησαν ἐκ τῆς διασπορᾶς, οὗ διεσπάρησαν ἐκεῖ, καὶ κατέσχον τὴν Ἱερουσαλήμ, οὗ τὸ ἁγίασμα αὐτῶν. Quæ Latine ita sunt, in editione Ariæ Montani; *Et dum non peccauerunt coram Deo suo, erant cum eis bona, quoniam Deus, qui odit iniquitatem, cum eis est. Quando autem recesserunt à via, quam proposuit eis, exterminati sunt in multis prœliis valde nimis, & captiui deducti sunt in terram non propriam, & templum Dei eorum factum est in pauimentum, & ciuitates eorum captæ sunt ab aduersariis. Et nunc conuersi ad Deum suum ascenderunt de dispersione, qua dispersi erant illuc, & possederunt Hierusalem, vbi sanctuarium eorum.* Sed Vetus Interpres, vt in in reliquo toto opere in multis plurimum differt, ita hic paulo aliter habet. *Et vsque dum non peccarunt in conspectu Dei sui, erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem. Nam & ante hos annos cum recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt prœliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia & iterum possident Hierusalem, vbi sancta sanctorum.* Ex quarum editionum comparatione, vt hoc obiter dicam facile inducor, vt credam corrigendum in Græco mendum: legendumque ἐξωλοθρεύθησαν ἐν πολλοῖς πολέμοις, οὐκ ἐπὶ πολὺ σφόδρα καὶ ᾐχμαλωτεύθησαν, vt respondeant his verbis Latini interpretis, *Nam ante hos annos:* Sitque sensus, non ita pridem abducti sunt in captiuitatem. Sed hæc critica paululum abscedunt ab instituto.

LXVII. Cæterum, ex Achioris oratione colligimus, hanc historiam, si fuit historia, accidisse non tantum post abductum populum in captiuitatem Babylonicam, sed etiam post reditum ab eadem captiuitate: imo vero etiam post restauratum templum. Abductio accidit annis post initium Manassis circiter centum & decem. Reductio annis septuaginta serius. Templi fundamenta iacta sunt anno Zorobabelis tertio: ædificatio tamen turbata ad annum vsque secundum Darij Hystaspis, qui fuit decimus octauus Zorobabelis, octuagesimus octauus captiuitatis, centesimus nonagesimus post initia Manassis, Centesimus quinquagesimus quintus, post obitum Merodaci. Quæ supputatio illos mouit, qui historiam referunt ad Artaxerxem Ochum, qui post Darii Hystaspis obitum regnauit annis elapsis centum viginti. Quod si nequeant hæ res gestæ referri ad Cambysen, aut Darium, multo minus ad eos qui præcesserunt non tantum constructionem templi, sed etiam ipsius captiuitatis initium: quæ sententia est Genebrardi, & Bellarmini.

LXVIII. Bellarminus negat hunc locum intelligendum de captiuitate Babylonica. Et argumentatur, Primum, si ea intelligeretur, non dicerentur Iudæi exterminati a multis nationibus, sed ab vna. Secundo, non dicerentur plurimi abducti captiui, sed omnes: paucissimi enim remanserunt relicti à Nabuchodonosore, qui ipsi paulo post fugerunt in Ægyptum. Respondeo, hæc argumenta nihil efficere, quia sunt a textu Latino duntaxat: nam in Græco, *non à multis nationibus* est, sed *in multis bellis*: neque abducti plurimi, sed indefinite ᾐχμαλωτεύθησαν. Est autem Græcus textus, tum alibi correctior, & clarior, Bellarmino iudice: tum hoc loco plenior, & distinctior, quia non tantum docet tunc Iudæos prospere egisse, cum non peccarunt, sed etiam valde afflictos fuisse, cum recesserunt à via Dei: quam opositionem Latinus omisit, priore tantum expresso membro, secundo suppresso. Est autem oppositio nõ vtilis tantum, sed etiam necessaria. Non enim satis bene cohæret, si cum dixeris Iudæos prospere egisse cum non peccarunt, statim inferas, *Nam ante hos annos abducti sunt in captiuitatem.*

LXIX. Sed quid illis fiet verbis, quibus asseritur templum destructum, ἐγένετο (inquit) εἰς ἔδαφος. Nunquam historiæ templum euersum narrant ante Nabuchodonosoris tẽpora. *Illa* (inquit) Bellarminus, *supposititia videntur: quandoquidem sanctus Hieronymus, qui fidelissime transtulit ex Chaldæo sermone in Latinum, nihil de euersione templis in sua editione posuit.*

LXX. Quid autem (inquam) si detracta potius fuerunt è Latina interpretatione? Neque enim maior certitudo Latinæ, quam Græcæ editionis. Et

cum valde dubitent docti, an Latina sit Hieronymi genuina, tum argumenta sunt non inepta, quibus hic liber probetur non haberi ex editione Hieronymi. Primum enim versio videtur facta ex Græco, etsi non satis bona fide multis additis, detractis, mutatis. Non possunt esse ex Chaldæo ista Capit.9. *Percuties eum ex labiis charitatis meæ* Et 10. *Vnxit se myrto optimo*: sed ex Græco, corrupto tamen vt solet, ex vicinitate vocum: vt lectum sit ἀγάπης, pro ἀπάτης. Et μύρτῳ pro μύρῳ. Secundo stylus spurcus est, & sordidus, qualis non solet esse Hieronymi. Initio c.1. *Ædificauit ciuitatem potentissimam, quã appellauit Ecbatanis*, sexto casu pro quarto, *Quod defenderet se de omnibus regionibus his*. Defendere pro ἐκδικῆσαι phrasi noua & inepta, Cap.2. *prædauit omnes filios Tarsis*, Et *prædauit omnem locupletationem* Et 3. & 5. *Exire inobuiam*. Et 5. *pœnituerunt*, Et 8. *pœniteamus*. Et 11. *Nocui virum*. Et 16. *nocuit eũ*, Et 12. *Suade illam Hebraam*. Et 6. *Dispperiet, transiet*. Et 8. *Et ego exeam*. Et alia nonnulla, quæ reperiuntur aliquando in iis libris, quos fatetur Bellarminus non haberi ex versione Hieronymi. Capite 6. ad finem nominauit Ecclesiam, pro templo, siue loco ad quem populus conuenit: quod certe nullo modo fecisset qui librum vertisset ex Chaldæo.

LXXI. Gretserus ex suo Serario, colligit alia suppositionis indicia. Vnũ, quia sæpius deprehendatur mendosus Græcus contextus. Alterum, quia ad calamitatem exaggerandam corã homine prophano, & irato, ab homine prudente, multo magis iniecta mentio fuisset regiæ vrbis, non captæ modo, sed & inflammatæ, dirutæ soloque æquatæ, posterioris Regum vicesimo quinto: Et poster. Paralip.36.

LXXII. Respondeo ad primum, non tantum sæpe mendosum esse textũ Græcum, sed etiam semper mendacem. Hoc enim nos contendimus, nihil nisi fabulosum narrari. Sed Græci tamen autoritatem esse maiorem, quam Latini, vtpote antiquiorem: Et quidem (si verum, quod Papistæ non possunt semel sibi assertum, reuocare) confirmatam à Concilio Nicæno, cum nondum in viuis esset Hieronymus, à quo se putant habere, si quid hîc habent dignum fide: addo, cum nemo Christianorum vidisset exemplar Chaldæum: fortasse ne Iudæorum quidem. Nam certe Iudæis ignoratissima historia est. Ad secundum, multo maiorem calamitatem indicari euersa combustaque vrbe regia, quam templo destructo, non tam facile credendum Serario, Gretsero-ve. Cum sacra prophanis longe præstent: adeoque ipsi Ethnici, cum sibi grauissimas significarent bellandi causas, aras focis prætulerint.

LXXIII. Sunto igitur hæc verba legitima. Obmutescet-ne tandem Iesuiticus Spiritus? Minime vero: Solennis enim pertinacia: Et cedere nescia: veritati quidem. Gretserus ergo iterum ex Serario: Si ea pro legitimis defendantur, exponi posse de summa & extrema illa templi vastatione, seu, prophanatione, quam fecerat olim Manasses 2. Reg.21. Probat: primo, quia in ista vastatione verba Græca significant man sisse vasa, altare, & ipsam Dei domum: sed eorum βεβήλωσιν siue μίανσιν tantum fuisse. Deinde, quia non dicant vasa, altare, templum reædificatum, sed tantum ἡ γκατρμῆα, sanctificata. Itaque concludit, illud εἰς ἔδαφος γεγόνασι, vel συνεκδοχικῶς, quia magnæ templi partes, disiectæ, dissolutæ, soloque æquatę iacerent, vt colligitur ex poster. Reg.12. & post. Paralip.34. Vel significare templi sanctitatem ita violatam, quasi commune quoddam publicumque solum esset, quod omnium iam pedibus concularetur: vt discrimen sit inter εἰς ἔδαφος γίγνεσθαι & εἰς ἔδαφος καθιέναι

LXXIV. Mirum commentum! Imo miram ἄνοιαν! Quid enim iuuat tã magnifice, tam publice ementiri verba Græca? Significant, inquit, mansisse vasa, altare, Dei domum: significant duntaxat βεβήλωσιν, significant fuisse ἡγιασμένα. Itane? Atqui horum sine omnium, siue singulorum, si vel tenuissima vestigia sint in tota Achioris oratione, si vel apex, si vel apiculus: si denique quicquam pictum fictum. Vicerit λοιωλιπκὸν λῆμα. Sed si sunt omnia ab summa audacia, ab extrema impudentia, quid exspectandum amplius, vt omnibus dent pœnas audaciæ impudentiæque?

LXXV. Prophanatum fuisse templum à Manasse, nemo negat: sed eam prophanationem hîc intelligendam nego: & doceo ab ipso contextu *Quando recesserunt à via, quam proposuit eis, exterminati sunt in multis præliis valde nimis: & captiui ducti sunt in terram non propriam: & templum Dei eorum factũ est in pauimentum: & ciuitates eorum captæ sunt ab aduersariis*, Quis tam stipes est, vt non videat describi vindictam Dei vlciscentis defectionem Iudæorum? Et vlciscentis non per ipsos Iudæos, quomodo aliquando solent peccata peccatis puniri: Sed per Iudæorum hostes? At ea prophanatio facta est à Manasse, Iudæorũ non hoste, sed rege: facta secundissimo populo, qui abduci se passus à Rege in idololatriam. Quare quęcumque illa συνεκδοχή est, siue μεταφορά, importuna est, nec quicquam habens solidi præter inanem cerebri Iesuitici somniationem.

LXXVI. Hæc nos mendacia collegimus insigniora. Sunt enim & alij minutiora per singulas sententias, quæ poterunt alij considerare per otium. Vnam addam ex c.8. de Iudith moribus, *Ieiunabat omnibus dies vitæ suæ, præter sabbatha, & Neomenias, & festa domus Israel*. Cap.13. *Baptizabat se in fonte aquæ*. Quæ pleno ore superstitionem redolent Pharisæorum: & Hemerobaptistarum, traductam Matth.9. & Ioan.2. atque alibi: nec habent quicquam veteris illius pietatis, quæ in Iudæis non corruptis exercebatur.

Cap. VIII.

De Mendaciis Maccabæorum.

I. SVpersunt Maccabæorum libri, in quibus etiam aliquot sunt mendacia.

II. Primum mendacium, 2. libr. c.1. *Anno centesimo octogesimo octauo, populus qui est in Hierosolymis, & in Iudæa, Senatusq; & Iudas Aristobulo magistro Ptolomæi regis salutem & sanitatem*. Iudas ergo scribit epistolam anno centesimo octogesimo octauo, proindeque erat in viuis: Tamen c.9. lib.1. idem Iudas mortuus dicitur anno centesimo quinquagesimo secundo: hoc est annis ante eam epistolam scriptam triginta sex, quæ contradictio est manifesta ac proinde alterutra parte mendacium: vel etiam vtraque. Hîc varij varia respondent.

III. Sixtus Senensis post Lyranum putat annos eius epistolæ supputari ab Assuero. At id Bellarminus refutat duobus argumentis: primo, quia toto libro annorum supputatio instituitur à Seleuci primo: non fit autem verisimile vnico tantum loco aliam iniri rationem: secundo, quia ne hæc quidem supputatio succedat, sic instituta à Lyrano, vt ex Assueri regno assumã tur anni nostremi viginti nouem, his addantur sex Darij: & centum quadraginta octo regni Græcorum: fiet summa annorum centum octoginta octo. Quia in supputatione tres grauissimos errores admitti obseruat: primum, quia è tribus illis numeris fit summa duntaxat centum octoginta, trium: secundum, quia omittuntur anni nouendecim ab initio Alexandri ad regnum vsque Seleuci: tertium, quia Assuerus fit penultimus Rex Persarum, ex Iudæorum somniis, qui tres tantum reges Persas numerant. Ita confutatur Lyranus.

IV. Sed Sixtus Senensis Iudam mortuum refert ad annum Seleucidarum centesimum quinquagesimum sextum. Et annum illum centesimum octogesimum octauum incidere in centesimum quinquagesimum quintum, obseruat. Sed idem sunt errores, qui in Lyrano: & præterea, cum in primo libro, vt dixi, notetur Iudæ interitus ad annum quinquagesimum secundum, hic producitur ad quinquagesimum sextum. Ita si excusatur liber secundus, primus arguitur mendacij.

V. Rupertus libr.10 de Victoria Verbi Dei cap.15 *Quis ille* (inquit) *Iudas fuerit non facile ex historiis potest agnosci, nisi sit ille Iudas Essæus genere, qui sub illis temporibus exstitit: qui nunquam in his quæ prædixit, mentitus est*. Refellit hanc Bellarminus coniecturam: quia non sit verisimile cum senatu & populo in titulo literarum alium nominari, quam principem: anno autem centesimo octogesimo octauo, non Iudas, sed Ioannes Hircanus dux fuerit Iudæorum

VI. Melchior Canus respondet, vitium esse in contextu non bene distincto. Hæc enim verba, *Anno centesimo octogesimo octauo*, pertinere ad finem præcedentis Epistolæ, quæ scripta est à toto populo Iudæorum duce Ioanne Hircano. Epistolam autem posteriorem eam esse quæ in præcedenti significatur scripta anno centesimo sexagesimo nono. Bellarminus hoc probat inuentum Cani, addita autoritate codicum Græcorum, Sed quos illos codices intelligat ille viderit. Certe editio Antuerpiana, autore Aria Montano, nihil habet eiusmodi: Latini autem codices omnes mire consentiunt, etiam qui post Concilium Tridentinum prodierunt, imo editio Gallica Louaniensium. Sed ne quidem nouissima Sixti quinti seorsum abit.

VII. Canus vero quid promouet? Nã si posterior Epistola est Iudæ mortui anno quinquagesimo secundo, vel sexto, scripta tamen sexagesimo nono, tum eadem sequetur absurditas, vt Iudas scripserit anno post obitum suum decimo septimo vel tertio. Ad hæc, cum templum purgatum sit anno quadragesimo octauo, vt constat ex 4. c. prioris libri: quis credat anno demum sexagesimo nono, hoc est, post annos vnum & viginti primum eius purificationis Iudæos Hierosolymitanos, fratres suos admonuisse?

VIII. Secundum mendacium, eodem c.1. lib.2. narratio texitur, prorsus fabulosa, in hanc sententiam. Tum cum Iudæi in Persidem abducerentur, sacerdotes ignem sacrum abscondunt in quodam antro: quo Nehemias post multos annos, cum aliquos misisset Sacerdotes, inuentus quidem nullus est ignis, sed aqua quædam crassa: quam cum attulissent, aspersaque inde fuissent sacrificia sole affulgente, ignis est conceptus. Deinde c.2 Hieremiam abscondisse arcam & tabernaculum & altare, in spelunca, quæ incognita futura esset, donec populus congregaretur: quæ constare dicuntur ex scriptis Nehemiæ. Hîc primo, quid illud est, in Persidem Iudæos fuisse abductos? Nam tempore Hieremiæ abductos constat in Babyloniam, indeque reduces tempore Esdræ & Nehemiæ. Respondet Bellarminus Persidem vocari, non solum eam regionem, quæ sic dicitur, sed etiam alias finitimas: vt lib.1. c.6 nuncius, qui venit Babylonem ad Antiochum, dicitur venisse in Persidem. Et Chrysostomus hom.6. in Matthæum dicit Iudæos ex captiuitate Persica liberatos.

IX. Et sane non potest aliter excusari tanta hominis incogitantia, nisi asseramus Persidis nomen longe lateque produxisse. Sed quid tum, si hoc à Iesuita potuit ingeniose excogitari? An propterea absoluetur autor ille quisquis est? Minime vero: oportuit enim hominem actum à Spiritu Dei, vti Spiritus vocibus, non suis morose excogitatis ad posterorum ingenia excrucianda Iesuitarum etiam exercenda. Nunquam autem per scriptores Canonicos Spiritus Sanctus dicit abductos esse Iudæos in Persidem, sed in Babyloniam, quæ ad Persas tum temporis nihil attineret. Cyrus enim primus est Persarum Rex, qui Babyloniæ imperarit, post eam deportationem annis septuaginta. Imo vero locus è 6. prior. Maccab. citatur falso, neq; n. dicitur nuncius venisse Babylonem, vt disertis verbis Bellarminus asserit. Verba sunt eius loci. *Et fugit inde, & abijt cum tristitia magna, & reuersus est in Babylonem, & venit qui nunciaret ei in Perside*. Quis non videt distingui nominatim Babylonem à Perside? Sensus est, Antiochum pulsum ab Elimaide, ingressum esse iter, vt rediret Babylonem, sed antequam exiret è Perside, hunc nuntium ad eum peruenisse. Chrysostomus homil. 6. in Matt. ita scriptum reliquit, *Oportuerat eos (Iudæos continue sentire, quantum sibi esse additũ dignitatis, de tanti scilicet natiuitate regis* (Christi) *qui Persarum ad se regem ortu suo triumphante traxisset*. Et paulo post, *Qui tamen ne sic quidem in meliora mutantur, cum paulo ante captiuitate fuissent Persica liberati*. At hîc apparet nõ intelligi captiuitatem Babylonicam, non enim dixisset Chrysostomus inde fuisse Iudæos liberatos paulo ante natiuitatem Christi, quæ à Cyri liberatoris Iudæorum initio quingentis atque eo amplius annis dissita est. Multa vero Iudæos passos à Persis post libertatem à Cyro concessam, sub Cambyse, Artaxerxe, atque aliis, docent historici.

X. Sed præterea res ipsa, quæ narratur, tota est fabulosa, carens testimonio non tantum Hieremiæ, & Nehemiæ, quorum tamen scripta allegantur, sed etiam omnium Iudæorum: quorum nullus est qui tabernaculum & arcam post eam captiuitatem haberi dixerit. Altare autem quis credat fuisse conseruatum, cum constet nouum fuisse ædificatum à Nehemia, vel ipso hoc teste capite, *Nehemias*, inquit, *ædificato templo & altari obtulit sacrificia*: Ad hæc Hieremiam constat in carcere fuisse longo tempore vsque ad vrbis destructionem, ex c 37.38. eius prophetiæ. Capta autem vrbe templum spoliatum est, deinde incensum.

XI. Sixtus Senensis ad hæc negat scripta siue Hieremiæ siue Nehemiæ citari Canonica, sed priuata duntaxat commentaria, nunquam relata in canonem.

nonem.Esto,inquam:etsi enim satis cruda sit diuinatio : solaque nitens audacia, tamen per me quidem fides esto penes autorem. Ad reliqua. *Quid prohibet*(inquit)*hæc ante,vel in ipso vrbis excidio hortatu Hieremiæ in carcere existentis,à piis viris potuisse occultari? sicut ipsa historiæ verba innuere videntur,cum dicunt:Inuenitur in descriptionibus Hieremiæ prophetæ,quod iussit eos ignem accipere,qui transmigrabantur,vt significatum est,& vt mandauit transmigratis.*Atqui non hæc tantum ibi leguntur,sed hæc etiam non multis verbis interiectis:*arcam iussit propheta diuino responso comitari secum, vsque quo exijt in montem,in quo Moyses ascendit:& vidit hæreditatem Dei:& veniens ibi Hieremias inuenit locum speluncæ.* Quibus significatur Hieremiam ita mandasse assumi ignem,non vt implerentur eius absentis mandata:sed vt ipse rebus gerendis interesset, alioqui quomodo ipse diceretur venisse in ipsum speluncæ locum? quomodo eum arca esse comitata? Nam id eludere hoc prætextu, quod soleat Scriptura id autori tribuere, quod per alios autoris iussu factum est, quis non videt signum esse obfirmatæ contumaciæ? Aut quod mihi è Scriptura,aut etiam aliunde exemplum adferri potest,vbi dicatur aliquis venisse,qui tamen alios duntaxat proficisci iusserit?

XII. Bellarminus ergo vidit sibi aliud quærendum effugium : & non fuisse ablatam arcam docet à Babyloniis,quia Hieremiæ 52.inter ea quæ Chaldæi abstulerunt,nullo loco numeratur. Potuisse autem abscondi ab Hieremia,cum ante, tum post spoliationem vrbis. Ante spoliationem tempore Ioachim,apud quem magnæ erat autoritatis: post eam autem,quia maximi fiebat à rege Nabuchodonosor.

XIII. Respondeo,non fuisse arcam delatam Babylonem , sed direptam, vt habetur Ezræ 4.c.10.*& arca testamenti nostri direpta est* : tum vna cum ipso templo incensam.Reliqua constant ex meris coniecturis:quæ aliis coniecturis facile infirmantur.Nam Ioachim successorem habuit Sedechiam,à cuius initio ad captiuitatem vsque numerantur anni vndecim. Quis credat tanto spatio Iudæos fuisse absque tabernaculo, arca & altari? Et si ea abstulisset Hieremias,quis credat nunquam ei exprobratum fuisse,cum certũ sit ipso fatente Bellarmino,omnibus fuisse inuisum?A capta autem vrbe,vsque ad incendium templi, spatium fuit tantum mensis integri vnius : Etsi autem mandarat Nabuchodonosor ne quid noceretur Hieremiæ, tamen ne ipse quidem Hieremias dixit se in conspectum regis venisse, vt ab eo quicquam posset aut postulare,aut obtinere. Nec rex ipse venit Hierusalẽ, quin ad eum Sedechias adductus est in Reblata: quare hæ Bellarmini coniecturæ facile euertuntur.

XIV. Tertio in eadem fabula promittuntur hæc omnia ita ab Ieremia abscondita tandem manifestanda, cum congregandi essent Iudæi: at hoc nunquam factum Bellarminus ait,non loqui Hieremiam de illa congregatione,quæ fuit tempore Cyri, sed vel de tempore nouissimo, proxime ante diem iudicij,vel mystice de Christo in carne venturo.Ita semper contendunt Iesuitæ neruos ingenij, non tam vt aliquid respondeant, quam vt ne nihil dicant:nimirum ἴδιόν ἐστι περὶ ὧν ἄν τις πρόθηται, ψευδῆ μηχανήσασθαι λόγον. Quorsum vero ,aut cui vsui tabernaculum,arca, altare,in die iudicij? an vt iterum sacrificẽt Iudæi? Absurdum. Quod si Christi incarnationem intelligas,quorsum pollicetur Hieremias locum illum,in quo illa erant abscondita,manifestandum? Aut quando fuit,vel cui manifestatus? Nimirum fabulæ sunt meræ, ἀλλ' ἐξὸν ἀφεμένους ταύτης τῆς τερθρείας, τῆς ἐν μὲν τοῖς λόγοις ἐξελέγχειν προσποιουμένης, ἐν δὲ τοῖς ἔργοις πολὺν ἤδη χρόνον ἐξεληλεγμένης, τὴν ἀλήθειαν διώκειν,quomodo olim eleganter Isocrates Sophistas monebat.

XV. Tertium mendacium lib.1.c.6.mors Antiochi Epiphanis narratur in hunc modum. Is cum Elymaidem ciuitatem in Perside deprædari vellet, repellitur à ciuibus : eodemque tempore audit exercitum suum in Iudæa fœde fugatum,rediens Babylonem incidit in morbum , vnde mortuus est anno centesimo quadragesimo nono.Sed lib 2.c.9.haud paulo aliter: Cum ingressus esset Persepolim,velletque templum & ciuitatem opprimere,à ciuibus pellitur,audit,quæ in Iudæa gesta sunt aggreditur iter, incidit in dirũ dolorem viscerum,decidit de curru incitato,& vermes videt è corpore ebullientes:vnde in montanis moritur.Tertio vero,ac multo aliter c.1 lib.2.Cũ in Persidem profectus esset, Nanneæ templum fraude occupaturus spe potiundi thesauri,accidit vt ingressus id templum cum paucis suis inclusus lapidibus obrueretur,tum membratim discerperetur, denique caput truncatum foras ad suos proiiceretur.Papæ! monstrum hominis tribus locis ideoque ter mortuum: Babylone,in montanis:in templo Nanneę:sed idem facetum ac lepidum,quod post truncatum caput inciderit in morbum.Hæc varie varij conciliare laborant.

XVI. Bellarminus,& Senensis , negant Antiochum occisum in templo Nanneæ significari,c.1.lib.1.sed tantum fugatum.*Non necesse est*(inquit Bellarminus)*affirmare,illic eum interiisse,vbi dicitur cecidisse,cecidisse enim dici potest,quoniam exercitus eius fusus fugatusq; est,quemadmodũ Genes.14.regẽ Sodomorum in prælio cecidisse narrat Scriptura diuina , & tamen paulo post eundem viuentem,& Abrahæ occurrentem introducit. Itaque Antiochus eo sensu dicitur cecidisse,quoniam exercitus eius cæsus percussusq; fuerat,& ipse turpi fuga elapsus, forte etiam vulneratus, in ipso itinere de curru cecidit , & paulo post mortuus est.* At cadendi verbum est tantum ex editione Latina: quam quis neget esse iudicandam è Græco contextu ? Nam teste Hieronymo hic liber Græce primum est scriptus , indeque in Latinum versus. Sunt autem in Græco contextu alia verba quæ necessario mortuum inferunt Antiochum. Nam illud, *Cecidit in templo*,est κατεκόπησαν ἐν τῷ τῆς Ναναίας ἱερῷ,concisi siue occisi sunt. Magnum vero aliquid,& nouum docuit nos Iesuita: non occidi omnes qui cadant: cui vt ἀδίδακτον persoluamus , vicissim admonemus , eum morem esse Scripturæ , vt neminem vnquam in prælio cecidisse dicat, non ibidem mortuum.Nam quod de rege ait Sodomorum , si locum diligenter legisset: aduertisset non dici cecidisse in prælio , sed à prælio fugientem cecidisse in puteos quosdam vbi latuerit, mortemque euaserit,quod ex Lyrano in eum locum poterat discere.

XVII. Sixtus Senensis:*Ex istis verbis*(inquit)*non elicitur Antiochum fuisse occisum,sed lapidibus solummodo ictum: quod autem statim sub prædictis verbis adiungitur, Et diuiserunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt,ad socios eius refertur, in quorum cædem cum sacerdotes nimium insisterent, Antiochus interim elapsus est.* Artificiosam hercle fabulam! Sed nos textum consideramus Græce, εἰς τὴν Περσίδα γενόμενος ὁ ἡγεμών, καὶ ἡ περὶ αὐτὸν ἀνυπόστατος δοκοῦσα εἶναι δύναμις, κατεκόπησαν ἐν τῷ τῆς Ναναίας ἱερῷ, παραλογισαμένων τῶν περὶ τὴν Ναναίαν ἱερέων. Ea quasi propositio est historiæ cuius tum sequitur explicatio. Narratur itaque Antiochum simulasse, velle nuptias inire cum Diana illa Nanæa , vt nomine dotis pecuniarum potiretur,quas Sacerdotes dolum dolo eludentes , repræsentabant, κἀκείνου προσελθόντος μετ' ὀλίγων εἰς τὸν περίβολον τοῦ τεμένους, συγκλείσαντες τὸ ἱερὸν ὡς εἰσῆλθεν Ἀντίοχος, ἀνοίξαντες τὴν τοῦ φατνώματος κρυπτὴν θύραν, βάλλοντες πέτρους συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα, καὶ μέλη ποιήσαντες καὶ τὰς κεφαλὰς ἀφελόντες τοῖς ἔξω παρέρριψαν.Latina editio sic habet,*Nam cum in Perside esset dux ipse,& cũ ipso immensus exercitus , cecidit in templo Nanææ, consilio deceptus sacerdotum Nanææ.Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici eius,& vt acciperent pecunias multas dotis nomine. Cumque proposuissent eas sacerdotes Nanææ:& ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum phani,clauserunt templũ. Cum autem intrasset Antiochus, apertoque occulto aditu templi , mittentes lapides percusserunt ducem,& eos qui cum eo erant,& diuiserunt membratim,& capitibus amputatis foras proiecerunt.* Ex hac narratione obseruentur hæc primo , Antiochum cum paucis ambitum phani esse ingressum : secundo eo ingresso clausum fuisse templum: tertio lapidibus ipsum ducẽ, id est Antiochum,fuisse fulminatum æque ac reliquos , quarto, laceratis membris capita abscissa fuisse & foras proiecta. Quæ si mortem Antiochi negantur describere,quid iam in loquendo perspicuum aut etiam disertum esse potest?

XVIII. Nam Antiocho ingresso cum paucis amicis , qui modus fuit elabendi? Canus respondet intelligendum , *non templum clausum post ingressum ducis,sed cum milites essent intra fani ambitum,vt si,exempli causa , dicamus in atriis,sacerdotes clausisse templum.* Quid hoc sibi vult inquam? An tum clausũ esse templũ,cũ adhuc Antiochus foris esset? Nam quid aliud sit,non video. At textus diserte contradicit: qui græce συγκλείσαντες τὸ ἱερὸν ὡς εἰσῆλθεν Ἀντίοχος :Latine,cum ipse ingressus esset intra ambitũ phani,clauserunt templũ. Quod ipsum pecuniarum repræsentatarum circumstantia euincit: quis credat enim à sacerdotibus elatas extra templum? Sed notandum acumen Senensis,qui cum ingressum Antiochum videret non posse negari,elapsum dicit,tum cum Sacerdotes nimis essent occupati in cæde sociorum eius. At Græce habetur συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα : quæ verba non tantum proiectos lapides significant fulguris in morem,sed nõ temere,aut in turbã proiectos quin potius certo consilio in ipsum ducem,quem sibi omnes pro scopo proponerent neglectis fere aliis.Multo igitur rectius aliquis diceret, sacerdotibus intentis in vnius cædem Antiochi socios eius elapsos esse.

XIX. Vidit Canus non posse negari Antiochum occisum. Itaque , *ne rimulas*(inquit)*quærere ad elabendum videamur, illa responsio & planior & verior est,cui historicorum grauium consentit autoritas, non eundem esse Antiochũ de quo 1.c.& de quo cap.19 perhibetur: sed ibi Antiochi magni mortem scribi,hic vero Antiochi Epiphanis.* At contra Sixtus Senensis & Bellarminus non tantum asserunt eundem vtrobique esse Antiochũ,sed etiam diserte hanc Cani sententiam impugnant.Comparemus ergo primum hos inter se , vt eorum bellum prosit veritati. Tam igitur certum est vnum eundemque esse Antiochum,vt Sixtus Senensis & Bellarminus,cũ contradicere non possent, maluerint negare altero loco eum significari occisum.Et rursus tam certum est vtroque loco significari occisum,vt cum quæcunque opponuntur , videret esse tantum rimulas ad captanda effugia,maluerit Canus asserere duos nominari Antiochos.Annon igitur magnifice triumphat veritas?

XX. Sed Cani sententia magnis argumentis impugnatur.Primum , ipsa templi spoliandi historia in Perside exprimitur tum c 6.lib.1.tum c.1.& 9.2. Et quidem 9.secundi designatur nomen vrbis Persepolis,primi autem 6.regio nominatur ἤκουσεν ὅτι ἐστὶν ἐν Ἐλυμαΐς ἐν τῇ Περσίδι πόλις ἔνδοξος. Quæ verba in Latina editione exprimuntur in hunc modum,*audiuit esse ciuitatem Elymaidem in Perside nobilissimam* : non recte , si ciuitatem pro vrbe nominauit.Quod si eadem historia narratur,cur non eædem personæ nominentur? Nisi forte vtrumque Antiochum dicamus eandem expeditionem suscepisse : Nam & Iustinus historicus libr. 32. & Strabo libr. 16. nonnihil simile narrant de Antiocho magno: venisse nimirum in Elymaidem spoliaturum templum , ibique esse occisum. Templum tamen non Dianæ sed Belo Strabo tribuit: Iustinus Ioui Dindymo.Et nihilominus rursus Iustinus libro trigesimo octauo eundem Antiochum occidisse narrat in prælio contra Parthos.Iosephus vero libro Ἀρχαιολογίας 12.c.13. consentit cum 1. libro Maccabæorum.Adeo in vtramque partem propendent historici.

XXI.Sed vt demus vtrumque Antiochum voluisse idem templum spoliare,tamen non congruunt tempora.Nam hanc Epistolam Iudas Maccabæus scribit,& quidem addens nomen suum ad nomen Senatus,vt non potuerit tanquam priuatus scribere.Tempore autem Antiochi magni autoritatem ille nullam habebat : nam inter Magnum & Epiphanem regnauit Seleucus Philopator annos duodecim.At ex 2. c. prior. Macc.Matathiam patrem Iudæ constat decessisse annis quatuor ad summum ante mortem Epiphanis, filio relicto qui rebus præesset , cum iam annis nouendecim Magnus esse desiisset. Ad hæc Antiochus in Nannææ templo mortuus hostis erat acerrimus Iudæorum , vt patet ab ipso epistolæ initio , *De magnis periculis à Deo liberati magnifice gratias agamus ipsi, vtpote qui aduersus talem regem dimicauerimus: ipse enim ebullire fecit de Perside eos qui pugnauerant contra nos & sanctam ciuitatem.* At Antiochus ille Magnus Iudæis non fuit hostis,sed amicus potius: sic enim legimus in Chronico Eusebij, *Antiochus Iudæorum erga se cognita voluntate magnis eos muneribus donat,& per epistolas crebris laudibus prosequitur.* Non potest ergo hæc Epistola excusari à mendacio.

XXII. Superest vna Gretseri stropha.Nam quod dicitur Antiochus mortuus Babylone in lecto cap.8.libr.2. & peregre in montibus,cum in Iudæam tenderet c.9.lib.2.Id ille tribus verbulis facillime diluit: vere esse mortuum Babylone in lecto:& lethali morbo correptum in montibus , ex quo quia decessit , ideo mortuum dici in montibus. Sed hanc sophisticen verba non patiuntur.Nam priori loco:*Et mortuus est illic*,Babylone, altero autem , *Peregre in montibus miserabili obitu vitâ functus est: transferebat autem corpus Philippus collactaneus eius.* Certe tam diserta sunt posteriora verba,quã priora: vt non minus verisimiliter potuerit Gretserus interpretari,correptũ morbo Babylone.Et mortuum in montibus: quam contra. Sed si non mortuus in montibus,quorsum translatio corporis?

XXIII. Quartum mendacium Maccabæorum libr. 1.c.6.Antiochus Eupator exercitu collecto peditum centies, equitum vicies mille castrametatur ad Bethsuram: Iudas mouet aduersus eum. Commisso prælio cadunt de

exercitu regis sexcenti : Iudæi hostium multitudinem non sustinentes, subducunt se, & reuertuntur Hierusalem. Rex capta Bethsura, insequitur, sed persuasus a Lysia certis conditionibus pacem facit: postque statim venit in potestatem Demetrij à quo occisus est. At 2.lib.c.11. Lysias collectis octoginta millibus peditum,& equitatu vniuerso, veniens aduersus Iudæos castra posuit ad Bethsuram. Iudas contra mouit, impetuque in hostes facto, occisis vndecim millibus, totum exercitum in fugam vertit:ipse Lysias turpiter fuga elapsus tanto accepto incommodo prudentior factus, pacem fecit. Rursus c.13. Antiochus proficiscitur in Iudæam cum peditũ millib.centum & viginti, equitum quinque, Bethsuramque obsidet. Iudas contra mouet: noctu impetum facit, interficit virorum quatuordecim millia, tota castra terrore implet, abit re bene gesta. Rex Bethsuram nihilominus vrget, tãdem multis acceptis incommodis, obsidionem soluit, commisit prælium cum Iuda, superatus est. Inde accepta Philippi rebellione pacem facit cum Iuda & Iudæis. Hæc non tantum diuersa sunt, sed etiam contraria. Diuersa, quia numerus militum semper est alius, millium primo centum, secundo octoginta, tertio centum viginti. Equitum primo viginti, tertio quinque. Contraria, quia primo Bethsuram capit: at non deinceps. Rursusque primo amittit tantum sexcentos; at secundo vndecies mille: tertio quaterdecies. Denique primo, paucis illis amissis, non tantum non superatur, sed potius sustineri non potest à Iudæis, necessario recedentibus: at secundo & tertio magnifice vincitur. Est autem historia saltem quæ tertio loco narratur eadem cum ea quæ prima.

XXIV. Quintum mendacium. Libro 1.c.7. Demetrius occiso Eupatore mittit Bacchidem in Iudæam, qui multis crudeliter occisis, Alcimum constituit, vt Iudææ imperaret: ad cuius preces, secundo Nicanorem Demetrius mittit, qui dolose Iudæ pollicetur se non pugnaturum, sed venturum cum paucis, vt videret Iudæos. Venit igitur ad Iudam data acceptaque salute, sed paratus tamen ad Iudam capiendum: quod cum Iudas comperisset, cauit ne vltra ad eum veniret. Inde ventum ad prælium, in quo Nicanor superatur: inde Hierosolymam venit postulatque sibi tradi Iudam. Egresso ex vrbe, occurrit exercitus Syriæ: superatur atque occiditur. Iam lib.2.c.14.&15. Nicanor cum audiret omnia prospera de Iuda, consultius duxit ne armis cum eo experiretur. Pacem fecit datis dexteris: constituta etiam die, qua conuenirent in vnum locum. Sed Iudas è suis armatos disposuerat locis opportunis, ne forte ab hostibus repente aliquid mali pateretur. Nicanor Hierosolymis commoratur, nihil inique agit, copias dimittit: Iudã amat ex animo, cui fit autor ducendæ vxoris. His auditis Demetrius iratus, scribit vt Maccabæum vinctum mitteret Antiochiam: quod Nicanor grauiter tulit, dolens se nihil læsũ cogi ad pacta conuenta rescindenda, opportunitatẽ quærit nihilominus perficiendi mandati, Iudas cauet sibi: quod cũ Nicanor videret, petiit eũ sibi dari: denique committit præliũ, superatur, occiditur. Contradictionis hæc sunt capita. Primum, quod in 2. Nicanor describitur agens bona fide: at primus liber testatur ab ipso initio dolose egisse. Alterum in 2. Iudas suos in insidiis disponit, at in 1. ipsi hostes insidiantur. Tertium: Iudas in 2. abscondit se à Nicanore, postquam multis diebus moratus esset Hierosolymis: at in 1. id euenisse dicitur, antequam Nicanor significetur venisse Hierosolyma. Denique post id colloquium, antequam Nicanor postularet à Sacerdotibus sibi Iudam tradi, liber primus prælium commissum testatur, indeque fuga se Hierosolyma recepisse. At in 2. Nicanor nullo prælio facto, imo pace potius constituta Hierosolyma venit.

XXV. Sextum mendacium, libr.1.c.4. templum dicitur purgatum biennio ante mortem Antiochi Epiphanis post fugatum Lysiam: At lib.2.c.10. eadem purgatio recitatur post mortem eiusdem & quidem biennio.

XXVI. Sixtus Senensis bis purgatum fuisse contendit. Quod tamen commentum merito Bellarminus refellit. Enimuero quæ causa fuisset secundæ purgationis? Neque enim post primam iterum contaminatum erat. Et omnia, quæ primo libro facta dicuntur, secundo iterum referuntur.

XXVII. Bellarminus ergo mauult 2. lib. narrari quidem post mortem Antiochi, non asseri autem factam itidem eo tempore: sed voluisse autorem absoluere quæ de Antiocho dicenda erant, tum redire ad Iudæos. Et posset non absimile vero commentum hoc videri: sed vnde illud biennium? A prophanatione, inquit Bellarminus. Nam prophanatum est templum anno centesimo quadragesimo quinto, & quadragesimo octauo purgatum, post biennium exactum. Imo fefellerunt Bellarminum calculi, nam à decima quinta mensis Casleu anni quadragesimi quinti, ad eandem diem eiusdem mensis anni quadragesimi octaui, anni tres sunt exacti. Ac falso citauit Iesuita Eusebium in Chronico, & Iosephum c. 11. libr. 10. ἀρχαιολογίας, quasi scriberent templum repurgatũ tertio anno à prophanatione, id est post biennium iam exactum. Nam contra potius vterque scripsit post triennium, hoc est tribus exactis annis: Iosephi verba sunt, ἔτυχε δὲ ταῦτα κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην γίνεσθαι καθ' ἣν καὶ μετέπεσεν αὐτῶν ἡ θεία θρησκεία εἰς βέβηλον καὶ κοινὴν συνήθειαν μετὰ ἔτη τρία. Hoc est Rufino interprete, *Hæc autem facta sunt post tres annos, eodem die, quo mutata est eorum religio, ad prophanam idolorum consuetudinem.* In Eusebij Chronico ita legimus, *Iudæorum dux Iudas, qui & Maccabæus, filius Matathiæ, Antiochi duces de Iuda expellens & templum ab idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis ciuibus reddit.*

Atque hactenus de argumento quarto, quo ostendimus partes Esteræ, & Danielis, librosque Tobit, Sapientiæ, Iudit, Baruc, & Maccabæorum, quia scatent mendaciis, indigna esse autoritate Canonica.

Cap. IX.

An ij libri reiecti sint ab Ecclesia Iudaica.

I. ARgumentum quintum. Qui libri ab Hebraica Ecclesia reiecti sunt inter Apocryphos, ij non possunt esse in Canone Veteris Testamenti. At hi libri, hæque librorum partes omnes inter Apocryphos reiectæ sunt ab Hebraica Ecclesia. Ergo non possunt esse in Canone veteris testamenti.

II. Minor probatur his testimoniis. Iosephus ergo ipse Iudæus contra Appionem libro 1. qui etiam citatur ab Eusebio histor. libro tertio cap. 10. iuxta distinctionẽ Græci codicis, οὐ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων, δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν τὰ δικαίως θεῖα (hæc vox addita est ad marginem mei codicis Eusebiani è manuscriptis, & prorsus est necessaria) πεπιστευμένα. καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι Μωυσέως, ἃ τούς τε νόμους περιέχει, καὶ τὴν ἀπ' ἀνθρωπογονίας παράδοσιν μέχρι τῆς αὐτοῦ τελευτῆς. οὗτος ὁ χρόνος ἀπολείπει τρισχιλίων ὀλίγῳ ἐτῶν. ἀπὸ δὲ τῆς Μωυσέως τελευτῆς μέχρι τῆς Ἀρταξέρξου τοῦ μετὰ Ξέρξην Περσῶν βασιλέως ἀρχῆς, οἱ μετὰ Μωυσῆν προφῆται τὰ κατ' αὐτοὺς πραχθέντα συνέγραψαν, ἐν τρισὶ καὶ δέκα βιβλίοις. αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσιν. ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα. πίστεως δ' οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. Duo igitur Iudæus iste testatur: Et à Mose ad Artaxerxem, tantum esse viginti duos libros Canonicos: & post Artaxerxem qui compositi sunt, non esse Canonicos. Hieronymus in prologo Galeato, *Viginti & duas literas esse apud Hebræos, Syrorum quoque lingua & Chaldæorum testatur.* Et post pauca, *Porro quinque literæ duplices apud Hebræos sunt Caph, Mem, Nun, Pe, Sade: aliter enim scribuntur per has principia medietatesque verborum, aliter fines. Vnde & quinque a plerisque libri duplices æstimantur, Samuel, Melachim, Dibre Haiamim, Esdras, Hieremias cum Kinot, id est lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt per quæ scribimus Hebraice omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi literis & exordiis, in Dei literis tenera adhuc & lactens viri iusti erudiatur infantia.* His Hieronymus Catalogum subdit eorũ librorum. Epiphanius hæresi 7. quæ est Epicureorum: ἔχοντες δὲ οὗτοι οἱ Ἰουδαῖοι ἄχρι τῆς ἀπὸ Βαβυλῶνος αἰχμαλωσίας ἐπανόδου βίβλους τε καὶ προφήτας τούτους καὶ προφητῶν βίβλους ταύτας περὶ τὴν μετὰ γένεσιν, & reliqua deinceps. Isidorus Originum libr.6.c.1. *Hebræi vetus Testamentum, Esdra autore, iuxta numerum literarum suarum, viginti duobus libris accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, Legis scilicet, Prophetarum & Hagiographorum.* Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis lib.1.c.1. *Bibliam Iudæi &* ארבעה ועשרים *id est, quatuor & viginti, eo quod tot contineat libros, appellant, Eam namque in quatuor diuidunt partes:* tum singulas exequitur, primam תורה legem in quinque Mosis, vnde nomen חומש: secundam נביאים ראשונים priorum prophetarum, Iosue: Iudicum, Samuel, Regum: tertiam נביאים אחרונים Prophetarum posteriorum Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, duodecim: quartam כתובים Hagiographorum Paralipomenon, Psalmorum, Prouerbiorum, Iob, Ruth, Ecclesiastis Threnorum, Cantici Canticorum, Ester, Daniel, Esdras. Sixtus Senensis Bibliothecæ lib.1. cum duos fecisset ordines Canonicorum, priorem eorum, de quibus nunquam dubitatum esset, alterum eorum qui longe post Apostolos ad totius Ecclesiæ notitiam peruenissent, tum primi ordinis volumina sola apud Hebræos in autoritate haberi dixit. Ita constat viginti duos, vt quidam numerant, siue vt alij, viginti quatuor duntaxat libros à Iudæis in Canone fuisse computatos.

III. Reliquos, ergo si qui fuerunt extra Canonẽ, inter Apocryphos fuisse relictos, quis dubitet? Sed & hos ipsos nominatim de quibus nobis cum Papistis controuersia est, hi testantur. Hieronymus in Prologo galeato. *Igitur Sapientia, quæ vulgo Solomonis inscribitur, & Iesu filij Syrach liber, & Iudith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone.* Prologo in Hieremiam librum Baruc apud eos nec haberi, nec legi: In Danielem nec Susannæ haberi historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis & Draconis fabulas. Isidorus loco iam citato post tres Iudaicorum librorum ordines, *Quartus*, inquit, *est apud nos ordo Veteris Testamenti, eorum librorum qui in Canone Hebraico non sunt. Quorum primus Sapientiæ liber est, secundus Ecclesiasticus, tertius Thobias, quartus Iudith, quintus & sextus Machabæorum.* Patet ergo minor.

IV. Maior probatur primo ratione, deinde autoritate. Nam si ij libri à Iudæis reiecti, sunt recipiendi in Canonem, ergo sunt ab autore Spiritu Sancto: quod si esset, tum idem Spiritus Sanctus qui eos tradidisset Ecclesiæ, effecisset, vt reciperentur ab Ecclesia: quod quia non est factum, ideo negamus esse à Spiritu Sancto traditos: at si non sunt à Spiritu traditi, ergo neque à nobis accipiendi sunt. Autoritas est partim ab Augustino, partim à Cordubensi. Augustinus de Ciuitate Dei libr.15.cap 23. librum Enoch propterea dixit esse Apocryphum, quod non esset in Canone scripturarum, qui seruabatur in templo Hebræi populi succedentiũ diligentia sacerdotum. Quod si non frustra, & pueriliter dixit Augustinus, necesse est hoc Axioma verum esse: Quicunque libri non sunt in eo canone qui seruabatur in templo Hebræi populi, ij sunt Apocryphi. At hoc Axioma, si verum est, quomodo potest maior nostra esse falsa? Franciscus Cordubensis in annot. Catholicis art.2.c 70. *Approbandi*, inquit, *sacram scripturam, autoritatem penes fidelium Synagogam olim fuisse in confesso est. Cum enim apud fideles Iudæos Dei Prophetæ à Pseudoprophetis, & Hagiographi ab Apocryphis discreti fuerint, ad veros & falsos Prophetas discernendos, atque ad illorum libros aut approbandos aut non recipiendos, Synagogam habuisse infallibilem autoritatem oportuit.* Egregia est monachi huius Minoritæ confessio. Nam si infallibilis fuit, vt ille vult, Synagogæ autoritas in hoc negotio, tum profecto ij vere fuerunt apocryphi, qui ab ea non sunt admissi in Canonem: nam si non essent vere apocryphi, illa igitur non esset infallibilis autoritas, quia errasset, & quidem in re non minimi momenti.

V. Confirmata vtraque antecedentis parte, quis neget conclusionem esse necessariam? Sed videamus tamen quid opponant aduersarij. Canus (à quo alij plerique sumpserunt) distinguit: vt alij libri sunt non admissi, alij reiecti. De non admissis negat maiorem, de reiectis negat minorem. Verba eius sunt hæc, *Negamus hos libros à Synagoga esse reiectos: aliud est enim non recipere, aliud reijcere. Iudæi ergo intra suum Canonem hos quidem libros publica autoritate minime receperunt, tametsi nonnulli etiam ex eis diuinos & sacros esse crediderunt.*

VI. Imo inquam falsum sumit Canus, Bellarmino teste. cuius hæc sunt verba c.10.lib.1.de Verbo Dei, cum de Tobia, Iudith, Sapientia, Ecclesiastico, & Machabæis disputationem inchoat. *Hi libri simul omnes reiiciuntur ab Hebræis, vt B. Hieronymus testatur in prologo galeato.* Sed vt plenius respondeam, distinguam ipse vicissim: nam reijcere intelliguntur Iudæi vel simpliciter, vel κατά τι. Simpliciter, vt solent reijci libri impij, quos non tantum non admittimus in Canonem sacrum, sed etiam procul ablegandos censemus & abominandos. Hoc modo fateor hos libros non esse reiectos ab Hebræis: sed id non sufficit ad conciliandam autoritatem vere Canonicam. Κατά τι autem, vt cum alias ad priuatos vsus admissi libri, non admittuntur

tuntur tamen in ordinem eorum, quibus ineſt autoritas diuina, id eſt, non reiiciuntur ſimpliciter, ſed reiiciuntur à Canone. Atque hoc modo dico hos libros reiectos ab Hebræis: id eſt nullam eſſe differentiam inter non admittere in Canonem, & reiicere à Canone. Nam & Cordubenſis loco paulo ante citato ita loquitur, *Cum nec de Canonicorum librorum approbatione, nec de cæterorum librorum excluſione vlla diuina exſtet ſcriptura, per Synagogæ autoritatem illos fuiſſe approbatos, iſtos vero excluſos euidens eſt.* Quid? an mihi Canus etiam diſtinguet inter excludere, & reiicere à Canone? Expecto vt videam diuinum acumen. Quid? quod Hieronymus prologo in Eſdram ſcripſit totidem literis, *Apud Hebræos Eſdræ Nehemiæque ſermones in vnum volumen coartantur: & quæ non habentur apud illos, neque de vigintiquatuor ſenib. ſunt, procul abiicienda?* Nos ſane multo mitius, qui teſte Bellarmino capite decimo hos libros agnoſcimus eſſe bonos & ſanctos, & dignos qui legantur. Sed Hieronymi mentem fuiſſe puto, vt procul abiicerentur à Canone.

VII. Hayus, *Qua ratione Veteris Teſtamenti Canonem minuis, quem Eccleſia Chriſti probauit, eadem plane & Nouum Teſtamentum quod Iudæorum Synagoga nunquam recepit, aſpernaberis.* Argumentum erit huiuſmodi: Si omnes libri reiiciendi ſunt è Veteri Teſtamento, quos Iudæi in Canonem non admiſerunt: Ergo libri Noui Teſtamenti erunt reiiciendi. At falſum poſterius: ergo & prius. Reſpondeo, negari conſequentiam, quia diſtinguendum Nouũ Teſtamentũ à Veteri: Iudæorum etiam Synagoga poſt Chriſtũ à Iudæorũ Eccleſia Veteri. Nã & poſt Chriſtum Iudæi deſierunt eſſe Eccleſia, ac proinde nihil iuris habuerunt in Canonẽ non tantum Nouum, ſed ne Veterem quidem, adeo vt ſi illi aliquẽ librum adiecissent, non tamen foret recipiendus: & quandiu fuerunt Eccleſia vera, Nouũ non nouerunt. Non poſſumus ergo Iudæorum Eccleſiæ ſententiam ſequi in Canone Nouo, quæ nulla eſt: Hæc quia Hayus malitioſe confundit, ideo imperite concludit

VIII. Cordubenſis, vt doceat licuiſſe diſcedere à Canone Iudæorum ſic diſputat, *Sicut quædam fidei myſteria Synagogæ ignota Chriſtiana Eccleſia explicite credit, ita quorundam librorum auctoritas ignota Synagogæ, Euangelicæ Eccleſiæ eſt nota. Ob quam cauſam quidam Veteris Teſtamenti libri, videlicet Baruc, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Maccabæorum vnus & alter à Synagoga in Sacro Canone non recepti, ab Euangelica Eccleſia fuerunt approbati, & ſacris libris annumerati.*

IX. Reſpondeo Cordubenſem non bene comparare: non enim ſimilia eſſe myſteria Chriſtiana, libris illis quos Apocryphos dicimus. Nam primo myſteria illa nunquam fuerunt à Synagoga reiecta, ſed tantum ignorata: hi a. libri non ignorati, ſed excluſi ſiue reiecti à Canone. Eccleſia a. Chriſtiana, etſi ignorata hæc myſteria tum recepit quum ſunt manifeſtata, tamen nulla vnquam admiſit, aut etiam admittere potuit, quæ fuiſſent olim à fidelium Synagoga reiecta. Quare ſi paria facienda ſunt vtrinque, neque hos libros non ignoratos ſed reiectos non debuit admittere. Præterea, quæ myſteria recepta ſunt ab Eccleſia Chriſtiana præter ea quæ erant apud Iudæos, ea nõ ſunt in Symbolum, ſiue in legem Hebræorũ inſerta, ſed habentur duntaxat in Nouo Teſtamento. Rurſus igitur ſi paria facienda ſunt, quos libros Eccleſia approbauit, eos non debuit in Iudæorum, hoc eſt, Veteris Teſtamenti Canonem intrudere, ſed tantum in Noui Teſtamenti: quod non eſt factũ in his de quibus eſt quæſtio. Quare ſimilitudo à Cordubenſi inſtituta non procedit: nihil igitur probat.

CAP. X.

An ij libri numerati ſint olim in Apocryphis.

I. ARgumentum ſextum. Quos libros Eccleſia Chriſtiana numerauit inter Apocryphos, primis multis ſeculis, ij non ſunt Canonici. At hos libros, haſque librorum partes Eccleſia Chriſtiana primis multis ſeculis numerauit inter Apocryphos. Ergo non ſunt Canonici.

II. Minor probatur dupliciter: primo ab enumeratione Canonicorum, deinde ab Apocryphorum deſignatione. Canonis enumerationem habemus à plurimis auctoribus, qui omnes extra eum ordinem poſuerunt eos libros de quibus iam contendimus. Clemens Romanus Conſtitut. Apoſt. lib. 2. c. 57. *Lector ex loco edito legat libros Moſis, & Ieſu Naue, Iudicum & Regũ: item Paralipomenon, & Eſdram de reditu populi: præterea Iob, & Salomonem: ad hæc ſexdecim Prophetas. Peractis vero binis lectionibus, de binis libris alius quiſpiam Pſalmos Dauid canat, populus vero initia verſuum quæ dicuntur Acroſtycha ſuccinat.* Melito apud Euſebium hiſt. Eccleſ. 4. c. 26. Μελίτων Ὀνησίμῳ τῷ ἀδελφῷ χαίρειν. Ἐπειδὴ πολλάκις ἠξίωσας σπουδῇ τῇ πρὸς λόγον χρώμενος γενέσθαι σοι ἐκλογὰς ἔκ τε τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν περὶ τοῦ Σωτῆρος καὶ πάσης τῆς πίστεως ἡμῶν. ἔτι δὲ καὶ μαθεῖν τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων ἐβουλήθης ἀκρίβειαν, πόσα τὸν ἀριθμὸν, καὶ ὁποῖα τὴν τάξιν εἶεν, ἐσπούδασα τὸ τοιοῦτο πρᾶξαι ἐπιστάμενος σοῦ τὸ σπουδαῖον περὶ τὴν πίστιν, καὶ φιλομαθὲς περὶ τὸν λόγον. ὅτι τε μάλιστα πάντων πόθῳ τῷ πρὸς Θεὸν ταῦτα προκρίνεις περὶ τῆς αἰωνίου σωτηρίας ἀγωνιζόμενος. ἀνελθὼν οὖν εἰς τὴν ἀνατολὴν, καὶ ἕως τοῦ τόπου γενόμενος ἔνθα ἐκηρύχθη, καὶ ἐπράχθη, καὶ ἀκριβῶς μαθὼν τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία ὑποτάξας ἔπεμψά σοι. *Melito Oneſimo fratri ſalutẽ. Quãdoquidem ſæpe flagitaſti pro tuo in eruditionem ſtudio, collectanea ex lege & Prophetis, de Seruatore vniuerſaque fide noſtra: quin etiam doceri voluiſti ſinceritatem Veterum librorum, quo numero quo ſint ordine: hoc ipſum conatus ſum efficere cum nouerim tuum ſtudium in fide, cupiditatemque diſcendi: teque tendentẽ ad æternam vitam iſta præ amore in Deum præferre omnibus rebus. Itaq; profectus in Orientem, ad eum vſque locum, vbi illa prædicata, factaq;, diligenterque aſſequutus Veteris Teſtamenti libros, hic ſubiectos miſi ad te.* Numerus ita eſt, ὧν ἐστὶ τὰ ὀνόματα, Μωσέως πέντε Γένεσις, Ἔξοδος, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον, Ἰησοῦ Ναυῆ, Κριταὶ, Ῥοὺθ, Βασιλειῶν τέσσαρα, Παραλειπομένων δύο, Ψαλμῶν Δαβὶδ, Σολομῶνος Παροιμίαι ἡ Σοφία, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα Ἀσμάτων, Ἰὼβ, Προφητῶν Ἡσαΐου, Ἱερεμίου, τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ, Δανιὴλ, Ἰεζεκιὴλ, Ἔσδρας. Ἐξ ὧν καὶ τὰς ἐκλογὰς ἐποιησάμην. Haud aliter Origenes apud eundem libro ſexto capite vigeſimo quinto, οὐκ ἀγνοητέον δ' εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, ὡς Ἑβραῖοι παραδιδόασιν, δύο καὶ εἴκοσιν, ὅσος ὁ ἀριθμὸς τῶν παρ' αὐτοῖς στοιχείων ἐστίν. *Nõ ignorandũ eſſe Canonicos libros prout Hebræi tradiderunt, duos & viginti, quantus apud eos numerus eſt literarum.* Tum infert numerum, & nomina ſigillatim Græce & Hebraice.

III. Athanaſius in Synopſi, πᾶσα γραφὴ ἡμῶν χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστιν. οὐκ ἀόριστα δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία. καὶ ἔστι τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης ταῦτα, *Vniuerſa ſcriptura noſtra Chriſtianorum, diuinitus eſt inſpirata: neque infinita, verum determinata, vt in canonem redacta habet volumina. Sunt autem veteris Teſtamenti iſta,* Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Ioſue, Iudices, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon, Eſdras, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum, Iob, Duodecim Prophetæ, Eſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel. Nazianzenus carmine Græco Canonem clauſit, cuius initio vnumquemque hortatur ad eos libros euoluendos tum lingua, tum mente, cauendos vero Apocryphos: tum Canonicos ita numerat, Πρωτίστη Γένεσις, εἶτ' Ἔξοδος, Λευιτικόν τε, ἔπειτ' Ἀριθμοί, εἶτα Δεύτερος νόμος, ἔπειτ' Ἰησοῦς, καὶ Κριταί, Ῥοὺθ ὀγδόη· ἡ δ' ἐνάτη δεκάτη τε βίβλοι πράξεις βασιλήων. καὶ Παραλειπόμεναι, ἔσχατον Ἔσδραν ἔχεις. Atq; hos hiſtoricos nominat numero vndecim. Tum ſubiicit eos qui verſu compoſiti. αἱ δὲ στιχηραὶ πέντε, ὧν πρῶτός γ' Ἰώβ, ἔπειτα Δαυίδ, εἶτα τρεῖς Σολομωντίαι, Ἐκκλησιαστής, Ἆσμα καὶ Παροιμίαι. Deniq; ſubiungit Propheticos quinque, nempe quatuor maiorum Prophetarum & vnum minorum. καὶ πένθ' ὁμοίως πνεύματος προφητικοῦ. μίαν μέν εἰσιν ἐς γραφὴν οἱ δώδεκα, Ὠσηὲ κ' Ἀμὼς, καὶ Μιχαίας ὁ τρίτος, ἔπειτ' Ἰωὴλ, εἶτ' Ἰωνᾶς, Ἀβδίας, Ναοὺμ τε, Ἀββακούμ τε, καὶ Σοφονίας, Ἀγγαῖος, εἶτα Ζαχαρίας, Μαλαχίας. μία μὲν οἵδε. δευτέρα Ἡσαΐας, ἔπειθ' ὁ κληθεὶς Ἱερεμίας ἐκ βρέφους. εἶτ' Ἐζεκιὴλ, καὶ Δανιήλου χάρις. Atque hunc veteris Teſtamenti Canonem concludens: ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύω καὶ εἴκοσι βίβλους τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους. Repetit eandem ſententiã in fragmento ex Epiſt. 39. feſtali, *Quandoquidem aggreſſi ſunt aliqui deſcribere ſibi Apocrypha, quæ dicuntur,* καὶ ἐπιμίξαι ταῦτα τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ περὶ ἧς ἐπληροφορήθημεν. *Et ea cum diuinitus inſpirata Scriptura confundere, de qua certiſſime perſuaſi ſumus: Viſum eſt, & mihi ab initio ordine exponere Canonica,* τὰ κανονιζόμενα καὶ παραδοθέντα, πιστευθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία, *vt tradita, nec nõ credita diuina Biblia. Sunt igitur Veteris Teſtamenti libri viginti duo: tot enim (vt audiui) etiam literæ apud Hebræos eſſe traduntur.* Et enumeratione abſoluta: ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται. μηδεὶς τούτοις ἐπιβαλλέτω, μηδὲ τούτων ἀφαιρείσθω τι. *In his ſolis pietatis Schola beate annuntiatur. Nemo his addat, neque hinc auferat quicquam.* Et paulo poſt, *Adiiciam & hoc neceſſario, ſciens, quod etiam alij libri ſint extra hoſce enumeratos,* οὐ κανονιζόμενα μὲν, *qui non quidem Canonem conſtituunt: ſed propoſita ſunt à Patribus legenda eis qui primum accedunt, & ſimpliciter edoceri volunt ſermonem pietatis.* Nominatque Sapientiam Solomonis, & Sapientiam Sirach, Eſter, Iudith, & Tobiam: & doctrinam Apoſtolorum, & Paſtorem.

IV. Hieronymus Epiſtola ad Paulinum eundem Catalogum recenſet, *Spiritus Sanctus eſt qui in veteri Teſtamento legem & Prophetas, in Nouo vero Euangelia & Apoſtolos inſpirauit: vnde & Apoſtolus dicit: Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum. Et ideo quæ ſunt noui ac veteris Teſtamenti volumina, quæ ſecundum maiorum traditionem per ipſum Spiritum ſanctum inſpirata creduntur, & Eccleſiis Chriſti tradita, competens videtur in hoc loco euidenti numero, ſicut ex Patrum monumentis accepimus, deſignare.* Tum ſequitur enumeratio eadem, quam nos aſtruximus. Epiphanius libro de ponderibus & menſuris, οὕτως γοῦν σύγκεινται αἱ βίβλοι ἐν πεντατεύχοις τέτταρσι. καὶ μένουσιν ἄλλαι δύο ὑστεροῦσαι, ὡς εἶναι τὰς ἐνδιαθέτους βίβλους οὕτω, πέντε μὲν νομικὰς, Γένεσιν, Ἔξοδον, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὺς, Δευτερονόμιον, αὕτη ἡ Πεντάτευχος καὶ ἡ Νομοθεσία. πέντε γὰρ στιχήρεις, ἡ τοῦ Ἰὼβ βίβλος, εἶτα τὸ Ψαλτήριον, Παροιμίαι Σολομῶντος, Ἐκκλησιαστὴς, Ἆσμα Ἀσμάτων. εἶτα ἄλλη Πεντάτευχος τὰ καλούμενα γραφεῖα, παρά τισι δὲ ἁγιόγραφα λεγόμενα, ἅτινά ἐστιν οὕτως· Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ βίβλος, Κριτῶν μετὰ τῆς Ῥοὺθ, Παραλειπομένων πρώτη μετὰ τῆς δευτέρας, Βασιλειῶν πρώτη μετὰ τῆς δευτέρας, Βασιλειῶν τρίτη μετὰ τῆς τετάρτης. αὕτη τρίτη πεντάτευχος. ἄλλη Πεντάτευχος, τὸ δωδεκαπρόφητον, Ἡσαΐας, Ἱερεμίας, Ἐζεκιὴλ, Δανιήλ. καὶ αὕτη ἡ προφητικὴ Πεντάτευχος. ἔμειναν δὲ ἄλλαι δύο, αἵτινές εἰσι τοῦ Ἔσδρα μία καὶ αὕτη λογιζομένη, καὶ ἄλλη βίβλος ἡ τῆς Ἐσθὴρ καλεῖται. ἐπληρώθησαν οὖν αἱ εἴκοσι δύο βίβλοι. *Sic conſiunt libri in quinariis quatuor: abundantibus duobus: vt ſint Canonici libri hoc ordine. Quinque legales, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri Deuteronomium. Hæc eſt Pentateuchus, & Legis latio. Quinque Poetici, Iob, Pſalteriũ, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Quinque alij eorum qui* γραφεῖα *dicuntur, à quibuſdam Hagiographi. Ioſue, Iudices vna cum Ruth, Chronicorum primus cum ſecundo, Regum primus cum ſecundo, tertius cum quarto. Alii quinque, duodecim Prophetæ. Iſaias. Hieremias, Ezechiel, Daniel, quæ Prophetarum eſt Pentateuchus. Superſunt duo, Eſdras, & Eſter. Sic completi viginti duo libri.* Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi illuminat. 4. *Diligenter ab Eccleſia diſce qui ſint Veteris & qui Noui Teſtamenti libri, & nihil Apocryphum legas: cũ enim ne iſta quidem, quæ omnes confitentur, ſcias, quid in dubiis diſcere laboras? Lege Sacras Scripturas, nempe viginti duos Veteris Teſtamenti libros, quæ à ſeptuaginta duobus interpretibus, translatæ ſunt.* Et poſt pauca, *Ac Veteris quidem Teſtamenti, vt dictum eſt, viginti duos meditare libros, quos ſi ita cupis poteris ex me nominatim audire.* Tum ſequitur Catalogus, idem qui prius, inſerto tamen Baruc. Amphilochius etiam carmine Nazianzenum eſt imitatus: tantũ de Eſter monuit à quibuſdam addi. τούτοις προσεγκρίνουσι τὴν Ἐσθὴρ τινές. Cõcilium Laodicenum Canone 59. in 1 Concil. tom. *Non oportet* (inquit) *ab idiotis Pſalmos compoſitos & vulgares in Eccleſiis dici, neq; libros, qui ſunt extra Canonem legere: niſi ſolos Canonicos Veteris & Noui Teſtamenti: quæ autem oporteat legi & in auctoritatem recipi, hæc ſunt.* Tum ſubditur idem catalogus.

V. Leontius Aduocatus Byzantinus libro de Sectis, action. 2. ἀπαριθμησώμεθα τὰ Ἐκκλησιαστικὰ βιβλία. τῶν τοίνυν Ἐκκλησιαστικῶν βιβλίων τὰ μέν ἐστι τῆς παλαιᾶς εἰσὶ γραφῆς. τὰ δὲ τῆς νέας. παλαιὰν δὲ λέγομεν γραφὴν, τὴν πρὸ τῆς παρουσίας τοῦ Χριστοῦ. νέαν δὲ τὴν μετὰ τὴν παρουσίαν. τῆς μὲν οὖν παλαιᾶς βιβλία εἰσὶν εἴκοσι δύο, de hinc longum texit vtriuſque Teſtamenti catalogum, quem ita concludit. ταῦτά ἐστι τὰ κανονιζόμενα βιβλία ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ καὶ παλαιὰ καὶ νέα. Damaſcenus, poſtquam ſedulo Chriſtianos hortatus eſt ad Scripturarum lectionem, c. 18. libr. 4. Orthod. fidei, ἰστέον (inquit) δὲ ὡς εἴκοσι καὶ δύο βίβλοι εἰσὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης, κατὰ τὰ στοιχεῖα τῆς Ἑβραΐδος φωνῆς. εἴκοσι δύο γὰρ στοιχεῖα ἔχουσιν, ἐξ ὧν πέντε διπλοῦνται, ὡς γίνεσθαι αὐτὰ εἰκοσιεπτά.

VI. Lyranus prologo 1. in Biblia ſatis prolixe & diſerte huius diſtinctionis in Canonicos & Apocryphos, vſum exprimit, & commendat, *Quia ſunt* (inquit) *multi qui ex eo, quod nõ multã operã dant Sacræ Scripturæ, exiſtimãt omnes libros, qui in Biblia cõtinẽtur, pari veneratione eſſe reuerẽdos atq; adorãdos, neſcientes diſtinguere inter libros Canonicos, & nõ Canonicos, quos Hebræi inter Canonica cõputãt, vnde ſæpe corã doctis ridiculi vidẽtur, & perturbãtur ſcandalizã-*

turque, cum audiunt aliquem non pari cum cæteris omnibus veneratione persequi aliquid, quod in Biblia legatur: idcirco id distinximus, & distincte enumerauimus, primo libros Canonicos, & postea non Canonicos, inter quos tantum distat, quantum inter certum & dubium. Et interpositis nonnullis, quæ nos alias transcripsimus: *Sunt igitur* (inquit) *libri Canonici Veteris Testamenti viginti duo:* numerumque & nomina recenset, prorsus eadem quæ & nos. Richardus à Sancto Victore Exceptionum libr. 2. *Omnis diuina Scriptura in duobus Testamentis continetur, Veteri vid. licet & Nouo: vtrumque Testamentum tribus ordinibus distinguitur. Vetus Testamentum continet Legem & Prophetas & Hagiographos. Nouum autem, Euangelia, Apostolos, Patres.* Tum sequitur librorum enumeratio.

VII. Atque hæ sunt enumerationes Canonicorum: Iam vero Apocryphos isti nominatim designarunt: Origenes apud Eusebium li. 9. c. 25. post enumerationem Canonicorum: ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκά: nullo loco aut nominatis aut significatis reliquis. Athanasius in Synopsi similiter: ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία τῆς αὐτῆς παλαιᾶς διαθήκης, οὐ κανονιζόμενα μὲν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις ταῦτα, Tum nominat sapientiam Salomonis, Sapientiam Iesu filij Sirach: Esther, Iudith, Tobit. Maccabæos vero nullo prorsus loco, quasi non nouisset. Eusebius in Chronico ad annum primum Seleuci, *Maccabæorum Hebræa historia hinc Græcorum supputat regnū: verum hi libri inter diuinas scripturas non recipiuntur.* Epiphanius in libello de ponderibus & mensuris post enumeratos Canonicos: αἱ γὰρ στιχήρεις δύο βίβλοι, ἥτε τοῦ Σολομῶντος, ἡ πανάρετος λεγομένη, καὶ ἡ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ Σιράχ, ἐκγόνου δὲ τοῦ Ἰησοῦ, τοῦ καὶ τὴν σοφίαν ἑβραϊστὶ γράψαντος, ἣν ὁ ἔκγονος αὐτοῦ Ἰησοῦς ἑρμηνεύσας ἑλληνιστὶ ἔγραψε, καὶ αὗται χρήσιμοι μέν εἰσι καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται, Et rationem statim reddit, ibi tamen corruptus est Codex Græcus, ita inferens, διὸ δὲ ἐν τῷ Ἀαρὼν ἀνετέθησαν, τοῦτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. Corruptionem Cornarius olfecit, quum verteret Latine, *Quare neque in Aaron, neque in Testamenti arcam repositi sunt:* non feliciter tamē: non enim diuersa sunt Ἀαρὼν, & κιβωτὸς τῆς διαθήκης: sed cū prior vox Hebræa sit, explicatur per posteriorem Græcam. Itaque locus corrigendus est in hunc modum, διὸ οὐδὲ ἐν τῷ Ἀαρὼν ἀνετέθησαν, τοῦτ' ἐστὶν ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ. *Propterea neque in Aaron repositi sunt, hoc est in arca Testamenti.* Hæc corruptio fefellerat, opinor, volentem Bellarminum, vt diceret c 10. Epiphanium docere duo genera Hagiographorum Iudæos habuisse quædam intra arcam, quædam extra arcam. Iunio etiam imposuit nostro viro doctissimo, vt per Ἀαρὼν intelligeret capsam Ecclesiasticam: quam vnde habuerit, alij viderint. Certe emendatio nostra vicinior est scripturæ vulgatæ, procliuior enim mutatio τοῦτε in τοῦτ' ἐστὶν quam in οὐδὲ & הארון esse, arcam fœderis, patet ex vsu Scripturæ Numer. 10. Deuter 10. & alias, vbi Hebraice ארון ברית Græce dicitur κιβωτὸς τῆς διαθήκης. Hanc arcam Tertullianus de habitu muliebri c. 3 vocauit Armarium Iudaicum.

VIII. Hieronymus in prologo galeato, *Hic prologus scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum conuenire potest, vt scire valeamus, quicquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Solomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone. Maccabæorum primum librum Hebraicum reperi: secundus Græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.* Item prologo in Esdram & Nehemiam. *Nec quenquam moueat quod vnus à nobis liber editus est, nec Apocryphorum tertij & quarti libri somniis delectetur: quia & apud Hebræos Esdræ, Nehemiæque sermones in vnum volumen coartantur & quæ non habentur apud illos, nec de vigintiquatuor senibus sunt procul abijcienda.* Item prologo in libros Salomonis, *Fertur & πανάρετος Iesu filij Sirach & alius ψευδεπίγραφος, qui Sapientia Solomonis inscribitur: quorum priorem Hebraicum reperi, non Ecclesiasticum, vt apud Latinos, sed Parabolas prænotatum, cui iuncti erant Ecclesiastes & Canticum Canticorum: vt similitudinem Solomonis, non solum numero librorum, sed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nusquam est, quin & ipse stylus Græcam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudæi Philonis affirmant. Sicut ergo Iudith, & Tobiæ, & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit, sic & hæc duo volumina legit ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Et in Hieremiam, *Libri autem Baruc, notarij eius, qui apud Hebræos nec legitur nec habetur, prætermisimus.* In Danielem, *Hæc idcirco refero, vt difficultatem vobis Danielis ostenderem, qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis & Draconis fabulas, quas nos quia in toto orbe dispersæ sunt, veru anteposito easque iugulante subiecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.*

IX. Rufinus in expositione Symboli, *Sciendum tamen est, quod & alij libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à maioribus appellati sunt, vt est Sapientia Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur Iesu filij Sirach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non autor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Eiusdem ordinis est libellus Tobiæ, & Iudit, & Maccabæorum libri. In nouo vero testamento libellus qui dicitur Pastoris siue Hermetis, qui appellatur duæ viæ, vel iudicium Petri: quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.* Augustinus quicunque ille est autor operis de mirabilibus Sacræ Scripturæ libro 2. cap. postrem. *In Maccabæorum libris, etsi aliquid mirabilium numero inserendum conueniens fuisse ordini inueniatur, de hoc tamen nulla cura fatigabimur: quia tantum agere proposuimus, vt de diuini Canonis mirabilibus exiguam, quamuis ingenioli nostri modulum excedentem historicam expositionem ex parte aliqua tangeremus.* Philastrius in Prodianitis, *Hi* (inquit) *Sapientiæ libro vtuntur Sirach illius, qui scripsit post Solomonem, id est post multa tempora librum vnum Sapientiæ.* Gregorius Romanus eius nominis 1. moral libr. 19. capit 13. cum testimonio Maccabæorum vti vellet Eleazaris mortem describentium, in hæc verba sibi præfandum putauit, *De quare non inordinate agimus, si ex libris licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus.* Adde Damascenum de fide libro 4. cap. 8.

X. Lyranus prologo 1. post enumeratos Canonicos, *Quicquid autem extra hos est (de veteri testamento loquor) vt dicit Hieronymus, inter Apocrypha est ponendum. Isti sunt libri qui non sunt in Canone, quos tamen Ecclesia vt bonos & vtiles libros admittit, non vt Canonicos: inter quos sunt aliqui maioris autoritatis, aliqui minoris. Nam Tobias, Iudith, & Maccabæorum libri, Sapientia quoque, atque Ecclesiasticus, valde ab omnibus probantur,* Et post pauca, *Minoris autem autoritatis sunt Baruc, & tertius ac quartus Esdræ.* Et multo post, *Præterea est sciendum quod in libro Ester illa duntaxat sunt in Canone, quæ scribuntur vsque ad eum locum, vbi posuimus, finis libri Ester, prout est in Hebræo, quæ postea sequuntur, non sunt in Canone. Similiter in Daniele, illa tantum sunt in Canone, quæ sunt vsque ad eum locum vbi posuimus, finit Daniel Propheta, quæ postea sequuntur non sunt in Canone:* Petrus Cluniacensis libr. 1. Epist. 2. (recitante Coccio) cum libros authenticos recensuisset, subiungit, *Restant post hos authenticos Scripturæ libros, sex non reticendi libri: Sapientiæ Iesu filii Sirach, Tobiæ, Iudith, & vterque Macchabæorum liber: qui etsi ad sublimem illam præcedentium dignitatem peruenire non potuerunt, propter laudabilem tamen & pernecessariam doctrinam ab Ecclesia suscipi meruerunt.* Rupertus in Genesin lib. 3. c. 31. *Hæc Scriptura,* (Sapientiam intelligit) *neque de Canone est, neque de Canonica Scriptura sumpta est sententia hæc: Quod ergo illic dictū est maiori facilitate parui penditur, quam suscipitur.* Richardus à Sancto Victore exceptionum lib. 2. c 9. *Sunt præterea & alii libri, vt Sapientia Salomonis, liber Iesu filii Syrach, & liber Iudith, & Tobias, & liber Maccabæorum, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in Canone,* Denique glossator Decretorum Dist 15. ad ca. Canones. *Sapientia Salomonis, liber Iesu filij Sirach, qui dicitur Ecclesiasticus, & liber Iudith, & Tobiæ, & liber Maccabæorum: hi Apocryphi dicuntur, & tamen leguntur, sed non forte generaliter.*

XI. Hos omnes habemus, non quidem auctores, sed certe testes nostræ de Scripturarum Canone sententiæ, aduersus Papistarum inuocationem, id est, Tridentini Concilij determinationem. Atque ea quidem testimonia placuit diligentius recitare, vt vanitatem Papistarum certius agnoscant omnes qui iactantes consensum totius Ecclesiæ ab ipsis Apostolorum temporibus: suæ tamen enumerationis testes non possunt altius repetere, quam à seculo quarto extremo: & quidem ex eo ipso tantum, Augustinum, Innocentium, & Concilium Carthaginense: cum nos secula continuemus plurima, ab ipso Christo. Nam Apostolis ipsis superstitibus non fuisse alium Canonem facile probamus: quia tum oportuisset notum esse vel Iudæis, vel Christianis. At neutris: Ergo ne erat quidem. Non fuisse Iudæis cognitum probauimus argumento præcedenti. Non fuisse notum Christianis, Sixtus Senensis Papista testatur, qui libros illos à Iudæis non receptos, longe dicit post Apostolos ad totius Ecclesiæ notitiam peruenisse. Ex sequentibus seculis fere omnibus aliquos nominauimus testes, ex quarto etiam plurimos. Itaque nostra longe superior est caussa in hoc argumento ab autoritate Ecclesiasticorum doctorum, quod aduersariis erat, si non vnicum, certe præcipuum. Nunc quid excipiant, considerandum.

CAP. XI.

An qui olim reiecti sunt, deinceps admitti debuerint.

I. MAiorem igitur quidam negant, asserentes non tam prima secula Ecclesiæ quam postrema attendenda: non enim fuisse ab ipso initio Canonem constitutum. Sic Duræus contra Withakerum libr. 1. *Quis non miretur tantum Theologum nondum didicisse, non omnes Canonicæ scripturæ libros eodem tempore ab vniuersa Ecclesia receptos fuisse?* Et rursus, *Ad Laodicenum Concilium redis, cum iam millies responsum sit, non omnes ea ætate libros in Canonem fuisse receptos.* Melchior Canus in eandem sententiam ad autoritatem Rufini sibi obiectam respondens, *Eo tempore res nondum erat definita, qua etiam ratione & aliquos* (nimirum Patres qui Canonem enumerauerunt olim, qualem Iudæi habebant) *excusamus.* Stanislaus Hosius contra Brentium lib. 3. hanc profert assertionem Ecclesiæ suæ, *Scripturam Sacram Catholica fides agnoscit, quæ continet noui & veteris Testamenti libros, quos à Spiritu Sancto editos Ecclesia agnoscit & veneratur: & quanquam inter hos illi primum locum teneant, de quibus nunquam dubitatum est, quosque semper omnes susceperunt Ecclesiæ: nec tamen propterea quos non omnes susceperunt, extra Canonem habere debent consentientes Ecclesiæ filii, si eos posteriori tempore constat susceptos esse in Ecclesia vt Canonicos.* Quinetiam Stapletonus in Relectione Principiorum Controuers. 5. quæstion. 2. art. 4. disputat posse Ecclesiam aliquando libros olim dubios sua auctoritate Canonicos facere: quin longius progressus audaciæ, articulo quarto, præsentem asserit Ecclesiam aliquos libros in Canonem referre etiam hodie posse: exempli gratia Pastorem Hermetis, & Clementis constitutiones.

II. Argumenta illis hæc sunt. Hosio, *Etsi de nonnullis dubitatum fuit aliquando, num ideo dubitari perpetuo debet? Dubitauit etiam Thomas de Christi resurrectione: num in hac sua dubitatione permanere nihilominus debuit, etiam postquam suas illi cicatrices Christus ostendit? Sed sicut dubitatum est à Thoma, ne dubitaretur à nobis, sic etiam de quibusdam Scripturæ Canonicæ libris dubitatum aliquando fuit, vt per eorum, quorum intererat, præsertim vero Patrum in Concilio congregatorum sententiam dubitationi quandoque finis imponeretur.* Duræo, *Et olim de nonnullis Sacræ Scripturæ libris à plerisque dubitatum fuit, de quibus ne vos quidem ipsi nunc dubitandum esse dicere audetis.*

III. Stapletonus rem totam illustrat subtilius quæsitis distinctionib. Dubitari igitur ait potuisse de aliquo libro, vel vt tam à doctis, quā ab indoctis de eius fide dubitaretur, nec vnquam ab aliquo in Ecclesia vel populo fideli, vel magistro Ecclesiastico, approbatus fuerit: Vel vt dubius fuerit respectu populi fidelis, quia publice non esset receptus, sed non respectu doctorum, à quibus interdum allegatur, idque duobus modis, vel vt sanctus & vtilis, vel vt plane diuinus. Ita iam fieri tres librorum ordines: primum ordinem, à nemine probatū, secundū à doctis probatum duntaxat, tanquam vtilem & sanctū: tertium à doctis probatum, tanquā plane diuinum. Primi ordinis libros certo fuisse Apocryphos, & suppositios, nec posse ab Ecclesia

fieri

fieri Canonicos: Secundi ordinis, cum ab initio ſemper viderentur eſſe ſancti & boni, tandem etiam pro diuinis & Canonicis declaratos eſſe: Tertii, à patribus proxime ſubſequentibus relatos eſſe in Canonem. Hæc aduerſarii.

IV. Nos contra. Primo pertinacius quam verius negari conſtitutum fuiſſe Canonem. Teſtes enim produximus ex variis ſeculis, adusque quartum decimum. Quin etiam potuimus ex quinto decimo, & ſexto decimo, nempe teſte Cano, Abulenſem, Antoninum, Caietanum. Quid igitur? ne his quidem poſtremis ſeculis volunt Canonem eſſe conſtitutum, præterquam nuper in Concilio Tridentino? Nam decretum, opinor, nullum proferre poſſunt, ante Tridentini Conciliabuli θέσπισμα. Illi tamen argumento primo 1. lib. Canonem repetebant inde ab ipſo Auguſtini ſeculo: at poſt id ſeculum teſtes habemus non paucos, Leontium, Damaſcenum, Gregorium, auctorem librorum de mirabilibus Scripturæ, qui Auguſtino tribuuntur, Lyranum, Richardum de S. Victore Sed ex eodem etiam ſeculo nominamus multo plures, quam illi. Habent enim tantum, vt dicebam, Innocentium, Auguſtinum, & Concilium Carthaginenſe tertium. Nos vero Athanaſium, Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, Rufinum, Epiphanium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Amphilochium, Philaſtrium, & Concilium Laodicenum. Eligant vtrum velint: Vel enim quarto ſeculo conſtitutus fuit Canon, vel non fuit conſtitutus. Si fuit, tum nos oportet plures teſtes paucioribus præferre, & credere conſtitutum fuiſſe non qualem ex triplici tantum teſtimonio, Papiſtæ colligunt, ſed qualem nos probamus nouem teſtibus. Si non fuit, tum doctorum nominatorum auctoritas non maior eſt, quam quanta eſſe poteſt eorum qui ſuam ſententiam exprimunt, & rurſus plurium ſententia præferenda eſt: vt vtroque modo euincamus Canonem noſtrum vel tum fuiſſe conſtitutum, vel poſtea fuiſſe conſtituendum.

V. Sed fuiſſe conſtitutum diſertius probo, primo ratiocinatione, deinde teſtibus. Sic enim argumentor: Si non fuit tum conſtitutus, ergo nunquam. At non fuit nunquam conſtitutus: Ergo tunc. Aſſumptionem vtrique concedunt: Conſequentia probatur, quia, ſi tum non erat conſtitutus, & tamen aliquando fuit conſtitutus: ergo oportet aliquo poſtea ſeculo fuiſſe conſtitutum. At hoc eſt falſum. Ergo & illud. Aſſumptum patet, quia poſt quartum ſeculum, quod erat Auguſtini, nihil accidit noui quo conſtitui potuerit. Non enim aliquis vnus tantam rem potuit ſua autoritate definire. At nullum poteſt vniuerſale Concilium proferri, quod ſuo decreto quicquam cauerit huiuſmodi. Trullanum enim etſi confirmauit Concilium Carthaginenſe, tamen, vt alias diximus, & ab ipſis aduerſariis non agnoſcitur pro legitimo, & confirmauit etiam Concilium Laodicenum, Florentinum autem & Tridentinum, ſi comparentur ad Trullanum, ne Concilij quidem nomine digna inuenientur, non vniuerſalia, non legitima, non orthodoxa aut Catholica: ſed particularia, latrocinantia, & hæretica. Ergo nullo poſt quartum ſeculum tempore, canon fuit conſtitututus.

VI. Sed teſtes habemus diſertos. Nam ipſi antiqui illi Patres nonne ſubinde Canonem nominant? At ſi nullus fuiſſet, quis nominaſſet? Nec id tantum, ſed diſerte diſtinguunt libros Canonicos ab Apocryphis, quod fieri non potuit, quin iam tum certus eſſet eorum numerus quos Canonicos appellarent Sed quid coniecturis ago? Audiamus Auguſtinum lib. 11. contra Fauſtum cap. 5. *Diſtincta eſt à poſteriorum libris, excellentia Canonica autoritatis Veteris & Noui Teſtamenti, qua Apoſtolorum confirmata temporibus, per ſucceſſiones Epiſcoporum, & propagationes Eccleſiarum, tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſeruiat omnis fidelis & pius intellectus.* Idem lib. 15. de Ciuit. Dei c. 21. de Apocryphis, *Qua omnia ſub nomine Apocryphorum autoritate Canonica diligenti examinatione remota ſunt.* Vbi tamen videtur reſtituenda propoſitio, vt legamus ab autoritate Canonica; ne quem fallat amphibolia. Athanaſius etiam ante Auguſtinum ita ſcripſerat, habere ſcripturam, οὐκ ἀόριστα ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα, καὶ κεκανονισμένα βιβλία. Quibus verbis reſpondent Auguſtini verba ex 3. c. li. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, *Quis neſciat ſanctam Scripturam Canonicam* (βιβλία κεκανονισμένα) *certis ſuis terminis contineri?* οὐκ ἀόριστα, ἀλλὰ ὡρισμένα. Quid potuit luculentius dici, ad refellendam aduerſariorum negationem? Et ſane eo pluris hæc facienda teſtimonia, quod nullum aduerſarii autorem proferre poſſunt, qui aliquando ſignificauerit nondum fuiſſe conſtitutum Canonem. Quod autem non omnes conueniunt in nominandis omnibus libris qui ad eum Canonem pertinent, non ſufficit ad euincendum eum Canonem non fuiſſe conſtitutum, ſed arguit duntaxat, nõnullos ſibi plus æquo permiſiſſe in eo Canone iudicando. Eſt autem valde iniquum, de omnium Eccleſiarum ſententia iudicare, ex paucorum virorum teſtimonio. Sunt enim omnino pauci ii qui de nonnullis Noui Teſtamenti libris paulo ſenſerunt iniquius, ſi cæteris comparentur.

VII. Hoſii & Stapletoni determinatio habet pro fundamento dubitationem, quam neceſſe eſt, niſi longe diſcedant aduerſarii à vocis proprietate, ita intelligi, vt ſignificet non ſatis certos fuiſſe Patres vtrum Canonici fuerint libri, an vero Apocryphi. Itaque dico aduerſarios multipliciter peccare. Primo, Stapletonum: qui inter libros, de quibus ſit dubitatum, etiam eos numeret, qui nunquam ſint in Eccleſia probati neque à populo, neque à doctoribus. Et eos rurſus, qui à Patribus proxime poſt Apoſtolos, relati ſunt in Canonem. Quæ certe magna eſt incogitantia. Secundo omnes, hac exceptione vtentes ad nominatos à nobis ex antiquitate teſtes. Quid enim? an audent aſſerere ab iis dubitatum eſſe? At verba contrarium ſignificant, omnes enim, libros à nobis Apocryphos appellatos nullo verbo ſignificant poſſe introduci in Canonem, ſed ſecuri excludunt. Exempli gratia, cum dixit Hieronymus, quidquid extra hos eſt, inter Apocrypha eſſe ponendum, dubitantiſne videtur ea vox an certo affirmantis? Rurſus, cum vult, quæcunque non ſunt apud Hebræos, procul eſſe abiicienda, an ſupereſt aliquid quo niti poſſint ii qui auſint dicere non ſatis certum fuiſſe Hieronymum, quo in ordine illa conſtituerentur?

VIII. Quin potius conſiderent, ex noſtris teſtibus nullum eſſe qui non confidenter teſtimonium dicat, neminem qui ſibi in hac cauſa diffidere vel teſtetur, vel tantillo prodat indicio: Quantam confidentiam ſuis omnibus vindicare non poſſunt. Nam Auguſtinus & cum totum Canonem enumerat, vt alias obſeruauimus, præmunit auditorem certis cautionibus, vt ne omnes eodem habeat loco, vſque adeo vt eum Bellarminus negarit æque certum fuiſſe de omnibus vtrum eſſent Canonici. Et cum de Maccabæis nominatim agit, ita meticuloſum videas, ita conſideratum, ac titubantem, vt pene miſerationem excitet. Receptus eſt, inquit, Eſto, inquam: ſed quomodo? Non inutiliter: quam timide! propter quorundam martyrũ paſſiones Caute! Si ſobrie legatur. Quis non hoc verbo titubantem agnoſcat? Nam profecto Geneſeos liber ſiue caute legatur, ſiue incaute, tamen eſt Canonicus. Itaque ſi quicquam in hoc argumento dubitatio valet, valet profecto pro nobis aduerſus Canonem Tridentinum.

IX Tertio peccat Stapletonus, qui populum opponat magiſtris Eccleſiaſticis. Sic enim Schiſmaticam nobis Eccleſiam refert: in qua variæ ſint in rebus fidei, diſcrepanteſque Doctorum & plebis ſententiæ, quod non oportet: vix etiam fieri poteſt, cum libros non aliunde plebs accipiat quam à Doctoribus: nec librorum etiam autoritatem, quanta cuique tribuenda ſit: niſi forte eos nobis doctores proponat, qui plebem non doceant: cuiuſmodi apud Papiſtas ſunt infiniti, ex quorum, credo, modulo reliquos metitus eſt.

X. Quarto, ſi quicquam ad rem hæc facit oppoſitio, tum ea pro nobis militat. De his enim libris qui à nobis ex Canone eiiciuntur, docti dubitarunt, imperitis contra ſentientibus. Teſtes habeo, primo Hieronymum Prologo in Danielem qui teſtatur ſe ſubieciſſe Suſannæ hiſtoriam, Hymnum trium puerorum, Belis & Draconis fabulas, *ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncaſſe.* Secundo Lyranum prologo 1. *multi qui ex eo quod non multam operam dant Sacra Scriptura, exiſtimant omnes libros qui in Biblia continentur, pari veneratione eſſe reuerendos atque adorandos, neſcientes diſtinguere inter libros Canonicos, & non Canonicos, quos Hebrai inter Canonica computant, vnde ſape coram doctis ridiculi videntur.* Significãt igitur Hieronymus & Lyranus ſuo tempore imperitiores libros eos habuiſſe pro Canonicis, ſed peritiores dubitaſſe, ſiue potius non dubitaſſe, ſed eos habuiſſe pro Apocryphis.

XI. Iam ad Hoſii exemplum, reſpondeo, non eſſe ſimile. Nam primo; diſſimilitudo magna eſt inter vnicum Thomam, nondum accepto Spiritu Sancto, & vniuerſam Eccleſiam, in qua ſunt ipſi Apoſtoli, qui etiam poſt Spiritum S. acceptum cœlitus, hos libros reliquerunt inter Apocryphos: quæ differentia, indicat illam Thomæ dubitationem de reſurrectione, originem habuiſſe ex eius defectu, ideoque fuiſſe vitioſam: ſed hoc de Apocryphis iudicium non poſſe imputari humanæ infirmitati: quia in rebus fidei, ducti ſint Apoſtoli in omnem veritatem. Secundo eam reſurrectionem Thomas in dubium vocauit, quam non habebat cognitam: ſed hos libros ii reliquerunt inter Apocryphos, à quibus erant optime cogniti; & quidẽ, vt loquebatur Auguſtinus, habito diligenti examine. Tertio, Thomas de reſurrectione tantum dubitauit, at non etiam negauit Chriſtum reſurrecturum. Sed de his libris non tantum dubitarunt partes, vtrum eſſent Canonici, quaſi rem totam in medio relinquerent, ſed conceptis verbis & negarunt eſſe Canonicos, & aſſeruerunt eſſe Apocryphos: imo etiam dixerunt non eſſe recipiendos, imo potius reiiciendos. Quarto ea reſurrectio certiſſimis argumentis ſe poſtea credendam prodidit Thomæ, vt dubitare deſiſteret. At hos libros qui inter Apocryphos primo nominabant, nunquam deinceps ſententiam retractarunt: imo ne poſt eos quidem nulla apparent noua argumenta quibus doceantur recipiendi, ſed ne quidem eſſe recepti. Quare quemadmodum in reliquis fidei articulis, quia conſtat eos qui hominem nudum aſſererent Chriſtum ab ipſo ſtatim initio repudiatos, deinceps etiam nunquam eſſe recipiendos: ſimili prorſus ratione, cum certum ſit hos libros ab ipſo Apoſtolorum ſeculo fuiſſe à Canone excluſos, neceſſe eſt, vt eos nunquam deinceps admittat Eccleſia.

XII. Alphonſus de Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes cap. 2. ſic diſputat, *Eritne Eccleſia ſemper in eodem ſtatu vt nunquam proficiat? Abſit. Proficit enim, vt in virtutibus & bonitate, ita in ſcientia & doctrina, Deo eam quotidie plenius illuſtrante. Propter hoc in Canticis, Eccleſia comparatur Auroræ. Qua eſt iſta, inquit, qua progreditur tanquam Aurora conſurgens? Aurora autem temporis ſucceſſu magis ſplendet, vehementius rutilat. Sic etiam ſi velimus Eccleſiam à calce, vt dicitur, ad carceres reuocare, quam parua lux in principio naſcentis Eccleſia? tunc enim pauciſſimis notum myſterium illud abſconditum. Illi etiam quibus noſſe datum eſt (Apoſtolos excipio) non tam plene & perfecte ſicut poſteri. Quo fit vt multa nunc ſciamus, qua à primis patribus aut dubitata, aut prorſus ignorata fuerunt.*

XIII. Reſpondeo Eccleſiam ſemper proficere, in membris ſuis, quæ quotidie promouent in fide & pietate. Sed fidem ipſam non promoueri ſic vt augeantur fidei dogmata, & aliquot poſt Apoſtolos ſeculis, nonnulla reuelentur, quæ ab initio non eſſent reuelata. Ita diſerte Lyranenſis, *Adnunciare aliquid Chriſtianis Catholicis, prater id quod acceperunt, nunquam licuit, nuſquam licet, nunquam licebit: & anathemare eos qui adnunciant aliquid praterquam quod ſemel acceptum eſt, nunquam non oportuit, nuſquam non oportet, nunquam non oportebit.* Sed & idem de profectu Eccleſiæ. *Dicat aliquis, Nulluſne ergo in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? Habeatur plane, & maximus. Nam quis ille eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, qui iſtud prohibere conetur? Sed ita tamen, vt vere profectus ſit ille fidei, non permutatio, ſiquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſam vna quaque res amplificetur: ad permutationem vero, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet & multum vehementerque proficiat tam ſingulorũ quam omnium, tam vnius hominis, quam totius Eccleſia atatum, ac ſeculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia: ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, qua licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant, & explicent, eadem tamen qua erant permanent.* Et reliqua in eandem ſententiam egregia. Itaque fallitur Alphonſus, qui ita proficere vult Eccleſiam, vt quotidie nouas addat fidei particulas. Fallitur cum negat plurima fuiſſe initio Eccleſiæ cognita, quæ nos hodie cognoſcimus. Etſi enim verum ſit in Eccleſia Papiſtica, multa haberi eiuſmodi, tamen non debent errores Papiſtici officere ſinceræ fidei.

Cap. XII.

An Ecclesia possit adhuc libros ad Canonem adiicere.

I STapletoni vero disputatio specimen est audaciæ Papisticæ, quæ nihil relinquat inausum. Nimirum sicut sanctos quotannis indigetat, ita sibi licere vult Episcopus Romanus pro arbitrio nouos libros Christianis obtrudere in Canonem admittendos. Rursus autem multiplici distinctione puluerem iniicit lectorum oculis. Quadrupliciter enim Scripturam nouam partitur: vt primus ordo sit, eius scripturæ: quæ noua sit quoad solam approbationem & declarationem, non autem quoad ipsam scriptionem, nimirum quia iam olim sit edita. Secundus, eius scripturæ, quæ noua sit non tantum quoad approbationem, sed etiam quoad scriptionem, nimirum quæ iam primum componatur & edatur. Tertius, eius scripturæ, quæ ita sit noua quoad approbationem, vt iam olim reprobata sit, vt Euangelium Thomæ, Petri, & similia. Quartus eius scripturæ, quæ ita sit quoad approbationem noua, vt eam nec reprobauerit, nec approbauerit vetus Ecclesia, saltem vt de eius approbatione constet, quia vel nullum prorsus de illa iudicium tulerit, eam in medio relinquens & tolerans, vel si approbauit, de approbatione certo non constet.

II. Sic Stapletonus imperite, quatuor faciens ordines, qui re vera tres sunt: nam duo postremi, ad primum pertinent, hoc modo: Scriptura noua dicitur, vel quoad scriptionem, vel tantum quoad approbationem: hæc duplex; vel olim reprobata, vel non reprobata, etsi non probata. Vult igitur Stapletonus Scripturam nullam quæ quoad scriptionem noua sit, posse vlla autoritate in Canonem recipi: ac ne eam quidem quæ olim reprobata fuerit: sed duntaxat eam quæ etsi non constet de approbatione, non fuit tamen approbata.

III. At nos negamus licere vlla autoritate admitti in Canonem vllam scripturam quæ non fuerit statim ab initio constituti Canonis excepta pro Canonica, quantumlibet vtilis sit, quocunque prodierit tempore. Et habemus consentientem ex Papistis Thomam Valdensem lib. 2. tom. 1. Doctrinalis fidei c. 20. *Ecclesia dicit non posse iam augeri librorum numerum: quia lex Christi iam attigit ad perfectum. Ecce, non minor est potestas hominis in naturalibus, cum creuerit ad perfectum hominem, quam cum infans fuit, & cœpit crescere: tunc autem habebat quo crescere per pollices, atque pedes vsque ad debitã quantitatis ascensum: cum autem factus est vir, non potest, sicut Dominus dixit, adiicere ad staturam cubitum vnum, imo nec pollicem. Ita ergo lex Christi per totum decursum veteris Testamenti infans erat, dicente Apostolo: quod nihil ad perfectum adduxit lex: temporis vero plenitudo fuit tempus Christi & Apostolorum. Vsque tunc ergo, quia fides habebat quo crescere, posset per appositionem librorum staturam perfectæ proceritatis acquirere. Elapso autem Apostolico tempore non potuit censere amplius nisi quis dicat eam hactenus imperfectam.* Habemus item Durandum Tertii dist. 20. q. 1. *Hoc autem quod dictum est de approbatione Scripturæ per Ecclesiam, intelligitur solum de Ecclesia, quæ fuit tempore Apostolorum, qui fuerunt repleti Spiritu Sancto: & nihilominus viderunt miracula Christi, & audierunt eius doctrinam, & ob hoc fuerunt conuenientes testes omnium quæ Christus fecit, aut docuit, vt per eorum testimonium Scriptura continens facta & dicta Christi approbaretur.*

IV. Stapletonus vnicum habet argumentum: quia *Ecclesia Apostolis longo tempore post succedens quosdam declarauit Canonicos scripturarum libros, qui tempore Apostolorum dubii sunt habiti. Præsens autem Ecclesia ab illa succedente nullo modo differentem habet potestatem. Ergo & præsentem Ecclesiam idem facere posse non est improbabile.*

V. Respondeo sumi falsum: reuera enim nullos esse ab Apostolorum tempore libros admissos in Canonem. Nam quod ille articulo præcedente probasse iactat, receptas fuisse in Canonem auctoritate decernentis Ecclesiæ, quæ ab Apostolis & eorum successoribus receptæ non erant, æque mendacium est. Quid enim? Epistolam Iacobi in exemplum citat, de qua cum diu dubitatum esset, vt memorat Eusebius libr. 2. c. 22. tamen à Concilio Laodiceno & deinceps semper in Canonem accepta est. Libros etiam Maccabæorum, Iudith, Tobiæ, & Apocalysin, qui in Concilio Niceno, & aliis in Canone numerantur. At hæ meræ sunt impostura. Nam de Maccabæis, Iudith, Tobia, quod dicitur, petitio est principii: nos enim & negamus, & argumentis prolixe solideque refutamus. Epistolam vero Iacobi, & Apocalypsin, quam ridicule Sophista computat inter eos libros, qui ab Apostolis & eorum successoribus recepti non erant. Itane? vt quos libros ipsi scripserunt Apostoli, ii non sint ab Apostolis accepti, non sint probati? Monstrum hominis oportet esse, qui id aut dicat, aut credat. Scilicet Epistolam suam Iacobus non probauerit: aut post reliquos omnes defunctos, Ioannes de Apocalypsi dubitauerit. Somnia.

VI. Sed Eusebius testatur dubitatum esse de Iacobi Epistola. Imo (inquam) de Epistola etiam ad Hebræos, deque Apocalypsi Hieronymus in Epistola ad Dardanum. Sed primum hoc nihil ad Stapletoni quæstionem: quæ erat non de libris, de quibus aliquando dubitatum fuerit, sed de iis qui non essent ab Apostolis recepti. Deinde hæc iudicia fuerunt particularia, id est, paucorum siue hominum, siue etiam Ecclesiarum, non vniuersalia omnium Christianorum, aut etiam maioris partis. Epistolam Iacobi Eusebius dixit esse supposititiciam. ἱστορῶν νοθεύεται; at non item reliqui omnes. Epistolam ad Hebræos Latini non admittebant: & Apocalypsin Græci, teste Hieronymo: sed an omnes? nullo modo. Nam & ex Græcis plurimi Apocalypsin recipiebant, & ex Latinis Epistolam ad Hebræos. Id innuit ipse Hieronymus eadem Epistola ad Dardanũ, *Quod si eam* (inquit, nempe ad Hebræos) *Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, ne Græcorũ quidem Ecclesiæ, Apocalypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt: Et tamen nos vtramque suscipimus: nequaquam huius temporis consuetudinem, sed Veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunque vtriusque abutuntur testimoniis, non vt interdum de Apocryphis facere solent, quippe qui & Gentilium literarum raro vtantur exemplis, sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.* Et Bellarminus ipse c. 48. ex Eusebii testimonio, non omnes, quod Stapletonus facit, sed quosdam colligit olim dubitasse de Epistolis, Iacobi, Iudæ, Petri 2. Ioannis secunda & tertia. Est autem valde iniquum, si quia quidam dubitarunt, ideo ab Ecclesia negemus receptas pro Canonicis. At notandum, ab Hieronymo opponi sua tempora præcedentibus: vt significet non fuisse inde à principio vsque, sed à paucis annis dubitatum: nam Veteres eos libros vulgo vsurpasse pro Canonicis. Itaque nihil Stapletonus probauit.

VII. Nos vero negamus quicquam hic licere Ecclesiæ, his argumentis. Primum argumentum, quia nihil liceat addere ad verbum Dei. Respondet Stapletonus: Hoc non esse supperaddere Scripturas sine fine: quia qui supersunt libri scripti Apostolorum tempore, eorum certus & exiguus est numerus. At illud sine fine quorsum? Ex argumento quidẽ quod ipse sibi proposuit. Sed quid ad nos? Nouimus enim Sophistarum morem hunc esse, vt sibi ipsi argumentorum laruas fingant quibuscum luctentur. At nos scimus prohiberi non tantum ne sine fine addantur Scripturæ scripturis: sed etiam ne quid omnino addatur ad Sanctas Scripturas. Etsi autem illa scripta, quæ Stapletonus designauit, edita sint Apostolorum tempore, tamen non sunt Verbum Dei, aut Scriptura Sancta: itaque quisquis eas in Canonem intruder, is addet non verbum Dei ad Verbum Dei.

VIII. Secundum argumentum: Si addi possent libri ad Canonem, ergo Canon non esset definitus siue constitutus. At posterius falsum: ergo & prius. Probatur consequentia, quia cum Canon librorum nihil aliud significet quam numerum, & sciant omnes numerum constitutum & definitum excludere maiorem: certe quicunque augeri posse disputabit librorum Canonicorum numerum, eum necesse est negare, numerum iam esse definitum: aut contendat male definitum. Assumptio autem patet ex variis Patrum locis. Athanasius in Synopsi dicebat τὰ βιβλία esse non tantum κεκανονισμένα, sed etiam ἐκ ἀφέσεως non indefinita siue numero incerta, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα. Augustinus, *Quis nesciat Sanctam Scripturam Canonicam certis suis terminis contineri?*

IX. Tertium argumentum: Si Ecclesiæ præsenti liceret Canonicos facere eos libros, quos Antiqua Ecclesia reliquit in Apocryphis: Ergo maiorem authoritatem haberet. At non habet: Ergo non potest. Probatur consequentia: quia rescinderet præsens Ecclesia iudicium antiquæ: est autem id maioris auctoritatis iudicium. Minor patet ipsis aduersariis consentientibus. Nam ipse Stapletonus non ausus est nisi parem tribuere. Possunt respondere, nullum fuisse veteris Ecclesiæ iudicium de iis libris: nam ita Stapletonus quartum suum explicauit modum approbandi nouas Scripturas. Quod si nullum fuit: ergo non poterit rescindi. At falsum sumitur: Nam Augustinus asserit Canonem constitutum esse diligenti examine habito. Non potuit autem esse examen diligens, nisi omnibus libris consideratis, vt tandem pronunciaretur hos pertinere ad Canonem, illos minime. Itaque etsi non habeamus concepta verba, vbi legamus hoc iudicium de *Apocryphis*: tamen non minus iudicati sunt: idque constat ex Canonicorum enumeratione. Nam cum infiniti sint *Apocryphi*, non necessaria est, imo vero etiam impossibilis eorum enumeratio: itaque sufficit Canonicorum numerum iudicasse. Atque hoc certissimum est iudificit Canonicorum numerum iudicasse. Atque hoc certissimum est iudicii argumentum. Sic Bellarminus cap. 20. concludit Psalmum 151. qui inuenitur in Græcis exemplaribus aliquot, esse Apocryphum, quia Veteres nominatim ponunt in Canone centum quinquaginta Psalmos.

Cap. XIII.

De libris Hermæ & Clementis.

I. ET quia libros Hermæ & Clementis protulit nominatim in exemplum, operæpretium erit examinare, vt hoc quasi specimine nouerimus ingenium Theologastrorum Papistarum. Et primo de libro Hermę, siue Hermetis, ea est Bellarmini sententia, vt referendus sit inter *Apocryphos*; non minus, quam alii, qui omnium sunt confessione *Apocryphi*, cap. 20. Qua in re si non fallitur, viderit Stapletonus, quæ sit sibi spes residua.

II. Porro de auctore non satis constat: quidam illum censent qui à Paulo nominatur in Epistolæ ad Romanos c. vlt. teste Hieronymo in Catalogo. Origenes, opinor, primus est apud quem id legitur; quem sequutus Sixtus Senensis, & consarcinatores Bibliothecæ Sanctæ, qui hunc authorem honestant titulo discipuli Pauli. Sed auctor libri Pontificalis, siue is Damasus est, siue *Anastasius* Bibliothecarius, alium nominat, qui vixerit temporibus Pii primi Romani Pontificis annis circiter centum serius. Quod si verum, perit Stapletoni iudicium: scriptus enim liber est post Apostolorum seculum: quia vixit Pius ad annum à Christo nato 167. Negat autem Stapletonus posse admitti, nisi quæ *Apostolorum* sunt tempore scripta: tempore autem Pii, iampridem Ioannes vltimus *Apostolorum* excesserat è viuis. Sed quicunque tandem auctor sit, tamẽ liber hactenus nunquam est habitus pro Canonico, etiamsi à nonnullis Veterum vsurpata sint eius testimonia, paucis tamen iis, Origene, *Athanasio*, Eusebio, forte etiam Irenæo: sed vix aliter quam citari solent quicunque non diuini: quod ne Stapletonus quidem reuocat in dubium. Et videre quilibet potest ex ipsis locis, quos initio tom. 5. collegerunt auctores Bibliothecæ Patrum.

III. Sed quicunque tandem sit auctor, liber est alienus ab auctoritate Canonica: Habet enim nonnulla indigna Spiritu Sancto: habet errores manifestos. Indigna sunt, primum quod non tantum Ecclesia vocetur Domina; sed etiam *Angelus* Dominus: quod sane nunquam fecit vllus auctor Canonicus: secundo, quod siue Ecclesia, quæ inducitur mulieris specie, siue *Angelus*, vix quicquam Hermam docet, nisi cum indignatione; atque, vt ita dicam, fustibus: adeo subinde scisciranti irascuntur: & improbum appellant, & molestum; & versutum, & stultum & insensatum; & quid non? Ita-ne solent *Angeli*? Tertio, is auctor inter *Angelos* satis confidenter officia partitur, alius præsit pœnitentiæ; alius pœnis, alius bestiis. Quid? quod iurantem Deum inducit per Filium?

IV. Sed erroris est crassissimus, cũ iteratæ multis locis negat pœnitentiæ

tiæ locum vllum esse: Visione 2. *Iurauit Dominator ille per gloriam suam, super electos suos, præfinita die ista, etiam nunc si peccauerit aliquis, non habiturum illum salutem.* Et rursus mãdato 4. disertius, *Audiui à quibusdam Doctoribus, quod alia pœnitentia non est nisi illa cum in aquam descendimus, & accipimus remissionem peccatorum nostrorum, vlterius non peccare, sed in castitate permanere. Et ait mihi: Recte audisti.* Secundus error: cum turrim dixisset ædificari, id est Ecclesiam, & lapides nonnullos ab ædificantibus abiici vt nõ conuenientes structuræ: iis tamen salutem post pœnas pollicetur, licet extra Ecclesiam. Locus est in Visione 3. *Interrogaui illam, an iis omnibus lapidibus qui proiecti sunt, nec conueniebant in structuram turris, an est pœnitentia, & habebunt locum in turre hac? Habent* (inquit) *pœnitentiam: sed in hac turre non possunt conuenire: alio autem loco ponentur multo inferiore: & hoc cum cruciati fuerint, & impleuerint dies peccatorum suorum.* Tertius error mandato 6. *Si etiam nequissimus vir fuerit, aut mulier, & ascenderint in cor illius opera Genii æquitatis, necesse est illum aut illam aliquid boni facere.* Nam id significat bona fieri, non voluntate sed necessitate. Adde Bellarmini obseruationem in libro de Scriptoribus, *Quamuis hic liber multa vtilia habeat, vt S. Hieronymus scribit, habet tamen etiam aliqua noxia, vt de vnica pœnitentia secundum errores Nouatianorum, quibus hic liber fauere videtur: vt etiam illud de duobus geniis, siue duobus Angelis, vno bono & altero malo singulis hominibus à Deo tributis.* Et hunc librum dicat aliquis posse fieri Canonicum?

V. Accedo ad Clementis Constitutiones: quas ego quidẽ longe censeo præferendas Hermæ Pastori; non posse tamen esse Canonicas. De his Photius Bibliothecæ cap. 113. ita iudicauit, αἱ δὲ διατάξεις περὶ μόνοις δοκοῦσιν ἐνέχεσθαι. Κακοπλασίᾳ, ἣν οὐ χαλεπὸν ἀποσκεδάσασθαι. καὶ ὅτι κατὰ τοῦ δευτερονομίου ὕβρεις τινὰς ἐπαφίησιν, ἃς καὶ ῥᾷστον διαλύεσθαι. καὶ ἔτι ἀρειανισμῷ, ὅπερ ἄν τις καὶ βιαίως διακρούσαιτο, *Videntur* (inquit) *Constitutiones tripliciter accusari posse: male seruati in compositione decori, quam criminationem facile sit depellere: conuiciorum in Deuteronomium, quæ non ægre dissoluuntur: & insuper Arianismi, quem difficilius sit depellere.* Hoc iudicio valde Turrianus exultat, commendata mirum in modum Photii dignitate. Sed cum bona Photii venia, cuius etiam rationes nemo nostrûm nouit, patiatur bonus Iesuita, paulo diligentius inquirentes in rem ipsam, examinatis etiam eius excusationibus. In Constitutionibus ego deprehendi aio, & mendacia, & hæreses.

VI. Mendacia continent in primis vitium illud κακοπλασίας, quod primo loco Photius nominabat. Totus enim liber absoluitur inductis Apostolorum omnium personis loquentibus ad omnes Christianos, eisque certos Canones præscribentibus. Ipso statim initio, *Apostoli & Presbyteri, omnibus qui ex gentibus in Dominum Iesum Christum credidistis, gratia vobis & pax ab omnipotente Deo.* Lib. 6 c. 14. *Ipsi nunc in vnum congregati, Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes filii Zebedæi, Philippus, Bartholomæus, Thomas, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Lebbæus cognomento Taddæus, Simon Cananæus, & Matthias qui loco Iudæ in numerum nostrum electus est, & Iacobus frater Domini, idemque Hierosolymitanus Episcopus, item Paulus Doctor gentium ac vas electionis, omnes* inquam) *in vnum congregati scripsimus vobis Catholicam hanc doctrinam.* Denique hoc libro 8. singulis nominatim sui tribuuntur Canones. At hoc quomodo non dicam fieri, sed omnino ἀσχημόνως fingi potuit?

Nam primo tres Iacobi nominantur, vnus Zebedæi, secundus Alphæi, tertius frater Domini. At Baronius Annalium tom. 1. ad annum 44. n. 36. seuere hanc sententiam verberat, adhibita Scripturæ auctoritate: quia Paulus 1. ad Galatas, Iacobum, quem se Hierosolymis vidisse testatur, appellet fratrem Domini, ac numeret inter Apostolos, & quidem eximios capite secundo; vt non fuerint Iacobi plures duobus.

VII. Secundo in ea enumeratione præsentes sistuntur omnes illi Iacobi cum reliquis Apostolis: adeo vt necesse sit eum conuentum factum intra annos à Christo passo decẽ: nam Iacobus Zebedei occisus est anno Christi 44. teste Baronio. Plurima tamen sunt quæ huic fictioni repugnant: Primo, quia inter libros in Ecclesia legendos lib. 2 cap. 57. nominantur quatuor Euangelia: cum tamen nullum eorum Iacobus ille Zebedæi videre potuerit: Ioannes etiam, ex reliquis nullus. Secundo, libri 7. c 47. numerantur quædam Episcoporum successiones; vt Hierosolymis Iacobi, Simeonis, Iudæ. Romæ, Lini, Clementis. Hæc vero fœdissima ἀνιστορησία. Hierosolymis mortuum Iacobum Baronius refert, anno Christi 63. Simeoni Nicephorus in Chronologia tribuit annos viginti tres: ac proinde Iudam successorem Simeonis necesse est Episcopatum iniisse anno octogesimo sexto: quo tempore vix alius Apostolus præter Ioannem in viuis erat: certe mortui vterque Iacobus, & Paulus, & Petrus. Tertio Romæ Baronius contendit (atque ea est omnium Papistarum sententia) mortuo Petro in Episcopatu successisse Linum, inde Cletum; tum Clementẽ: quomodo igitur potuit Petrus testari se Lino mortuo Clementem substituisse? Quarto sui fœde obliuiscitur autor. Nam cum, vt dixi, Iacobos tres huic conuentui sistat præsentes, tamen Iacobum inter mortuos numerat lib. 9. c. 7. *De martyribus vero præcipimus vobis vt in omni honore sint apud vos, vt apud nos fuerunt Iacobus Episcopus & condiaconus noster Stephanus.* Quid? quod libr. 8. c. 33. festos Apostolorum dies nominat, & iubet obseruari? Et festos fuisse quisquam Apostolorum, credat ipsis viuis Apostolis? Monstrum hoc quidem autoris fuisse necesse est. Quinetiam lib. 5. c. 7. *De Episcopis vero, qui à nobis, dum viximus, ordinati sunt.* Quasi iam vita functi in vnum conuenissent, harum διαλέξεων gratia.

VIII. Tertio: lib. 5. c. 19. à Iudæis asserit legi librum Baruc, quem tamen apud eos nec legi, nec haberi testatur Hieronymus. Capite decimo tertio; Iuda absente tradita esse mysteria preciosi corporis & sanguinis Christi. Cap. 14. Christum iussisse ieiunare quarta & sexta feria: soluere vero ieiunium septimo die post galli cantum. At hæc totidem sunt mendacia. Lib. 6. c 8. mentio fit disputationum de Propheta, & vno Deo, cum Simone in Cæsarea Stratonis præsentibus Zachæo, Barnaba, Niceta, & Aquila: quæ fabula narratur in Recognitionibus.

IX. Quarto: quale illud est quæso, c. 24. ex libr. 6. Οὐ μόνον δὲ τὸν τῆς δικαιοσύνης νόμον δι' ἡμῶν ἐπιδείκνυσθαι βούλεται, ἀλλὰ καὶ διὰ Ῥωμαίων εὐδόκησεν αὐτὸν φαίνεσθαι καὶ λάμπειν· καὶ γὰρ καὶ οὗτοι πιστεύσαντες ἐπὶ τὸν Κύριον, καὶ πολυθείας ἀπέστησαν, καὶ ἀδικίας, καὶ τοὺς ἀγαθοὺς ἀποδέχονται, καὶ τοὺς φαύλους κολάζουσιν, *Neque vero vult vt per nos tantum lex iustitiæ eniteat, sed voluit & per Romanos quoque lucere ac splendere, nam & ipsi postquam in Dominum Iesum credidere, à Deorum multitudine, atque iniustitia desciuerunt, bonosque probant, & prauos puniunt.* Item quisquam patienter audiat, tempore Apostolorum: mitto Apostolos, tempore Clementis Romanos, & desciuisse ab idolis, & prædicasse τὸν τῆς δικαιοσύνης λόγον.

X. Medetur tanto absurdo Turrianus, quod ex 1. ad Rom. & epistola ad Philippenses constet, tempore Pauli fuisse Romæ qui crederent, etiam ex primariis: & quidem domo Cæsaris. Addit ex Tertulliano ad Scapulam, Seuerum gentilem, sed, vt quidem censet ipse, occulte credentem, non modo non læsisse Christianos, sed etiam testimonio exornasse. Ex Cyrillo Alexandrino 5. contra Iulianum, annuisse Deum Romanorum principatui, vt omnibus imperare possent, quo omnis regio, & ciuitas, & vna cum aliis; iis qui in sacri regni soliis honorifici sunt, ipsum adorarent: *id quod tandem*, inquit, *reipsa factum videre licet* Quibus recensitis: Nõ igitur, inquit Turrianus, necesse est suspicari, scripta hæc esse Constantini temporibus, quasi non fuissent antea credentes ex Romanis qui Iudæos coercerent; cum fuisse temporibus Apostolorum constet nobiles multos ex domo Cæsaris: quos quidem iudicia exercuisse, & gessisse magistratus, nemo cum ratione dubitare potest.

XI. Hæc ille, vt est ex multa lectione confidentissimus sui, & sperans nihil non posse persuadere. Sed artificium cui non olet, saltem ex suspicione Seueri? Occulte hunc credidisse, quis vnquam dixit? Ne ipse quidem Tertullianus, à quo solo suspicionis fundamentum habet. Cur non æque Plinium finxit? Quid illud? fuisse temporibus Apostolorum, nobiles multos credentes? Ain, tu, multos? Vnde tandem? Nam Paulus ad Philippenses multos non dixit, *Qui sunt ex Cæsaris domo.* Sic ille non tantum coniicit, sed etiam coniecturas in immensum sibi permittit augere.

XII. Cæterum, vt ei coniecturas has omnes condonemus, nemo dixit hæc scripta fuisse Constantini temporibus, quasi non fuissent antea credentes ex Romanis. Finxit ipse sibi hoc ludibrium Iesuita, quod facile dissiparet. Et si nihil aliud Clemens ille diceret, nisi fuisse qui crederent, nemo aduersus eum hisceret. Sed dixit, Romanos in Iesum credidisse: & postquam credidissent, desciuisse à Deorum multitudine; breuiter per eos Iustitiæ legem enituisse. Hoc nos tam falsum esse scimus, quam illud verum concedimus. Et habemus autorem ipsum Cyrillum, quem sibi testem allegabat. Nam quid illud est, *Id quod tandem re ipsa factum videre licet?* An quasi diceret, factum iam tum cum Apostoli essent in viuis? An potius aliquot seculis postea? Hoc ergo nos reprehendimus in Clemente, quod illud affinxerit Apostolorum temporibus, quod tamen sit tandem factum; id est, seculo quarto. At potuerunt primarii illi magistratus gerere: & potuerunt, inquam, non gerere: atque adeo testem vel vnum postulo, qui asserat gessisse. Nam Clemens ipse, quem dicunt consanguineum Cæsaris, nullum gessit. Tunc autem si gessissent quidam, nam multi non potuere, qui multi non erant, tamen pauci non erant satis, vt dicerentur Romani discessisse ab idololatria.

XIII. Sed scripsit Paulus, *omnibus, qui Romæ estis*: id est, autore Theodoreto, diuitibus, tenuibus, artificibus, ministris, dominis & magnatibus. Audio. Sed quot illi? Omnes ne Romani ἀδιακρίτως; an vero cum exceptione? Imo, *Omnibus, qui Romæ estis, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Non igitur omnibus, quotcunque erant Romæ: sed omnibus sanctis, qui erant Romæ. Quare quocunque se Turrianus vertat, quemcunque lapidem moueat, non efficiet, vt non sit hæc immanis κακοπλασία.

XIV. Addo huic mendacio mendacium aliud proprie pertinens ad crimen κακοπλασίας. Eodem libro & c. addit iis quæ iam sunt annotata, eosdem Romanos postquam essent Christiani, Iudæos habuisse tributarios, & simul inhibuisse suos ritus exercere. Ἰουδαίους ὑπὸ φόρους ἔχουσι, καὶ τοῖς ἰδίοις δικαιώμασιν οὐκ ἐῶσι κεχρῆσθαι. *Iudæos cogunt conferre tributum, & eos legibus* δικαιώμασιν *vti non sinunt.* Paulo post, αὐτοὶ ὑπὸ Ῥωμαίων τῆς ἐξουσίας περιῃρέθησαν, καὶ τῆς νομικῆς λατρείας. *Eos ipsos Romani, potestate, & cultura legis Mosaicæ priuaruut.* Enimuero quis tã hospes in historia, vt ignoret ab Romanis adhuc Ethnicis Iudæos priuatos sua ἐξουσίᾳ? Nam ipso iam Christi tempore cum ne vnus quidem Romæ Christianus esset, constat ex Euangelio κεκωλυμένους καὶ ἀναιρεῖν οὓς ἂν θέλωσι, *inhibitos occidere quos vellent.* Constat etiam quandiu Clemens fuit in viuis, libere Mosaicos ritus exercuisse. Itaque non leuis hinc coniectura authorem vixisse sub Christianis Imperatoribus.

XV. Venio ad hæreses. Arianismum obiecit Photius, & quidem purgatu difficilem: faceturque Turrianus loquutum durius, excusans exemplo multorum patrum, imo Scripturæ: sed ne tenuissimum quidem vestigium indicauit. Ego hunc locum prorsus arbitror abhorrere à pietate, quum c. 26. lib. 2. Episcopum Deo comparauit, Diaconum Christo, Diaconissam Spiritui Sancto: ob eamque rationem capite vigesimo octauo Diacono assignauit duplum eius quod acciperet vidua: Sacerdoti vero primitias. Quibus locis & Dei nomen Patri soli tribuitur, & inæqualibus personis, personæ comparantur. Turrianus, non inæqualitatem, sed distinctionem personarum colligendam esse dicit, & consortium voluntatis ac naturæ. At ego, non tantum distinctionem, sed etiam inæqualitatem: Nam si ita se habent Deus, Christus, & Spiritus, vt Episcopus, Diaconus & Diaconissa: tum necessario infertur inæquales esse Deum, Christum, & Spiritum. Consortium autem voluntatis fortasse non excludatur; (quanquam consortium non sufficiat in Trinitate, quod esse queat in similitudine; vt in hominibus vnum cor, & vna anima) sed naturæ profecto nullum significatur. Imo, *Aequalitatem* (inquit) *satis docuit Clemens, verbis ac sententiis Euangelii vtens.* Imo potius, inquam, verba & sententias Euangelii, impie ad inæqualitatem accommodauit huiusmodi affectata analogia: nam analogia prorsus inæqualitatis illa est. Verba autem illa etiam Ariani detorquebant.

XVI. Secundo loco constituo ὕβρεως κατὰ τοῦ δευτερονομίου. Loci sunt lib. 1. c. 6. lib. 2. c. 5. lib. 6. c. 22. quibus locis distinguit legem à Deuterosi, legis nomine Decalogum appellans, siue legem naturalem: Denteroseos vero quicquid præter eam legẽ Iudæis præceptum: illam appellat legẽ fidelium hanc vero vinculum infidelium. Turrianus ita excusat, vt dicat nomẽ δευτερώσεως initio sumptum in bonam partem pro Deuteronomio, tãdem degenerasse in aliam partem, vt significaret constitutiones impias Iudæorũ: Clementem vero priori sensu vsum esse. At Sophistã Turrianus agit: Nam

primo

primo vſus illc τ͂ δευτερώσεων pertinet ad ſequentia ſecula : nullum habens à primis exemplum : Deinde ὕβρεις non conſiſtunt in δευτερώσεως voce, ſed in eo quod ea ipſa quæ Deus per Moſen præceperat, vocentur *vincula infidelium*.

XVII. Tertio, ille nimium tribuit libero arbitrio ; vt non magis Pelagius. Nam lib. 8. c. 1. ita loquitur, *Nolite gaudere, quod Spiritus vobis ſubiiciuntur: ſed gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis: illud enim poteſtate Dei, hoc efficitur noſtra in Deum beneuolentia & ſtudio; idque adiuuante nos Deo.* Iterum, *Eſſe Chriſtianum in noſtra poteſtate eſt.* Hæc Turrianus.

XVIII. Quarto, Sabbathum proponit tanquam feſtum Chriſtianis obſeruandum : lib. 7. c. 24. *Sabbathum & Dominicum feſtos dies agitate.* Sed Turrianus notat huc pertinere Canonem Apoſtolorum 64. quo prohibetur Sabbatho ieiunium, *Cum enim,* inquit, *ieiunare Sabbathum prohibent, Sabbathum iubent eatenus feſtum agitare* Facete : vt nobis iam dies ſint omnes appellandi feſti, præter Papiſticas eſuriales ferias. Sed diſſimulauit Turrianus, non tantum ieiunium prohiberi, ſed etiam omne opus, lib. 8. c. 33. *Ego Petrus, & ego Paulus conſtituimus vt ſerui quinque diebus opus faciant: Sabbatho autem & Dominico die vacent in Eccleſia.*

XIX. Non poſſunt igitur Hermæ Paſtor, & Clementis conſtitutiones recipi in numerum Sacroſancti Canonis. Quod ſi non illi, quos vt eximios Stapletonus in exemplum ſelegerat, multo minus alii vlli.

XX. Quinto. In baptiſmi adminiſtratione erroneum illud eſt, cap. 15. lib. 7. quum iubet contentos eſſe vno baptiſmo, οὐ τῷ παρὰ τ͂ δυσωνύμων αἱρετικῶν, ἀλλὰ τῷ παρὰ τ͂ ἀμέμπτων ἱερέων διδομένῳ : *non illo, qui ab infamibus hæreticis, ſed qui à probatis ſacerdotibus tribuitur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Itaque* (inquit) *neque impiorum baptiſmus vobis probetur, neque Sanctorum baptiſmus per ſecundum irritus fiat.* Quæ verba ad Nouatianos, Donatiſtaſque accedunt nimium.

XXI. Scio Turrianum excuſare: & hæreticos interpretari non quoslibet, ſed eos qui non baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Et vere hæc vnica ratio excuſandi : ſi excuſari poſſet. Sed aliud eſt, quod ſubtiliter excogitare potuit Ieſuita : aliud, quod ſanis capitibus perſuadere. Enimuero, neque vlla circumſtantia eſt Clementis, vnde id eliciatur: neque ſatis conuenit oppoſitio τ͂ δυσωνύμων αἱρετικῶν, καὶ τ͂ ἀμέμπτων ἱερέων. Quis enim eos vnquam crimine vacantes ſacerdotes dixit, qui baptizant in nomine Trinitatis? Quid tum enim, ſi alias iuſſit baptizari in eam formam, vt in 41. Canone Apoſtolico: Et alioqui puram aquam eſſe, vt apud Iudæos, vt capite quadrageſimoquinto ſeptimi libri. Atqui hic nihil tale dixit, vnde intelligamus tam late patere τοὺς ἀμέμπτους ἱερεῖς ; aut tam arcte conſtringi τοὺς δυσωνύμους αἱρετικούς. Itaque diſſentit à Turriano Bellarminus in Scriptoribus. *Iubent*, inquit, *rebaptizari eos qui baptizantur ab hæreticis, ea de cauſa, quia hæretici non ſunt Sacerdotes.*

XXII. Sexto; hæc diſerta cap. 2. lib. 3. Μονογαμία μὲν κατὰ νόμον γινομένη δικαία. Primæ nuptiæ iuxta legem initæ, iuſtæ : διγαμία δὲ μετ᾽ ἐπαγγελίαν, παράνομον : *ſecundæ vero poſt promiſſionem, iniuſtæ :* τριγαμία δὲ ἀκρασίας σημεῖον· τὸ δὲ ὑπὲρ τριγαμίαν, προφανὴς πορνεία, καὶ ἀσέλγεια ἀναμφίβολος, *Tertiæ intemperantiæ ſignum. Quæ autem vltra, manifeſta fornicatio, & impudicitia manifeſta.*

XXIII. Turrianus iterum excuſat ; non damnari ipſas nuptias, ſed tantum incontinentiam quarto nubentis, ſic enim Latine annotauit: at Græce, nō fieri irritas, aut damnari tanquam irritas: ἀλλ᾽ ὡς ἀτίμους καὶ ἀσελγοῦς, ſed tanquam hominis inhoneſti & impudici.

XXIV. Verum Bellarminus agnoſcit quartas nuptias appellari manifeſtam fornicationem. Nec ſane aliter verba ſonant. Enimuero διγαμίαν παράνομον; quomodo Turrianns interpretatur? *Nubere poſt promiſſionem ſceleratum eſſe,* εἶεν. Sed in ſimili phraſi, cur tam diſſimile iudicium? Deinde τριγαμίαν ſignum dixit incontinentiæ; at quæ deinceps, προφανῆ πορνείαν; manifeſtam fornicationem. Signum incontinentiæ moderatius dictum; vt accuſet potius hominis vitium, quam ipſas nuptias. Sed quis ſanus neget magis dici, quartas nuptias eſſe manifeſtam ſcortationem? Certe oppoſitio eſt duorum membrorum : vnius ſignum incontinentiæ : alterius manifeſta fornicatio. Ergo in priori etſi incontinentia eſt, tamen non eſt fornicatio. Cum igitur poſſit eſſe ſignum incontinentiæ abſque fornicatione; tu manifeſtam fornicationem nihil dixeris præter ſignum incontinentiæ? Imo eſt, inquit, πλεονασία ἀπόδειξις, καὶ ἔλεγχος αὐτόθεν ληφθεὶς, ὥστε εἰπεῖν αὐτὴν κατὰ τὴν διαταγὴν προφανῆ πορνείαν, καὶ ἀναμφίβολον ἀσέλγειαν. Nugator maxime; quid tu te nobis ridendum propinas? Nam ſi ipſæ hæ nuptiæ, à ſeipſis præbent demonſtrationem, vnde dicantur manifeſta fornicatio; quid tu ambages nectis? quid tergiuerſaris? Nam ſi ex ſe: ergo ſemper: ergo non per accidens. Si non per accidens; ſua natura. Quis ergo neget damnari ipſas, ipſiſſimas inquam, nuptias quartas?

Cap. XIV.

An Veteres ſibi conſtent in enumerandis Canonicis.

I. EXaminatis Papiſtarum inſtantiis ad maiorem propoſitionem noſtri argumenti ſexti, reſtat vt eas expendamus, quibus minorem eiuſque probationes infirmare conantur : eæ duæ ſunt.

II. Prima; quod ii autores quos plurimos citauimus, ſibi non per omnia conſentiunt. Andradius, *Valde conſiderandum eſt* (inquit) *eorum qui cum Hebræis ſentiebant, non eſſe vnam eandemque ſententiam. Nam Melito apud Euſebium, librum Sapientiæ cum Canonicis numerat. Origenes vero apud eundem Euſebium Maccabæorum libros in Canonicorum ordinem ex Hebræorum opinione redegit.* Reſpondeo negari non poſſe, aliquos aliquando nonnihil diſceſſiſſe a Canone Iudæorum; & potuiſſe in eam ſententiam melius nominari Canones Apoſtolorum, qui Maccabæorum tres libros annumerant Canonicis: Cyrillum Hieroſolymitanum qui Baruc. Et rurſus Nazianzenum, atque Athanaſium qui Eſther, librum in Apocryphis relinquunt. Sed nos his omnibus facile ſatisfacimus.

III. Primo, quia paucioribus plures opponimus : non enim æquum eſt, vt quum ſingulorum eadem ſit autoritas, relictis pluribus, pauciores ſequamur: Sic cum Athanaſius Nazianzenus; Amphilochius, de Eſthera indignius ſenſerint, nos illis reliquos opponimus, à quibus honorifice nominatur. Et Cyrillo plus tribuenti libro Baruc quam par ſit reliquos comparamus.

IV. Secundo, cauſſæ ipſæ conſiderandæ ſunt, quæ ſingulos mouerunt: nam hæ ſi legitimæ non fuerint, cum bona eorum venia ab iis diſcedēdum eſt. Sic Athanaſium repudiaſſe Eſtheram credimus, propter temerarias illas additamentorum lacinias, teſte Sixto Senenſi. Nam eius libri initium poſuit Athanaſius eam partem, quæ narrat Mardochæi ſomnium. Nos vero didicimus has lacinias ab ipſo corpore ſecernendas; non propter eas ipſum corpus reſpuendum.

V. Tertio Apoſtolorum Canones nullius eſſe momenti; ipſis etiam iudicibus Papiſtis; qui non tantum Maccabæorum tertium numerant inter Apocryphos; ſed etiam Clementis ipſius Epiſtolas & Conſtitutiones, cum tamen eas iidem Canones Apoſtolorum recipiant: vt taceam Gelaſium eis Canonibus perpetuam infamiæ notam inuſſiſſe.

VI. Quarto: quæ de Melitone, & Origene dixit Andradius, negamus eſſe vera. Nam ea quæ à Melitone nominatur Sapientia, non alius eſt liber, quam Prouerbiorum. Hæc enim Græca verba Σολομῶνος παροιμίαι, ἢ σοφία, duo nomina ſunt vnius eiuſdemq; libri : vt vel appoſitiue poſita ſint: vel potius articulus ἡ corruptus ſit è particula ἢ, vel. Id ita eſſe ſic probatur: primo, quia Rufinus eum locum interpretatus eſt in hunc modum, *Salomonis Prouerbia, quæ & Sapientia* Secundo, quia apud Nicephorum lib. 4. c. 10. idem hic locus ita redditur, *Solomonis Prouerbia, ſiue Sapientia.* Tertio, quia in tota ea enumeratione nullis aliis libris articulus præponitur: non enim dicitur, ἡ Γένεσις, ἡ Ἔξοδος, τὸ Λευιτικὸν, ſed abſque articulo Γένεσις, Ἔξοδος, Λευιτικὸν; Et ſic de reliquis. Non eſt autem veriſimile in vno libro, & quidem nulla apparēte cauſa, ab eo more diſceſſum eſſe. Denique Euſebius eod. lib. c. 22. teſtatur ita Prouerbia ſolita eſſe appellari nomine Sapientiæ : οὐ μόνος δὲ οὗτος (Hegeſippum intelligit) ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶνος παροιμίας ἐκάλουν; quem locum non ſolum peſſime Rufinus vertit, ſed etiam male Chriſtophorſonus. Rufinus *Verum & hic ipſe, & Irenæus, & omnis Antiquorum chorus, librum qui attitulatur Sapientia, Solomonis eſſe dixerunt, ſicut & Prouerbia, & cætera,* Chriſtophorſonus, *Porro autem non hic ſolus, ſed Irenæus, & tota veterum turba, Prouerbia Salomonis librum eſſe præclara eximiaque Sapientia refertam affirmabant.* Cum ita potius exprimi debuerit, *Porro autem non hic ſolus. ſed Irenæus, & tota veterum turba Prouerbia Solomonis appellabant* πανάρετον σοφίαν.

VII. Ac ſane inuenias nonnunquam Prouerbiorum librum citatum nomine Sapientiæ : vt διαταγῶν Clementis libr. 1. c. 10. Τὸ ῥῆμα τὸ γεγραμμένον ἐν Σοφίᾳ, *Verbum ſcriptum in Sapientia*, Prouerb. 21. κρεῖσσον οἰκεῖν ἐν ἐρήμῳ, *melius habitare in deſerto.* Nazianzenus in laudibus Gorgoniæ ſororis : ὁ μὲν δὴ θεῖος Σολομῶν ἐν τῇ παιδαγωγικῇ σοφίᾳ, τὰς παροιμίας λέγω. *Diuinus Solomo in pædagogica Sapientia, hoc eſt in Prouerbiis.* Cyprianus ad Quirinum lib. 3. cap. 16. *De bono martyrii, in Sapientia Salomonis.* Prouerb. 14. *Liberat de malis animam martyr fidelis.* Rurſus cap. 56. *Deum nihil latere ex his quæ geruntur, in Sapientia Solomonis.* Prouerb. 15. *In omni loco ſpeculantur oculi Dei bonos & malos.*

VIII. Reſtat Origenes; quem aſſerimus Maccabæos ponere extra ordinem Canonicorum. Repugnat Andradius, &, *Non ſignificare voluit Origenes,* (inquit) *Maccabæorum hiſtoriam eſſe potius Canonicis libris adiunctam, & quaſi attextam, quam proprie Canonicam: ſed cum viginti duos libros ex Hebræorum traditione computauerit, hoſce vigeſimo ſecundo loco nominauit:* Imo vero neutrum, inquam, Audiamus verba : ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκά, Id eſt interprete Rufino, *Maccabæorum vero libros extrinſecus habent.* Chriſtophorſono : *Extra numerum iſtorum ſunt libri Machabaici.* Hæc ego verba dico ſignificare eos libros eſſe extra numerum Canonicorum. Nam eadem phraſi vſus eſt Athanaſius in Synopſi poſt enumeratos Canonicos, ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία. Et Hieronymus, *Quicquid extra hos eſt inter Apocrypha eſſe ponendum.* Sed quid illud eſt quod Andradius obſeruauit vigeſimo ſecundo loco numerari Maccabæos? Sane vero ita eſt in Codicibus Euſebii : cum ex Iudæorū ſententia dixiſſet eſſe viginti duos libros Veteris Teſtamenti; ita enumerat tamen, vt niſi Maccabæorum hiſtoriam adiicias, deficiat numerus. Sed facilis reſponſio, mendoſos eſſe Codices; omiſſo libro duodecim Prophetarū; quem quis credat relictum inter Apocryphos? Reſtituendus eſt autem ex Nicephoro, qui lib. 5. c. 16. hunc ipſum Origenis locum recitat; ſed integrum; adeo vt Maccabaici, reperiantur extra vigintiduorum numerum. Itaque nihil promouit Andradius.

Cap. XV.

An Veteres enumerarint Canonem Iudæorum, an vero Chriſtianorum.

I. ALtera inſtantia eſt; non enumerari ab iis Veteribus Canonem Chriſtianorum, ſed Iudæorum. Sic Driedo lib. 1. cap. 3. p. 1. ad Hieronymum, *Sciendum, quod manifeſtum eſt ex Prologi Galeati verbis, Hieronymum ſupputare illic Canonem librorum non Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed Synagogæ Iudæorum.* Canus locor. Theologic. lib. 2. c. 11. ad ſecundum argumentum, *Non verum eſt in libris Canonicis decernendis Eccleſiæ regulam eſſe Hieronymum, quod Caietanus perperam, ne dicam pernitioſe exiſtimauit. Hic quippe (vt Ioannes Coclæus vere dixit) in enumeratione Canonicorum librorum Veteris Teſtamenti Ioſephum ſequutus eſt* Andradius lib. 3. defenſionis Tridentinæ, *A quo* (Auguſtino) *quamuis diſſentire D. Hieronymus videatur, Hebræorum tamen magis eum referre opinionem, quam ſuam explicare, non obſcure demonſtrabimus.* Idem Ioannes Hayus de Melitone reſpondet & Epiphanio.

II. Et argumentantur ex Hieronymi verbis, lib. 2. aduerſus Rufinum; quæ ita habent, *Quod autem refero, quid aduerſum Suſannæ hiſtoriam, & hymnum trium puerorum, & Belis ac Draconis fabulas, quæ in volumine Hebræo non habentur, Hebræi ſoleant dicere; qui me criminatur ſtultū, ſe ſycophantam probat: non enim quid ipſe ſentirem, ſed quid iſti contra nos dicere ſoleant explicaui.*

plicaui. Vnde Hayus vrget in hunc modum, *Si hanc excusationem probas, quod de parte Danielis hoc loco scripsit, idem de diis libris, quos vos ipsius testimonio reiicere conamini, ipsum sensisse existimabis, ne secum ipse pugnet.*

III. Canus ad Synodum Laodicenam sic respondet, *Confirmatio, qua ab autoritate Concilii Laodiceni sumitur, imbecilla est. Non enim Concilium negat esse Canonicos, licet inter Canonicos voluerit annumerare.* Et de Rufino, *Is,* inquit, *Patrum traditiones ignorauit.* Et paulo post, *Non igitur Patrum traditione eos libros Rufinus, sed suo potius sensu refutauit.*

IV. Respondeo; quod aiunt Iudæorum Canonem enumeratum esse, dupliciter intelligi posse, sic vt intelligatur idem Canon à Christiana Ecclesia esse vel improbatus: vel probatus. Fateor ergo fuisse enumeratum Iudaicum Canonem, sed prorsus probatum, imo vero probandum ab Ecclesia Christiana: ac proinde ipsum etiam factum Canonem Ecclesiæ Christianæ. Quid enim? An fortasse Clemens in constitutionibus præcepta dabat Iudæis? Imo Christianis. Necesse est igitur exposuisse numerum librorum, qui apud Christianos essent in Ecclesia recitandi. Melito ad Onesimum scribebat, à quo fuerat rogatus, vt & sibi excerperet ex lege & Prophetis testimonia de Christo; ordinemque insuper indicaret ac numerum librorum: quorum? Eorumne quos Iudæi recipiebant? non ita: sed absolute, Veteris Testamenti: & quidem, quod facile colligi potest ex priore membro, eorum quibus vti solent Christiani ad suam fidem confirmandam. Satisfaciens igitur Melito, testatur se perrexisse vsque ad Orientis eum locum, *vbi prædicationis nostræ cœpit exordium* (sic enim Christophorsonus vertit) diligenterque de omnibus explorasse, quæ essent Veteris Testamenti volumina. En tibi Christianum Episcopum, proficiscentem in Iudæam: quam ob causam? ad cognoscendos libros Veteris Testamenti. Sed quæ illi ratio eum potius locum adeundi, quam alium? An quia ibi maxime & floruisset, & floreret Iudæorum religio? Nam ita videbatur, si Iudæorum sententiam in enumeratione Canonicorum, solam quæsisset. Minime vero: Sed quia ibi, fidei nostræ cœpit exordium. Peruenit igitur in Iudæam. Quicum censemus communicasse? Cum Iudæis. Demus hoc: sed an solis? Quis credat, Christianum, & Episcopum? Cum vtrisque ergo: itaque duorum alterutrum erit necessarium; vel vt Episcopus Christianus, Iudæorum sententiam prætulerit sententiæ Christianorum, vel vt eadem fuerit Christianorum & Iudæorum sententia. At illud quis vnquam crediderit? Posterius ergo verum est.

V. Athanasii manifestiora sunt verba, quam vt vlla possit impudentia detorquere tanti viri sententiam, *Nostra qui Christiani sumus Scriptura diuinitus inspirata est: & libros habet non infinitos, sed finitos, ac certo Canone comprehensos.* Et dubitet etiamnum aliquis Athanasium enumerasse Canonem Christianorum? Hoc vero si liceat, quæ supererit ratio cohibendę audaciæ? Epistolæ festalis initium est à cautione necessaria, ne libri Apocryphi habeantur pro veris Bibliis: Scilicet: ille curam gerebat Iudaicæ Synagogæ Christianam negligens Ecclesiam.

VI. De Nazianzeno & Amphilochio quid dicam? vterque enim, & Christianos alloquitur; & subnectit Noui Testamenti libros. Cyrillus Hierosolymitanus pro fundamento sui Canonis substrauit, diligenter ab Ecclesia discendum esse qui sint libri vtriusque Testamenti. Quis credat igitur id ipsum à Synagoga sumere maluisse? Præterea, *Istorum* (inquit) *hos viginti libros lege, cum Apocryphis vero nihil habeas negotii: has tantum studiose meditare Scripturas, quas in Ecclesia confidenter legimus. Multo prudentiores te, & religiosores fuerunt Apostoli, & primi Episcopi, veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Tu itaque cum sis filius Ecclesiæ, non transgrediaris illius terminos.* Quid potuit disertius? quid ad causam nostram magnificentius? Nam hæc eius enumerationis originem referunt ad ipsos Apostolos, & primos Episcopos. Scilicet illi fauebant Iudæorum superstitioni. Iam Synodi Laodicenæ Canones Iudæis opinor non sunt, sed Christianis positi: vt mittam enumerari ab ea libros Noui Testamenti: id est, Canonẽ Christianum. Nam Canon Iudæus non constat ex Nouo & Veteri Testamento. Leontius statim initio pollicetur se enumeraturum τὰ ἐκκλησιαστικὰ βιβλία. Et ad finem τῶνπερ ἐστὶ τὰ κεκανονισμένα βιβλία; quærin' tu apud quos? Respondet τῇ ἐκκλησίᾳ. Quid Rufinum dicam? Nam is profecto Symboli Apostolici tradebat explicationem. Iudæis ne, an Christianis? Et tamen hæc ipsa expositio hunc Canonem continuit: Imo inchoauit his disertissimis verbis, *Quæ sunt Noui ac Veteris instrumenti volumina, quæ secundum maiorum traditionem per Spiritum Sanctum inspirata creduntur, & Ecclesiis Christi tradita, competens videtur in hoc loco euidenti numero, sicut ex patrum monimentis accepimus, designare.* Et absoluit in hunc modum, *Hæc sunt quæ Patres intra Canonem concluserunt, ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt.* Audin' *Ecclesiæ tradita?* Audin' *fidei nostræ assertiones?* Et tu Iudæos prætendas? De Damasceno, Lyrano, Richardo de S. Victore, credo non esse necesse quicquam dicere; res est enim notior quam vt contr ouerti possit.

VII. Hi omnes igitur Canonem Christianum enumerant. Quid tum igitur, si solus Hieronymus Iudaicum recenseret? Sed ne hoc quidem verum. Enumerauit, vt reliqui, Iudæorum Canonem, quem Ecclesia Christiana & tenebat, & tenere debebat. Argumenta sunt hæc: Epistola ad Paulinum, non tantum recenset vtriusque Testamenti libros, quod Christiani est hominis, non Iudæi; sed etiam post eos enumeratos. *Oro te* (inquit) *frater charissime, inter hæc viuere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere, nonne tibi videtur iam hic in terris regni cœlestis habitaculum?* An credimus Hieronymo eam mentem fuisse, vt nihil aliud legendum esse diceret præter libros Canonis Iudaici? Minime, erat enim Christianus. Rursus præfatione in libros Solomonis, nominatim testatur eos libros, qui à nobis dicuntur Apocryphi, legi ab Ecclesia: non recipi tamen inter Canonicos. Tertio, nonne illos negat recipiendos ad Ecclesiasticorum dogmatum confirmationem? Ergo, non Iudæorum respectu, sed ipsius Ecclesiæ Christianæ, Canonicos nominauit & Apocryphos.

VIII. Ad ea vero quæ citabantur ex secundo libro contra Rufinum: primum nego Hayi consequentiam, quæ quod dictum est de partibus Danielis, extendit ad reliquos libros: re vera enim non adeo distincte, adeoque diserte suam de iis partibus sententiam protulit, ac de reliquis libris: sed sub Iudæi persona indicare maluit. *Audiui* (inquit) *ego quendam de præceptoribus Iudæorum, cum Susannæ derideret historiam,* & quæ sequuntur reliqua. Sed de aliis libris, ipse suam suis verbis sæpius sententiam proponit. Secundo dico, hanc Hieronymi excusationem tergiuersationem esse potius eius qui inuidiam sibi ab aduersario conflatam amoliri studeat, quam legitimam purgationem eius, qui crederet ad se nihil attinere eam accusationem. Enimuero ille non simpliciter, quid Iudæi dicerent retulerat, sed quid ipse etiam sentiret indicauerat. Non possunt enim alio referri hæc verba, *Has nos veru antepositio easque iugulante subiecimus, ne videremur apud imperitos magnam voluminis partem detruncasse.* Præuidebat igitur si eas partes non subiecisset, se calumniam passurum: sed à quibus? Ab imperitis. Imperitos ergo Hieronymus eos omnes appellat, qui has censerent partes Danielis. Et neget nunc aliquis eum quid ipse sentiret expressisse? Sed nimirum, videtur Hieronymus sibi nonnihil aliquando permisisse vltra fines candoris. Nam & illud de officioso Pauli mendacio, accusante Augustino, non aliter purgat, quam hoc prætextu, quod Chrysostomi sententiam non suam ipsius propriam retulisset.

IX. At Synodi Laodicenæ cur imbecillam dixit autoritatem Canus? Nam Synodus fuit Christiana; Quod si non Oecumenica, tamen Orthodoxa & Catholica. Et ne Carthaginensis quidem tertia, qua se illi tuentur, inter vniuersales computatur. Quæ si approbata fuit à Trullana: ne hac quidem parte illi Laodicena inferior est; nam æque ab eadem Trullana approbatur. Tum antiquior fuit Carthaginensi: proinde cæteris par, hoc vno saltem superior. Sed non negauit inquit Canus, hos libros esse Canonicos. Imo, inquam, negauit, eo ipso quod noluerit inter Canonicos numerare; *Non oportet,* inquit Synodus, *libros qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canonicos Veteris & Noui Testamenti. Quæ autem oporteat legi, & in autoritatem recipi, hæc sunt, Genesis, Exodus,* & quæ sequuntur. Audin' tu, libros distingui in duos ordines, vt alii sint extra Canonem, alii Canonici? Audin' tu eos tantum legendos, qui sunt Canonici? Audin', eos enumerari quos oporteat legi, quos oporteat in autoritatem recipi? Conclude eos numeratos qui sunt in Canone: proindeque eos relictos, qui sunt extra Canonem.

X. In Rufino prorsus ridendum se Canus propinauit: cum eum dixit ignorare patrum traditiones. Videlicet eas Canus melius nouit. Sed ita pertinaces solent nodum scindere, cui non sunt soluendo. Saltem animaduertere debuit, idem reliquis illis exprobrandum patribus, qui sunt à nobis enumerati, Melitoni, Origeni, Eusebio, Athanasio, atque aliis. In quorum non exiguo numero, securior poterit Rufinus canis calumniam contemnere. Sed quomodo à se ipso aut suo sensu Rufinus eum Canonem habuit? Quasi autem eum aliquem possit Canus nominare, à quo ij quos rejicit facti sint Canonici. Et non potius ab omnibus æque antiquioribus inter apocryphos reiecti. Nam ipsi etiam diligentissimi Papistarum, nullum habent antiquiorem testem Augustino, qui tamen iuuenis erat tum cum Rufinus ad senectutem peruenisset. Quis autem Rufinum merito accusarit, quod recentiorem se sententiam non sit sequutus? Non considerauit igitur Canus quid obiiceret.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER

LIBER SEXTVS.

DE CANONE.

Caput I.

DE AVTORITATE SCRIPTVRÆ, CATHOLICORUM Sententia.

CONSTAT ex superioribus disputationibus solam Scripturam Sacram esse in Ecclesia Canonem Fidei. Quæ deinceps in eo Canone controuertuntur; hæc reuoco ad duo capita: quorum prius, Natura est Canonis: alterum, eiusdem vsus. In primo capite duæ sunt Controuersiæ: Prima vnde sit autoritas Canonis, altera quæ sit Canonis perfectio.

II. Scripturam scimus idcirco appellari Canonicam, quod sit regula fidei. Quod si est, tum necesse est vt eius autoritati se omnes subiiciant, quicunque Christiano censentur nomine, id est profitentur se fidem habere. Imo Augustinus de Ciuitate Dei lib. 11. cap.1. multo latius, eam sibi asserit omnia genera humanorum ingeniorum diuina autoritate excellentem subiecisse. Hanc igitur tantam, tam augustam autoritatem vnde habeat, an à se, an vero aliundè prima quærit controuersia: in qua versati sunt è nostris soli quos quidem viderim, ex professo Bullingerus libro de Scripturæ autoritate: & Vuhitakerus contra Stapletonum, solidissime, ac fusissime. Attigit Zacharias Vrsinus in Tractatibus Theologicis q.3. de Scriptura: & obiter Daniel Tilenus contra Charronæi veritatem 3. c. 4. Ex aduersariis; Canus locor. Theologic. lib. 1. c.6.7. & 8. Stapletonus lib.9. de Principiis Fidei: sed animosissime contra Vuhitakerum in Defensione Ecclesiasticæ autoritatis, & in Triplicatione. Rursusque in Relectione Principiorum controuers.5.q.2. Petrus Charronæus Parisiensis in 3. veritate.

III. Catholici ita censent, *Credimus & confitemur Scripturas Canonicas sanctorum Prophetarum, & Apostolorum vtriusque Testamenti, ipsum verum esse Verbum Dei, & autoritatem sufficientem ex semetipsis, non ex hominibus habere.* Verba sunt ex confessione Heluetica cap.1. Et sensus, eam autoritatem librorum sacrorum, quam diximus, vndeque factum vt sint in Canone, esse ab ipsorum natura: hoc est eo ipso quod libri sint profecti ab autore Spiritu Sancto, esse etiam Canonicos, siue id Ecclesia decreuerit, siue minus: siue agnoscat, siue minus. Nam si decernat & agnoscat facere ex officio, quia sic teneatur: sin vero non decernat, aut agnoscat, facere contra officium. Præterea singulos fideles, ne exspectato quidem vllo huiusmodi decreto, teneri fidem suam subiicere iis libris, ab eorumque autoritate pendere: & grauiter peccare si non faciant. Atque adeo reipsa peccasse, qui Epistolam ad Hebræos, qui Apocalypsin, & alia nonnulla non agnoscebant pro Canonicis; quantumuis nullum intercessisset Ecclesiæ decretum, contra quam Papistæ contendunt licuisse olim de iis dubitare.

IV. Quod si quæratur quibus modis hæc nobis innotescere possit autoritas, respondemus ex Gallicæ Confessionis artic. 4. *Hos libros agnoscimus esse Canonicos, hoc est, vt fidei nostræ norma & regulam habemus, idque non tantum ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multo magis ex testimonio, & intrinseca Spiritus Sancti persuasione, quo suggerente docemur, illos ab aliis libris Ecclesiasticis discernere, qui vt sint vtiles, non sunt tamen eiusmodi, vt ex iis constitui possit aliquis fidei articulus.* Et ex Belgicæ art.5. *Hos libros solos recipimus tanquam sacros, & Canonicos, quibus fides nostra inniti, confirmari, & stabiliri possit. Itaque absque vlla dubitatione ea omnia credimus, quæ in illis continentur. Idque non tam quod Ecclesia illos pro Canonicis recipiat, & comprobet: quam quod Spiritus Sanctus nostris conscientiis testetur illos à Deo emanasse: & eo maxime quod ipsi etiam per se sacram hanc suam autoritatem & sanctitetam testentur, atque comprobent, quum & ipsi cæci rerum omnium quæ in illis scriptis prædictæ fuerunt, impletionem & exsequutionem clare conspicere, & veluti sensibus percipere possint.*

V. Ex his triplex ratio colligitur, qua nobis innotescat sacrorum librorum autoritas. Prima, Ecclesiæ testimonium, eos libros approbantis, recipientis, & commendantis. Secunda, interna Spiritus Sancti persuasio, eam ipsam autoritatem cordibus nostris insculpentis, certoque persuadentis. Tertia, ipsorum librorum, vt ita dicam; genius: ad quem referuntur omnia argumenta, quæ ab ipsorum contextu desumi possunt: inter quæ hoc est luculentissimum, ab euentu rerum prædictarum, quo olim Ethnicos Christiani valde vrgebant.

VI. Itaque merito VVhitakerus Papistarum calumniam amoliebatur, à nobis in hoc articulo respui testimonium Ecclesiæ. Immerito Stapletonus tanquam aliquid nouum, miratus est, & gratulatus Vuithakero, quod non repudiaret. Nos enim semper ita credidimus: magnum esse in quacunque re ad fidem Christianam pertinente Ecclesiæ testimonium, magnique omnino ponderis apud fideles: tantũ non ab eo pendere quid ad fidem pertineat. Exempli gratia: Articulum Trinitatis semper credidit Ecclesia Christiana, & aduersus insurgentes hæreticos suis decretis confirmauit. Nos vero huic Ecclesiæ testimonio siue decreto, absit vt nihil deferamus: imo absit, vt non multum deferamus. Negamus tamen ab eo factum, vt articulus ille pertineret ad fidem. Nam siue Ecclesia ita credidisset, siue decreuisset, siue non decreuisset, nihilominus non tantum quoad se Deus esset vnicus essentia, trinus personis: sed etiam quoad nos, idipsum pertinebat ad fidem, hoc est, credendum erat. Nec aliter in hoc de libris Canonicis articulo intelligendum.

VII. De Spiritu Sancto prolixe iterum calumniantur Stapletonus, nihil esse aliud, quam priuatum superbiæ Spiritum omnibus hodie hæreticis communem, clamat. Alii multa garriunt de particularibus & extraordinariis reuelationibus atque ἐνθουσιασμοῖς. Sed importune, ne quid dicamus durius. Nos enim nihil hic somniamus extra ordinẽ: sed idipsum agnoscimus, quod in reliquis articulis fidei omnibus: nimirum, omnino opus esse interna Spiritus Sancti persuasione, vt libris sacris plena fide assentiamur. Sic esse Deum non negamus doceri posse, & argumentis ex natura, & testimonio Ecclesiæ, adeo vt conuincantur contradicentes. Negamus tamen quenquam credere ad salutem, nisi intus in illo operetur Spiritus Sanctus. Nam fides Christiana non acquiritur, sed infunditur. Haud aliter in hoc negotio. Posse multis argumentis compesci quicumq; insurget in horum librorum autoritatem, negans esse diuinam; absit vt negemus: sed vt ille ita conuictus prorsus persuadeatur regulam esse fidei, fieri omnino non posse, nisi interno Spiritus motu, asserimus. Quam sententiam Caluinus fusius prosequitur, Institut. lib. 1 c.7.§.4.

VIII. Tertiam rationem idem Caluinus sic explicauit eiusd. c. §.2. *Quod autem rogant, vnde persuadebimur à Deo fluxisse, nisi ad Ecclesiæ decretum confugiamus: perinde est, ac si quis roget, Vnde discemus lucem discernere à tenebris, album à nigro, suaue ab amaro. Non enim obscuriorem suæ veritatis sensum vltro Scriptura præ se fert, quam coloris sui res albæ & nigræ, saporis suaues & amaræ.* Sensus est, in ipsorum Sacrorum librorum textu infinita hærere diuinitatis argumenta: vt quemadmodum sapores & colores, in se ipsis habent propriam illam differentiam, per quam inuicem separantur: sic his ipsis libris intrinseca sit proprietas, nullis aliis libris communicabilis, à qua petendum sit verum & certum eorum discrimen, à quibuscunque aliis: non secus ac hodie doctissimi Criticorum ex ipso librorum stylo dignoscunt autores. Neque enim tanta est inter Ciceronem & Apuleium, inter Tertullianum & Cyprianum dissimilitudo, quanta inter autorẽ Canonicum, & alium quemlibet. Et cur non sit, quæso, vere ita dictum à Caluino de Scripturis: si verum quod Gretserus de vulgata editione dixit tom.1. Apologiæ, c.10. lib. 2. Verba recito, *Quæ caussa, cur patres cæteris omnibus hanc versionem prætulerint, tam constanter, tam consentienter, & vnanimiter, totque seculis? Certe id non est factum, nisi quia authentica vis in illa translatione latens, & aliquando non obscure inde emicans, patrum ac doctorum corda ad se singulari Spiritus Sancti impulsu, trahebat?* Nam hæc certe verba illud dicunt, habuisse eam editionem intra se non obscurum veritatis suæ sensum, vnde à reliquis omnibus discerni posset.

IX. Insectantur tamen Caluini dictum Papistæ: quasi ex luce naturali crediderit cognosci posse Scripturam Sanctam, haberique pro Canonica. Et tamen Caluinus non est loquutus de nostra facultate, sed de discrimine Scripturarum à libris non sacris. Non sequitur autem, si non possit homo ψυχικὸς nosse hoc discrimen, propriis ingenii sui viribus, ideo discrimẽ nullum esse: quemadmodum si non possit infans Orionem distinguere à Pleiadibus, non tamen nullum est in ipso Orione discrimen quo ab illis separetur. Docti enim Astrologi facillime discernunt: nec discernerent, si nullum esset. Sed, qui fit igitur, inquit Stapletonus, vt tam multi olim hæretici, tam varias Scripturæ partes sustulerint? tam multi Pagani, Turcæ, & Iudæi hodie in vniuersum tollant? Quia, inquam, id discrimen illi non norunt: non secus ac pueri omnes stellas perinde habent, quidquid inter Orionem sit & Pleiadas prorsus non capiunt: cum tamen non magis distare bouem à formica certum sit.

X. Sed his ita declaratis, tres illas agnoscendorum librorum rationes ita comparamus, vt summum gradum obtineat testimonium Spiritus, infimum vero testimonium Ecclesiæ, quod ipsum reliquis duobus nititur, vt sit firmum. Nam nisi Ecclesia librorum sacrorum stylum, siue, vt loquebar, genium dignoscat à stylo siue genio prophanorum: & hanc ipsam distinctionem obsignet Spiritus Sanctus, nihil illa solide testari potest. Hæc est in hoc controuerso capite sententia Catholicorum.

CAP. II.

De Autoritate Scripturæ Papistarum sententia.

I. AT Papistæ longe aliter. Ioannes Eckius in Enchirid. c. 1. negat Scripturas esse authenticas sine autoritate Ecclesiæ: & postea disertius, nisi Ecclesiæ autoritate. Pighius Hierarchiæ Ecclesiasticæ lib. 1. c. 2. *nisi ab Ecclesia accepto veritatis testimonio, nullam ex seipsis aut suis autoribus apud nos autoritatem habere:* factasque esse, non vt fidei nostræ religionique præessent, sed vt subessent potius.

II. Quod

II. Quod hoc quale ſit vt intelligatur: Cardinalis Surdiſius in ſuo Catechiſmo ſic ſcripſit, *Doctor. Ad quemnam pertinet deſinire libros Canonicos? Catholicus. Ad Eccleſiam: cuius abſque authoritate non maiorem fidem adhibuerim D. Matthæo, quam Tito Liuio.* Quinetiam quum neſcio quis dixiſſet, *Scripturas valere quantum fabulas Aeſopi, ſi deſtituantur autoritate Eccleſiæ.* Hoc apophthegma Cardinalis Hoſius libr. 3. eius operis contra Bretium, cui olim titulum fecerat, Veræ Chriſtianæ Catholicæque doctrinæ ſolida propugnatio, aſſerit *potuiſſe pio ſenſu dici, quem homo pius qui charitatē habet, quæ non cogitat malum, ex iis verbis eliceret. Nam reuera, niſi nos Eccleſiæ doceret autoritas, hanc ſcripturam eſſe Canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.* Quo ſenſu iterum in Confeſſione Petricouienſi dixit c. 15. Eccleſiæ ſi ſua non tribuatur autoritas, nullam futuram eorum quæ ſcripta ſunt ab Euangeliſtis autoritatem. Vbi velim Lector obſeruet Papiſtarum ingeniū: qui quod in contumeliam dictum eſt Scripturę, excuſent, quam poſſunt diligentiſſime, & quidem hoc prætextu, quod ſenſum aliquem non incommodum habere poſſe iudicent. Quod vero Caluinus dicebat in eiuſdem Scripturæ laudem & commendationem, quam violentiſſime exagitent. Hoc prætextu quod detorquere poſſint in abſurdum ſenſum ὦ τῆς χρηστότητος! ὦ τῆς ἐπιεικείας! Nimirum, vt quondam Ethnici Ieſum Chriſtianis exprobrabant, & ipſi Ioues, Panaſque & Plutones adorabant.

III. Succinit Charronæus totidem verbis nihil eſſe in Scriptura autoritatis, ponderis, aut virium in nos fidemque noſtram, niſi quantum Eccleſia dicit & declarat. Quod ita explicat, vt dicat, Scripturam eſſe quidem à Deo, proptereaque maxime veram & authenticam: non exiſtimari vero talem ab hominibus aut agnoſci, niſi quia id ita pronunciarit Eccleſia. Nec aliter Carranza controu. 2. prolegomenon ad ſummam Conciliorum, *Solum credimus ſcripturis propter Eccleſiam teſtificantem.* Hoc Pighius in Hierarchia libr. 1. c. 2. ſic exprimit, *Propter Eccleſiam ſolam, eiuſque autoritatē nunc credimus ſcripturæ vniuerſæ.* Et poſt, *Omnis quæ nunc apud nos eſt Scripturarum autoritas, ab Eccleſiæ autoritate dependet neceſſario: neque enim aliter eis credere poſſemus, niſi quia teſtimonium illis perhibenti Eccleſiæ credimus.* Matthias Aquenſis in Catholicæ doctrinæ aſſertione, lib. 1. *Quod Scriptura aliqua credi debeat eſſe verbum Dei, aut Canonica, pendet ex communi Eccleſiæ conſuetudine, atque Orthodoxorum patrum per vniuerſum terrarum orbem conſenſu, aut alicuius plenariorum Conciliorum ſententia ſeu definitione.* Cuſanus olim ad Bohemos Epiſt. 2. *Poſſibile non eſt Scripturam quancumque ſiue ipſa præceptum ſiue conſilium contineat, in eos qui apud Eccleſiam exiſtunt, plus autoritatis ligandi habere, aut ſoluendi fideles, quam ipſa Eccleſia voluerit, aut verbo aut opere expreſſerit.*

IV. Stapletonus prolixius diligentiuſque rem totam, vel ſuam potius ſententiam explicat. Aſſerit Eccleſiam conſignare Canonem, & fidelibus tradere: idque cum autoritate cui fideles omnes obtemperare neceſſe ſit. Negat vero in hac quæſtione à ſe quæri, quare aut vnde Scriptura ſit diuina, ſed tantum vnde nobis conſtet eſſe diuinam. Quid igitur? *Nempe,* inquit, *cum ſuo ſuffragio obſignat Scripturam Eccleſia, non ex dubia ſimpliciter, ſed ex dubia quoad nos authenticam reddit, nec ſimpliciter authenticam, ſed quoad nos.* Quod aliis verbis repetit, c. 2. ſe, cum dicit hoc, Scripturam Eccleſiæ iudicio conſignari, intelligere quoad acceptationem noſtram, non quoad ſeipſam. Tum diſtinctionis rationem ſubiiciens, Scripturam fatetur quoad ſeipſam habere à Deo autore, vt ſit ſacra, ſiue acceptetur ab Eccleſia, ſiue non: ſed a nobis pro ſacra acceptari propter Eccleſiæ iudicium. Breuiter Eccleſiam non facere vt vera ſit, ſed vt pro vera credatur.

V. Illuſtrat ſimili in Defenſione autoritatis Eccleſiaſticæ, cum valde iraſcitur Vuhitakero, quaſi ſibi alienam adſcripſiſſet ſententiam. Eius ſimilitudinis ſumma eſt: Quemadmodum à iudicio Solomonis non pendebat vtra contendentium peperiſſet puerum, de quo vtraque contendebat, ſed tantum cuius mulieris eum eſſe conſtaret: ſic Eccleſia iudicans ac decernens hos libros eſſe Scripturas ſacras & diuinas, & in Canonem ſeu numerum librorum ſacrorum referendos, quaſi veros & genuinos fœtus diuini Spiritus, non facit vt ipſi libri ſint ſacri, ac diuini Spiritus fœtus: ſed vt à nobis pro ſacris ac diuinis habeantur: nec ex hoc Eccleſiæ iudicio pendet, quanta reuerentia Scripturæ aut libris ſacris debeatur, ſed qui tandem libri pro Scripturis Sacris recipiendi & habendi ſint.

VI. Quod ſi Stapletoni mentem ex eius oratione ſatis bene percepi, videtur docere, eſſe quaſi aliquam communem notitiam, quæ non egeat Eccleſiæ determinatione, qui quantuſque honor reddendus ſit verbo Dei, id eſt, quænam quantave ſit eius autoritas. Sed cum ab ea theſi, ad hypotheſin deuenitur, vt quæratur an hic liber, Geneſeos puta, vel Apocalypſis, ſit verbum Dei, tum non poſſe eam quæſtionem concludi niſi ex autoritate Eccleſiæ, catenuſque ab eius iudicio pendere Canonis conſignationem, vt nullus liber à fidelibus admittendus ſit in Canonem, niſi hoc iudicio præcedente, & propter id ipſum iudicium. Quam theſeos ab hypotheſi diſtinctionem inde elicio, quia idem Stapletonus vtitur exemplo diſſidii quod eſt inter Iudæos & Chriſtianos de filio Dei: itemque inter Montaniſtas & Catholicos de Spiritu Sancto. Nam vtrique tum Iudæi tum Chriſtiani conſentiunt ſummam eſſe poteſtatem & autoritatem filii Dei: itidem Montaniſtæ & Catholici, Spiritus Sancti. Sed diſſentiunt Chriſtiani & Iudæi in hoc articulo, vtrum filius Mariæ ſit ille Dei filius: Catholici & Montaniſtæ, vtrum Montanus ſit ille paracletus Spiritus.

VII. Porro Eccleſiam ſic nominat, vt ei perpetua ſit conſignandi Canonis autoritas: hoc eſt, non illius Eccleſiæ quæ fuit ab initio, in qua erant Apoſtoli Apoſtolicique viri, dos eximia & proprium priuilegium: ſed cōmune cum Eccleſia quæ deinceps variis ætatibus ſubſequuta eſt. Atque huic diſputationi propria capita aſſignauit libri noni, ſextum & duodecimum. Nam in ſexto contendit Eccleſiam ſua autoritate effeciſſe, vt qui libri pro dubiis aliquando habiti ſunt, poſtea pro authenticis & certo canonicis haberentur: quales fuerunt nōnulli è veteri teſtamento, qui etiamnum tempore Athanaſii habebantur extra numerum Canonicorum. Duodecimi autem theſis eſt *Præſens quæ nunc eſt Eccleſia, vel quocunque tempore exiſtens autoritatem habet approbandi & determinandi Sacræ Scripturæ libros.* Et diſerte improbantur Durandus, Thomas Valdenſis, & Driedo, quorum ea fuit ſententia, vt approbatio Scripturæ pertineret tantum ad Eccleſiam, quæ fuit Apoſtolorum tempore: quoniam tum ſuperſtites eſſent viri Spiritu pleni, quique viderant miracula Chriſti, & audierant eius doctrinam.

VIII. Sed rurſus Eccleſiam diſtinguit, vt ſignificet, vel Magiſtros, & Paſtores, vel populum fidelem, atque ipſos etiam Paſtores tanquam priuatos, membraque Eccleſiæ. De Eccleſia priori ſenſu nominata, hanc totam quæſtionem vult intelligi, non item ſecundo, *Eccleſia enim* (inquit) *vt Magiſtros & Paſtores populi ſignificat (quo ſenſu in hac controuerſia ſemper accipitur) non ſolum veneratur Scripturam, ſed & commendat eam ſuo teſtimonio, tradit, conſignat, reſpectiue ſcilicet, ad ſubiectum ſibi populum. Vt autem populum fidelem, aut ipſos Paſtores tanquam membra & priuatas perſonas, Eccleſia ſignificat, tantummodo veneratur Scripturam, non etiam commendat, aut tradit eam* Similiter Canus, imo etiam diſertius Thomam Valdenſem impugnat, qui cenſet ad hanc rem adhibendum eſſe laicorum teſtimonium: tum duabus propoſitionibus aſſerit huiuſmodi Iudicium pertinere primo ad Concilium vniuerſale: deinde, quia contigit aliquando diſcidium inter patres Concilii, ad ſummum Pontificem, id eſt, Epiſcopum Romanum. Ita poſt multas ambages eo deuenitur, vt vnico homuncioni plena tribuatur autoritas augendi ſacrum Canonicum.

IX. Hæc illi. Ieſuitas paucos vidi, qui hanc controuerſiam diſtincte explicarent. Nam Bellarminus prorſus non attigit: niſi quod de Conciliis lib. 2. c. 12. negat à ſuis Catholicis præferri Concilia Scripturæ, in eoque vllam eſſe inter eos diſſenſionem. *Quod ſi* (inquit) *interdum Catholici aliqui dicunt Scripturam pendere ab Eccleſia, ſiue à Concilio, non intelligunt, quoad autoritatem, & ſecundum ſe, ſed quoad explicationem, & quoad nos.* Ita molliens, quæ ab aliis durius dicta legerat: vnde coniiciunt nonnulli illū honorificentius de Scripturis ſentire, quam alios non paucos. Nam certe Bartholomæus Carranza contro. 2. totidem verbis ſcripſit autoritatem Scripturarum eſſe ab Eccleſia, non contra: & Scripturas regulari debere per Eccleſiam non contra. Quod non video quantum diſtet à Schuencfeldio, è cuius libro de Scriptura Sancta hunc locum recitat Coccius, lib. 6. art. 30. *Fides noſtra non debet dirigi iuxta ſacram Scripturam: ſed Scriptura ſacra regatur iuxta fidem noſtram.* Quid? quod Charronæus in tantam ſe confidentiam extulit, vt aſſereret, ſi quid ipſemet Spiritus S. in propria perſona diceret, referendum eſſe ad Eccleſiam, vt ab ea approbaretur, & ſumeret autoritatem? Sic enim Spiritum Dei ſubiici Eccleſiæ, vt apud Paulum Spiritum Prophetarum Prophetis?

X. Sed & Andradius, ipſa etiam Ieſuita, libr. 2. defenſion. Trident. negat in libris, quibus ſacra myſteria conſcripta ſunt, quicquam ineſſe diuinitatis, quæ nos ad credendum, quæ illis continentur, religione aliqua cōſtringat: at Eccleſiæ, quæ codices illos ſacros eſſe docet, & antiquorum Patrum fidem & pietatem commendat, tantam eſſe vim & amplitudinem, vt illi nemo ſine grauiſſima impietatis nota poſſit repugnare: eamque ob cauſam valde ſibi pernicioſam videri Durandi ſententiam. Hæc ille: obiter tamen, neque ex profeſſo tractata quæſtione.

XI. At Gordonus Huntlæus Epitomes Controuerſiar. tom. 1. controu. 2. de Eccleſia, cap. 15. ita definit: Eccleſiam non tantum dare nudum teſtimonium Scripturæ, ſed etiam autoritatem. Id quid ſibi velit explicans: Teſtimonium diſtinguit in teſtimonium nudum, & teſtimonium autoritatis. Illud non neceſſarium, quando res aliunde ſatis ſit teſtata, cuiuſmodi Ioannis fuit de Chriſto. Alterum à quo pendeat autoritas ipſius teſtimonii: ideo neceſſarium, quod ſine eo res non ſit ſatis teſtata. Porro teſtimonium Eccleſiæ eſſe omnino neceſſarium, vt potè à quo dependeat autoritas ipſa Scripturarum.

XII. Ex his variorum autorum locis colligimus Papiſtarum atq; eorum quidem non omnium, ſed molliſſimorum, ſententiam hanc eſſe: vt quæcunque inter Chriſtianos agnoſcitur Scripturarum autoritas, ea non ſit ab ipſis per ſe Scripturis, ſed tantum ab Eccleſiæ cōſtitutione: nec aliam ob cauſam ſiue Veteris ſiue Noui Teſtamenti libros haberi pro diuinis, niſi quia ita decreuerit Eccleſia.

XIII. Qua quidem in re ſuperfluus mihi labor videtur eorum, qui adeo ſollicite illud *quoad nos* inquiſiuerunt: quia ne cogitari quidem poteſt vlla eorum librorum autoritas, niſi quoad nos. Nam tota hæc autoritas in eo eſt, quemadmodum dicebamus, vt ſit regula fidei propterea ſiquidem Canon appellatur. Non poteſt autem intelligi fides illa, niſi noſtra. Quare ſi non habet autoritatem quoad nos, ergo nullam prorſus habet. Et ſi nullam habet quoad nos, niſi ex autoritate Eccleſiæ: negari prorſus non poteſt, nullam omnino habere, niſi ex eadem Eccleſiæ autoritate.

XIV. Stapletonus tamen queritur ſuis à Caluino factam iniuriam, quos dixit ſentire, Scripturæ tantum ineſſe momenti, quantum illi Eccleſiæ ſuffragiis conceditur: ſiue, quod idem eſt, pendere ab Eccleſiæ determinatione, & quæ Scripturæ reuerentia debeatur, & qui libri in eius Catalogo cenſeantur. Fatetur quidem poſterius caput de Catalogo: ſed alterum de reuerentia negat. Illud enim, Scripturam conſiderare quoad nos: hoc vero, in ſeipſa. Sed conqueritur immerito. Nam reuerentia nulla Scripturis debita conſiderari poteſt, niſi quoad nos: nempe quatenus illam nos reueremur. Itaque ſic loquutus eſt Caluinus, vt ſignificauerit Papiſtas cenſere ſacros illos libros nullam autoritatem habere in fideles, niſi ex Decreto Eccleſiæ. Autoritas enim & reuerentia, relata ſunt, vt autoritas ſit Scripturarum in fideles eis propterea reuerentiam exhibentes: Reuerentia autem fidelium in Scripturam, cuius autoritatem agnoſcunt.

XV. Quod ſi dicat, ita à ſe intelligi illud, *quanta reuerentia Scripturæ debeatur*, ac ſi dicatur de libris quos iam conſtet eſſe in Canonem receptos: alterū vero, *qui libri in Catalogo cenſeantur*, de iis qui adhuc incerti ſunt, & non relati in Canonem: negetque à ſua Eccleſia pendere illud prius, ſed hoc tantum poſterius: abſurda erit diſtinctio, & extra Caluini propoſitum, Caluinus enim eam conſiderabat Scripturam, quæ iam ab omnibus appellatur Sancta: id eſt, eum ipſum Canonem ad quem certi pertinent libri Veteris ac Noui Teſtamenti: ac de ipſis loqui ſciebat Papiſtas: quod facilius intelligetur ex toto loco, quem ex 1. Inſtit. c. 7. ita Stapletonus recitat, *Inualuit apud pleroſque pernicioſiſſimus error, Scripturæ tantum ineſſe momenti, quantum illi Eccleſiæ ſuffragiis conceditur: ac ſi vero æterna inuiolabiliſque Dei veritas, hominum arbitrio niteretur. Sic enim magno cum ludibrio Spi-*

ritus Sancti quærunt, Ecquis nobis fidem faciat hæc à Deo prodiisse? Ecquis sal-ua & intacta ad nostram vsque ætatem peruenisse, certiores reddat? Ecquis persuadeat, librum hunc reuerenter excipiendum, alterum numero expungendum, nisi certam istorum omnium regulam Ecclesia præscriberet? Pendet igitur, inquiunt, ab Ecclesiæ determinatione, & qua Scripturæ reuerentia debeatur, & qui libri in eius Catalogo censeantur. Hactenus Caluinus.

XVI. Fatetur autem Stapletonus, eas suas esse, suorumve quæstiones. At sunt, inquam ego, non de iis libris, quos incertum est, annumerare debeamus in Canone, sed de iis ipsis, quos ipsi nobiscum Papistæ agnoscunt pro Canonicis: & solent tum maxime proponi, cum disputamus aduersus traditiones non scriptas, & ex solis Scripturis. Quare cum ita quærunt à nobis, tantum intelliguntur loqui de his ipsis libris, non de nescio quibus incertis. Et sane de iisdem, non de vllis aliis Charronæus loquebatur: loquebatur & Carranza paulo ante, loquebatur etiam Eckius: loquebatur Andradius: vt necesse sit Papistas sentire, ne hodie quidem, Genesin, Exodum, atque alios, aliam ob causam haberi pro Canonicis, quam quod ita, siue olim decreuerit, siue hodie testetur Ecclesia. Illis ergo nihil Caluinus affinxerit.

CAP. III.

Fidem, qua Catholici credunt Scripturis esse infusam.

I. COnstituto statu quæstionis restant explicanda vtriusque partis argumenta: & primum nostra, Catholicorum. Hinc facto exordio, Omnis fides infusa est à Spiritu S. At fides qua credimus Scripturæ, est fides infusa: Ergo ea fides qua credimus Scripturæ, est à Spiritu sancto.

II. Maior est extra controuersiam etiam apud Papistas: faciunt enim illi duplicem fidem, acquisitam vnam, alteram infusam: quarum hanc differentiam constituunt, vt videre licet in Dictionario Theologico Ioannis Altenstaig: vt illa sit habitus naturaliter acquisitus ex actibus credendi frequentatis, hæc vero, habitus à Deo supernaturaliter, & immediate in anima creatus. Etsi autem vtramque non satis sic explicent solide, tamen id nobis nunc sufficit, quod infusam fateantur esse à Deo immediate, id est, à Spiritu sancto. Quare si nostrum illud credere Scripturæ, pendet à Spiritu sancto, quid obstat quominus concludamus, quod proposuimus, Scripturæ autoritatem quoad nos pendere à Spiritu sancto agente in conscientiis nostris?

III. Probatur iam minor. Nemo credit iis quæ continentur in Scriptura Sancta nisi doctus à Deo. At quicunque credit Scripturæ, credit iis omnibus quæ continentur in ea: Ergo nemo credit Scripturæ nisi doctus à Deo, id est, per fidem infusam. Minor per se patet: quia Scripturæ credere, in hac saltem controuersia, est eam habere pro vere diuina, extraque omnem comparationis aleam. Non enim sic credunt Scripturæ fideles, quemadmodum docti, sctiptis Thucydidis aut Liuii: quod genus fidei nos solemus historicum appellare. At vero non potest Scripturas quisquam habere pro diuinis, qui in iis aliquid reiiciat, quod necesse est eum facere, qui non omnibus credit.

IV. Maior probatur. Deuteron. 29. Moses Israelitici populi infidelitatem arguens, *Non dedit* (inquam) *vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possint audire, vsque in præsentem diem.* Qui locus est manifestissimus, notatuque dignissimus: distinguit enim fidem veram, id est, infusam, à fide acquisita. Nam hanc fuisse in populo negari non potest. Quis enim dixerit non credidisse Israelitas, se liberatos fuisse ab Ægypto? siccis pedibus transisse mare rubrum? comedisse manna & coturnices: bibisse aquam de petra? Et similia multa? Nam ea illi viderant omnia, & sensibus erant experti. Ideo sic Moses eodem loco, *Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti, Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersaque terræ illius.* Tam igitur non poterant non credere, quam non poterant non vidisse. Restat ergo, vt loquatur Moses de vera fide, quæ proprie fideles distinguit ab infidelibus. At hanc fidem sic eos negat habuisse, vt causam addat, nempe quia non dedisset eis Deus cor, oculos, aures, non corporis, sed animi? vnde euidenter concluditur, non posse eam fidem haberi, nisi Deo dante, id est, inspirante, & infundente.

V. Matthæi 6. *Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis non reuelauit hæc tibi, sed pater meus qui est in cœlis.* Hæc verba negant Petrum credidisse Christum esse filium Dei, nisi ex fide infusa, id est per Spiritum Sanctum. Paulus prioris ad Corinthios duodecimo, negat quenquam posse dicere Dominum Iesum, nisi per Spiritum sanctum. Lucas cap. 16. Actor. testatur Lydiæ cor fuisse apertum à Deo, vt attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.

VI. Addo testimonia Patrum. Basilius in Psal. 115. Πίστις ἡ ὑπὲρ τὰς λογικὰς μεθόδους τῇ ψυχῇ εἰς συγκατάθεσιν ἕλκουσα πίστις ἐστὶν ἡ γνωριστικὴ καὶ ἀναίτιος, ἀλλ' ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνεργοῦσα ἐν ἡμῖν δύναμις, *Fides ea est, quæ excedens artificium logicum, animum trahit ad assensum, fides, inquam, non necessariis Geometrarum demonstrationibus, sed Spiritus vi generata.* Augustinus Confessionum lib. 6. testatur sibi, vt ne eos culparet qui credebant Scripturæ, à Deo persuasum esse manu mitissima & misericordissima pertractante & componente cor. Sic bonus ille pater propria experientia didicit, eam fidem qua amplectimur Scripturarum autoritatem esse à Deo, non vero acquisitum aliquid.

VII. Denique ex aduersariis Georgius Ederus in Methodo Catechismi Catholici, de Fidei certitudine loquitur in hunc modum, *Neque existimet fidei notitiam minus certam esse, quod ea non cernatur oculis, qua nobis credenda fides proponit. Etenim diuinum lumen, quo ea percipimus, tametsi rebus perspicuitatem non adferat, nos tamen de his dubitare non sinit. Deus enim qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, vt non sit nobis opertum Euangelium sicut iis qui pereunt.* Confectum est argumentū. Nam quis neget inter ea, quæ nobis credenda fides proponit, esse Scripturarum autoritatem? Patiantur ergo Catholicos Papistæ, asserentes Spiritum illum esse, qui nos de Scripturis dubitare non sinit.

VIII. Stapletonus respondet, se fateri nos credere ex fide infusa & dono Dei: sed præter fidem infusam, & internum testimoniū Spiritus sancti, cuius beneficio principaliter, & efficaciter credimus, externum quoque Ecclesiæ testimonium necessarium nobis esse, quod huic interno cooperetur, quasi medium ad fidem inductiuum.

IX. Sed primo, hæc argumentum nullo modo infirmant: neque enim aut maiorem negant, aut minorem impetunt. Nouum sane solutionis genus. Quid tum autem, si præter vim Spiritus sancti Ecclesiæ testimonium requiritur? Erant enim nobis duo probanda contra Papistas: & non esse hoc testimonium solam causam, quæ efficiat vt credamus Scripturis, siue quæ Scripturam quoad nos authenticam reddat. Et Spiritus sancti hoc ipsum munus esse. Vtrumque confectum est: Nam hoc posterius diserte concluditur: illud ex eo sequitur, & quidem adeo certo, vt Stapletonum alias reluctantem in has partes compulerit. Nam qui asserit præter Spiritum requiri Ecclesiæ testimonium, is profecto negat id testimonium esse solum. Porro nunc sufficit nobis si ostendimus, Scripturæ autoritatem optime & certissime insinuari per Spiritum Sanctum; hoc est, vt verbis vtamur aduersariorum, Scripturæ autoritatem quoad nos pendere à Spiritu sancto: Eosque frustra & ἀθεολόγως garrire, qui hanc Spiritus vim nobis nominantibus; non secus irrident, ac Anabaptistica ἐνθουσιάσματα. De Ecclesia postea videbimus.

X. Secundo, sibi Stapletonus egregie contradicit. Qui enim toties asserebat præcipue propter Ecclesiam nos Scripturis credere: & earum autoritatem quoad nos pendere ab Ecclesia: nunc agnoscit beneficio Spiritus sancti, nos principaliter, & efficaciter credere. Non ergo (inquam) præcipue propter Ecclesiam. Et frustraneum est illud tam solicite conquisitum discrimen inter quoad se, & quoad nos. Nam quod efficaciter credimus, id profecto non potest considerari, nisi de autoritate Scripturæ quoad nos dictum.

XI. Tertio, quod asserit præter testimonium, Spiritus, externum quoque Ecclesiæ testimonium nobis esse necessarium, quasi medium ad fidem inductiuum, non satis bene cohæret cum 3. c. lib. 8. de Principiis doctrinalibus: quo loco diserte asserit, adeo efficax esse illud infusæ fidei donum, vt possibile sit actu credere omnia credenda per solam fidem infusam, absque testimonio, doctrina, & magisterio Ecclesiæ. Nam certe, si in omnibus credendis est etiam autoritas Scripturæ ipso fatente Stapletono libr. 9. c. 4. & omnia credi possunt actu ex sola inspiratione: quis neget sequi, etiam hoc quicquid est de autoritate Scripturæ posse credi absque testimonio, doctrina, & magisterio Ecclesiæ? Quod si est, cur testimonium illud Ecclesiæ iam necessarium dicatur, ego quidem non video. Vtile esse, Catholici quidem nunquam negabunt.

XII. Sed hoc Spiritus testimonium longe durius exagitant alii: inter quos Sapetus, (cui vtinam Papismus tanto esset odio, quanto fuit Iesuitismus tædio) in libello, cui titulum fecit Falsitatem Caluinismi: in quo luculentissimo specimine docuit, nō tam facile exui mores Loioliticos, quam vestem deponi. Is igitur in hunc modum. Primo, Deum non promisisse affuturum omnibus fidelibus Spiritum sanctū perpetuo, & infallibiliter. Secundo, hac ratione fenestram aperiri omnibus erroribus, quibus libet Spiritum non minus iactaturis quam Sedechiam Pseudoprophetam, 2. Reg. 22. vlt. Tertio: fore vt nemo vnquam hæreticus conuinci queat, nixus interno Spiritus testimonio. Quarto, singulos futuros iudices suæ fidei sumtos. Quinto, monstrosum esse hanc Spiritus perpetuam atque infallibilem assistentiam singulis concedere: & tamen denegare toti Ecclesiæ, quæ nihil est aliud, quam omnium fidelium cœtus. Denique Caluinum coactum fuisse, vt doceret hoc testimonium Spiritus solum non sufficere: quin potius esse explorandum certis indiciis, prout Ioannes docuit 4. cap. Epist. 1. *Ne cuiuis Spiritui credite: sed probate Spiritus an ex Deo sint.*

XIII. Facile respondeo. Ad primum, Deum promisisse affuturum omnibus fidelibus Spiritum sanctum. Esaiæ 44. *Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Ioelis 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ.* Ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, is non est eius.* Hieremiæ 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Aut hæc omnia falsa sunt, aut necesse est fateri, adesse omnibus fidelibus Spiritum sanctum.

XIV. Quod vero Sapetus addit de infallibilitate, frustra est. Non enim sequitur, si Spiritus non adsit infallibiliter singulis fidelibus, hoc est, ita vt nunquam errent vlla in re: ergo non adesse iisdem, vt credant. Exemplum contra adfero. Et Petri, cui caro & sanguis non reuelauerat mysteriū, quod erat confessus: sed Pater qui est in cœlis, nimirum per Spiritum: & tamen idem in eo errabat à vero, quod non puraret communicandum cum gentibus, Actorum decimo. Et Augustini, cui infallibiliter adfuisse Spiritum sanctum, ne Sapetus quidem ausite dicere: & tamen ipsum iam iam audiuimus testantem, sibi paulatim à Deo fuisse persuasum, vt crederet Scripturis. Denique non omnes Christiani infallibiliter credunt; hoc est, ita vt nunquam errare queant: & tamen Apostolus pronunciat, neminem esse Christianum, qui non sit particeps Spiritus Christi, ad Rom. 9. imo ne posse quidem dicere Iesum Dominum nisi per Spiritum sanctum. 1. Cor. 12.

XV. Ad secundum. Ergo (inquam) Deus ipse hanc fenestram aperuisset: cuius ea sunt omnes promissiones, quas iam recensui. Sed non est ita. Non enim datur hic Spiritus, nisi ad confirmandam veritatem: nunquam autem ad docendum mendacium. Quid tum vero, si qui docent mendacium, iactant se habere Spiritum? An propter Sedechiam pseudoprophetam, Micheas, cui ille contradicebat, non fuit θεόπνευστος? Imo quantumuis se Diabolus transformet in Angelum lucis, tamen Angeli manent Angeli: Nec propterea Lydiæ cor Deus non aperuit, quia Simon ille μάγος fidem aliquandiu simulauit. Quid? quod quamuis Magi apud Ægyptios miracula iactarint, tamen Iesuitæ non cessant obtrudere miracula, pro certissima Ecclesiæ nota?

XVI. Ad tertium, falsum est nunquam hæreticos posse conuinci: etiam si certum sit fideles habere Spiritum Dei. Nam & olim Montani Prophetias Ecclesia damnauit. Etsi nuero non possunt illi niti Spiritus sancti testimonio, qui Spiritu sancto prorsus destituuntur. Certe fideles conuinci non possunt: qui vere nituntur illo testimonio. Itaque absurde hanc instantiam Sapetus protulit. Non diffiteor ego quidem, quod ipsa quotidie experientia testatur, hæreticos esse pertinacissimos: sed vicissim ex eadem experientia didici, nunquam non fuisse impietatis conuictos. Dicam audacius: Nunquam credo hæreticos impietatis conuincendos, nisi autoritatem Scripturæ tantam esse persuadeat Catholicis Spiritus sanctus.

Nam

Nam hominibus afferentibus, licet ἀνθρωποφαίτως, vt verbo vtar Clementis Alexandrini: itaque nunquam nisi Deo iudice lites dirimentur. Non erit autem Deus iudex, si totum iudicium resoluatur in autoritatem Ecclesiæ. Quia Ecclesia non est Deus: neque vox Ecclesiæ, semper vox Dei.

XVII. Ad quartum, fides intelligitur, vel actus credendi, vel obiectum eius actus, nempe articuli doctrinæ. Priori modo, sine dubio singuli fideles summi sunt iudices suæ fidei. Nemo enim testari potest de fide aliena: sed tantum de sua: ideo neque iudicare alienam fidem: hoc est, vtrum hic aut ille certo credat, & sincero animo: nisi forte per reuelationem extraordinariam. At posteriori modo, negatur Sapeti consequentia. Est enim summus iudex Scriptura, omnium articulorum fidei: deinde etiam Ecclesia suo gradu, tertio singuli fideles suo modo. Nam *Spiritus Prophetarum subiicitur Prophetis*; teste Paulo 14. c. 1. ad Cor. Itaque potuit ἀεὶ ὁμοίως Arij iudicare non tantum Synodus Nicena: sed etiam ante eam Alexander Alexandrinus: imo & Athanasius Diaconus.

XVIII. Ad quintum. Imo (inquam) monstrosissime ineffabilem Spiritus assistentiam sic Papistæ tribuunt toti Ecclesiæ, vt tamen denegent singulis fidelibus: cum fateantur Ecclesiam nihil esse nisi cœtum fidelium. Sed nos infallibilem illam assistentiam, neque toti Ecclesiæ tribuimus, neque singulis fidelibus vindicamus. Itaque hæc insignis est Sapeti calumnia.

XIX. Ad postremum. Primo, suos potius Sapetus oppugnat, quam Caluinum. Non enim hunc memini aliquando asseruisse; solum Spiritus testimonium internum sufficere: quod tamen Stapletonus affirmat c. 9. libr. 8 de Principiis, vt paulo ante obseruaui. Secundo, non sunt contradicentia: probandos esse Spiritus, ex consonantia cum Scriptura: & ex Spiritus testimonio interno quemlibet fidelem credere. Nam id examen est aliorum in alios: puta Athanasii in Arium. At Spiritus testimonium, vtpote internum, singuli sentiunt tantum suum: non etiam alienum. Atque hæc probatio fit à posteriori: nimirum, quia Spiritus nihil confirmat contrarium articulis fidei expressis in Scriptura: si se Arius iactat habere Spiritum Sanctum, examinabo inæqualitatem personarum: quæ si contradicat Scripturæ, tum ego securus negabo Arium habere Spiritum Sanctum. At inde nullo modo concludi potest, non obsignari à Spiritu articulos fidei in cordibus fidelium.

CAP. IV.

Testimonium Spiritus in fidelibus esse summum.

I. QVoniam probatum est, vt cæterorum fidei articulorum, sic etiam huius, qui est de autoritate Scripturæ, astipulatorem esse Spiritū Sanctum: nostra autem est duplex controuersia, videlicet neque vnicam, neque summam esse causam credendi Scripturis Ecclesiæ consignantis autoritatem: nunc probemus testimonium Spiritus esse summum. Argumentum Stapletonus a Caluino excepit, atque his verbis concepit, *Testimonium Spiritus omni autoritate præstantius est. Itaque idem Spiritus qui in Scripturis loquitur, nobis quoque persuadebit se in Scripturis esse locutum. Deus enim solus idoneus de se testis est.* Ego distinctius: Si non est Spiritus Sancti testimonium summum, tum sequetur esse aliquam autoritatem præstantiorem autoritate Spiritus Sancti. At hoc posterius est mere blasphemum: Ergo non est verum, testimonium Spiritus non esse summum.

II. Nihil hic negare Stapletonus audet: imo distertis verbis concessit, *Testimonium Dei esse omni autoritate superius.* Quid nos vero amplius quærimus? Sequitur enim esse hoc testimonium superius autoritate Ecclesiæ. Itaque si ex vi eius testimonii nobis autoritas constat Scripturæ, necesse est fateri eandem autoritatem quoad nos, fidelibus constare multo luculentius & certius, quam ex autoritate Ecclesiæ: contra quam Papistæ in statu quæstionis asserebant.

III. Ne tamen repente vi veritatis mutus factus esse videatur, aut aliquid de sua in errore pertinacia concedere, nonnihil addidit, quod operæpretium est considerare. Debere ergo ait, hoc Spiritus testimonium esse publicum, non priuatum tantum, & manifestum ac certum, non autem arcanum, quale obtendi facile à quouis possit: vt videlicet non solum sit à Deo, sed constet etiam esse à Deo. Tale autem in Ecclesia perpetuo residere. Esse autem id necessarium ne seductorii Spiritus, sub titulo diuini Spiritus se ingerant.

IV. At hæc, & inepta est, & inutilis exceptio. Inutilis quidem: quia etsi concedatur Spiritus testimonium, aliud esse publicum, aliud priuatum: tamen constat testimonium illud, vnde est fides infusa, esse priuatum, non vero publicum. Et argumento præcedenti confectum est, idipsum nobis persuadere Scripturas esse vere diuinas: quod ne Stapletonus quidem negare potuit: Imo si concessit, vt ei adiungeret publicum Ecclesiæ testimonium tanquam medium inductiuum ad fidem. Sic igitur, erunt saltem duo (vt ita loquar) testimonia Spiritus, ex quorum vtroque constet autoritas Scripturæ: sed aliud ἀρχηγὸν, nempe priuatum, quo fit vt omnes certo credamus: alterum instrumentale, & quasi λειτουργικὸν siue ὑπηρετικὸν, ideoque inferius alio. Vnde sequitur non tantum non esse Ecclesiæ testimonium solum, quod conficiebatur præcedenti argumento, sed ne quidem summum, quod nunc contendimus.

V. Ineptia autem maxima est; quia cum loquamur de testimonio Spiritus, quod pertinet ad fidem infusam, iste nobis publicum occinit. Atqui ne cogitari quidem potest, vt sit publicum id Spiritus testimonium, vnde est fides infusa. Nam si sit fides infusa, vt præced. c. diximus, supernaturaliter creata in anima: tum necesse est vt sit interna vis Spiritus eam fidem creans: & si interna, ergo etiam priuata, & arcana, non autem publica.

VI. Præterea, si sit fides immediate creata (nam & hanc conditionem amplectebatur fidei infusæ definitio in superiore argumento) quorsum nobis Stapletonus testimonium proferat Ecclesiæ, quod ipse fatetur esse medium ad fidem inductiuum? Nam si immediate, ergo sine medio: quemadmodum asserebat ipse, actu credi posse omnia credenda, per solam fidem infusam, absque testimonio, doctrina, & magisterio Ecclesiæ.

VII. Ad hæc, testimonium Spiritus publicum illud, vel est extraordinarium, vel ordinarium. Illud fuit in Prophetis, & Apostolis, aliisque ab initio prædicatæ veritatis extra ordinem missis: hoc vero tantum in Scriptura, & præter eam nusquam: nam testimonium Spiritus necesse est esse diuinum. Ergo si aliquo publico Spiritus testimonio Stapletonus vult cōstare autoritatem Scripturæ fidelibus, necesse est vt alterutrum eligat. Si extraordinarium, tum nouas quotidie reuelationes cum Anabaptistis expecter, quod est absurdum. Sin ordinarium, tum nobis cum Scripturæ concedat, vt seipsam probet, & quidem autoritate diuina & suprema.

VIII. Ille vero asserit illud publicum Spiritus testimonium esse in Ecclesia, multisque probare conatur contra Vuhitakerum Defensionis lib. 3. c 14. Primo ex Paulo 1. ad Cor. 12. differente de donis spiritualibus, in primitiua Ecclesia, quæ fuerunt (inquit) publica testimonia, quibus alii vel in fide confirmabantur, vel ad fidem etiam inducebantur. Secundo, ex Epistolæ ad Ephesios c. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Quorsum hoc, inquit? An vt illi arcanum tantum & priuatum Spiritus Sancti testimonium haberent, quo imbuti & persuasi, ipsi Deo & Christo crederent? Imo sequitur, *Ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Hæc consummatio sanctorum, seu confirmatio fidelium, nonne externum & publicum Pastorum munus est, qui omnes suo testimonio & iudicio confirmant? Tertio, Christus dixit Apostolis. *Ille*, scilicet Spiritus Sanctus, *testimonium perhibebit de me, quia ab initio mecum estis:* vtrumque diserte coniunctum est, internum diuini Spiritus, & externum Ecclesiæ testimonium. Quarto, ex Act. 15. vbi congregata Synodus pronunciauit, *Visum est Spiritui sancto & nobis:* verbis apertissimis exprimens Spiritus Sancti testimonium externum in publico Ecclesiæ iudicio.

IX. Sed hæc facile dissoluuntur. Ad primum respondeo non agere Paulum de vllo publico Spiritus testimonio: sed tantum de variis charismatibus à Spiritu in singula Ecclesiæ membra collatis, non in ipsum Ecclesiæ corpus. At hæc valde differunt. Nam cum dixit Stapletonus publicum illud testimonium Spiritus in Ecclesia perpetuo residere; non sensit, sic esse in Ecclesia, vt à quolibet possit peti, sed tantum à toto corpore. Hæc autem omnia charismata erant in membris quibusdam, non vero in aliis, ac proinde non in toto corpore. Sic enim Paulus, *Vnicuique datur declaratio Spiritus ad vtilitatem. Huic quidem sermo sapientiæ: alii sermo cognitionis: alii fides*: & sic deinceps. Et postea, *Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem Deus collocauit membra singula sigillatim in corpore sicut voluit: quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus?*

X. Rursum fatetur Stapletonus hæc charismata pertinere ad primitiuam Ecclesiam, fuisseque temporaria & extraordinaria. At in hac controuersia quæritur ordinarium aliquid & perpetuum: tum quia semper fideles quorumcunque seculorum & ætatum certo persuadendi sint, quanta sit Scripturæ autoritas, tum quia Stapletonus quicquid hac in re vindicat Ecclesiæ, id perpetuum esse velit, tamque pertinere ad hodiernam, quam ad primitiuam. Non commode igitur argumentum petitur ab iis donis, quæ tantum ad primitiuam pertinent.

XI. Tertio, declarat Stapletonus se testimonium illud suum, constituere in publico Ecclesiæ iudicio, quo insinuetur fidelibus autoritas Scripturæ. At horum charismatum nullum erat publicum Ecclesiæ iudicium: imo ne quidem iudicium vllo modo: sed erant mera Dei beneficia, in quibus mere παθητικῶς habebant se, ii quibus conferebantur: quod de iudicio asseri non potest. Ergo id totum est ἀπερισκόπητον.

XII. Ad secundum. Verum quidem est, institutos esse Pastores, vt sanctos consumment, ædificent, & quando ita vult Stapletonus, confirment. Sed esse tamen publicum Spiritus testimonium aliud quam aut extraordinarium in Apostolis & Prophetis, aut ordinarium, in Scripturis, nō sequitur. Primo enim, publicum hoc testimonium, non singulorum est Pastorum, sed omnium. At hæc siue consummatio, siue ædificatio, siue confirmatio, singulorum est: itaque etsi eo dici possit publicum, quia fit publice: non tamen, quod fiat à toto Ecclesiæ corpore, quod in hoc argumento necessarium est. Secundo, ipsi Pastores non confirmant suo aut iudicio, aut testimonio: sed testimonio & iudicio illo Spiritus publico, quod est in Scriptura. Sic Augustinus c. 1. de Bono viduitatis. *Non sit mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere.* Et Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. illum narorum, Μηδέ μοι τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πίστευσης ἐὰν τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν, *Ne mihi quidem ipsi hæc dicenti absolute credito, nisi demonstrationem acceperis, propositorum, è diuinis Scripturis.*

XIII. Ad tertium. Loquitur Christus de solis Apostolis, ac proinde, de publico illo testimonio Spiritus, quod diximus esse extraordinariū: quodque non consistit in iudicio Ecclesiæ, sed tantum in Apostolis, quod ostendunt illa verba, *qui ab initio mecum estis*, Apostolorum propria: quæ produci non possunt ad vllos Pastores, qui post eos fuerint. Nam eorum nulli fuerunt cum Christo: ac proinde non potuerunt habere illam testimonii sufficientiam (sic enim Thomas vocat, exponens hunc ipsum locum) quæ his verbis designatur: sicut nulli ita inspirati sunt à Deo, vt certum sit non errasse.

XIV. Ad quartum. Agitur quidem de decreto Concilii, in quo erant Apostoli cum senioribus, & plebe, id est, „fratribus: itaque totius Ecclesiæ. Sed nego eorum verborum, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, hunc sensum esse, vt publicum Spiritus testimonium, idem sit quod Ecclesiæ iudicium. Imo aio distingui vtrumque: Illud enim visum esse Spiritui Sancto, significat testimonia illa Spiritus Sancti, quæ à Petro & Iacobo prolata sunt, & quorum vi concludit Concilium suam sententiam de vsu legalium: itaque distinguitur testimonium Spiritus à testimonio Ecclesiæ, tanquam antecedens à consequenti. Nam etsi vtrumque sit de eadem re, & in eandem sententiam, non sequitur tamen non esse distinctum.

XV. Et certe, tum nos non tantum Ecclesiæ, sed etiam vniuscuiusque Pastoris testimonium agnoscimus posse dici diuinum, cum nititur Spiritus testimonio tanquam fundamento: sed absolute idem esse testimonium Spiritus, & testimonium siue vllius Pastoris, siue totius Ecclesiæ; nulla ratio persuadebit, cum experientia testetur aliquando discrepare vnum ab

alio. Ac proinde, quoties testimonium profertur Ecclesiæ, necesse est certis argumentis probari, id niti testimonio Spiritus: non autem simpliciter supponendum, tanquam per se & sua natura certum. Nec si tum, hoc est, in eo Concilio, coniunctum fuit vtrumque, ideo sequitur, publicum & illustre Spiritus sancti testimonium, in Ecclesia, hoc est, in Ecclesiæ iudicio perpetuo residere.

XVI. Perstat igitur immotum nostrum argumentum. Addo aliud mutuatum à Vuhitakero: Quæcunque caussa eiusmodi est, vt ab ea perpetuo ac necessario effectus dependeat, ea denique vere & proprie caussa dicitur. At Spiritus Sancti internum testimonium, eiusmodi est, vt perpetuo ac necessario efficiat, vt Scripturæ quoad nos sint authenticæ. Ergo Spiritus Sancti internum testimonium, vere ac proprie eius autoritatis quoad nos, causa dici debet.

XVII. Probatur assumptio (nam propositio non eget argumentis) ex natura Spiritus Regenerantis, qui nemini datur nisi ad salutem, *Si Spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis*, (8. ad Rom), *habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem eius Spiritum in vobis.* Atqui necesse est ad salutem credere Scripturis, quarum testimonio nititur fides nostra. Itaque quicunq; aguntur Spiritu Sancto, ij omnes assentiuntur Scripturæ sacræ: neque vllum potest exemplum contra proferri.

XVIII. Addo ex 1. Ioannis 5. Τὸ πνεῦμα ἐστὶ τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστὶν ἡ ἀλήθεια, *Spiritus est, qui testificatur Spiritum veritatem esse.* In quem locum Caietanus Cardinalis, *Ecce tertius testis: imo ecce ille qui solus est sufficiens testis: ecce ille qui vere testificatur: aqua enim non loquitur, neque sanguis, sed Spiritus est, qui & intelligit, & omnia nouit, & testificatur. Et propterea singulariter de solo Spiritu dixit & Spiritus est qui testificatur.* Etsi autem sequens illud ὅτι, idem Caietanus intelligat, quasi dictum esset, quia ipse est veritas: tamen Stapletonus cum Vuhittakero sic exponit, vt sensus sit Spiritus testatur Spiritum, id est, doctrinam Spiritus, vel Christum, (sic enim Latinus interpres Christum dixit pro Spiritu) id est, doctrinā de Christo esse veritatē. Quod autem quidam hunc Spiritum testificantem interpretantur de apparitione Spiritus in baptismo Christi: non videtur satis exactum. Primo, quia nititur errore Latini interpretis, qui Christum dixit pro Spiritu. Secundo, quia dixit Ioannes, Spiritus testificatur, non vero testificatus est. Tertio, quia subiicit, non tantum Spiritum in cœlo, sed etiam Spiritum in terra testificari. Quarto, quia addit, *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso*: quæ non possunt aliter intelligi, quam de interno hoc testimonio, de quo loquimur.

XIX. Nihilominus assumptionem Stapletonus negat: quia obseruauit multos resistere Spiritui Sancto. Sic enim Stephanum Iudæos reprehendisse, cum diceret, *Vos Spiritui semper restitistis: sicut Patres vestri, & vos*, Act. 7. Sic Christum testari, se voluisse Iudæos congregare, ipsos tamen noluisse. Sic Paulum hortari, *Spiritum nolite extinguere*, 1. ad Thessalonicenses 5.

XX. Et tamen idem ipse continuo fatetur, fidem semper esse opus & effectum Spiritus Sancti, atque hoc sensu effectum fidei à Spiritu S. semper produci. Quorsum igitur illa? Nam hoc nobis sufficit. Nam etsi non generet Spiritus fidem in iis qui sunt infideles: sunt autem profecto infideles: quicunque resistunt Spiritui; tamen si semper fidem generat in fidelibus: Ergo nullus est fidelis, qui non habuerit fidem infusam à Spiritu. Est autem pars fidei, credere Scripturis. Ergo hoc ipsum nemo habet, nisi infusum à Spiritu: ac proinde Spiritus erit eius propria & vera causa.

XXI. Sed respondeo: eos locos non loqui de interno Spiritus testimonio persuadente cordibus ad fidem: sed partim de externo ministerio, quod sine dubio est ab eodem Spiritu: partim etiam de conuictione, & redargutione; ad ἀναπολογήτους reddēdos infideles. Exempli gratia, Stephanus Iudæis euangelizabat: & erat idem plenus Spiritu Sancto, cuius vi loquebatur. Sed idem tamen Spiritus, non agebat in cordibus Iudæorū, qui concionantem audiebant: quod si fecisset, tum æque illi verbum excepissent, ac ii qui concionante Petro compuncti sunt corde, Actor. 2. Itaque nihil hoc contra argumentum: in quo diserte nominabatur testimonium Spiritus, non quodlibet, sed internum: de quo illud intelligendum est, quod de se ipsis Apostoli testantur, Lucæ 24. *Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & cum adaperiret nobis Scripturas?*

XXII. Præterea, si ob eam causam Spiritus testimonium non est causa autoritatis Scripturæ quoad nos, quia eidem multi resistunt: eandem ob causam nos etiam concludemus ne Ecclesiæ quidem testimonio id tribuendum. Nam Ecclesiæ plurimos resistere, quis nescit? Sic Ariani negabant τὸ ὁμοούσιον, quantumuis asserente tota Ecclesia. Et vt infinitos prætereeam, in hoc ipso de Scripturis argumento, Manichæorum Vetus Testamentum reiiciebant, & multa è Nouo. Ebionitæ Matthæi Euangelium. Marcion tria, videlicet Matthæi, Marci, & Lucæ: alii alios. Videat ergo Stapletonus, an velit ita minui autoritatem Ecclesiæ ob hæreticorum pertinaciam. Quod si nolit: ne nos quidem Spiritus Sancti.

CAP. V.

An Scriptura habeat à se efficaciam in corda.

I. HÆc de Spiritu Sancto. Iam de Scriptura Vuitakerus sic argumentabatur: Si Scriptura à seipsa vim habet, & ἐνέργειαν exserit in corda fidelium, ergo ea est αὐτόπιστος, & à se autoritatem obtinet quoad nos. At antecedens est verum. Ergo & cōsequens. Consequentia negari nō potest.

II. Probatur Antecedens, ex 4. c. ad Hebr. *Viuus est sermo Dei, & penetrantior quouis gladio ancipiti, ac pertingit vsque ad diuisionem animæ simul ac Spiritus, compagumque & medullarum, & diiudicat cogitationes, & conceptiones cordis.* Nemo a. negat Scripturam esse sermonem Dei. Rursum Paulus 1. ad Cor. 2. testatur prædicationē suam fuisse, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, *in demonstratione Spiritus & virtutis.* Est autem etiam Scriptura, prædicatio Pauli: quod enim voce docuit, idipsum scriptis mandauit. Vnde Isidorus Hispalensis de Summo bono lib. 3. cap. 13. *Eloquia sacra exterius incompta verbis apparent, intrinsecus autem mysteriorum sapientia fulgent. Ideo libri sancti simplici sermone cōscripti sunt, vt non in sapientia verbi, sed in ostensione Spiritus homines ad fidem perducerentur. Nam si Dialectici acuminis versutia, aut Rhetoricæ artis eloquentia editi essent, nequaquam putaretur fides Christi in Dei virtute, sed in eloquentiæ humanæ argumentis consistere: nec quenquam crederemus ad fidem diuino inspiramine prouocari, sed potius verborum calliditate seduci.*

III. Prioris Petri c. 1. dicuntur fideles, *Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili, per sermonem Dei.* Et Lucæ 8. *Semen est sermo Dei.* At omne semen suam in se vim habet, quam suo tempore exserat. Est autem, vt prius, Scriptura verbum Dei. Certum est igitur, eam à se habere efficaciam in animis hominum quæ per eam regenerantur?

IV. Paulus 1. ad Corinth. 14. asserit, si omnes prophetent in Ecclesia, ingrediaturque infidelis & idiota, eum ab omnibus argui & diiudicari: adeo vt occulta cordis eius fiant manifesta. Erat autem prophetare aliud nihil, quam Scripturas plebi interpretari.

V. Denique Veteres huic energiæ testimonium præbent. Areopagita Epist. 9. quæ est ad Titum. Διὸ καὶ δρόσῳ καὶ ὕδατι τὰ θεῖα καὶ νοητὰ λόγια, καὶ οἴνῳ καὶ μέλιτι παρεικάζεται, διὰ τὴν ζωογόνον αὐτῶν ὡς ἐν ὕδατι δύναμιν, καὶ αὐξητικὴν ὡς ἐκ γάλακτι, καὶ ἀναζωτικὴν ὡς ἐν οἴνῳ, καὶ καθαρτικὴν ἅμα καὶ φρουρητικὴν ὡς ἐν μέλιτι, *Diuina & spiritualia eloquia assimilantur rori, aquæ, vino, & melli: ob vim illam viuificam quæ in eis est, non secus ac in aqua: & augentem vt in lacte: & recreantem vt in vino, & purgantem conseruantemque vt in melle.* Lactantius Institut. lib. 3. c. 2. *Dei præcepta, quia & simplicia, & vera sunt, quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonstrat. Da mihi virum qui sit iracundus, maledicus, effrenatus, paucissimis Dei verbis tam placidum quam ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem, iam tibi eum liberalem dabo.* Iustinus Dialogo cum Tryphone, Βουλοίμην δ' ἂν καὶ πάντας ἰσονέμους θυμὸν ποιησαμένους μὴ ἀφίστασθαι τῶν τοῦ σωτῆρος λόγων. δέος γὰρ τι ἔχουσιν ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἱκανοὶ δυσωπῆσαι τοὺς ἐκτρεπομένους τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ, ἀνάπαυσίς τε ἡδίστη γίνεται τοῖς ἐκμελετοῦσιν αὐτούς, *Velim sane etiam omnes, perinde vt me, animum obfirmare, vt ne abscederent à sermonibus Seruatoris. Habent enim in se reuerentiam quandam, idoneiq; sunt ad pudorem incutiendum iis qui recesserunt à recta via: sitque meditantibus eos gratissima quies.* Lōge prior Origenes περὶ ἀρχῶν libr. 4 cap 1. *Si qui cum omni studio, & reuerentia, qua dignum est, prophetica dicta consideret, in eo ipso dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo diuiniore spiramine mentē sensumque pulsatus agnoscet non humanitus esse prolatos eos quos legit, sed Dei esse sermones: & ex semetipso sentiet non humana arte, nec mortali eloquio, sed diuino vt ita dicā, cothurno libros esse conscriptos.* Philo Carpathius in Canticum Canticorum, *Incredibile est nescienti, quam suaue sit de Deo Optimo Maximo ex sacris literis meditari ac loqui.* Et paulo post, *Ex his guttur nostra mentis admirabili dulcedine repletur in Deum, seque adeo inflammari sentit desiderio æternæ vitæ consequendæ.* Et in eundem sensum Isacius Presbyter Syrus de mundi contemptu cap. 25. *Continua lectio in Scripturis Sanctorum replet animam incomprehensibili admiratione, ac lætificatione diuina.*

VI. Hæc etsi ita sunt, tamen Stapletonus, idipsum negat Antecedens, Et primo iis locis non agi de verbo Scripto, sed de viuæ vocis prædicatione. Etsi autem è Scripturis prædicauerint Apostoli, nihilominus aliud esse prædicationem ipsorum viua voce factam, aliud Scripturam. Secundo, non semper hanc in verbo Dei efficaciam esse: ipsum enim Dominum testari, vix quartam partem sementis abisse in frugem. Tertio, has admirabiles virtutes nec scriptum, nec prædicatum Dei verbum sua aliqua vi & energia habere, sed propter cooperantem ministerio verbi Spiritum, sine qua cooperatione interna, sermonem Dei adeo corda non penetrare, vt à quam multis penitus despiciatur.

VII. Sed in primo non considerauit, Scriptum verbum à prædicato, nulla substantiali differentia separari. Neque enim aut specie, aut genere, aut etiam numero differre: sed tantum accidente, quomodo Socrates senex à seipso puero neque genere differebat, neque specie distabat, neque numero separabatur, sed tantum accidente, hoc est annorum numero distinguebatur. Sic exempli gratia, is sermo quem primum Petrus habuit ad Iudæos post distributum Spiritum, non differt ab eo quem legimus Act. 2. relatum à Luca, nisi quatenus ipsæ scripto non est viua vox. Quia tamen ea scriptio nihil aliud est, quam viuæ vocis imago: propterea non obstat tantulum discrimen, quominus asseram hanc quam illo loco concionem lego, eandem esse, qnam habuit tum temporis Petrus: vt Socratem qui cicutam bibit, nemo negat eundem esse quem Phænareta pepererat olim. Quare si eadem sit numero concio, quidni idem de eadem prædicabitur? Et vere apud Lucam legi asseram, *His auditis compuncti sunt corde?* His (inquam) quæ & tum Petrus viua voce differebat, & nobis nunc Lucas scripto repræsentat?

VIII. Secundo, etiamsi concederent Catholici, Verbum scriptum esse aliud numero, à verbo prædicato: tamen non valeret instantia. Quia hæc, quam dicimus, efficacia non procedit à prædicatione proprie, sed a verbo Dei: hoc est, mouentur ab eo corda, non simpliciter quia prædicatur: sed, quia est verbum Dei. Itaque hoc axioma verum est: Omne verbum Dei habet hanc efficaciam: vnde procedit syllogismus. At Scriptura est verbum Dei. Ergo Scriptura habet hanc efficaciam: quæ conclusio est in illis locis quos è Patribus citauimus.

IX. Ne secunda quidem valet exceptio. Etsi enim verum sit, non omne semen quouis loco satum proferre fructum: tamen non est verum seminis nullam esse vim. Certe enim, omne semen suam in se δύναμιν habet, vt ex se germinet, abeatq; in frugē: σπέρμα, παρὰ τὸ σπείρειν ἐξ ἑαυτοῦ καὶ παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῷ τὴν δύναμιν τῆς τελειότητος (inquit) Etymologicus, *Quod in seipso consitā habeat vim perfectionis.* Et hoc notum omnibus physiologis. Idem iudicium de semine cœlesti, id est, verbo Dei. In argumento autem non diximus, Scripturam habere suam ἐνέργειαν in corda omnium, sed tantum fidelium. Origenes homil. 2. in Exodum, *Sacra volumina Spiritus plenitudine spirant: nihilque est siue in prophetia, siue in lege, siue in Euangelio, siue in Apostolo, quod non à plenitudine diuinæ maiestatis descendat. Quamobrem spirant in Scripturis sanctis, hodieque plenitudinis verba. Spirant autem his, qui habent & oculos ad videnda cœlestia, & aures ad audienda diuina, & nares ab ea quæ sunt plenitudinis sentienda.* Ergo (inquam) etsi non omnibus, tamen à se.

X. In tertia exceptione, fateor Deum cooperari verbo suo, cum prædicato tum scripto: sed nihil esse in eo efficaciæ non sequitur. Sic enim cooperari

perari oportet ſemini, & ſolem & ſolum: ſed ſeminis tamen nullam eſſe vim nemo ſanus dixerit. Imo vero, quia ſcimus totam hanc efficaciam eſſe à Spiritu Sancto, ideo Scripturam aſſerimus hanc efficaciam habere: quia ſi nullam habet, tum ne habet quidem à Spiritu. Ad hæc fatetur Stapletonus, in hac quæſtione, cum agit de autoritate Eccleſiæ, ſe non ſeparare Spiritus efficaciam cooperantem. Et vult tamen ab ea Eccleſiæ autoritate cui cooperatur Spiritus, pendere conſignationem Canonis. Quidni ergo nos de Scriptura ſimiliter? cooperari quidem Scripturæ Spiritum, ſed eſſe nihilominus ſuam Scripturæ ἐνέργειαν.

XI. Deinceps locos Scripturæ citatos conatur arrodere. In primo, ſermonem à Paulo nominatum eſſe ipſum æternum Dei filium, non autem verbum creatum ſiue prædicatum, his argumentis probat. Primo, quia ſequitur: *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis eſt ſermo*, id eſt, cui nobis reddenda eſt ratio, vt textus Syriacus vertit. Secundo, quia ex iis Apoſtolus infert, *Habentes ergo Pōtificem magnum, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium Dei, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem*: quæ concluſio de verbo creato ſequi non poteſt. Tertio, cum prius hortatus eſſet ad ingreſſum in requiem Dei, vt ne quis incideret in incredulitatis exemplum, id eſt, ne quis pateretur idem quod increduli & rebelles in Veteri Teſtamento: mox ſubiungit, vt iuſtam huius timoris cauſam, variam & admirabilem potentiam Chriſti, per quem ingredi debemus in illam requiem, & ad cuius iudicium & tribunal nos aſtare oportet. Quarto, quia ſic hunc locum veteres omnes Latini & Græci exponunt.

XII. Sed nos ita locum exponendum dicimus, vt intelligatur Paulus loqui de ſermone creato. Nam τοῦ λόγου vſus pro filio Dei, peculiaris eſt Ioanni Euangeliſtæ, apud Paulum nuſquam inuenitur. Argumenta autem Stapletoni, nihil efficiunt. Nam hæc verba, *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius*, non referuntur ad τὸν λόγον, ſed ad Deum: vt cauſam oſtendant illius energiæ quæ eſt in ſermone: nempe, quia à Deo ſit: huic autem nihil incognitum. Illud, *Habentes ergo Pontificem*, non collectio eſt è proxime præcedentibus, ſed regreſſio ad Sermonem de Pontifice ſummo, interruptum longa digreſſione, cuius initium à verſu ſeptimo, tertii capitis. Iam in tertio argumento, fatemur Paulum proferre variam & admirabilem Chriſti potentiam: ſed addimus, in eius verbo, ſiue doctrina: vt concludat quemadmodum cœperat. Nam initium digreſſionis ita fuit, *Quapropter ſicut dicit Spiritus ille Sanctus, Hodie ſi vocem eius audieritis, ne obdurate corda veſtra, ſicut in exacerbatione in die tentationis illius in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri.* Et paulo poſt. *Itaque iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam.* Quæ verborum ſeries ſignificat, negatam fuiſſe Iſraelitis requiem, propterea quod non excepiſſent prompto animo vocem, ſiue verbum Dei. Itaque in extrema digreſſione hortatur fideles, vt feſtinent ad eam requiem, nimirum exhibentes debitam reuerentiam verbo Dei, cuius tanta ſit efficacia.

XIII. Quartum argumentum falſum eſt. Etſi enim non pauci ex Latinis & Græcis hunc locum interpretentur de filio Dei æterno: tamen ſunt alii qui nobiſcum ſentiunt. Cyprianus de baptiſmo Chriſti, *Huic dilecto filio tuo, Domine, nos præcipis obedire. Loquere igitur, Domine, quia audit ſeruus tuus. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Doctrinam tuam amplector: ſuaue eſt mihi eloquium tuum: viuus & efficax ſermo tuus, ancipiti gladio penetrabilior, vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ meæ attingens.* Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 20. c 21. *Sermonem Dei dicit Scriptura gladium bis acutum, propter aciem geminam teſtamentorum duorum.* Philo Carpathius in Canticum, *Horum ſinguli gladium habere dicuntur, bellum edocti ac pugnam: hoc eſt lege, & præceptis diuinis inſtructi: Viuus enim ſermo Dei, & efficax, omnique gladio ancipiti acutior.* Drogo Hoſtienſis de Sacram. Dominicæ paſſionis, ſerm. 1. *Sed quid, ô Domine, quod vnus ex militibus lancea latus tuum aperuit? Quis eſt vnus ille ex militibus? Niſi forte ille, qui tunicam tuam inconſutilem ſorte accepit. Ipſa eſt nimirum vnitas fidelium quæ tibi ſoli militat, cuius lancea prædicationis cunctis credentibus latus tuum aperuit. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Andreas Cæſarienſis, & Aretas verba illa Apocal. 1. *Ex ore eius anceps gladius prodibat*, illuſtrant hiſce verbis Apoſtoli, Παῦλος (inquit Aretas) ζῶντα φησὶ τὸν τοῦ Θεοῦ τιμωρητικὸν λόγον, καὶ ἐνεργῆ καὶ τομώτερον ὑπὲρ ῥομφαίας· ἅτε ἐκ τοῦ στόματος ἐκπορευόμενον καὶ διικνούμενον ἄχρις ὀστέων καὶ μυελῶν. οὐκ αἰσθητῶς μέντοι, *Paulus viuentem dixit Dei vltorem ſermonem, & efficacem, & acutiorem quouis gladio, vtpote procedentem ex ore, & peruadentem vſque ad oſſa & medullas: non tamen ſenſibiliter.* Andreas, ῥομφαίαν δὲ δίστομον τὴν κατὰ τῶν ἀσεβῶν φησιν ἀπόφασιν τὴν τομωτέραν ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, *Romphaam vtrinque acutam appellat decretum contra impios, eam quæ acutior eſt quouis gladio ancipiti.*

XIV. Et vt ad cumulum accedat aduerſarii teſtimonium, Stapletonus ipſe, alias cum magis eſſet apud ſe, non diſtractus ſtudio cōtradicendi, hunc locum non aliter intellexit lib. 11. de Principiis cap. 2. *Quia Scriptura diuina* (inquit) *ſemel intellecta, & credita, ad ſalutem animæ æternam facit, nec ſolum vana ſcientia paſcit, vt cæteræ humanæ Scripturæ, propterea dicitur Euangelium virtus eſſe ad ſalutem, & ſermo Dei viuus & efficax.* Adeo verum eſt, quod Chryſoſtomus dixit homil. 4. in Acta, Ἔνθα γὰρ ἀναίσχυντος ἐν ζητεῖ μόνον εἰπεῖν, τί δήποτε. οὐχ ὅπως τι λόγου πρᾶγμα ἐχόμενον εἴποι, ἀλλ' ὅπως εἴποι, *Cum adfuerit improbitas, vnum hoc quærit, vt aliquid omnino dicat: non vt aliquid dicat ad rem pertinens, ſed vt dicat.*

XV. Atque hæc de primo loco. In ſecundo negabat ἀπόδειξιν πνεύματος καὶ δυνάμεως, ad rem præſentem pertinere. Non enim ſuæ prædicationis vim & efficaciam per ſe ſeorſim ſumptæ Paulum declarare, ſed adiunctam diuini Spiritus cooperationem internam; & virtutem externam præter miracula, & prodigia per eum facta, commonſtrare. Nimirū (inquam) nemo legitime poteſt verbum Dei ſeparare ab efficacia Spiritus Sancti. Imo hoc volumus; hanc efficaciam peculiariter pertinere ad Scripturam Sanctam; vt ſuo quodam modo mentes audientium & legentium afficiat, quod nulla vnquam alia faciat.

XVI. Porro Iſidorus ſatis vidit non adeo id peculiare eſſe prædicationi Pauli apud Corinthios, vt non pertineat ad Scripturam. Origenes etiam περὶ ἀρχῶν lib. 4. c. 1. hoc argumento vtitur ad probandam Scripturæ diuinitatem. *Si* (inquit) *vel arte Rhetorica vel Philoſophica calliditate conſcripti libri noſtri, ad credendum illicerent homines, ſine dubio fides noſtra putaretur in verborum arte conſiſtere, atque in ſapientia humana, & non in virtute Dei. Nunc vero omnibus notum eſt, quod prædicationis huius verbum, ita à quāplurimis in omni pene orbe ſuſceptum eſt, vt non in ſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtentatione Spiritus, & virtutis etiam intelligerent, quæ credebant.* Quin ipſe Stapletonus, non bene mendax, quia non bene memor, lib. 8. c. 9. hunc locum ſic exponit, vt per oſtenſionem Spiritus intelligat miracula: per virtutem conſilium Dei, ſiue doctrinam Spiritus. E quibus hoc ſaltem poſterius, illud eſt quod quærimus: non poteſt enim virtus Dei, non eſſe ἐνεργὴς, & vim ſuam non habere.

XVII. In quarto loco (nam tertium non attigit) illam occultorū manifeſtationem contendit fuiſſe huiuſmodi, vt auditorum vel ſcrupulos de fide, vel errores animo latentes, vel occultas cupiditates & varias imperfectiones aſtantibus publice manifeſtaret. At hoc prorſus abhorret à vero. Quis enim credat id, quod ſemel factum legitur magno miraculo in Anania & Sapphira, promiſcuum fuiſſe apud Corinthios? Quanquā non ignoro placuiſſe Chryſoſtomo, Theodoreto, fortaſſe etiam aliis. Multo illi melius & ſimplicius, qui referunt ad intus pulſatam conſcientiam. Primaſius, *Quando* (inquit) *eius cōſcientia per doctrinam pulſatur.* Ambroſius, *Cum enim intelligit, & intelligitur, audiens laudari Deum, & adorari Chriſtum, peruidet veram eſſe, & venerandam religionem, in qua nihil fucatum, nihil in tenebris videt geri.* Sedulius, *Occulta cordis eius: quoniam eius conſcientia per doctrinam pulſatur: manifeſta fiunt ſibi ipſi in ſua conſcientia, aut aliis pure confitendo.*

XVIII. Et ex ipſo Papiſtarum cœtu. Thomas de Vio Caietanus, *Idiota & infidelis coarguuntur ab omnibus, diiudicantur ab omnibus: Prophetis (vt in hoc eodem capitulo Paulus dixit) loquentibus ædificationem, & exhortationem, & conſolationem ſpiritualem, idiota aut infidelis audiens conferendo vitā ſuam, ſuperſtitiones ſuas, & affectus ſuos cum iis quæ audit, arguitur in ſeipſo, & diiudicatur in ſeipſo. Occulta enim, pro, & ſic occulta cordis eius manifeſta fiunt. Non dicit cui manifeſtantur, progreſſus tamen ſuſceptæ reprehenſionis, & diſcuſſionis habet, vt ſibi ipſi manifeſtet occulta cordis proprii: hoc eſt peccata, quæ neſciebat eſſe peccata, manifeſtet ſibi, quod ſint peccata.*

Cap. VI.

An Scriptura ſit principium ſcientificum.

I. Idem probatur à natura principiorum. Nulla principia ſcientifica ſuam aliunde mutuantur autoritatem. At Scriptura eſt principium ſcientificum in Religione Chriſtiana. Ergo non mutuatur autoritatem ſuam aliunde. Maior eſt nota. Ἀληθῆ μὲν (inquit Ariſtoteles 1. Topic. initio) καὶ πρῶτα, τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὑτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν· οὐ δεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστημονικαῖς ἀρχαῖς ἐπιζητεῖσθαι τὸ διὰ τί· ἀλλ' ἑκάστην τῶν ἀρχῶν αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν εἶναι πιστήν, *Vera & prima illa ſunt, quæ non ab aliis, ſed à ſeipſis fidem habent. Non enim oportet in ſcientificis principiis quærere, quare: Sed vnumquodque ipſum per ſe eſſe certum.* In eundem ſenſum Baſilius in Pſal. 115. Ἀνάγκη ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχὰς τοῖς μανθάνουσιν. *Neceſſe ſingularum diſciplinarum eiuſmodi eſſe principia, vt ne in ea inquirant diſcipuli.*

II. Minor probatur: quia ex Scriptura fiunt demonſtrationes: & quidem certiſſimæ, ideoque præſtantiſſimæ. Clemens Stromateon 7. τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον. ἣ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει, *Domini voce confirmamus id de quo quæritur: quæ omnium demonſtrationum certiſſima: imo potius ſola omnino eſt demonſtratio.* Et paulo ante, ἀποδείξεως δ' οὔσης, ἀνάγκη συγκαταβαίνειν εἰς τὰς ζητήσεις, καὶ δι' αὐτῶν τῶν γραφῶν ἐκμανθάνειν ἀποδεικτικῶς, *Si concedatur eſſe demonſtratio, neceſſe eſt ad inquiſitiones deſcendere, & ex ipſis Scripturis demonſtratiue diſcere.* Rurſus, οἱ πονεῖν ἕτοιμοι ἐπὶ τοῖς καλλίστοις, οὐ πρότερον ἀποστήσονται ζητοῦντες τὴν ἀλήθειαν, πρὶν ἂν τὴν ἀπόδειξιν ἀπ' αὐτῶν λάβωσι τῶν γραφῶν, *Qui libenter laborem impendunt rebus optimis, non prius deſiſtunt ab inquirenda veritate, quam ab ipſis Scripturis demonſtrationem hauriant.* Denique τὸν γνωστικὸν ſic deſcribit, vt eum demonſtrationes petere dicat à lege & Prophetis, τὰς ἀποδείξεις, εἰς αὖ ἐπιζητήσῃ, αὐδρίσκει (ſic enim legit etiam Heruetus) ἀπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν Προφητῶν. *Demonſtrationes ſi quando quæſierit, inuenit in lege & Prophetis.* In epitome Recognitionū Clementis, Ὁ τῆς ἀληθείας λόγος τὴν ἐκ προφητείας ἔχει βεβαίαν ἀπόδειξιν, *Diſputatio de veritate certam habet demonſtrationem ex Prophetia.*

III. Præſcripſit autem Ariſtoteles, non fieri demonſtrationem niſi ex principiis. Poſteriorum Analytic. lib. 2. c. 18. οὐκ ἐνδέχεται ἐπίστασθαι δι' ἀποδείξεως, μὴ γινώσκοντι τὰς πρώτας ἀρχὰς τὰς ἀμέσους, *Fieri non poteſt, vt quis diſcat per demonſtrationem, niſi nouerit prima, immediataque principia.* Quare ſi nulla demonſtratio fit, niſi è principiis: & fit tamen è Scriptura, neceſſe eſt Scripturam eſſe principium, in hac ſcientia, hoc eſt, in negotio fidei.

IV. Aſtipulantur ſaniores Papiſtæ. Petrus de Alliaco Cardinalis, quæſt. 1. in 1. Sentent. art. 3. *Patet, quæ ſint principia Theologica. Sunt enim ipſæ ſacri Canonis veritates: quoniam ad ipſas fit vltimata reſolutio Theologici diſcurſus, & ex eis primo ſingulæ concluſiones Theologicæ deducuntur.* Et ante hunc Lyranus prologo in Biblia, *Sicut in Philoſophia veritas cognoſcitur, per reductionem ad prima principia per ſe nota: ita & in Scripturis à Sanctis Doctoribus traditis veritas cognoſcitur, quantum ad ea quæ ſunt fide tenenda; per reductionē ad Scripturas canonicas.* Alphonſus de Caſtro contra hæreſes lib 1. c. 2. *Harum Scripturarum teſtimonia, tanquam prima in hac ſcientia principia, & velut arma omnibus communia, ſuſcipienda ſunt.*

V. Stapletonus excogitata diſtinctione conatur elabi. Principia ſcientiarum aſſerit, in ſe quidem non probari; eſſeque indemonſtrabilia in eo quod quid eſt: tamen propter noſtram tarditatem, nobis interdum explicari, & demonſtrari quia ſunt. Sic Scripturas demonſtrari per Eccleſiam; non quid ſint in ſe, ſed quia ſint quoad nos; idque propter infirmitatem naturæ noſtræ, vt à nobis videlicet acceptentur, non vt in ſeipſis ſacræ & diuinæ ſubſiſtant.

VI. Rurſus, negat Scripturam ſic eſſe principium, vt non prior ea ſit vox Eccleſiæ. Nempe, quia Scriptura eſt vnum ex iis quæ creduntur. Vocem autem Eccleſiæ eſſe regulam omnium quæ creduntur, omnino non dubitat. Hæc Stapletonus.

VII. At ego non poſſum ſatis mirari horum hominum ingenium, qui vix

vix quicquam pensi habent, nisi vt quomodocunque aliquid effutientes negotium facessant modestis aduersariis: infirmiores etiam perturbent: non vt candide veritatem inquirant. Vide mihi in hoc Sophista Spiritum vertiginis: sunt enim inuicem contrariæ hæ solutiones. Nam prior asserit Scripturarum non posse demonstrari τὸ διότι, sed tantum τὸ ὅτι ex natura principiorum. At posterior; non tantum Ecclesiam asserit esse priorem Scriptura; sed etiam regulam omnium credendorum, propterea que etiam Scripturæ. Ergo (inquam) non tantum Scriptura est aliquod principium, quia habet aliquid prius, sed etiam demõstrari potest eius τὸ διότι. Nam in scientiis, ac propterea in Theologia, regula est causa: & cum aliquid probatur ex regula, tum eiusdem probatur τὸ διότι: non τὸ ὅτι nudum.

VIII. Ad hæc in prima solutione quod concedit non posse probari τὸ διότι Scripturæ; ea nostra est victoria. Non enim quærimus, quibus mediis possit nobis innotescere, Scripturam esse authenticam quoad nos: sed vnde fit, vt sit authentica quoad nos: illud est τὸ ὅτι, hoc vero τὸ διότι: concedit ergo Stapletonus, quod quærimus. Et sane Aristoteles, τὰ πρῶτα definiens τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὑτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν, à seipsis docebat suam quoad nos auctoritatem habere. Nam πίστις non potest intelligi de ipsis principiis quid sint in se: sed relate ad homines, hoc est, quoad nos: vt si, exempli gratia, Triangulum inter easdem parallelas super eadem basi, minus esse parallelogrammo, demonstrem ex eo principio, quia totum est maius sua parte: nemo à me rationem postulabit, quare hoc posterius dixerim: quia hæc est κοινὴ ἔννοια, quam omnes ita cognitam habent, vt nullo sibi argumento demonstrari quærant. Iam vero in hac Controuersia, vnde fiat, vt cum aliquod religionis caput in dubium vocatur, ita adhibeantur Scripturæ, vt eis necessario assentiendum sit: si Papistæ respondeant, quia ita decreuit Ecclesia: tum illos necesse est supponere Scripturas non habere δι' ἑαυτῶν τὴν πίστιν: quod tamen in principiis Aristoteles necessario requirebat. Itaque hæc Stapletoni distinctio id concedit, quod non est controuersum: argumentum autem non soluit.

IX. Enimuero nemo neget, omnia principia non esse κοινὰς ἐννοίας quæ se omnibus naturaliter oggerant. Sunt enim singulis scientiis sua propria, atq; à cõmuni omniũ captu alia aliis remotiora, ob eãq; causam, quędam eiusmodi, vt nisi à peritis earum scientiarum rudioribus explicentur, vix in mentem plurimis venire possint. Docenda sunt igitur. Sed omnibus tamen peræque commune est, vt ex se fidem faciant. Sic quia, vt Tertullianus aiebat, fiunt, non nascuntur Christiani, potuit ipsi Tertulliano primum Ethnico, aliquis indicasse Scripturam, admonuisseque esse diuinam, quod alias suspicatus fortasse ne esset quidem: sed vt Scripturis cognitis fidem habuerit, tantum propter eius auctoritatem, à quo illi fuerunt indicatæ, hoc vero prorsus est falsum & ridiculum.

X. In altera solutione quæro quonam modo sit intelligendum Scripturæ vocem esse priorem Ecclesia. Nam Scripturam nouimus sumi vel pro ipsis characteribus, vel pro doctrina his characteribus significata, siue, vt iam loqui vsus obtinuit, comprehensa. Si prius, tum nihil ad rem Stapletonus respondet: hi enim characteres, vt recentiores esse possunt, quia multiplicantur quotidie in infinitum, sic non cadunt in hanc nostram quæstionem.

XI. Sin pro doctrina sumuntur: primo non satis considerate Stapletonus loquitur, qui Ecclesiam indefinite nominet, qui tamen in statu quæstionis asseruit, non tantum ab Ecclesia, quæ olim fuit, sed etiam ab hodierna consignari Canonem Scripturæ. Atopinor extra Controuersiam poni eam doctrinam, quæ comprehenditur in Scripturæ libris esse priorem voce eius Ecclesiæ, quæ hodie extat. Itaque hac saltem parte argumentum non soluitur.

XII. Secundo, non tantum Ecclesiam hodiernam, sed etiam omnino Ecclesiam, falsum est priorem esse Scriptura, quatenus significat doctrinam: siue Ecclesiam pro toto corpore accipias, siue tantum pro Pastoribus. Primo, quia nunquam fuit Ecclesia, quæ non crederet eam doctrinam, vel totam vt post Christum, vel per partes, vt ante Christum. Est enim fides specifica differentia fidelium ab infidelibus: Et fides nulla est absque doctrina. *Quomodo enim* (inquit Paulus 10. ad Rom.) *credent ei de quo non audierint? quomodo audient absque prædicante?* Deinde, quia id quod docetur, aut docetur ab eo qui primus instituit, aut ab eo qui accepit ab instituente. Hanc doctrinam nemo instituit præter Deum. Est autem certum id quod docetur, prius esse eo doctore à quo non instituitur: quia hunc oportet prius discere ipsum, quam alios docere: vnde factum, vt nemo vnquam doctor fuerit in Ecclesia nisi prius fuerit discipulus, quo nomine ipsi primum Apostoli laudabantur. Porro nemo quicquam disceret, quod non prius esset.

XIII. Ridicule autem Stapletonus excipiebat vt instantis VVhitakeri vehementiam effugeret, Deum esse priorem omni reuelata veritate: item Spiritum Sanctum: & Mosen sua lege. Nam Deum & Spiritum Sanctum, importune ingerit: transiens εἰς ἄλλο γένος. Nos enim agimus de principiis ἐπιστημονικοῖς: ille transfert se ad αἴτιον ἐνεργητικόν. Atque hoc ipsum inutiliter: quia cum verbum Dei nominamus (est autem Scriptura Verbum Dei) tum necessario includimus, quicquid de Dei auctoritate dici potest, à qua etiam pendere asserimus, quidquid quoad nos Scriptura habet ponderis. Sed Mosen omnino nego esse priorem lege: non enim ante fuit Doctor, quam à Deo illam exciperet.

XIV. Esse Scripturam vnum ex iis quæ creduntur, non eo inficias: Sed esse Ecclesiam regulam omnium credendorum, id vero non nisi Papistice dictum assero, nunquam vero Theologice probandum. Nam Scripturam multi quidem Patres appellarunt, Regulam, & Canonem, & staterem, & gnomona: at Ecclesiam nullus vnquam: nisi hoc tandem seculo Papistæ, quibus æque incognita est tum Scriptura, tum vera Ecclesia.

CAP. VII.

Testimonia Veterum de autoritate Scripturæ.

I. NOn hæc tantum argumẽta; sed etiam Veterum testimonia, astruunt Scripturarum hanc quam asserimus autoritatem. Origenes περὶ ἀρχῶν libr. 4. c. 1. *Si quis cum omni studio, & reuerentia, qua dignum est, Prophetica dicta consideret, vt in eo ipso dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo diuiniore spiramine mentem sensumque pulsatus agnoscet, non humanitus esse prolatos eos quos legit, sed Dei esse sermones & ex semetipso sentiet, non humana arte, nec mortali eloquio, sed diuino, vt ita dixerim, cothurno libros esse conscriptos.* Aperta verba: & omnino nostra: quid enim aliud volumus. Sed & toto illo capite, hoc vnum agit Origenes, vt colligat argumenta, quibus confirmari possit autoritas Scripturarum. In iis nusquam auctoritatem Ecclesiæ. Quin potius ab initio testatur se ea desumpturum ab ipsis scripturis, *Assumenda* (inquit) *nobis sunt ad probationem eorum quæ dicimus, etiam diuinarum Scripturarum testimonia. Quæ testimonia, vt certam & indubitatam fidem præstent, necessarium videtur ostendere, quod ipsæ Diuinæ Scripturæ sint Dei Spiritu inspiratæ. Igitur quam poterimus breuiter, etiam de hoc assignabimus ex ipsis diuinis Scripturis, quæ nos competenter mouerint.* Tum sequuntur obseruationes, quarum prima est: quod cum gentium legislatores, vix suis singuli suas leges probare potuerint, Mosis tamen lex, apud omnes vigeret: liceret contra nitentibus plurimis: secunda ab euentu Prophetiarum: cum enim impleta iam fuerint plurima, impleantur etiam quotidie reliqua, tot ante seculis prædicta, concluditur eas Prophetias non fuisse humanas.

II. Lactantius Institutionum libro primo, capite quinto: cum vnum Deum à Prophetis prædicari diceret, Ethnicorum obiectionem ita exprimit, *At enim veritatis expertes, non putant his esse credendum: illas enim non diuinas, sed humanas voces fuisse aiunt.* Hanc sibi cum videret, esse confutandam, argumenta colligit ex ipsis Scripturis: primum, quia impleta sunt vaticinia: secundum, quia sibi consentiat diuinatio: tertium, quod nulla possit esse suspicio fallaciæ in earum authoribus, quia & cæteros ab omni fraude cohiberent & opes non appeterent & cruciatus sustinerent: nonnulli etiam reges essent, in quos cadere non posset suspicio cupiditatis ac fraudis.

III. Augustinus ex Scripturæ stylo, sibi eiusdem autoritatem persuasam testatur, Confessionum lib. 6. cap. 5. *Eo mihi illa venerabilior, & sacrosancta fide dignior apparebat autoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem intellectu profundiore seruaret: verbis apertissimis, & humillimo genere loquendi se cunctis præbens, & exercens intentionem eorum qui non sunt leues corde: vt exciperet omnes populari sensu, & per angusta foramina paucos ad te traiiceret, multo tamen plures quam si nec tanto apice autoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret.*

IV. Saluianus Massiliensis lib. 3. de gubernatione Dei, siue, vt alii inscribunt, de Prouidentia, *Alia omnia, id est, humana dicta, argumentis, ac testibus egent. Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.* Obiecerat hunc locum VVhitakerus. Eum Stapletonus respondebat ita intelligendum, vt sit sensus, quod Dei Verbum esse constat, illud iam nec argumento humano probari; nec humano testimonio indigere ad confirmationem. Ergo hæc Stapletoni mens est, duplicem quasi ætatem Verbi Dei considerandam: scilicet quando non constat, esse Dei Verbum: & quando constat esse: De hac posteriori Saluianum esse loquutum: non de priori. Atqui Saluiani addita ratio hanc distinctionem prorsus elidit, Sic enim procedit: Omne incorruptum testimonium veritatis, ipsum sibi testis est: At Dei sermo est incorruptum testimonium veritatis. Ergo Dei sermo ipse sibi testis est. Confirmatur minor, nam maior ponitur esse extra controuersiam. Quicquid incorrupta veritas loquitur, est incorruptum testimonium veritatis: At Dei sermonem incorrupta veritas loquitur: Ergo Sermo Dei est incorruptum testimonium veritatis. Iam si in primo syllogismo Stapletonus illas distinguat ætates, vt neget Sermonem Dei antequam constet, esse ipsum sibi testem: tum in secundo necesse erit negari minorem: quod erit blasphemum: nam Dei sermonem, semper Deus loquitur: Est autem Deus incorrupta veritas. Vel certe neganda erit maior, tanquam non tam late patens, ac proinde contradicendum Saluiano: asserendumque non quicquid incorrupta veritas loquitur, esse incorruptum testimonium veritatis, sed tantum id quod nobis constat incorruptum, veritatem esse loquutam. Quod quis non iudicet esse absurdum?

V. Porro Saluianus de Scriptura loquebatur, è qua nonnulla citabat: atque adeo paulo ante ita loquebatur, *Hæc de gubernaculo Dei, atque iudicio expeditissime, ac fortissime dici possunt. Neque enim necesse est, vt argumentis à me probetur, quod hoc ipso quia à Deo dicitur, comprobatur. Itaque cum legimus dictum à Deo, quia aspiciat iugiter omnem terram, hoc ipso probamus quod aspicit, quia se aspicere dicit.* Quæ verba significant, cum aliquid legitur in Scriptura, non vlterius testes vel probationes inquirendas, sed simpliciter credendum: quod falsum est, si adhuc exspectatur authoritas Ecclesiæ. Et sane, si quia in Scripturis lego Deum aspicere omnem terram, id statim credere debeo: cur cum lego in iisdem, Deum esse loquutum, differatur assensus, & exspectetur dum annuant Episcopi.

VI. Iunilius ad Primasium de partibus diuinæ legis lib. 2. q. 29. *Vnde probamus libros religionis nostræ diuina esse inspiratione conscriptos? Ex multis: quorum primum est, ipsius Scripturæ veritas: deinde ordo rerum: consonantia præceptorum: modus loquutionis sine ambitu, puritasque verborum: Additur scribentium & prædicantium qualitas, quod diuina homines, excelsa viles, infacundi subtilia, non nisi diuino Spiritu repleti tradidissent. Tum prædicationis virtus; quam, dum prædicaretur (licet à paucis despectis) obtinuit. Accedunt his testificatio contrariorum, vt Sibyllarum, vel Philosophorum: expulsio aduersariorum, vtilitas consequẽtium, exitus eorum, quæ per acceptationes, & figuras, & prædictiones prædicta sunt: ad postremum miracula iugiter facta, donec*

Scriptura ipsa susciperetur à gentibus: de qua hoc nunc ad proximum miraculum (libenter legam ac proximum miraculo) *sufficit, quod ab omnibus suscepta cognoscitur.* Hic multa habes argumenta, quibus astruatur Scripturæ auctoritas. Eorum alia interna sunt ipsi Scripturæ, alia externa: sed Ecclesiæ, tamen consignantis autoritas nullo loco.

VII. Et medio Papistarum Scholasticorum agmine, Scotus, 4.2. prologi in libros Sententiarum quum dixisset esse innumeras hæreses, damnantes Scripturam. *Contra omnes istos* (inquit) *in communi octo sunt viæ eos rationabiliter conuincendi, quæ sunt, pronuntiatio Prophetica Scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesiæ stabilitas, miraculorum claritas.*

Cap. VIII.

Vtrum Ecclesia ædificetur super Scriptura.

I. Hactenus argumenta, quæ Catholicorum sententiam probant: nunc ea succedunt, quibus Papistæ confutantur. Si Ecclesia ædificatur super Scriptura tanquam fundamento: Ergo Scriptura auctoritatem non accipit ab Ecclesia. At prius verũ est. Ergo & posterius. Antecedens probatur ex 2.c. ad Ephes. *Non estis amplius hospites & aduenæ, sed conciues Sanctorum, & domestici Dei: superstructi fundamento Apostolorum, & Prophetarum.*

II. Consequentia per se patet: quia hac fundamenti metaphora significatur, non tantum Ecclesiam credere Scripturæ: sed præcipue, ne esse quidem Ecclesiam, nisi quatenus innititur Scripturæ, quemadmodũ ne esse quidem domus vlla potest, non substrato prius fundamento. Et quia fieri non potest, vt cuiquam credamus, nisi iam auctoritatem suam quoad nos obtineat: ergo ex vi huius consequentiæ, constabit Scripturam habere suam auctoritatem quoad Ecclesiam, aliunde quam ab Ecclesia. Non tantum (inquam) quoad se: sed etiam quoad Ecclesiam: nihil enim est fundamentum quoad se: sed tantum quoad ædificium.

III. Stapletonus in Antecedentis probatione, conqueritur duplicem esse æquiuocationem. *Nec enim* (inquit) *doctrina Apostolica Scripturam, sed prædicationem Apostolorum hoc in loco significat: nec Ecclesiam vt magistros & præpositos, super hanc doctrinam fundari dicit Apostolus: sed ipsos fideles, vt corpus Ecclesiæ constituunt.* Fatetur ergo fundamenti nomine intelligi doctrinam: sed hanc vel Scripturam esse vel prædicationem: de hac concedi argumentum: de illa negari. Atque hæc est prima fallacia. Tum, per συνεκδοχὴν Ecclesiã intelligi concedit: sed hanc vel Pastorum esse, quatenus talium; vel fidelium: de hac concedi argumentum, de illa negari.

IV. Sed has nubeculas facile est dispergere, Primo in distinctione priori prædicatio & Scriptura, non differunt οὐσιωδῶς, sed tantum κατὰ τὸ συμβεβηκός. Ratio: quia eadem prædicata sunt quæ scripta. Itaque si conceditur prædicatio esse fundamentum Ecclesiæ, id ipsum de Scriptura necesse erit concedi. Nec attingo tamen grauiorem illam & prolixiorem Controuersiam, qua tractatur, vtrum quæcunque prædicata sunt ab Apostolis, ea sint etiam scripta: huic enim suus postea locus debetur. Nunc sufficit, quod ne ipsi quidem aduersarij negare possunt; quæcunque scripta sunt, ea fuisse prædicata. Nam si omnis Apostolorum & Prophetarum prædicatio est fundamentum Ecclesiæ: Et Scriptura etiam ipsa est Apostolorum & Prophetarum prædicatio: tum profecto necesse est ipsam etiam Scripturam esse fundamentum Ecclesiæ, ac proinde maioris auctoritatis. Sed hac de re postea diligentius.

V. Secundo, dico Paulum loquutum esse hoc ipso loco etiam de Scriptura. Nec enim aliter intelligendos esse Prophetas: qui non tum prædicabant, vtpote longe ante denati: sed iam olim scripserant. Paulus autem non eos, qui multis ante seculis vixerant, Iudæos, sed eos, qui tum recens credebant, Ephesios dixit esse superstructos eorum doctrinæ, siue fundamento. Quod si Prophetarum scripta, sint fundamentum Ecclesiæ, id saltem euincimus, eã Scripturæ partem esse maioris auctoritatis, quam Ecclesiam. Deinde, quia absurdum est, & valde ἄτοπον, si quis asserat Euangelistarum & Apostolorum scripta deterioris esse conditionis, ergo idem de his etiam pari ratione concludendum erit.

VI. Hic Stapletonus instat dupliciter *Quod Prophetas adiungit* (inquit) *ideo fit, quia vel Veteris Testamenti prædicationem fidelibus quoque necessariam docet: vel* (*quod magis existimo*) *quia Noui Testamenti Prophetas, id est, interpretes sermonum intelligit.* Est ergo duplex instantia. Prima est: si Prophetas intelligamus Veteris Testamenti, hos eo nominari, vt ostendatur Veteris Testamenti prædicatio esse necessaria.

VII. Optime sane (inquam) quis enim neget? Sed vicissim nonne etiam Apostolicæ doctrinæ prædicatio est necessaria? Sane vero. An ergo consentiet Stapletonus eo tantum fundamentum Apostolorum esse nominatum, vt ostenderet Paulus doctrinam Apostolicam esse necessariam? Imo (inquam) fundamenti nomen, hanc necessitatem infert quidem, sed non significat primo & per se: tantum, vt consequens: Nam quis neget omni ædificio necessarium esse fundamentum? Paulus vero coniungens Apostolos Prophetis, eodem vtrosque sensu docuit esse Ecclesiæ fundamentum: nec nostrum est separare, quæ Deus coniunxit. Vnde Thomas Aquinas in eum Apostoli locum. *Dicit autem Apostolorum & Prophetarum, vt designet, quod vtraque doctrina est necessaria ad salutem: item vt ostendat concordiam inter vtramque, alterius ad alteram, dum idem est vtriusque fundamentum, nam quod Prophetæ prædixerunt futurum, Apostoli prædicauerunt factum.* Hæc ille de necessitate: sed idem de fundamento paulo ante, *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, qui sunt Apostoli & Prophetæ, id est, super doctrinam eorum* Sed & Bellarminus de Verbo Dei libr. 3. c. postr. ad hunc ipsum locum sibi obiectum, profitetur se defendere contra negantes Verbum Dei ministratũ per Apostolos, & Prophetas esse primum fundamentum nostræ fidei: *ideo enim* (inquit) *credimus, quicquid credimus, quia Deus id per Apostolos, & Prophetas reuelauit* Quibus verbis Iesuita, & Stapletonum docet, quo sensu Paulus fundamentum nominarit: & simul argumenti nostri vim illustrat: cum doctrinam Apostolorum & Prophetarũ non tantum fundamentum esse dicit nostræ fidei: sed etiam primum fundamentum, cui postea Ecclesiæ autoritatem adiicit tanquam secundarium. Enimuero, inquam, non est igitur Scripturæ autoritas ab Ecclesia: quis enim ferat primum oriri aut pendere à secundo?

VIII. Altera Stapletoni instantia negat intelligendos apud Paulum esse Prophetas Veteris Testamenti: sed potius Noui, id est, interpretes sermonũ, quibus postea dixit reuelatũ mysterium Christi: eosque, capite quarto datos esse Ecclesiæ. Hoc autem probat in defensione Ecclesiast. potest. libr. 3. c. 15. sect. 6. quatuor argumentis. Primum est, Quia mox, id est, capite tertio Paulus, coniungens Apostolos & Prophetas, & quidem in munere docendi & ædificandi fideles, ait, *Potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nũc reuelatum est Sanctis Apostolis eius, & Prophetis in Spiritu.* Vbi Apostolos & Prophetas coniungens, & de Prophetis illius temporis diserte loquens, plus quam probabile nobis facit, quod in verbis paulo ante præcedentibus, vbi eosdem coniunxerat, eiusdem generis Prophetas intellexerit. Secundum, cum capite quarto recenseat ordine Apostolos, Prophetas & reliquos ad ædificationem corporis Christi: quis dubitare potest, quin hoc loco de illis Apostolis & Prophetis dixerit, qui ad fidelium ædificationem dati sunt à Christo? Tertium: quum certum sit super fundamentum Apostolorum ædificatos fuisse fideles illos Ephesios propter prædicationem Apostolicam, non propter scripturam Apostolicam, necesse est per fundamentum quoque Prophetarum, prædicationem & doctrinam Propheticam, quæ tunc vigebat, & maxima post Apostolos in autoritate fuit, non scripturam Propheticam intelligi. Quartum; quia nec scriptura Prophetica, nec vlla alia Scriptura, quatenus talis, fundamentum fidei nostræ ædificatiuum proprie dici potest: quia per se non ædificat nec facit Christianos, sed tum demum quando nobis prædicatur & explicatur, quod fit per Apostolos, Prophetas, istos nouos, Pastores, & Doctores.

IX. Sed contra interpretes plerique omnes cum antiqui, tum recentes. Ambrosius, *Supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, supra Nouum, & Vetus Testamentum. Quod enim Apostoli prædicauerunt, Prophetæ futurum dixerunt,* Chrysostomus: ἐποικοδομηθέντες φησὶν, ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων τουτέστι, θεμέλιος οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται, καὶ προτίθησι τοὺς ἀποστόλους, καίτοι ὕστερον τοῖς χρόνοις. *Superstructi* (inquit) *fundamento Apostolorum: Hoc est, fundamentum sunt Apostoli, & Prophetæ: & primo loco ponit Apostolos, tempore postremos.* Chrysostomum suo more κατὰ πόδας sequitur Theophylactus. Theodoretus, *Prophetas hic dicit, non Prophetas Noui Testamenti, sed Prophetas Veteris. Præposuit autem Apostolos, quoniam prædicationem per illos accepimus.* Hieronymus, hoc loco vti nos posse contendit contra Marcionem, qui alium diceret esse Noui, alium Veteris Testamenti Deum: hoc vero esset absurdum, nisi Prophetæ intelligerentur Veteres. Tertullianus contra Marcionem lib. 5. c. 7. *Superædificati super fundamentum Apostolorum: Abstulit hæreticus, & Prophetarum: oblitus Dominum posuisse in Ecclesia, sicut Apostolos, ita & Prophetas Timuit scilicet, ne & super veterum Prophetarum fundamenta ædificatio nostra constaret in Christo* Adde recentiores, Lyranum, Stratum, Aquinatem, Gagnæum, alios Papistas, vt Catholicos taceam, Caluinum, Bezam, & reliquos.

X. Nec contra valent argumenta Stapletoni. Nam in primo & secundo, non valet consequentia, ab iis locis ad alios Neque enim semper Prophetas eodem sensu Paulus nominauit. Vnde factum, vt iidem ipsi & veteres & recentes, aliter atque aliter eandem vocem exponant. Nam in quarto capite nemo non satis videt agi de iis Prophetis, qui dati sunt Ecclesiæ post Christi in cœlos ascensionem. Ambrosius, *Quamuis dicat ad Corinthios, Deus, inquit, primum posuit in Ecclesia Apostolos, secundo Prophetas: sed hi alij Prophetæ sunt: illo enim loco de ordinatione Ecclesiæ disputat: hic vero de fundamento Ecclesiæ.* Quo loco iubeo aduersarios diligenter notare distinctionem inter ordinationem & fundamentum Ecclesiæ: vt intelligant, non esse ex Ambrosij sententia ordinationem, id est, ministerij Ecclesiastici, vsum ipsius Ecclesiæ fundamentum. Similiter in tertio, quandoquidem comparauit Apostolus manifestationem Euangelij suo tempore factam, cum præcedentibus seculis, nemo non satis videt Prophetas non posse illos antiquos nominari Sed eæ rationes nullum habent locum in secundo capite, quod nos citauimus.

XI. In tertio argumento, primo non recte separatur Scriptura Apostolica à prædicatione: quasi non quæ prædicata fuerunt, sint postea scripta: aut quasi nos Scripturam nominantes, modum illum docendi intelligamus potius, quam ipsam doctrinam eo modo traditam: quod est puerile: perpetuumque aduersariorum in hac Controuersia nugamentum, vt & in altera de perfectione Scripturæ. Secundo non valet consequentia. Nam etsi viua Apostolorum voce erudirentur Ephesij, tamen nihil obstat, quominus scriptis Prophetarum niterentur, quos vtpote olim defunctos non poterant amplius audire, sed poterant legere. Adde, quod eorum autoritatibus ipsi Apostoli suam prædicationem confirmabant, vt cuiuis perspicuum est: ita vtrumque fiebat, vt & viuæ vocis prædicatio, & Prophetarum Scriptura fidelibus proponeretur pro fundamento. Denique ædificatos fuisse fideles super hoc fundamento propter prædicationem, non propter scripturam, non satis Theologice dicitur. Non enim propter, sed per prædicationem fideles credunt, vt instrumentalem causam, per quam eis suggeritur id quod est credendum: sed credunt propter diuinam autoritatem verbi prædicati, vt causam primam, & propriam. Manifestum autem discrimen: Quia quæ post Apostolos durat in Ecclesia prædicatio, ea non habet eam vim atque autoritatem, quam habebat ipsorum Apostolorum. Nam omnium quæ prædicantur hodie licet à prædicante rationem poscere: vt Cyrillus nolebat sibi ipsi credi nisi demonstrationem adferenti è Scripturis. Nec possunt hodierni prędicatores id sibi arrogare, vt olim Paulus, suam prædicationem esse ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Itaque si non est Scriptura fundamentum, quia non propter eam, vel propter Scriptionem potius (nam ita libet ἀμφιβολίαν distinguere) fideles credunt; tum ne quidẽ prædicatio, eandem ob causam.

XII. In quarto, aperta est hæresis Papistarũ, quos eo deuenire fuit necesse, adeo intentos extollendis traditionibus, vt Scripturam quantum possunt, deprimere non vereantur. Sed contra certum est, Scripturam Prophetarum

& Apostolorum per se ædificare & facere Christianos: nimirum cum attente legitur & consideratur. Chrysostomus concione 3. de Lazaro, *Propterea Spiritus gratia dispensauit illa, temperauitque, quo Publicani, Piscatores, tabernaculorum Opifices, Pastores, & Apostoli, Idiotæ, Illiterati per hos libros salui fierent.* Origenes in 12. caput Epist. ad Rom. *Renouatur sensus noster per exercitia Sapientiæ, & meditationem Verbi Dei, & legis eius intelligentiam spiritualem: & quantum quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione: quanto altius intellectus incedit, tanto semper nouus magis, & quotidie nouior efficitur.* Hieronymus in c. 11. Isaiæ, *Frequenter euenit, vt homines seculi mystica nescientes, simplici Scripturarum lectione pascantur.* Pamelius in vita Tertulliani, eum virum occasionem suæ conuersionis habuisse narrat ex fide Scripturarum Sacrarum. Stapletonus ergo nimium est iniuriosus in Scripturas, id est, nimium Papista.

XIII. Ad hæc, etiamsi verum esset, tum demum ædificandi vim Scripturas habere, cum prædicantur & explicantur; tamen hoc ipsum sufficit vt sint fundamentum Ecclesiæ, ac proinde maioris auctoritatis. Nam id aliud esse nihil potest, nisi debere Pastores & Doctores, ita se in docenda Ecclesia gerere, vt prædicationis suæ desumant è Scriptura materiam & subiectum. Proinde si prædicationis fundamentum est Scriptura & prædicatio fidelium: tum certe longe augustissima esse conuincitur auctoritas Scripturæ. Atque hæc de prima distinctione.

XIV. Alteram Ecclesiæ acceptionem, solam profert Stapletonus in Relectione Principiorum, Controuers. 5. q. 2. art. 1. quasi priori nuntio remisso. Sunt autem eius verba in solutione argumenti tertij: *Dicendum, quod Ecclesia, vt corpus & singula membra significat, ædificatur super Apostolos & Prophetas, id est, super doctrinam & prædicationem eorum: non autem Ecclesia, vt capita & magistros significat. Illorum enim fundamentum quatenus talium est Spiritus Christi illis promissus, non ipsa prædicatio quam faciunt, aut doctrina quam tradunt.* Est igitur Stapletoni sententia, ipsam siue Scripturam, siue prædicationem, quæ appellatur fundamentum Apostolorum & Prophetarum, eiusmodi esse, vt super ea non ipsi ædificentur Doctores quatenus tales sunt: sed plebs duntaxat. Sequi igitur quidem ex nostro argumento ea non sumere auctoritatem suam à plebe: at non ita de Doctoribus.

XV. Et distinctionis hæc profert argumenta. Primum: Hæc prædicatio per ipsos fit Apostolos & alios Pastores Verbi Prædicatores: Ergo Ecclesiæ nomine ipsos Apostolos & Pastores intelligere Paulus non potest: hoc enim esset dicere, ipsos super seipsos fundari, & superædificari. Secundum: Apostolus hoc loco non alloquitur totam Ecclesiam, sed solos Ephesios à se & aliis Coapostolis suis recenter conuersos. Non ergo ponit totius Ecclesiæ fundamentum, sed populi tantum Christiani, & eorum qui superædificati fuerunt, non ipsorum ædificantium & architectorum, & quales Apostoli & alij Pastores erant.

XVI. At hæc mera est pertinacia. Re vera Paulus loquitur de ædificatione totius Ecclesiæ, quod obseruauit Oecumenius, οἰκοδομὴν τῆς καθ' ὅλης Ἐκκλησίας εἴρηκεν, *ædificationem dixit vniuersalis Ecclesiæ.* Aut igitur ædificationem Doctorum comprehendit, aut exclusit Doctores, quatenus tales ab vniuersali Ecclesia. At hoc est absurdum. Certe enim Doctores, etiam quatenus tales, sunt vniuersalis Ecclesiæ membra. Nec aliter intelligi possunt, quæ statim sequuntur verba, πᾶσα οἰκοδομὴ omnis ædificatio, id est, totum id ipsum, quod ædificatur. Nam si omnis ædificatio hæc est, quam Apostolus nominauit, & Apostolorum ac Doctorum aliqua est ædificatio: nemo est qui non videat ipsos etiam Apostolos & Doctores hoc sermone concludi. Et sane Apostoli & Doctores, non propterea quod tales sunt personam exuerunt Chrstianorum: imo tales non essent Christiani: nam neouitios quidem esse vult Paulus 1. ad Tim. 3. Quare si omnes Doctores necessario sunt Christiani: & omnes Christiani superstruuntur prædicationi: Ergo & Doctores ipsi.

XVII. Quin etiam, quatenus Apostoli sunt & Doctores, eatenus super Scriptura fundantur. Primo, quia quæcunque eorum est auctoritas in administranda Ecclesia, ea pendet ex institutione Christi, quæ nobis constat ex Scriptura, nimirum ex hoc loco, *Qui vos audit, me audit:* & similibus, quos ipsi citant Papistæ, quoties in hac quæstione versantur. Deinde, quia ex Scripturæ præscripto Ecclesiam docere debent: imo eius non tantum præscripto, sed etiam auctoritate. Basilius in Ethicis, definit. 26. δεῖ πᾶν ῥῆμα ἢ πρᾶγμα πιστοῦσθαι τῇ μαρτυρίᾳ τῆς Θεοπνεύστου γραφῆς, εἰς πληροφορίαν μὲν τῶν ἀγαθῶν, ἐντροπὴν δὲ τῶν πονηρῶν, *Omne verbum, omnemque actionem oportet firmari testimonio diuinæ Scripturæ, tum ad plenam fidem faciendam fidelibus, tum ad malos confutandos.* Cyrillus illuminatorum Catechesi 4. δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν, μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. *Necesse est ne minimum quidem aliquid de diuinis sanctisque fidei mysteriis tradi absque diuinis Scripturis, Ac ne mihi ipsi hæc dicenti credito, nisi accepta prius è Scripturis demonstratione.* Ergo omnino Doctores fundantur super Scripturis.

XVIII. Itaque ad argumentum primum respondeo: primo prædicationem siue scriptam, siue non scriptam, non esse sumendam pro viua voce, aut characteribus, sed pro iis quæ siue per viuam vocem, siue per characteres significantur. Vnde non pauci ex Interpretibus, fundamentum Apostolorum & Prophetarum exposuerunt ipsum Christum. Sedulius, *Apostoli fundamentum sunt. Vel Christus fundamentum est Apostolorum. Christus est fundamentum qui etiam lapis dicitur angularis, duos coniungens & continens parietes.* Anselmus, *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est super fidem Christi, super quam primo fundati sunt Apostoli & Prophetæ. Christus enim fundamentum est totius diuini templi, vel diuinæ ciuitatis.* Siue autem Christus sit, siue doctrina de Christo, non est ab ipsis Apostolis: sed tantum per ipsos Apostolos. Itaque nihil est absurdum, si Apostolos dicamus fundari super ipsa eadem fide quam aliis tradunt: nec inde sequitur ipsos fundari super seipsis.

XIX. In secundo argumento, distinguo totam Ecclesiam intelligi, vel omnes per totum orbem Ecclesias: vel totum corpus vnius Ecclesiæ compositum è plebe & Doctoribus. Posteriori sensu, negatur antecedens. Nam Paulus alloquitur non tantum plebem, id est alteram partem Ecclesiæ Ephesinæ, sed etiam eius doctores & pastores: ac proinde totam Ecclesiam. Deinde negatur consequentia: quia enim non est aliud fundamentum totius Ecclesiæ, aliud tantum populi Christiani: sed vtrorumque vnum & idē ideo necesse est, si loquutus sit Paulus de fundamento populi, vt locutus etiam sit de fundamento totius Ecclesiæ. Priori vero sensu, concedo quidem antecedens, hoc est, Paulum non esse tum alloquutum totam Ecclesiam hoc est vniuersas Ecclesias: sed hoc nihil ad rem: & prius negatur consequentia.

XX. Quod autem ait fundamentum doctorum esse Spiritum Sanctum: primum à seipso dixit, & phrasi vsus est nunquam ad hanc diem audita. Secundo hîc Spiritus Sanctus vel intelligitur ordinarius, vel extraordinarius. Si extraordinarius, tum falsum dixit: non est enim ille communis omnibus doctoribus, sed paucis tantum olim concessus, vt Apostolis & Prophetis ab initio. Sin autem ordinarius: hic vero non est peculiaris Doctoribus, sed commuuis omnibus fidelibus: nec obstat quominus Scriptura sit fundamentum: nihil enim docet extra eam: imo nisi per eam, vt non sint contraria agi à Spiritu sancto, & niti Scripturis.

CAP. IX.

An doctrina Christi mutuetur suam autoritatem ab hominibus.

I. SI Christus vt talis credatur qualis est credendus, non captat testimonium ab homine: ergo eius doctrina non muuatur autoritatem suam quoad nos ab hominibus. At prius verum: ergo & posterius. Et quia Scriptura est Christi doctrina: Ecclesia autem siue Vniuersalis omnium fidelium, siue particularis illa Stapletoni Pastorum & Doctorum, non constat nisi ex hominibus, tum vi consequentis euincimus Scripturam non mutuari autoritatem suam quoad nos ab Ecclesia. Antecedens autem probatur ex 5. Ioannis, *Ego non accipio testimonium ab homine.* Quod quidem Christus dixit, tum cum se filium Dei prædicaret, quæ pars est, imo summa totius doctrinæ Christianæ. Nec dixit tamen vt semel omnino testimonium respueret, quod sibi ab hominibus redditur: sed vt negaret suam autoritatem aliter constaturam. Loqui autem de autoritate quoad nos, ipsa testimonij vox indicat: neque enim intelligi potest Christo exhibitum testimonium, quoad se, id est, vt ipse efficeretur id quod erat, sed quoad Iudæos vt Christum agnoscerent & reciperent.

II. Huic se argumento Canus opponit & Stapletonus. Ille li. 2. loc. Theologic. c. 8. sensum esse vult eius loci, *Ego hominis testimonio nō egeo quidem: sed affero tamen testimonium Ioannis propter vos:* ideo subiungere Christum, *vt vos salui sitis.* Re vera enim conuenire, vt qui diuinum testimonium habet, ipse quidem propter se non accipiat ab homine testimonium: sed oblatum tamen propter aliorum vtilitatem non repudiet.

III. Atqui, inquam, Christus non loquebatur de seipso confirmando, sed de Iudæis. Ergo testimonium intelligendum est non eius caussa, sed Iudæorum, *Alius est* (inquit) *qui testatur de me: & scio verum esse testimonium quod testatur de me.* Sic Christus: significans se etiam absque vllo testimonio de se ipso esse certum: vt qui non veritatem nouerit ex testimonio, quomodo homines soleut, sed ex ipsa veritate norit quale sit testimonium. Addit autem, *Ipsa opera quæ ego facio testantur de me.* Quibus, inquam? Ipsi-ne Christo, an aliis potius? Vident omnes vtrum verum. Nempe, *propter ipsa facta* (inquiebat capite decimo quarto) *credite mihi.* Quid ergo opus erat Iudæos admoneri à Christo, cum testimonium quærere propter eos, non autem propter se?

IV. Sensus igitur alius esse non potest, quam hic, Christum, id est Christi doctrinam, ne quoad nos quidem egere hominum testimonio, vt absque eo recipi & agnosci non queat. Etsi alias verum sit, non repudiari à Christo humanum testimonium: siue quia superflua non nocent: siue quia sic aliquando affecti sūt homines, vt ex sibi prius cognitis persuaderi velint: quomodo Chrysostomus exponit illud, *Sed hoc dico, vt salui sitis.* ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν· ἐγὼ μὲν οὐκ ἐδεόμην τῆς τούτου μαρτυρίας, θεὸς ὤν, τῆς ἀνθρωπίνης. ἐπειδὴ δὲ μᾶλλον αὐτῷ προσέχετε, καὶ πάντων ἀξιοπιστότερον ἡγεῖσθε καὶ ἐκείνῳ μὲν ὡς προφήτῃ προσεδράμετε. καὶ γὰρ ἡ πόλις ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ἐξεχύθη, ἐμοὶ δὲ οὐδὲ θαυματουργοῦντι ἐπιστεύσατε, διὰ τοῦτο ὑμᾶς ἀναμιμνήσκω τῆς μαρτυρίας ἐκείνης. *Quod ait huiusmodi est. Ego quidem non indigeo huius testimonio, humano videlicet ipse qui Deus sum. Sed quoniam vos ei magis adhæretis, & omnium putatis fide dignissimum, accurritisque ad eum tanquam ad Prophetam (Ciuitas enim effusa est ad Iordanem) Mihi vero ne miracula quidem operanti credidistis, idcirco eius testimonium vobis in memoriam reuoco.* Nec aliter si cum Turcis sit negotium, possimus illis commendare ex testimonio propriæ legis tum Vetus tum Nouum testamētum οἷς ἀμφοτέροις, (inquit Ricardus c. 3. τὸ Ἀλκοράνον μαρτυρεῖ ὅτι ἀληθῶς εἰσι νόμος Θεοῦ: *cui vtrique Alcoranum testimonium præbet, esse vere legem Dei:* cum tamen impium sit credere Scripturam Sacram indigere testimonio Alcorani, etiam quoad nos.

V. Denique sic Christum dixisse credimus, se non captare testimonium ab homine: quomodo Paulum 2. ad Corinth. cap. 23. *num egemus vt nonnulli commendatitiis literis apud vos?* Testimonium enim nihil aliud possumus animo concipere, nisi commendationem alicuius apud aliquem. Et sane Ioannes ipsi Christo nunquam testimonium perhibuit, quoad eum, hoc vt ipse Christus crederet, sed quoad alios, hoc est, vt Iudæi crederent, Ioan 1. *Is venit in testimonium, vt testimonium perhibereret de luce, vt omnes crederent per illum.* Loquitur autem Christus Ioannis 5. de testimonio Ioannis, quod quidem erat quoad Iudæos. Ergo intelligendus est dicere se testimonium illud Ioannis quoad Iudæos non captare: non vero testimonium aliquod quoad se, quod nullam vnquam fuit.

VI. Iam Stapletonus primo nostram vellicat interpretationem: tum suam profert. Vellicat argumento à simili: quia eodem quinto Ioannis capite Christus dixit, *Si ego testimonium præbeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* An (inquit) hic sensus erit, ego si meo testimonio autoritatē mihi conparem, mea autoritas nulla erit? Si enim testimonium non accipere ab homine, significat nullam autoritatem quoad alios ex humano testimonio accipere:

accipere:profecto & sibi testimonium perhibere,significabit nullam à suo ipsius testimonio autoritatem accipere.

VII. Respondeo:esse fallaciam παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Loquutus enim Christus est, non ex sua, sed ex Iudæorum,quibuscum agebat,mente:quod annotauit Chrysostomus,τὸ οὖν, οὐκ ἔστιν ἀληθής, οὐχ ἁπλῶς ἐστιν ἀναγνωστέον, ἀλλὰ πρὸς τὴν τῶν ἐκείνων ὑπόνοιαν, οἷον, ὅτι ὑμῖν οὐκ ἔστιν ἀληθής, οὐ πρὸς τὴν ἀξίαν τοῦ αὐτοῦ, ἀλλὰ πρὸς τὴν ὑπόνοιαν τῶν ἐκείνων ἐφθέγγετο ταῦτα, ὡς ὅταν μὲν λέγῃ, ἡ μαρτυρία μου οὐκ ἔστιν ἀληθής, τὴν γνώμην ἐλέγχει τῶν ἐκείνων, καὶ τὴν μέλλουσαν αὐτῷ παρ' ἐκείνων ἀντίθεσιν ἐπιτιμᾷ. *Illud ,non est verum, non simpliciter legendum est:sed iuxta eorum sensum:videlicet, vobis non est verum. Non ergo prout se dignum erat, sed iuxta eorum sensum hæc enunciabat: & quando dixit, testimonium meum non est verum, eorum mentem redarguit, atque instantiam, quam ille sibi videbat op onendam.* Nec aliter Cyrillus,Procopius,Thomas, alij.Nonnus ἢν γὰρ ἐγὼ μαρτυρίην ἰδίην, οὐ πείθεται ἄλλος ἀκούων. *Si dixero testimonium proprium,non credit alius qui audit.* Vt sensus sit, meo apud vos testimonio nulla mihi comparabitur authoritas,quia obiicietis non esse fide dignum.Itaque securi possumus alterum loquutum interpretari, vt iam fecimus.

VIII. Sed quomodo tandem Stapletonus interpretatur? Quasi dictum sit,Ego à solo homine, aut à solo Ioanne testimonium non accipio.Humanum ergo testimonium Christus excludit,non quia vocabulo testimonij veram & fide dignam autoritatem non intelligebat , sed quia illo solo non vtebatur,nec ab eo solo quoad credentes in eum,autoritatem accipiebat.

IX. Ad hæc ego , Ergo inquam primo colligimus per solum Ecclesiæ testimonium non constare nobis Christi,id est , Scripturæ autoritatem : ipso iam concedente Stapletono,qui tamen contra sæpe contendit. Deinde etiã non præcipue : quod euincimus tum ex ipsis verbis , tum ex sequentibus. Nam testimonium non accipio, siue vt vertit Beza , non capto ab homine, multo plus infert quam id quod vult Stapletonus , nempe vt captet quidẽ, sed non solũ.Hoc potius:etsi nõ reiiciat,tamen vt non quęrat tanquã necessarium. Sic Chrysostomus ἐγὼ μὲν οὐκ ἐδεόμην τῆς ταύτης μαρτυρίας, *Ego non huius indigebã testimonio* Et addit, Θεὸς ὢν ἀνθρωπίνης, innuens absurdũ esse, vt is qui Deus sit,indigeat humano testimonio. Vnde facile quiuis concludet,significari testimonium Ioannis non tantum non solum esse,sed ne præcipuum quidem,aut summum.

X. Quod sequentia magis illustrant. *Ego (inquit Christus) testimonium habeo maius testimonio Ioannis:* εἰ μὲν γὰρ ἐβούλεσθε (inquit Chrysostomus) κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν πραγμάτων παραδέξασθαι τὴν πίστιν, ἀπὸ τῶν ἔργων μᾶλλον ὑμᾶς ἐπηγαγόμην. *Si velletis ex operum consequentia fidẽ excipere , ab operibus potius ,vobis persuaderem:* Ergo Christus testatur,se non tantum habere alia testim onia præter illud Ioannis , sed etiam maiora. Et maiora quidem,non quoad se,sed quoad alios,quia per ea potius facienda esset persuasio.

XI. Sed pergit Stapletonus:Et, *cum testimonium,* ait, *Scripturæ de Ecclesia autoritatem Ecclesiæ adferat,quare testimonium Ecclesiæ de Christo & Scripturis, eisdem autoritatem non adferet quoad nos ?* Quasi vero,inquam paria conferrentur.Respondeo igitur,Scripturas esse diuinas, Ecclesiæ vero testimoniũ humanum.Scripturas non tantum testimonium perhibere Ecclesiæ,sed esse etiam authenticas tabulas eius autoritatis quam habet Ecclesia. At Ecclesiã purum testimonium exhibere Christo & Ecclesiæ:nec quicquam præter testimonium.Denique Christus & Scriptura,id est verbum Dei, à se ipsis autoritatem habent : Ecclesia autem nullam nisi aliunde.Itaque non potest Ecclesia dicere se non captare testimonium Christi, & Scripturarum,quo si destituatur,omnino nihil sit:vt Christus palam professus est,se non captare testimonium cuiusquam hominis:ne Ecclesiæ quidem:quia Ioannes erat Doctor Ecclesiæ.

CAP. X.

An Scripturæ testimonium certius sit testimonio viuæ vocis.

I. SI Scripturæ testimonium certius est testimonio viuæ vocis Pastorum & Doctorum : ergo Scriptura non mutuatur autoritatem quoad nos ab Ecclesia. At verum antecedens. Ergo & consequens. Ratio consequentiæ: quia Stapletonus ipse contendit in hac controuersia non intelligi Ecclesiam populi,sed tantum Pastorum & Doctorum. Norunt autem omnes id quod certius est,non mutuari certitudinem suam ab incertiori : abhorret enim à ratione, vt obscurum probetur per obscurius.

II. Antecedens autem probatur duobus locis ex Scriptura , tum ex Patribus. Primus locus ex Ioannis 5. vbi Christus, cum se diceret habere testimonium maius testimonio Ioannis,tum nominat,opera sua, testimonium Patris,denique Scripturas:ἐρευνᾶτε(inquit) τὰς γραφάς .*Scrutamini Scripturas: nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere & illæ sunt quæ testificãtur de me.* Erat autem Ioannes Baptista inter Ecclesiæ Pastores, & quidem primi ordinis , adeo vt nulli deinceps sequuti Pastores arrogare sibi potuerint tantam autoritatem,nedum maiorem.

III. Hic se mire torquet Stapletonus , quadrupliciter respondens. Prima responsio negat quæri , vtrum sit maius & nobilius,aut etiam certius testimonium,Scripturæ-ne an Ecclesiæ,respectu eorum quæ credenda sunt:sed vtrum Ecclesia possit de ipsa Scriptura testimonium perhibere,& ipsius Scripturæ nobis fidem facere. Porro nihil contra Ecclesiæ autoritatem circa Scripturas consignandas concludi , tametsi eius testimonium testimonio Scripturarum minus aliquid esse , hoc est,minus illustre aut certum probari possit. Sic enim Apostolos testimonium perhibuisse Christo:etsi minores Christo.

IV. Atqui,inquam,primo quid illud est,*nobilius testimonium respectu eorũ quæ credenda sunt ?* Ego me diuinare non posse fateor , quorsum sit dictum, aut quomodo interpretandum:Hoc vnum tamen assero , Christũ testimonia conferre non cum rebus credendis:sed ipsa inter se,nempe Ioannis testimonium,cum testimoniis operum,Patris Scripturarum : atque hæc testari esse illo maiora.Itaque sensum esse,testimonium Scripturarum respectu eius testimonij quod Ioannes perhibuit ,esse maius , ac proinde , vt nos quidem concludimus,maius etiam testimonio Ecclesiæ.

V. Secundo vafre quæstionem Sophista permutat suo commodo. Constat enim ex huius libri c. 1. & 2. quibus status controuersiæ designabatur, duo esse capita : an Ecclesiæ testimonium solum , Scripturæ autoritatem quoad nos conciliet deinde,si non solum, an saltem summum : vtrumque à Papistis asseri:Catholicos autem nunquam negasse, Ecclesiæ suas esse partes in commẽdanda Scriptura: imo vero eius testimonium suo loco & ordine honorifice nominare. Quare nos Stapletono prolixe concedimus,non concludi ex hoc loco, Ecclesiam non posse de Scriptura testimonium perhibere,aut ipsius Scripturæ nobis fidem facere:hoc inquam,nos illi vltro concedimus:Concedat ille vicissim nobis euinci id quod erat in quæstione positum,videlicet,neque solum , neque summum esse id Ecclesiæ testimoniũ, quo Scripturæ quoad nos autoritas concilietur: Et Scripturæ sic Ecclesiam testimonium perhibere, vt Christo Apostolos:id est maiori minores.

VI. Secunda responsio. Tametsi Ecclesiæ iudicium non esset certius,quã illud testimonium Ioannis de Christo erat:non tamen propterea sequi,testimonium & iudicium Ecclesiæ de Scripturis esse incertum , vel non necessarium , aut non admittendum. Ratio duplex Prior, quia certum esse potest Ecclesiæ iudicium,adeoque in suo genere nunc certissimum,etsi testimonio Ioannis non fuerit certius. Altera:quia etsi perinde certum non esset,tamen necessarium magis nobis est testimoniũ Ecclesiæ de Scripturis , quam fuit Christo necessarium Ioannis testimonium de illo.Christus enim habuit maiora testimonia testimonio Ioannis : Scriptura vero non habet maiora testimonia,quam Ecclesiæ, loquendo de externis testimoniis. Neque enim sibi ipsi testimonium præbere,aut per se ipsam probari, & sufficienter commendari potest.

VII. At hæc somnia sunt. Quis enim colligebat,Ecclesiæ testimonium esse incertum,non necessarium,non admittendum? Nemo sane Catholicorum,quod sciam. Sed esse testimonium Ecclesiæ in suo genere nunc certissimum,explicatione indiget. Quid enim est, *in suo genere* ? Externorum,opinor. Sed quibus? nobis-ne,an ipsi Scripturæ? Nobis: vt coniicio:quia paulo post negatur sibi ipsam testimonium præbere. Erit igitur sensus, Scripturæ exhiberi testimonia,quorum sint nobis alia quidem interna,puta,quæ sunt à Spiritu Sancto intus monente, alia vero externa, vt ipsius Scripturæ de seipsa , & Ecclesiæ : & hoc quidem quod est ab Ecclesia , maximum esse.

VIII. At primum , hanc internorum & externorum distinctionem non habuit quæstionis status,quum simpliciter quæreretur , vtrum esset aut solum aut summum Ecclesiæ testimonium,nosque negaremus , Papistis contra affirmantibus. Itaque possemus hac quæstionis contractione contenti, totam controuersiam nostro commodo concludere. Nam si Ecclesiæ testimonium non est absolute summum,sed tantum in externorum genere:tum facile sequitur , primo non esse solum : deinde non esse absolute summum: superesse enim interna , quæ sint aut maiora, aut certe æqualia:Nam si minora,tum non in suo genere , sed omnino absolute summum esset testimonium Ecclesiæ.

IX. Deinde,etiam in altero illo externorum genere falsum est Ecclesiæ testimonium esse maximum , tum quia non est verum sibi ipsi Scripturam non præbere testimonium:qua de re & iam diximus, & alias dicemus:tum, quia præter ipsius Scripturæ,alia sunt , vt suo loco significauimus: quæ tanto certiora sunt,quanto verius est iis inniti oportere testimonium Ecclesiæ, aut esse,si non falsum , certe nullius momenti: vt cõstat certissima experientia,in iis libris qui à nobis numerantur inter Apocryphos:Nam quia eorum autoritas nititur nudo veterum Doctorum,aliquorum etiam Conciliorum testimonio,ideo exigui sunt ponderis ad confirmanda Ecclesiastica dogmata:quæ proxima erat controuersia.

X. Tertia responsio. Non propterea testimonium Ecclesiæ minus certũ esse Scripturarum testimonio in approbandis Scripturis, quia Ioannis testimonium eo minus erat in manifestando Christo. Dissimilitudinis ratio prima : quia clarius & frequentius Scripturæ de Christo testimonium perhibebant;vniusque hominis testimonio merito præferendæ erant. At Ecclesiã Christus, vt perpetuam veritatis magistram in mundum misit, vt omni veritati pariter cum suo diuino Spiritu cooperante testimonium perhiberet. Secunda : quia nullo modo nobilius aliquid est Scriptura quam Ecclesia: quũ hæc vox Dei sit, Spiritu Sancto animata, & infallibiliter instructa:illa verbũ quidem Dei sit,non simpliciter quatenus est litera scripta, sed pie & sane intellectum,id est, ab ipsa Dei Ecclesia explicatum. Ioannis ergo testimoniũ minus esse potuit testimonio Scripturarum,quia circa illas approbandas vel exponendas nullam ille autoritatem habuit , nec ad hoc missus erat. At Ecclesiæ testimonium Scripturarum testimonio non est necesse minus esse, quia circa ipsas Scripturas Ecclesia testificandi potestatem habet.

XI. Sed nos consequentiam ante fulciuimus , ex eo, quia Ioannes fuit inter eos ex quibus Stapletonus suam illam Ecclesiam constituit, à qua vult quoad nos pendere Scripturarum autoritatem. Itaque respondeo ad primã rationem,comparari à Christo Ioannis & Scripturæ testimonia, eiusdem subiecti respectu,nempe vt Ioannis testantis de Christo minus sit testimonium testimonio Scripturæ de eodem Christo testantis: vnde nos concludimus , eadem vtrinque supposita veritate , impar tamen esse testimoniorum Ioannis & Scripturæ pondus. Quid tum autem , si de pluribus rebus ,id est, doctrinæ capitibus Ecclesia testatur quam Ioannes ? An propterea sequitur non fuisse Ioannem inter Pastores? Minime omnium.

XII. Deinde nego Scripturas quæ tum exstabant , clarius & frequentius de Christo testimonium exhibuisse, quam Ioannem, Scripturæ enim, Christum futurum prædicebant:at Ioannes præsentem ostendebat. Scripturæ variis verborum figurarumque inuolucris tanquam per ænigmata designabant:at Ioannes in ipsam personam digitum intendebat. Et sane nullum est apud Prophetas disertius aut clarius testimonium de Christo, quam est hoc Ioannis, *Ecce Agnus ille Dei,qui tollit peccata mundi.*

XIII. Tertio,fuisse Scripturas præferendas vni homini; hoc est quod cõtendimus. Sed & omnibus,quis neget? Itaque etiam Ecclesiæ : quia non est alia ratio omnium,quam singulorum. Maxime cum Ioannem constet fuisse,non de plebe aliquem,sed θεόπνευστον,atque extra ordinem missum,ad inchoandam Euangelij prædicationem, ipsumq; adeo Ecclesiæ ædificij. Missum inquam : ne quem forte moueat quod Stapletonus subiungit de Eccle-

sia in mundum missa , aut de Spiritu cooperante: quod vtrumque non peculiare est Ecclesiæ, sed commune cum Ioanne. Quanquam Ecclesiam missam esse in mundum, noua fit Stapletoni phrasis: nec scio an non ἀκυρ& cum de Ioanne legamus, *Fuit quidam missus à Deo*: Ioannis primo.

XIV. Quod vero perpetuam veritatis magistram nominauit, nihil ad rem. Etsi enim Prophetæ non sint eo sensu perpetui magistri, quo Ecclesia, videlicet vt viua voce semper doceant: tamen eorum testimonium non fuit minus testimonio Ecclesiæ. Nec Ecclesia dici potest magistra perpetua, nisi quatenus primis doctoribus postremi succedunt. At horum non est potior, imo non est par autoritas. Imo vero contra, eorum qui ab initio præcesserunt, semper habita est potior.

XV. In secunda ratione multa sunt absurda. Non esse Scripturam nobiliorem Ecclesia. Cur non enim: cum ab illius testimonio hæc pendeat, quod nos paulo post Patres docebunt? Ecclesiam esse vocem Dei; quæ immensa est ἀκυ εγλογία, vt nihil dicam præterea. Ecclesiam esse à Spiritu Sancto infallibiliter instructam: qua de re iam obiter nonnulla libro secundo: suo etiam loco tandem plura dicturi Deo dante. Scripturam non esse verbum Dei, nisi quatenus ab Ecclesia explicatur. Quasi non haberet suum & quidem constantem sensum: imo vero quasi non esset verbum Dei, etiam tum cum non intelligitur. Denique, Ioannem nullam autoritatem habuisse ad approbandas, vel exponendas Scripturas. Cum tamen contra legamus Ioan. 1. *Tunc interrogauerunt eum, Quid ergo es? Tu ne es Elias? Ipse vero dixit, Non sum. Et illi Es tu Propheta ille? Qui respondit, Non sum. Dixerunt ergo ei, Quis es? Ait, Ego sum vox clamantis in deserto, Complanate viam Domini, prout dixit Esaias Propheta.* Quæ verba, quid agunt, si non interpretantur Iudæis Sciipturam, quam non intelligebant? Quid illud ipsum, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*? Nonne est interpretatio figurę Christi in agno Paschatis? Quid illud? Luc. 1. *Præcedet in conspectu eius cum Spiritu & Virtute Eliæ: vt conuertat corda Patrũ in filios, & rebelles ad prudentiam iustorum.* Potuitne fieri absque Scripturatũ interpretatione? Sed hoc certe iam est disertissimum. *Tu puerule Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, vt pares vias eius: & des cognitionem salutis populo eius.* Ergo habuit autoritatem interpretandæ Scripturæ, Baptista, contra quam voluit Stapletonus. Cæterum, Scriptura habet in se diuinam atque immutabilem veritatem, cuius Ecclesia particeps est, multis quidem iam seculis, hoc est, post Apostolos, nonnisi Scripturæ beneficio.

XVI. Quarta & postrema Stapletoni responsio, negat eo loco Christum asserere Scripturæ testimonium, maius esse testimonio Ioannis. Huic enim propositioni, *Habeo maius testimonium*, satisfactum esse prolato testimonio Patris per opera. Hoc autem de Scripturis, adiectum esse magis ex opinione Iudæorum, quam ex reipsa: Neque imperatum vt legerent Scripturas, sed indicatum duntaxat Iudæos legere.

XVII. At nos asserimus Christum tria proferre de seipso testimonia præter illud Ioannis. Primum. *Opera*, inquit, *quæ dedit mihi Pater, vt ea perficerẽ, ipsa inquam opera, quæ ego facio, testantur de me.* Secundum, *Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me.* Atque ex his duobus, vnicum Stapletonus male conflauit: ne cogeretur illa verba, *Ego testimonium habeo maius Ioannis*, collectiue interpretari de pluribus. Satis vafre. Tertium, *Scrutamini Scripturas.* Et ita distinxit Thomas Aquinas. Nam ad ea verba, *Habeo testimonium maius Ioanne, Ponit* (inquit) *testimonium diuinum.* Tum ad ista, *Opera quæ dedit mihi Pater: Tripliciter, ait, testificatus est Deus de Christo, scilicet per opera, per seipsum, & per Scripturas.* Similiter Lyranus, *Hic consequenter confirmat doctrinam suam per testimonium diuinum: & diuiditur in tres, secundum quod Pater testificatus est tripliciter de Christo, scilicet, per opera, per seipsum, & per Scripturas.* Sed & glossa ordinaria, ad illud Scrutamini, *Ecce aliud testimonium Scripturæ in qua Deus testatur de filio.* Item Iansenius Concordiæ c. 36. *Tertium iam adfert de se testimonium.* Villagudus, *Ab vsu, & effectu Scripturarum, qui est testari de Christo, quartum adducit testimonium. Ego Patris testimonium de cœlo factum, testimonium Ioannis, & testimonium miraculorum, & aliorum signorum adduxi: nunc vobis produco testimonium Scripturarum.* Atque ex his simul apparet, quam inepte Stapletonus vrgeat illud *maius* singulari numero; quasi pluraliter exponi nec possit, nec debeat.

XVIII. Verbum autem *Scrutamini*, imperando an indicando sumatur, haud pili interest. Nam tota nostri vis argumenti in his est, *Illa testantur de me.* Et tamen debuit fortasse Stapletonum mouere consensus interpretum: in quibus solus opinor Cyrillus, negat cum imperio, hanc orationem præferendam sed cum indicio: testatus nihilominus communem & tritam expositionem affirmare imperio quodam Pharisæos excitari ad inuestigandas Scripturas: Et certe aliis ita visum. Primo quidem Syro interpreti בצץ Scrutamini. Deinde Chrysostomo, αὐτοὺς (inquit) ἐπὶ τὴν μαρτυρίαν παρέπεμψε τῶν γραφῶν, homilia quadragesima: *amandauit eos ad testimonium Scripturarũ.* Et sequenti: οὐκ εἰς ἀνάγνωσιν, ἀλλ' εἰς ἔρευναν ἀκριβῆ καὶ ἐξέτασιν αὐτοὺς παρέπεμψεν, *Non ad simplicem lectionẽ amandauit eos, sed ad scrutationẽ exactã & solicitã.* Et rursus: διασκάπτειν αὐτὰ μετ' ἀκριβείας κελεύει. *Iubet eos cũ exacta diligentia perscrutari quasi fodiendo.* Ante Chrysostomũ Athanasius, siue ille potius est Theodoretus, aduersus eos, qui nec quærendum, nec loquendum ex Scriptura præcipiunt: αὐτὸς ἐκέλευσεν, ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, *Ipse iussit, Scrutamini Scripturas.* Et Dial. 3. de Trinitate, Macedonio exprobranti, quod disputaret ex Veteri Testamento tanquam Iudæus, respondet, Χριστὸς εἶπεν, ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, *Christus dixit, Scrutamini Scripturas.* Theophylactus, διδάσκει ὅτι πῶς δυνήσονται ζῶντα τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, φησὶν, ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, *Docens quomodo possint habere verbum Dei Scrutamini, inquit, Scripturas.* Euthymius *Illi legebant, at non scrutabantur: idcirco eos scrutari iubet.* Lyranus, *Scrutamini, id est, interius diligenter aduertite.* Aquinas, *Scrutamini: quasi in profundum quæratis.* Adde Maldonatum, *Melius, Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus, & omnes opinor præter Cyrillum, autores graues, imperantis modo dictum putant. In eo enim vis testimonij, & orationis gratia consistit, quod eos Christus ad suas ipsorum Scripturas, mittit, in quibus omnem illi gloriam suam collocabant. Quasi dicat, quandoquidem tantum Scripturis tribuitis, vt in illis vitam vos æternam habere existimetis, scrutamini eas. Sic omnia bene cohærent.* Item Carthusianum : *Scrutamini: id est, solerter discutite, inuestigate, aduertite.*

XIX. Alter locus est ex 1. c. poster. Petri, *Habemus firmiorem Propheticum sermonem.* Vbi cum suo testimonio Petrus comparat sermonem Propheticũ. Dixerat enim se non sequutum fabulas artificiose compositas, annunciasse Christum: sed quia propriis oculis vidisset eius maiestatem, propriis etiam auribus audisset vocem de cœlo, *Hic est ille filius meus dilectus.* Tum statim auribus audisset vocem de cœlo, *Hic est ille filius meus dilectus.* Tum statim ea subdit verba de sermone prophetico firmiore. Et erat tamen Petrus inter Pastores, atque eos quidem extraordinarios & summos, id est, Apostolos quibus deinceps nulla par fuit autoritas in Ecclesia. Quare si sermo Prophetus, id est, Scriptura, firmior erat testimonio Petri tunc viua voce loquentis, profecto multo erit firmior testimonio reliquorum Pastorum, quos Stapletonus per Ecclesiam vult intelligi.

XX. Respondet tripliciter. Primo negat consequentiam: & etiamsi scriptum Dei verbum certius esset Ecclesiæ iudicio ac testimonio, tamen sequi non vult falsum vel absurdum esse, per Ecclesiæ iudicium & testimonium, Scripturam apud nos autoritatem obtinere. Secundo: Negat probari, certius esse scripti verbi iudicium, quam Ecclesiæ. Tertio, tametsi reuelatione aliqua particulari Scriptura quoad nos magis firma ac recepta sit: tamen negat sequi, multo magis Ecclesiæ iudicio ac testimonio esse firmiorem: nimirum quia Ecclesiæ iudicium non est reuelatio diuina, particularis, aut vox de cœlo extraordinem, & coram paucis delapsa: sed est iudicium ac testimonium maxime publicum, ordinarium, notissimum, ideoque firmissimum, id est receptissimum.

XXI. Sed primum est absurdum: tum quia non simpliciter asserunt Papistæ Scripturam apud nos autoritatem obtinere per Ecclesiæ iudicium & testimoninm, quod nullus neget Catholicus: sed addunt, eam esse vel solã vel summam causam: quod omnino fieri non potest, si sit Scripturæ testimonium certius testimonio Ecclesiæ: Tum quia agitur apud Petrum de firmitate quoad nos. Nam quod attinet ad rem ipsam, nullo modo erat aut firmior Scriptura Prophetica, testimonio Apostoli. Nihil enim potuit verius esse, quam Petrum & vidisse & audisse quæ narrabat. Sed quia iampridem fundata erat autoritas Prophetica, & prædicata, ac credita eorum doctrina, ideo firmiorem Petrus appellauit. Thomas Caietanus. *Non dicit veriorem, aut clariorem, aut maioris autoritatis, sed firmiorem: quod constat verissimum tunc fuisse: quoniam Propheticus sermo longe magis firmatus erat in mentibus hominum, quam sermo iste cuius testem se exhibet Petrus.* Guillaudus, *Firmiorem sermonem dicit, propter quosdam infirmos, qui ex Iudaismo ad fidem conuersi, maxime intenti erant Prophetis & eorum dictis.* Beda referente Gagnæo, *Si quis nobis non credit diuinitatem eius asserentibus, ex eo quod maiestatis eius spectatores fuimus, & vocis è cœlo elapsæ auditores: habemus Propheticum sermonem firmiorem: non quidem veriorem, sed firmiorem, quem negare non potestis, sicut nostrum testimonium potestis refellere.* Voluit igitur Petrus significare, quoad eos ad quos scribebat: imo vero quo ad fideles, non enim dixit, habetis, sed habemus, maiorem esse Scripturæ autoritatem, quam viuæ vocis ipsorum Apostolorum: etsi alias vox Apostolorum esse æque à Deo. Quomodo igitur potest Scriptura autoritatem obtinere apud nos, aut tantum, aut maxime per Ecclesiæ testimonium, id est viuam vocem? Nã certe propter quod vnum quodque tale, ipsum magis tale.

XXII. In secundo permutatur quæstio. Non enim agitur de iudicio, sed de testimonio. Illud est quoad se: hoc vero quoad nos. Substituamus ergo testimonium pro iudicio. Tum dico hoc Petri loco probari Scripturæ testimonium esse testimonio Ecclesiæ firmius, & certius. Nec contra quicquam Stapletonus legitime probat: quin potius idipsum confirmat, cum fatetur ideo sic loquutum Petrum, quia Propheticus sermo, magis firmatus, magis receptus, ac roboratus esset in mentibus hominum, iam tot antea seculis in autoritate habitus. Nam & nos hoc dicimus, hoc volumus, Scripturam esse eodem modo receptam, firmatam, roboratam, magis quam Ecclesiæ viuã vocem: itaque fieri non posse, vt ab hac viua voce, illa autoritatem recipiat, non tantum quoad se, sed ne quoad nos quidem. Tantundem enim Stapletonus, opinor largietur toti Scripturæ, quantum eius parti, hoc est, Veteri Testamento.

XXIII. Nam quod postea hoc totum ad Iudæos refert, audacius facit, quam prudentius. Primum, quia certum est Petrum scripsisse ad Christianos. Sic enim eos alloquitur statim initio Epist. *Simeon Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi, æque pretiosam fidem nobiscum sortitis per iustitiam Dei nostri & Seruatoris Iesu Christi.* Vnde Guillaudus paulo ante hunc ipsum locum ita scriptum dicebat propter quosdam infirmos, qui ex Iudaismo ad fidem conuersi erant. Secundo, quia nec Christiani vnquam minus tribuerunt Veteri Testamento, quam Iudæi: nec Nouo, minus quam Veteri.

XXIV. In tertio: Primo testimonium illud Petri non fuit particulare aut priuatum. Erat enim Apostolicum. Apostolorum autem æque publica persona ac Ecclesiæ Stapletonianæ, hoc est Pastorum. Nec erat solius Petri, sed omnium Apostolorum, qui & viderant maiestatem Christi, & audierant vocem illam de cœlis. Nam quod ad visionem attinet, non solum Ioannes, *Quod audiuimus* (inquit statim initio 1. Ep.) *quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectauerunt de sermone vitæ, id annunciamus vobis.* Sed etiam Paulus testatur post resurrectionem visum sibi fuisse Christum, & amplius quam quingentis fratribus, & Iacobo, 16. prior. ad Cor. Vox autem illa Patris primum facta est in Baptismo Iesu, omnibus audientibus, primo capite Marci: deinde in transfiguratione audientibus Petro, Iacobo, & Ioanne. Itaque non potuit ea videri priuata reuelatio: vnde Petrus multitudinis numerum adhibuit, vt ne solum nominaret.

XXV. Secundo assentior quidem hanc Patris vocem fuisse extraordinariam, non vero Ecclesiæ testimonium. Sed hæc circumstantia nostrum confirmat argumentum: quia tota Religionis prædicatio, pro fundamento habet has extraordinarias reuelationes, nempe ἀμέσους acceptas ex mera inspiratione. Itaque non potest non maius esse earum pondus, quam ordinarii Ecclesiæ iudicii: cui nulla annexa est certitudo infallibilis. Nam quod Papistæ contra disputant, næ faciunt prorsus Papistice. Sed hæc alia est controuersia.

XXVI. Tertio: ipsum etiam Scripturæ testimonium ac iudicium, nos defendimus esse maxime publicum, ordinarium, notissimum, firmissimum receptissimum: & quidem magis quam Ecclesiæ viuam vocem: quæ non potest non esse singulis ætatibus recens: quia præteritarum ætatum Ecclesia amplius non auditur, cum Scriptura semper vna sit & eadem numero: adeo vt qui

vt qui hodie in ea versantur, eandem ipsam à se lectam iactare possint, quæ iam olim primis Patribus, deincepsque secutis, erat in manibus.

XXVII. Absolutis duobus locis è Scriptura, nunc ad Patres venio, hoc substrato Syllogismo: Omne testimonium, de quo dubitari non potest, certius est testimonio eorum de quibus dubitare licet. At Scripturæ testimonium eiusmodi est, vt de eo dubitari non possit apud fideles: testimonium autem doctorum, id est Ecclesiæ Stapletonianæ, eiusmodi, vt de eo dubitare liceat apud fideles. Ergo Scripturæ testimonium apud fideles certius est testimonio doctorum, id est Ecclesiæ Stapletonianæ.

XXVIII. Assumptio probatur ex Augustino Epist. 19. ad Hieron. *Ego fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi, vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorret, persuadere potuerunt.* Et Epist. 48. *Hoc genus literarum* (nempe quarum autores erant, Hilarius, Cyprianus, Agrippinus, id est Episcopi) *ab autoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ex eis testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat.*

XXIX. Contra Faustum lib. 11. c. 5. *Distincta est à posteriorum libris excellentia Canonica autoritatis. Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere, autor huius libri non tenuit veritatem: sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, qua libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunque eorum inuenitur eadem veritas, longe tamen est impar autoritas. Itaque in eis si qua forte propterea dissonare putantur à vero, quia non vt dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve iudicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit: & ideo cuncta eiusmodi, nisi vel certa ratione, vel illa Canonica autoritate defendantur, vt demonstretur siue omnino ita esse, siue fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est, vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa vero Canonica eminentia Sacrarum literarum, etsi vnus Propheta, seu Apostolus aut Euangelista aliquid in suis literis posuisse ipsa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod verum sit.*

XXX. Idem de Baptismo contra Donatist lib. 2. c. 3. *Quis nesciat sanctam Scripturam Canonicam, omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea reperitioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem autoritatem doctiorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deuiatum est: Et ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorū autoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere: ipsaq; plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.*

XXXI. Perspicua est Augustini sententia. Comparat enim Scripturam sacram omnium Pastorum & Doctorum, id est, Ecclesiæ Stapletonianæ scriptis & decretis. Ac de illa quidem semel atque in vniuersum pronunciat ne dubitandum quidem esse, verene aliquid dicat an secus. De his autem statuit, primum licere dubitare: secundo posse etiam corrigi. Quis autem non videat, eius esse longe maiorem quoad nos autoritatem, quod non sit capax mendacij, quam eius quod falli possit? Eius, inquam, cui suum omnes subiiciunt iudicium, quam eius quod & à pluribus, & à singulis corrigi queat? Et ne mihi quis obiiciat intelligi ab Augustino singulos doctores, iubeo obseruare nominata esse Concilia atque ea quidem non tantum μειζικὰ siue prouincialia, sed etiam οἰκουμενικὰ siue vniuersalia. Non potest autem eius Ecclesiæ quam Stapletonus definiuit, ratio magis obseruari, quam in Conciliis saltem Oecumenicis.

XXXII. Nec prodesse potest effugiū distinctionis, quoad se, & quoad nos. Quia primo, eorum Patrum scripta & decreta, si in se non sunt infallibilia, ne quoad nos quidem supremā autoritatem obtinere debent: ac proinde si licet in dubium reuocare ea decreta, quibus illi sanxerunt Scripturæ Canonem, tum necesse est, non propterea a nobis credi eum esse vere Canonem, quia ipsi ita senserunt: sed quia id illi nobis certis rationibus probabunt: ac proinde, ne quoad nos quidem Canonis autoritas pendebit ab eius Ecclesiæ autoritate.

XXXIII. Secundo, verba Augustini de Scriptura significant honorem ei delatum à nobis: ac proinde eius autoritatem quoad nos. *Didici* (inquit) *hunc timorem honoremq; deferre* Scripturæ. Si ergo nos necesse sit credere, Scripturam quidem esse ἀσφαλῆ αὐτόπιστον, Doctorum vero & singulorum & omnium sententiam ἐπισφαλῆ, nec certam nisi aliunde, id est, exhibitis probationibus: tum profecto non potest fingi, doctorum, id est Ecclesiæ autoritatem quoad nos esse maiorem quam Scripturæ. Itaque inuictum est argumentum.

CAP. XI.

An Scriptura recepta sit ante iudicium Ecclesiæ.

I. SI Scripturæ autoritas quoad nos, penderet ab Ecclesiæ iudicio, ergo ea ab initio recipi non debuit ante Ecclesiæ iudicium. At ea recipi debuit, & re vera est recepta ab initio, etiam ante vllum Ecclesiæ de ea iudicium. Ergo non pendet eius quoad nos autoritas ab Ecclesiæ iudicio.

II. Consequentia patet, ex statu quæstionis. Definierunt enim Papistæ, perexiguum apud nos pondus habituram sacram Scripturam, nisi nos id Ecclesiæ doceret autoritas, quæ verba erant Hosij. Sed Charronæi disertiora, nihil esse Scripturæ autoritatis, ponderis, & virium in nos, fidemque nostrā nisi quantum Ecclesia dicit & declarat. Denique à nobis eam Stapletonus acceptari pro sacra propter Ecclesiæ iudicium sæpe contendit. At si verum est nullum esse Scripturæ pondus absque Ecclesiæ iudicio, tum si nullum sit Ecclesiæ iudicium, necesse est omnino nullum esse Scripturę pondus. Et quia hoc pondus quoad nos (nam ita circumscribunt) nihil est aliud quam acceptatio nostra, ergo si nullum est pondus, nulla esse debuit acceptatio.

III. Assumptio vero probatur. Primo, quia Scriptuam Decalogi Moses cum detulit ex monte ad Israelem, vt constat Exod. 34. ea sic populo recitata est, vt neque ab vniuersis, neque à selectis quibusdam suffragia postulata sint: sed duntaxat illa cunctis proposita custodienda. Vnde patet non expectasse Deum vllum Ecclesiæ iudicium: sed ita scripsisse Decalogum, vt simpliciter & per se totam Ecclesiam obligaret. Inde sunt comminationes illæ Deuter. 28. *Nisi custodieris & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen eius glorioſum, hoc est Dominum Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas.*

IV. Rursus Deut. 31. *Postquam scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens, Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei nostri, vt sit ibi contra te in testimonium.* Ergo (inquam) Scriptura Moysis absque vllo Ecclesiæ iudicio fuit authentica, & Canonica, quandoquidem reposita in arca fœderis: nam id Epiphanius sumpsit pro certo indicio canonicorum in libro de ponderibus & mensuris: de suo loco alias.

X. Tertio, Iosue vlt. *Percussit Iosue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atque iudicia in Sichem, scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Ergo (inquam) sua scripta Iosue absque vllo aut præeunte, aut postulato expectatore Ecclesiæ iudicio retulit in Canonem: nam hoc est, scribere in legis volumine, quod iam erat constitutum in arca.

VI. Quarto, Hieremiæ 36. iubetur Propheta scribere in volumine quæcunque deceperat à Deo aduersum Israelem & Iudam: sed oblatum Regi volumen fœde violatur, atque in ignem coniicitur. Propterea factum est verbum Domini ad Hieremiam, vt ad Ioacim regem diceret, *Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen istud, dicens, Quare scripsit in eo annuntians, festinatus veniet Rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem, & iumentum? Propterea hæc dicit Dominus Deus contra Ioacim Regem Iuda, non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid: & cadauer eius proijcietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.* Vbi Lyranus notat poni Regis punitionem de libri combustione. Hinc docemur grauiter fuisse peccatum à Rege, quod hunc librum contempsisset, qui tamen nullo præeunte iudicio Ecclesiæ relatus fuerat in Canonem. At si eius nulla esse debuisset autoritas quoad Regem, magis quam fabularum Æsopi, neque Rex quicquam peccasset, neque iuste punitus fuisset. Quæ si sunt absurda, fatendum est librum hunc, quia erat à Deo, ideo autoritatem debuisse obtinere apud omnes à quibus vel legebatur, vel audiebatur, etiamsi nunquam id Ecclesia decreuisset.

VII. Quinto, in Nouo Testamento scripsit Paulus ad Corinthios priorem epistolam, multa admonitione, hortatione, reprehensione plenam. Eā illi recipiunt: nec expectant dum ad eos perueniat vniuersale decretum Ecclesiæ: sed parent momenti, hortanti, reprehendenti: vt apparet ex poster. c. 2. de Incesto. Ergo hæc Scriptura Pauli fuit quoad Corinthios authentica, absque vllo præeunte iudicio Ecclesiæ: qui minus ergo quoad nos? Et partes Scripturæ per se fuerunt authenticæ, quid ni totum corpus? Nemo enim credat maiorem esse partibus, quam toti dignitatem.

CAP. XII.

An Scriptura autoritatem obtinuerit ex decreto Ecclesiæ.

I. SI ex aliquo Ecclesiæ iudicio aut decreto, aut testimonio, Scriptura suam quoad nos autoritatem obtinuit, id oportuit esse vel vniuersale, vel particulare. At particulare, absurdum est: vniuersale, falsum. Ergo Scriptura suam quoad nos autoritatem non obtinuit ex aliquo Ecclesiæ aut iudicio, aut decreto, aut testimonio. Consequentia per se est manifesta ex disiunctionis necessitate.

II. Assumptionis pars prior hinc patet quia in hac quæstione autoritas intelligitur, quoad omnes vbique terrarum Christianos. Est autem iniustum nonnullos Episcopos, siue singulos seorsim, siue in Concilio Prouinciali, legem dare vniuersæ Ecclesiæ: atque adeo nunquam factum, nisi ab eo tempore cum inualuit Antichristiana tyrannis, sibique Papa omnia vnus superbissime arrogauit. Et tamen ex eo tempore dici non potest Scripturæ collata sua autoritas, quam illa obtinuit multis ante seculis.

III. Ad hæc nullum profertur particulare testimonium, quod quicquam ex se definiat hac in re. Sed quæcunque colligi possunt, id se tradere testantur, quod acceperunt Concilium Laodicenum, *Non oportet Psalmos priuatos in Ecclesia dici: neque libros qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canonicos Noui & Veteris Testamenti.* Carthaginense tertium, *Quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Hæc omnia significant iam olim constitutum fuisse Scripturarum Canonem ac proinde libros qui postea enumerantur, iam ante eam enumerationem fuisse acceptatos ab Ecclesia pro Canonicis. Atque in vniuersum nullus proferri potest ex Patribus, qui non testetur iam ante sua tempora, constitutum esse Canonem.

IV. Iam vero de Vniuersali iudicio, æque est expedita probatio. Nullum enim proferri potest à quo Scripturæ suam illam, quoad nos autoritatem acceperint. Nam ante illud Concilium quod Hierosolymis coactum est, nullum fuit vniuersalis Ecclesiæ vniuersale iudicium. At hoc Concilium hanc controuersiam ne attigit quidem: sed illam duntaxat tum ortam de vsu rituum Iudaicorum, quos nonnulli necessarios asserebant Christianis.

V. Sed nec tum potuisse libris sacris canonicam autoritatem deferri, probamus, quia Vetus Testamentum iampridem suum habebat canonem authenticum, non tantum apud Iudæos, sed etiam apud Christianos. qui dicti sPropheticis ab ipso statim initio suam confirmabant, Pastores quidem prædicationem, singuli autem fidem, vt patet exemplis infinitis. Nā Petrus statim post ascensionem concionem suam ad Iudæos Actorum secundo & tertio, ita illustrauit. Et in hoc ipso Concilio, Iacobus vocationem Gentiū probauit autoritate Prophetarum. Noui vero Testamenti nondum exsta-

bant

bant omnes libri: & qui exſtabant, iam erant authentici, ſaltem apud eos ad quos ſcripti erant.

VI. Poſt Hieroſolymitanum Concilium, nullum fuit Eccleſiæ teſtimonium vniuerſale, vſque ad Nicenum, id eſt, annum Chriſti 325. Vnde factū, vt Melito neceſſe habuerit proficiſci in Iudæam, inde aſportaturus numerum librorum ſacrorum. Atqui ante Nicenum conuentum fuiſſe Canonem Scripturæ definitum teſtatur ipſe Melito, teſtatur Origenes: Teſtantur item Patrum diſputationes, omnes refertæ teſtimoniis Scripturarū, cum aduerſus hæreticos, tum etiam contra Ethnicos.

VII. Præterea Concilium Nicenum hac de re omnino nihil decreuit. Et tamen ex Scripturis Arrium confutauit & damnauit, ἐξ ἀγράφων (inquit apud Euſebium Athanaſius) μετ' εὐσεβείας ἐννοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν. *Ex ſcriptis vocibus pie intellectis damnati ſunt.* Sed & eodem tempore aut paulo poſt, Marius Victorinus in Confutatione Candidi Ariani, clamabat, *Si vt nomine, ſic & re Chriſtianus eſt quiſpiam, neceſſe habet venerari Scripturas.* Vixit enim Victorinus ante ſecundam Synodum Oecumenicam. Deinceps nullum omnino Concilium Oecumenicum hac de re quicquam pronunciauit. Nam Tridentinum, non fuit eiuſmodi: &, ſi fuiſſet, quam abſurdum quæſo, foret, vt contenderet aliquis à publico Eccleſiæ teſtimonio pendere autoritatem Scripturæ, quia ſeculis integris quindecim elapſis tandem hoc Epiſcopis in mentem venerit?

VIII. Quod ſi excipiant aduerſarij, ex eo ipſo petendum vniuerſale teſtimonium, quod omnes Eccleſiæ hunc Canonem agnoſcerent; tum reſpondeo, primo, non eandem fuiſſe omnium Eccleſiarum ſententiam de libris Canonicis: quaſdam enim quoſdam non admiſiſſe, quos tamen aliȩ recipiebant. Itaque niſi contra proferatur decretum aliquod, à quo alteutræ diſceſſerint, non poſſe iactari vniuerſale teſtimonium aut iudicium.

IX. Deinde, etiam ſi fuit aliquando vniuerſalis conſenſus, tamen teſtimonium illud non fuiſſet vniuerſale, niſi forte ratione temporum ſubſequẽtium. Sed cum cauſam quærimus autoritatis Canonicæ, tum nos oportet ad ipſum initium peruenire, vt intelligamus, quænam prima cauſa fuerit Eccleſiæ vniuerſali, vt Canonis autoritatem agnoſceret ipſa, atque aliis traderet. Vel enim id ſimul & ſemel obtinuit apud omnes, vel paulatim, & per propagationem. Si hoc, tum non potuit iis ad quos facta eſt propagatio vllum dari teſtimonium vniuerſale, ſed tantum particulare, eorum a quibus fiebat, vtpote Ædeſij & Frumentij apud Indos. Sin autem ſimul & ſemel, ergo alij non acceperunt ab aliorum teſtimonio: ſed ſinguli ab aliis cauſis. Itaque omnino neque particulare, neque vniuerſale teſtimonium, ſiue iudiciū Eccleſiæ, prima cauſa fuit autoritatis ſacrorum librorum.

CAP. XIII.

An doctrina fidei autoritatem obtinuerit Eccleſia.

I. SI Doctrina fidei autoritatem quoad nos non habet ab Eccleſiæ teſtimonio, ergo ne Scriptura quidem Sancta. At verum eſt antecedens. Ergo & conſequens. Conſequentiæ ratio eſt, quia non aliud eſt Scriptura, præter doctrinam illam fidei literis mandatam: & quidem ab iiſdem autoribus, à quibus fuit initio prædicata ex Spiritus Sancti inſtinctu. Non eſt autem æquum, vt eadem doctrina ab iiſdem autoribus tradita, non ſemper eandem habeat autoritatem. Vnde Paulus poſter. ad Theſſal. 2. *Retinete traditam doctrinam quam edocti eſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.*

II. Antecedens facile probatur, primo ex omnium fidelium praxi Moſes multa propoſuit viua voce ſuo populo, quæ excepta ſunt abſque vlla cunctatione, vt patet ex eius libris. Exod. 12. inſtituitur ſolennitas Paſchȩ: ac ſtatim, *Egreſſi filij Iſrael fecerunt ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron.* Cap. 24. *Venit Moyſes, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: reſponditque omnis populus vna voce, omnia verba Domini quæ loquutus eſt, faciemus.* Cap 35. cum popoſciſſet denaria Moſes ad conficiendum tabernaculum, *obtulerunt* Iſraelitæ *mente promptiſſima atque deuota primitias* Domino, cum viri tum mulieres. Numer. 15. iubet Moſes autoritate Dei, hominem lapidari qui die Sabbathi ligna collegerat: atque hoc dicto citius factum eſt, nullo expectato aut plebiſcito, aut Senatusconſulto. Samuelis 2. c. 7. cum in animo haberet Dauid ædificare domum Domino, tamen prohibetur à Nathane: & hanc ille prohibitionem ſic accepit, tanquam verbum Dei, etiam abſque vllo Eccleſiæ ſuffragio..

III. In Nouo teſtamento, Actor. c. 2. cum ſatis longa oratione Petrus Iudæis prædicaſſet Euangelium, *multi receperunt ſermonem eius, & baptizati ſunt: appoſitæque ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* Cap. 8. Samaritani *credunt Philippo euangelizanti de regno Dei.* Eunuchus etiam audita interpretatione prophetiæ quam habebat præ manibus, teſtatur ſe credere, poſtulato baptiſmo. Paulus prior. ad Theſſ. 2. *Gratias* (inquit) *agimus Deo indeſinenter, quod acceptum de Deo ſermonem quem audiſtis ex nobis, exceperitis nō vt ſermonem hominum, ſed ſicut eſt vere, vt Dei ſermonem.* Poſſunt alia multa colligi in eandem ſententiam teſtimonia ex vtroque teſtamento.

IV. Secundo, idem probatur, & quidem diſertius ex pœnis eorum qui auditum Dei verbum non continuo exceperunt. Nam ſi nullam haberet verbum Dei prædicatum autoritatem quoad nos, abſque Eccleſiæ decreto, tum nemo culpandus eſſet, qui vel ſuſpenderet aſſenſum, vel etiam contradiceret, cū tot in cōtrariū caro ſuggerat, ſiue rationes, ſiue potius ſophiſmata. Sed ij grauiter & reprehenduntur & puniuntur. Nam primi Samuelis decimo quinto capite, cum iuſſus eſſet Saul Amalecitas occidere ad vnum vſque, is autem reſeruaſſet Agag regem, prædamque multam, prætextu ſatis honeſto in ſpeciem, audiuit à Samuele, *Quia abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis rex.* Prior. Reg. 20. *Vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad ſocium ſuum in ſermone Domini, Percute me, At ille noluit percutere. Cui ait, quia noluiſti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumque paululum receſſiſſet ab eo, inuenit eum leo atque percuſſit.* Poſter. lib. c. 7. vnus ille ex aulicis qui Eliſæi pollicitationes, de annonæ in poſterum diem vilitate, irriſit, grauiſſima pœna luit, *Videbis* (inquit Propheta minabundus) *oculis tuis, & inde non comedes:* nimirum, quia a populo conculcatus & occiſus eſt. Actorum decimo tertio, cum prædicantibus Paulo & Barnabæ obſiſteret Elymas magus, Paulus eum duriſſime increpuit, & cæcitate percuſſit. Paulo poſt etiam Iudæos obſiſtentes pronunciauit indignos vita æterna. Quinetiā Chriſtus Matth. 10. *Quicunque* (inquit) *non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati.*

V. Tertio, probatur ex Athanaſio contra gentes, ἡ μὲν περὶ τῆς θεοσεβείας, καὶ τῆς τῶν ὅλων ἀληθείας γνῶσις, οὐ πολλῆς τῆς παρὰ τῶν ἀνθρώπων διδασκαλίας δεῖται, ὅσον ἀφ' ἑαυτῆς ἔχει τὸ γνώριμον, μονονουχὶ γὰρ καθ' ἡμέραν τοῖς ἔργοις κέκραγε, καὶ ἡλίου λαμπρότερον ἑαυτὴν διὰ τῆς Χριστοῦ διδασκαλίας ἐπιδείκνυσι. *Ea quæ circa Dei cultum verſatur cognitio, & omnium rerum ver tatem, non tam indiget humana inſtitutione, quam ipſa ſe ſuis notis indiciiſque prodit: tantum non quotidie ipſis operibus clamans, ſeque ſole clarius per Chriſti diſciplinam demonſtrans.*

VI. Hæc certa ſunt & perſpicua. Tamen ad locum ex priori ad Theſſalonicenſes à Whitakero obiectum, Stapletonus reſpondebat, ipſammet Paulij vocem, fuiſſe Eccleſiæ vocem iudiciū, & teſtimonium Cum enim Eccleſiæ teſtimonium ad fidem ingenerandam, & ad aliquam ſacram veritatem teſtificandam neceſſariam eſſe dicunt, nihil aliud Papiſtas dicere, quam Paſtorum Eccleſiæ teſtimonium & vocem, vel ſeorſum ſuos greges communem fidem docentium, vel de rebus grauioribus in Concilio iudicantium. Paulum ergo cum Theſſalonicenſes audirent, Eccleſiæ iudiciū, Eccleſiæ teſtimonium audiuiſſe.

VII. At ego vocem Pauli eſſe Eccleſiæ vocem, dupliciter intelligi poſſe cenſeo. Vel de doctrina, vt ſit ſenſus, eandem doctrinam a Paulo doceri, & ab Eccleſia: qui ſenſus nihil ad rem. Non ſequitur enim, ſi eadem ſit, exempli gratia, Romanæ Eccleſiæ doctrina & Pauli, quam iſte 1. ad Roman. vocat τὴν ἐν ἀλλήλοις πίστιν mutuam fidem, eſſe eandem autoritatem Pauli & Eccleſiæ Romanæ. Etſi verum ſit eandem doctrinam eiuſdem eſſe ponderis à quocunque tandem prædicetur. Tum noſtra hæc controuerſia non doctrinam Scripturæ comparat cum doctrina Eccleſiæ, ſed doctrinam fidei cum teſtimonio Eccleſiæ.

VIII. Vel de doctrinæ prædicatione: vt ſit ſenſus, Cum Paulus prædicaret, tum auditam fuiſſe Eccleſiam prædicantem, ſiue Paulum prædicantem, & Eccleſiam prædicantem vnum idemque eſſe. Quod omnino falſum eſt. Alioquin, quia idipſum de quibuslibet doctoribus Stapletonus aſſerit, ſiue ſeorſum ſuos greges docentibus, ſiue in Concilio iudicantibus, nimirū eſſe eorum vocem Eccleſiæ vocem, ſequeretur eſſe etiam eorum vocem, Pauli vocem: ac proinde Auguſtini prædicantis apud Hipponenſes, ſiue ſcribentis ad Hieronymum eandem eſſe autoritatem, quæ erat Pauli, vel concionantis Troade, vel ſcribentis ad Timotheum. At hoc abſurdiſſimum eſt: ergo illud non ſatis ſanum.

IX. Et tamen quid hoc rurſus ad rem? Non enim Pauli prædicatio autoritatem contulit doctrinæ quoad Theſſalonicenſes: nec huius loci quem tractamus ſenſus eſſe poteſt, Theſſalonicenſes nihil detuliſſe Euangelio, niſi propter Paulum annunciantem. Ratio eſt, quia tum oportuiſſet Pauli autoritatem iam ante apud Theſſalonicenſes magnam eſſe: quod eſt falſū: quia apud eos qui nondum credunt, hoc eſt, nondum ſunt fideles, nulla eſt fidelium Paſtorum dignitas: imo magnum odium, & ex odio contemptus. Loqui autem Paulum de ſuo primo ad Theſſalonicenſes aduentu ab initio eius capitis notum eſt, *Noſtis* (inquit) *fratres, ingreſſum noſtrum ad vos non fuiſſe vanum.*

X. Et tamen contra Stapletonus: citatis quibuſdam locis, vbi ſuo teſtimonio creditum fuiſſe Paulus dicit, vt poſter. ad Theſſalon. 1. & notari vult eos qui non auſcultarent ſermoni ſuo, eiuſdem tertio: & ex 1. c. 4. qui reiiceret præcepta à ſe accepta, eum non hominem reiicere, ſed Deum, *qui etiam* (inquit) *dedit nobis Spiritum ſuum Sanctum.* His (inquam) citatis manifeſtiſſimum eſſe vult, Theſſalonicenſes verbum Dei ex ore Dei accepiſſe propter ipſius Pauli teſtimonium, cui crediderunt. At hæc conſequentia omnino fallax eſt. Oſtendunt enim ij loci creditū fuiſſe teſtimonio Pauli, hoc eſt doctrinæ, quam Paulus ſuo teſtimonio Theſſalonicenſibus commendabat, ſed crediciſſe propter Paulum, id vero non ſignificant. Nam omnino id de omnibus dici poteſt, ad quorū prædicationem homines conuertuntur. Quis enim eos conuerti dicat ad prædicationem eorum, quorum tamen repudient teſtimonium? Exempli gratia, crediderunt ſine dubio Iberi teſtimonio Ædeſij & Frumentij ſed propter eos credidiſſe, nondum vllo gradu miniſterij inſignes, expecto an dictum ſint Papiſtæ.

XI. Iam quod diximus Paulum non fuiſſe ante prædicationem cognitū: ad id ille reſpondet. Omnibus gentibus quibus Apoſtoli prædicauerunt, cū ad eas primum venirent, fuiſſe ignotos: ſed ſtatim miraculis innotuiſſe, *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et eo ſpectare hos locos. *Sermo meus in oſtenſione Spiritus & virtutis:* 1. ad Cor. 2. *An experimentū quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?* poſt. ad Cor. 13. *Euangelium noſtrum non fuit in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa,* 1. ad Theſſ. 1.

XII. At primo, aliud ſunt miracula, aliud autoritas Eccleſiæ. Et nos in iis argumentis, quibus Scripturæ fides conciliari poteſt, miracula ſuo loco agnoſcimus. Quod ſi verum eſt, Paulo autoritatem comparatam fuiſſe, ergo illud ſequitur propter miracula Paulo creditū fuiſſe: itaq; etſi verū eſſet propter Paulum creditū fuiſſe Euangelio, nō tamen verū eſſet Pauli autoritatẽ ſummā cauſam fuiſſe credendi Euangelio: nā ea ſuperior eſſet in miraculis.

XIII. Deinde miracula proprie perſonis autoritatem non conciliant, ſed doctrinæ: vt patet ex illis verbis Marci 16. *Domino cooperante, & ſermonem cōfirmante ſequentibus ſignis.* Lyranus ad eum locum, *Sicut veritas quæ ſubiacet facultati naturali intellectus, declaratur & firmatur ad prima principia per ſe nota: ſic veritas, quæ tranſcendit naturale lumen intellectus, declaratur, & firmatur per opera miraculoſa ſoli Deo poſſibilia.* Quod ſi non perſonas miracula cōmendant, ſed doctrinam: ergo non creditur propter perſonas doctrinæ, non igitur propter Eccleſiam.

XIV. Tertio, falſum eſt omnibus gentibus Apoſtolos innotuiſſe per miracula, antequam ab iis exciperetur doctrina fidei. Nam Act. 13. Paulus cum Antiochiam Piſidiæ veniſſet ingreſſus Synagogam die Sabbathi concionatus eſt, & ſoluto conuentu ſequuti ſunt eum multi ex Iudæis & religioſis proſelytis. Quis auſit aſſerere hîc aliquo miraculo auditoribus fidem factam?

Quin-

Quinetiam alias cum præcesserunt miracula, tum populus non iis, sed doctrina postea proposita conuersi sunt: Vt Act. 2. videntes Iudæi Apostolos variis linguis loquentes, adeo tamen non sunt eo miraculo persuasi, vt non nulli calumniarentur tanquam ebrios: alii stupidi quo se verterent, nesciebant, & quid illud esset interrogabant. Itaque Petrus concionatur de Christo ex Scripturis: tum *His auditis* (inquit Lucas) *compuncti sunt corde*. Ergo si neque semper adhibita sunt miracula: neque cum adhibita sunt, propter ea semper creditum est Apostolis: patet non esse hanc veram causam cur Apostolis sit creditum, aut etiam Euangelio.

CAP. XIV.

An Ecclesiæ autoritas sit illustrior Scripturæ autoritate.

I. SI Scripturæ autoritas quoad nos pendet ex autoritate Ecclesiæ: tum hanc Ecclesiæ autoritatem necesse est quoad nos esse illustriorem & certiorem, atque adeo priorem autoritate Scripturæ. At falsum est consequens: ergo & antecedens. Consequentia per se patet.

II. Assumptio probatur duplici argumento. Primo, Omnem suam autoritatem necessario probat Ecclesia, vel à se ipsa, vel aliunde. At non à se ipsa: tum enim idem per idem probaretur: quod in Scripturis Papistæ refellunt tanquam absurdum: quanquam non eadem sit ratio. Nam Ecclesia non est principium scientificum, vt Scriptura. Nec æque notum est, quicquid Ecclesia dicit id verum esse, vt quicquid verbum Dei docet: id esse necessario credendum. Sed refellunt nihilominus, vt videbimus libro proximo.

III. Si aliunde, vndenam, quæso? Non ab Ethnicis & infidelibus: nam ii Ecclesiam oderunt cane peius & angue, atque exsecrantur. Ergo à suis. Sed quibus? Omnibus-ne, an quibusdam? Quibusdam, absurdum: sunt enim ipsi longe infra Ecclesiam: itaque non est eorum apud nos certior autoritas, quam Ecclesiæ. Si vero omnibus: iam reuoluimur ad Ecclesiam. Non est enim vlla Ecclesia, nisi in suis membris omnibus: & disertius, nihil aliud est Ecclesia, quam omnes fideles.

IV. Rursus, quibus (inquam?) Præsentibus-ne an præteritis? Si illis: vnde eos constat esse in Ecclesia? Tum vnde apud nos tantam habent autoritatem, vt iis dicentibus Ecclesiam esse audiendam, statim credamus? Si præteritis: ergo, quia non possunt apud nos vti viua voce, necesse erit, vt ex scriptis eorum hoc quodcunque erit testimonium, repetatur. At primum, nobis certius non constat eorum esse quæ proferuntur scripta, quam hanc esse Scripturam sanctam quæ exhibetur. Secundo, nonne indignum est, maiorem quoad fideles aut certe priorem esse librorum Origenis, Tertulliani, Cypriani, Augustini, autoritatem, quam Scripturæ? Tertio, si nulla est autoritas Ecclesiæ præsentis, nisi à præterita, quid fiet infinitis Christianorum myriadibus, quibus Veterum libri non magis cogniti sunt, quam imperitis opera Platonis, Demosthenis, Aristotelis? Quarto, quid ipsis fiet Veteribus, qui subinde testantur suos libros longe esse infra Scripturam: Et ob eam rem sua sensa diligenter confirmantibus ex Scriptura? Denique quid fiet primæ Ecclesiæ, aut quam illa autoritatem habere potuerit, quæ omnino Ecclesiam præcedentem non habuit, vt ab ea testimonium peteret?

V. Hoc Stapletonus argumentum miro artificio conatur eludere: & antequam directe soluat, absurdo obruere in defensione Ecclesiasticæ autoritatis lib. 3. ad argumentum primum Witakeri. Docet igitur eodem argumento Ecclesiæ vocem, iudicium, ministerium, autoritatem penitus, & in omnibus similiter explodi, imo vero ipsum Ecclesiæ nomen exturbari. Quomodo autem? Nam id, Deus bone, quantum crimen est? Et quidem in homine Christiano. Probat exemplo Libertini in moribus, Anabaptistæ in Doctrina. Libertinum enim si volumus Ecclesiæ denunciare, vt illius iudicio ac disciplina corripiatur, tum ille his omnibus nostris vsus argutiis ad eleuandam Ecclesiæ autoritatem appellabit ad Scripturam, eiusque iudicium tanquam certius. Sic atheismum nos Stapletonus docere & Ethnicismum concludit. Anabaptista vero, eadem ob causas nolet propter Ecclesiam admittere Baptismum puerorum.

VI. At hæc inania sunt, auibus abigendis, non viris terrendis comparata crepitacula. Respondemus, primo, non posse, non supra modum impiam & diabolicam videri eam vocem, quæ prouocationem ad Scripturas, ab Ecclesia, non aliud esse censeat quam atheismum & Ethnicismum. Dignam profecto Papista vocem: sed indignam Christiano. Non ita olim Bernardus 65. serm. in Cantica, *Euangelium appellasti, ad Euangelium ibis*.

VII. Secundo, hæc incommoda Papistas fortasse vrgeant: qui ab autoritate Ecclesiæ si abduci possunt, tum vero quasi de nubibus lapsi, non habent quid agant, aut vbi pedem figant. Nos vero nullo modo, qui autoritatem Ecclesiæ contra Libertinos, & Pædobaptismum contra Anabaptistas prolixe confirmamus è Scriptura. Quod Papistis vix licet. Itaque non nos irridet Stapletonus: sed suæ Doctrinæ imbecillitatem magnifice prodit, his publicatis incommodis.

VIII. Tertio, hæ siue Libertinorũ, siue Anabaptistarũ captiunculæ, merę sunt nugę: neq; ex eis vllo modo confici potest, esse penitus, & in omnibus explodendã autoritatem Ecclesiæ. Quid enim? Probabit vterque sibi solam Scripturam iudicem agnoscendam. At hoc si sic intelligat, vt nullę sint Ecclesiæ partes in iudicando, ille nunquam probabit, neque vlla ratione, neque vlla Scripturarum autoritate. Probabit quidem certus sibi constare de autoritate Scripturę, quam Ecclesiæ, siue præsentis, siue præteritę: sed hinc non sequitur nullas esse partes Ecclesiæ in iudicando. Itaque potuit hias quidem quisquilias Stapletonus appellare disputationem absurdam: sed non potuit nostrum argumentum violare.

IX. Omissis his Stapletoni absurdis, videamus quomodo soluat argumentum. Quæritur vbi sit illud iudicium quo mihi Ecclesiæ probetur autoritas. Ille respondet in hęc verba, *Ecclesiæ iudicium, & autoritas, est tum in veteri Ecclesia eiusque testimoniis, tum in præsenti Ecclesia, eiusque viua voce*. Esto vero (inquam) sed nondum quiescit animus. Ea ergo testimonia tum veteris Ecclesiæ, tum præsentis, vnde aut quomodo fiunt nobis certa? Respondet per præsentem Ecclesiam eiusque viuam vocem. Euge: non potuit enim magis Papistice.

X. Sed, primum igitur veteris Ecclesiæ testimonia nobis certa fient ex præsentis Ecclesiæ testimonio. Atqui contra potius, præsentis Ecclesiæ testimonia solebant confirmari ex veterum doctorum scriptis: vt videre licet in plurimis tum antiquis, tum recentibus disputationibus. Sic Lirinensis volebat singulos suam fidem confirmare, non tantum ex vnitate & consensione, sed etiam ex antiquitate. Sic Eusebius Cæsarienſis subscripsit Concilio Niceno τὸ ὁμοούσιον definienti, cum alias ob causas; tum quia nonnullos veteres Episcopos & Scriptores, in Patris & Filii diuinitate explicanda hoc verbo consubstantiali vsos fuisse cognouisset: apud Socratem lib. 1. c. 5. At si Stapletoni sententia vera esset: tum nobis potius veterum Patrum testimonia confirmanda essent à præsenti ecclesia: nec credendum ab Athanasio, aut à Concilio Niceno, quicquam esse aduersus Arium legitime aut gestum, aut constitutum; nisi, quia id hodierna probat ecclesia. An placet? Imo spectatum admissi risum teneatis amici.

XI. Secundo, fient nobis præsentis ecclesię testimonia certa, ex præsentis ecclesiæ testimonio. Itane? Et habent Papistæ frontem cum ita loquuntur? Atqui tandem Stapletonus exsibilabit tanquam absurdissimum, quod dicimus scripturam a seipsa probari. Quare nunc oderit minus se ipsum, qui ecclesiam vult ab ecclesia? Maxime cum tam disparia sint scriptura & ecclesia: multoque certius, imo multo facilius constet scripturam esse verbum Dei, quam ecclesiam, esse ecclesiam. Itaque abibit quæstio, in circulum atque in infinitum.

XII. Venio ad secundum argumentum, quo confirmamus assumptionem syllogismi propositi. Si scripturæ confirmatur autoritas quoad nos ab ecclesia, id fit aliquo iudicio vel particulari vel vniuersali. At non particulari: est enim absurdum, vniuersam per totum orbem ecclesiam singulorum hominum iudicio subiacere. Si vniuersali, id est, doctoribus in Concilio congregatis: quæro qua illi autoritate congregentur. Vel enim ex particulari reuelatione atque spiritus instinctu: vel ex autoritate scripta. At particulares illos ἐνθουσιασμοὺς, nunquam probauit ecclesia, & damnauit in Montanistis, atque aliis hæreticis. Quod si ex Scriptura: ergo ei suam oportet autoritatem constare, antequam congregentur doctores; id est, antequam ab iis confirmari queat.

XIII. Hic Stapletonus, primum vt in præcedenti, absurda iactat exempla iudaizantium, qui iisdem rationibus poterant oppugnare Concilium Apostolorum: Arianorum qui Nicenum, Eutychianorum, qui Chalcedonense. Deinde respondet Ecclesiam congregari illa autoritate & potestate, quam illi Christus dedit, dicens, *Euntes, docete omnes gentes*: Et, *Sicut misit me pater; & ego misi vos in mundum*. Et quia Apostoli, Pastores, & Doctores dati sunt à Christo ad consumationem Sanctorum.

XIV. At hæc cuiusmodi sunt? Nam primum, exempla contra eos forte possint aliquid, qui omnino negant vllam esse ecclesiæ congregatæ autoritatem: quod absit à nobis, qui tantum quærimus, vnde suam habeat, quam habere omnino certi sumus. Neque hæc vis est argumenti nostri, quasi diceremus, Pastores nullam habent conueniendi autoritatem: Ergo non potuerunt confirmare Canonem. Sed hæc potius: Conueniendi autoritatem Pastores habent ex Scriptura: Ergo Scripturæ autoritas ante eorum conuentum certa erat: quare ii falluntur, qui eam dicunt esse ab eorum congregatorum definitione siue decreto: Hanc consequentiam ne tenui quidem aliquo verbo potuit violare Stapletonus.

XV. Secundo, accipimus confessionem. Nam si ex iis locis constat autoritas ecclesiæ congregatæ: tum certe eos locos oporteret ante vllam congregationem ecclesiæ, suam autoritatem obtinuisse. Sunt vero ii loci partes huius Scripturæ Canonicæ, cuius nos autoritatem nolumus subiici autoritati ecclesiæ. Quid igitur volebamus, nisi vt vi veritatis eo aduersarius adigeretur, vt Conciliorum autoritatem non aliunde arcesseret quam à verbis Christi, & Apostolorum: nec eorum tabulas vilas proferret, præter Canonem Scripturæ? Vicimus: & quidem magnifice, ipso aduersario herbam porrigente.

CAP. XV.

An Ecclesiæ autoritas pendeat à Scriptura.

I. SI autoritas ecclesiæ quoad nos pendet à scriptura: ergo non potest contra autoritas scripturæ quoad nos pendere ab ecclesia. At verum antecedens: Ergo & consequens. Consequentia per se patet.

II. Antecedens probatur, primo, ex ecclesiæ natura. Quia enim ecclesia non est à se, sed ex mera Dei gratia, quosdam homines seligentis, atque vocantis ad se efficientisque ex iis corpus vnum in Christo, tum necesse est nos certos fieri id ita à Deo institutum esse. At ea certitudo neque est κατὰ ἐνέργειαν neque acquiritur humana industria: sed tantum reuelatione diuina. Est autem hæc reuelatio in scriptura, quæ docet nos voluntatem Dei in saluandis hominibus. Ergo si verum est cognitionem ecclesiæ pendere à reuelatione diuina: tum necesse est etiam eiusdem autoritatem quoad nos inde pendere: nã certe incognitæ ecclesiæ, nulla esse potest quoad nos autoritas.

III. Secundo, autoritas ecclesiæ est vnum ex credendis: numeratur enim inter articulos fidei, ipsis assentientibus Papistis, imo & omnibus Christianis. At omnium articulorum fidei certa autoritas quoad nos pendet ex Scripturis; *Nam sicut in Philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota, ita & in Scripturis à Sanctis doctoribus traditis veritas cognoscitur quantum ad ea quæ sunt fide tenenda per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ sunt habitæ diuina reuelatione, cui nullo modo potest falsum subesse*. Quæ verba erant Lyrani, ptologo in Biblia. Ergo necesse est Ecclesiæ autoritatem quoad nos pendere è Scripturis.

IV. Tertio, ex vsu veterum Patrum, qui aduersus hæreticos Ecclesiæ iudicio nolentes subiici, aut non aliis aut his potissimum armis pugnabant: nempe testimoniis è scriptura petitis. Sic in altercatione Ecclesiæ & Synagogæ tom. 7. operum Augustini, cum se Ecclesia dixisset esse regnum & sponsam: quæsisset que Synagoga, quomodo id probaret ecclesia, Prophetas statim nominauit. Augustinus de Vnitate Ecclesiæ c. 16. ita Donatistis insultat; *Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus, & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus: sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis sanctorum librorum autoritatibus.* Disertus pro nobis locus. Non solum enim Ecclesiam volebat Augu-

bat Augustinus ex Scripturis demonstrari, sed etiam ab eo negotio quoslibet disputatores excludebat: id est, doctores, ac proinde Stapletonianam Ecclesiam.

V. Quarto, quia Ecclesia fundata est super doctrina Apostolorū. Victor Antiochenus in Marci c. 3. *Christus Dominus supra Petram, hoc est, supra infractam sanamque Petri doctrinam, inconcussamque eius fidem, Ecclesiam suam ædificaturus erat.* Ambrosius c. 5. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, *Fides est Ecclesiæ fundamentum.* Hilarius 6. de Trinitate, *Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum: per hanc fidem infirma aduersus eam sunt portæ inferorum.* At, vel fides siue doctrina Apostolorum, nulla est præter Scripturam, vt Catholici docent, & nos prolixe suo loco disputabimus; vel saltem, vt Papistæ concedunt, Scriptura est doctrina, siue fides Apostolorum: ergo necesse est fateri Ecclesiam esse fundatam super Scripturam, propterea que inde habere suam autoritatem, & quidem non tantum quoad nos, vt in Scriptura Papistæ contendūt, sedetiā quoad se quod de Scriptura ne Papistæ quidē audent asserere.

VI. Stapletonus negat primo consequentiam, deinde etiam antecedens. Negat (inquam) sequi, si Ecclesiæ autoritas quoad nos ex Scripturæ autoritate pendeat, tum contra non pendere autoritatem Scripturæ ab Ecclesia: sed vtrumque simul verum esse posse; nimirum & Ecclesiam mutuari suam autoritatem à Scriptura, & Scripturam itidem suam, ab eadem ipsa Ecclesia. Mirum acumen! Imo non mirum acumen: sed audaciam portentosam: quę concipere potuerit causam sui effecti, posse esse & causam & effectum, nec minus Isaaci filium esse Abrahamum, quam Abrahami Isaacum.

VII. At, quid nobis significat in tota hac quæstione, pendere ab Ecclesia autoritatem Scripturæ? Nempe hoc, non esse authenticam Scripturam, vt Ekius: vel perexiguum pondus apud nos habere, vt Hosius: vel nihil autoritatis, ponderis, aut virium in nos, fidemque nostram, vt Charronæus: vel vt Andradius loquebatur, nihil in ea esse quod nos ad credendum constringat, nisi id ei præstet autoritas Ecclesiæ. Itaque consequentię nostrę sensus hic erit, vt supponatur Scriptura nullam autoritatem obtinens quoad nos, antequam Ecclesia nobis eam commendarit: Nec vicissim Ecclesia, antequam sit à Scriptura confirmata. Non potest autem quicquam ita nobis commendari vt autoritatem ex eo ipso obtineat, nisi id à quo commendatur, iam obtineat suam apud nos autoritatem, propter quam illud nobis rite commendatum esse queat. Ergo necessario concludendum est, dum supponimus Ecclesiam nihil autoritatis habere, ab ea non rite commendari Scripturam. Nam ab ignotis nulla fit legitima probatio. Et omnino causam oportet esse priorem suo effecto. Quare si autoritas Scripturæ quoad nos pendeat ab autoritate Ecclesiæ, vt illa sit effectum huius, tum necesse est hanc illa priorem esse, hoc est Ecclesiæ suam apud nos autoritatem sartam tectam, esse prius quam Scripturæ. Et contra, si pendeat autoritas Ecclesiæ à Scriptura. Si igitur non valet consequentia argumenti nostri, necesse erit idem eodem prius esse, & posterius, quæ nugacissima est absurditas.

VIII. Et tamen pugnat exemplorum copia, scilicet, vt ne sine ratione videatur insanire. Ioannes Baptista Christo testimonium perhibuit, & Christus Ioanni. Ioannes Euangelista suo Euangelio, & rursus idem Euangelium Ioanni. Pater clarificat filium, & filius clarificauit Patrem. Euangelia testantur de Apostolis: & Apostoli de Euangeliis. Epistolæ Pauli, autoris sui autoritatem magnifice commendant, quæ tamen ab autore suo autoritatem accipiebant. Symbolum fidei non habemus ab vlla autoritate externa nisi ab Ecclesia: in quo tamen ipsa Ecclesia credenda proponitur. Denique per actus virtutum, habitus morales acquiruntur, & per eosdem habitus virtutum actus facilius producuntur.

IX. At hęc inepta est diligentia, & inutilis λεπτολογία. Non enim recte pro eodem sumitur testimonium habere ab aliquo, & autoritatnm omnem suam ab eodem mutuari. Sane vero nihil obstat, quominus mutuo testimonio commendarit Ioannes Christum, & Christus Ioannem: sed vt à Ioanne suam autoritatem mutuatus sit Christus, id vero falsissimum. *Ego enim*, inquiebat Christus, *ab homine testimonium non capto*, &, *habeo testimonium maius Ioanne.* Tum autem Ioannes Christo testimonium reddebat apud suos, quibus iam eius cōstabat anthoritas. At Christus vicissim Ioanni apud suos.

X. De scriptis Apostolorum non bene conuenit Stapletono cum Alberto Pighio, qui lib. 1. Hierarchiæ c. 2. ea negat, vllam à se ipsis, aut suis autoribus apud nos autoritatem habere. Et sane Euangelio nemo credit propter Matthæum, aut Ioannem, sed propter Deum. Adhęcà suis illi scriptis autoritatem suam habere non potuerunt, qui eadem vtebantur longe antequam quicquā scriberent. Filii, quatenus quidem homo est, autoritatem à Patre pendere nō negamus, sed autoritatē Patris pendere à Filio quis vnquā dixit? Quanquā verū sit, Patrem nobis à Filio manifestatū esse. Symbolū fidei non aliter nobis constare quam ex autoritate Ecclesiæ, falsum est: quia constat è Scripturis, vnde ἀνταλλάξει per partes desumptum est. Denique actus virtutum, qui habitum generant, non sunt iidem qui postea facilius ab habitu producūtur. Itaque nullo prorsus exemplo infirmatur argumenti pcopositi consequentia.

XI. Iam ad assumptionem, quam ille leui tractat brachio. Negat omnem suam autoritatem à Scripturis Ecclesiā sumere, quoad seipsam: sumere potius à Deo & Christo. Atqui (inquam) tota quæstio est de autoritate quoad nos, neque aliter concipiebatur argumentum. Rursus igitur nos eam asserit autoritatem discere absque Scripturis ex Symbolo. Atqui hoc ineptum est Symbolum enim desumptum est è Scripturis: teste Euchario Lugdunensi homil. 1. de Symbolo. *Ecclesiarum Patres de populorū salute solliciti, ex diuersis voluminibus Scripturarum, collegerunt testimonia diuinis grauida Sacramentis: disponentes itaque ad animarum pastum saluōre conuiuium, collegerunt verba breuia & cōrta, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis, & hoc Symbolum nominauerunt.* Si ergo desumptum est è Scriptura Symbolum, tum profecto quicquid inde autoritatem habet, eam ipsam habeat necesse est è Scripturis, quādo etiam Symbolum suam totam illis debet, à quibus desumptum est.

XII. Nam quod ille negat in Scripturis Symbolum ea forma & ordine verborum contineri: aut omnia quę in ea sunt iuxta nostram sententiam; vt articulum de descensu ad inferos, quem propterea quidam è nostris eradere voluerint, alii in alienissimum sensum detorquere, alii penitus negare, prius est Sophisticum, alterum falsum. Sophisticum quidem illud, quia non sequitur propterea non esse in Scriptura: re vera enim, vt dixi, in iis est per particulas, & quidem ἀνταλλάξει, etsi totus ille particularum sic congestarum contextus, non ita legatur.

XIII. Falsum autem alterum: quia cum intelligatur à quibusdam de sepulcro, ab aliis de damnatione, vtraque sententia est pia; & è Scripturis desumpta. Nam sepultum qui non legit, ille nunquam legit Euangelia. Scimus autem ex Paulo Christum esse factum pro nobis κατάραν ad Galat. 3. Tantū posterior sententia videtur commodior & plenior. Nam si infernum intelligas sepulcrum, idem otiose repetetur, & quidem obscurius. Illos autem qui sepulcrum, idem otiose repetetur, & quidem obscurius. Illos autem qui vel eradunt, vel detorquent, vel negant, absit vt pro nostris agnoscamus. Quanquam ridicula est consequentia: quidam eradunt, torquent, negant, ergo non est in Scriptura.

CAP. XVI.

An promissionum veritas pendeat ab humano iudicio.

I. SI ab Ecclesiæ determinatione pendet Scripturæ Canon, ergo promissionum omnium quæ exstant de salute & vita æterna in Scripturis, autoritas, veritas, & fides ex humano iudicio pendet. At hoc absurdissimum est: Ergo & illud falsissimum.

II. Probatur consequentia, quia sic necessario instituenda esset probatio: vt si quærat à me aliquis, quomodo speras te saluum futurum? respondeam, quia quę continentur in Scripturis promissiones veræ sunt, ac certæ. Si pergat quare verę sunt & certę? Tum ex Stapletoniana doctrina hoc vnum superest perfugium, quia sic Ecclesia decreuit. At Ecclesia constat ex hominibus: siue Catholicam intelligas, siue Stapletonianam ex solis doctoribus. Atque ita huc summa redit, vt ego me saluum sperem futurum, quia sic homines sperandum sanxerunt.

III. Absurditas duplici patet argumento. Primo enim promissiones illas necesse est esse diuinas: quia salutem dare non potest nisi Deus. At valde est absurdum, vt diuina promissio tantum nitatur fide humana: imo iniquum, vt cp Deus pollicitus est, non ipse ratum faciat, sed homines. Secundo nihil est certissimum cp sola nitatur humana autoritate. Ergo hæ promissiones nō essent nobis certissimę: cp quis ferat? Qua enim fronte infideles vrgeamus, vt ad fidem veniant Christianā, si nihil pollicemur, nisi illos fortasse saluandos?

IV. Stapletonus respondet, autoritatem Ecclesię in hac re non esse mere humanā, aut vllo modo dubiam: sed diuinam & infallibilem. Et probat, quia dixit Spirtus S. datos esse Apostolos, Pastores, & Doctores, ne circūferamur omni vento doctrinę. Vnde concludit per Ecclesiam consentiis Christum omni vento doctrinę. Vnde concludit per Ecclesiam consentiis Christum voluisse consultum, ne instabili dubitatione perpetuo circumferamur. Neq; enim fideles, cum Ecclesię iudicio innituntur, in ipsa Ecclesię voce seorsim accepta, & quasi humana acquiescere, sed in Deo per Ecclesiam loquente: ideoque à Deo qui per ecclesiam loquitur, securitatem atq; fiduciam, tum ipsarū Scripturarum, tum diuinarum promissionum, peti.

V. Negat ergo Ecclesię testimonium esse humanum: sed admodum considerate, addita duplici cautione: prima, vt ne simpliciter negaret esse humanum: sed tantummere humanum: altera vt in hac re, quasi alias quasdam excludens. At hæc iam eo spectant, vt minuatur Ecclesiastici testimonii autoritas. Nam, si non est mere humanum, non erit etiam mere diuinum. Si enim esset mere diuinum, tum prorsus non esset humanum. At mere diuino testimonio sine dubio minus est non mere diuinum. Est autem Scripturæ testimoniū mere diuinum: ergo certius Ecclesiastico. Sequitur ergo idem absurdum, quo nititur argumentum.

VI. Deinde, si in hac re tantū autoritatem diuinam Ecclesia obtinet, in aliis vero humanā, tum rursus minor est hęc autoritas, autoritate Scripturę. Nam Scriptura in omnibus rebus quæcunq; tandem illę sint, de quibus testatur, siue iudicat, autoritatem habet mere diuinam: de qua ne dubitare quidē liceat, verumne semper dixerit, an aliquando falsum: quia non magis mentiri potest quam Deus ipse. Tum si in quibusdam rebus non est infallibile testimonium Ecclesię; inde merito suspectum fiet in reliquis omnibus. Sicn. Augustinus de Scriptura asserebat, si admittatur vel tenuissimum mendaciū, totam eius autoritatem nutare. *Si* (inquit Epist. 9.) *ad Scripturas sanctas admissa sint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosa falsitatis obteratur improbitas?* Quid ni simile iudicium sit de Ecclesia: vt quoniam errare potest in quæstionibus facti; nam hoc aduersarii concedunt, possit etiam in quęstionibus iuris dormitare? Itaque semper ad absurdum reuoluimur.

VII. Sed diuinū nihilominus & infallibile iudicium Ecclesiæ hac saltem in re tuetur Stapletonus. Contra ego neq; in hac re, neque in aliis infallibile esse cōtendo, neq; diuinū: sed humanū; sanctū tamen, hoc est longissime distans à mere humano: etiamsi nō parū infra id cp proprie diuinū apppellari meretur. Nam diuinum id in Ecclesia hactenus appellatum est, cp vel à Deo ipso esset, puta Mosen alloquente: vel ab iis quos Deus ἀμέσως docuit, vt Mose ad populum referente ea quæ à Deo acceperat. Neq; vllum aliud & tertiū genus pro diuino habitum est. At testimonium Ecclesiæ, neq; est ab ipso Deo per se loquente, non enim Ecclesia Deus est: neque ab Ecclesia ἀμέσως docta. Nam quicunque sunt Pastores ii per media ordinaria docentur ea quæ sunt fidei. Ergo testimonium Ecclesiæ non est proprie diuinum.

VIII. Fateor vero Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores à Christo esse datos, ne circumferamur omni vento doctrinæ. Quis n. neget diserta Pauli verba? Sed inde confici nego Ecclesię iudicium esse aut infallibile, aut diuinū. Neq; n. quicquid in eum finem institutum est, eo gaudet priuilegio, vt sit diuinū: alioqui non tantum vniuersum Ecclesiæ corpus, sed et singuli Pastores, & Doctores id sibi vendicare possent. Nam Pauli ea mens est, non vt dicat omnes quatenus vnum corpus constituunt, Pastores ad id esse datos: sed etiā singulos. Vnde Chrysostomus ad ea verba, *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, commentatus est in hunc modum, ὁρᾷς τὸ ἀξίωμα; ἕκαστος οἰκοδομεῖ, ἕκαστος προστατεύει, ἕκαστος διδάσκει. *Viden' tu dignitatem? Singuli ædificant: singuli cōsummant: singuli ministrant.* Vt ostenderet singulis suas esse in hac re partes, & seorsim, nō tantum confertim omnibus. At ne Stapletonus quidem eo progressus est audaciæ, vt singulorum Pastorum iudicium asserat esse diuinum & infallibile.

IX. Secundo, fallacia est diuisionis. Paulus enim nominauit Apostolos, Euangelistas, Prophetas, Pastores & Doctores: at noster Stapletonus concludit de Ecclesia, in qua iam pridem nulli sunt Apostoli, aut Prophetæ, aut Euangelistæ: sed tantum Pastores & Doctores, quorum longe inferior autoritas. Nos fatemur fuisse aliquando in ecclesia, vel potius intra ecclesiam, autoritatem diuinā & infallibilē: nempe quandiu habuit Apostolos, Propheras,

Euan-

Euangelistas θεοδίδακτους: à Deo doctos: imo etiam hodie, quia habet Mosen & Prophetas, id est Scripturas Sanctas. Sed neg. mus propterea eam autoritatem vnquam fuisse Ecclesiæ. Non secus ac omnes concedunt in animalibus esse homines ratione præditos; & tamen non sequi esse rationem animalis propriam. Non enim quia omnis homo est rationalis, ideo & omne animal. Similiter non quia Apostoli fuerunt θεόπνευστοι, ideo & tota Ecclesia: id enim habuerunt Apostoli, qua Apostoli, non simpliciter qua siue fideles, siue doctores.

X. Loqui autem Deum per Ecclesiam, solus neget Ethnicus: Et qui per Ecclesiam credat, à Deo securitatem & fiduciam petere, non est quod quisquam dissitetur. Quid-ni enim de omnibus Pastoribus, id est Ecclesia, id concedamus, quod singulis conuenit? Sed non est verum, omnium esse aut infallibile aut diuinum iudicium, per quos Deus loquitur, id est, quorum ministerio Deus vtitur ad erudiendos in fide homines. Nam Ambrosium Gaudentius, homilia in die ordinationis suæ; agnoscit plenum Spiritu Sancto, quem tamen ἁμαρτητον quis dixerit? Iesuitæ in suo Generali, audent profiteri se agnoscere Christum præsentem. Videam sane, an eorum adeo vere sit cæca obedientia, quam ei ex voto debent, vt impeccabilem agnoscant. Interea concludo, non eleuari absurdum, in quo vis est argumenti.

CAP. XVII.

An Scriptura precariam autoritatem habeat.

I. SI ab Ecclesiæ determinatione pendet quo ad nos authoritas Scripturæ, ergo ea non nisi precariam habebit in nos authoritatem At hoc absurdum est: quia sic impiorum sannis obiiceretur fides nostra, atque apud omnes vocaretur in suspicionem. Ergo & illud est falsum.

II. Stapletonus in Principiis respondet: Non hominum beneficio, sed ex Dei testimonio per homines loquentis, Scripturam habere suam autoritatem, & fidem nostram similiter: nec precariam aliquam quasi ab Ecclesia dependentem in seipsa accipere ab Ecclesia, sed apud nos autoritatem habere tali conditione, loquentis scilicet per Ecclesiam Dei, nobis commendatam & illustrem factam. Vocem enim Ecclesiæ, esse conditionem loquentis Dei nobis necessariam, & propter nos ordinatam: non esse autem conditionem aliquam ipsi Scripturæ aut fidei in se necessariam.

III. Sic ille in Principiis, satis perplexe. In Relectione autem, tripliciter Scripturam confirmari posse dixit. Vel sic vt ipsa in se approbetur, & fiat sacra, atque diuina. Vel vt etsi constet de autore, tamen quatenus pro vera & fide digna habetur, debeat Ecclesia iudicare. Vel denique vt vi approbationis talis & iudicii ab omnibus acceptetur pro sacra & diuina, ideoque infallibiliter vera. Argumentum autem nostrum procedere, de approbationis primo & secundo modo. Sed non esse inconueniens tertio modo approbari Scripturam.

IV. Hæc vero misere Sophistica sunt. Quid tum enim si quoad se non habeat precariam autoritatem? Nam huc opinor redit illud, quicquid est in priori solutione, non satis extricatum. At habebit saltem precariam quoad nos: vt Ecclesiæ gratiam habere debeant Prophetæ & Apostoli, quod eius beneficio aliquis omnino locus datus sit eorum scriptis, alioqui relegandis in ordinem fabularum Æsopicarum. At hoc absurdum, nobis est pro argumento. Nam illa intrinseca autoritas, quoad nos nulla est, non magis quam quoad Ethnicos & Turcas, nisi ita decreuerit Ecclesia, vt Papistæ censent. Quare non habemus vnde illis ora obstruamus, irridentibus fidem nostram quæ pendeat tantum ab hominibus, eorumque autoritati acquiescat. Nam hoc illi sine dubio vastis cachinnis excepturi sunt. Da igitur nobis Prophytium aliquem aut Celsum: concedet ille quidem Scripturæ, si diuina sit, omnem tribuendam autoritatem: nam sic olim oracula, ob eandem causam acceptabantur. Sed vnde, inquiet, probas esse diuinam? Huic tu si respondeas, quia sic decreuit Ecclesia, quis non videt, quantas nugas agas? Nam ille vterque non tantum Scirpturas irridebat, sed etiam Ecclesiam oppugnabat. Pessime quidem vtrumque & animo impio, sed obuiam tamen eundum: quod alia ratione non potest, nisi à seipsa demonstres Scripturam, suam in nos autoritatem habere, vt nos contendimus, & Patribus suis solemne.

V. In altera autem responsione distinctio est ineptissima, cuiusmodi sunt pleræque omnes, quas Sophistæ conquirunt per fas & nefas, vt eludant præsentis vim veritatis, iniiciantque puluerem oculis eorum, quibus solidas rationes opponere nequeunt. Primo, membrum primum est fictum & phantasticum. Quis enim ita loquutus est vnquam, vt approbatione aliqua fieri crediderit aliquem librum esse à suo autore? Nam si Stapletonus suam hic mentem explicuit, *Vt enim* (inquit) *sic sacra & non humana illa Scriptura, à Deo autore habet, non aliunde. Sic historia Titi Liuii ab autore habet vt sit eius, non alterius.* Et putet se strenue functum officio Theologi, si se docuerit, in quæstione de Scriptura non loqui monstrose? Si se docuerit, id Scripturæ concedere, quod ne fabulis quidem Æsopi denegare queat, nempe vt quod sint à suo autore, id non pendeat à determinatione Ecclesiæ?

VI. Secundum membrum, vel æque ridiculum est, vel est idem cum tertio. Si enim sic intelligatur iudicari posse de Scriptura, quatenus pro vera fide digna habeatur, vt sensus sit, eo iudicio effici, vt quæ in Scriptura narrantur, vera sint, siue vt Scriptura expers sit omnis omnino mendacii, rursus is approbationis modus omnino fictitius est: nemoque fuit vnquam, qui sic approbari posse diceret aliquem librum, quicunque tandem ille sit. Nam etsi Titi Liuii historiam veram esse Romana Respublica iudicauit (quando hoc Stapletono placuit exemplum) tamen efficere non potuit hoc suo iudicio non esse mentitum Liuium: pendet enim id à rebus ipsis quas ille narrat: quæ si vere ita acciderunt, tum siue probet Romana Resp. siue minus, ille tamen verax erit. Nondum ergo Stapletonus quicquam præstat eximium, si ita neget Scripturas approbari. Sin vero sic sua intelligat, vt sensus sit, eo iudicio effici, vt quæ veritas iam est in Scriptura, eam omnes agnoscant quid habet hoc membrum quo differat à tertio? Ego quidem non video.

VII. Denique admittit igitur Stapletonus vi approbationis & iudicii Ecclesiastici ab omnibus fidelibus Scripturam acceptari pro sacra & diuina, ideoque infallibiliter vera. At hoc ipsum illud est quod obiiciebamus tanquam absurdum. Et sane, si hoc sensu autoritas Scripturæ pendet ab Ecclesia, nunquam vitari poterunt aduersariorum sannæ, quibus totam fidei nostræ certitudinem misere pessundabunt.

CAP. XVIII.

An nemo ad Ecclesiam vocetur per Scripturam.

I. SI autoritas Scripturæ quoad nos pendet ab Ecclesia, Ergo nemo ad Ecclesiam vocabitur per Scripturam. At falsum consequens. Ergo & antecedens. Consequentiæ ratio est manifesta. Nam quicunque per Scripturam vocantur ad Ecclesiam, eos necesse est persuaderi à Scriptura: quod si nulla est Scripturæ autoritas apud eos, tum ii profecto à Scriptura persuaderi non poterunt.

II. Iam vero multos ad Ecclesiam vocari autoritate Scripturarum probo ab experientia. Actorum secundo, Petrus apud Iudæos concionatur ex Scriptura, vnde probat; primo non esse Apostolos ebrios, sed plenos Spiritu, citato Ioele; & Esaia: secundo, Christum suscitatum à mortuis, ex Psal. 16. tertio Christum ascendisse in cœlos ex Psalm. 110. Atque, *his auditis*, inquit Lucas, *compuncti sunt corde*: & denique, *addita sunt Ecclesiæ die illo capita quasi ter mille*. Persu. si sunt igitur Iudæi: sed non authoritate Ecclesiæ, hoc est Apostolorum, quos ille ne nouerant quidem esse Ecclesiam. Ergo Scripturæ: quare Scriptura apud eos suam autoritatem habuit, cum nullam haberet Ecclesia.

III. Neque aliter capite tertio in altera concione. Vrget enim Petrus sæpius autoritatem Prophetarum: tum in genere, *Deus, quæ pranunciauerat per os Prophetarum suorum Christum passurum, ita impleuit*. Et rursus, *Quæ tempora prædixit Deus per os omnium sanctorum suorum à seculo Prophetarum*. Et tertio, *Sed & omnes Prophetæ à Samuele, & iis qui deinceps sequuti sunt, quotquot loquuti sunt, etiam pranunciauerunt dies istos*. Specialiter autem Moysē citato, *Moses enim ad Patres dixit, Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester*. Et quæ sequuntur.

IV. Cap. 8. illustre est Eunuchi exemplum, qui cum ne Iudæus quidem esset, tamen persuasus à Philippo diacono Scripturam explicante, postulauit sibi dari Baptismum, Nam, *Philippus aperto ore suo, & incipiens à Scriptura illa* (nempe Esaiæ, quæ erat ad manum) *euangelizauit ei Iesum*: postea vero se Eunuchus toto corde credere profitetur.

V. Cap. 10. cum Petrus Cornelio exposuisset doctrinam de Christo, orationem clausit testimonio Scripturæ, *Huic* (inquit) *omnes prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis, qui crediderit in eum*. Rursus c. 13. cum satis prolixè Paulus ex Scripturis concionatus esset, tum non tantum Iudæi quidam crediderunt, sed etiam Ethnici commoti sunt & rogarunt vt sequenti Sabbatho eadem proponeret: vnde accidit, vt *gentes gauisæ sint, & glorificauerint sermonem Domini, & crediderint quotquot erant ordinati ad vitam æternam*.

VI. Tertullianum Pamelius in eius vita, testatur factum esse Christianum, non tantum occasione sumpta à miraculis, sed etiam ex fide Scripturarum sacrarum, quarum autoritatem summa antiquitas vindicabat, maiestatem diuinam, prædictionum veritas comprobabat. Quæ verba ostendunt Tertullianum, non ab Ecclesia, ad Scripturis habeudam fidem fuisse impulsum: cum eius Ecclesiæ nullam autoritatem agnosceret, vt pote Ethnicus: sed contra à Scripturis, quarum dignitatem iam aliis argumentis nec paucis nec paruis, deprehenderat, ad Ecclesiam fuisse manu ductum.

VII. Quid? quod Donatistas Augustinus nullo argumento tam vrget, quam Scripturarum autoritate? Et quidem non inutili successu. Vidit enim plurimorum conuersionem. De vnitate Ecclesiæ c. 5. *Sunt certe libri Dominici, quorum autoritati, vtrique consentimus, vtrique credimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram*. Et post. *Nolo humanis documentis; sed diuinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari*. Cap. 16. *Ecclesiam suam si possunt, demonstrent, non in sermonibus, & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus: quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus: sed in præscripto legis, in prophetarum prædictis, in Psalmorum Canticis, in ipsum pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus: hoc est in omnibus Canonicis Sanctorum librorum autoritatibus*. Sexcenta possunt eiusmodi ab eodem colligi.

VIII. Sed & nostris temporibus ad Ecclesiam Catholicam à Papatu quot se hominum millia receperunt: quibus in Papatu hæc sola erat solennis cantilena, vt nihil audirent, nihil scire vellent nisi ab Ecclesia, cuius nomen Papatui insolentissime prætexitur? Fundamentum hoc vnicum, Ecclesiæ autoritas? Sed illi cesserunt autoritati Scripturæ. Certe Vergerius Italus Episcopus, qui multa Pontificis Romani negotia gesserat contra Lutherum, cum suscepisset scribendum librum Aduersus Apostatas Germaniæ (sic enim appellabat) eorumque argumenta diligenter conquireret, vt refutaret ipse vi eorum argumentorum victus nuntium remisit tyrannidi Papisticæ, abiecto Episcopatu, abiecta spe Cardinalatus.

CAP. XIX.

An Ecclesia sit inferior Scriptura.

I. NVlla superioris autoritas pendet ab inferiori. At Ecclesia est inferior Scriptura. Ergo nulla Scripturæ autoritas pendet ab Ecclesia. Maior per se patet. Minor probatur ex Augustino contra Faustum lib. 11. c. 5. *Distincta est à posterioribus libris, excellentia Canonicæ autoritatis Veteris & Noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus; per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in se de quadā sublimitèr constituta est, cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus*.

II. Stapletonus respondebat in hæc verba, *Ecclesia, vt corpus fidelium*

significat, subiicitur & seruit Scripturæ, simpliciter & absolute, nec de ea iudicium aliquod fert: & in tali sensu loquutus est Augustinus. Vt autem significat præpositos Ecclesiæ Spiritu Sancto ad docendum instructos, sic & Ecclesia de ipsa Scriptura nondum acceptata iudicat, vt acceptetur (non ipsi authoritatem tribuens, sed nos docens, quod ei autoritas sit tribuenda) & secundum eam iam semel acceptatam, omnia iudicat, quæ per eam iudicari possunt.

III. Ex his verbis Whitakerus eliciebat Stapletonum, ita distinguere, vt Ecclesiam diceret, quatenus quidem est corpus fidelium, Scripturæ subiici: minime vero, quatenus pastores, præsules & prælatos significat. Sed Stapletonus queritur sibi iniuriam fieri: quo iure tamen, non video. Nam quum de populo loqueretur, tum diserte concessit eum absolute subiici Scripturis. At cum de præpositis, tum de subiectione verbum nullum, in qua tamen tota vis consistit argumenti. Quod si de prælatis non negauit, quæ causa erat distinguendi? Sic enim solet fieri, vt quæ distinguuntur propositiones, partim quidem vt veræ concedantur, partim vt falsæ negentur. Vt si dicam, omnem taurum mugire: aliquis ita distinguet, vt dicat, Tauri nomine significari, vel animal, de quo vera sit enunciatio, vel montem, & astrum, de quo sit falsa.

IV. Sed se tamen Stapletonus asserit dixisse, corpus fidelium simpliciter, & absolute subiici Scripturæ, nec de ea iudicium aliquod ferre. Indeque posse intelligi, subiectionem popularem, à subiectione pastorum non in eo differre, quod populus suum intellectum scripturis submittere debeat, pastores non debeant: sed in eo quod populus aliquod iudicium de Scripturis ferre non possit, pastores possit. At non debuit, inquam Whitakerus diuinare: ipse potius Stapletonus suam sententiam perficere, & clare enunciare. Tum si eius reuera hæc mens fuisset, commodius negasset consequentiam, quam distinxisset antecedens. Sic enim Whitakerus argumentabatur: Ecclesia subiicitur Scripturæ: ergo de Scriptura iudicare non debet. Atque hoc enthymema pendet ab hoc axiomate, Nullus qui subiicitur Scripturæ iudicat de Scriptura: quod cum sit vniuersale, quid mirum si plura sub se comprehendat? Sed hoc quærendum: vtrum verum sit de omnibus. Debuit ergo Whitakerus credere à Stapletono antecedens negari de prælatis.

V. Nam quod rursus ait se addidisse, prælatos secundum Scripturam acceptatam omnia iudicare, vnde perspicue appareat, ipsos quoque pastores Scripturis subiici, quatenus suum intellectum iis submittere, illisque seruire debeant: hoc inquam rursus frustra est. Primo, quia etiam reges secundum leges à se constitutas omnia iudicant. qui tamen eo ipso quod sui iuris esse vident leges constituere, negant se iis legibus subiici.

VI. Secundo, hæc non est omnium Papistarum sententia. Nam Bartholomæi Carranzæ hæc sunt concepta verba in 2. Controu. προλεγομένων ad summam Conciliorum, *Nos autem dicimus quod prior regula, & notior, & multo latior est Ecclesia, quam Scriptura Canonica, & hæc per illam debet regulari, non contra.* Et rursus, *Ecclesia visa est aliquando facere contra Scripturas, & aliquando præter Scripturas: ergo ipsa est regula eorum quæ traduntur in Scripturis.* Addo Pighiũ negantẽ Scripta Apostolica ad id facta esse, vt præessent fidei religionique nostræ, sed vt subessent potius: c.2. lib.1 Hierarch. Eccles. Quid? si ipsum Stapletonum ipsi Stapletono opponam? Eius certe hæc verba sunt c.11. lib.9. de Principiis: *Non tam ipsius fidei regulam in se esse Scripturas, quam ipsarum Scripturarum regulam, quoad acceptationem nostram, esse fidem Ecclesiæ.* Nam, Deus bone, quid hæc sunt? Scripturam regulari per Ecclesiam: Ecclesiam esse regulam eorum quæ traduntur Scripturis: Scripturas non præesse: sed subesse fidei & religioni nostræ. Aut quis ex istis aliud intelligat, nisi Scripturæ autoritatem, etiam quoad se, pendere ab Ecclesia? Aut quis suspicetur istos credidisse, subiici Pastores Scripturæ acceptatæ?

VII. Tertio, cum velit Stapletonus plebem subiici absolute & simpliciter Scripturæ: Ecclesiam vero, id est, Pastores mimime, sed tantum Scripturæ iam acceptatæ: quæro vtrum Scripturæ non acceptatæ plebem suam subiiciat: vt exempli gratia, quia alibi contendit Constitutiones Apostolicas, & Pastorem Hermetis, eam tantum ob causam non esse in Canone, quia nondum id Ecclesia sanxerit: posse autem si velit sancire: an credat Pastores quidem liberum habere de iis iudicium, plebem vero non nisi subiici. Nam si affirmet, id est, plebem subiiciat Scripturæ nondum acceptatæ: contradicet quæstioni, quæ asserit omnem Scripturarum autoritatem quoad nos (vnde credo plebem non excludit) pendere à iudicio Ecclesiæ. Nam si non acceptatæ ab Ecclesia, id est, doctoribus, Scripturæ nullum est momentum, aut pondus quoad fidem nostram, qui potest ei plebs subiici absolute & simpliciter? Sin negat, tum fateatur non satis perite distinxisse, vt qui in altero membro ea seorsim expresserit, quæ tamen vtrique sunt communia: quia non tantum plebs subiicitur Scripturæ acceptatæ, sed etiam Pastores: nec Pastores tantum liberantur à Scriptura non acceptata, sed etiam plebs.

VIII. Cæterum Augustini generale est axioma, Omnis pius & fidelis intellectus seruit Scripturæ, hoc est, seruire debet. Quare ipsa Ecclesia, id est, prælatorum omnium cœtus, aut excludendus est è numero piorum intellectuum, aut intelligendus etiam ipse seruus Scripturæ? siue de facto, cum iam Scripturam acceptauit, siue de iure, quia debet eam acceptare: Et si non facit, tum contra officium facit. Quod si est ita, non tantum Scripturæ in se consideratæ, nullam Ecclesia autoritatem confert, sed ne quoad nos quidem.

IX. Adhæc, aut nihil prorsus, aut hoc significant Stapletoni verba, Ecclesiam de Scriptura quidem nondum acceptata iudicare, vt acceptetur: sed acceptatæ tantum subiici, non autem etiam de ea iudicare. Quod si est, tum nunquam de Scriptura iudicare potuit: nunquam enim non fuit Scriptura non acceptata à fidelibus, etiam nullo præeunte Ecclesiæ iudicio, vt alias diximus. Etsi enim aliquando legatur dubitatum fuisse: tamen non id omniũ fuit, sed paucorum: deinde de quibusdam tantum Scripturæ partibus. Quare, quia secundum maiorem Ecclesiæ partem pronunciandum est, verum erit, Canonem semper fuisse acceptatum. Et rursus, quia non est maior Ecclesiæ autoritas in has quam in illas Scripturæ partes, eæ autem quæ nunquam reuocatæ sunt in dubium, nunquam subditæ fuerunt Ecclesiæ iudicio, ergo ne reliquæ quidem.

X. Præterea, quia ab initio constitutus fuit Canon, id est, acceptatæ Scripturæ: ergo quæ postea temporis fuit, & nunc est Ecclesia, nullam habet iudicii autoritatem in Scripturam; sed debet secundum eam iudicare, hoc est, interprete Stapletono, ei suum intellectum subiicere, eique seruire. At non habuit Ecclesia ab initio plus autoritatis in Scripturam, quam habet succedens & hodierna, ipso sic disputante Stapletono lib.9. de principiis c.12. Ergo non habuit ab initio Ecclesia vllam autoritatem iudicandi de Scripturis.

XI. Sed excipit, à fidelibus quidem acceptatam esse Scripturam: multos tamen restare infideles, à quibus non sit acceptata: multos item Hæreticos, à quibus nonnullæ eius partes reiiciantur. Ergo non cessare hodie iudicium Ecclesiæ.

XII. Atqui hoc est de statu quæstionis multum decidere. Nam illa comprehendebat etiam fideles. Vnde illæ frequentes apud Stapletonum phrases, distinguentes autoritatem quoad se & quoad nos. Hæc etiam diserta 9. de Principiis c.2. *Quod per Ecclesiæ iudicium innotescat nobis Scriptura, non est magis inconueniens, quam quod Deus ipse.* Nam hæc primæ personæ notatio non potuit, opinor, de solis infidelibus intelligi: nisi forte, se suosque Papistas è Christianorum grege Stapletonus eliminet. Quinetiam, ne solis coniecturis agam, explicat se luculentius, in Defensione Ecclesiasticæ autoritatis statim initio. *Quum quæritur* (inquit) *qui libri in Canonem recipiendi sunt, & vnde hoc nobis constare queat, quæ huius controuersiæ quæstio est, quæritur qui libri à populo Christiano pro Sacris Scripturis habendi sint.* Et in Relectione controu.5.q.2. in art.1. explicatione. *Tertio modo Scriptura Sacra approbari, & aliquo iudicio confirmari potest, vt vi probationis talis, & iudicii, ab omnibus fidelibus acceptetur pro sacra & diuina.* Audin' tu populum Christianum? Audin' tu omnes fideles? Quorsum igitur nunc de infidelibus tantum, & hæreticis? Ergo saltem conficimus, non esse verum, ab Ecclesia confirmari Scripturam, vt ab omnibus fidelibus acceptetur pro sacra & diuina.

XIII. Quid? quod etiam in infidelibus, sui ipsius misere Stapletonus obliuiscitur? Negat enim, infidelem Ecclesiæ autoritate, quatenus Ecclesiæ, induci vt credat Scripturis; c.9. lib.9. de Principiis: At, inquam, si infideles nõ agnoscunt Ecclesiæ autoritatem, quomodo hæc ipsa Ecclesia iudicio suo efficiet, vt infideles Scripturam acceptent pro Canonica? Aut si non potuit Augustinus, tum cum Manichæus esset (nam de eo Stapletonus tum agebat) induci Ecclesiæ autoritate, vt Euangelio crederet, quæ hæc audacia est eorum qui cum sibi Catholicos vident ereptos, solantur se hæreticorum nomine.

XIV. Facilius ergo sic nos concludimus totum hoc argumentum nostrum: Si ab Ecclesiæ iudicio penderet autoritas Scripturæ illa de qua controuersia est, tum id esset vel apud fideles, vel apud infideles. At non apud fideles: quia ii iam Scripturam acceptarunt: non etiam apud infideles, quia ii Ecclesiæ autoritatem non agnoscunt. Ergo prorsus ab Ecclesiæ iudicio non pendet Scripturarum autoritas: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Cap. XX.

An lex à subditis sumat autoritatem.

I. NVlla Principis lex autoritatem suam habet à subditorum iudicio. At Scriptura Sacra est Ecclesiæ pro lege. Ergo Scriptura Sacra suam autoritatem non habet ab Ecclesiæ iudicio. Hoc argumentum Stapletonus superiori coniunxerat lib.9. de Principiis c.2. & post eum Vuhitakerus. Sed idem Stapletonus in Relectione separatum tractauit: quod ego præstare iudico.

II. Porro Augustinus vtramque nobis antecedentis partem suppeditat, libro de vera Religione c. 31. vnde pauculum quid delibabat Stapletonus: nos exscribemus plenius. *Spiritalis homo* (inquit) *iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur, id est à nullo homine, sed à sola ipsa lege secundum quam iudicat omnia: quoniam & illud verissime dictum est, Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Omnia ergo iudicat, quia super omnia est, quando purissime intelligit, & tota Charitate, quod intelligit diligit: Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cum eos instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est, & sapiens, ipsam illam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est, vt secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandumque, discernat, AEternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est.*

III. Hæc Augustinus, conceptis verbis asserens de lege neminem iudicare posse, vnde facile concludas maiorem nostri Syllogismi. Nam si nullum sit Ecclesiæ iudicium de lege sibi posita, id est Scriptura, quî fieri potest, vt ab eius iudicio pendeat Scripturæ autoritas?

IV. Secundo legem æternam negat Augustinus iudicare fas esse: sed tantum cognosci. At hæc, inquam, lex æterna, vel Scriptura est, nempe verbum Dei, vel certe pars Scripturæ, nempe Decalogus. Nihil vero licet in totum corpus, quod non liceat etiam in membra. Ergo si de Decalogo fas non est iudicare, ne de tota quidem Scriptura. Nam si de tota iudicatur ergo & de parte. Tum etiam alias constat, Scripturam in Ecclesia legis vim obtinere; vnde Canonicæ nomen illi est inditum, & regulæ gnomonis, & stateræ.

V. Stapletonus respondet maiorem intelligendam esse de lege iam constituta. Nam sic etiam Augustinum loqui de legibus temporalibus, cum eas constituunt homines. Licere ergo Ecclesiæ de Scriptura nondum acceptata iudicare.

VI. Sed contra Augustinus duplex facit legis genus, temporalem & æternam: illam quæ iudicatur ab hominibus, qui eam instituunt: hanc quam prorsus iudicari fas non sit. Ergo partem sententiæ Augustinianæ aduersarius truncauit, cum debuerit integram exprimere bona fide. Nos vero iam obseruauimus hanc æternam esse in Scriptura: itaque huc potius pertinere, quod de prorsus non iudicanda dicebat Augustinus.

VII. Secundo illud de temporalibus iudicandis Augustinus referebat ad eos homines, à quibus illæ instituuntur: non vero ad eos quibus ponuntur. Itaque si voluit Stapletonus recte vti Augustino, debuit inferre permissum esse de Scripturis iudicium, ei à quo instituuntur: quod nos concedentes, negassemus Ecclesiæ hanc authoritaetm esse, vt Scripturas instituat; ne eo quidem opinor, contradicturo.

VIII. Nam

VIII. Nam quod sibi putauit, ab iustitutione, de quâ Augustinus, ad acceptationem transiliendum, fecit profecto Sophistice, mutatis terminis. Non enim idem est legem constituere, & legem acceptare: nisi tum forte cum ab iisdem instituitur à quibus acceptatur: vt fit in Democratia, quæ populo ius vindicat legis scisscendæ. Alias vero minime, vt in Monarchiâ, in qua non fert legem populus, sed acceptat solum latam à principe. Quæ ratio est in Ecclesia leges suas accipiente à Deo, non autem ipsa sibi condente. In hac autem acceptatione, nullum est populi iudicium, sed necessitas: quia legum autoritas prorsus pendet à sola Principis maiestate, non à populi consensu: adeo etiam inuitis sæpe leges constituuntur. Sic Constantinus non paucas tulit de Martyribus, & confessoribus in integrum restituendis, de prohibendis idololattiæ sceleribus: ne quisquam vel statuas erigere, vel curiosas & superuacaneas diuinationes moliri, vel denique sacrificare auderet: de quibus prolixe Eusebius lib. 4. de vita eius Imperatoris. Has quis dubitat inuisas Ethnicis, qui tum magno, fortasse etiam maiore numero erant? Sic idem postea legem tulit de exsilio Athanasii, non valde opinor assentientibus Catholicis. Itaque hoc vnum Ecclesiæ restat, vt Scripturam, legem à Deo sibi impositam, non iudicet, sed accepter.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMVS, De CANONE.

Caput Primum.

An, præter autoritatem Ecclesiæ, nulla sit, quæ omnem à conscientiis dubitationem remoueat.

CAtholicorum audiuimus argumenta: Nunc Papistarum, hinc initio facto. Quæcunque autoritas constituit Canonem Scripturarum, omnem à conscientiis dubitationem remouere debet. At præter autoritatem Ecclesiæ, nulla autoritas remouere potest omnem à conscientiis dubitationem. Ergo, præter autoritatem Ecclesiæ, nulla autoritas constituit Scripturæ Canonem. Ex Stapletono: cuius verba, *Cum Scripturarum Canonem certum & indubitatum habere, maxime sit religioni & fidei necessarium, hoc aliunde exploratum habere, maxime sit religioni & fidei necessarium, hoc aliunde exploratum habere, quam ab Ecclesia autoritate non possumus, quia maior & certior autoritas, quæ omnem à conscientiis dubitationem instabilem remoueat, nulla est.* Stapletonum ita κατὰ πόδας Charronæus sequutus est, vt videatur tantum transtulisse Gallice: Canus in eundum sensum. *Non est autem vnde commodius atque constantius eiusmodi iudicium censuramque petere debeamus, quam ab Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Probat minorem Stapletonus, quia Deus per Ecclesiam nos docet, nec sine Ecclesia docere disponit. Deo autem docente nihil certius.

II. Respondeo: negari minorem: quia meram continet petitionem principii, vt facile apparet ex controuersiæ statu. Nec negare possunt aduersarii Spiritum Sanctum hanc autoritatem habere, quæ hic soli arrogatur Ecclesiæ: nimirum, vt plene persuadeat, omnemque eximat dubitationem. Habet & Scriptura, ab eodem Spiritu, autore suo scilicet: etsi aliquando negent Papistæ. Et sane, si vt probatum est libri præced. c. 19. Ecclesia, non tantum quoad plebem, sed etiam quoad Pastores, subiicitur Scripturæ; quis nunc ferat nullam maiorem esse autoritatem, quam Ecclesiæ?

III. Stapletonus de Ecclesia se postea acturum pollicitus, de Spiritu S. distinguit, eius autoritatem maiorem esse & certiorem ad omnem fidem ingenerandam, in genere caussæ interioris, & efficaciter agentis. Sed in genere caussæ exterioris, quæ per modum medii externi ad fidem nos inducat, nullam esse certiorem autoritatem quam Ecclesiæ.

IV. Sed primum non tollitur petitio principii. Etenim in constituenda quæstione, Catholici asseruerunt absolute & simpliciter omnium caussarum summam esse ipsum Spiritum: non tantum causarum internarum. Itaque, quæram à Stapletono, vtrum ita distinguat caussas externas ab internis, vt istis illas concedat esse inferiores: an vero maiores contendat. Nam si contendit esse maiores; tum vitare omnino non potest petitionem principii. Sin autem concedat inferiores, obtinuimus magna ex parte causssam: nimirum vt constet eos mentiri, qui adeo sollicite negabant, vllam constare posse Scripturis quoad nos autoritatem, nisi ex decreto Ecclesiæ, aut certe hanc esse summam. Nam quid tum? si hæc sit omnium externarum maior, tum sit minor internis.

V. Rursus etiam in externarum genere petitio est principii. Catholici enim prætulerunt autoritatem, non tantum Spiritus sancti, quam ille interiorem vocat, credo, quia eius vis intra nos est, agitque in nostris animis: sed etiam Scripturæ: quæ non externa nobis esse non potest. Atque ita non tantum negarunt causssam exteriorem præponendam interiori, hoc est, Spiritui Sancto Ecclesiam: sed etiam in ipso exteriorum genere, Ecclesiam esse summam: nempe quia detur saltem Scriptura superior.

VI. Addo hac distinctione totum argumentum reddi ridiculum. Nam ita erat concepta maior, vt simpliciter omnem autoritatem nominaret: non vero specialiter autoritatem externam. Assumptio igitur non debuit nouum terminum substituere: nisi maior corrigatur, vt pro omni autoritate, substituatur omnem autoritatem externam: & sic ad minorem accedat etiam maioris falsitas. Nos enim, etsi agnoscamus causssas aliquas externas consignantes Canonem, atque in iis etiam Ecclesiam: tamen scimus non esse verum eas omnes omnem à conscientiis dubitationem eximere. Nam id Ecclesia nec facit, nec facere potest.

VII. Minoris confirmatio est etiam ineptissima. Primo, falsum est Deum non docere sine Ecclesia. Docuit enim sæpissime extra ordinem per reuelationem: docet quotidie per internam inspirationem fideles: & externe per Scripturam, per Pastores singulos, per alios quoslibet. Per reuelationem, vt Prophetas & Apostolos: per inspirationem, vt Lydiam: per Scripturam, vt Tertullianum: per Pastores, vt Augustinum: per plebeios, vt olim Indos per Ædesium, & Frumentium: Iberes per mulierculam. At hæc media nulla eadem sunt cum Ecclesia.

VIII. Secundo, hæc consequentia, Deus per Ecclesiam nos docet, ergo Ecclesiæ auctoritate nulla datur maior, est prorsus αὐτοκατάκριτος. Quid enim? an quia nos quotidie docet per singulos Pastores, ideo nulla maior auctoritas quam singulorum Pastorum? Absurde. At Deo docente, nihil certius. Optime, inquam: At Ecclesia non est Deus docens: sed tantum instrumentum Dei docentis. Non est autem verum, nullam esse maiorem auctoritatem quam instrumentorum, quibus Deus nos quotidie docet.

IX. Adhæc, si, quia Deus per Ecclesiam docet singulos fideles, ideo valde commendatur auctoritas Ecclesiæ: certe quia per Scripturam Deus docet ipsam Ecclesiam, multo plus necesse est auctoritatis accedere ad Scripturam: id est, tanto maiorem esse Scripturarum auctoritatem in Ecclesiam, quanto maior erit Ecclesiæ in singulos fideles. Doceri autem Ecclesiam per Scripturam, quis neget contra luculentam experientiam? Erit igitur ex vi huius argumenti, non tantum Dei, quod non potuit Stapletonus negare, sed etiam Scripturæ maior auctoritas, & tertio tantum loco consistet Ecclesia; quod ille contra contendet.

X. At Canus, non simpliciter negat vllam esse maiorem auctoritatem, quam Ecclesiæ: sed tum cum contradicentes sunt conuincendi. *Si huiusmodi res* (inquit) *in contentionem veniat, cum neque ex Scripturis ipsis, neque ex priuata opinione sit censura ferenda, ex aliquo hanc loco petere necesse est: Non est autem vnde commodius atque constantius eiusmodi censuram petere debeamus, quam ab Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis. Ad Ecclesiæ tribunal igitur est hæc quæstio referenda: & eius decretum, Lydius lapis erit ad explorandum qui liber canonicus sit.*

XI. Sed hic multipliciter peccatur à Cano. Primo, quia assertionem proponit nudam, quam sciret à nobis negari, imo statum esse quæstionis: itaque vt Stapletonus, sic ipse peccat nugatoria petitione principii, & cum negat ex Scriptura hanc censuram petendam, & cum asserit non aliunde commodius quam ab Ecclesia. Secundo, dissimulare non debuit, quod omnes sciunt, pro variis contendentium generibus variari disputationis naturam. Esse autem quosdam, quia non tantum Canonem reuocentin dubium, sed simul etiam negent Ecclesiam, vt Ethnicos, vt hodie Iudæos. Horum si habeatur ratio, prorsus falsum est ab Ecclesia hanc censuram petendam; & si facias, laterem laues. Quare saltem particulare erit pronunciatum: non autem vniuersale: & quia non vniuersale, nec certum. Tertio, si ad quosdam, imo si ad omnes conuincendos hæreticos vtilis, imo necessaria est Ecclesiæ censura; non sequitur tamen nullam esse maiorem auctoritatem: quia id accidit ex hæreticorum ingenio, non vero ex re ipsa.

Cap. II.

An Ecclesia Iudæorum Canonicis libris auctoritatem contulerit:

CHarronæus pugnat ab exemplo Synagogæ in Veteri Testamento. Libri (inquit) sacri, canonicique ii erant, quos Ecclesia Iudæorum recipiebat, & pronunciabat esse tales. Quia in re eius erat summum iudicium. Scribæ autem huic erant negotio præfecti. Ita Charronæus: sed tantum pronuncians: non etiam probans: quasi suam putet auctoritatem sufficere, vt exclament omnes αὐτὸς ἔφα; qnæ est horum hominum modestia. Sed nos excessimus ex ephebis: & iam pridem desueuimus excipere dictata ab ore magistrorum.

II. Itaque negamus Synagogæ hac in re fuisse vnquam summum iudicium. Nam cur ei magis tribuant Catholici, quam Ecclesiæ? Nec sane illi alium in finem dati erant libri Veteris Testamenti, nisi vt eos haberent pro lege. Non magis autem tum temporis leges permittebantur arbitrio subditorum, qnam hodie. Dicimus præterea, antequam vllum esset, aut totius Synagogæ, aut Scribarum hac de re iudicium, tamen fuisse aliquos libros Canonicos apud Iudæos.

III. Enimuero iudicium illud intelligitur vel vniuersale de toto Canonis corpore, vel particulare de singulis libris. Vniuersale triplex obtinuat Genebrardus in Chronologia, totidem Synodis editum. Earum primam refert ad Esræ tempora, qui etiam eius scriba fuerit: & ex decreto in ordinem reduxerit Veteris Testamenti libros, quomodo habentur hodie: circa annum mundi ter millesimum sexcentesimum decimum. Secundam notat accidisse tempore Eleazari fratris Simeonis eius qui post Oniam piscum Iaddi fratrem functus est sacerdotio, circa annos mundi ter mille octingentos sexaginta. Hanc Hierosolymis coactam proposito negotio vertendarum Scripturarum. In ea videri ait, editum secundum Canonem Hebræorum, ac præter illos 22. primi Canonis, additos Tobiam & Ecclesiasticum. Tertium ad Ioannis Hyrcani tempora, circa annos mundi ter mille nongentos quinquaginta,

ginta,ad probandos Pharisæos. In ea confirmatos libros Iudith, Tobiæ atq; alios; Maccabæorum vero, tum primum in Canonem illatos: atque ita conditum tertium Hebræorum Canonem.

IV. Hæc etsi confidentius affirmentur, quam solidius: vt est audacissimus Genebrardus in historia, i. corrũpēda, vbicunq; potest, inflectẽ la ad suę religionis, imo superstitionis placita; tamen illustrabunt hoc argumentũ. Nã si ita est, primo editum fuisse Canonem ab Esdra ex publico Synagogæ iudicio tum certe necessario inferendum erit, aut nullos à Iudæis lectos esse ante id temporis libros Canonicos, aut habitos esse pro Canonicis ante vllum Synagogæ iudicium vniuersale. At illud est falsissimum: ergo hoc verius.

V. Illud esse falsissimũ cõstat, quia libros Mosis fuisse Canonicos & pro Canonicis habitos à Synagoga, i. auctoritatẽ summã habuisse nõ quoad se tãtũ, sed et quoad Iudæos, certũ est statim ab initio: conditi sunt n. in arca fœderis, vt alias diximus. Et Iosue sic Dominus alloquitur c. 1. *Non recedet volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.* Item liber Ieremiæ erat Canonicus longe ante Esdram, vt patet ex 9. c. Danielis. *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam.*

VI. Iam vero, vt veniam ad particulare iudicium; si vera esset aduersariorum sententia, nullum librum haberi pro Canonico ante Ecclesiæ iudicium, tum necesse esset, aut statim singulis libris editis Ecclesiam pronunciare: aut non statim esse canonicos, postquam ab auctoribus erant compositi: sed expectare, dum per otium Synagogæ liceret conuenire, atque ita solenne suum iudicium pronunciare. At vtrumque hoc consequens est falsum: ergo & antecedens.

VII. Prius facile probatur esse falsum: quia nunquam aduersarii ostendent statim Synagogam coiisse ad pronunciandum de singulis libris, puta Exodo, Deuteronomio, Psalmis, Ecclesiaste. Quinetiam non pauci libri sunt per partes compositi, non autem vno spiritu: vt ipsi Psalmi, & Prophetiæ Esaiæ, Ieremiæ, Danielis, aliorum: libri etiam historici, Iudicum, Samuelis, & Regum. Quis autem verisimile censeat, singulis (vt ita dicam) capitibus probandis, Synodos esse conuocatas? maxime cum nullum sit ad manum aut præceptum, aut exemplum. Nam aduersariorum nudas diuinationes, non est quod moremur.

VIII. Fuisse autem Canonicos, cum primum erant compositi, ostendimus super. proxime libri cap. 11. Et certe si non fuissent, tum neque ea quæ iisdem continebantur, debuissent agnosci pro sacris, & Canonicis: at ea re vera fuerunt pro talibus agnita: & cum non sunt à quibusdam agnita, tum grauissime peccatum est; atque adeo grauissimis pœnis vindicatum. Ergo ipsi libri fuerunt Canonici, quoad se, & esse debuerunt, quoad alios, ante vllum Synagogæ iudicium, aut vniuersale, aut particulare. Quare Charronæi argumentum falsum est.

CAP. III.

Quomodo Ecclesia tradat articulos Fidei.

I. RVrsus argumentantur ab articulis, siue regula fidei: sed aliter Charronæus, aliter Stapletonus. Charronæus, Ecclesia nos Christianos facit; tradit nobis regulam & articulos fidei, i. Symbolum Apostolorum. Ergo eadem potest nos certos reddere de Scripturis, quæ non sunt tanti momenti, quanti sunt ipsi articuli; cum sine his nõ possimus, sine illis a. possimus seruari.

II. Respondeo, primum non concludi quod est in quæstione. Aliud enim esse, Ecclesiam posse nos de Scripturis certos reddere: aliud vero, ab Ecclesia pendere Scripturarum auctoritatem quoad nos. Illud nemo queat merito negare: cum certum sit Deum vti opera etiam singulorum ministrorum ad id ipsum. Hoc vero nos prorsus inficiamur: nec asseruisse quenquam scimus non Papistam. Et quidem ipse Charronæus, qui paulo ante disertis verbis ita mentem suam expresserat; nunc tamen ausus non est id ipsum complecti in consequenti: quod qui factum est, nisi vt omnes videant, quam sit friuolum argumentum? Sin autem ita inferat: Ecclesia nos certos reddit de Scriptura: ergo Scripturæ Canonizatio pendet ab Ecclesia: tum nos tam ἀσυνάρτητον consequentiam securi ridebimus: neque enim quicunque nos certos reddit de Scriptura, is statim auctor est eius Canonizationis. Et si esset, quanto nos rectius ac certius de Spiritu S. concluderemus? Nam hunc animis nostris inscribere certitudinem Scripturæ, & omnes sentiunt apud se fideles: nec Papistæ audent negare.

III. Secundo: facile patimur eandem esse in consignandis libris auctoritatem Ecclesiæ, quæ eidem est docendis articulis fidei. Nullus est enim ex iis articulis, qui pendeat ab auctoritate Ecclesiæ: quantumlibet omnes quotidie doceantur ab Ecclesia vel potius in Ecclesia. Nam proprie Ecclesia nunquam docet: sed ita solemus significare, quod in Ecclesia fit, aut certe fieri debet ab omnibus quorum docendi partes sunt. Articuli igitur fidei, mere sunt à Deo instituente: neque Ecclesiæ aliud munus est vllum, quam quod solet esse præconis in Republica, vt omnibus voluntatem principis significet: vel augustius, Magistratus, cuius est non sancire leges, sed à rege sancitas tueri, ex earumque præscripto rempublicam gerere. Quemadmodum igitur ciues mouentur auctoritate, siue præconis, siue magistratus, vt tamen ab ea non pendeat, quænam sint, aut non sint, edicta principis: sic possunt, imo debent Christiani moueri auctoritate Ecclesiæ articulos fidei prædicantis: vt tamen non credant ab ea pendere quinam ii sint. Nec nostrum de Scripturis iudicium aliud est.

IV. Atque hoc commune ius est omnium & singulorum Pastorum. Nã exempli gratia, quia Chrysostomus Pastor fuit legitimus Ecclesiæ Constantinopolitanæ; debuerunt omnes Constantinopolitani, eius auctoritate moueri, quoties de Christianis dogmatibus disputabat aduersus sui temporis hæreticos: nec tamen à Chrysostomo sic pendere, vt nulla eis ratio esset credendi, præter vnum αὐτὸς ἔφα. *Non oportet* (inquiebat homilia in Psalm. 95.) *quicquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione. Nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat; nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem vt friuolum auersans, interdum vt probabilem recipiens.* Disertius Cyrillus ille Hierosolymorum antistes, illuminatorum catech. 4. μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν Θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. *Ne mihi quidem ipsi credito* (inquit) *nisi accepta è Scripturis demonstratione.*

V. Minoris esse momenti Scripturam Sanctam, quam Symbolum Apostolicum, non miror dictum ab homine Papista: sed à Christiano nõ paterer etsi nunc quidem omittere potui. Sic tamen libet horum hominum ingenium obseruare; quaslibet occasiones captantium detrahendi Scripturis, easque deducendi è solio summæ auctoritatis. Certe ineptiam facile quilibet agnoscat; qui sciat Symbolum nihil aliud esse, quam Scripturæ particulam: nec posse vnius aut plurium partium, maius esse momentum, quam totius corporis; Sed hoc obiter.

VI. Iam Stapletonus de Principiis lib. 9. c. 11. adeo penes Ecclesiæ iudiciũ esse ait, Canonẽ Scripturarum consignare, vt ipsa regula fidei ab Ecclesia nobis tradita, & fidelibus omnibus notissima, scripta videlicet in cordibus eorũ hac in re consulta atque adhibita, Scripturas veras à falsis discernere valeat, atque olim discreuerit. Atque hac assertione demonstrata, sequi Ecclesiam per præuiam & præexistentem fidem suam de Scripturis determinasse. Postea argumentum sigillatim exequitur in hunc modum. Si ex regula fidei tanquam amussi certissima diiudicati & deprehensi fuerunt de rebus diuinis confecti libri, & ipsi quoque vere diuini approbati, quasiq; legitimi facti: ergo regula fidei ab Ecclesia tradita & accepta, vnum est idemque certissimũ mediũ; quo Pastores & Magistri Ecclesiarũ veras Scripturas à falsis discernũt.

VII. Et probat antecedens. Primum ex 12. ad Rom. vbi Paulus iubet Prophetiam esse κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, secundum rationem siue proportionem fidei: id est, vt nulla audiatur Prophetia, nulli credatur Spiritui, nihil vel scriptum vel non scriptum admittatur, quod rationi, proportioni, & regulæ ipsius fidei repugnet. Secundo, à veterum autoritatibus. Nam Clemens Stromat. 7. ostendit ideo hæreticos Scripturas ipsas interdum repudiare, quia fidei regulam non tenent: Catholicos autem ex eadem Scripturas demonstrare. Eusebius hist. lib. 3. c. 15. confictos libros repudiatos, quod *sententia & institutum eorum quæ in illis traduntur, à vero orthodoxoque Scripturæ sensu & opinione toto cœlo aberrans plane perspicueque ostendat, ea callida solum hæreticorum esse commenta.* Et c. 32. Petri & Appionis disputationes hoc nomine reiici, quod *puram illam & sinceram Apostolicæ orthodoxæque Doctrinæ notam minime retinerent.* Addit Augustinũ de Consensu Euangelistarum lib. 1. c. 1. Tertullianum probantem, Euangelii Lucæ integritatem, ex eo quod conueniat cum regula fidei, aduersus Marcionem lib. 4. Deniq; à simili. Quia si prædicatio Apostoli Pauli inter gentes, non aliter orthodoxa & diuina habita fuisset, nisi collatione facta, cum Apostolis & eorum regula conuenisse animaduersa fuisset: profecto neque ipsa scripta Pauli pro diuinis habita fuissent, nisi cum regula fidei à fidelibus recepta, & ab ipsis Apostolis antecessoribus tradita omnino conuenissent.

VIII. Atqui, vt ante Charronæus, sic nunc ne Stapletonus quidem concludit id quod erat in quæstione. Nam certe, Ecclesiam de Scripturis determinare posse, nemo nostrûm negauit vnquam. Quin potius omnes laudamus eorum Conciliorum diligentiam, qui prouiderunt, ne Apocrypha scripta in Canonem intruderentur: quod olim Laodicenses patres fecerunt: fecerunt & Carthaginenses, quamuis paulo minus cõsiderate. Fecerunt etiam multi sua priuata autoritate, Melito, Origenes, Hieronymus, Rufinus, atque alii, qui totum Canonem descripserunt: item ii quos Stapletonus recenset, Tertullianus, Eusebius, Augustinus qui de Apocryphis iudicarunt.

IX. Quid tum vero, si regula fidei vnum est certissimumque medium discernendarum Scripturarum; Nam certe idem non est regula fidei, & autoritas Ecclesiæ. At nos de hac disputamus, vt patet ex statu quæstionis. Itaque rursus conclusio vagatur extra oleas.

X. Et tamen hoc ipsum axioma falsum est. Nam argumentum ab analogia fidei, tantum valet negatiue, non autem affirmatiue. Scilicet, quia verum quidem est, eos omnes libros esse extra Canonem, qui non bene consentiunt cum regula fidei: sed falsum, eos omnes esse Canonicos qui ab ea non dissentiunt. Itaque non potest hoc esse certissimum medium ad consignandum Canonem. Obiecit hoc Whitakerus: & Stapletonus, iam saltem non ausus contra solem meiere, agnouit: dixitq; facile id colligi potuisse ex locis Patrũ à se citatis. Sed hæc mera est αὐθάδεια. Quid tum enim, si eo argumento Patres vsi sunt tantum negatiue? At Stapletonus in vtramque partem valere volebat. Sunt enim diserta verba, *ipsos vere diuinos ex eadem amussi approbatos, quasique legitimos factos fuisse.*

XI. Rursus, vt demus verũ esse axioma: quid hoc magis ad Ecclesiam pertinet, id est, ad prælatos; quã ad quoslibet fideles? Nã istis Stapletonus hanc regulã cõmunicat; vtpote omnibus fidelibus notissimam; in eorumque cordibus scriptam. Quod si ea consulta, atque adhibita, potest discernere Canonicos ab Apocryphis: & qui eam notissimam habent, facile possunt consulere: sine dubio possunt eius ope, quilibet fideles libros discernere. Quare duorum alterum necesse erit: vel à quorumlibet fidelium testimonio pendere autoritatem Scripturarum: vel non sequi, si Ecclesia discernat libros, ideo etiam, iis quoad nos autoritatem conferre: Quod nobis iudicibus verius est: alterum enim ne quidem concedet, vllus Papistarum.

XII. Hic Stapletonus dupliciter instat. Primo, Ecclesiam de his libris melius iudicare posse, quam priuatum quempiam, quia maiorem & ampliorem copiam Spiritus S. ac iudicii habeat. Ergo falsum esse, non minus pertinere ad totum corpus Ecclesiæ, quam ad pastores, Scripturas discernere, etsi omnes fideles habeant regulam fidei. Secundo triplex esse in Ecclesia de fide, rebusque fidei iudicium. Vnum omnibus commune fidelibus, qui instructi de fide exterius, & dono fidei illustrati interius, iudicant & discernunt ea quę sunt fidei, ad iis quæ contra fidem sunt. Alterum est discretiuum, quoad intellectum eorum quæ creduntur, paucis & doctissimis proprium. Tertium determinatiuũ: & autoritatẽ iudicandi & determinandi de fide à Christo acceptam significat, estque Ecclesiæ magistris propriũ: iuxta quã distinctionẽ (inquit) etsi omnium sit fides, tamen non omnium est iudicare de fide.

XIII. Respondeo ad prius: nõ tolli minus à maiori: itaq; nõ sequi, si Ecclesia magis iudicat, ideo reliquos fideles non iudicare, ex regula fidei. Nunc autem id tantũ quæritur, vtrũm iudicare de libris ex regula fidei, idem sit quod iisdem libris autoritatem conferre quoad nos. Hoc nos negamus, hoc argumento, quia fideles quilibet ita iudicant; & tamen non conferunt autoritatẽ. Aduersarius ergo debet vel contrarium probare; vel manus dare. Hic vero neutrum facit. Nam quod refugit ad maiorem abundantiam Spiritus, id vero est discedere ab argumento, in quo de hac abundantia ne γρῦ quidem. Quod si corrigat, & asserat, eos qui maiorem habentes Spiritus copiam de Scripturis iudicant ex regula fidei, conferre autoritatem Scripturis: tum nos axioma vt absur-

absurdum, negabimus. Enimuero non inuiti fatemur longe maiorem esse Spiritus abundantiam in toto Ecclesiæ corpore, quam in singulis membris: sed iidem constanter negamus Ecclesiam quantumlibet Spiritu abundantẽ, quicquam Scripturæ autoritatis conferre quoad nos.

XIV. Ad secundum: vt concedam varios esse iudiciorum gradus: nego tamen inde quicquam roboris acquiri huic argumento: nam si regula fidei communis est tribus illis gradibus: & postremus tantum is est ad quem conclusio pertineat: tum sane sequitur eam conclusionem non nasci ex regula fidei: hoc est vt apertius loquar: si ex regula fidei discernunt Canonicos ab Apocryphis, tum ij qui in primo gradu subsistunt, tum ij qui ad secundum & tertium promouentur: & tamen soli postremi autoritatem conferunt libris: Ergo sequitur non omnes, qui vsi regula fidei discernunt libros, iisdem autoritatem conferre: quare fallax erat argumentum.

XV. Deinde, illud autoritatem determinandi de fide; si sic intelligimus, vt significet illud ius, quo vtuntur Pastores in instituenda plebe sua, tradendisque quibuslibet articulis fidei; vt in Concilio Niceno factum est περὶ τοῦ ὁμοουσίου confutato Ario; tum nos non pugnamus, quominus etiam hodie id ius tribuatur pastoribus: sed negamus ex eo iure quicquam auctoritatis quoad nos conferri aut Scripturis, aut articulis fidei. Sin autem significet auctoritatem in ipsa fidei dogmata, & libros Canonicos; vt Episcoporum ius sit de ijs pro arbitrio decernere, tum negamus vllam huiusmodi auctoritatem à Christo cuiquam collatam. Atque idipsum est de quo nunc disputamus: adeo vt hoc sensu nihil sit aliud Stapletoni distinctio, quam mera petitio principij.

XVI. Redeo ad argumentum primarium: Et dico, Si verum sit, Ecclesiam iudicare de libris Canonicis ex regula fidei; non esse ergo Ecclesiæ auctoritatem aut solam aut summam causam Scripturarum auctoritatis quoad nos. Nam si sola esset; ergo non adhiberetur regula fidei. Si summa, ergo nõ moueretur aliunde. At si mouet fideles auctoritas Ecclesiæ, Ecclesiam vero regula fidei: tum sane tanto erit regula fidei supra Ecclesiam; quanto supra fideles Ecclesia.

XVII. Stapletonus respondet, non propterea violari aut minui auctoritatem Ecclesiæ, quod per regulam fidei, aut alia media adhibita hanc illa exerceat. Neque enim Apostolos sua auctoritate decretum de non seruandis legalibus non emisisse, etsi multum, diuque ea de re disputarint. Nec Reges aut Principes, qui leges ferunt, ac promulgant summa ratione nitentes, multorum prudentium virorum adhibitis consilijs, consulta etiam laudabili populi patriæque consuetudine, in ijs ferendis legibus nulla auctoritate vti.

XVII. Frustra. Nam quis de violanda aut minuenda Ecclesiæ auctoritate loquitur? Quasi vero nihil non violetur aut minuatur, quod non agnoscitur pro summo? At nos certe tantam Ecclesiæ auctoritatem agnoscimus & prædicamus, quanta esse debet, hoc est, quantam illi Christus concessit: eos tantum oppugnamus, qui his finibus non contenti, eam augent in immensum. Vtatur ergo sane auctoritate, etiam in discernendo Canone, sed sua, id est, nec sola nec summa. Instantiam nostram non eneruant exempla. Nam Apostoli sic decreuerunt non obseruanda esse legalia, vt suam auctoritatem subiicerent auctoritati Spiritus: proinde non docuerunt à se pendere eius dogmatis auctoritatem, sed à Spiritu Sancto, cuius erant ministri. Si idipsum Ecclesia in hoc negotio agnoscat, salua res est. Reges autem leges condunt de rebus, vel per se certis, vel adiaphoris. Si de certis, tum eorum auctoritas non est summa causa legis latæ: sed ipsa potius rei natura: Nam si vel præcipiant ea quæ sua natura mala sunt, vel vetent quæ natura bona, tum subditi debent eas leges non agnoscere: nimirum quia iuris naturalis maior est auctoritas quam regis. Sin autem de adiaphoris; tum nõ mirum est auctoritatem regum esse summam; cum ipsarum rerum nulla sit. At in hoc ordine, nemo sanus Scripturas numeret. Itaque non procedet in rebus dissimilibus consequentia.

Cap. IV.

De libris fictis, reiectis à Canone.

I. AB Ecclesiæ praxi arguunt Charronæus & Stapletonus: sed hic longe accuratius. Atque hoc argumentum prolixum est, multisque partibus constans, ac varijs strophis impeditum: ob eamque causam diligentius euoluendum. Id ego primum ex eorum mente concipio in hunc modum. Si sola Ecclesiæ definitione factũ est, vt quidam libri recepti sint in Canonem, quidam reiecti: ergo à sola Ecclesiæ auctoritate pendet, quoad nos, constitutio Canonis. At prius verum: ergo & posterius. Antecẽdens mutuatus sum à Charronæo, qui exultabundus (vt apparet) varijs interrogationibus ita mentem suam aperit, vt nihil aliud colligi possit: quinetiam ita postulat argumenti natura: nam si auctoritate quidem Ecclesiæ id factum est, sed nõ sola, tum aduersus nos nihil concluditur; qui ab initio testati sumus eam auctoritatem suo & ordine & loco admittendam. Consequens autem est à statu quæstionis, quem quis nescit singulis argumentis concludendum? Quare non debet excusari Stapletonus; qui tantum infert, necessariam esse auctoritatem Ecclesiæ: quod quidem mollius dictum est: non enim quæcunque sunt necessaria, ea statim aut sola sunt aut summa; qui nostræ quæstionis nodus est.

II. Antecedens, quod à nobis negari sciunt, accurate probant per partes. Charronæus libros distribuit in legitimos, qui vere sint ab auctoribus, Prophetis atq; Apostolis: & suppositios, à Philosophis & hæreticis factos, tamen inscriptos nominibus Apostolorum. Istos secundi generis non exequitur vlterius; quasi omnino non pertinentes id institutum. Sed illos, ad est, qui vere sunt ab Apostolis, distribuit in quinque ordines. Quorum primus est librorum, qui ab initio ac semper deinceps habiti sunt in Canone: secundus eorum qui ab initio admissi, paulo post reiecti sunt, Acta Pauli, Epistolę Barnabæ, Euangelium & Apocalypsis Petri, testibus Eusebio, Theodoreto, Clemente Alexandrino: item epistolæ & præceptiones Clementis, ex vltimo Apostolorum Canone: tertius, eorum qui cum ab initio non fuissent admissi, deinceps vero recepti sunt, vt Epistola ad Hebræos. Item Iacobi, Iudæ, & Ioannis secunda, tertiaque. Deniq; Apocalypsis. Quartus eorum est, qui nunquam sunt admissi; qualia multa sunt scripta Dauidis ac Salomonis; Paulique ad Laodicenses Epistola. Quintus, eorum qui ab hæreticis vocati sunt in Controuersiam, vt Acta Apostolorum à Manichæis, Epistola Iacobi à Luthero: à Polonis quibusdam Psalmi Dauidis, & Iob: à nonnullis partes quædam Euangelij secundum Ioannem.

III. Sic Charronæus, grauissime peccans, primum, quod secundi ordinis libros ausus sit numerare inter legitimos Prophetarum & Apostolorum fœtus: cum tamen ij ipsi auctores antiqui, à quibus solis nomina potuit habere, numerent in suppositis. Eusebius hist. lib. 3. c. 25. Græci codicis ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω, καὶ τῶν Παύλου πράξεων ἡ γραφή, ὅ τε λεγόμενος ποιμήν, καὶ ἡ Ἀποκάλυψις Πέτρου. καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολή, καὶ τῶν Ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαί. *In adulterinis numeretur tum Actorum Pauli liber, tum is qui dicitur Pastor, & Apocalypsis Petri: præterea, quæ circumfertur Barnabæ epistola, & quæ vocantur Apostolorum doctrinæ.* cum referret de Euangelio Petri iudicium Serapionis ἀπελέγχοντος τὰ ψευδῶς ἐν αὐτῷ εἰρημένα, *confutantis ea quæ in ipso erant præter veritatem dicta* ἡμεῖς inquit, καὶ Πέτρον, καὶ τοὺς ἄλλους Ἀποστόλους δεχόμεθα ὡς Χριστόν. τὰ δὲ ὀνόματι αὐτῶν ψευδεπίγραφα ὡς ἔμπειροι παραιτούμεθα. *Nos & Petrum, & reliquos Apostolos suscipimus, vt Christum: falso tamen adscripta eorum nomina, vt periti reijcimus.* Auditis antiquitatis iudicium, nominatim de ijs ipsis libris, quos Charronæus secundo loco suis titulis indicauit? Quid ergo in mentem venire iam recens, postque tot secula potuit Charronæo, quo motus veterum consensum repudiaret, testimonium irrideret; auctoritatem eluderet, atque inter legitimos Apostolorum fœtus numeraret eos libros, qui iam olim asserebantur νόθοι ψευδεπίγραφοι: Atque hoc, eo magis absurdum fit, quia libros eos ipse nunquam viderit: imo ne nomina quidem (vt dixi) aliunde audierit, quam ab ijsdem à quibus eosdem graui censura notatos vidit.

IV. Deinde, quam inconsiderate dixit eosdem libros ab initio admissos, deinceps reiectos. Videlicet, aut præstigias loquitur, aut significat, ab ijsdem prius admissos, à quibus postea reiectos, scilicet à Catholicis, id est, ab Ecclesia; adeo vt aliquando numerati sint in Christianorum Canone. At id quæro vnde habuerit. Nam præter ea quæ recitauimus ex Eusebio, Theodoretus hæreticarum fabularum secundo, Ebionitis Euangelij secundum Hebræos: Nazaræis Euangelij secundum Petrum, vsum imputat; nemo autem, quod sciam Catholicis. Mitto non posse absque summa primæ Ecclesiæ ignominia asseri eos libros acceptos pro Canonicis, qui præterquam quod erant adulteri, etiam falsis abundarent.

V. Denique in tertio membro, quo asseruntur nonnulli libri ab initio reiecti, postea admissi, similis est error. Nam quia in tota hac quæstione, de iudicio agitur, non particulari quorundam, sed vniuersali totius Ecclesiæ, profecto ita oportet Charronæi verba intelligi, vt significent eos libros generali Ecclesiarum consensu primo seclusos fuisse à Canone: quod est falsissimum. Nunquam enim aut ab omnibus Ecclesijs aut à pluribus reiecti sunt, sed à nonnullis tantum inter dubios numerati.

VI. Hæc ad Charronæum annotasse contenti, Stapletoni deinceps vestigijs insistemus, viri lõge & doctioris & cautioris: atq; in hoc ipso negotio diligentioris. Is varias enumerat ab Ecclesia refutatas sententias: & Canonem Ecclesiasticum exequitur: his n. duobus capitib. totam comprehendo disputationem c. 5. 6. 7. & 8. lib. 9. de Principijs: vt distinctior sit series, quæ paulo erat confusior. In priori capite, ij sunt, tum qui Apocryphos obtrudebant pro Canonicis, tum qui Canonicos reijciebant. In altero libros obijcit eos, qui cum essent ab auctoribus Prophetis & Apostolis, tamen non sunt in Canonẽ recepti: deinde eos ipsos qui pro Canonicis habentur: quorum alios facit Protocanonicos, alios Deuterocanonicos. Hæc generalis esto σκιαγραφία argumenti, nunc per partes considerandi.

VII. Igitur in primo membro duo Stapletonus considerabat librorum genera: vnum eorum qui sub Apostolorum, eorumve discipulorum nominibus editi, pro sacris à quibusdam aliquo tempore habiti sunt: Pastor siue Hermes, Pauli acta, Epistola Barnabæ, doctrina Apostolorum, Apocalypsis Petri, & Euangelium secundum Hebræos, apud Eusebium & Innocentium primum. Item Euangelium secundum Petrum, apud Theodoretum, Sermones Pauli apud Augustinum contra Faustum libr. 19. cap. 13. denique doctrina Petri, apud Origenem in prœmio librorum de Principijs. Secundum genus est eorum, qui ab hæreticis conficti pro sacris & Canonicis aut à quibusdam Catholicis ignoranter sunt habiti, aut ab alijs hæreticis impudenter obtrusi, magno numero: inter quos, Euangelium Iudæ, Apocalypsis Pauli, Euangelium Thomæ, Anonymum Euangelium Marcionitarum, Euangelium secundum Ægyptios: Euangelium Matthiæ, Petri, Ioannis, & Andreæ.

VIII. Consideratius ista quidem, quam paulo ante Charronæus, sed nõdum tamen exacta ad veritatem. Primo enim Sermonum Pauli nullus vnquã liber fuit: neque Augustinus significauit aliquem aut se vidisse, aut ab alijs nominatum audisse hoc titulo: sed duntaxat, Paulum in Sermonibus quos habuisse narratur, nunquam iurasse, ne iurandi consuetudine aliquando vel inscius laberetur in periurium. Ex horum verborum occasione quicunque primus librum excudit, eum profecto oportet somno magis quam lectioni operam dedisse.

IX. Secundo, duo facta sunt genera, quæ re vera vnum sunt; nam qui in primo constituuntur libri, ad secundum pertinent. Hermetis quidem Pastor, nonnullo fuit loco apud antiquorum nonnullos: sed nunquam in Canone. Et vero esse non potuit: vt postea demonstrabimus. De Actis Pauli, Doctrina Apostolorum, Apocalypsi, & Euangelio Petri, paulo ante testimonia recitaui Serapionis, & Eusebij, constituentium inter nothos, & falso titulo inscriptos. Nam quod Serapionem Stepletonus obseruat doctissimum Episcopum; ad tempus fuisse deceptum hoc Petri Euangelio, id ille à se confixit, non accepit ab Eusebio: apud quem Serapion testatur id se, antequam legisset, permisisse suis nonnullis, vt schismata tolleret: sed postea comperto veneno prohibuisse. Qui autem verisimile fieri potest eum deceptum ab eo libro quem nõ legisset? eo (inquam) quem cum legisset, statim & falsi arguit, & damnauit? De doctrina Petri Origenes ita loquitur, *Si vero quis velit nobis proferre ex illo libello, qui Petri doctrina appellatur, vbi Saluator videtur ad discipulos dicere, non sit dæmonium incorporeum: primo respondendum est ei, quoniam ille liber, inter libros Ecclesiasticos non habetur: & ostendendum, quia neque Petri est ipsa Scriptura, neque alterius cuiusquam qui Spiritu Dei fuerit inspiratus.* Testatur ergo hunc librum non esse in Canone. Non habuit autem aliunde quam ab Origene Stapletonus eius nomen: quomodo ergo di-

numerare potuit cum aliquando à nonnullis inter sacros fuisse numeratum?

X. Sed argumentum nectens Stapletonus, in hac partim opinionum varietate, partim hæreticorum impudentia, maxime necessariam ait esse autoritatem Ecclesiæ, quæ fideles certo & indubitanter doceat. Quæ verba, vt paulo ante obseruaui, non concludunt id quod erat in quæstione. Sed c. 7. differtius. *Libri Apocryphi, videlicet; vel ab hæreticis, vel à Philosophis, vel à quibusdam aliis sub nomine Prophetarum & Apostolorum conficti, ideo pro diuinis Scripturis nunquam sunt habiti, quia illos Ecclesia Dei nunquam recipiendos iudicauit.* Et probat multis ex antiquitate locis.

XI. Athanasius in synopsi. *Quatuor nobis Euangeliorum libros, Sacri Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ Canones sanxerunt: præter ista non est vllum aliud.* Eusebius historiæ libr. 3. capit. 10. editionis Christophorsonianæ penitus Apocryphas & nothas scripturas tales esse pronuntiat, *quia nemo ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui continuata temporum successione, ab Apostolis hucusque vixerint, vsquam in suis scriptis in memoriam ea redigere dignatus est.* Et cap. 32. disputationem Petri & Appionis ideo reiicit, *quia apud veteres nulla omnino eius fit mentio.* Et c. 3. Petri acta, & Euangelium, & libellum de prædicatione, & Apocalypsin, ideo in Scripturis Canonicis numerari negat, *quia nullus scriptor Ecclesiasticus, vel ex veteribus, vel hodie, testimoniis ex illis libris depromptis vsus est.* Augustinus sæpe contra Marcionem, non ex alio fundamento Apocrypha quibus illi vtebantur, refellit. Citantib. Euangelium Thomæ, respondet lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 38. *Huic Scripturæ licet nobis non credere, quia non est in Catholico Canone.* Et iterum contra Faustum libr. 22. capit. 79. *Has Scripturas Canon Ecclesiasticus respuit.* Tertullianus aduersus Marcionem lib. 4. *Si sub Pauli ipsius nomine Euangelium Marcion intulisset, non sufficeret singularitas instrumenti, destituta patrocinio antecessorum.* Et paulo post. *Ego meum Euangelium dico verum; Marcion suum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens autoritatem, quod antiquius reperiatur, & ei præiudicans vitiationem quod posterius reuincetur?* Iterum Augustinus contra Faustum libr. 13. c. 4. *Si alios quos dicat Apostolorum nostrorum codices protulerit, quomodo eis ipse autoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab Apostolis constitutas non accepit, vt inde ad posteros firmata commendatione transcurrerent? Quomodo ille cui non credo, profert mihi Scripturas, quibus de illo credam, & eis ipsa conatur dare autoritatem, cui ego ipse non credam?* Hieronymus docens tertium & quartum Esdræ, inter Apocryphorum somnia habendos, causam subiicit, *quia non habentur apud Hebræos nec de viginti quatuor senibus sunt, procul abiicienda.* Hæc ille præfatione in Esdram & Nehemiam. Erat enim viginti quatuor seniorum, & ipsius Synagogæ germanas à nothis Scripturas discernere: sicut nunc Ecclesiæ: ideoque non nisi in ipso templo à Scribis ipsis, quæ pro Canonicis habenda erant, vel conscripta erant, vel approbata, vt Dorotheus in Synopsi docet. Augustinus contra Faustum libr. 11. cap. 2. libros dicit Apocryphos vocari, *non quod habendi sint in aliqua autoritate secreta; sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione prolati sunt.* Et de Ciuitate Dei, libr. 15 c. 23. *Apocrypha nuncupantur eo quod eorum occulta origo non claruit patribus, à quibus vsque ad nos autoritas veracium Scripturarum certissima & notissima successione peruenit.* Nicæna Synodus secunda. *Inter Epistolas diuini Apostoli, quædam fertur ad Laodicenses, quam Patres nostri tanquam alienã reprobarunt.* Deniq; Augustinus de libro Enoc aliorumq; Prophetarum scriptis. *Ea castitas Canonis non recipit.* Et iterum, *Non inueniuntur in Canone quem populus Dei recepit.* Hæc omnia Stapletonus recitat: & ita prorsus recitat.

XII. Respondeo prius de testimonijs: tum de ipso argumento. In hac testimoniorum enumeratione, Stapletoni partim fidem, partim iudicium desidero. Nam primo, falso quædam recitantur: vt primus, secundusq; ex Eusebio. Non n. dixit Eusebius Apocryphos tales esse, quia nemo è Scriptoribus Ecclesiasticis eorum meminerit; prout legisse Stapletonus voluit videri: sed tantum simpliciter negauit ea scripta memoriæ commendata esse: non vero tanquam causam redderet, ob quam sint Apocryphæ. Itaq; substituit Stapletonus suum *quia*, pro *quorum*, ὅτι ἀντὶ ὧν.

XIII. Secundo, illud Hieronymi de viginti quatuor senibus, non sine crassa fraude exponitur de nescio quibus vigintiquatuor viris, quorum apud Iudæos munus esset discernere Canonicos ab Apocryphis. At hoc merum est Stapletoni somnium: quod Hieronymo in mentem nunquam venit. Brito longe aliter, & recte interpretatur, *de vigintiquatuor libris qui sunt apud Hebræos in Canone Scripturarum; qui significantur per viginti quatuor seniores, Apocalypsis quarto.* Nec dissentit Marianus Victorius scholijs in eum locum.

XIV. Tertio, Dorotheus in Synopsi, nihil docet eorum, quæ ab eo habere videri vult Stapletonus. Non docet, inquam, ea quæ pro Canonicis habenda essent, non nisi in templo vel scripta fuisse, vel approbata. Nam de approbatione ne γρῦ quidem: de Scriptione ita habet. *E Prophetis nonnulli libros sibi conscripserunt, vtpote Dauid, qui sibi Psalmorum librum congessit: & Daniel, qui iussus est in captiuitate literis mandare, quæ per visiones reuelata accepit: & quidam alij. Reliqui non ipsi Prophetias suas, sed Scribæ qui in templo erant, cuiusq; Prophetæ sermonem veluti cum dierum supputatione conscripserunt.*

XV. Quarto, qui loci tantum nominant Ecclesiasticum Canonem, quid ad rem faciunt, quæso? Negat Augustinus quandam Scripturam esse in Ecclesiastico, siue Catholico Canone, eique propterea ait licere nõ credere. Quid tum? Nam hęc nostra nulla est quæstio. Imo prolixe fatemur nullos esse omnino libros, quibus necessario credendum sit, præter eos qui sunt in Canone. Quid igitur? Nimirum quæstio nunc agitatur de causa propter quam aliqui sint intra Canonem libri: atq; ea quidem non quauis, sed vel sola, vel summa. De hac causa nihil prorsus hi loci nobis manifestant.

XVI. Quinto, nihil minus concludunt hi omnes loci, quam quod aut voluit, aut debuit velle Stapletonus, ne aberraret à quæstione. Nam hoc saltem ex ijs habetur, nempe ex autoritate Ecclesiæ cognosci libros Apocryphos, ab eaque reiectos fuisse: quod nemo vnquam sanus neget. Non posse autem aliter agnosci, aut si aliter, esse illud summum argumentum, nemo dixit è Patribus.

XVII. Denique; non tantum Ecclesiæ illi iudicium proferunt, sed etiam membrorum quorundam Ecclesiæ. Eusebius enim Scriptores nominat Ecclesiasticos: & quidem non omnes simul, sed singulos. *Nemo* (inquit) *è Scriptoribus Ecclesiasticis:* rursus, *nullus scriptor Ecclesiasticus.* Tertullianus patrocinium postulat, non totius Ecclesiæ, sed antiquorum. Est vero hęc obseruanda distinctio, vt constet nõ agere eos autores, de summa causa propter quam eiusmodi libri habentur pro Apocryphis: nam alias necesse esset in singulorum Ecclesiasticorum scriptorum autoritate acquiescet: quod est absurdum.

XVIII. Iam de argumento. Mitto quod sæpe dixi, nos etiam inter causas cur recipiantur Scripturæ, hanc nominare Ecclesiæ autoritatem, proinde facile concedi posse, quicquid hic disputatur. Hoc dico; primum etiamsi librorum Apocryphorum reiectio quoad nos tota penderet ab autoritate Ecclesiæ, tamen non confici ab eadem pendere consignationem vere Canonicorum. Quia enim infinite distant prophani quilibet & Apocryphi, à sacris & Canonicis, facile posse Ecclesiam multo plus iuris in illos habere, quam in hos.

XIX. Deinde, Ecclesiæ definitionem, non esse aut solam aut summam causam, ob quam Apocryphi reiecti sunt: nam alias esse, & quidem potiores. Esse alias probo è varijs Patrum locis. Eusebius lib. 3. historiæ cap. 25. de quibusdam ita habet: πόῤῥω δὲ που καὶ ὁ τῆς φράσεως παρὰ τὸ ἦθος τὸ Ἀποστολικὸν ἐναλλάττει χαρακτὴρ, ἥ τε γνώμη, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς φερομένων προαίρεσις, πλεῖστον ὅσον τῆς ἀληθοῦς ὀρθοδοξίας ἀπᾴδουσα, ὅτι δὴ αἱρετικῶν ἀνδρῶν ἀναπλάσματα τυγχάνει σαφῶς παρίστησιν, ὅθεν οὐδ᾽ ἐν νόθοις αὐτὰ κατατακτέον, ἀλλ᾽ ὡς ἄτοπα πάντη καὶ δυσσεβῆ παραιτητέον. *Ipse phrasis character procul discedit ab Apostolico more: sed & sententia, sensusq; earum rerum quæ in illis exstant, immane quãtum discrepat à recta veraq; fide quo perspicuum fit figmẽta esse hominũ hæreticorũ. Propterea ne in nothis quidem censenda: sed vt prorsus inepta reiicienda sunt.* Rursus c. 38. de libris quibusdam Clementis, quib. continebantur Petri & Appionis dialogi: ὧν οὐδ᾽ ὅλως μνήμη τις παρὰ τοῖς παλαιοῖς φέρεται, οὐδὲ γὰρ καθαρὸν τῆς Ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας ἀποσώζει τὸν χαρακτῆρα. *Eorum nulla omnino memoria facta est ab antiquis, neq; enim seruãt purum sinceræ Apostolorum fidei characterem.* Sic lib. 6. capit. 12. Serapionem retulit Euangelij secundum Petrum mendacia arguentem.

XX. Nec aliter Augustinus, contra Faustum libr. 22. capit. 79. Apocryphos Manichæorum libros in Canonem admittendos fuisse dicit, *si sancti & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent.* Quibus verbis quis non videt indicatam causam, ob quam reiecti sunt, nimirum quia non vera, sed falsa dixerint? In Ioannem tractatu 90. Apocalypsin Pauli, *fabulis plenam, à vanis quibusdam confictam*, negat ab Ecclesia recipi. De consensu Euangelistarum libr. 1. cap. 1. *Cæteri autem homines, qui de Domini vel de Apostolorum actibus, aliqua scribere conati, vel ausi sunt, non tales vel suis temporibus exstiterunt, vt eis fidẽ haberet Ecclesia, atq; in autoritatem Canonicam sanctorum librorum eorum scripta reciperet. Nec solum quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ Catholica atque Apostolica regula fidei, & sua doctrina condemnat.* Deniq; in Synodo Nicæna secunda, act. 6. tom 5. Ecclesia Catholica dicitur Thomæ Euangelium auersari *tanquam impium.*

XXI. Ex his omnibus locis duo genera causarum intelliguntur, ob quas Apocryphi sunt à Canone reiecti, vnum externum, alterum internum. Externæ causæ sunt, autoritas Ecclesiæ decernentis: tum ipsorum autorum qualitas; quippe qui eiusmodi non fuerint vt fidem mererentur. Internę sunt, quæ ab ipsorum librorum examine diligenti (vt loquitur Augustinus) desumuntur: primum stylus, φράσεως χαρακτῆρα vocat Eusebius: deinde res ipsæ: nempe, vel fabulosæ, vel impię. Quare in vniuersum quinque causas colligimus; primam autoritatem Ecclesiæ, secundam autorum qualitatem, tertiam stylum, quartam fabulas, quintam impietatem. Non ergo solam Ecclesiæ autoritatem.

XXII. Sed vtrum in iis summum locum obtineat autoritas Ecclesiæ, hinc diiudicabitur: quia ipsa Ecclesia in iudicando mouetur aliunde; videlicet ab aliis causis: quas vbi cognouit, tum secure pronunciat: aliæ autem causæ à seipsis suam vim haberent. Nam omnino reiiciendus est liber à Canone, qui vel editus est à viris non actis à Spiritu Sancto: vel è stylo arguitur nõ esse Apostolicus: vel est fabulosus, vel impius: idque eam ipsam ob causam. At iis ipsis causis nitatur Ecclesiæ iudicium necesse est: quare fatendum eas esse potiores hoc ipso iudicio. Idque eo magis, quod eas ob causas etiam absque Ecclesiæ vllo præcedente iudicio singuli fideles & possunt & debent eos libros abijcere: quemadmodum Serapion, vbi deprehendit imposturas Euangelij, quod Petro adscribebatur, nulla exspectata Synodo, & ipse confutauit; & suis interdixit. At Ecclesia absque ijs causis, aut singulis aut omnibus, nec potest, nec debet pronunciare. Eæ igitur causæ sunt absolute & simpliciter necessariæ: hæc vero autoritas non item. Quis igitur neget illas longe certiores.

Cap. V.

De hæreticis libros sacros vel totos reiicientibus, vel mutilantibus.

I. SEquuntur Hæretici, qui libros vel reiiciebant integros, vel mutilabant. Manichæi totum Vetus Testamentum negabant, & Noui partes non paucas. Ptolomaitæ libros Mosis: Nicolaitæ & Gnostici Psalterium: Ebionitæ Matthæi Euangelium: Alogi, Ioannis: Marcion omnia, excepto vnico Ioannis, atq; ipso etiam lacero. Seueriani, Acta Apostolorum: Epistolas Pauli omnes Ebionitæ: Marcionitæ eas quæ sunt ad Timotheum, Titium, atque Hebræos.

II. Ergo *repudiantes* (inquit Stapletonus) *hæretici aliquam diuinæ Scripturæ partem, aut de libro Canonico controuersiam mouentes, ex Ecclesiæ autoritate, & traditione refelluntur. Non fieret autem, nisi ipsorum librorum Canonicorum determinatio, & autoritas, quoad acceptationem nostram, ab Ecclesiæ iudicio vel maxime penderet.* Argumentum ita confecti potest: Si omnes hæretici vel reijcientes, vel mutilantes Scripturam, refelluntur ex Ecclesiæ autoritate & traditione: ergo Librorum Canonicorum determinatio & autorita

tas, quoad acceptationem noſtram, ab Eccleſiæ iudicio vel maximè pendet: atque hoc eſt vnum infallibile, neceſſarium, ſupremum, & in hoc genere proprium medium.

III. Antecedens probat nonnullis locis ex Auguſtino. Cap. 5. contra Epiſtolam fundamenti. *Cui libro* (is erat Actuum Apoſtolicorum, quos Manichæi reiiciebant) *neceſſe eſt me credere, ſi credo Euangelio: cum vtramque Scripturam ſimiliter mihi Catholica commendet autoritas.* Vndecimo contra Fauſtum c.2. cum aliquid Manichæus reiiceret ſumptum ex Epiſtola ad Romanos, contendens eſſe falſatam: eumque Auguſtinus quaſi prouocaſſet ad ſuos edendos codices, oppoſuiſſetque aliquem negantem, interrogat in hunc modum: *Quid hic ages? quo te vertes? Quam libri à te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis, & nihil valebis, & videbis hac in re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat autoritas.* Libr. 13. cap. 5. *Noſtrorum porro librorum autoritas, tot gentium conſenſione, per ſucceſſiones Apoſtolorum, Epiſcoporum, Conciliorumque roborata, vobis aduerſa eſt: veſtrorum autem nulla eſt; quæ & à tam paucis profertur, & ab iis qui Deum & Chriſtum mendacem colunt.* Libr. 32. cap. 19. *Cur non potius Euangelicæ autoritati tam fundatæ, tam ſtabilitæ, tanta gloria diffamatæ, atque ab Apoſtolorum temporibus vſque ad noſtra tempora per ſucceſſiones certiſſimas, commendatæ, non te ſubdis?* Libr. 18. cap. 7. *Sicut te Manichæus impiam docuit peruerſitatem, vt ex Euangelio quod hæreſin tuam non impedit, hoc accipias, quod autem impedit, hoc non accipias: ſic nos Apoſtolus docuit piam prouiſionem, vt ſi quiſquam nobis annunciauerit, præter id quod accepimus, anathema ſit.* Hæc ille eo loco, planè in eo quod accepimus, id eſt Eccleſiæ traditione, volens fidelem acquieſcere in recipiendis Scripturis. Libr. 28. cap. 2. Manichæo genealogiam ſcriptam Matth. 1. neganti opponit, *vniuerſæ Eccleſiæ ab Apoſtolicis ſedibus, vſque ad præſentes Epiſcopos certa ſucceſſione perductæ teſtimonium.* atque id vocat c.4 *confirmatiuam autoritatem.* Denique libr. 33. cap. viiii. *Quapropter breuiter vos admoneo, vt ſi autoritatem Scripturarum omnibus præferendam ſequi vultis, eam ſequamini, quæ ab ipſius præſentiæ Chriſti temporibus. per diſpenſationes Apoſtolorum, & certas ab eorum ſedibus ſucceſſiones Epiſcoporum, vſque ad hæc tempora toto orbe terrarum cuſtodita, commendata, clarificata peruenit.* Hæc Auguſtinus, manifeſtiſſime docens autoritatem Scripturarum, vel Scripturam ipſam eam ſolam eſſe, quæ per Eccleſiam cuſtodita, & commendata ad nos peruenit: & hoc Eccleſiæ meritis ac ſanctitati tribuendum eſſe. Atque hactenus Stapletonus argumentum explicauit.

IV. Reſpondeo, negari conſequentiam. Primo quia ad determinandas Scripturas, & autoritatem eis conciliandam non ſufficit hæreticorum refutatio: ſed requiritur inſuper prorſus certa perſuaſio: quæ ſolis fidelib. propria eſt. At hæc perſuaſio iuuari quidem poteſt ab Eccleſia, ſed neq; ſola, neq; ſumma: nam & præter & ſupra ſunt reliqua argumenta. Pendet autem prorſus ab interno Spiritus motu, vt alias dixi.

V. Secundo, quia ne quidem ad hæreticos refutandos ſola eſt Eccleſiæ autoritas vtilis: nam ea ipſa argumenta, quibus fideles ſuadentur, etiam hos conuincere poſſunt, vt miracula, maieſtas ſtyli, rerum ſanctitas, & alia: quæ ab antiquis adhibita ſunt etiam contra Ethnicos. Sic Tertullianus contra Marcionem diligenter exſequitur *ἀναλογίαν* Veteris & Noui Teſtamenti.

VI. Tertio, quia non ſufficit argumentum ab autoritate Eccleſiæ ad eos omnes conuincendos, & refutandos, qui Scripturæ libros non admittunt, aut impugnant etiam. Quidam n. ipſam Eccleſiæ negant autoritatem, vt Ethnici; non minus quam ipſos libros: Nec Marcionitæ, aut Manichæi, plus opinor, delaturi erant Eccleſiæ Catholicæ in hac de Canone Controuerſia, quam in reliquis articulis. Itaq; ſi hoc vnum eſſet infallibile & neceſſarium argumentũ, tum neceſſe eſſet Chriſtianos obmuteſcere, quoties eis negotium eſſet cũ hoc hominum genere.

VII. Ad Auguſtini locos reſpondeo, primo, nuſquam ſanctum illum Patrem indicare eſſe illam autoritatem Eccleſiæ aut ſolam aut ſummam rationem: mendaciumque eſſe Stapletoni, quod ad extremum addidit, eum ſignificare Eccleſiæ meritis & ſanctitati tribuendam eſſe autoritatem Scripturæ. Nam ille profecto nihil aliud agit, quam quod nos faciendũ agnoſcimus, nempe, vt autoritate Eccleſiæ Manichæorum impudentia retundatur, quod quanquam non ſit aut ſolum, aut ſummum argumentum, tamen eſt neruoſum & potens.

VIII. Secundo, nego ab Auguſtino proferri vllum Eccleſiæ de Canonicis libris quicquam decernentis, iudicium: ſed tantum eiuſdem de iiſdem in Canone conſtitutis teſtimonium. Sunt enim ſecundi loci diſerta verba, *quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis?* Et in 6. nominatur vniuerſæ Eccleſiæ teſtimonium. Sed & ratio id poſtulat. Nam ſucceſſiones requiruntur ab Auguſtino, Apoſtolorum, Epiſcoporum, Conciliorum. At ſemel omnino Canon conſignatus eſt: & quidem ab initio, adeo vt Canonici libri eſſent ante vllam ſucceſſionis ſeriem, ante vllum coactum Concilium. Poſſunt autem poſteriores, teſtes eorum eſſe quæ ante eos geſta ſunt: ſed non poſſunt ſuo iudicio efficere, vt geſta ſint. Quare nulla fert ratio, vt cui Auguſtinus ſolum tribuit teſtimonium, ei iudicium tale aſſignetur, vt inde pendeat quales ſint quoad nos libri ſacri.

IX. Nec obſtat, quod in primo loco aſſerit Auguſtinus ſibi neceſſe eſſe credere Euangelio & Actis, propter Eccleſiæ autoritatem. Nam id commune eſt omnib. rationibus quibus Scriptura probatur eſſe Canonica: imo vero ſic neceſſe eſt, credere omnib. argumentis veris quacunq; tandem de re agatur: ſic neceſſe eſt, nos credere teſtibus, à quib. tamen non pendet, quid aut quale ſit id de quo teſtantur. Deniq; ſic me oportet Eccleſiæ credere prædicanti Deum eſſe: nec tamen Eccleſiæ autoritas aut ſola, aut ſumma cauſa eſt quoad nos, vt Deus ſit; id eſt, vt credatur Deus eſſe.

Cap. VI.

De libris Prophetarum & Apoſtolorum non admiſſis in Canonem.

I. Libri Prophetarum & Apoſtolorum non admiſſi in Canonem Eccleſiæ ſunt, in Veteri quidem Teſtamento, geſta Dauidis à Nathan, & Gad Prophetis deſcripta: Solomonis à Nathan, Ahia, & Addone: geſta Abiæ regis & Ioſaphati à Iehu. Multa item ſcripta Dauidis & Solomonis. Denique *in magna multitudine Prophetarum, perpauci ea ſcripſerunt, quæ autoritatem Canonis obtinerent,* inquit Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 17. c. vlt. In Nouo Teſtamento, Paulus Epiſtolã ad Laodicenſes ſcripſit, & legi voluit in Eccleſia Coloſſenſium, 4. ad Coloſſenſes. Petri plures olim ferebantur libri, vt Actorum eius, Euangelij, prædicationis, Apocalypſis, Iudicij; *qui tamen inter Apocryphas Scripturas reputantur,* ut Hieronymus in Catalogo. Idem ſcribit de periodis Pauli & Teclæ, quæ Lucæ adſcriptæ erant. Conſtitutiones quoq; Apoſtolicę à Clemente octauo libris digeſtæ ſunt, nec tamen in Canonem receptæ. Sic apparet tam Prophetas quam Apoſtolos, quædam ſcripſiſſe quæ non ſunt in Canonis autoritatem relata.

II. Hæc autem Canonis autoritas à ſola Eccleſia peti neceſſario debet: niſi ad illam Babylonicam ſententiarum & dogmatum confuſionem omnia redigi velimus, quam inter Paganos & Philoſophos obtinuiſſe meminit Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 18. c. 41. *Inter quos etſi vera interdum dicebantur; eadem tamen licentia dicebantur & falſa. Nec vllus vnquam populus, ſenatus, poteſtas, aut dignitas publica impiæ ciuitatis innumerabiles illas philoſophorum diſſenſiones dijudicãdas curauit, ſed paſſim ſine vllo iudicio omnes in gremio ſuo portauit.* At non ſic olim Iſraelitæ: non ſic hodie Chriſtiani. Sed fuit tunc Synagoga, nunc eſt Eccleſia, quæ omnibus iſtis diſſentientibus de Scriptura Sacra ſententijs, iudicio ſuo finem impoſuit.

III. Reſpondeo prius de librorum enumeratione: poſtea de vi argumenti. In Veteri Teſtamento non conſentit Stapletonus Bellarmino. Nam iſte Dauidis, Solomonis, Nathanis, Gadi, Ahiæ, Addonis libros aſſerit olim in Canone fuiſſe ante quam amitterentur, lib. 4. de Verbo Dei, cap. 4. Ille autem contra, ſupponit in Canonem non fuiſſe relata. Sunt enim concepta verba, *Notandũ eſt, tum in Veteri, tum in Nouo Teſtamento, ipſos Prophetas & Apoſtolos aliquã ſcripſiſſe, quæ tamen in Canonem Scripturarum non ſunt relata.* At hoc ſi falſum eſt, ruit argumentum, hac ſaltem parte.

IV. Quanquam Nathanis, Gadi, Ahiæ, Addonis, Ieſu ſcripta veriſimile eſt etiam hodie in Canone noſtro contineri; eſſeque partes librorum, qui Samuelis & Regum nomine inſcribuntur: quemadmodum diſputat noſter Whitakerus. Sane Dorotheus, quem vt vetuſtiſſimum autorem Stapletonus laudat: teſtatur in Synopſi, eos, Samuelis, inquam, & Regum libros, non vno ſpiritu, ſed per partes fuiſſe varijs temporibus compoſitos. *Non Prophetica tantum* (inquit) *ſed & regnorum libros ad hunc modum in templo per partes ſcripſerunt: vtpote temporibus Saulis, quæ vſque ad regnum illius geſta fuerant; & tempore Dauidis, quæ ſub Saule vſque ad ipſum Dauidẽ contigerant, atque hoc pacto, quæ ſub vno quoque rege acta fuerunt, ſingula ſuis tẽporibus ſcripſerunt.* Et confirmatur ex Ioſepho contra Appionem libr. 1. aſſerente Prophetas τὰ καθ' ἑαυτοὺς ὡς ἐγένετο σαφῶς συγγεγραφέναι: ea perſpicue ſcripſiſſe quæ ad ſua tempora pertinerent, prout gerebantur. Itaq; non abſurde Whitakerus in diſputatione de Sacra Scriptura contendit, Dauidis geſta à Nathane & Gado ſcripta ea eſſe quæ nomine Samuelis leguntur. Nam autorem quidem non eſſe Samuelem, per ſe quilibet agnoſcit. Salomonis autem à Nathane, Ahia, & Addone ſcriptas res geſtas, contineri lib 1. Regum. Sed hac de re prolixe Witakerus Stapletonum flagellauit Duplicationis libro 2. capite 1.

V. In Nouo Teſtamento non paucos libros perperam tribuit Apoſtolis. Nã libros illos Actorum, Euangelij prædicationis, Apocalypſis, iam oſtendimus inter ſuppoſititios numerari: & miror tam obeſę naris fuiſſe quemquã vt non diuinarit; audiens Hieronymum eos recenſentem inter Apocryphas Scripturas. Nam certe hoc ipſo ſignificare voluit non fuiſſe à Petro compoſitos. Proinde cum in editione Eraſmiana legeretur. *Libri autem eius, è quibus vnus actorum eius inſcribitur,* emendauit Marianus Victorius, & legit, *Libri autem è quibus*: tum quia incongrua eſſet lectio: tum quod non ſic haberent Sophronius, aut emendati codices. Et ſane Sophronij verba plana ſunt: τὰ δὲ συγγράμματα, τυ̂ῖς πρῶτον ὃ ἐπιγέγραπται πράξεις αὐτοῦ, δεύτερον Εὐαγγέλιον, τρίτον κήρυγμα, τέταρτον Ἀποκάλυψις, πέμπτον κρίσις, ὡς Ἀπόκρυφα ἀποδοκιμάζεται. Quæ verba ſignificant, non quia repudiati ſunt, ideo eſſe Apocryphos: ſed contra quia ſunt Apocryphi, ideo eſſe repudiatos.

VI. Periodum Pauli & Teclæ, nondum vſquam legi fuiſſe adſcriptam Lucæ. Nam quod eius meminerit Hieronymus in Luca, hoc non euincit: cum ex ipſo contextu contrarium appareat. *Aliud quoque edidit volumen* (inquit) *egregium, quod titulo* πράξεις Ἀποστόλων *prænotatur: cuius hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id eſt, vſq; ad quartum Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem vrbe librum eſſe compoſitum. Igitur* περιόδους *Pauli & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter Apocryphas ſcripturas computamus. Quale eſt enim, vt indiuiduus comes Apoſtoli, inter cæteras eius res, hoc ſolum ignorauerit?* Vident omnes Hieronymum id volumen reiicere hoc argumento, quod quæ in eo continebantur, Lucas ignorauerit; quod non erat veriſimile οὐκ ἐνεχώρει, inquit Sophronius. Atqui ſi Lucæ tribuebatur id quicquid erat operis, qui potuit Hieronymus ſumere tanquam conceſſam hanc Lucæ ignorationem? Nam certe non ignoraſſet, ſi deſcripſiſſet, etſi alio quodam libro. Sed & continuo autorem indicat ex Tertulliano, presbyterum quendam ex Aſia, apud Ioannem eius criminis conuictum, excidiſſe, ſiue vt Sophronius habet ἐκβεβλῆσθαι, eiectum eſſe à communione Chriſtiana: ſiue vt Tertullianus libro de Baptiſmo, *loco deceſſiſſe*, hoc eſt deſtitutum eſſe ſui muneris gradu.

VII. Taceo Clementis conſtitutiones: quarum in hunc numerum prouehendarum cauſam diuinare non poſſum: nunquam enim aut ipſe liber adſcriptus eſt cuiquam Apoſtolo: aut res ipſæ ab Apoſtolis eſſe potuerunt, tam mendaces, tam ſuperſtitioſæ, tam parum piæ: vt alias docebimus. Epiſtolam ad Laodicenſes, nullam ſuam eſſe Paulus vnquam indicauit; vt oſtendimus ſuo loco. Quæ autem hoc nomine circumferebantur, & tandem edita eſt à Sixto Senenſi, poſt Ioannem Fabrum Stapulenſem, eam Theodoretus aſſerit eſſe fictam. Epiphanius contra Marcionitas negat eſſe ἐν τῷ Ἀποστόλῳ, hoc eſt Sixto Senenſi interprete lib. 2. Bibliothecæ ſanctæ, *Aſſerit hãc Epiſtolam non eſſe Pauli.*

VIII. Nunc ad argumentum, reſpondeo veriſimile eſſe quædam Scripta Prophetarum & Apoſtolorum, non eſſe in Canone. Sed aut nullam eſſe cauſam præter autoritatem Eccleſiæ; aut hanc ſaltem eſſe ſummam etiam quoad nos; hoc vero non ſequitur ex vllis exemplis nominatis: & omnino falſum eſt.

est. Quod non aduertisse Stapletonum, quis non miretur? monitum ab Augustinum c.38.lib.18.de Ciuitate Dei:quod non tantum legit,sed etiam recitauit in hæc verba. *Huius rei*(nempe cur quædam Prophetarum non sint Canonici) *causam diligenter quærens Augustinus, aliam se inuenire non posse scribit, quam quod existimet Prophetas veteres, quibus ea quæ in autoritate religionis esse deberent, Spiritus sanctus vtique reuelabat, alia sicuti homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione diuina scribere potuisse. Atque hæc ita fuisse distincta, vt illa tanquam ipsis; ista vero tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad vbertatē cognitionis, hæc ad religionis autoritatem, in qua autoritate custoditur Canon.* Quid? non nouerat Augustinus Ecclesiam? ignorabat Ecclesiæ autoritatem? Aut non poterat dicere hanc esse vnam, eamque certissimam causam, quod alia essent in Canone, alia minime? Sed non erat Papista? vt ne hodie quidem Papistæ, Catholici esse volunt cum Augustino.

IX. Adde, eos libros, aut aliquando fuisse Canonicos, aut nunquam. Si aliquando, aut ex Ecclesiæ iudicio aut non. Si ex Ecclesiæ iudicio, tum ipsam necesse est Ecclesiam, quæ prius suo iudicio eos intra Canonem receperat, postea suo rursus iudicio exclusisse. Quod si concedunt Papistæ, viderint quo modo illam à graui scelere vindicare queant, quæ aut indignos consecrarit, aut dignos consecratione exegerit. Sin aliquando Canonici fuerunt [illegible], Ecclesiæ iudicio: ergo ea nec sola, neq; summa causa est, imo potius nulla, contra quam Stapletonus contendit. Iam si nunquam fuerunt Canonici: Ergo rursus Ecclesiæ iudicium non est summa causa, nedum sola: Nemo n. sanus asseret eos nunquam exstitisse ante quam de ijs Ecclesia iudicaret. Quod si extabant ante omne iudicium; & erant Apocryphi, ergo non est Ecclesiæ autoritas causa cur libri sint extra Canonem.

X. Neq; est quod nobis Babylonicam confusionem obiiciat, quia etsi negemus Ecclesiæ autoritatem aut solam aut summam causam esse distinguendorum librorum Canonicorum ab Apocryphis, tamen non asserimus esse nullam: Ethnici autem, quos Augustinus taxat, omnino nullam habebant. Sane vero nos non coacti, sed vltro profitemur, Ecclesiæ munus esse de libris æq; pronunciare, ac de dogmatib. atq; autoritatem nulli contemnendam: qua sæpe vsam esse non tantum patimur, sed etiam serio gaudemus.

Cap. VII.

De distinctione in Protocanonicos & Deuterocanonicos.

I. SVperest distinctio Canonicorum in Protocanonicos, & Deuterocanonicos. Hos Stapletonus appellat, qui apud Iudæos olim, tum postea apud Christianos, semper certo sunt pro Canonicis habiti: nunquam dubij; libri Mosis, Iosue, Iudicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, & similes. Hos vero, qui cum primo Ecclesiastici dicerentur, & ad ædificationē plebis teste Hieronymo in veteri Ecclesia legerentur, Apocryphi etiam appellarentur, in Canonem postea accepti sunt. Contendit igitur Ecclesiæ iudicio & autoritate factum, vt hi posteriores, quos Apocryphos vocat primi generis, à certo Canonicis distinguerentur: ac demum paulatim pro Canonicis reciperentur.

II. Hos ita numerat. In Veteri Testamento, librum Iudith, Esther, Tobię, Maccabæorum vtrumque, Baruc, Epistolam Ieremiæ, Sapientiam Salomonis, Ecclesiasticum, orationem Azariæ, Hymnum trium puerorum, Susannæ & Draconis Beliq; historiam. In Nouo, Epistolam ad Hebræos, & Iacobi, & Ioannis secundam, ac tertiam; & Iudæ, item Ioannis Apocalypsin, cum quibusdam fragmentis, de sudore Christi, & de muliere in adulterio deprehensa. *Hæc*, inquit, *olim apud vetustissimos Christianos pro Ecclesiasticis quidem & sanctis diu habita sed dubiis tamen & Apocryphis, tandē ab Ecclesia Dei magna ex parte cum certo Canonicis numerata sunt, & per eius autoritatem pro Canonicis habita.*

III. Argumenta sint. Primum, quia quemadmodum ante Ecclesiæ definitionem pro dubijs & Apocryphis illa omnia habebantur, sic definiente Ecclesia, aliqui eorum pro certo Canonicis sunt habiti. Secundum, est ex varijs Patrum locis, Hieronymi, Athanasij, Tertulliani, Conciliorum Laodiceni, & Carthaginensis tertij: item Gelasij, Damasceni, Augustini, Eusebij, ex quibus omnibus concludit, Ecclesiæ iudicio & autoritate factum esse, vt Apocryphi primi generis, id est, Deuterocanonici, à certo Canonicis distinguerentur, & demum paulatim pro Canonicis reciperentur.

IV. Respondeo, primum in enumeratione duo esse vitia. Vnum est, quod reliquis annectuntur libri qui semper fuerunt Canonici. In Veteri Testamēto librum Esther Iudæi nunquam repudiasse leguntur. Fatetur autem Stapletonus Synagogam potuisse Scripturas discernere. Vnum aut alterū, aut etiam tertium inter Patres fateor aliter sensisse. Sed non est æquum inde æstimari totius Ecclesiæ Catholicæ sententiam.

V. Nec aliud iudicium de partibus illis Noui Testamenti. Nam eas in dubium reuocatas esse ab vniuersa Ecclesia nusquam constat: sed à paucis duntaxat, suo priuatoque sensu vtentibus: quod considerate obseruauit Bellarminus. Epistola quidem ad Hebræos recepta fuit semper ab omnibus Græcis imo & Latinis, præter Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Arnobium. *Non debet autem* (inquit Bellarminus) *duorum aut trium Latinorū dubitatio anteponi certissimæ confessioni aliorum omnium.* Hieronymus ab ipso Stapletono citatus, tum de hac Epistola, tum de Apocalypsi loquens, *Nos*, inquit, *vtrumque recipimus: nequaquam huius temporis consuetudinem; sed veterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerunque vtriusq; vtuntur testimoniis, non vt interdum de Apocryphis facere solent, sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.* Locus est in Epistola ad Dardanum: vnde constat primis Ecclesiæ temporibus vtrumq; librum fuisse Canonicum.

VI. Epistolas Iacobi & Ioannis, & Iudæ, quas in dubium vocatas dicat, Eusebius, eorum quos habemus, primus est, secundus Hieronymus. Et quidem Eusebius in Epistolam Iacobi durior, quam rotunde dicit esse notham: ἴσεον ὡς νοθεύεται; nam Hieronymus, non se, sed alios dubitasse significat. Lucæ particulam de Christi sudore sanguineo, Hilarius de Trinitate lib.10. negat in plurimis codicibus cum Græcis tum Latinis legi. Hieronymus vero 2. contra Pelagianos in quibusdam inueniri: de Ecclesiæ iudicio neuter loquitur. Eam narrationem de muliere adultera, indicat Eusebius non legisse apud Ioannem, hist.lib.3.c.postr. si tamen eandem Eusebius historiam significat; quod Bellarmino non frustra aliter videtur. Sed Hieronymus eodem secundo aduersus Pelagianos; in multis legi dicit & Græcis & Latinis codicibus. At hæc neq; singula, neque omnia sufficiunt ad vellicandam harū Scripturæ partium fidem; quominus eas credamus ab ipso initio fuisse habitas in Canone.

VII. Alterum Stapletoni vitium in eo est, quod eos Deuterocanonicos nominet, qui tamen ab Ecclesia Catholica nunquam sunt admissi in ordinem vere & proprie Canonicorum: nempe eos qui ad vetus Testamentum pertinent: Iudith, Tobiam, Maccabæos, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum, ac reliquos, de quibus prolixe disputabimus in proxima controuersia.

VIII. Iam ad argumentum facilis responsio. Primo id totum non complectitur Canonem integrum: omittit enim eos, quibus nomen imposuit Protocanonicos: in quos quid iuris fuit Ecclesiæ? Nam hos Stapletonus dixit, tum apud Iudæos, tum apud Christianos semper habitos esse pro Canonicis: Et quidem certo Canonicis. Ergo, inquam, ante vllum Ecclesiæ iudicium: alias falsum esset, eos semper habitos esse in Canone: nullum enim proferri potest de Canone iudicium Ecclesiæ, nisi post eos editos longo tempore. Ad hæc ipsa argumenti constructio indicat non comprehendi in ijs quibus Ecclesia autoritatem tribuit: quia non in Deuterocanonicis continentur. Hoc si est ita; tum necesse est aliam esse causam. Quod si in illis, cur non in alijs?

VIII. Secundo, eorum librorum alios nunquam esse receptos contendunt Catholici: alios concedunt. Illi non possunt probare, quod Stapletonus conatur. Nam si nec recepti sunt, nec recipiendi, tum profecto illis nullam Ecclesia autoritatem aut contulit, aut conferre potest. Tum ipsum argumētum hoc fundamento nititur, quod sint admissi. Eo diruto, quis neget argumētum ruere?

IX. Sed neque alij qui admissi sunt, promouent Stapletoni caussam. Nego enim receptos aut tantum aut maxime propter autoritatem Ecclesiæ, qui nostræ quæstionis status est. Recte autem negari inde doceo, quia nulla assignari potest Ecclesiæ determinatio, ante quam non ostendamus eos libros habitos esse pro Canonicis. Nam antiquissimam illi arcessunt à Concilio Nicæno primo: falso id quidem, sed quid ad me? At longe ante id tempus Canonem fuisse enumeratum constat. Nam apud Eusebium histor. libr.6.c.25. Græci codicis, recensetur ab Origene; inque eo Epistola ad Hebræos, duæ Petri, tres Ioannis: etsi in dubium vocatas obseruet. Quod si non quorundam, sed Ecclesiæ fuisset decretum: quid illo homine foret ineptius?

X. Ad hæc, Hieronymus diserte protestabatur se in admittendis Epistola ad Hebræos & Apocalypsi, nequaquam sui temporis, sed veterum scriptorum autoritatem sequi. Non potest hoc aliter intelligi, quam vt dixerit, nullam sibi in Ecclesiæ determinatione causam esse. Nam si Ecclesia ita determinasset, tum sane Hieronymi temporibus ea consuetudo esset inducta, vt ij libri Canonici haberentur: itaq; non negasset se suorum temporum consuetudinem sequi.

XI. Ex his patet, quid iudicandum sit de prima confirmatione. Scilicet, quod dicitur, ante Ecclesię definitionem illa omnia pro dubijs & Apocryphis habita fuisse, vel intelligendum esse non vniuersaliter de omnib. Christianis: sed particulariter de quibusdam: vel omnino esse falsum: itaq; nihil concludi: quia in hoc tota quæstione sermo est non de singulorum fidelium iudicio, sed de vniuersalis Ecclesiæ determinatione.

XII. Et rursus quod additur: determinante Ecclesia pro Canonicis habita; recte dici, si tamen intelligitur; primum de aliqua fidelium parte: eorum scilicet qui ante id tempus dubitabant: nam reliqui qui iam numerabāt in Canone, profecto non habuerunt inde initium sui iudicij: proindoque nec causam. Deinde, solet quidem de quolibet fidei articulo Ecclesia iudicare; videlicet, vt non sit propterea aut sola aut summa causa eius articuli credendi, sed tantum inter causas vna, suo loco & ordine numeranda. Sic n. recte dicimus, definiente Ecclesia creditum fuisse τὸ ὁμοούσιον, contra Arianos. Sed esse tamen Ecclesiæ definitionem aut solam aut summam causam sic credendi, falsum esse constat, exemplo Alexandri Alexandrini, qui ante vllam Ecclesiæ Catholicæ definitionem Arium damnarat.

XIII. Venio ad autoritates Patrum. Ex ijs quædam recitantur non sincera fide. *Athanasius* (inquit Stapletonus) *Apocalypsin Ioannis inter certo Canonicos numerat, quia, inquit, à priscis sanctis, & Spiritu Dei imbutis Patribus, velut quæ illius sit, accepta & probata est.* Atqui Athanasius, nullam suæ enumerationis aut causam, aut rationem reddidit. ἐπὶ τούτοις ἐστὶ καὶ ἡ Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, δεχθεῖσα ὡς ἐκείνου, καὶ ἐγκριθεῖσα ὑπὸ πάλαι ἁγίων καὶ πνευματοφόρων πατέρων. *In his est etiam Apocalypsis Ioannis Theologi, recepta tanquam illius, & cæteris adnumerata ab iis, qui olim fuerunt sancti, & Spiritu pleni Patres.*

XIV. Eusebius historiæ libr. 3. cap. 19. Christophorsonianæ editionis, *De ipsis certo Canonicis Scripturis dicit, illas secundum Ecclesiæ traditionem veras, germanas, & omnium sententiis manifeste confirmatas esse: & hac perspicua nota, ab aliis omnibus discerni, quæ non sunt eiusdem autoritatis, sed sunt positæ in Controuersia, à plerisque tamen Ecclesiasticis viris reuolutæ & pertractatæ.* Ita quidem Stapletonus: sed Deus bone, quam sublesta fide! Nam quæ Christophorsonus non satis fideliter verterat, iste ita peruertit, vt quæ prius exiguum diuertebant à verbis Eusebij, nunc ab eius mente tam procul abscedant, vt non credas eundem esse locum. Christophorsonus ergo reddiderat ad hunc modum. *Istorum librorum enumerationem necessario fecimus, vt cum Scripturas, quæ secundum Ecclesiæ traditionem, veræ, germanæ, & omnium sententiis manifesto confirmatæ sunt, perspicua quadam nota ab aliis quæ non sunt eiusdem autoritatis, sed sunt positæ quidem in controuersia, à plerisq; tamen Ecclesiasticis viris euolutæ & pertractatæ, distinxerimus: facile quidem non istas ipsas modo, sed eas etiam quæ Apostolorum nomine ab hæreticis circumferuntur, possimus discernere.* At Græca sic se habent, Ἀναγκαίως δὲ καὶ τούτων τὸν κατάλογον πεποιήμεθα, διακρίνοντες τάς τε κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀληθεῖς καὶ ἀπλάστους καὶ ἀνωμολογημένας γραφάς, καὶ τὰς ἄλλως παρὰ ταύτας οὐκ ἐνδιαθήκους μὲν ἀλλὰ καὶ ἀντιλεγομένας, ὅμως δὲ παρὰ πλείστοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν

τῶν γινωσκομένας, ἵν' εἰδέναι ἔχοιμεν, αὐτάς τε ταύτας, καὶ τὰς ὀνόματι τῶν Ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένας. Atque hæc ita vertı oportuit. *Horum enumerationem necessario fecimus; distinguentes ea scripta, quæ iuxta traditionem Ecclesiasticam vera sunt, nec ficta, & in confesso, ab aliis quæ quanquam non sunt in Canone, quin potius controuertuntur, nihilominus plurimis Ecclesiasticis viris cognita sunt vt possimus discernere tum hæc ipsa, tum ea quæ Apostolorum nomine ab hæreticis obtruduntur.*

XV. Duplex fuit Christophorsoni peccatum. Primum, quod illud διακρίνοντες disiunxerit à præcedentibus κατάλογον ἐποιησάμεθα, quasi potius ad sequentia pertineret, videlicet ad illa ἵνα εἰδέναι ἔχοιμεν: quod omnes vident non conuenire Grammaticæ constructioni. Secundum, quod τὸ διακρίνοντες verterit *perspicua quadam nota distinxerimus*: cū simpliciter significet discernere, distinguere, separare: notam autem perspicuam nullam exprimat: nec Eusebius aliud indicauit, præter suam illam enumerationem, in qua facta est ἡ διάκρισις. Hinc tamen Stapletonus longius aberrandi occasionem sumpsit: & non quod legerat recitans, sed quid legi vellet indicans, finxit Eusebij hanc esse mentem, vt dicat ex traditione Ecclesiastica, tanquam nota certissima, discerni eos libros. Quod iam quilibet agnoscit esse falsum, & Eusebium significare, ex hac sua enumeratione, facile posthac eos libros distinctum iri. En Papisticam fidem!

XVI. Tertulliano quoque, si minus verba, certe mentem affingit prorsus alienam, in hunc modum. *Tertullianus ordinem Episcoporum ab Apostolis succedentium, Apocalypsin Ioanni Euangelistæ tribuere affirmat.* At Tertullianus eiusmodi habet prorsus nihil. Sed cum argumento à successione Episcoporum in varijs Ecclesijs vrgeret Marcionitas, tum in eas Ecclesias incidens, quæ fuerant institutæ à Ioanne sic infit, contra Marcionem lib. 4. cap. 5. editionis Pamelianæ *Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit autorem.* Sensus est, Marcionem nihil promouere, negando Apocalypsin esse Ioannis: quia alia via cognosci queat, quæ fuerit ipsius Ioannis doctrina: nimirum ex testimonio Ecclesiarum, quas ab ipso fuisse constitutas inde conuincitur, quod in nominandis earum Episcopis ab vltimo ad primum, tādem Ioannes eius successionis autor comperiatur. Hoc vero quid facit ad Apocalypseos approbationem, aut reprobationem? Prorsus nihil.

XVII. Rursus Athanasium fingit, enumerantem quædam Apocrypha, dicere, ex his veriora quædam, & Spiritus Dei institutum resipientia, esse transsumpta, & vt legantur selecta. Quod tamen ad Canonicorum autoritatem omnino non facit. Nam post Canonicos prolixe enumeratos, subiectis Apocryphis Veteris Testamenti, tum ad eos deueniens Athanasius, qui in Nouo Testamēto sunt extra Canonē. τῆς νέας πάλιν διαθήκης, (inquit) ἀντιλεγόμενα ταῦτα· περίοδοι Πέτρου, περίοδοι Ιωάννου, περίοδοι Θωμᾶ, εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶν, διδαχὴ ἀποστόλων, κλημέντια, ἐξ ὧν μετεφράσθησαν ἐκλεχθέντα τὰ ἀληθέστερα καὶ θεόπνευστα. ταῦτα τὰ ἀναγινωσκόμενα. *Noui instrumenti quibus contradicitur sunt hi. Circuitus Petri circuitus Ioannis: circuitus Thomæ: Euangelium secundum Thomam, doctrina Apostolorum, Clementina Ex his veriora quædam & Spiritus Dei instinctum resipientia, transumpta & vt legantur selecta sunt.* Atqui nemo nescit, eorum librorum nullum vnquam admissum esse in Canonem. Quomodo igitur inde probet aliquis Canonis consignationem ex autoritate Ecclesiæ?

XVIII. Sed & Origenem apud Eusebium, *Epistolam ad Hebræos propter patrum traditionem sine dubio legendam docere, ipsaq; Euangelia, quia sic ex traditione didicerat, pro diuinis habenda,* miror quo loco Stapletonus legerit. Nam c.19. in lib.6. hist. neq; ea verba vlla sunt, neq; is sensus. De quatuor quidē Euangelijs ita est. ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, τὸν ἐκκλησιαστικὸν φυλάττων κανόνα, μόνα τέσσαρα εἶναι εὐαγγέλια μαρτύρεται ὧδέ πως γράφων, ὡς ἐν παραδόσει μαθὼν περὶ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων, ἃ καὶ μόνα ἀναντίρρητά ἐστιν ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, ὅτι πρῶτον μὲν γέγραπται τὸ κατὰ τόν ποτε τελώνην, ὕστερον δὲ ἀπόστολον Ἰησοῦ Χριστοῦ Ματθαῖον. Hic locus non satis sincere à Christophorsono redditus Latine ita sonat. *Primo libro Commentariorum in Matthæi Euangelium obseruato Ecclesiastico Canone, testatur quatuor esse tantum Euangelia, scribens fere in hunc modum, se in traditione didicisse de quatuor iis Euangelijs, quæ sola in vniuersa, quæ sub cœlo est, Dei Ecclesia, sunt certa, primo scriptum esse illud quod est secundum Matthæum prius quidem publicanum, deinceps vero Apostolum Iesu Christi.* Ergo id solum significat Eusebius, Origenem à traditione accepisse, quod attineret ad ordinē Euangeliorum, vt primo compositum sit Matthæi, secundo Marci, tertio Lucæ, postremo Ioannis: quantumlibet aut falso, aut ambigue Christophorsonus dixerit, Origenem à traditione certiorem esse factum de quatuor Euangelijs, quibus à nemine contradicatur.

XIX. De Epistola ad Hebræos: εἴ τις ἐκκλησία ἔχει ταύτην τὴν ἐπιστολήν, ὡς Παύλου, αὕτη εὐδοκιμείτω, καὶ ἐπὶ τούτῳ· οὐ γὰρ εἰκῇ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες Παύλου αὐτὴν παραδεδώκασιν. *Si qua Ecclesia hanc habet Epistolam, celebretur tanquam Pauli: etiam hanc ob causam, quod non inconsiderate eam veteres tradiderunt esse Pauli.* An hoc vero idem est quod noster Stapletonus, propter patrum traditionem sine dubio legendum esse? Scilicet, his armis, imo his artibus defendi oportuit Papæ causam. At non veritatem.

XX. Hi omnes igitur falso citantur. Reliqui autem quid? Inutiliter. Primus est Hieronymus: qui *Liber*, inquit, *Iudith inter hagiographa* (apocrypha legendum, alia docebimus) *ab Hebræis legitur. Sed quia hunc librum Synodus Nicena in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, vt eum ex Hebræo in Latinum transferrem.* Et his verbis significari vult Stapletonus Ecclesiæ iudicio & autoritate factum esse, vt liber Iudith paulatim pro Canonico reciperetur. Atqui id nunquam cogitauit Hieronymus, qui hunc librum seuerissimo iudicio relegauit inter apocryphos. Sed indicauit solum se ea Nicenæ Synodi autoritate commotum, imo persuasum, vt verteret in linguam Latinam: quod quid faciat ad consignationem Canonis, non video: quis enim negat etiam apocryphos transferri posse?

XXI. Concilium Laodicenum Canonicos libros recenset, eosq; legi, & in autoritatem recipi oportere decernit. Imo, inquam, Concilium Laodicenum, Deuterocanonicorum nullum prorsus, sed eos tantum nominat, qui certo sunt Canonici, & à Stapletono appellantur Protocanonici. Egregium scilicet argumentum, ad euincendum Ecclesiæ iudicio factum, vt Apocryphi primi generis, hoc est Deuterocanonici, paulatim pro Canonicis reciperentur. Sed decernit tamen aliquos libros in autoritatem recipiendos: Respondeo, nihil proprie decerni quod Canonicos attineat: sed eos ex occasione tantum recenseri. Proprie agebatur de apocryphis non legendis: Canonicis autem legendis: atque hæc vere Sanctio appellari debet: non autem de quibusdam libris inferendis Canoni. Itaque totius eius decreti sensus est, eos publice legēdos in Ecclesia libros, qui non tū nimirū fierent, sed qui iampridem essent Canonici. Si ergo de consignando Canone nihil decreuit concilium, sed recitauit duntaxat iam consignatum, quis non inepte hinc argumentum accommodet ad causam papisticam: quæ docet consignationem Canonis pendere ab autoritate Ecclesiæ?

XXII. Carthaginense tertium; Innocentius; & Gelasius, hoc tantum fortasse vtiles esse queant Stapletono, quod vna cum vere Canonicis enumerant hos Deuterocanonicos: at quam ob causam censendi sint Canonici non significant, quæ tamen nunc nostra est disputatio. In Carthaginensi tamē additur, *quia à patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Quæ verba significant, non pependisse ab eius Synodi iudicio, quid hac de re statuendum esset: imo eam potius hoc accipere debuisse, non secus ac alios quoscunque fideles: atq; idipsum quod acceperant alijs commendare: quæ ratio per singula secula, imo per singulos annos, deducet ad autores Apostolos, & Prophetas in quibus tandem conquiescendum. Nam traditio non autoritatem significat Ecclesiæ aliquid suo iure tum primum instituentis: sed sinceritatem, id quod ab Apostolis institutum est, & Christo, & Prophetis, suo testimonio confirmantis.

XXIII. Augustinus *de his de quibus olim dubitatum erat, dicit, quia in autoritatem recipi meruerunt, ideo inter propheticos numerandos esse*, c. 8. lib. 2. de doctrina Christiana: sed &, *ostendens ex vario Ecclesiæ iudicio totam hanc veritatem & discrimen pendere, Tenebit,* (inquit) *hunc modum fidelis in Scripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnib. recipiuntur* Ecclesijs, *præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque autoritatis Ecclesiæ tenent.* Et contra Faustum lib. 11. cap. 5. *Distincta est à posteriorum libris excellentia Canonicæ autoritatis Veteris & Noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est.* Hæc ille. Vbi vides, inquit Stapletonus, esse quidem in sublimi sede constitutam Scripturam, sed per successiones Episcoporum, & purgationes Ecclesiarum, id est, approbantibus & in autoritatem recipientibus illam Episcopis & Ecclesijs.

XXIV. Respondeo, esse quidem hæc Augustini verba, sed argumentum Stapletoni nullum. Et primo late sumi Canonis nomen ab Augustino, vt comprehendat etiam eos libros, qui rectius non Canonici, sed Ecclesiastici nuncupantur, eo quod tanquam vtiles legerentur ab Ecclesia, quę illa est autoritas in quam receptum dicit Ecclesiasticum & Sapientiam, ostensum est alio loco. Quid tum autem, si recipi meruerunt in autoritatem; aut quid hoc pertinet ad hanc quæstionem quam tractamus? Non enim exponit Augustinus causam, ob quam factum est vt reciperentur, tantum receptos esse testatur. *Sed doce* (inquit Stapletonus) *à quibus, nisi ab Ecclesiæ præpositis, Patrib. & Magistris.* Nam ita, opinor, expressit in Defensione vim argumenti, quam in Principijs omiserat. Nec promouet quicquam. Non enim quærimus à quibus recipiantur: Nam quis dubitat ab Ecclesia, id est à doctoribus, à fidelibus, quomodo omnia reliqua quæ ad fidem pertinent? Sed quærimus quam ob causam recipiantur: hoc Augustinus his certe verbis non definit: nec sequitur, si recipiantur à præpositis, patribus, & magistris, ideo Ecclesiæ autoritatem esse vel solam vel summam causam, quæ efficiat vt quoad nos sint Canonici.

XXV. Ex Ecclesiæ autem vario iudicio pendere totam hanc veritatem: primo est absurdum. Quia enim fides Christiana nihil admittit in eodem subiecto contrarium, ideo si Ecclesiæ autoritas aut sola aut summa causa est, vt libri sint quoad nos Canonici, non potest, aut certe non debet eius varium esse iudicium. Et si sit, tum nullo modo error excusari potest. Et si error admittitur, tum autoritas necessario corruit. Exempli gratia, in Epistola ad Hebræos & Apocalypsi varium erat iudicium Græcorum, & Latinorum. Certe, si vere Apocalypsin hi admittebant in Canonem, illi non recte reijciebant. Nisi hoc absurdissimum admittamus, pro varijs locis, variari fidem. Et tamen si varium illud admittas iudicium, vtrique recte fecerint. Quod quis ferat?

XXVI. Secundo, id ab Augustino prorsus est alienum. Nam ꝙ dixit preponendos esse qui ab omnib. recipiuntur, ijs qui à paucioribus, non eo pertinet, vt significet, se alicui parti Ecclesię hoc tribuere, vt nonnihil Canonicę autoritatis tribuat nonnullis libris: sed eo potius, vt indicet, se non enumerasse Canonem proprie sic dictum (nam qui in eo sunt, vnam eandemq; omnes autoritatē obtinent, &, vt loquitur Concilium Tridentinum, pari pietatis affectu recipiendi sunt, ob eamq; causam non præferendi alij alijs) sed multo latius vt obseruauit Ioannes de Turrecremata in hunc ipsum locum à Gratiano citatum vel corruptum potius dist. 19.

XXVII. Quis non videt autem absurdissimam absurditatem? Nam si à vario Ecclesiarum iudicio totum hoc discrimen penderet, vt conceptis verbis Stapletonus affirmauit, tum vero eodem tempore ijdem libri essent & Canonici, & Apocryphi, nimirum varijs Ecclesijs varie iudicantibus, vt suo tempore factum dixit Augustinus, Hieronymus, & alij. Quare Stapletonum interrogo, cuius tandem Ecclesiæ velit esse id iudicium: Catholicæ-ne an particularis? Si Catholicæ, frustra citat ergo hunc Augustini locum, quem ex ipsis verbis loqui constat de iudicio particularium, cum comparet plures paucioribus, maiores minoribus. Sin particularis, omnes vident infinitam absurditatem. Itaque mollius sine dubio interpretanda huius Patris ea verba: nempe, vt non ab Ecclesiarum iudicio pendere dixerit autoritatem librorum Canonicorum, sed commoneri vnumquemque fidelium, maxime in Scripturis nouitium, ex vsu Ecclesiarum, quos libros præ cæteris terere debeat. Qui sensus vt nihil habet absurdi, ita causam Stapletoni non concludit. Nihil enim obstat, quominus ab ijs moneamur, à quorum tamen iudicio atque autoritate non pendeat quid sequamur. Et sane Ecclesiæ sunt hæ vel maxime partes, vt credituris indicet, imo tradat & commendet diligenter Scripturas Canonicas. Sed enim con-

consignandi Canonis illa nunquam sibi autoritatem summam arrogare debet.

XXVIII. In tertio loco ; quis audaciam queat dissimulare? Dicebat Augustinus excellentiam Canonicæ autoritatis Apostolorum confirmatam temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum in sede quadam esse sublimiter constitutam. Stapletonus egregium agens interpretem, vultijs verbis significari, esse quidem in sublimi sede constitutam, sed per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, id est, approbantibus, & in autoritatem recipientibus Episcopis, & Ecclesijs. Atqui, quæro ab eo, quid futurum sit illis verbis, quibus significatur autoritas illa confirmata Apostolorum temporibus? Nam illa ego quidem non credo frustra fuisse ab Augustino scripta: imo vero contendo esse totius loci præcipua: Esse enim confirmationem eius autoritatis, & consignationem Canonis, vnam eandemque rem omnino varijs vocabulis significatam: ideoque iam inde ab Apostolorum temporibus, ac proinde ab ipsis Apostolis consignatum esse Canonem. Ergo nisi ridicule dicamus quotidie de nouo eundem Canonem consignari, non potest nisi absurde hæc Augustini confirmatio referri ad successiones illas & propagationes.

XXIX. Præterea Stapletonus ipsa veritatis vi coactus, fatetur hæc verba *excellentiam Canonicæ autoritatis Veteris & Noui Testamenti Apostolorum temporibus confirmatam*, de illis scripturis necessario intelligenda, quæ certo Canonicæ vocantur, & de quibus nunquam dubitatum fuit. Ego addo, ad eas ipsas referri etiam illa sequentia de successionibus Episcoporum, & propagationibus Ecclesiarum. Deinde infero inepte igitur totum locum citari cum de Deuterocanonicis agitur, ad quos nullo modo pertineat: Et rursus illas successiones & propagationes non significare, approbantibus & autoritatem recipientibus Episcopis & Ecclesijs, siquidem ita significetur consignatio Canonis: sed potius venerantibus & autoritatem agnoscentibus Episcopis & Ecclesijs. Neque enim satis recte in autoritatem recipi quam non habebant eos libros dicas, exempli gratia, à Synodo Laodicena, qui tamen ab ipsis Apostolorum temporibus semper eam autoritatem plenissime obtinuerant, & quidem apud omnes: obtinere etiam debebant, siue approbarent & reciperent, siue minus illæ successiones Episcoporum, illæq; propagationes Ecclesiarum.

XXX. Sed librum Sapientiæ hoc nomine diuinum probat Augustinus c. 14. de prædestinatione Sanctorum, *quia proximi Apostolorum egregij tractatores eum testem adhibuerunt, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium credentes*. Similiter Eusebius, quoties alicui libro autoritatem vult asserere, non aliunde hoc facit, quam ex Catholicorum Patrum testimonijs. Hinc capit. 32. libr. 3. historiæ Epistolam ad Hebræos ex Clementis testimonio confirmat: sequenti, Papiæ testimonium adfert pro prima Ioannis & Petri Epistola: Polycarpi pro priore Petri, 13. quarti: post 23. Theophili pro Apocalypsi, & 5. 17. Appollonij, octauo Irenæi pro eadem, & prioribus Ioannis & Petri. Postremo lib. 6. capite vndecimo, Clementis Alexandrini pro epistola Iudæ, & ad Hebræos. Hæc Stapletonus.

XXXI. Respondeo, Augustinum non probare librum Sapientiæ esse Canonicum, sed tantum præferendum alijs tractatoribus, scilicet non Canonicis: hoc argumento, quia ex antiquiorib. plurimi eius testimonijs vsi sint, & quidem ita solebant è diuinis libris. Sensus est autem: etsi non sit Canonicus, tamen eam ipsam ob causam, quod ab autorib. nonnullis habitus sit pro diuino, ideo præponendum esse reliquis: quod nos hodie similiter possumus dicere de alijs, etiam Maccab. 3. aut Esdræ postremis. Sed hic locus rursus tractandus erit in proxima Controuersia.

XXXII. Similiter Eusebius nullo ex ijs locis probat aliquem librum esse Canonicum. In primo cum nominasset Clementis epistolam ad Corinthios, subiunxit. *In qua, quoniam multa nonnunquam eodem sensu ex Epistola ad Hebræos sumpta inserit, & interdum ijsdem iam verbis ex eadem petitis vtitur, apertissime quidem declarat, illud opus non recenti memoria editum.* Ergo hoc tantum voluit euincere isto Clementis testimonio Epistolam illam ad Hebræos esse à primis Apostolicisq; temporibus Quod autem statim infert videri Paulo adscribendam: id neq; iudicium Clementis est, sed ipsius Eusebij: neq; tam iudicium quam coniectura.

XXXIII. In secundo simpliciter monet Papiam vsum esse testimonijs priorum Ioannis & Petri: Et in tertio Polycarpum prioris Petri: in quarto Theophilum Apocalypsis. Nec aliter in quinto Apollonium, Apocalypsis; in sexto Irenæum, tum Apocalypsis tum Sapientiæ. Quis iam Stapletoni ingenium non miretur? Qui ex his sibi conficiendum putauerit, Ecclesiam sua autoritate effecisse, vt qui pro dubijs aliquando habiti sunt, pro authenticis & certo Canonicis haberentur? Egregiam, ita mihi faueant Papistæ, Dialecticæ peritiam. Quasi vero singuli doctores nihil differant ab Ecclesia: aut quod singuli vsi sint testimonijs quorundam librorum, ex eis libris Canonicam autoritatem tribuerit. Et credas hos viros in re tanta serio agere, & non potius ludere pueriliter?

XXXIV. Sed hoc totum cuiusmodi sit, nõ potest melius intelligi, quam ex postremo loco Eusebij, libr. 6. c. 11. historiæ: vbi similis obseruatio est de Clemente Alexandrino. *In ijsdem octo libris* (inquit) *vtitur testimonijs Scripturarum ἀντιλεγομένων: nimirum Sapientiæ, quæ Salomonis dicitur, & Ecclesiastici Iesu Sirac: & Epistolæ ad Hebræos, & Barnabæ & Clementis, & Iudæ. Tatiani item librum contra Gentiles citat, & librum Cassiani, quem de temporum ordine conscripsit: Philonis porro, & Aristobuli, Iosephi & Demetrij, & Eupolemi Iudæorum scriptorum memoriam non præterit.* Audin', vt numeret plerosque libros à Clemente citatos. An dicimus Eusebium hoc argumento illis autoritatem Canonicam conciliare? Arqui nemo vnquam illos omnes numerauit in Canone: imo ne potuit quidem, nisi insanus. Ergo absurde Stapletonus hæc loca tanto conatu selegit.

XXXV. Quid? quod iudicia illa sunt omnia non Ecclesiæ, sed singulorum doctorum? Et quidem eius temporis, quo Stapletonus agnoscit, nullam adhuc extitisse hac de re Ecclesiæ decisionem? Miram sane incogitantiã! Quid enim? An in singulorum doctorum autoritate positum dicemus, quid nobis de Canone statuendum sit? Absurdum: & præterea extra oleas: non enim est in statu quæstionis positum, *Sed illud*, inquit, *vnum est Ecclesiasticæ probationis medium.* Itane, inquam? vt ex ijs autoribus id doceatur Ecclesia definiuisse, quod tu tamen nondum definitum fuisse contendis, sed multis post annis? Ridiculum. Atq; eadem opera respondeo ad Dionysij Corinthij testimonium & Epiphanij & Eusebij.

CAP. VIII.

An post alia media recurrendum sit ad Ecclesiam, vt certi simus de libris Canonicis.

I. STapletonus capit. 4. eiusdem libri aliud explicat argumentum: Quæcunque alia media tentaueris (inquit) ad Ecclesiam recurrendum est. Nam siue ex stylo & phrasi, vel Apostolica, vel Prophetica iudicium sumpseris, siue ex analogia & regula fidei, siue alia aliqua ex causa, in his omnibus sola Ecclesia certissima iudex est: illa enim sola optime nouit vocem sponsi sui, & phrasin loquendi eius: illa sola de regula fidei iudicat certissime, vt quæ illam nobis tradit. Huius hæc est analysis. Si post alia tentata media ad Ecclesiam recurrendum est: ergo eius iudicium quoad nos summa est causa consignandi Canonis. Antecedens probatur, quia siue styli & phrasis, siue analogiæ & regulæ fidei, Ecclesia certissime iudex est: Ratio est, quia eum stylum nouit optime, deque ea fidei regula iudicat certissime.

II. Respondeo, antecedens negari. Nam si id esset vniuersaliter verum, tum oporteret neminem vnquam agnouisse aliquem librum pro Canonico, nisi post Ecclesiæ iudicium: quod tamen est falsum. Nam cum quosdam Noui Testamenti libros Papistæ velint non relatos in Canonem decernente Ecclesia, nisi post annos demum quadringentos, aut paulo minus, tamẽ eosdem certum est à plurimis agnitos fuisse pro vere & certo Canonicis, interea dum alij dubitabant, Qui igitur habebant eos pro Canonicis, quomodo poterant recurrere ad iudicium Ecclesiæ, quod nullum erat? Quod si illi potuerunt ex stylo, & analogia persuaderi, qui minus & nos hodie? Et si minus, tum non erit hoc quicquid est, perpetuum, sed pro varijs personis & temporibus varium.

III. Ad hæc, cum fateatur Stapletonus Ecclesiam in decernendo niti & stylo, & analogia fidei: adeo vt sine illo interno iudicio (sic enim vocat) externum, quo illa quid sibi videatur, pronunciat & decernit, prorsus sit cæcum, nonne inepta fit circulatio? Nam cum iudicarit ex stylo & analogia aliquis, exempli gratia: Hieronymus Epistolam ad Hebræos esse Canonicam; tum illi recurrendum erit ad Ecclesiæ iudicium: quod illa, vt tum recens pronunciaret, recurrebat ad eundem stylum eandemque analogiam.

IV. At Ecclesia eum stylum eamque analogiam nouit optime. Imo, inquam, Ecclesia nihil nouit nisi in singulis: hoc est quatenus singuli, ex quib. ea componitur, id norunt. Quare cum dicit Stapletonus, Ecclesiam nosse stylum Scripturæ, & analogiam fidei; id nihil aliud significare potest, quam vel omnes fideles, vel plurimos, optime nosse. Quod si verum est, tum sequitur quod nos volumus, nempe etiam singulos posse & debere ex stylo & analogia iudicare de Scripturis Canonicis. Imo vero quia iudicium pronunciantes Ecclesię, posterius est illa singulorum notitia, quam necesse est præcedere: neque enim, exempli gratia, in Synodo Laodicena factum est commune decretum de Canone, nisi præcedentib. singulorum suffragijs: quæ ipsa suffragia prodierunt ex singulorum notitia: inde necessario concluditur Ecclesiæ autoritatem non esse summam causam consignandi Canonis: nihil enim summũ, quod pendeat aliunde.

V. Præterea, Ecclesiam solam optime nosse vocem sponsi sui, si ita dicitur, vt distinguatur Ecclesia à fidelibus singulis, vt solet fieri apud Papistas, prorsus est falsum. Nam *oues*, inquiebat Christus Ioan. 10. *norunt vocem pastoris sui*: sunt autem oues singuli fideles: itaq; si ex eo quod vocem sponsi sui nouit Ecclesia, certissimum est eius iudicium, erit etiam certissimum omniũ fidelium, ob eandem causam.

VI. Iam vero si distinguant Ecclesiam, ab infidelium quorumuis cœtibus, omnino verum est eam solam optime nosse vocem sui sponsi. Sed quid hoc ad quæstionem? Non n. potest Ecclesia quicquam infidelib. tradere sua tantum autoritate, quam illi non agnoscunt: nec sequitur, si Ecclesia melius nouit vocem Christi quam omnes infideles, ideo ipsam summam esse fidelib. credendi causam.

VII. Rursus, negatur consequentia. Nam hæc posterioritas potest ad ordinem pertinere potius, quam ad autoritatem. Neque enim omnia simul potest mens humana concipere: neque vero etiam omnia promiscue occurrunt. Denique Paulus contulit Euangelium suum cum reliquis Apostolis: quod tamen habebat ex reuelatione diuina, tanquam summa. Quomodo ergo non sequitur summam ei fuisse credendi autoritatem, consensum Apostolorum, etsi post reuelationem, imo post miracula, post Scripturas, ad eos accesserit: sic non est necesse Ecclesiæ autoritatem summam esse credendi Scripturis causam, etiamsi post alia conquisita fundamenta, Ecclesiæ consensus requiratur.

CAP. IX.

An Scriptura non probet suam autoritatem.

I. SI quod esset medium, quo certi esse possemus de Scriptura; præter autoritatem Ecclesiæ, id esset ipsamet Scriptura. At hoc falsum est: ergo & illud. Argumentum tractant Stapletonus & Charronæus, sed iste concepit paulo explicatius.

II. Probant assumptionem. Scriptura per Scripturam probari non potest, nec in toto, nec per partes. Nam si totam quis neget, vt Paganus aut Atheus qua tandem ratione ipsa per ipsam probaretur? Fieret n. processus in infinitũ. Per partes autem, si quis neget Euangelium cum Iudæis, aut Apocalypsin, aut quatuor Euangelistas, aut Epistolam Iacobi, ne tum quidem ex Scripturis proba-

probari quicquam potest. Ita Charronæus. Sed Stapletonus, eas tantum partes nominat, quæ posteriores scriptæ sunt: concedens si quis dubitet de partibus prius scriptis, posse ex posterioribus conuinci. Rationem autem reddunt, quia omnis probatio, à notioribus procedit: neganti ergo simpliciter, aut omnino nescienti totam Scripturam, ex eadem nihil probabitur. Præterea nulla pars seipsam probare potest, quod sit verbum Dei: non est enim scriptus aliquis liber sacer, immediata Dei vox: sed est verbum Dei: & vnum ex his quæ à Deo pronunciata creduntur: tamen non ex seipso, sed aliunde, nempe per Ecclesiæ vocem vt cætera, constare nobis debet: Est enim fidei, vt cætera, superat captum nostrum, vt cætera: per immediatam reuelationem non debet accipi, magis quam cætera: debet ergo per Ecclesiam cognosci, vt cætera.

III. Respondeo negari assumptionem: vere enim ac certissime Scripturam è Scriptura probari, tum totam, tum per partes, nō minus quam seipsum sol ostendit. Idque duplici modo, vel disertis testimonijs, vel argumentis ex ipsarum natura ductis. Ad totam hæc pertinent testimonia. Ioannis 5. *Scrutamini Scripturas: nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testificantur de me.* Poster. ad Timoth. 3. *Tota Scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.* Nam hi loci & similes, totum ipsum Scripturarum corpus commendant Ecclesiæ, non tanquam aliquid commune, & quotidianum, sed tanquam diuinum, vnde nobis petenda sit salus: id est, certissima salutis doctrina.

IV. Ad partes quæ pertinent, duplicia sunt: nam vel ex seipsis partes singulæ confirmantur, vel aliæ ex alijs. Ad primum genus pertinent omnes loci, quibus se autores contestati sunt loqui non à seipsis, humanoue aliquo instinctu, sed ex mandato Dei, inspiranteque Spiritu: vt sæpe Moses meminit suorum cum Deo colloquiorum: sæpissime Prophetæ testantur ad se factū verbum Domini. Paulus vocat se Apostolum Christi: non ab hominibus, neque per homines. Alterius generis illa sunt, quæ creberrime reperiuntur in posterioribus libris de priorib. testimonia, concedente ipso Stapletono. Nam ex Nouo Testamento plenissime Vetus probatur infinitis locis: laudat Christus Mosem, Prophetas, & Psalmos, quib. nominibus omnes censentur libri, qui pertinent ad Canonem Hebræorum. Et multis variisq; locis omnes pene allegantur libri illi veteres. Præterea Paulus Lucæ testatur magnam fuisse laudē in Euangelio, post. ad Corin. 8. Petrus Epistolas Pauli diserte accensetScripturis 3. c. post. Epistolæ. Hæc testimonia sunt.

V. Argumenta autem attigit Caluinus Institut. libr. 1. cap. 8. & Zacharias Vrsinus de Sacra Scriptura quæst. 3. Ea sunt à doctrinæ maiestate: ab orationis simplicitate, puritate, diuinitate: à librorum antiquitate: ab oraculis & prædictionibus longo post tempore impletis: à miraculis: ab hostium persecutionibus: à martyrum testimonijs: ab ipsorum autorum inspiratione diuina: è quibus cum omnibus tum singulis, multo certius quam ab autoritate Ecclesiæ, euincitur autoritas Scripturæ Canonicæ: accedente maxime his omnibus interno Spiritus testimonio, quo illa in singulorum fidelium cordib. obsignantur argumenta. Atq; eadem enumerantur etiam à Ioanne Duns Scoto, q. prologi in Lombard. 2.

VI. Charronæus obijcit, si ex Scripturis Scripturæ probantur, dari progressum in infinitum. Respondeo, primo id esse falsum de argumentis sumptis ex Scriptura. Nā sciunt omnes eas & veras; & certissimas, & breuissimas esse probationes, quæ sumuntur ex ipsa rerum natura. Ad summum igitur valeret instantia de altero genere probationum, quæ consistunt in testimonijs disertis. Non sequitur autem si hæc abeant in infinitum, ideo nullam dari rationem probandæ Scripturæ ex ipsa Scriptura.

VII. Secundo ne in his quidem testimonijs vniuersaliter instantia valet: duplicem ob causam. Primo, quia ipse Stapletonus concedit à posterioribus confirmari priores libros: quare hoc saltem respectu nō dabitur progressus in infinitum. Secundo, Charronæus hanc instantiam confitmat, ex eo, quod nō valet hęc probatio aduersus eos qui totam Scripturam negant, vnde ego concludo à contrarijs, valere igitur apud eos à quibus tota Scriptura non negatur. Horum autem alij totam recipiunt, & hi vim experiuntur eorum argumentorum, insuperq; Spiritus sancti, sunt n. fideles. Alij non totam, sed partem, videlicet aut Vetus Testamentum & hi conuincuntur ex Nouo: aut Nouum, & conuincuntur ex Veteri. At si non esset certa hæc probationis ratio, tum ne apud hos quidem quicquam valeret, valet autem: ergo falsum est nō esse certam, aut abire in infinitum.

VIII. Stapletonus obijcit omnem probationem fieri ex notioribus. Nō esse autem Scripturam notiorem seipsa: itaque non bene Scripturam è Scriptura probari. Respondeo, primo illud genus probationum quod constituimus in argumentis à Scripturarum natura ductis vere procedere à notioribus. Nituntur enim quibusdam quasi κοιναῖς ἐννοίαις, quas ne peccatum quidem extinxit in homine, has assumptio sequitur, quæ non iam iuris est, sed facti.

IX. Secundo, eorum qui Scripturas negant, cum non sit vnum genus: sed alij totam, alij partes tantum negent, hinc fit vt illa ipsa diserta testimonia notiora esse possint. Scilicet ijs, qui sunt ex posteriori genere. Nam Iudæis notiora sunt ea quæ petuntur à veteri Testamento: itaq; apud eos hoc genere testimoniorum recte ac legitime probabitur Nouum Testamentum, vt factū est à Petro, à Stephano, à Paulo in Actis. Contra Manichæis, notiores erant Noui Testamenti partes quædam: ijs igitur tuto ac legitime vti poterant, qui negotium susceperant confirmandi Veteris.

X. Rursus negabat Stapletonus Scripturam esse Dei vocem, sed duntaxat verbum, quod à Deo pronunciatum creditur. Sensus est, si bene concipio, non ita esse Scripturam à Deo, vt sentiamus ipso experimento ipsum Deum loquentem; quemadmodum opinor Moses solebat: tum enim oporteret Deum immediate per se loqui, quod minime facit. Et sane potest videri tolerabile discrimen inter vocem & verbum. Nam Genes. 3 dicuntur ἀκοὴν πλάσαι parentes, Adam & Eua audisse vocem Domini: & in Deuteronomio pluribus locis hoc populo valde inculcat Moses, quod audierit vocem Domini in monte. Prophetæ autem suos sermones appellabant potius verbum Domini.

XI. Sed respondetur, primo non esse discrimen perpetuum. Non paucis enim locis Vocem Dei appellari generaliter manifestationem quamlibet voluntatis diuinæ: vt Exodi 4. *Si audieris vocem Domini tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodieris q; omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te.* Nam, quia id præceptum generale est, non debet restringi ad certam quandam, eamq; momentaneam & transeuntem actionem: adde, vt nonnulli autumant, populum ipsum audisse quidem tonitrua & tubas, cum lex dabatur in monte, sed vocem Dei præcepta tradentis nunquam, quia Moses erat interpres, referens ad eum verba Dei. Sed & Hieronymus in 2. c. Michææ testatur, *Vocem Domini audiri in ciuitate eius Ecclesia, & in Scripturis sanctis quotidie personare.* Et sane Deum nemo fidelium negerit loqui in Scripturis: vnde Theodoretus Dial. 1 ἤκουσα γὰρ λέγοντος, *audiui ipsum loquentem* dixit, cum tamen citaret ea. 12. Euangelij secundum Ioannem. Quod si vox Dei sit Stapletono authentica, ergo non est quod neget Scripturam esse authenticam, id est per se certam, cum sit etiam ipsa vox Dei.

XII. Secundo, non tantum vox apud homines solet esse authentica, sed etiam vocis instrumenta, siue ea sint priuata ipsius loquentis manuscripta, siue publica à notarijs excepta. At Scripturæ libri, si non sunt vox Dei, sunt tamen eius vocis instrumenta à notarijs exarata, id est, à Prophetis & Apostolis: ergo nihil est causæ quominus sint authentici.

XIII. Tertio, si nihil sit authenticum in Ecclesia, præter immediatam vocem Dei, tum nihil omnino authenticum esse potest. Nulla enim est vox eiusmodi. Nam quod Stapletonus Ecclesiæ vocem substituit, audacius est quam sapientius. Non est Ecclesia Deus loquens: sed est nuntia Dei loquentis: itaque non potest esse vox Dei immediata. Imo remotior est quam Scriptura: quia non loquitur Ecclesia verbum Dei, nisi acceptum à Scriptura. Ergo necesse est, si sit vox Ecclesiæ vox Dei, multo magis Scripturam esse idipsum. Propterea iam securi possumus Scripturam appellare vocem Dei, contra quam Stapletonus putabat. Non id quidem absolute: sed quia Deo iam non alloquente fideles per se ipsum, nihil dari possit, quod magis accedat ad vocem immediatam. Quinetiam fatetur Stapletonus immediate à Deo profectam esse Scripturam: quod nemo dicat de voce Ecclesiæ, quę hodie nulla est à Deo immediate, sed vel à Scriptura, vt dixi, vel à præcedentibus seculis. Negat enim Stapletonus de Principijs libr. 8. cap. 15. magistris posterioribus, nouas à Spiritu sancto reuelationes exspectandas, sed maiorum suorum maximeque Apostolorum vestigijs & semitis inhærendum: & disertius ex Thoma Valdensi, Apostolorum autoritatem fontanam fuisse agnoscit, successorum vero translatam atque deriuatam. At si vox Ecclesiæ sit Dei vox immediata, quomodo non erit eius autoritas fontana? Id sane intelligi non potest.

XIV. Reliqua videamus. *Scriptura* (inquit aduersarius) *est vnum ex his quæ à Deo pronunciata creduntur: itaque autorem habet Deum, sicut reliqua omnia quæ creduntur: tamen non ex seipso, sed aliunde, nempe per Ecclesiæ vocem, vt cætera constare nobis debet.* Hæc vero Stapletonus satis obscure. Suspicor velle, omnem quidem Scripturam esse verbum Dei: sed non omne verbum Dei esse Scriptura sanctam: itaq; Scripturæ suum locū assignari inter alia multa, quæ Deum autorem habere credantur. Videlicet nunquam traditionum Papistæ in mentem non venit. Sed quæstio non est huius temporis. Cæterum hæc vis est argumenti: Quæcunque creduntur, ea non ex seipsis, sed per Ecclesiæ vocem constare nobis debent. At Scripturam esse verbum Dei, vnum est ex ijs quæ creduntur. Ergo Scripturam esse verbum Dei, constare nobis debet, non ex seipso, sed per Ecclesiæ vocem. Probatur maior. Quæcunq; superant captum nostrum, nec per immediatas reuelationes accipiuntur, ea debent per Ecclesiam cognosci. At quæcunq; creduntur, superant captum nostrum, nec per immediatas reuelationes accipiuntur: Ergo debent per Ecclesiam cognosci.

XV. Respondeo, primo argui extra quæstionem: nō n. quæri de quouis medio, per q̄ nobis possit autoritas Scripturę constare: sed de sola, vel saltē summa causa, vnde illam quoad nos autoritatem Scriptura habeat: hanc nos in Ecclesiæ autoritate suam esse negamus: etsi fatemur prolixe, nobis non Scripturam solam, sed etiam omnes articulos fidei commendari ab Ecclesia, hoc est ab omnibus & singulis Ecclesiæ pastoribus.

XVI. Secundo in primo Syllogismo nego maiorem: possunt n. quædam ex ijs quæ creduntur à seipsis constare, quale hoc est, de quo agimus, nempe Scripturam esse diuinam. Et rursus ea etiam quæ ex ipsis constare non possunt, aliunde certius cognosci, quam per Ecclesiam: nempe tum per testimonium Spiritus sancti, sine quo nulla potest omnino fides esse: tum per Scripturas sanctas. Alias, quandoquidem Ecclesiam esse aliquam Catholicam, vnum est ex ijs quæ creduntur, est enim relatum inter articulos symboli, constare nobis non posset.

XVII. In secundo syllogismo negatur iterum maior: nam primo, quæ captum superant nostrum, ea cum discuntur ex Scripturis, non accipiuntur aut per extraordinariam reuelationem, aut per autoritatem Ecclesiæ. Nam Scripturarū meditatio, omnino medium est ordinarium à Deo institutum ad fidē comparandā. *Hæc n. scripta sunt vt credatis,* inquiebat Ioan. c. 29. Ad hæc, quæcunq; superant captum nostrum, id est fidelium, ea superant ēt captum Ecclesię: quia nullus est alius Ecclesiæ quam fidelium omnium captus. Non poterit igitur Ecclesia satis idonea esse his mysterijs autoritate sua persuadendis: cum ea sit autoritas non diuina, sed humana.

CAP. X.

De Augustini loco, Ego Euangelio non crederem.

I. His examinatis argumentis, videamus quid habeant ex Patribus. In ijs Augustinus facile occurrit, ad nauseam vsque inculcatus. Is quinto capite contra Epistolam fundamenti dixerat, *Ego non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret autoritas.* Quibus lectis verbis adeo exultant, quasi reperissent id, quod pueri in faba se reperisse clamitant: tamq; confidenter, ac si ad plenum victoriæ fructum sola triumphi gloria deesset. Non reputantes in re tanta, quantum esse oportet fidei Christianæ fundamentum, vnius Patris, vnicum locum, destitutum Scripturæ autoritatibus, firmis etiam argumentis carentem, omnino esse infirmum. Quis e-

enim eam legem statuit, vt quicquid Augustino venit in mentem, id omnes statim tanquam à Deo delapsum excipiant? Sed videamus tamen hoc quicquid erit.

II. Horum igitur verborum Stapletonus hanc mentem esse vult: quasi Augustinus diceret: Quod ad me attinet, nisi iam Catholicus essem, & Catholicæ Ecclesiæ autoritas me commoueret, ne tunc quidem Euangelio crederem. Nimirum vt præsentem suam fidem ostenderet Ecclesiæ autoritate niti. Dicam disertius: hæc eo redeunt vt sensus sit: Ego quantumuis Catholicus, tamen ne nunc quidem Euangelio crederem, nisi me Ecclesiæ autoritas commoueret. Imo Augustinus Musæus Taruisinus ἀξιόπιστος. *Fateor me semper & in hoc & in omnibus stetisse, & adhuc staturum determinationi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui neque crederem Euangelio, nisi hac ipsa Ecclesia approbasset.* In Apologia sua ad obiectionem de paruulis non baptizatis.

III. Respondeo, hunc locum tam solitariũ, hoc est, cui nullus similis inueniri potest, semper visum esse duriusculum viris doctis, quum nondum perfecta esset Papisticæ tyrannidis pertinacia. Itaq; varie à varijs emollitum fuisse, quæsitis interpretationib. Quod ego obseruari diligenter cupio, & comparari cum aduersariorum ingenio, qui his abutuntur crudis vocibus, & diligenter, imo exacte ponderatis, quasi in singulis magnum sit momentum. Adeo profecerunt in deterius, ex quo se veritatis vi premi senserunt: quomodo qui incendio pereunt, etiam candentes ferri laminas amplexantur.

IV. Ioannes de Turre-Cremata Cardinalis in 1. parte Decreti distinctione 9. cap. *Noli meis*, cum quæreret vtrum doctoribus Ecclesiæ, siue ipsi Ecclesiæ sit magis credendum, quam Canonicæ Scripturæ: pro parte affirmante obiectum fuisse obseruauit, videri Scripturam Canonicam accipere autoritatem ab Ecclesia, idque probari ex hoc Augustini loco. Respondet autem, Ecclesiam dare autoritatem Scripturæ, dupliciter intelligi posse: vel vt Scriptura habeat autoritatem ab Ecclesia: idque esse falsum: vel vt Ecclesia autoritatem det Scripturę declaratiue, quia scilicet, fidelibus declararet hanc esse Scripturam Sacram. Augustinum igitur sanę intelligendum, non priori, sed altero sensu, quasi dixerit, sibi ignotum fuisse vtrum istud Euangelium pertineret ad sacrã Scripturam, nisi Ecclesia instinctu Spiritus Sancti, hoc declarasset. Prudenter: quis enim neget Ecclesiam nobis Scripturarum diuinitatem declarare? Interea non poterant, tum temporis Cardinales id tolerare, quod hodie papistici doctores pertinaciter contendunt, Scripturam Canonicam accipere autoritatem ab Ecclesia: nec patiebantur eo trahi Augustinum.

V. Thomas Valden, in Doctrinali fidei libr. 2. cap. 21. intelligit ab Augustino nominatam Ecclesiam Catholicam, quatenus iam olim & ab initio definijt numerum librorum Canonicorum, quibus deinceps addi nihil potuerit. *Sufficiat* (inquit) *vniuersali Ecclesiæ pro præconio potestatis suæ modernæ, quod olim hoc fecerit. Vnde gloria potestatis eius, quasi per cuiusdam maiestatis Imperium valeret ad posteros: ita quod adhuc sine eius autoritate, scriptura aliqua nec legi poterit, nec haberi pro certa. Et hoc sapuit cum diceret contra Epistolam fundamenti cito post principium Augustinus, Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas.* Huic sententiæ suum videtur calculum addere Driedo tom. 1. libr. 4. capite etiam 4. *Augustinus* (inquit) *cum dicit, Ego Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas: intelligit de Ecclesia Catholica, quæ fuit ab initio Christianæ fidei, secundum seriem successionis Episcoporum crescens, ad hæc vsque tempora: quæ sane Ecclesia complectitur collegium Apostolorum.* Et habet vterque à Gerione lectione 2. de vita spirituali animæ, *His aperitur modus intelligendi illud Augustini, Euangelio non crederem, nisi me autoritas Ecclesiæ compulisset. Ibidem enim Ecclesiam sumit pro primitiua congregatione fidelium eorum qui Christum viderunt, audierunt, & sui testes fuerunt.* Hic sensus, eos saltem excludit, qui volunt quosdam libros factos esse Canonicos, aliquot post Christum seculis. Stapletonum etiam, qui hoc quicquid est autoritatis, confert etiam in Ecclesiæ præsentem ætatem, vt tam possint nunc canonizari Hermetis Pastor, & Clementis Constitutiones, quam olim Epistola ad Hebræos, & Apocalypsis Ioannis. Non est tamen explicatio satis commoda. Nam certe non magis Euangelio contulit olim Ecclesia, quã hodie. Et intelligi ab Augustino Ecclesiam Catholicam etiam sui temporis, nullus dubito.

VI. Marsilius in Defensore pacis, p. 2. c. 19. cum dixisset videri Augustinum hoc loco humanam autoritatem præferre autoritati Scripturæ: quia propter q̃ vnum quodq; est, & illud magis: hunc nodum soluit distinctione, aliud n. esse credere sermonem aut Scripturam aliquam esse traditionem alicuius, seu ab aliquo factam: aliud credere illam esse veram, vtilem, vel nociuam, obseruandam, aut omittendam. Et posse ex hominum testimonio, credi horum vnum, vt tamen non alterum. Augustini igitur verba posse intelligi, vel vt dixerit se credidisse Scripturam esse Euangelium, id est, Christi traditionem, ex testimonio Ecclesiæ Catholicæ; quamuis verum continere principalius crediderit ex miraculo, vel reuelatione, vel fide qua Christum credidit esse verum Deum, & per consequens omnem eius traditionem esse veram, atque seruandam. Vel vt vtrumque illud testimonio Catholicæ Ecclesiæ primum acceperit, & crediderit. Sed priorem sensum meliorem esse, & magis conuenire sententiæ Apostoli ad Galatas 1. *Non enim* (inquit) *dicta Christi siue Dei, vera sunt causaliter, eo quod eisdem testificetur Ecclesia Catholica vero testimonio. Sed testimonium Ecclesiæ causaliter verum est, dum dicit dicta Christi vera, propter veritatem dictorum Christi.*

VII. Sed omnium optime Petrus de Alliaco, ipse etiam Cardinalis, articul. 2. quæst. 1. in 1. sentent. *Per autoritatem Augustini*, inquit, *nõ habetur quod ipse crediderit Euangelio per autoritatem Ecclesiæ tanquam per principiũ Theologicum, ex quo Euangelium Theologice probetur esse verum: sed solũ tanquam ex causa mouente ipsum ad fidem Euangelij: ac si ipse aut alius dixisset, Non crederem Euangelio nisi me Ecclesiæ sanctitas aut Christi miracula cõmouerent: in quo dicto licet fidei Euangelij causa aliqua assignetur: non tamen aliquod principium prius, cuius fides causa sit vt euangelio credatur.* Hoc si verũ est, quid habent Papistæ, quo nobis insultent? Nam si non est Ecclesiæ autoritas causa vt Euangelio credamus: certe falsum erit autoritatem Euangelij, id est, Scripturæ quoad nos, pendere ab Ecclesia. Etsi illud non habetur ex Augustino, certe ne hoc quidem.

VIII. Illustratur & confirmatur Petri de Alliaco sententia grauissimis considerationibus nostrorum hominum, Petri Martyris, Caluini, Musculi, Whitakeri. Primum negant Augustinum agere de se tanquam iam Cathol. confessumq; esse contendunt, Augustinum iam tum cum hæc scriberet Catholicũ, testari se vt ex Manichæo negante Scripturas, fieret Catholicus credens Scripturis, commotum esse autoritate Ecclesiæ Catholicæ, quæ illas obtrudebat, & commendabat.

IX. Quod si quis opponat, (Et vero opponit Hayus capit. 48. lib. 1. Disputationum) legi in Augustino, *crederem* & *moueret*, quibus significatur tempus præsens: vt nostro sensu esse debuerint potius, credidissem, & mouisset: respondet Musculus, Augustino eam phrasim esse frequentem, nimirum vt eo tempore vtatur pro præterito: quod quidem nemo neget, qui in eius scriptis sit versatus. Vnicum Musculus recitauit exemplum ex 8. cap. libr. 2. Confessionum, *Si tunc amarem poma illa quæ furatus sum, & eis frui cuperem possem etiam solus, si satis esset committere illam iniquitatem, qua peruenirem ad voluptatem meam, nec confricatione consociorum animorum accenderem pruritum cupiditatis meæ.* Hîc negare nemo potest vsurpari, & amarem pro amauissem, & cuperem pro cupissem, & possem pro potuissem, ac reliqua similiter: quemadmodum nos hoc loco exponimus crederem pro credidissem, commoueret pro commouisset. Ne autem id fortuito quasi excidisse videatur, alios addam locos, è plurimis obseruaui similes. Retract. libr. 1. capit. 3. *Nec tamen isto nomine nos vteremur si iam satis essemus literis Ecclesiasticis eruditi.* Et cap. 23. *Profecto non dicerem si iam scirem etiam ipsam fidem, inter Dei munera reperiri.* Confessionum libro sexto, capite decimo, *Quia re vera si ille faceret. iste discederet.* Et cap. 11. *vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam.* Contra Faustum libro 22. capit. 79. *Legunt Scripturas Manichæi, à nescio quibus sutoribus fabularum, sub Apostolorum nomine scriptas: quæ suorum scriptorum temporibus in autoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera loquutos esse cognoscerent.* Et lib. 8. c. 4. *Ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo vocatus, si non inueniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem societatis esset appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.* De Verbis Domini, serm. 60. Christus *nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus.* Epist. 48. *Si enim terrerentur, & non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Sed rursus si docerentur & non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurarentur, & ad capescendam viam salutis pigrius mouerentur.* Denique liber de Duabus animabus ita scatet his phrasibus, vt pene totus eo sit stylo compositus. Sic apud Optatum (vt appareat vitium fuisse Africanorum non vnius Augustini) lib. 1. *Pax, si, vt data erat, integra inuiolataq; permansisset, nec ab autorib. schismatis turbaretur.* Imo Apuleius Asini 7. *Hercules dicerem quod sciebam, si loquendi copia suppeditaret. Post receptum referres protinus, & infesti latronis cruentis manibus eriperes.* Fulgẽtius ad Venantiam, quæ est Epist. 7. *Si diuturnitas peccatorum Dei vinceret misericordiam, non in ætate mundi nouissima Christus veniret, vt peccatum mundi pereuntis auferret.*

X. Secundo, commouendi, siue vt Driedo legisse videtur, longe dilutius, commouendi verbo negamus eam vim inesse, vt significet Augustini fidem Ecclesiæ autoritate niti: sed tantum occasionem qua ille ad fidem inductus sit. Nam quemadmodum mulier illa Samaritana, Ioann. 4. è suis ciuibus plerosq; suo commouit testimonio ad credendum in Christum, quorum tamen fides non nitebatur eius mulieris autoritate, quod illi testati sunt, cum dixerunt, *Non amplius propter tuos sermones credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus hunc esse vere illum mundi Christum.* Sic nihil obstat, quominus nondum eruditus in fide Augustinus, autoritate commotus sit Ecclesiæ, & tamen postea vlterius progressus, aliud habuerit fidei suæ fundamentum. Marsilius Patauinus, *Dicit autem Augustinus pro tanto se credere Euangelio propter Ecclesiæ Catholicæ autoritatem, quia suæ credulitatis initium inde sumpsit, quam Spiritu sancto dirigi nouit: fides enim quandoq; incipit ex auditu.*

XI. Stapletonus hanc interpretationem impugnat aliquot argumentis: quorum primum est. *Quia infidelis Ecclesiæ autoritate, quatenus Ecclesia, non inducitur vt credat Scripturis.* Respondeo, Augustinum simpliciter dixisse, se commotum autoritate Ecclesiæ, non vero Ecclesiæ, quatenus Ecclesiæ. Ergo commodauit ipse mihi Stapletonus solutionem adeo accurrata cautela. Infideles autem commoueri simpliciter Ecclesiæ autoritate ipse me docuit, ca. 5. lib. 9. de Principijs. *Qui tales sunt* (aiebat, nempe prorsus infideles & Pagani) *poterunt Ecclesiæ autoritate induci ad credendum Scripturis, quatenus vident in Ecclesia Christi, multarum gentium consensum, longi temporis præscriptionem, famamq; celeberrimam.* Quid igitur (inquam?) Non potuit Augustinus sic se commotum dicere.

XII. Ad hæc, qui prorsus infideles nominat, nonne significat se varios gradus infidelitatis agnoscere? Nos igitur dicamus, Augustinum tum cum erat Manichæus, non fuisse prorsus infidelem, sed duntaxat hæreticũ. *Nullus autem est hæreticus* (verba rursus Stapletoni recito ex eodem loco) *qui vel omnino ignorat, vel simpliciter negat Ecclesiam.* Et iterum, *Qui Ecclesiæ autoritatẽ vel omnino ignorat, vel simpliciter negat, fidelis omnino, aut Christianus nõ est.* Si ergo non fuit Augustinus prorsus infidelis, & non Christianus: sed tãtum hæreticus, ac proinde aliquo modo Christianus: nullus autem hæreticus, qui Ecclesiam, Ecclesiæ-ve autoritatem vel ignoret, vel neget prorsus: tum certe necesse est Augustinum, cum inter Manichæos esset, Ecclesiã prorsus nec ignorasse nec negasse: ac proinde potuisse autoritate moueri non tantum Ecclesiæ simpliciter, sed etiam Ecclesiæ quatenus Ecclesiæ. Ideoq; frustra distinxit: imo frustra argumentatus est Stapletonus.

XIII. Secundum argumentum, *Quia Augustinus dicit, Ecclesiæ Catholicæ, nõ simpliciter Ecclesiæ, autoritate se cõmotum fuisse. Ecclesiæ n. autoritatem, vt Catholicæ solus fidelis agnoscit.* Respõdeo, Augustini verba significare Ecclesiã non quam ille tum agnosceret pro Catholica, sed quæ re vera esset Catholica. Quod non est absurdum: potuit enim Augustinus iam Catholicus, loqui de Ecclesia, prout tum credebat cum scribebat, etsi tum cum Manichęus esset, aliter sentiret. Similes phrases sæpe occurrunt Confessionum li. 3. c. 10 *Irridebam illos sanctos seruos, & Prophetas tuos.* Quid? an tum credimus cum irridebat, habuisse illos pro Dei seruis sanctis, & Prophetis? Nihil minus: sed illud de irrisione, Augustini erat olim Manichæi: hoc vero de Prophetis, de seruis, de

uis de Sanctis, eiusdem Augustini, sed facti Catholici, & sua Manichæi peccata agnoscentis & confitentis. Rursus lib. 5. c. 10. *Iungebar etiam tunc Romæ falsis illis atq; fallentibus sanctis.* Videlicet, quos tandem factus Catholicus tales agnosceret: quantumuis aliter sentiret tum temporis, cum eis iungebatur. Itaq; quemadmodum hæ phrases non ita sunt intelligendæ, quasi Augustinus diceret, se irrisisse sanctos seruos Dei, vt sanctos, vt seruos Dei: & adiunxisse se falsis sanctis, vt falsis: sic nihil est quod cogat nos hunc Augustini locum ita intelligere, vt sensus sit, eum esse commotum autoritate Ecclesię Catholicæ, vt Catholicæ.

XIV. Quod si à Stapletono quæram vtrum credat Ecclesiam Christi, eandem esse Catholicam: respondebit, opinor, credere, nisi se abstrahat à cōmuni omnium sensu, atq; adeo ab ipsa rei veritate. Iam igitur, cum fateatur, etiam infideles moueri autoritate Ecclesię Christi, vt paulo ante docuimus, cur miretur si se non prorsus infidelem, sed hæreticum, Augustinus dixerit commoueri Ecclesiæ Catholicæ autoritate?

XV. Iam ipsum Augustinum consulamus interpretem, Confessionum lib. 6. c. 5. *Persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus ferè gentibus autoritate fundasti, sed qui non crederent, esse culpandos.* Et rursus, *Iā credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras autoritatem, nisi & per ipsam tibi credi & per ipsam te quæri voluisses.* Audin', vt suos adhuc Manichæi sensus exprimat, vt se commotum testatur Ecclesiæ autoritate ad credendum Scripturis: Vt non Ecclesiam nominet, non Catholicam, sed omnes gentes, nominet, nominet omnes terras? Nimirum; hoc illud est, quod paulo ante Stapletonus, etiam prorsus infideles & Paganos, posse dicebat induci Ecclesiæ autoritate ad credendum Scripturis, quatenus vident in ea multarum gentium consensum. Quid ergo? nempe aduersus seipsum Stapletonus pugnat: vt solet non raro mendacium suis armis perire.

XVI. Quid? si respondeo, Augustino Ecclesiam Catholicam tum nominatam διακριτικῶς, nimirū, quia iam tū temporis is vsus inualuerat, vt hoc Catholicæ nomine distingueretur vera Ecclesia, ab omnibus hæresibus, quę sibi & Ecclesiæ & Christianæ nomen auderent arrogare? Augustinus contra Epistolam fundamenti c. 4. *Tenet ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostēdere,* vt sensus sit nostri loci, Augustinum commotum esse autoritate Ecclesiæ Catholicæ: non quam tum credebat esse, sed audiebat solam inter omnes quasi proprio nomine Catholicam appellari.

XVII. Quartum argumentum, *Quia in eodem capite paulo post in præsenti tempore dicit de Actibus Apostolorum, Cui libro necesse est me credere, si credo Euangelio, cum vtramque Scripturam, similiter mihi Catholica commendat autoritas. Hæc ille euidenter de sua persona, & in præsenti loquens. Et Confessionum lib. 6. c. 5. cum nobis opus esset autoritate sanctarum literarum, iam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras autoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses. Vbi euidenter docet ex communi consensu orbis Christiani adductum se fuisse, vt Scripturis crederet.*

XVIII. Respondeo ad priorem locum, euidens quidem esse Augustinum loqui de sua persona: sed illud de actibus non absolute dici, sed ex hypothesi: nempe si credidit Euangelio commotus autoritate Ecclesiæ, tum etiam necessario sibi credendum fuisse actibus, nimirum ob eandem rationē. Quare cum supponatur hoc de Euangelijs, etiam reliqua supponi necesse est, vt quia suam inducebat personam adhuc inter Manichæos, primum veræ lucis radium excipientem, cum moueretur ad credendum Euangelio, sic etiam cum sibi necesse esset credere Actibus. Ac proinde, illud *necesse est,* significare aliud nihil, præter necessitatem consequentiæ, quę etiam esse posset ex hypothesi falsa.

XIX. Sed enim in posteriore loco, de se Augustinum loqui, nondum Christiano Catholico, qui neget, hunc necesse est eum librum nunquam legisse. Tractat enim quibus quasi gradibus paulatim abductus sit à Manichęorum erroribus: proinde hoc etiam ipso loco, *cœperam* (inquit) *credere:* non autem credideram.

XX. Quintum argumentum *Quia in præcedenti capite,* quod est 4. *apertissime dicit se iam Catholicum & fidelem, adeoq; Catholicæ Ecclesiæ tunc Episcopum, teneri in Ecclesiæ gremio, per ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen, per consensum populorum atq; gentium, vt nullo modo dubitandum sit, eum in hoc capite quinto de seipso, & in persona fidelis loqui.*

XXI. Respondeo esse locos longe dissimiles: primo, quia in hoc, de quo differimus, diserte legitur, *Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondū credit, quid faceres dicenti tibi Non credo?* Quibus verbis satis intelligunt omnes Augustinum impugnare assertionem illam Manichæorum de Manichæi nomine, hoc argumento, quia non habeant illi vnde eam probent, si eis negotium sit, cum homine non credente Euangelio. Itaq; cum statim subdantur hæc verba, *Ego certe Euangelio non crederem,* & reliqua, satis perspicuū est eodem referenda, vt suo doceat exemplo, quantum illis futurum sit negotium cum homine non credente, destitutis consensu illo populorum. Nā quæ hæc (malum) quantaq; esset ingenij peruersitas, si in hunc modum disputasset? vt quantum Manichæis esset negotium cum non credente ostenderet, ex suo ipsius iam credentis exemplo? Exempla enim oportet esse similia. Ex eo (inquam) quod ipse in se iam credente, nec nisi iam credente experiretur? Nam sic Stapletonus asseruit, proprium esse fideli, vt commoueatur autoritate Ecclesiæ Catholicæ, tanquam Catholicæ. At cum se idem dicit teneri in Catholica, tum loquitur absq; hypothesi, & non assumpta persona increduli. Hęc igitur est prima dissimilitudo.

XXII. Secundo, credere se dixit Euangelio, non nisi commotū Ecclesiæ autoritate: quib. verbis indicat illam autoritatem Ecclesiæ, solam fuisse causam à qua sit commotus, aut certe præcipuam. At cū se teneri dixit in Ecclesia, tū neq; Ecclesię nomen, neq; cōsensum populorum posuit aut solam, aut pręcipuam causam. Nō solam, quia diserte, *multa sunt,* inquit, *quæ in eius gremio me iustissime teneant,* nominatis statim cōsensione populorum, miraculis, spe charitate, vetustate, successione, nomine. Nō præcipuam; quia præfert veritatem *quæ* (inquit) *si tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præferenda est omnibus illis quibus in Catholica teneor.*

XXIII. Sed negat Stapletonus hanc posteriorem dissimilitudinem ad rem quicquam facere, cū de sensu quæratur verborum Augustini, an videlicet ille cum se Catholicæ Ecclesiæ autoritate cōmoueri scriberet, id dixerit de se tanquam olim Manichæo, an vero tanquam tunc Catholico. Imo vero (inquam) ad rem facit? Nam si non potest eodem tempore Augustino autoritas Ecclesiæ esse & sola & non sola, & præcipua, & non præcipua causa credendi, tum necessario distinguenda sunt tempora, quando vtrumq; ille de se asserit, nec asserit non vere.

XXIV. Sextum argumentum, quia pluribus locis docet Augustinus autoritatem Ecclesiæ esse fidelibus necessariam, vt Scripturas Canonicas, vel à non talibus discernant, vel contra hæreticos defendant: maxime libr. 2. de Doctrina Christiana. Sed hi loci nulli sunt alij, præter eos quos iam excussimus, huius lib. c. 7. vt nihil sit necesse iterum eandem telam retexere.

CAP. XI.

De alijs Patribus.

I. IN Augustino pluribus immorari fuit necesse, quia hunc locum tanquam ἕρμαιον ostentant, πολλῶν γ' ἀντάξιον ἄλλων. Huic pauci subnectuntur ex alijs Patribus, ad quos nunc venio, multo breuius absoluēdos, quia longe faciliores. Ex ijs iam pertractati sunt non pauci: adeo placuit Stapletono libri molem augere, quod ego vitare studeo. Itaq; excerpam eos solos, qui adhuc remanserunt intacti.

II. Tertullianus de Præscriptionibus, *Quid Apostoli prædicauerint, præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viua voce, quam per Epistolas postea.* Hæc ille, docens (inquit Stapletonus) in genere epistolas Apostolicas ex Ecclesiarum Apostolicarum testimonio, & approbatione petendas esse. Idem libr. 4. contra Marcionem defendens Lucæ Euangelium, ab Ecclesiæ autoritate id facit. Cum enim enumerasset varias Ecclesias Apostolicas, infert, *Dico itaque apud illas, nec solas iam Apostolicas, sed apud vniuersas quæ illis de societate Sacramenti, confœderantur, id Euangeliū Lucæ ab initio editionis suæ stare, quod cum maxime tuemur.* Et paulo post, *His fere compendiis vtimur, cum de Euangeliis aduersus hæreticos expedimur, defendentibus & temporis ordinem posteritati falsariorum præscribentem, & autoritatem Ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem.*

III. Respondeo primum Tertulliani locum non esse ad rem tribus de causis. Primo, quia non agit de libris Canonicis, sed de doctrina librorum Canonicorum. Sic enim ipse explicat, *Quid prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit.* Non reuelauit autem libros, sed librorum materiam: & nos agimus hac tota controuersia, non tam de librorum doctrina, quam de ipsis libris. Etsi autem scripti libri, nihil aliud quam eam doctrinam contineant, tamen certum est esse eius tradendæ medium, diuersum à viua voce.

IV. Secundo, non tantum agit de Doctrina, sed etiam ne agit quidē de autoritate canonizandi aut libros, aut doctrinam: tantum de medijs quib. probari possit ea doctrina, quæ sit Canonica, vtpote à Deo Apostolis reuelata. At nos de medijs probandi librorum Canonicorum numerum, nō agimus. Fatemur n. esse plurima: atq; in ijs autoritatem non tantum Ecclesiæ Catholicę: sed etiam singulorum doctorum, quos ipsi testes citauimus magno numero in proxima controuersia: sed tantum vnde pendeat hæc ipsa Canonica eorum librorum autoritas. Et eam æque negamus pendere à tota Ecclesia, ac à singulis doctoribus: etsi totius Ecclesiæ si quod sit testimonium longe maioris esse ponderis iudicemus, quam singulorum doctorum.

V. Tertio, nego absolute & simpliciter, vt verba sonant Tertullianum sentire, non debere eam probationem fieri, nisi per Ecclesias. Falsum n. diceret: quia excluderetur probatio non solum ex Scripturis, quæ & maxima est, & certissima omniū, atq; adeo apud antiquos ἀπόδειξις appellata, atq; ea quidē πιστῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δ' ἡ μόνη ἀπόδειξις, sed etiam doctorum tū omnium consensus, tum singulorum testimonia. Quare sensus est Tertulliani, tum cum per Ecclesias instituitur probatio, quod necesse quidem erat apud eos hæreticos, qui Scripturas reijciebant, non debere quasuis nominari, sed Apostolicas: vt non opponat Ecclesiæ autoritatem alijs rationibus: sed tātum Ecclesias Apostolicas, alijs Ecclesijs. Vnde sequitur non loqui de vllo decreto, ac ne testimonio quidem vniuersalis Ecclesiæ: sed duntaxat particularium. Pendere autem à particularibus Ecclesijs quoad nos autoritatem Scripturæ, nondum audij Papistas asserentes.

VI. Reliquis locis, id agit Tertullianus, vt sinceritatem codicum tueatur: quod quidem fieri potest varijs argumentis: ijsq; etiam à quib. vel non solis, vel non summis, imo ne præcipuis quidem pendeat quoad nos autoritas Scripturæ. Propterea dixit eam Ecclesiæ autoritatem patrocinari Euangelijs: nō vero ea canonizare. Deinde, *his* (inquit) *compendiis vtimur aduersus hæreticos.* Ergo (inquam) non est plena demonstratio, non absoluta probatio: sed tantum disputationis compendium: scilicet, quia quoties cum pręfractis contendimus, id agere solemus prius vt confutemus, quam vt doceamus. Non sequitur autem; si aduersus hæreticos autoritas Ecclesiæ compendiosa sit, propterea penes Catholicos vel solam, vel summam esse causam credendi.

VII. Irenæus lib. 4. c. 6. *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo secundum successiones Episcoporum, quæ peruenit vsq; ad nos custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque ablationem recipiens lectio sine falsatione.* Hæc ille, inquit, Stapletonus, docens ab Ecclesia conseruatum esse Scripturarum & tractationem plenissimam sine Apocryphorum confictis somnijs, & lectionem integram sine vlla corruptela aut deprauatione sacri textus: & hanc esse agnitionem veram siue demonstrationem certissimam.

VIII. Respondeo locum esse varie & importune mutilatum: aliquantulum tamen restitutum in editione Feuardētij, à quo sic plenius legebatur, *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo & character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam quæ in vnoquoq; loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsq;*

ad nos, custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neq; additamentum, neq; ablationem recipiens, & lectio sine falsatione, & secundũ Scripturas expositio legitima & diligens. Quę verba adeo sunt inconcinna & hiulca, & ἀσυνάρτητα, vt non sit facile certum aliquem sensum elicere. Lucem addas, si restituas tractationem nominandi casu, vt erat in veteri codice teste Feuardẽtio, & legas vno spiritu, *custodita sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neq; additamentum, neq; ablationem recipiens.*

IX Porro ex loco tam luxato, quid vtilitas redire potest ad Stapletonum? Nam obscurum esse, & incertum necesse est. Atq; adeo Feuardentius alium nescio quem sensum aucupatus est, asserens doceri ab Irenęo agnitionem veritatis, & Scripturarum sinceram germanamq; interpretationem, à veteri Ecclesiæ statu & ordine petendam esse: quod quidem ad aliam pertinet controuersiam: deinde non significat aut solam, aut summam esse rationem. Ego vero existimo indicari media agnoscendæ veritatis ista, doctrinam Apostolicã, & antiquum Ecclesię statum, quem censeo etiam appellatum characterẽ corporis Christi: deinde tractationẽ Scripturarum, i. ipsas Scripturas in quibus plenissime omnia tractantur: tum lectionem sine falsatione, id est vsum earũ Scripturarum, qui is erat vt cum publice tum priuatim legerentur, absq; vlla falsatione: deniq; expositionem rerum fidei legitimam & diligentem secundum Scripturas. Quod si est, tum nemo non videt frustra hunc locum citari à Stapletono: nam id nos prolixe concedimus.

X. Stapletonianam autem interpretationem quis non sentit esse violentam, non vero αὐτοφυῆ? Nam primum non docuit Irenæus iis verbis conseruatam esse ab Ecclesia Scripturarum tractationem, & lectionem: sed docuit eam conseruatam, hoc est, quamdiu conseruatur, esse agnitionem veritatis. Secundo, illud *sine Apocryphorum confictis somniis*, vnde est? Nam in textu Irenæi nunquam apparet: sed & falsum est: sciunt enim omnes libris sacris esse non pauca inserta Apocrypha, quæ pijs viris negotium fecerunt. Non est etiam verum lectionem integram, & sine vlla corruptela fuisse conseruatam. Nam singulis, vt ita dicam, seculis magni in Ecclesia viri conquesti sunt, Bibliorum exemplaria esse deprauata, cum Græce tum Latine: addunt etiam Hebraice nostri Papistæ, religiosissimi scilicet Scripturarum commendatores.

XI. Serapion apud Eusebium hist. libr. 6. cap. 10. *Nos libros quosdam Apostolorum nominibus falso inscriptos, omnino repudiamus, certo cognoscentes huiusmodi nos ab illis nunquam recepisse.* Hæc ille (inquit) traditioni ab Apostolis acceptæ, tanquam firmissimæ regulæ innitens, in discernendis falsis scripturis à veris.

XII. Respondeo, primum non agi de canonizatione librorum sacrorum, sed de reiectione Apocryphorum & suppositiorum: non sufficere autem ad illos canonizandos, quæ ad hos reijciendos, vt alias diximus. Secundo, autoritatis Ecclesiasticæ nullam fieri mentionem, sed tantum acceptionis ab Apostolis: non esse autem Ecclesiam idem cum acceptione, aut etiam cum Apostolis: & ijs verbis indicasse Serapionem librorum autoritatem eo potius niti, quod eos ab initio Ecclesiæ tradiderint Apostoli, quam quod eos approbet Ecclesia. Vbi etiam ludit ambiguo Stapletonus, cum traditionem nominat ab Apostolis, alio sensu. Tertio Serapionem loqui de sua propria, & peculiari industria in censendis libris. Sic enim locum legimus integrum, ἡμεῖς & Πέτρον & τοὺς ἄλλους Ἀποστόλους ἀποδεχόμεθα ὡς Χριστὸν. τὰ δὲ ὀνόματι αὐτῶν ψευδεπίγραφα ὡς ἔμπειροι παραιτούμεθα, γινώσκοντες ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ παρελάβομεν, *Nos & Petrum & alios Apostolos recipimus tanquam Christum: at eorum nomina falso adscripta, vtpote eius rei satis experti, repudiamus, cognoscentes nos eiusmodi nõ accepisse. Vbi* τὸ ἔμπειροι significat eam solertiam qua præditus erat Serapion in hoc negotio, non vero vllam Ecclesiæ traditionem: exercebatur autẽ hæc solertia in considerandis dogmatibus. Adde nondum eo tempore vllum præcessisse Ecclesiæ decretum aut de eo libro, id est, Euangelio Petri, aut omnino de Canone.

XII. Theodoretus in argumento Epistolæ ad Hebræos, *Oportebat ipsos, & si nihil aliud, temporis quidem certe diuturnitatem reuereri, quo hanc epistolam in Ecclesiis perpetuo legerant veritatis alumni.* Hunc locum necitat, & quidem nudum Stapletonus: qui tamen ad rem faciat quid non video. Quid tum enim, si longo tempore Ecclesijs lecta est Epistola ad Hebręos? An sequitur ei suam quoad nos autoritatem tributam ab Ecclesijs? Imo, *ex quo* (inquit Theodoretus) *literarum Apostolicarum fuerunt Ecclesiæ participes, ex illo etiam epistolæ ad Hebræos vtilitatem percipiunt,* Quæ verba significant, statim ab initio suam huic epistolæ autoritatem constitisse. Ergo (inquam) non ab Ecclesiæ decreto vllo. Nam id, si quod fuit, non fuit ab initio, sed aliquot seculis posterius, ipsis agnoscentib. Papistis, qui contendunt non receptam in Canonem Hieronymi tempore, saltem ante concilium Nicenum: Et Stapletonus constitutam voluit in suis Deuterocanonicis, quib. paulatim est autoritas conciliata.

XIII. Concilium Toletanum primum, *Si quis dixerit, vel crediderit alias Scripturas, præter illas quas Ecclesia Catholica recipit, in autoritate habendas, vel esse venerandas, anathema sit.* Ex hoc Canone concludit (ita n. loquitur in Defens. lib. 2. c. 9. sect. 14.) in recipiendis Scripturis Ecclesiæ autoritatem esse lõge maximam, eamq; solam cuiuis fideli sufficere, diuina interim gratia ac persuasione interna non destituto: vt inde probetur, circa recipiendas Scripturas maximum esse, & infallibile, atq; supremum argumentum Ecclesiæ testimonium.

XIV. Quasi vero hoc demum experimento constaret, quam sit audax Stapletonus in eliciendis consequentijs! At eas nos constanter negamus. Re vera enim hoc testimonium hîc nec friget, nec calet. Nam recepti quidem dicũtur ab Ecclesia libri Canonici, sed quam ob causam non dicitur. Quid n. an quia Paulus seuerissime dixit, *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema esto,* ideo statim concludimus in recipiendo Euangelio Galatarum fuisse autoritatem longe maximam, & solam cuiuis fideli sufficere: aut esse maximum, infallibile, ac supremum argumentum? Minime vero: & non ridebimus Stapletonum? Audiat potius, quia in eo Canone Concilij dicitur Ecclesia Scripturas recipere, ergo non esse eius autoritatem aut maximam aut solam: quia, tum potius tradere diceretur. Nam accipere, siue recipere non autoritatem significat eius, qui aliquid instituit, aut mandat, sed obsequium potius eius, cui aliquod obseruandum instituitur & mandatur.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS, De CANONE.

Caput Primum.

De Perfectione Scripturæ, Status Controuersiæ.

VINDICATA libris Canonicis autoritate sua, purgato etiam numero, vastum pelagus ingredimur: Controuersiam de Perfectione Scripturæ: qua vix alia quęquã animosius, aut prolixius hactenus disputata, Catholicis in Perfectione, Papistis in Imperfectione, totius causæ, id est, omnium controuersiarum de religione, proram & puppim constituẽtibus: adeoque his non negantibus, si secũdum Catholicos pronuntietur, ad restim sibi rem redire.

II. Ac Verbum Dei Papistæ quidem, itidem vt Catholici, agnoscunt & fundamentum & regulam fidei. Sonnius c. 3. Demonstrat. religionis Christianæ, *Verbo Dei, & soli Verbo Dei adhibenda est fides, quam qui habent, Christi fideles appellantur.* Et c. 2. eam se dicit concepisse sententiam de Verbo Dei, *quod sit doctrina diuina, regula nostra.* Catechismus ad parochos, *Omnis doctrinæ ratio, quæ fidelibus tradenda sit, Verbo Dei continetur.*

III. Sed deinceps cum quæritur, quodnam sit id Verbum Dei, ita constituunt. Primum, accidere Verbo Dei, vt scriptum sit, siue quod idem est, hominibus propositum per Scripturam. Quod ne nos quidem negare aut possumus, aut volumus. Nemo enim nescit, hîc etiam vt alibi valere illud antiquum, τὰ ἐν τῇ γραφῇ esse σημεῖα τῶν ἐν τῇ φωνῇ, haud aliter quam τὰ ἐν τῇ φωνῇ sunt σημεῖα τῶν ἐν τῷ νῷ. Certum est etiam prius fuisse Verbum Dei, quam quicquam esset scriptum.

IV. Secundo, negant, Verbum Dei contineri terminis eorum librorum quos in Canone constituimus. Sonnius enim pronunciat augustius esse & extensius, pluraque in se complecti quam vtriusque Testamenti Scripturam. Hayus, ἀντιστρέφειν cum verbo scripto & non scripto, ac latius patere quam Verbum scriptum. Claudiopolitani Iesuitæ, thesi 4. nullo modo illos audiendos, qui tam anguste verbum Dei definiunt, vt non aliud sit, quam quod sacris literis continetur: esse enim verbum Dei id quod Deus aliquo modo loquutus est, vel per semetipsum, vel per eos quos nobis audiendos præcipit, siue illud literis mandatum sit, siue viuæ vocis traditione citra Scripturam ad nos peruenerit. Et Turnonenses in Thesibus anni 1582. *singulari Dei beneficio* (aiunt) *Christianam Ecclesiam rerum sacrarum monumenta, partim literis consignata, partim per Christianorum hominum manus sine scripto tradita, conseruasse credimus.*

V. Ex his Ioannes Serranus putabat posse Papistarum sententiam sic explicari, vt diceretur Verbum Dei genus, eiusque species duæ, & quidem, ἀντιδιῃρημέναι, scriptum & non scriptum. Sed hoc Hayus valde improbauit, atque insectatus est. Non enim sequi, si Verbum Dei reciprocet cum scripto & non scripto, ideo illud horum genus esse: nam neque hominem genus esse albi & non albi hominis. Et tamen, quod iste tam seuere reprehendit, videtur Claudiopolitanis non admodum displicuisse, quorum thesis 6. hoc habet initium. *Sic ergo definitum Dei verbum, in duas veluti species secatur, scriptum scilicet, & sine literis sola voce & prædicatione traditum.* His ergo iudicibus, Verbum scriptum & non scriptum, si non sunt species, certe, quod hinc non procul abest, veluti species sunt: Et vicissim verbum Dei si nõ est genus, certe veluti genus est. Catechismus etiam ad parochos. *Omnis doctrinæ ratio quæ fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur, quod in scripturã traditionesq; distributum est:* quæ verba non valde abhorrent à Serrani verbis: etsi hæc contentio sit non magni momenti: & λεπτολογίας potius quam seria animaduersio.

VI. His ita distinctis, Verbum illud Scriptum negant continere omnia ad salu-

salutem necessaria. Iesuitæ Turnonenses Thesi 2. *Qui fidei res omnes ad scriptum Dei verbum reuocant, in eos se difficultatum laqueos inducunt, vt nullum plane exitum inuenire possint.* Melchior Canus lib. 3. locor. Theolog. 3. *Non omnia quæ ad doctrinam Christianam pertinent, esse etiamnum in sacris literis expressa.* Latomus contra Bucerum defensione altera. *Nego* (inquit) *tam late patere Scripturam, vt voce sua comprehendat, eloquaturque omnia, quæ vel in hanc vsq; diem necessaria fuere in Ecclesia, vel in posterum futura sunt, non ad excolendam modo disciplinam Ecclesiasticam, quæ quotidie instauranda est, sed ad pietatem etiam religionemq; ipsam, tum vero maxime ad vnitatem Ecclesiæ, extra quam nihil saluum esse potest, conseruandam.* Denique ne omnia colligã, quæ essent infinita, Iesuitæ in disputatione Ratisbonensi ab ipso principio negarunt scripturam esse huiusmodi, vt ei nihil possit addi aut detrahi.

VII. In hac tamen sententiæ communione, alij alijs videntur durius molliusve loqui. Nam Canus eodẽ iam citato capite, *multa* ait, *pertinere ad Christianorum doctrinam & fidem, quæ nec aperte nec obscure in sacris literis continentur.* Carranza in 2. controu ἀπολογητικῶν in summam Cõciliorum. *In Ecclesia sunt & alia, quæ nec expresse, nec obscure habentur in scripturis.* Sed Iesuitæ paulo aliter. Costerus Enchiridij c. 1. *Istæ*, inquit, nempe sacræ literæ, *non omnia continent Religionis mysteria explicite.* Bellarmin. de Verbo Dei lib. 4. c. 3. *Nos asserimus, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinã necessariam, siue de fide, siue de morib.* Ergo illi priores ita simpliciter omnino negant õia contineri in scripturis; vt multa sint, quæ in ijs nullo modo reperiri queãt. At isti posteriores negant tantum κατ' τι; ac proinde aliquo quidem modo omnia in ijs reperiri concedunt: sed non expresse aut explicite. Atq; hoc fortasse illud est quod Hosius, alijs verbis expressit. *Continentur in Euangelio quæcũq; sunt ad salutem necessaria præcepta omnia, sed tanquam in semine.* Iolittus responsione ad Hopperi articul. 3. *Summa & capita omnium ad æternam salutem necessario requisitorum sufficienter in sacris scripturis continentur explicite vel implicite, expresse vel virtute, si ad eum sensum Scripturæ intelligantur, quem Spiritus sanctus & docet & docuit Ecclesiam suam Catholicam.*

VIII. Stapletonus, vt solet in distinctionibus solertiæ laudem quærere, doctrinam fidei necessariam quadruplici notione considerat in Relectione, controuersia 5. quæstione 5. articul. 1. Alias, vt causam atque principium credendi vniuersale, quod ad omnia quæ credere oportet, sufficienter inducat, etsi singula credenda non exponat. Alias, vt singulare principium, & radicem particularem multorum dogmatum, quæ inde possunt deduci: Alias, vt omne particulare dogma aperte definitum, quod qui negat, hæreticus censetur. Denique vt ab omnibus explicite credendam: vel à maioribus tantum explicite, & à minoribus implicite, atque in fide maiorum. Prima & secunda notione, dici posse solam Scripturam ad omnẽ fidem tenendam sufficere: tum quia docens clare & expresse quæ sit vera Ecclesia, & eius autoritas, aliaque principia fidei doctrinalia, docet tanquam in radice & principio omnia ad fidem necessaria, quia per Ecclesiam cætera discuntur quæ Scriptura tacet: tum quia multos articulos proponit fidei, qui plurimorum aliorum articulorum principia, fontes, & seminaria sunt. Tertia autem notione omnia in Scripturis manifeste explicari falsum esse. Quarta, eam doctrinæ partem, quæ ab omnibus & singulis explicite credenda est, concedit esse vt omnibus prædicatam, ita omnem aut fere omnem scripto commendatam: at alteram, vt non omnibus prædicatam, sic neque omnem in scripta relatam.

IX. Charronæus veritatis tertiæ capite quarto, hunc Scripturæ defectum, quarumcũque rerum constituatur, ita verbis exagerat, vt vix maiorem possit exprimere. *Scriptura* (inquit) *est minima particula veritatis reuelatæ.* Similiter Hosius confessionis cap. 92. *Multo maxima pars Euangelij peruenit ad nos traditione: perexigua literis est mandata.* Quid videtur? aut quem in angulum relegata Scriptura? Negabatur paulo ante omnia continere: dicebatur multa esse quæ non contineret. Satis maligne: sic tamen vt posset interim suam dignitatem aliquomodo retinere ac tueri. At nunc, quid superest spei? si longe minimam partem veritatis; si perexiguam Euangelij cõplectatur? Nimirum perierat spes nostra: nisi nonnihil respirare liceret benignitate Andradij, quantumuis Iesuitæ: qui Orthodoxarum Explicat. 2. *eorum quæ Christianum hominem credere oportet*, inquit, *maxima pars sacris literis continetur.*

X. Hunc tantum tam pœnitendum Scripturarum defectum, quæsierunt homines Ecclesiæ studiosissimi scilicet, quomodo, quave possent ratione sarcire. In promptu fuit traditionum supplementum. Quarum nomen esse generale, & significare omnem doctrinam siue scriptam siue non scriptam, quæ ab vno communicatur alteri, agnoscunt, Peresius de traditionibus parte prima postulato secundo, & Bellarminus de Verbo Dei libr. 4. capite 2. Sed postea tamen accommodatum esse à Theologis ad significandam tantum doctrinam non scriptam: atque hoc sensu ab illis hodie vsurpari; opponique Scripturæ: ac esse verbum illud Dei, quod paulo ante non scriptum appellabamus.

XI. Appellari non scriptam Bellarminus dixit, non quod prorsus non fuerit vnquam scriptis mandata: sed quia non à primo autore. Quod tamen non satis exactum est: nam sic tota Geneseos doctrina esset non scripta traditio, quia à Mose literis mandata est longe post quam fuit primo hominibus manifestata: Traditionum etiam Papisticarum plurimæ essent scriptæ, quia earum autores Papæ, statim in Decretalibus suis eas sanxerunt. Melius ergo Peresius, sic distingui à doctrina quæ in libris Canonicis reperitur. Hayus etiam Disp. lib. 1. c. 39. *Verbum non scriptum illud appellamus, quod in Sacræ Scripturæ libris aperte non continetur.* Sic quadragesimæ ieiunium, etsi multa de eo scripta legantur apud veteres tum in Concilijs, tum in scriptis priuatis; tamen est traditio non scripta, quia de eo merum est in Scripturis sacris silentium.

XII. Diuidunt autem Traditiones Iesuitæ Claudiopolitani παχυμερῶς, in eas quæ ad fidei dogmata spectant: & quæ ad ritus & ceremonias rite peragẽdas: & quæ ad informandos fidelium mores. Sed Bellarminus diligentior dupliciter secat, qua ab autoribus, qua à materia. Ab autoribus, vt sint Traditiones partim Diuinæ, partim Apostolicæ, partim Ecclesiasticæ: & sic ante eum distinxerat Peresius. Ergo Diuinæ sunt acceptæ ab ipso Christo Apostolos docente. Apostolicæ, quæ ab Apostolis institutæ. Ecclesiasticæ, consuetudines antiquæ, vel à prælatis, vel à populis inchoatæ, quæ paulatim consensu tacito populorum vim legis obtinuerunt. Peresius tamen in tertio membro consideratior, vt qui fontem harum traditionum collocet duntaxat in Episcoporum, maxime Romanorum potestate: populorum nulla habita ratione.

XIII. A materia traditiones distribuuntur in eas quæ sunt de fide, & eas quę sunt de morib. Rursus in perpetuas, & temporales: Tertio in vniuersales & particulares. Quarto in necessarias & liberas. Traditiones de fide & moribus, non definit Bellarminus, tantum illustrat exemplis. De fide est perpetua Mariæ Virginitas, & quatuor esse tantũ Euangelia; De moribus signum crucis in fronte exaratum; & certorum dierum ieiunia, festaq;. Perpetuam traditionem vocat, quæ instituitur vt semper seruetur vsq; ad mundi consummationem: temporalem, quæ ad certum tempus: qualis fuit obseruatio quorundam legalium ceremoniarum; vsq; ad plenam Euangelij promulgationem. Vniuersalem, quæ toti Ecclesię seruanda traditur: vt Paschatis, Pentecostes, similiũq; magnorum festorum obseruatio: Particularem, quę vni tantum aut pluribus traditur Ecclesijs, sicut tempore Augustini ieiunium Sabbathi quod Romæ tantum seruabatur. Necessariam quæ traditur in forma præcepti, vt celebratio Paschæ die Dominico post decimam quartam Lunam Martij. Liberam; quæ in forma consilij, vt aspersio aquæ lustralis.

XIV. Vt autem ad Controuersiæ nodum accedamus propius, de Traditiõne non Scripta ita sentiunt. Costerus. *Illa omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemq; rationem Christianæ religionis complectitur, & õia dubia, quæ de fidei negotiis oriri possunt, dissoluit.* Nimirũ inquam, est igitur traditio hæc mare aliquod magnum; cum Scriptura sit tantum instar guttulæ: illa Oceanus βαθύῤῥοος; hæc paruus aliquis Rubicon. Quanquam videtur Costerus discedere ab illa strictiore notatione, qua Bellarminus notauit significari ea tantum quæ non sunt scripta. Alioquin valde loquutus ἀκύρως. Nam si traditio non comprehendit ea quæ sunt in libris sacris comprehensa: ergo vel ista non sunt mysteria fidei; vel traditio non continet omnia.

XV. Sed prouehuntur vlterius; & Scripturam traditionib. comparantes, ita statuunt. Claudiopolitani Iesuitæ thesi 9. *Quod si verbum scriptum, cum non scripto conferre velimus, vtrumque in Ecclesia magnum momentum habere reperiemus: maius tamen non scriptum, quam scriptum.* Costerus. *Huius* (nempe traditionis quam suo more vocat Scripturam in corde) *præstantia multis partibus superat Scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt.* En tibi pietatem Romanam! Egregiam illam sane quæ Scripturas quas in sublimi solio Augustinus constituebat, deducit ad traditionis pedes, tanquam ancillas. Non videtur tamen Eckio, non Tridentinis laruis tantum animi fuisse. Nam ille in Enchiridio *Ecclesiasticæ* inquit, *consuetudines, ritus, & Ceremoniæ æque sunt obseruandæ atq; leges diuinæ.* Tridentini similiter omnes libros tam veteris quam Noui Testamenti, nec non traditiones, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia, suscipiebant ac venerabantur. Modestiores, qui si Scripturas non præferunt; saltem no deijciũt infra traditionem. Sed Bellarminus videtur medium aliquod tenere voluisse. *Traditiones diuinæ*, inquit, *eandem vim habent, quam diuina præcepta siue diuina doctrina scripta in Euangelius: & similiter Apostolicæ traditiones non scriptæ eandem vim habent, quam Apostolicæ traditiones scriptæ: Ecclesiasticæ autem traditiones eandẽ vim habent, quam decreta & constitutiones Ecclesiæ scriptæ.* Ita videntur inter Papistas tres diuersæ de eadem re sententiæ.

XVI. Catholici in hoc toto negotio distinguendum putant inter res quæ traduntur in Ecclesia, & rationem earum tradendarum. Et res ipsas esse duũm generum: scilicet alias, in quib. substantia est & quasi corpus religionis Christianæ; non tantum ad fidem, sed etiam ad mores formandos, politiamq; Ecclesię continendam: proinde necessarias ex vi institutionis diuinæ: alias, eius essentię velut appendices, eiusq; corporis ornamenta neq; ex se, neq; ex institutione diuina necessarias, sed potius ἀδιαφόρους, & politiæ tantum caussa in vnum receptas: vt sunt disciplinæ partes varijs canonib. sancitę: ritus etiam & ceremoniæ; cum vniuersales, tum particulares: obseruationis liberæ quidẽ sed hactenus, vt sua priuata autoritate, aut possit, aut debeat contemnere, abijcere-ve.

XVII. De primo rerum genere sic statuunt. In confessione fidei Ecclesiarum Gallicarum art. 5. *Credimus verbum his libris comprehensum ab vnõ Deo esse profectum, quo etiam vno, non autem hominibus, nitatur ipsius autoritas. Cumque hæc sit omnis veritatis summa, complectens quicquid ad cultum Dei, & salutem nostram requiritur, neque hominibus, neque ipsis etiam Angelis fas esse dicimus, quicquam ei verbo adijcere, vel detrahere, vel quicquam prorsus in eo immutare.* In Tigurina capit. 1. *In hac Scriptura Sancta habet vniuersalis Christi Ecclesia plenissime exposita, quæcunque pertinent tum ad saluificam fidem, tum ad vitam Deo placentem recte informandam: quo nomine distincte à Deo præceptum est, ne ei aliquid vel addatur, vel detrahatur.* In Bohemica siue Valdensi, cap. 1. *In hac quæ ad doctrinam, & Sanctæ Ecclesiæ disciplinam, & gubernationem, ad singulos & vniuersos in ordinario salutis Ministerio (vnde & vera fides existit) necessaria sunt, ea inquam, omnia plene omnino, & quantum opus est, vt in eximio artificiosissimoq; sancti Spiritus opere, in hac comprehensa sunt, & conclusa, qua nec Angelus de cœlo proferre aliquid certius potest; & si adferret diuersum aliquid, credi ei non deberet.* In Belgica artic. 7. *Credimus sacram hanc Scripturam perfectissime omnem Dei voluntatem complecti, & in illa abunde ea omnia doceri, quæcunq; ab hominibus credi necesse est, vt salutem consequantur. Itaque cum illic exactissime, & fuse descripta sit omnis diuini cultus ratio, quam Deus à fidelib. exigit; nulli hominum (quamuis Apostolica dignitate prædito, ac ne vlli quidem Angelo è cœlo demisso, vt diuus Paulus loquitur) fas est aliter docere, quam iampridem in Sacris Scripturis edocti sumus.*

XVIII. De altero autem genere, Confessio Gallica art. 32. & 33. *Credimus expedire, vt qui electi sunt Ecclesiæ alicuius præfecti, inter se dispiciant, qua ratione totum corpus commode regi possit. Ita tamen vt ab eo quod Dominus noster Iesus Christus instituit, nunquam deflectant. Hoc autem non impedit, quominus quædam singulis locis peculiaria sint instituta, prout commodum visum fuerit. Excludimus autem humana omnia commenta, & leges omnes, quæ cultus Dei prætextu astringendis conscientiis inuehuntur: & eas tantum admittimus, quæ fouendæ concordiæ, & vnicuiq; in obedientia debita retinendo, subseruiunt.* In Augustana art. 7. de Abusibus. *Docemus Pastores veros Ecclesiarum posse in Ecclesiis suis publicos ritus instituere: sed tantum ad finem corporalem, hoc est, boni ordinis, causa, videlicet ritus vtiles ad docendam multitudinem, vt certos dies,*

certas lectiones, & si quæ sunt similia: sed sine superstitione, & sine opinione necessitatis: vt has ordinationes violare extra casum scandali, non ducatur esse peccatum. Sed si cum scandalo violentur, vbi Ecclesiæ rectæ constitutæ sunt, nec error est in doctrina, sciat violans tali loco se peccare.

XIX. Iam vero si rationem rerum tradendarum consideremus, omnino eam duplicem esse agnoscimus: vel per Scripturam Sacram; hoc est, eos libros, in quibus semel ab initio Spiritus Sanctus comprehendi voluit quicquid omnino ad perpetuam Ecclesiæ naturam est necessarium: Vel per quotidianam instructionem: per eorum ministerium, quibus traduntur Ecclesiæ regendæ. Sic in Confessione Gallica, artic. 25. *Credimus, quoniam non nisi per Euangelium simus Christi compotes, oportere sacram & inuiolabilem δύταξιν, eius autoritate in Ecclesia sancitam, conseruari: ac proinde requiri in Ecclesia Pastores, quibus onus docendi verbi, & administrandorum Sacramentorum incumbat.*

XX. Est ergo perspicua Catholicorum sententia: Traditionis nomen non auersantium: non tantum, quia comprehendit etiam Scripturam Sacram, cuius summa est, & extra sortem autoritas: sed etiam quia non simpliciter & in vniuersum Traditio, etiam non scripta, hoc est, quæ non contineatur in libris Canonicis, est reijcienda. Imo vero, vt fateamur, quod res est, omnino nō potest Ecclesia carere Traditionibus nō scriptis; siue intelligas quotidianam tradendæ fidelibus eius veritatis, quæ non aliunde hauritur quam è libris sacris, rationem: sic enim necessariæ sunt ordinariæ ad plebem conciones: necessariæ etiam catecheses: siue ritus quosdam pro locis, temporibus, & personis varios: aptos tamen exercendæ pietati, charitatiq; conseruandæ: qui etsi non exstent in Canone totidem literis, tamen à nemine contemni debent, eo ipso, quod ab Ecclesia, id est, pastoribus instituti sunt: dum tamen nihil officiant aut sinceritati doctrinæ, aut libertati conscientiæ: cui proprie leges pręscribit, non nisi Deus.

XXI. Sed si comparatur Traditio scripta, cum non scripta, siue docendi rationem intelligas, siue res ipsas, ita censent. Apostolos eadem autoritate dogmata fidei ore tradidisse, & scriptis: id est, viuæ vocis Apostolorum prædicationem, tam certam & indubitatam fuisse, quam eorum scripta: vt non iniuria commendatur Paulus Thessalonicensibus τὰς παραδόσεις εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι᾽ ἐπιστολῆς, traditiones siue per sermonem, siue per Epistolam. Sed quæ deinceps dogmatum traditio sequuta est, siue scripta siue non scripta, longe esse inferiorem, minimeq; authenticam: nec per se certam fidem facere, sed tantum quatenus innititur traditioni scriptæ Prophetarum & Apostolorum: ac proinde non obligare conscientiam vllius fidelis, vt necessario id quod traditur credere debeat, etiam non malum, sub pœna damnationis. Itaque longe esse inferiori gradu quodlibet traditionis genus, siue consuetudines dicas Ecclesiarum, siue institutiones Episcoporum, siue Canones conciliorum: si comparentur cum Scriptura Sacra, quæ constituta est extra omnem comparationis aleam.

XXII. Hæc Catholicorum est sententia: quam Papistæ suis verbis exprimentes, negant nos pro certo quicquam habere, nisi quod in diuina Scriptura expressum inuenitur, hoc est, in verbis Scripturæ. Sic enim Peresius statim ab initio scriptum reliquit: & alij plerique sunt secuti. Et quidem si non sophisticarentur, importuneque syllabas aucuparent, ac quærerent ansam calumniandi, poteramus id quod duriuscule his verbis significatur dissimulare. Sed in progressu disputationis apparebit, quam merito nobis caueamus ab eorum vafritie. Itaque dicimus, si per illud *expressum*, intelligant ipsam doctrinæ substantiam (vt ita loquar) non autem tradendæ modum, qui in verbis consistit, nos facile sic sentire, sin autem modum potius; hoc sensu, vt credant nos nihil admittere nisi quod totidem verbis & syllabis in Scriptura legitur, tum querimur fieri nobis iniuriam: cum in eodem numero habeamus, & quæ sic verbis expressa sunt, & quæ ex verbis expressis, necessaria analogiæ consequentia deducuntur. Exempli gratia nos tam certo credimus Spiritum Sanctum adorandum, quam Deum esse adorādum. Hoc, quia totidem verbis legimus scriptum: illud quia ex eo necessario deducitur. Nam si Deus adorandus est, & Spiritus est Deus: certe omnino sequitur Spiritum esse adorādum. Sic verbum Dēi esse credimus hoc axioma, Purgatorium Papisticum esse merum somnium. Et tamen fatemur nos ea verba, eorumve verborum contextum in nullo aut Propheta, aut Apostolo legisse vnquam. Quid ergo? Nempe ea in Prophetis & Apostolis legimus de peccatorum remissione; quæ aut oportet esse falsissima, quod est blasphemum, aut necesse est inferre id consequens.

XXIII. Hoc igitur sensu Scripturam asserimus esse perfectam: & Papistas accusamus grauissime, quod nobis cōtradicentes, eam ipsam Scripturam faciant imperfectam. Ridemus etiam nouam sophisticen eorum, qui cum ne latum quidem pilum ab ea pertinacia recedant, tamen queruli clamitant sibi iniuriam fieri. Sed immerito. Primo enim, cum proprie contradictoriæ sint sententiæ, nostra & Papistarum: si nostra perfectionem tuetur Scripturæ: nonne aliam necesse est tueri eiusdem imperfectionem? Antecedens autem esse verum, non tantum nos testamur, sed etiam aduersarij non negant. Certe Stapletonus, in procœmio libri 10. de Principijs, asserit nos hanc solius Scripturæ sufficientiam prædicare, extollere, atque perurgere. Secundo, non opus est coniecturis, cum disertam habeamus, aduersariorum assertionem. Iacobus Dauius Episcopus Ebroicensis hoc vsus est argumento in hac causa. Quicquid sufficienter continet alicuius scientiæ principia, debet posse probare omnes propositiones quæ ad eandem pertinent; contradicentesq; refutare. At id Scriptura non potest in Theologia. Ergo non continet sufficienter omnia principia doctrinæ necessaria ad Theologum & religionem. Quid? Gregorius de Valentia Analysis lib. 5. cap. 1. nonne diserte disputat, *Scripturam non esse sufficientem fidei regulam*? Viderint illi vtrum distinguant perfectionem à sufficientia; nos certe vtramque eodem sensu nominamus.

XXIV. Tannerus in disputatione Ratisbonensi id imperfectum dici asserit, cui aliqua perfectio conueniens & debita deest: non autem si quælibet perfectio, siue conueniens & debita, siue non conueniens & non debita desit. Et illustrat exemplo. Homo imperfectus & erit cui manus desit, aut pes, aut alia pars corporis & animæ, conueniens & debita: at non qui cornua non habeat, aut alas. Non esse autem perfectionem Scripturæ debitam, vt omnia omnino dogmata morum & fidei contineat: ergo, non esse propterea imperfectam. Sed hęc excusatio pendet ex totius quæstionis conclusione: cui nos præiudicium facere nec volumus nec debemus. Certe si verum est Scripturam esse Canonem, & normam, siue regulam fidei nostræ, hæc ei perfectio debetur, vt inde hauriantur omnia quæ credenda sunt: quod qui negant, detrahunt illi perfectionem debitam, ac proinde imperfectam efficiunt, quantum in eis est.

XXV. Iacobus Dauius duplicem esse dicit sufficientiam, siue (vt nos quidem loquimur) perfectionem: immediatam & mediatam. Illam, quæ ab eo quod sufficiens appellamus, exhibetur immediate, & per se: hanc, quæ mediate, hoc est, per ea media, quæ ipsum sibi substituit. Scripturam Sacram vero omnia continere præcipua, fundamentaliaque capita religionis Christianæ: minutiora vero continere vel immediate, vt ea nos per seipsam doceat vel mediate, indicatis medijs per quæ ea doceri queant; videlicet, institutis, & moribus, quæ Apostoli viua voce consignarunt Ecclesiæ. Itaque non sequi ex doctrina Papistica Scripturam esse insufficientem. Sed hæc sunt πλάσματα τῶν λόγων, & sic oportet eos qui noua inuehunt dogmata, nouas etiam vocib. notiones addere. Negamus autem sufficientiam illam mediatam, vnquam cuiquam in mentem venisse: quæ enim sufficere ad aliquid dicta sunt hactenus; ea intellecta sunt in se ipsis habere sufficientiam. Itaque literæ quæ nihil aliud quam fidem astruunt tabellario; illę profecto nunquam dictę sunt sufficientes exponendæ legationi. Testamentum, quo instituitur hæres, & alia præcipua capita voluntatis eius à quo conditur; sufficiens quidem dicitur ad indicandam eam voluntatem: sed si non exprimat quomodo educari liberos oporteat, tantumque eam curam alicui committat, id nunquam sufficiens dicetur ad eam educationem. Et hæc erant exempla Episcopi Ebroicensis. Simili ratione quantumuis nos amandet Scriptura ad Traditiones, tamen eam oportet fateri esse insufficientem ad Ecclesiam plene instituendā, si vera est Papistarum doctrina. Itaq; frustra verba declinant, cum crimen ipsum admittunt.

XXVI. Cæterum infinitus est eorum numerus, qui in hac controuersia versati sunt: omnes nominare sigillatim nihil est opus: præcipuos indicare satis. E Papistis: Stanislaus Hosius in Confessione Petricouiensi cap. 92. & in Confutatione Prolegomenon Brentij lib. 4. Ioannes Driedo tomi 1. lib. 4. cap. 5. Ioannes Roffensis initio confutationis assertionis Lutheranæ. Franciscus Cordubensis in Annotationibus Catholicis articulo 2. cap. 71. & seqq. Bartholomæus Carranza secunda controuersia. Melchior Canus libro tertio locorum Communium. Martinus Peresius prolixo volumine. Andradius defensionis Tridentinæ lib. 2. Ioann. Hayus li. 1. Disputation. Francisc. Sonnius Demonstrationum religionis Christianæ lib. 1. Alphonsus de Castro aduersus omnes hæreses lib. 1. cap. 5. Bellarminus Controuersiæ 1. lib. 4. Thomas Stapletonus de Principijs lib. 12. & in Relectione, controu. 5. Gregorius de Valentia in Analysi Fidei lib. 5. c. 3. Cæsar Baronius Annal. Ecclesiast. tom. 1. ad annum quinquagesimum tertium. Magnis etiam animis agitata quęstio est in colloquio Ratisbonensi. Gallice plurimi: sed præcipui Charronæus in 3. Veritate; Puteanus, & Bullengerus aduersus Plessæum. I. Dauius de traditionibus Apostolicis.

XXVII. Ex nostris. Martinus Chemnitius in Examine Concilj Tridentini parte 1. Antonius Sadeel tractatione Theologica de Verbo Dei scripto. Zacharias Vrsinus quæst. 4. de Scriptura in tractatibus Theologicis. Whitakerus quæst. 6. de Scriptura Sacra. Iunius, & Danæus, & Hunnius in examine 1. Controuersiæ Bellarmini. Ioannes Serranus in defensione pro vera Ecclesiæ Catholicæ autoritate. Sibrandus Lubbertus de Principijs libr. 7. Philippus Mornæus præfatione de Eucharistia. Ioann. Vrban. Hattemensis de Verbo Dei scripto & non scripto lib. 4. Iacobus Kimedontius libris duobus de Verbo Dei non scripto. Ioannes Serranus aduersus Hayum pro vera Ecclesiæ autoritate 1. quæst. p. 3. Andreas Riuetus Summæ controuersiarum tract. 1. q. 9.

CAP. II.

An è Scripturis salutem habeamus.

I. Catholici sic disputant: Quæcunque doctrina eiusmodi est, vt ex ea salutem habeamus, hæc continet omnia ad salutem necessaria. At Scriptura Sacra, est eiusmodi doctrina. Ergo Scriptura Sacra continet omnia ad salutem necessaria. Maior patet. Nam quæcunque ad aliquid necessaria sunt, ea si desint, non potest id perfici ad quod obtinendum necessaria sunt: vt si necesse sit hominem esse animal rationale, tum nullus erit homo, si nullum sit animal, si nulla sit ratio. Si pœnitentia ad salutem necessaria requiritur, aufer pœnitentiam, eadem opera abstuleris spem salutis: & est κοινὴ ἔννοια.

II. Minor probatur. Primo ex 5. c. Euāgelij secundum Ioan. ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν. *Scrutamini Scripturas, quoniā vos putatis in iis vitam æternam habere.* Quib. verbis Christus causam docet, ob quam Iudæi Scripturas vel scrutarentur, vel, quod est verisimilius, scrutari deberent: nempe hanc, quod in ijs, id est per eas sperarent se vitam adepturos æternam. Vnde constat etiam ante Christum, Ecclesiæ hanc communem fuisse sententiam, & quidem à Christo non improbatam. Item ex eiusdē Euangelij 20. c. *Hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum Filium Dei: & vt credentes vitam habeatis, per nomen eius.* Rursus ex. 3. post. ad Timoth. ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας, τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ. *A puero sacras literas nosti, quæ possunt te sapientem reddere ad salutem per fidem quæ est in Iesu Christo.* Denique ex Chrysostomo, homil. 53. edit. Græcę, in Ioannem. ἂν οὕτω θέλωμεν τὰς γραφὰς ἐρευνᾶν μετ᾽ ἀκριβείας καὶ μὴ ἁπλῶς δυνησόμεθα τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας ἐπιτυχεῖν. *Si sic velimus scrutari scripturas cum diligenti studio, & non vtcunque, assequi poterimus salutem nostram.* Et statim per partes ea significans quę ad salutem necessaria sunt indidē hauriri. ἂν διὰ παντὸς αὐτοῖς ἐνδιατρίβωμεν, καὶ δογμάτων ὀρθότητα, καὶ βίον εἰσόμεθα ἠκριβωμένον. *Si penitus in eis versabimur & doctrinæ rectitudinem, & vitam exacte institutam erudiemur.*

III. Ad huius Syllogismi partes quid directe respondeant aduersarij, mihi quidem nondum occurrit. Sed recitatos è Scriptura locos varie vidi eludere conantes, vt capite capti angues reliquum corpus varie versant. Ad primum sic Puteanus. Primo valere aduersus eos, qui Scripturam non recipiant: non vero aduersus Papistas qui recipiunt. Imo, inquam, aduersus vtrosque: quia pro-

promittitur falus in Scripturis: quod falfum effet, fi non continerent omnia ad falutem neceffaria. Exempli gratia, fi non fit iis doctrina de numero perfonarum Trinitatis, earumque Confubftantialitate, vt contendunt aduerfarii: fit autem verum, neminem feruari qui non credat in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vnum verum Deum: tum neceffe erit, ex Scripturis non conftare falutem? At hic locus euincit, ex Scripturarum meditatione conftare falutem: ergo neceffe eft ex earundem meditatione conftare Trinitatis dogma: Et fic per fingulos articulos difcurrendo, refutari Papiftas afferentes imperfectionem Scripturæ. Præterea fi non valet aduerfus eos qui Scripturam non recipiunt, ergo inutiliter dictum eft ad Iudæos, nam hi fane Scripturas recipiebant. At hoc quid aliud eft, quam in Chriftum infurgere? Denique hæc exceptio, impingit in ipfius loci diferta verba. Nam quicunque putant fe in Scripturis habere vitam æternam, ii proculdubio eafdem admittunt: at eos ipfos Chriftus iubet fcrutari Scripturas: ergo iis ipfis, qui Scripturas admittunt, hoc mandatum Chriftus dedit. Quare omnino inepte Puteanus negauit hunc locum iis obiiciendum, qui Scripturas admittunt.

IV. Secundo idem Puteanus excipit, aliter haberi fermonem cum Pharifæis, Iudæifue pertinacibus, aliter cum Chriftianis: neque vnquam Chriftum amandaffe Apoftolos, aut fideles ad fcrutandas Scripturas: fed affuefeciffe, vt fidem adhiberent verbo fuo, eorumque quos fibi fubftituturus erat, videlicet Paftorum Ecclefiæ. Sed hæc exceptio priorem deftruit: quia fatetur hæc verba dicta ad Pharifæos, & Iudæos; hoc eft ad eos qui admittebant Scripturas. Deinde diffimilitudinis cauffa nulla profertur hac quidem in re: nec etfi variæ funt Iudæorum & Chriftianorum perfonæ, quicquam obftat, quominus ad vtrofque pertineat eadem doctrina: quod in aliis capitibus infinitis probare licet: & hoc ipfum nonne veteres Catholici patres pro duxerunt ad omnes Chriftianos? *Vtinam* (clamabat Origenes homil. 2. in Efaiam) *omnes faceremus illud quod fcriptum eft, Scrutamini Scripturas.* Quæuis quid hoc ad rem? Non enim ea vis eft argumenti noftri: fed quod vita æterna habeatur ex Scripturis. Quid autem ineptius dici potuit, quam non ablegatos fuiffe fideles ad legendas Scripturas? Æque dixiffet, non pertinere ad Chriftianos illud, *Deum tuum adorabis & illi foli feruies*: quod nunquam nifi Satanæ Chriftum obieciffe legimus.

V. Tertia Puteani exceptio: verbum *Scrutamini*, non effe imperantis, quid fit faciendum: fed indicantis, quid Pharifæi folerent: Non effe igitur mandatum: alias fequi, neminem effe Chriftianum, qui literas nefciret: imo qui non poffet exacte Scripturas fcrutari: quia legere, nec intelligere, negligere eft. Refpondeo, varias effe hac de re fententias. Quofdam enim fic intelligere, vt Pharifæorum morem fimpliciter fignificari putent: in quibus eft, & quidem, vt opinor, primus Cyrillus Alexandrinus: cuius fententiam, cum alii nonnulli probant, tum vir magnus Theodorus Beza in annotationibus in hunc locum. Alios vero cenfere Chriftum Iudæos ablegare ad Scripturas, vt videant in iis locos quibus illi teftimonium exhibetur: Et hanc effe maioris interpretum numeri fententiam: qua de re egimus fatis lib. 6. c. 10. Sed hoc quid ad rem? aut quid ad robur argumenti, quod (vt iterum dicam) non eruitur ex his verbis, *Scrutamini Scripturas*: fed ex fequentibus, quæ docet falutem in iis haberi.

VI. Quarta exceptio: nominatas effe à Chrifto Scripturas, non ad omuia fuæ doctrinæ capita confirmanda, fed vnum duntaxat, de fua perfona, fuoq; Mediatoris officio. At hoc eft prorfus extra oleas: non enim intereft, quorfum, aut in quem finem Scripturæ tum fint à Chrifto nominatæ: fed attendendum quid fit de Scripturis dictum. Quicquid enim illud fit, hoc tamen femper conftat ex his verbis, haberi vitam in Scripturis; quæ tota vis eft argumenti. Deinde, etfi hoc loco citantur teftes Scripturæ tantum perfonæ, aut officii, tamen aliis plurimis, certum eft citari ad alia plurima fidei Chriftianæ dogmata confirmanda: hodie etiam ad omnia: nec citari, nifi ex hoc firmo principio in iis vitam haberi.

VII. Poftremo Puteanus excipit, Chriftum non potuiffe loqui nifi de Scripturis Veteris Teftamenti: quod nos quidem fatemur, tum quia nondũ exftarent Scripturæ Noui Teftamenti: tum quia hic fermo erat ad Iudæos. At fi in Veteri Teftamento continetur vita: & Vetus Teftamentum eft Scriptura Sancta, fiue pars Scripturæ: tum negari nullo modo poteft contineri vitam in Scriptura Sancta: nam quod continetur in parte totius, quis fanæ mentis neget effe in toto? Ad hæc, eæ Veteris Teftamenti vitam habebant, non quia erant Vetus Teftamentum: fed quia erant Scripturæ Sanctæ, hoc eft, Verbum Dei: proinde producendum priuilegium ad reliquas omnes Scripturas, quæ æque funt Scripturæ Sanctæ, ac illæ, quæ pertinebant ad Vetus Teftamentum; id eft, ad nouas, quod nemo, opinor, neget Chriftianus. Ergo (inquit Puteanus) nobis fcrutanda effet duntaxat Scriptura Veteris Teftamenti: atque ita fieret nouum inutile. Itane? Quafi vero, quod de vno affirmatur, neceffe ftatim fit de altero negari? Neget ergo, fi audeat Puteanus, in Nouo Teftamento haberi vitam: quia hoc ipfum eodem loco affirmatur de Veteri. Sed confequentia eft ineptiffima, nec micam habet fanæ mentis.

VIII. Ad fecundum locum ex vigefimo Ioannis, Bellarminus tripliciter refpondet. Primo: Ioannem tantum loqui de miraculis Chrifti: ac dicere fe fcripfiffe tantum aliqua miracula, non omnia, quia illa fufficiebant ad perfuadendum mundo, Chrftum effe filium Dei. Sed vident omnes, duas effe partes eius contextus: priorem in his verbis: *Multa etiam alia figna edidit Iefus in difcipulorum fuorum confpectu, quæ non funt fcripta in hoc libro.* Et de hac nulla eft controuerfia, quin fit de miraculis intelligenda, quæ non funt omnia fcripto mandata: imo vero ne traditione quidem nõ fcripta ad nos vfque peruenire potuerunt. Sed alteram partem, in his verbis, *Hæc autem fcripta funt*, nihil obftat quominus generaliter intelligamus, de iis omnibus, quæ Ioannes in Euangelio fuo expofuit, non tantũ figna, fed multo magis doctrinam, cui videtur potius attendiffe: Et confirmatur hæc interpretatio ex fequentibus: nam fola miraculorum hiftoria non fufficit ad fidem Chriftianam, aut ad vitam obtinendam.

IX. Confentiunt ẽt Patres. Cyrillus c. vlt. lib. 12. in Ioannem. *Non igitur omnia quæ Dominus fecit confcripta funt: fed quæ fcribentes, tam ad mores quam ad dogmata putarunt fufficere, vt recta fide, & operibus ac virtute rutilantes ad regnum cœlorum perueniamus.* Auguftinus lib. 1. de Confenfu Euangelift. *Quicquid Chriftus de fuis factis & dictis nos legere voluit, hoc fcribendum Apoftolis, tanquam fuis manibus imperauit.* Verba ipfa perfpicue fonant Cyrillũ & Auguftinum longius produxiffe hunc locum, quam ad miracula & doctrinam etiam comprehendiffe.

X. Sed hoc vt eludat Bellarminus, videamus. Eos patres ait de folis dictis & factis Chrifti loqui: & propterea hoc illos dicere voluiffe: fcripta effe fufficienter, non quidem omnia abfolute; fed tantũ omnia dicta & facta Chrifti: præter quæ dicta & facta, multa funt alia neceffaria: alioquin omnes hiftoriæ & documenta Teftamenti Veteris, & ipfa Acta Apoftolorum, & Epiftolæ Petri & Pauli, Ioannis, Iacobi, & Iudæ fuperuacanea effent.

X. At Bellarminus non tam eludit, quam verfute ludit, & illudit veteratorie. Primum, ex verbis Ioannis, ne nos quidem omnia abfolute fcripta effe contendebamus: nam hoc omnino fcimus effe falfum: nec tamen non à Ioanne, fed ne à reliquis quidem, aut Euangeliftis, aut Apoftolis, fiue fingulis, fiue omnibus, præftitum. Quid ergo? nimirum ea duntaxat, quæ fufficiunt, neceffaria funt ad falutem, continentia doctrinam & mores. Quare hiftoriæ, fiue veteris fiue noui Teftamenti, fruftra nominantur: vtpote quæ non funt ad falutem neceffariæ: etiamfi non fuperfluæ. Secundo, ne dicta quidem & facta Chrifti Patres omnia fcripta fuiffe docent: nam & hoc falfum eft: addũt autem difertam limitationem, *quæ fcribentes tam ad dogmata quam ad mores putarunt fufficere.* Tertio, effe aliquid ad falutem neceffarium, præter dicta & facta Chrifti, negamus. Nam tota religio Chriftiana dogmatis continetur & moribus. Cyrillus autem habet, ea fcripta effe, quæ fufficerent ad dogmata & mores: fi hæc fufficiunt, ergo alia non funt neceffaria. Male tamen Bellarminus concludit, effe igitur fuperflua. Non eft enim verum effe fuperflua quæcunque non funt neceffaria. Quis enim dicat, non poffe confiftere Chriftianam religionem, nifi fciamus admiffum effe inceftum à filiabus Loth? Et tamen non eft hoc ipfum inutile: ergo ne fuperfluum quidem.

XII. Sed fecundo Bellarminus refpondet, Ioannem non loqui nifi de rebus à fe fcriptis: ergo fi illa fufficiunt, fuperfluas fore alias omnes fcripturas. Sed hæc confequentia, vt paulo ante, eft ineptiffima. Nam eiufdem rei plures teftes conquiruntur, qui finguli vnum idemque teftimonium perhibent, & tamen non funt fuperflui.

XIII. Tertio, negat hæc verba, *Hæc autem fcripta funt*, & quæ fequuntur, fignificare figna fola fufficere ad falutem: fed illa ad hoc referri & ordinari, & effe vnum ex mediis requifitis ad noftram falutem; etiamfi folum non fufficiat. Enimuero, quis, inquam, dixit aliquando figna fufficere? Sed non recte verba Ioannis coarctantur ad figna, quæ, vt diximus, latius patent. Vnde non tantum Cyrillus dixit ea effe fcripta, quæ fufficere videbantur ad dogmata & mores: (quæ autem funt eiufmodi, quis neget ad falutem effe fatis?) fed etiam Auguftinus tract. 49. in Ioannem fcripfit, *Sanctus Euangelifta teftatur multa Dominum Chriftum & dixiffe & feciffe, quæ fcripta nõ funt. Electa funt autem quæ fcriberentur, quæ faluti credentium fufficere videbantur.* Non dixit ea ordinari ad falutem tanquam vnum ex mediis, vt vult Bellarminus: fed dixit fufficere faluti credentium. Quid fi fufficiunt, non funt ergo vnum aliquod ex mediis, fed non medium perfectum, quo qui bene vtatur, etiam folo, poffit falutem adipifci.

Sed hanc Auguftini adeo difertam fententiam Melchior Canus fœde peruertit c. vlt. lib. 3. locor. Theologicor. *Non vult Auguftinus* (inquit) *dicta factaque Iefu, ab Euangeliftis fcripta, ad falutem fidelium, & doctrinam effe fatis: Sed hoc vult non fuiffe opus ad fidelium falutem, vt ex dictis factifque Iefu alia fcriberentur, quam quæ fcripta funt: hæc enim fcribere fatis fuiffe: reliqua ab Euangeliftis, fine culpa prætermiffa.* Præclare! fi tanta effet huius hominis autoritas, quanta audacia. Nam hæc certe portentofa eft, vereque Papiftica. Auguftinus diferte dixit ea fufficere faluti, faluti inquam fidelium, & hic fuis præftigiis fperet fe nobis perfuafurum, fufficere non faluti fidelium, fed tantũ fcriptioni Euangeliftarum? Quis ferat? Quafi nemo fciat, quid interfit inter falutem, & fcriptionem.

XV. Charronæus aliam fibi rimam putauit inueniendam. Notat ergo Ioannem addere, *vt credatis Iefum effe Chriftum filium Dei*: qui quidem vnicus eft è multis articulus. Etfi autem Euangelium Ioannis fufficiat ad id credendum, tamen non fufficere ad omnia credenda. Sed contra eft autoritas Cyrillii & Auguftini; qui multo latius hæc verba producunt, nempe ad omnia dicta & facta Chrifti, quæ fufficiant ad dogmata & mores: vnde facile quiuis iudicat, ea verba, *vt credatis Iefum effe Chriftum filium Dei*, pofita effe, non tanquã articulum vnum è multis, fed tanquam fummam Euangelii, ad quam reliqui omnes referantur articuli: quomodo 1. c. ad Romanos Euangelium vocatur *Euangelium de filio Dei*: Et Ioann. 17. *hæc eft vita æterna, vt te effe illum folum verum Deum cognofcant, & quem mififti Iefum Chriftum.* Quo modo etiam Paulus 1. c. 1. ad Cor. negauit fe quicquam fcire nifi Iefum Chriftum, eumque crucifixum. Id autem ita effe, duplici argumento euincitur. Primo, quia in eo ipfo Euangelio multa alia docentur præter hunc vnicum articulum: fecundo, quia additur, *vt credentes habeatis vitam*: vbi & illud credere complectitur omnes articulos, & haberi vita non poteft, fi vnum duntaxat articulũ credas. Ergo hic etiam locus probat Scripturæ perfectionem.

XVI. Ad tertium locum ex pofteriore ad Timotheum tres omnino exceptiones comperi. Prima eft Hayi, Bulengeri, atque aliorum, Apoftoli fententiam effe de fcriptis Veteris Teftamenti intelligendam. Quid tum vero, inquam? Eone minus de Scriptura? Imo certa eft confequentia, Si vetus Teftamentum poteft nos fapientes efficere. Eft a. Vetus Teftamentũ Scriptura facra: ergo Scriptura facra poteft nos fapientes reddere. Nam fi omnino verũ effet, Scripturam Sacram non poffe: tum neceffario falfum effet, V. Teftam. poffe. At, inquit Hayus, fi id quicquam ad rem faceret, concludendum effet, nihil in Marci & Lucæ fcriptis ad falutem reperiri neceffarium, quod in Prophetarum & Apoftolorum libris perfpicue non reperiatur. Ego vero nego confequentiam: fatis enim eft fi reperiatur: etfi non perfpicue.

XVII. Altera exceptio eft Bulengeri Σοφίσαι fignificat inftruere, vt vertit Hieronymus, potius quam fapientem reddere. Ridicule: cum enim deducatur ἀπὸ τοῦ σοφοῦ, neceffe eft inde habere fignificatum. Gloffariũ vetus σοφίζω, *fapientiam præfto.* Phauorinus σοφίζομαι ὑπό τινος, ἀντὶ τοῦ σοφὸς γίνομαι. Sane vero fignificat etiam inftruere: fed hanc neceffe eft effe fecundariam fignificationem: quia nemo poteft fapiens effici quin inftruatur: ac proinde ex confequenti intelligitur antecedens: quo magis illi funt ridiculi fophiftę, qui ex antecedente confequens excludunt.

XVIII. Cæterum Syrus Interpres vertit: דמשכחין דנחכמונך Boderianus interpretatus eft, *Quæ poffunt efficere te fapientem.* Tremellius, *poffunt fapientem te reddere ad falutem.* Quinetiã Caietanus ad hunc locũ oftendit, inftruere, in Latina verfione, pofitũ effe, *pro fapientiã docere.* Erafmus σοφίσαι, *i. e.*

erudire, sapientem reddere. Psalm. 19. quod Hebraice est מחכימת פתי in participio eius verbi quo Syrus Interpres vsus est, Septuaginta reddiderunt σοφίζουσα νήπια, eodem verbo quod Paulus vsurpauit. Latinus autem interpres vertit, *Sapientiã præstans paruulis.* Similiter Psalm. 119. מאיבי תחכמני Græce ὑπὲρ τοὺς ἐχθρούς μου ἐσόφισάς με; *Super inimicos meos prudentẽ me fecisti.* Ps. 105. וזקניו יחכם: Græce, καὶ τοὺς πρεσβυτέρους αὐτοῦ σοφίσαι, Latine, *& senes eius prudentiam doceret.* Siracidæ 47. ἐσοφίσθης ἐν νεότητι σου; *eruditus est in iuuentute sua.* Denique Salmero disput. 4. in post. ad Timoth. id est, explicans hunc ipsum locum, *Instruere ad salutem: siue vt verbum Græcum habet σοφίσαι, id est, sapientem reddere, vel erudire, vt legit Ambrosius.* Nihil igitur obstat, quominus hic etiam locus probet Scripturæ perfectionem: totumque adeo nostrum argumentum sit firmum.

XIX. Tertia exceptio recens est Nicolai Gautieri, in fraudibus Sedanensibus art. 5. Paulum dicere literas sacras posse sapientem reddere Timotheum: non absolute; sed cum additione modificationeque: nimirum tum, cum adduntur fidei quæ est in Christo Iesu. Quid hoc est autem? nisi non sufficere, nisi quantum exponuntur, & intelliguntur per fidem Ecclesiæ: id est, per verbum Euangelii non scriptum: cum certum sit, tum fidem Christianam constitisse non in Euangelico verbo scripto: sed in non scripto: testibus libris posterioribus?

XX. Respondeo, facilimum nodum esse. Apostolum addidisse fidem, quoniam Scripturæ, aut non creditæ, aut non relatæ ad Christum, neminem seruant. Itaque cum leguntur, oportet aut inutiles esse ad salutem; aut ita legi vt adhibeatur fides illa, quæ intuetur Christum Mediatorem. Ast hic Apostata fidem interpretatur incircumscripte: quæ sibi omnia permittat persuadere, etiam quæ ad Scripturam nihil attinent: vt non seruauerit quenquam fides in Christũ, quem Scriptura docet: nisi etiam crediderit adorandas imaginus, quod ille nusquam tradit. At nobis longe aliud persuasum. Nam fidem nominari vel obiectiue, doctrinam fidei: vel formaliter, habitum animi credendis in Christum. Hoc autem loco, nõ priorem. Nempe, quoniam absurda esset ταυτολογία: quandoquidem Sacræ literæ sint fides in Christum obiectiue; id est, doctrina fidei. Itaque ridicula esset ταυτολογία; Sacræ literæ possunt sapientem reddere per sacras literas. Ergo, posteriorem. Hæc autem refertur ad ipsas Scripturas, nimirum vt hæ saluum faciant, dum iis creditur per habitum illum, qui reipsa differt ab illis. Itaque Carthusianus exposuit, *per fidem, id est, mediante & cooperante fide*: nam cooperatio ad habitum pertinet, non ad obiectum.

CAP. III.

An Scriptura Christianum perfectum reddat.

I. QVæcunque doctrina hominem Christianum perfectũ reddit, ea continet omnia necessaria ad fidem & mores. At doctrina scripta in libris Canonicis hominem Christianum perfectum reddit. Ergo ea continet omnia necessaria ad fidem & mores. Ad probationem minoris locus est illustrissimus 3. cap. post. ad Timoth. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. *Tota Scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.*

II. Hic vero strenue pugnant aduersarii, imo obstinate potius; vafre sophisticeque λεπτολογοῦντες. Prima exceptio. Πᾶσα γραφὴ, non totam, sed omnem scripturam significat. Hoc autem quid sit, si quis expectat, explicat in hunc modum. Bellarminus, *Cum dicit omnis Scriptura, non solum toti corpori Scripturarum, sed etiam singulis libris tribuit eam laudem.* Hayus. *Si in vnam Scripturæ partem conueniit optime Apostoli sententia, verbi gratia, in Epistolam ad Philemonem, ergo hoc Apostoli testimonium breuissimæ huic Epistolæ, omnium rerum ad salutem necessariarum cognitionem asserit. Cur ergo inanem sumimus operam in cæteris Scripturæ libris reuoluendis?* Stapletonus, *Paulus non de tota, sed de omni Scriptura: id est, de omni parte Scripturæ loquitur, quod sit vtilis: Quod si vero exinde sequitur, etiam ad omnia illam sufficere: sequetur quoque quamlibet Scripturæ partem ad omnia sufficere.*

III. Respondeo: primum, si πᾶσα non totam, sed omnem significaret, eo fortius futurum argumentum nostrum: nam si partes singulæ sufficerent: (quod sane de quibusdam dici potest non immerito, vt, exempli gratia, de toto Nouo Testamento) tum multo magis omnes. Nec esset consequens illud Hayi absurdum, quod iam iterum atque iterum κράμβης instar repetitum audiuimus, si vna pars sufficiat, ergo reliquas frustra legi: quia instructionis varii sunt gradus, vt alia sit plena, alia vberior, & amplior: adeo vt etiamsi nullum sit in Epistola ad Philemonem dogma, quod non aliunde habeatur & quidem vberius; tamen eam non sine fructu & seruat & legit Ecclesia. Ergo superesset illud tantum Stapletonai.

IV. Itaque secundo, dico totam potius Scripturam significari, quam omnem: quo sensu sæpissime in Scriptura τὸ πᾶν sumi solet ἀντὶ τοῦ ὅλου. Exempla infinita. In Veteri Testamento, Geneseos 7. ובל-ביתך καὶ πᾶς ὁ οἶκός σου, *& omnis domus tua.* Et 13. כל-הארץ πᾶσαν τὴν γῆν, *omnem terram.* Psal. 33. כל-צבאם πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν, *omnis virtus eorum.* Et. 45. כל--כבודה πᾶσα ἡ δόξα, *omnis gloria.* In Nouo Testamento Matth. πᾶσα ἡ Ἰουδαία, *omnis Iudæa:* sexto. ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ, *in omni gloria sua:* decimo tertio, πᾶς ὁ ὄχλος, *omnis turba.* Marci 1. πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα, *omnis Iudææ regio.* Luc. 1. πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ, *omnis multitudo populi*, Paulus etiam ipse, vt ne ab eo prorsus aliena phrasis videatur, ad Rom. 3. πᾶς ὁ κόσμος, *omnis mundus.* Atque hoc sæpissime vetus Interpres Latinus animaduertit, qui כל Hebraicum, Græcum πᾶν, expressit totum. Geneseos 31. בכל בחי ἐν πάσῃ ἰσχύι μου, *totis viribus meis.* Et 47. בכל הארץ πάσῃ τῇ γῇ, *in toto orbe.* Matthæi 8. πᾶσα ἡ πόλις, *tota ciuitas,* Poster. ad Cor. 1. πάσης παρακλήσεως, *totius consolationis.* Ad Ephes. 4. & Philippenses 2. πᾶν τὸ σῶμα, *totum corpus.* Ad Hebr. 2. διὰ παντὸς τοῦ ζῆν, *per totam vitam.* Non est igitur Scripturæ insolens phrasis.

V. Esse autem hoc loco ita sumendum τὸ πᾶσα triplici argumento euincitur: primo, quia Scriptura Sacra nunquam distributa est, vt genus in varias species, sed vt totum in varias partes: vt quilibet liber sit tanquam membrum integri corporis. At Latine, omne, potius genus significat, comprehendens species: vel certe speciem comprehendentem indiuidua: totum vero corpus compositum è membris. Nec aliud iudicium de Græca voce. Sed tamen fateor permutari. Quid tum autem? Nam sensus est semper distinguendus.

VI. Secundo, quia eadem phrasis eodem sensu legitur apud Patres, Athanasius in Synopsi. πᾶσα γραφὴ ἡμῶν χριστιανῶν θεόπνευστός ἐστιν; qui locus eo magis notatu dignus est, quia ex Paulo κατὰ λέξιν mutuatus. Et vertit quidem Musculus, *Omnis nostra, qui Christiani sumus, Scriptura diuinitus inspirata est*: sed intelligi totam, sequentia ostendunt: οὐκ ἀόριστα δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία. *Libros habet non infinitos, sed finitos, ac certo Canone comprehensos*: nam ita totum corpus distribuitur in particulas. Basilius præfatione in Psalmos, his itidẽ mutuatis vocibus, Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος. διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵν' ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἕκαστος ἐκλεγώμεθα. *Tota Scriptura diuinitus inspirata, & vtilis, ob id à Spiritu Sancto composita est, vt tanquam in communi officina, omnes homines sigillatim eligant propriarum perturbationum medicinam.* Vbi quis non videt, Scripturam comparari officinæ? Sed & nemo ausit asserere è singulis Scripturæ partibus omnia colligi animæ medicamenta. Cyrillus Catech. 5. *Fidem in disciplina & annuntiatione acquirito ac retineto,* μόνην τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας νυνί σοι παραδεδομένην, τὴν ἐκ πάσης γραφῆς ὠχυρωμένην, *quam solam tibi nunc tradit Ecclesia, ex vniuersa Scriptura firmatam.* Et paulo post; Symbolum fidei complecti dicit ἐκ πάσης γραφῆς τὰ καιριώτατα συλλεχθέντα, *præcipua collecta ex vniuersa scriptura.*

VII. Tertio, quia, quæ Paulus tribuit πάσῃ τῇ γραφῇ, ea non conueniunt singulis eius partibus. Itaque Basilius præfatione in Psalmos explicans quomodo è Scripturis hauriri possint omnia, ἄλλα μὲν οὖν προφῆται παιδεύουσι, καὶ ἄλλα ἱστορικοὶ, καὶ ὁ νόμος ἕτερα, καὶ ἄλλα τὸ εἶδος τῆς παροιμιακῆς παραινέσεως. *Alia proinde nos ipsi Prophetæ erudiunt, historici perdocent alia, alia item instruit lex: denique alia commonitionis illa prouerbialis forma.*

VIII. Sed contra tamen Bellarminus, *Nulla*, inquit, *pars Scripturæ breuior est Epistola secunda Ioannis: & tamen in ea videmus prædicari Christum esse verum Dei filium, quod est dogma fidei: item videmus prædicari, vt diligamus alter vtrum, quæ est doctrina morum: præterea videmus aperte in ea scribi, esse Antichristos eos, qui dicunt Christũ non venisse in carne, quod pertinet ad hæreticos refellendos: postremo videmus reprehendi eos, qui dicunt hæreticis Aue, quod ad correctionem morum pertinet.*

IX. At ego miror, virum inter suos magnum, adeo se ridiculum præbere, adeoque loqui inconsiderate. Primum, quomodo ille mihi partes suo arbitrio intelligit? Aut quo me argumento refutabit, si singulas partes intelligi velim, singula capita? aut saltem, si non patitur diuelli, ea quæ vno spiritu composita sunt, quo iure saltem singulos Psalmos reiiciet?

X. Secundo, quo iure sibi ille delectum permisit vnius partis? Aut quo artificio consequentiam nectet, ab hac secunda Ioannis, ad reliquas omnes partes, vt si hæc contineat omnia capita, etiam aliæ? Aut quis neget alias dari posse in alteram partem? Exempli gratia: Ipsius Ioannis tertia duo saltem habet quatuor illis capitibus, laudem Gai ex charitate, & interpretationem Diotrephis. Epistola ad Philemonem, vehementer hortatur ad charitatem: sed nihil præterea. Ergo hæ saltem duæ particulæ eximerentur.

XI. Tertio, cur contextum distrahit sibi cohærentem? Paulus enim Scripturam dixit, non tantum esse vtilem ad doctrinam, sed addit etiam, vt vir Dei sit ἄρτιος, & ἐξηρτισμένος. Glossarium ἄρτιος *perfectus, integer.* Etymologicum magnum. Ἄρτιος σημαίνει τὸν ὑγιῆ καὶ πεπληρωμένον *Significat eum qui est sanus & plenus.* Phauorinus: ἄρτιον, τὸ ὁλόκληρον, τέλειον, καὶ ὑγιές. *Integrum suis partibus, perfectum, & sanum.* Sensus est igitur Apostoli: ex Scripturis effici hominem Dei omnibus rebus instructum vt nihil ei desit. At hoc fieri nõ potest, nisi sciat, non tantum docere, redarguere, corrigere, instruere: sed etiam singula illa perfecte. Hoc autem è singulis Scripturæ particulis haberi nequit. Docebit secunda Ioannis, Christum esse verum Dei filium: at non docebit resurrexisse: non docebit, natũ è Virgine: nõ docebit Spiritũ esse Deũ. Docebit charitatẽ, at nõ castitatẽ. Reprehẽdet eos qui negant Christũ venisse in carnẽ: at nos eos qui liberũ arbitriũ adstruunt cũ Pelagio. Sic alia plurima.

XII. Supersunt eiusdem duo argumenta: prius ex eo, quod cum hæc ad Timotheum scriberetur Epistola, nondum exstabat Apocalypsis: nondũ Euangelium Ioannis: forte etiam aliquid deerat ex corpore Scripturarum. Alterum, quia Paulus ex hoc vniuersali principio volebat concludere in particulari, Scripturam Testamenti Veteris, quia diuinitus inspirata erat, vtilem fuisse ad docendum, arguendum, & reliqua.

XIII. Respondeo ad prius, non sequi, si non omnes exstabant particulæ Scripturæ, ideo de singulis loquutum esse Paulum, non de toto corpore. Nihil enim obstat, quominus loquutus sit de omnibus iis, quæ tum exstabant in quibus iam tota doctrina continebatur & fidei & morum: quam subsequutæ partes non reddiderunt auctiorem. Neque enim aut Euangelium Ioannis, aut Apocalypsis (nam eas duas partes solas, nisi forte addas tres eiusdem Epistolas, tum nondum extitisse verisimile est) vlla habent dogmata, quæ non aliunde abunde constet: etsi disertius forte his libris quædam sunt explicata; vt in Euangelio Christi Deitas: in Apocalypsi aduentus Antichristi, & si quæ alia adferri possunt exempla.

XIV. Ad alterum: primo non esse idem partem aliquam Scripturæ, & quamlibet. Itaque non sequi, ex eo quod voluerit concludere de Veteri Testamento, voluisse etiam id quod dixit, intelligi de singulis quibusque particulis: nam & nos concedimus esse aliquam Scripturæ partem, quæ ad ea omnia nominata ab Apostolo, sit vtilis: sed idem negamus de qualibet, vt ita diximus. Secundo negamus sequi, si de parte dixerit, ideo non dixisse de toto. Imo contra: argumentum firmum esse à parte ad totum. Nam quia, quæ sunt in parte, eadem sunt in toto: profecta si vna particula Scripturæ est perfecta, & sufficiens ad omnia: non potest tota ipsa Scriptura esse deficiens. Nec potest in tota domo non esse idem thesaurus, qui est in vno cubiculo, atque ita expediuimus primam aduersariorum exceptionem.

XV. Secunda exceptio eiusdem est Bellarmini. Nunquam, inquit, illud vtilis, significabit sufficiens est. Nam qui dicit cibum vtilem ad nutriendum hominem, dicit quidem cibum ad hoc esse institutum vt nutriat, sed non dicit sufficere solum cibum: nam si calor naturalis deficiat, aut aliquod instrumentum corporis ad nutritionem necessarium, cibus non nutriet. Nec aliter Andradius.

Qui

Qui dixerit vtilia esse sacra scripta ad perficiendos Euangelii ministros nequaquam illis omnia necessaria contineri, neque ex sola eorum lectione perfectionem illam haberi posse affirmarit.

XVI. Respondeo argumentum non niti vnica illa voce, sed toto sententiæ complexu: quo sic Scriptura dicitur vtilis, vt ea vtilitas diserte constituatur in omnibus, imo singulis partibus, quæ sunt Theologo necessariæ: & quidem ita vt perfectus Theologus efficiatur, non autem qualiscumque, aut initiatus duntaxat. Itaque Andradius fœde peruertit Pauli verba, & contorquet in alium sensum. Quis autem non videt longe aliud esse, si dicat aliquis, Organum Aristotelis vtile esse ad omnes Dialecticæ partes, vt perfectus fiat Dialecticus: quam si dixerit, vtilem esse Prophyrii Isagogē ad perficiendum Dialecticum? Certe vt hoc de Isagoge verum est, ita si quis de eadem diceret vtilem esse ad omnes Dialecticæ partes, vt fiat perfectus Dialecticus, omnino rideatur ab omnibus. Et in vniuersum, quæcunque aliquid vel minimum conferunt, ad aliquid vel inchoandum, vel promouendum, ea vtilia dici possunt ad idipsum perficiendum. Sed nihil potest vtile dici ad idipsum perficiendum per singulas partes, quod ipsum sit imperfectum.

XVII. Exemplum cibi valde est ineptum, fateor non sufficere cibum, si desit naturalis calor: fateor non sufficere Scripturam si desit vis Spiritus, si desit fides. Sed quorsum hæc? Nos enim disputamus de perfectione, imperfectioneue Scripturæ. Atqui defectus caloris, nullus est defectus cibi: neque vllus defectus Scripturæ, defectus Spiritus, & fidei. Itaque etiam hoc posito, non desinit esse perfectio Scripturæ: quomodo nec perfectio cibi. Enimuero apud Liuium Decad. 3. lib. 9. *Quem ceperant exules montem, herbidus aquosusque est: & quia pecori bonus alendo erat, hominum quoque carne & lacte vescentium abunde sufficiebat alimentis.* Nec tamen puto à monte illo sufficiebatur calor naturalis. Similis ratio Scripturæ. Nam abundantia Spiritus, similis est calori interno: articuli fidei, alimentis: Scriptura monti. Nostra autem quæstio nunc de alimentis, quibus administrandis Scripturam sufficere nos affirmamus, Papistæ negant: & nos vere, si vere Liuius montem illum testatus est sufficere alimentis.

XVIII. Tertia exceptio Cani, & Bulengeri: non excludi ab Apostolo, sed potius commendari Traditiones: hoc inde euincunt; quia paulo ante dixit, *Tu permane in iis quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris.* Didicerat autem, inquiunt, Timotheus sacras literas, & præterea mysteria Euangelicæ doctrinæ concredita acceperat; edoctus à Paulo viua voce, magis quam scripto.

XIX. At nos regerimus, Timotheum edoctum fuisse viua voce Pauli, doctrinam Euangelicam eandem, quæ iam tum continebatur in Scripturis sanctis, non autem aliam. Itaque si Traditionum nomine intelligant Canus & Bulengerus, eam docendi rationem, quæ fiat per viuam vocem, concedimus facile totum argumentum, vtpote quod nihil deroget perfectioni Scripturæ sed eandem potius confirmet. Sin autem per Traditiones alia quadam intelligant dogmata nusquam scripta, nusquam lecta, negatur consequentia.

XX. Quarta exceptio est apud Bellarminum prima: Scripturam sufficienter instruere & perficere hominem Dei, quia multa expresse continet; & quæ non continet, ostendit vnde sint petenda. Ita Bellarminus, qui statim, qua si hoc ipsum nimium esset, reuocat prodigam istam liberalitatem, negans eā ipsam perfectionem à Paulo Scripturæ tribui: hoc est, non tantum non doceri Scripturam perfectam esse hoc sensu, vt ipsa omnia doceat quæ requiruntur ad perfectum Theologum: sed ne hoc quidem sensu, vt multa continens reliqua vnde petantur indicet. En Iesuitarum ingenium!

XXI. Respondeo; non potuisse quicquam dici magis ridicule. Primum enim ea loquendi ratio nunc demum nata est inter Papistas, ante eos nunquam audita; vt ab aliquo sufficienter ac plene doceri dicamur, qui tamen non ipse omnia me aut docat, aut etiam docere queat; sed tantum indicet alium magistrum à quo hauriam si libet: Imo vero alium sic indicare, nihil aliud esse potest, quam eum qui indicat non posse sufficienter docere: nam hæc ipsa causa est, cur alio abeundum sit. Quare si Scriptura non ipsa omnia doceret mysteria pietatis; si minimam particulam reuelatæ veritatis proponeret, & ad Ecclesiam amandaret, tum nemo satis sanus diceret ab ea sufficienter erudiri Christianos. Contra potius. Lex amandabat ad Christum: quia pædagogus erat, teste Paulo ad Galat. 3. & tamen ad Hebræos 7. οὐδὲν ἐτελείωσεν: nihil ad perfectionem deduxit.

XXII. Secundo, Patres longe aliter sentiunt. Theodoretus ad illud *Ad docendum: Quæ ignoramus, ex ea discimus.* Ex ea, inquit, non autem aliunde. Primasius. *De ipsa lege docetur ignorans, arguitur insolens, corripitur errans, eruditur ad iustitiam qui modum seruare non nouit.* Nota, de ipsa lege docetur. Disertior Chrysostom. εἴ τι μαθεῖν, εἴ τι ἀγνοῆσαι χρὴ ἐκεῖθεν εἰσόμεθα· εἰ ἐλέγξαι τὰ ψευδῆ, καὶ τοῦτο ἐκεῖθεν. *Si quid discere, si quid ignorare oporteat, inde discemus: si confutare falsa, & hoc etiam inde.* Et post ἀντ' ἐμοῦ, φησί, τὰς γραφὰς ἔχεις εἴ τι βούλει μαθεῖν, ἐκεῖθεν δυνήσῃ; *Pro me,* (inquit) *Scripturas habes si quid velis discere, inde poteris* Theophylactus. *Ad docendum prodest, inquit, quia nos instruit quid sit perdiscendum. Nihil enim est, quod nequeat Scripturis dissolui.* Et post, *Si necesse est, inquit, vt aliquid vel corrigatur vel instruatur, hoc est, ad iustitiam reddi continentem & sobrium, & ea quæ iusta sunt exequi: ex sacris literis id omne suppeditabitur.* Ergo sic Patres existimarunt omnia doceri à Scriptura, vt ab eadem suggerantur. Quin etiam notanda sunt Chrysostomi verba, qui censet Pauli mentem hanc esse, vt sui loco Timotheo præceptorem indicaret. Nam id significat eum præceptorem, qui Timotheum ita doceret, vt ipse Paulus solebat. At non solebat ex parte tantum instituere, sed plene: oportet ergo idem de Scriptura statuere.

XXIII. Absolui verborum Pauli interpretationes varias: nunc supersunt rara quædam, nec facile alibi obuia argumentationum sophismata Andradii Iesuitæ & Puteani. *Putasne* (inquit Andradius, libet enim ipsa verba describere, *sacras literas, quas Paulus tanti fecit, Ecclesiæ Christi vim & dignitatem demonstrare? Si quantum insit in Ecclesia maiestatis, ponderis & autoritatis, ex sacris literis non satis liquet, quomodo hominem Dei perfectum, & ad docendum omni ex parte absolutum reddunt? Si liquet, ex iisdem profecto accipiet Doctor Euangelicus tantis Spiritus S. præsidiis Ecclesiam Christi muniri, vt nullis errorum monstris patere, nulla ignorationum caligine tegi, nullis turbulentis atque corruptis opinionibus infici possit: quomodo vero traditionum autoritatem imminuent sacræ literæ, quæ tradentis Ecclesiæ dignitatem vsque adeo amplificant.* O inauditum acumen! Ita enim libet in Andradium exclamare, vsurpatis ipsius in Chemnitium vocibus. Siue doceat Scriptura Ecclesiæ maiestatem, siue non doceat: concluditur esse imperfecta, & præter eam traditiones necessariæ. Quo me vertam? Quid negem? Quid concedam? sed bene est: Cornutum video, non demonstrationis argumentum, quod sperabam à Theologo; sed Iesuiticæ illusionis sophisma, quod à sophista solet expectari.

XXIV. Cōsideremus retexendo. Siue ecclesiæ autoritatē Scriptura cōmendet, siue nō cōmendet, vtroq; modo euincitur esse imperfecta. Cur ergo, si nō cōmendet? nempe, quia hoc ipsū saltē deerit. At hic nulla difficultas. Nā hoc certe nomine nihil deesse potest Scripturæ; à quo tam serio scimus ecclesiam cōmendari. *Dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audiuerit, esto tibi tanquam Ethnicus. Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.* Et alia non pauca, quibus immodice abutuntur Papistæ, vt sunt miri Scripturarum corruptores.

XXV. Sed altera pars quid habet vitiū? Si ex Scriptura liquet Ecclesiæ autoritas: ergo inde cōstat Ecclesiā nullis errorū monstris patere, nulla ignorationū caligine tegi, nullis turbulentis, atq; corruptis opinionibus infici posse. Atqui, inquam, negatur hęc cōsequentia: nec n. necesse est, si magna sit Ecclesiæ autoritas, ideo transferri subito ab his terris in cœlos: vbi reuera erit immaculata: nullisq; erroribus, nullis tenebris, nullis opinionib. obnoxia.

XXVI. Et tamen idipsū si cōstaret è Scripturis, nihilominus nō cōcluditur hęc nostra quæstio de imperfectione Scripturę. Imo, inquit, quomodo traditionū autoritatem imminuent sacrę literę, quę tradentis ecclesię dignitatem amplificant? Imo, inquā, de traditionū autoritate seruata, imminutaue, quid attinet nunc loqui? An quia nulla eis dignitas esse potest, si sua Scripturæ perfectio asseratur? At nos contra: tū vere, serioq; cōmendari traditionū autoritatē dicimus, si scriptura easdem contineat: quia inde cōstabit esse θεοπνεύστους propterea quod πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος. Nulla n. tanta autoritas quanta reuelationū diuinarū. At non potest eas omnes continere Scriptura, nisi sit perfecta.

XXVII. Puteanus, vir, si quisquam alius, confidentissimus sui, perspicuā demonstrationem pollicetur, ad cuius solutionem magno fastu omnes vndique Ministros prouocat. Ea sic se habet. Si certum est multos libros Canonicos scriptos esse post mortem Pauli: & rursus certum est, eos libros esse verbum Dei: Certum est ergo, Paulum morientem multum Ecclesiæ traditionis reliquisse, hoc est, Verbi Dei non scripti. Quod si adhuc certum est, nunquam venisse Paulo in mentem, vt obstaret quominus ii libri pro Verbo Dei agnoscerentur, annon est etiam certum nunquam ei in mentem venisse, vt præiudicaret traditioni.

XXVIII. Respondeo, plus hic esse fastus quā neruorū. Est n. cōsequentia falsa: nam præter libros Ioannis, omnes erant scriptæ N. Test. partes, tum temporis, cum hanc secundam ad Timotheum Paulus absoluebat: at in illis scriptis Ioannis nullum est dogma fidei, nullum de moribus præceptum, quod non constet ex aliis Scripturæ partibus, & quidem perspicue. Quare, etsi moriens Paulus Ioannis libros scribendos relinquebat, tamen nullum relinquebat Traditionem non scriptā, quę arguere posset Scripturam alicuius imperfectionis. Adde, nullam esse cōsequentiam à libris Ioannis ad Traditiones Ecclesiasticas. Nam libri Ioannis inter has nullo modo numerari possunt; magis quam reliquæ Scripturæ.

CAP. IV.

An Scriptura sit Doctrina perfecta conuertens animas.

I. QVæcunque doctrina perfecta est conuertens animas, ea cōntinet omnia necessaria ad fidem & mores. At Scriptura sacra est perfecta conuertens animas. Ergo Scriptura sacra continet omnia necessaria ad fidem & mores. Maior patet, quia animæ conuersio ad Deum consistere perfecte non potest, nisi omnibus cognitis, ad vtramque partem, cum fidei, tum morum, necessariis. Minor autem probatur ex verbis Prophetæ, Psalm. 19. *Lex Dei perfecta conuertens animam.*

II. Ioannes Hayus primo contendit non perfectam, sed immaculatam à Propheta dici legem: sic enim Hieronymum vertisse: vt nihil possit vllus mortalium in Dei lege perfectionis desiderare: quia sit irreprehensibilis, vt ait Euthymius. Secundo, intelligi etiam singulas partes legis. Annon enim, inquit, hæc Dei lex, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, est perfecta? Si est imperfecta, quis eam perficiet? Atqui Dei omnia opera perfecta sunt. Erit ergo hæc lex perfecta. Tertio, non est hic locus tantum intelligendus de lege scripta: quasi Dei lex nō possit sine scripto cōsistere. Atqui lex fuit data Adamo πρὸ τοῦ νόμου: & tamen ante Mosē scriptæ legis nulla fuit mentio.

III. Contra, ad primum. Propheta vsus est voce תמימה, quæ proprie significat eam perfectionem, cui nihil deest. Id primum Etymologia docet, tum exempla. Deducitur enim à תמם, quod est perficere, consummare, absoluere. Psal. 64. תמנו חפש מחפש. *Sensus est,* inquit Pagninus in Thesauro, *Scrutabuntur iniquitates donec perficiant eas, vt non possit homo cogitare, & scrutari amplius, quā ipsi scrutati sunt.* Iosue 10. יום תמים dies vocatur integer, siue perfectus; nimirum constans omnibus suis partibus. Hieronymus vertit, *spatium vnius diei*: Septuaginta εἰς τέλος ἡμέρας μιᾶς: *in finem diei vnius.* Chaldæus Paraphrastes כיום שלים, quasi die integro. Leuitici 23. שבע שבתות תמימות Vulgatus Interpres, *Septem hebdomadas plenas*: Vatablus, *Septem Sabbatha, quæ integra sint.* Septuaginta ἑπτὰ ἑβδομάδας ὁλοκλήρους, *septem hebdomadas integras.* Chaldæus שבע שבוען שלמן Ex his manifestum est, referri hanc vocē ad eam integritatem, quæ constat ex omnibus partibus.

IV. Fit tamen etiam aliquando, vt eam integritatem designet, quæ est virtus, & per immaculatum reddi possit, in quo nihil est vitii. Sed ea significatio est secundaria. Vnde tamen factum, vt Septuaginta reddiderint hoc loco ἄμωμος, quod etiam Euthymius exposuit: Item Hieronymus, immaculatā: At non tantum Paraphrastes Chaldæus reddidit שלימתה, sed etiam Pagninus, & Arias Montanus, Perfectam: Et Genebrardus annotauit *Immaculata perfecta proprie. Docens non tantum facienda, verum & credenda, colenda & reliqua.* Lorinus. *Hebræa vox significat integram, perfectam absolutam, cui nihil desit.* Frustra igitur Hayus effugium quærebat in voce.

V. Ad secundum: cum ita sit, perfectio illa intelligenda, vt diximus: ergo vnum illud præceptum, etsi perfectum est, quatenus est immaculatum, tamen dici non potest perfectum ad conuertendam animam: quia ad id ipsum aliæ sunt multæ partes necessariæ; quas hoc præceptum non continet. Ad illud autem, *Quis perficiet?* Respondeo, Deum iam perfecisse, cum huic præcepto totam addidit Scripturam. Esse n. omnia Dei opera perfecta, non est quod quisquam neget: sed esse omnes operum particulas perfectas, id est,

tantum

tantum continentes, quantum continetur in toto, nemo sanus asserat. Itaque hic locus intelligendus est, non de singulis præceptis, sed de tota lege.

VI. In tertio calumniatur Iesuita. Nos enim nunquam somniauimus legem Dei non posse consistere absque scripto: sed hoc tantum contendimus scriptam legem (id est, verbum Dei scriptis mandatum) esse perfectam, & continentem omnia ad salutem necessaria. Nam ita solet legis nomen vsurpari pro toto corpore Scripturæ sacræ: quod sciunt omnes. Est autem hic Psalmus scriptus longe post Mosen: proinde non ita legem nominabat, vt naturalem, siue non scriptam intelligeret. Vt omittam hanc naturalem, non tantis esse viribus, vt ei tribui possit animæ conuersio: & quidem vt eo sensu sit perfecta, & integra. Proinde Euthymius. *Sufficeret* (inquit) *ad præstandam nobis cognitionem de Deo ipsa lex naturæ, quæ magnitudinem, pulcritudinem, & ordinem rerũ quæ creatæ sunt, omnes homines docuit: verũ hoc Deo satis non fuit: sed scriptam & legem nobis tradidit, per quã de diuina, præuidentia ac sapientia & doceremur.* Genebrardus ipse testatur aliquos, per legem intelligere totam Scripturam sacram; non eam partem quæ est de agendis, cauendis, vel etiam credendis.

CAP. V.

An id quod Apostoli prædicauerunt, scriptum sit.

I. SI idipsum quod Apostoli prædicauerunt, scriptum est, ergo quicquid ad religionem Christianam est necessarium, id scriptum est. At prius verum, ergo & posterius. Propositio patet: quia Apostoli non imperfecte prædicarunt Euangelium: alias vel nescisset, vel noluissent, quod vtrumque est absurdum. Quin Paulus testatur, se nihil subtraxisse vtilium; Act. 20. quominus annunciaret & doceret cum publice, tum per domos. Et quis dubitet alios similiter testari potuisse,

II. Antecedens probatur ex 26. c. Actorum, vbi sic Paulus loquitur. *Perstiti in hunc vsque diem testificans tum paruis tum magnis: nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt.* Testatur his verbis Paulus se non discessisse à Scripturis Veteris Testamenti. Si enim nihil dixit extra eas, tum necesse est, quæcunque dixit esse intra eas, hoc est contineri in iisdem: quod nos volumus. Atque inde sequitur; ne hodie quidem quicquam esse ad fidem moresue necessarium, siue mauis conducens, quod non habeamus in Scripturis: ideoque non esse necessarias traditiones non scriptas: atque adeo, quod Papistæ, omnino ferre non possunt, Scripturas esse hoc sensu perfectas.

III. Non cedunt tam manifestis verbis Andradius lib. 2. Defensionis Trident. Stapletonus Defensionis lib. 3. c. 15. sect. 4. Charronæus Veritate 3. in annot. ad caput 4. Imo varie respondent ad Apostoli locum: modo voculas captantes: modo circumstantias vrgentes: modo argutiolas anquirentes: denique nihil non satagentes. Et ante omnia nostrum argumentum obruunt incommodis. Primo, sequi ergo Euangelistarum & Apostolorum libros esse superuacaneos: Secundo, ergo nec Paulum nec alios Apostolos, ex Euangelio, aut de verbis & doctrina Christi quicquam prædicasse, aut de iis quæ continentur in Epistolis Apostolicis. Negari enim nõ posse quatuor Euangelia, totamque adeo noui Testamenti Scripturam, aliquid esse extra Prophetas & Mosem: nisi forte quis pertinax contendere velit, vetus Testamentum idem numero esse cum quatuor Euangeliis.

IV. At hæc incommoda nullo negotio depelluntur. Ad primum, dico aliam esse quæstionem, an omnia dogmata contineantur in Veteri Testamento: aliam vero, an superflui sint libri Noui Testamenti. Non esse autem consequens si prior illa sit affirmatiue vera: vt posterior negari non possit. An enim quia docuit omnia Paulus, siue viua voce, siue scriptus, ideo aliquis legitime concludet, superuacaneos fuisse Petri labores? An stulte factum, vt quatuor autores nobis totidem fere verbis, certe eodem verborum momento, Eucharistiæ institutionem describerint? Quatuor rursus Christi mortem in cruce, & à mortuis resurrectionem? Minime vero. Itaque hic primus conatus est inutilis.

V. In secundo ridicula consequentia. Quid enim? nihil-ne illi scripserunt eorum, quæ viua voce prædicabant? Nam hoc quidem necesse est; si illa consequentia non est sophistica. Imo hoc potius verum est: Apostolos eadem scripsisse, quæ prædicasse: quare si nihil prædicarunt, quam quod habuerunt ex Mose & Prophetis: Ergo ne scripserunt quidem. Ratio autem est adhuc absurdior. Non est enim verum alterutrum esse concedendum, nimirum vel totum nouum Testamentum esse aliquid extra vetus Testamentum: vel Nouum Testamentum esse numero vnum idemque cum veteri. Nam ne prædicatio quidem Pauli erat vna eademque numero cum scriptis Mosis, & Prophetarum: & tamen ipse testatur se nihil prædicasse extra Mosem & Prophetas. Non potest esse vnum idemque numero Euangelium Matthæi Græce scriptum, cum eiusdem Matthæi Euangelio Latine scripto: & tamen vt Euangelium Latine scriptum, vere sit Euangelium Matthæi, necesse est, vt nihil habeat extra illud, quod est Græce scriptũ: Denique norunt omnes vnam eandemque doctrinam, posse varie tradi & prædicari. Quod si varie, ergo necesse est prædicationes non esse omnes vnam numero, alioqui non essent variæ.

VI. Rursus, non recte probari maiorem ab hoc loco indicat Stapletonus. Quod enim Paulus de se vno dixit, non esse trahend m ad alios omnes. Non sequi autem, si Paulus quicquid docuit sumpsit ex Prophetis & Mose, ergo & cæteros. Ratio est, quia etsi vnum Christum omnes Apostoli prædicabant, tamen certum est non eodem omnes modo prædicasse: sed paulo aliter Iudæis, aliter gentib. Sic Paulus legalium cessationem reliquis acrius vrgebat, vtpote gentium Apostolus.

VII. Imo, inquam, respondeat ingenue, an putet idem Euangelium à Paulo prædicatum, & à cæteris Apostolis: vt videamus tandem aliquando quid monstri alant Papistæ. Nam si idem quo ore consequentiam Sophistæ negabunt à Paulo ad reliquos? Aut si pergunt negare: videant iam omnes aliud ab illis asseri Euangelium Pauli: aliud reliquorum: quod scelus, quæ flammæ satis pient? Ratio autem est absurda: quia aliud est de ipso Euangelio loqui, aliud de ratione prædicandi Euangelii. Concedo alios Apostolos, aliis vehementius, vel sedatius: eloquentius, vel simplicius, prolixius vel breuius prædicasse: sed vnum tamen idemque Euangelium. At hoc quid ad rem? Nam & ipse Paulus testatur etiam seipsum varie prædicasse, vt plures lucri faceret; apud Iudæos vt Iudæum, apud eos qui erant sine lege quasi esset sine lege, hoc est apud gentiles vt gentilem: prioris ad Cor. 9. Et tamen hoc Actorum loco de toto suæ prædicationis cursu loquitur: *Perstiti*, inquit, *in hunc diem.* Et sane si hæc Iudæorum à Gentibus distinctio infert, Paulum quidem Iudæis prædicantem continuisse se intra Mosen & Prophetas, at non ita apud gentes: quid de Epistola dicemus ad Romanos, quam Hieronymus in præfatione lib. 6. in Esaiam, testatur omnem pene de veteri structam esse instrumento? Nam inde perspicuum fit etiam cum gentiles doceret, eosdem sibi doceudi carceres propositisse.

VIII. Sed nunc, quomodo Pauli verba Papistæ intelligant audiamus: homines enim tam exactos, tam religiosos, veri simile est operæpretium aliquod facturos. Primum ergo, illud extra contendunt idem esse ac contra: dixisseque Paulum se nihil docuisse, quod non optime conueniret cum Mose & Prophetis: non vero nihil vltra. Secundo non dixisse extra ea quæ Moses & Prophetæ scripserunt: sed extra ea quæ futura prædixerunt: itaque si illud extra, vrgetur, Pauli prædicationes ad prædictiones Propheticas & Mosaicas de Christo restringentur; quod falsum est. Tertio, non loqui de tota doctrina Euangelica, sed tantum de articulo passionis, & resurrectionis Christi: vt patet ex sequentibus. *Extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt: nempe Christum esse passurum, ac primum ex resurrectione mortuorum, lucem annunciaturum huic populo & gentibus.* De his ergo doctrinæ capitibus Paulum testari se nihil docuisse extra ea quæ prædicta erant. At tum Paulus, tum Apostoli multa alia prædicarunt, præter ea capita.

IX. Sed respondeo ad primum: negari quidem non posse Paulum nihil omnino docuisse contrarium Mosi & Prophetis: sed nullam tamen vnquam Grammaticæ rationem ferre posse, vt extra nihil sit aliud quam contra. Enim vero quæ hæc tanta Papistarum tyrannis, vt etiam vocabula, quorum vsus pendet à vulgo, sui tantum iuris faciant, vt pro arbitrio vertant, inuertant; Saltem darent aliquod exemplum, quo se probarent non suo commodo solutiones confingere; audaciaque sola niti, non vero ratione pugnare. Sed ex ipso loco facile refellitur commentum. Nam quia de futuris sermo est, satis apparet Apostoli hanc mentem esse, vt significet se ea tum prædicare tanquam impleta, quæ à Prophetis olim prædicta fuerant euentura. At hoc intelligi nullo modo potest; si extra sumatur simpliciter pro contra: multis enim parasangis distant, nihil prædicare contra Prophetas, & prædicare impleta, quæ Prophetæ futura dixerant: possunt sane plurimi id præstare, quibus tamen hoc tribui non potest.

X. Sic ergo potius locum exponamus, vt quia duo nominari possunt rerum genera, quæ non essent contraria Mosi & Prophetis, vnum quod contineretur in eorum scriptis, alterum quod aliunde assumeretur, Paulum se intra primum genus continuisse dicamus: consentiente Cardinali Caietano. *Est sensus* (inquit in eum locum) *ego testificor ea quæ Prophetæ prædixerunt*: Et paucis interpositis verbis, *Affirmat enim Paulus quod ipse testificatur, & prædicat regnum Dei, regnuum Messiæ, & ea quæ sunt regni cœlorum, quæ Moyses & Prophetæ prædixerunt futura.* Consentiente etiam Syro interprete, qui verba Pauli expressit istis, *Nihil extra Mosen & Prophetas dicens, sed ea quæ ipsi dixerunt quod futura essent.* Nam horum sensus est, prædicata fuisse à Paulo, non aliena quædam, quæ tamen non dissentirent; sed ea ipsa quæ erant prædicta: ac proinde multo contractius loquutum esse Paulum, quam si dixisset se nihil contra Prophetas prædicasse.

XI. In secundo manifesta est principii petitio: nam cum nos asseramus prædicationem Pauli ex hoc loco contineri intra prædictiones Mosaicas & Propheticas: iste simpliciter falsum asserit: atque id pro ratione obiicit. Si quid autẽ ille discriminis imaginatur inter ea, quæ Moses ac Prophetæ prædixerunt, eaque quæ illi scripserunt, ille viderit otiose: certe nos alias aut Mosis & Prophetarum Prophetias agnoscimus quam scriptas.

XII. In tertio primum contradictio est cum primo. Nam si de his tantũ capitibus intelligenda sunt illa Pauli verba; quid opus erat adeo audacter illud *extra*, mutare in *contra*? Nam sane, hæc capita constat, imo fatentur aduersarii, esse non tantum non contra, sed etiam intra Mosis & Prophetarum scriptas Prophetias. Secundo mendacium est, refutatu facillimum ex præcedentibus. Sic enim se habet contextus series, vt post enarratam visionem, qua conuersus fuerat, cum Damasco proficisceretur, addat, *Non fui rebellis cœlesti visioni: sed iis qui sunt Damasci primum, & Hierosolymis, & per omnem regionem Iudææ, deinde & Gentibus, annunciaui vt resipiscerent, & conuerterent se ad Deum, opera facientes digna iis qui resipuissent. Horum causa Iudæi me in templo comprehensum tentarunt interficere: sed auxilium à Deo nactus perstiti in hunc vsque diem testificans, tum paruis tum magnis, nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ & Moses futura prædixerunt.* Rationem igitur Paulus reddebat totius suæ prædicationis, cum apud Damascenos, ac Iudæos, tum apud Gentes, quos hortabatur ad pœnitentiam vtraque proposita religionis parte, nempe fide & operibus: nam opera diserte nominantur: fides autem satis intelligitur ex conuersione ad Deum. In ea autem prædicatione se perstitisse testatur: quare illa de Mose & Prophetis, ad eandem sunt prædicationem referenda. Adde scopum Pauli, qui, teste Andradio, obiectum sibi à Iudæis crimẽ diluebat, nimirum, quod contraria doceret Mosi & Prophetis. At hoc nunquam purgasset, si de aliqua tantum prædicationis suæ parte loquutus esset: nam alia supererat integra, & Iudæis sufficiens. Itaque ne quicquam aduersariis concederet; necesse fuit totam comprehendi. Recitantur autem illa capita, vel exempli gratia, vel tanquam præcipua: non vero vt omnia. Itaque ex hoc loco solide concluditur perfectio Scripturarum.

XIII. Addo Irenæi & Nicephori testimonia. Irenæus lib. 3. c. 1. *Non per alios cuiuspositionem salutis nostræ cognouimus, quã per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidẽ tunc præconiauerũt, postea vero per Dei voluntatẽ in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentũ & columnã fidei nostræ futurũ.* Quo loco ita annotauit Francis. Feuardentius Monachus. *Docet Apostolos sanctissimi Euangelii primos buccinatores non nisi Spir. S. virtutibus ac donis instructos illud cõstanter prædicasse: deinde ad futurã posterorũ memoriã illud ipsum scriptis mandasse.* Habemus ergo Euangeliũ ꝙ prius viua voce prædicatũ fuit ab Apostolis, postea fuisse ab iisdẽ scriptũ, & quidẽ teste Feuardentio illud ipsum. Quare si viua voce prædicata sunt omnia ad salutẽ necessaria: necesse est eadẽ omnia fuisse scripta: aut non illud ipsum Euangeliũ fuisse scriptis mandatum.

XIV. Bel-

XIV. Bellarminus dupliciter nodũ secat. Primo, breuius, postea fusius. Primo igitur Irenæum negat dicere nihil aliud Apostolos prædicauisse, quam ꝙ scripserunt: sed solum scripsisse Euangelium, ꝙ antea prædicauerunt. Imo (inquam) hæc non sunt diuersa, sed potius prius illud concluditur ex posteriori. Nã quia Euangelium est tota doctrina salutis; quemadmodũ cum dixit Apostolis prædicatum Euangelium, intelligimus non partem duntaxat Euangelii, sed totum: similiter cum dixit ab iisdem idem scriptum, necesse est intelligi totum, aut inepte balbutientem Irænæum inducere.

XV. Secundo ergo Bellarminus, *etiamsi*, (inquit) *diceret Irenæus Apostolos omnia scripsisse quæ prædicauerunt, nihil diceret aduersus sententiam nostrã* Monstrum, (inquam) audaciæ! Nam alterutrum inde sequeretur, vel non omnia fuisse prædicata ad salutem necessaria; ꝙ est absurdum; vel nihil differre vniuersales propositiones à particularibus, vt omnia, & non omnia vnum idemque significent.

XVI. Sed attendamus acumen Iesuiticum. Duplex genus est eorum quę necessaria sunt in religione Christiana: vnum est eorum, quæ sunt simpliciter omnibus necessaria ad salutem: alterum eorum, quæ non sunt ita necessaria vt sine eorum notitia, fide & professione homo saluari non possit. Illa fuisse omnibus prædicata omnia: hæc vero non omnia omnibus: sed quædam omnibus: quædam solis Prælatis, Episcopis, Presbyteris. Illa igitur fuisse ab Apostolis scripta, quæ erant simpliciter necessaria, & quæ omnibus ipsi palã promulgauerant: non a. absolute omnia: atq; ita Irenæus intelligendus.

XVII. At primum, hæc omnia quorsum? Sunt enim extra oleas, nihilque ad Irenæum. Enimuero Irenæus necessaria ne nominauit quidem; sed Euangelium: quia voce significatur tota doctrina religionis Christianæ, & necessaria toti Ecclesiæ: non singulis dico fidelibus, sed toti Ecclesiæ, in qua quis contineri nescit, Prælatos, Episcopos, Presbyteros? Itaque, vel illa sua non simpliciter necessaria, Bellarminus fateri debet non pertinere ad Euangelium; vel si pertinent, hac Irenæi sententia comprehendi.

XVIII. Secundo, hæc rursus eo redeunt, vt ex vniuersali propositione fiat particularis; & omnia significent non omnia: quod qui audet, quid porro relinquat inausum.

XIX. Tertio, etiam ea quæ non vult Bellarminus esse omnibus necessaria: sed tantum prælatis, nempe de regendis Ecclesiis, de Sacramentis administrandis, de refellendis hæreticis, leguntur in scriptis Apostolicis: vnde cõcludimus, vel præconiasse etiam ista omnibus Apostolos, vel sibi proposuisse, vt ne ea tantum scriberent, quæ omnibus præconiabant, sed etiam quę paucis: vtrumque contra Bellarminum.

XX. Quarto, Irenæus habet, *quod quidem tunc præconiauerunt*: non autem omnibus præconiauerunt. Vnde sic arguo: Euangelium, ꝙ Apostoli præconiauerunt, est scriptum. At id ꝙ seorsim Episcopis tradiderunt, est Euangelium ꝙ Apostoli præconiauerunt. Ergo, id ꝙ Episcopis seorsim tradiderunt, etiam scripserunt Apostoli. Maior certa est, ex contextu verbisque Irenæi. Minor negari non potest: primo, quia alias negandum erit illa Prælatis necessaria pertinere ad Euangelium, ac tum nos ea libenter ad Alcoranum Mahometicum relegabimus: vel illud docere Prælatos, non esse præconiare: ꝙ verborum aucupium, quis non rideat? Deinde, ipso facto probatur: nam & regendæ Ecclesiæ præcepta, & forma Sacramentorum administrandorum, & refutatio hæreticorum, traduntur in Scriptura: ac propterea pertinent ad Euangelium, ex vi ipsius argumentationis Bellarminianæ.

XXI. Quinto, Bellarminus peruertit quæstionem: nam cum loquatur Irenæus de Apostolorum prædicatione, ille eius loco substituit singulorum scientiam, siue cognitionem. At hæc ita sunt diuersa, vt etiam si non sit necesse singulos Christianos omnia scire, tamen necesse fuerit Apostolos omnia prædicare. Quare, cum Scripturam Irenæus comparet non cum scientia singulorum, vt dicat, ea scripta quæ omnes scire erat necesse: sed cum prædicatione Apostolorum, asserens ea esse scripta, quæ prædicata: hic a. sensus multo latius pateat, quam prior, quis non videt sophistice aliud pro alio substitui: ꝙ fieri non solet, nisi à malæ fidei disputatoribus?

XXII. Sexto, hæc si tam vera distinctio esset, quam vult Bellarminus, tamen causam Papisticam nihil iuuaret. Traditiones enim quas illi obtrudunt cuiusmodi sunt pleræque omnes, vt omnibus proponantur, non sint autem proprie prælatis: quales sunt, exempli gratia, vsus aquæ benedictæ, ieiunia quadragesimæ sextæque feriæ & sabbathi, signaculum crucis, adoratio imaginum, inuocatio sanctorum Purgatorii ἱμπελσμὸς, Transsubstantiatio, cõmunio sub vnica specie, & reliqua, non tam magno, quam infinito numero. Quare hæc ex mente Bellarmini oportuerit constare ex Scriptura, ꝙ tamen illi fatentur non posse: aut non omnibus prædicari, sed in angulis mussitari, paucisque initiatis in aurem tradi, ꝙ ille non faciunt: aut certe negari ad salutem nõ esse necessaria, ideoque facile posse exulare ab Ecclesia, nullo animarum dispendio, ꝙ vtinam eligant tandem aliquando ii, qui nimium diu his nugis addicti, abducti fuerunt paulatim à sinceritate Euangelii.

XXIII. Sed Puteanus alia sibi putauit aggrediundũ via. Is igitur asserit, primo, Irenæum loqui duntaxat de quatuor Euangeliis, eaque sola vocare columnam & fundamentum fidei nostræ: fore igitur omnes reliquos libros Scripturæ reiiciendos: si inde concludimus omnia in iis scripta esse. Secundo, etiamsi loqueretur de toto Bibliorum corpore, idq; solum vocaret columnã & fundamentum fidei, esse tamen potius credendũ Paulo, qui Ecclesiam vocauit columnam & fundamentum veritatis.

XXIV. Respondeo ad primũ, & consequentiam esse falsam, vt alias sæpe obseruauimus: & antecedens non esse verũ. Nã neq; reliqui libri essent aut reiiciendi, aut cõtemnendi etiãsi quatuor Euangelia perfecte cõtinerent totã salutis doctrinam. Neq; Irenæus loquitur duntaxat de quatuor Euangeliis: ꝙ satis patet ex textus circumstantiis. Nam primo cũ dicit, *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quã per eos per quos Euangeliũ peruenit ad nos* si Euangeliũ sumatur duntaxat pro quatuor Euangelistis, sequeretur, nos nõ habuisse salutis nostræ dispositionem per Paulum, Petrum, reliquos: sed tantum per Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem: ꝙ quis ferat? Deinde sequentia idem confirmant, vbi indutos dicit superuenientis Spiritus Sancti virtute, & de omnibus adimpletos, exiisse in fines terræ, omnes pariter & singulos habentes Euangelium Dei. Proinde Feuardentius annotauit loqui de Apostolis primis Euangelii buccinatoribus.

XXV. Ad secundum: loci non sunt contrarii, nam primo, nihil obstat quominus & Scriptura & Ecclesia suo quæq; ordine dicatur fundamentum nostræ fidei: nempe Scriptura præcipue, Ecclesia subordinate: Scriptura αὐθεντικῶς; Ecclesia λειτουργικῶς: nimirum, quia Ecclesia fidem haurit à Scriptura: & eandem singulis tradit fidelib. Deinde nõnihil interesse videtur inter vtrũq; locum. Paulus n. Ecclesiam dixit esse columnam veritatis, nõ fidei nostrę: Irenæus a. Scripturam appellauit columnam fidei nostræ, nõ a. veritatis: quare quantũ distat singulorum fidelium fides ab ipsa veritate, tantũ Irenæus differt à Paulo. Scriptura est ipsa veritas, at nõ Ecclesia: Veritate autem fides nititur: itaque etiam Scriptura. Sed fides non nititur Ecclesia, etsi veritatem discat ab Ecclesia. Et sane non potest Ecclesia quæ nihil aliud est quam omnes fideles, esse columna suæ fidei: sed potest esse columna veritatis, nempe eo sensu, quem Theodoretus exhibet. *Domum Dei* (inquit) *& Ecclesiam appellauit, cœtum eorum qui crediderunt: eos dixit columnam & firmamentum veritatis: supra petram enim fundati stabiles, & immobiles permanent, & rebus ipsis prædicant dogmatum veritatem.*

XXVI. Nicephorus hæc habet, lib. 2. hist. c. 34. *Quæ præsens oratione sua dilucide docuerat* (Paulum significat) *eadẽ per compendiũ absens in memoriã reuocans epistolas dedit. Ita vero ea quoque, quæ secretioris mysterii, magisque abstrusa antea silentio præterierat, postea per sacra scripta sua, aut grandioris sapientiæ verbis accurate, & dilucide declarauit: aut saltem* (vt ita dicam) *parabolarũ more & specie, tanquam per ænigmata, adumbrauit: neque propter eos qui ad res diuinas audiendas idonei futuri erant, ea occultans: neque propter ineptos atque indignos, dilucide prorsus & aperte, ad contemptum euitandũ, exponens.* Hæc Nicephorus: vnde obscuro: primum ea Paulum scripto cõpendio in memoriam reuocasse, quæ præsens docuerat: scimus a. docuisse omnia: quare necesse est eum scriptis mandasse omnia, etsi compendiose: at in iis nihil est neq; prolixe neque per cõpendium, de adoratione imaginum, de inuocatione defunctorem, de communione diminuta, & similibus nugis, i. e. traditionibus nõ scriptis: ergo eas ille non docuerat viua voce. Secundum, non tantum cõmunia illa & facilia, sed etiam mystica & magis arcana, neque passim tradenda, cõtra quam paulo ante Bellarminus censebat, fuisse à Paulo scripta. Nam quid tum, si obscurius? si αἰνιγματωδεστέρως, dum saltem scripta?

XXVII. Hunc locum Andradius immenso verborum flumine obruit, potius quam explicat. Et primo Nicephori fidem vellicat: *vtinã* (inquit) *in veritate perquirenda tam diligens, & in sententiis ponderandis tam accuratus extitisset, vt illi repugnare nemo posset.* Vtinã, inquã, & ego, idque serio. Cur n. me huic voto sociũ addã? qui sciam multis locis Nicephorum esse cum historia nõ satis emunctę naris, tum in fidei doctrina nõ satis purũ & Catholicum? Sed is hoc loco si peccasset libentius: vt solebant qui imaginum religiosum vsum tuebantur. At si persona suspecta est, inquiramus ergo in ipsum testimonium: ꝙ si argumentis legitime impugnari possit, tum constabit esse reiiciendum. Sin minus, nõ debent alii errores obstare, quominus dictum hoc & pium & verum admittamus, imo amplexemur: reliqua per charitatem cõdonemus: iuxta illud, *Charitas operit multitudinem peccatorũ.* Nam si propter nonnullas opiniones incõmodas, omnia simpliciter reiicimus, omnem profecto omnibus antiquis fidem semel abrogabimus.

XXVIII. Secundo igitur Andradius ita arguit: Aut Paulus Christi gesta & doctrinã sermone nunquam vsurpauit: aut non omnia in cõpendium redegit, quę summa cõtentione docuerat. Deus bone! immanem blasphemiã! Hæccine vero monstra in orbe Christiano? hæc tolerari portenta? Non esse doctrinã Christi, eã quæ est in Scriptis Pauli? Non esse de factis Christi quicquã? Ita me omnes ament viri boni, vt videtur iste scripta Pauli putare Alcoranum Mahometi, aut Conformitates Francisci. Nã quid aliud dicam? Imo (inquam) Paulus Christi doctrinam & gesta sermone semper vsurpabat, qui se clamabat nihil scire, nisi Christum, atque eum crucifixum, 1. ad Cor. 2. Et 15. ad Rom. testabatur se ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum πεπληρωκέναι τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. Euangelium Christi impleuisse, i. e. iuxta glossam interlinearem, plene prædicauisse. Sed & facta Christi in compendium contrahebat scribendo: etsi singula non annotaret in morem Iudicis: non n. necesse est in cõpendio singula & minutissima quæque cõprehendi: cum nõ omnia gesta Domini totidem articulos fidei conficiant.

XXIX. Tertio exclamat Andradius: Quid igitur nobis Petri diligentia contulit? quid Ioannis Epistolis debemus? quid cæteri Apostoli operæ preciũ fecerunt? Vnum Paulũ ita legendo conteramus, ita animo illum & oculis feramus, vt cæterorũ omniũ scripta, tanquã superuacanea explodamus, negligamus, abiiciamus? Satis cõmote, & Iesuitice. Sed eritne igitur iste perpetuus Papistarũ κοκκυσμὸς cui per singula pene argumenta ingeminato, respondere cogamur, ὅτι ἀεὶ ὁ αὐτὸς ἀείδει? Sane vero illi sibi spectra fingunt. Nec n. tam male inter Apostolos conuenit, vt non possit vnus laudari, quin cæteris derogetur. Illud viderint: nos non tam procaciter insanimus, vt Apostolos inter se cõmittamus: & falcem putemus in alienã messem misisse, si eadem aut omnes aut plures prædicarint, scripserintue. Quod si eadem in religione sæpius proponerentur inutiliter, quid agebat Ioannes apud Ephesios, quibus Paulus omne Dei consiliũ annunciaret: Act. 20. Quasi vero Apostoli nõ sint testes: & non soleant plures de eadem re testes audiri.

XXX. Sed quis tandem igitur sensus erit Nicephori? Nã hoc valde expecto: vt videam Iesuitarũ solertiam. Audiamus ergo Andradium. Quid est (inquit) in summam aliquid redigere? Omnia persequi, & nihil ꝙ ad rem pertineat, prætermittere: an potissima capita pertingere, & ex amplissimo cãpo lectiores flosculos delibare? Qua ratione Augustinus inquit, Scripturæ sacræ summam in diligendi præcepto contineri.

XXXI. Atqui (inquam) hoc in Augustino mihi nunquam lectum: sed duntaxat, omnium diuinarum Scripturarum plenitudinem, & finem esse dilectionem. In compendium antem illa reducuntur, quæ cum plenius tractari possint, paucis tamen explicantur, per singula (inquam) capita. Nam si quicquam omittitur omnino, id non compendium est, sed dispendium. Itaque si Trasnsubstantiatio, si Purgatorium, si diminuta communio, si ἀκροθαπτεια, si preces pro defunctis, nullo loco comperiantur in Scriptis Pauli, aut eruantur, tum is profecto ea capita non contraxisse in compendium dicetur, sed omisisse. Nicephorus autem dicebat Paulum eadem quæ ore docuerat, scriptis mandasse compendiose. Itaq; hoc statuimus, potuisse quidem Paulũ fusius disputare de singulis religionis articulis, quam scripserit, sed non potuisse plures articulos numerare, quam quos scripto mandauit: & hunc esse Nicephori genuinum sensum.

CAP.

Cap. VI.

An Scripturæ nihil detrahendum, aut addendum ex ipsa Scriptura.

I. SI à Scriptura nihil detrahendum, eidemque nihil est addendum: ergo Scriptura omnia perfecte continet ad salutem necessaria. At verum antecedens, ergo & consequens. Consequentia per se patet: quia si aliquid sit necessarium ad salutem, quod non haberi queat ex Scripturis, tum aut salutem homines non adipiscentur, aut illud addendum erit ad ea quæ docentur in Scripturis. Antecedens autem probatur primo ex Scriptura, deinde ex Patribus.

II. Moses Deuteron. c. 4. *Et nunc Israel, audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo vos vt faciatis ea & viuatis; veniatisque & possideatis terram illam, quam Iehoua Deus Patrum vestrorum dat vobis. Non addetis ad verbum quod præcipio vobis, neque auferetis ex eo, ad custodiendum mandata Iehouæ Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Et rursus cap 12. non cõtentus semel monere, ob nimiam hominum incogitantiam. *Omne verbum quod ego præcipio vobis, id custodietis: ne addas ad illud, neque detrahas ab eo.* Hi loci, vt sunt disertissimi, ita magnam vim patiuntur ab aduersariis contra stimulum calcitrantibus suo more.

III. Martinus Peresius dilemmate nostram impugnat consequentiam: quia ex iis locis colligere velimus alterutrum: aut præter Doctrinam Deuteronomii, & præcedentium quatuor librorum, nihil tanquam verum & fide dignum debere recipi: aut nihil debere addi, etiam interpretationis & intelligentiæ gratia; quod non sit etiam diuinum. Vtrumque autem esse falsum probat. Primum quidem, quia explodendi ergo essent libri omnes qui post Mosen additi sunt ad Canonem. Secundum vero, quia sacrilegus fuisset Moses, qui multa addidit, vt ea quæ Deus præcipiebat, declararet: vt Exodi 12. cum Dominus tantum præcepisset, vt sumerent sanguinem, & ponerent super vtrumque postem, ille postea addit fasciculum myrrhæ, & aspersionem. Rursus 20.23. & 24. in sanctione Sabbathi addit pœnam corporalem, quam Deus non apponebat. Et cum Exod. 20. primum præceptum nudum sit: tamen Deuteron. 6. addidit interpretando, *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.*

IV. Respondeo in vtroque membro fœde labi Peresium. Nam quod ad primum attinet, absit, vt vnquam nobis in mentem venerit, nihil esse aut verum aut fide dignum, præter Pentateuchum Mosis. Qui autem id fieri possit; cum sciamus multa esse & vera, & fide digna, quæ tamen nunquam aut fuerunt, aut futura sunt verbum Dei? Nimirum Philosophica multa; plurima historica, & similia? Et quis nos vnquam audiit reiicientes aut Iosue, aut Iudicum, aut Regum libros historicos: aut Esaiæ, Ieremiæ, reliquorumue Propheticos: aut Dauidis, & Salomonis διδακτικούς? Sed credimus tamen, imo scimus istis omnibus additum esse, faciendum Domino, ad ea quæ Moses & præceperat, & scripserat.

V. In altero membro, primum Peresii Theologiam miramur, quæ potest credere eas quas notat particulas non esse diuinas: hoc est dictatas à Spiritu Sancto. Nam quid tum, si non accepisset viua voce à Deo, dum acceperit per inspirationem secretam Spiritus? Quid si etiam accepit à viua Dei voce: etsi breuitatis caussa omissæ sint primo loco? Non enim plus est in eo incommodi; quam cum in Nouo Testamento nonnihil Lucas narrat, quod non est apud Matthæum, vel contra etiam in eodem facto. Nos sane, vna eademque reuerentia vtraque excipimus, & habemus pro vere diuinis.

VI. Secundo negamus nos vnquam asseruisse nihil addi debere ad Scripturas, etiam interpretationis gratia, quod non sit diuinum. Nam contra, viget apud nos quotidie Scripturarum interpretatio: non ea quidem θεόπνευστος: cum nullos eiusmodi iampridem interpretes Deus largiatur, qui αὐθεντικῶς, vt olim Prophetæ, & Apostoli fungantur eo munere: sed quam accuratissima esse potest, & haberi à fidelibus Verbi ministris. At dicimus valde ἀκύρως interpretationem appellari additionem: cum additio sensum inuehat, extraneum; vt cum ad illud *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies* Papistæ addunt etiam Sanctos dulia colendos. Interpretatio autem, ex ipsis Scripturis sensum capit veritatis: vt si ex eo ipso loco concludam, non esse Sanctos dulia colendos: quia id cõtinetur in his verbis, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις: quantumlibet sophistice latriam à dulia non tam distinguant Papistæ, quam distrahant & auellant: cum verum sit latriam nihil aliud esse apud veros Theologos, quam religiosam duliam. Itaque si interpretatio nihil addit ad Scripturam, ergo ea, quum admittitur, non impingit in argumentum nostrum.

VII. Bellarminus dupliciter respondet: primo non agi de Verbo scripto, sed tradito viua voce: Et hoc probat, quia non dicitur, ad Verbum quod scripsi: sed ad verbum quod ego præcipio. Secundo veram expositionem horum locorum esse hanc, nimirum Deum velle integre & perfecte seruari mandata, vt ipse præcepit, & nullo modo ea deprauari falsa interpretatione: itaque nolle dicere, non seruabitis aliud, quam id, quod nunc præcipio, sed in hoc quod præcipio nihil mutabitis addendo, vel minuendo; sed integre facietis, vt iubeo, & non aliter. Hoc probat, quia alias peccassent Prophetæ & Apostoli, qui tam multa postea addiderunt.

VIII. Sed contra. Ad primum, certum est Mosen loqui de iis præceptis quæ erant iam scripta. Quia habita hæc concio est ad populum non integris duobus mensibus ante obitum Mosis. Et certum est omnia mandata, quæ Deus Mosi tradidit, esse scripta, siue tunc, siue postea interuallo illorum duorum mensium. Quare etiam si tum, cum hæc loquebatur Moses, non fuissent scripta, tamen frustranea exceptio esset. Quia enim vetatur addi aut detrahi præceptis, quæ viua voce tradidit Moses: ea autem sunt omnia scripta, sequitur præceptis scriptis nihil esse aut addendum, aut detrahendum. Argumentum autem à præcipiendi verbo sophisticum est: quia non minus pertinet ad scripta, quam ad viuam vocem: sic Paulus 1. ad Cor. 7. *præcipio non ego, sed Dominus*: & vndecimo: *Hoc autem præcipio*: & post. ad Thessal. 3. *quæcunque præcipimus vobis*. Quibus omnibus locis non de viua voce sermo est, sed de scriptis. Itaque non debuit Bellarminus opponere has voces Scribere & Præcipere.

IX. In secundo, existimo hanc mentem esse Bellarmini, vt dicat Deum prohibere ne quicquam addatur ad singula præcepta: non vero, ne ad omnia. At hoc falsum esse sic doceo. Primum, quia eodem verborum contextu, non tantum prohibetur additio, sed etiam detractio. Ergo si permittitur additio ad omnia, tantumque prohibetur ad singula: idem detractio permittetur ab omnibus, dum prohibeatur à singulis. Hoc est, vt agam clarius, si sensus est, cauendum, ne quis singula præcepta interpretando aliquid iis addat: at non item, ne quis ad omnia præcepta addat aliquod nouum: similiter eademque ratione sensus erit in altera parte: cauendum quidem ne singula præcepta interpretando detractione corrumpat: at non item, ne ex toto corpore aliquod præceptum detrahat. At hoc si est falsum, & absurdum; illud cuiusmodi tandem esse poterit? Nam similium similia sunt consequentia. Et hæc esse similia, quis neget, cum eodem verborum complexu contineantur.

X. Rursus idem probatur ex 1. c. libri Iosue: vbi leguntur hæc verba Domini ad Iosue, *Confortare igitur & esto robustus valde: vt custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus: nec declines ab ea vel ad dexteram, vel ad sinistram.* Nam ipse me Bellarminus admonuit, idem significari his verbis, non declines ad dexteram vel ad sinistram; & illis non addes neque auferes. Quare præcipitur Iosue, vt nihil addat ad legem, nihil auferat à lege Mosis. Lege (inquam) non per singula præcepta, sed tota. Vnde Louanienses Gallice reddiderunt, *Toute la Loy, que Moyse mon seruiteur t'a donnee.* Pagninus & Leo Iudæ, *vniuersam* dixerunt.

XI. De Prophetis & Apostolis, iam respondimus: nec erat necesse repetere; nisi Bellarminus instaret. Diximus ergo nihil Prophetas, nihil Apostolos addidisse sed interpretatos esse; inde putauit ille sibi ansam esse datam excusandarum Traditionum. Nam in lege Mosis (inquit) non continentur Prophetarum scripta: neque in lege & Prophetis Nouum Testamentum; nisi in vniuersali, & quodammodo in virtute: vt Deuteron. 18. *Prophetam suscitabit tibi Deus, illum audies.* Ibi continentur in genere, quicquid Christus fecit, & dixit: sed in particulari non continetur Christum debuisse prædicare Trinitatem, instituere Sacramenta, facere miracula. Sic etiam quia scriptũ est tertio posterioris ad Thessalonicenses, *Tenete Traditiones*: idcirco Traditiones sunt quodammodo explicationes Verbi scripti.

XII. Sed hæc subtilitas frustra est. Nam Bellarminus longe allucinatur: Contineri sane libros Noui Testamenti in libris Veteris, aut libros Prophetarum in libris Mosis, nemo sanus dicat. Sed contineri doctrinam de fide & moribus, quam Prophetæ docuerunt in libris Mosis: & quam Apostoli, in Veteri Testamento, omnino ἄθεολογος est qui negat: & quidem nõ vt in semine, quod Traditionariorum σοφὸν φάρμακον: sed ita vt singula capita suis testimoniis aut disertis, aut certe necessariis confirmentur. Nam sane Trinitatis dogma negare nemo potest contineri in Veteri Testamento, nisi qui simul neget, vllam ibidem fieri mentionem Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Quanquam non inficias eo, multo manifestius in Nouo quam in Veteri explicari, sed quid tũ? Nõ n. propterea nõ cõtinentur in Veteri Sacramenta; quia noua non sunt dogmata sed tantũ dogmatũ appendices, & gratiæ signacula, nõ erat necesse legi in Mose & Prophetis: tamẽ prædicta esse multi ex antiquis docuerunt: Ambrosius libro de iis qui mysteriis initiantur, & de Sacramentis: Cyprianus epist. 63. & alibi. Miracula rursus non ad articulorum fidei numerum pertinent, sed ad historiam: & tamen prædicta esse quis nescit cum ab Esaia tum ab aliis? Itaque etsi concedimus non contineri libros Noui Testamenti, in libris Veteris, quod omnino nemo postulet, nisi insanissimus: tamen affirmamus nullum esse vel fidei dogma, vel morum præceptum in Nouo, quod non sit in Veteri: obscurius quidem in Veteri, manifestius in Nouo: sed ob eam causam, Nouum esse Veteris interpretationem.

XIII. At Traditiones, esse quodammodo explicationes Verbi scripti: quam ridiculum? quam ineptum? quam Papisticum commentum est? Respondeant, quorum locorum? Exempli gratia: scio hanc esse Ecclesiæ Romanæ, si Deo placet, Catholicæ, Traditionem, multo fœdius peccare, Sacerdotem legitimum matrimonium contrahentem, quam concubinam fouentem, aut passim scortantem. Cuius loci è Scripturis, hæc interpretatio est? Respondebit Iesuitulus delicatulus, quo nulla sit virgo castula magis & pudentula: ita explicari locum illum: Tenete Traditiones. Itane? inquam. Tenete Traditiones, significat matrimonium longe maius esse in Sacerdote scelus, quam publicam scortationem. Næ iucundum hoc quidem est interpretationis genus; & facile. Sic opinor, Achab, cum diceret Naboth, *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum oleorum*, 1. Reg. 21. Scripturam interpretabatur, in qua legimus, *Vir qui fecerit per superbiam, vt non obediat Sacerdoti, aut Iudici, morietur vir ille.* Deuteron. 17. Ita sane: non magis est ouum ouo simile. Sed hac Achabiticos interpretes Ecclesia non recipit. Catholici igitur negant Traditiones Scripturæ: quia earum sigillatim sensus in nullo est Scripturæ loco: sed omnino alienus. Itaque concludimus Bellarminum iunxisse gryphes equis; & comparasse dissimillima.

XIV. Renatus Benedictus in Panoplia, prælatos distinguit à populo: vt huic non illis facta sit prohibitio. Similiter Iesuitæ in Disputatione Ratisbonensi, populum separarunt à legitimo magistratu. At hæc distinctio, eo absurda est. Primo, quia nullo nititur verbo Dei, sed solo aduersariorum arbitrio, rimam quamlibet quærentium ad euadendum. Secundo, quia eodem contextu legimus: *id custodietis, & faciatis: ne addas ad illud, neque detrahas.* Quod si hæc non pertinent ad prælatos & magistratus: certe neque illa, de custodiendo & faciendo. At hoc est absurdũ: nam æque Magistratus & Prælati tenebantur ad obseruationem Legis: Ergo & illud. Tertio, quia disertum Dei Verbum contradicit huic exceptioni. Nam Iosue 1. vt paulo ante vidimus, præcipitur ipsi Iosue, ne discedat ad dextram aut sinistram, id est (interperte Bellarmino) ne addat aut detrahat.

XV. Sonnius mauult locos non intelligi, nisi de Additione aut Subtractione, quæ sensum mandati, siue Verbi Dei cœlitus annunciati peruertat, aut quoquo modo corrumpat. Sed hæc interpretatio in idem recidit cum ea quam Bellarminus protulit, eodemque modo refellitur: vt & illa Ratisbonensium, interpretantium Additionem, non quamlibet, sed contrariam, siue repugnantem Verbo scripto. Hic tamen nonnihil est absurdius: quia inductio contrarii præcepti non solet, imo ne potest quidem Additio nominari: quia in Additione vtrumque manet: at contraria sese inuicem tollunt: Exempli gratia, cum præceptũ sit, *Non habebis Deos alios coram me*: quicunq;

docent, Soli [illegible] Deo colere; is profecto non addet aliquid ad mandatū, sed omnino mandatum euertet. Itaque dicimus Additionem intelligendam, cum aliquid insuper adiicitur, quod putet aliquid deesse Legi iam scriptæ.

XVI. Driedo & Hayus nihil addendum dicunt, tanquam à Deo dictum, aut à Mose scriptum. Addit ad Verbum Dei (inquit Driedo tom. 1. lib. 4. c. vltim.) qui dicit Deum, aut dixisse, aut præcepisse, quod neque dixit, neque præcepit. Hayus vero, Disputat. lib. 1. capite vigesimo primo: Prohibet Dominus, ne quicquam addatur libris Mosis, tanquam à Mose scriptum. Egregiam vero laudem; & spolia ampla: Vt ne liceat adulterinos fœtus Spiritui supponere: quasi non sit omnibus id auctoribus commune. Quis enim ferat Thomæ Aquinatis libros Augustino tribui? Scilicet isti optime se functos putant sua in Deum pietate, si adiiciant ad eius mandata quidlibet, dūmodo auctorem notent, puta aliquem ex Romanis Episcopis, aliquod Concilium. Denique Ecclesiam. Magnum profecto Christianę pietatis argumentum.

XVII. Sed iis locis Moses non loquitur de additione librorum scribendorum: sed rerum Deo faciendarum: vt custodiatis (inquit) & faciatis: ne addas neque detrahas. Sensus est, hæc præcepta exacte seruanda sunt, & facienda: neque iis quicquam addendum: vnde Latinus interpres sensum exprimens, magis quam verba. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: ne addas quicquam, nec minuas.* Non igitur ne addant libris nouos libros, aut nouas librorum partes: sed ne addant aliquid, vt fiat Domino, id est, vsurpetur in cultu diuino. Procopius in hunc locum. *Verba enim Domini cum plena & perfecta existant, nullum auctarium admittunt.* Ita rationem reddit huius prohibitionis. Est autem notanda ratio: perinde ac si argumentaretur in hunc modum. Quæcunque plena sunt & perfecta, ea nullum auctarium admittunt. At verba Dei plena sunt & perfecta: Ergo auctarium nullum admittunt. Plena autem & perfecta, quo sensu appellari possunt? An solum, quia nihil præterea loquutus est Dominus? Ridiculum. Sic enim dici possent perfecta cuiuslibet hominis verba, vel scripta: eademque ratione, nihil esset iis addendum. Quis autem pius facile credat non aliam ob causam nihil addendum ad libros Mosis, id est, ad Verbum Dei, quam ad libros Platonis; aut Aristotelis? Ergo superest, vt plena perfectaque intelligamus, quia continent omnia, quæ Ecclesiæ ad salutem necessaria sunt: & eis nihil addendum, eandem ob causam.

XVIII. Peresius: præceptum hoc (inquit) etiamsi vniuersale esset, tamen extendi non potest ad Noui Testamenti cultores; quibus lex & cultus Dei in cordium penetralibus scripta sunt; quos Christus Legislator per se & suos Apostolos voluit docere, atque in cultu suo instruere. Sed non debet nos mouere Peresij iudicium priuatum, cùm neminem habeat ne ex suis quidem ὁμοφρόνα. Quid autem hic locus proprium habet, vt non possit inde ad Christianos concludi: cum tamen Cyprianus epistola 74. ex simili loco non vereatur similiter concludere, nimirum ex Iosue primo, ea esse facienda quę scripta sunt, nec quicquam præterea? Videlicet multa oportet absurda comminisci, eos qui hoc semel apud se statuerunt, ne cedant veritati, quantumuis certæ, & exploratæ.

XIX. Transeo ad alios locos. Paulus prioris ad Corinth. cap. 4. *Vt discatis in nobis, supra id quod scriptum est, non sapere.* Certe si non oportet Christianos sapere supra id quod scriptum est, & oportet tamen scire omnia, ad fidem & mores, atque adeo ad salutem necessaria, tum vero concludendum est omnia ad fidem, ad mores, ad salutem necessaria esse scripta. Quis credat enim Paulum voluisse suos Corinthios non esse peritos rerum Christianarum?

XX. Respondet Bulengerus, respondebat etiam mihi Iacobus Gauterus Iesuita, velle Apostolum ne Corinthij alij aduersus alios inflarentur, supra quod scriptum est: non autem vt ne quicquam scirent. Nimirum ex vitio Latinæ editionis, quæ locum ita reddidit, *vt in nobis discatis, ne supra quod scriptum est, vnus aduersum alterum infletur pro alio.* Cum tamen Græce ita habeatur, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, *vt in nobis discatis, supra id quod scriptum est non sapere, vt ne alius pro alio inflemini aduersus alium.* Duobus diserte distinctis: altero sapere, τὸ φρονεῖν, altero inflari φυσιοῦσθαι, quorum prius omissum est Latine: quod non debuit. Voluit enim Corinthios non inflari in contemptum sui quemque proximi; in gratiam alterius, hoc est alicuius Doctoris: & simul remedium indicauit, vt omnes ita se contineant intra Scripturas, vt præterea nihil scire velint. Nam quoties extra eos carceres spatiabuntur, tum ansa dabitur humanæ præsumptioni, vt alij aliis doctiores videantur, eoque discipulos sibi acquirant; vnde schismata.

XXI. At Hayus Caluinum profert, qui ad hæc verba, *Supra id quod scriptum est*, annotauit bifariam exponi posse, vel vt ad Pauli scripta, vel vt ad Scripturæ testimonia, quæ Paulus adduxit, referantur: vnde Hayus concludit, vel solis Pauli scriptis, vel solis iis, quæ Paulus produxit testimoniis, fidem esse adhibendam. Sed vbique se Hayus furore magis impelli, quam ratione duci ostendit: negatur enim consequentia: primum, quia diuersa sunt, sapere; quod Paulus scripsit, & fidem habere, quod Hayus substituit: secundo, quia nihil prohibet, quominus thesis vniuersalis applicetur secundum circunstantias: vt mens sit Caluini, Paulum illud vniuersale, non oportere sapere supra quam scriptum est, vsurpasse, vt siue suas Epistolas, siue testimonia quæ collegerat, doceret à Corinthijs habenda pro regula suæ conuersationis & fidei. Quanquam, vt fatear, alter sensus commodior est, magis late patens, doctrina etiam vberior: quod pace dictum sit, tanti viri, quantum omnes boni Caluinum agnoscunt: à quo tamen nullum est piaculum, si nonnunquam pij dissentiunt.

XXII. Sed longe illustrissimus locus est, cap. 1. Epist. ad Galatas. *Etiam si nos, aut Angelus è cœlo euangelizet præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto. Vt ante diximus, etiam nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema esto.* De quo longa est disputatio: quo enim disertior est, & ad omne genus non scriptarum traditionum profligandum vehementior: eo magis aduersarii omnes eludendi artes inquirunt: quæ tamen ad duo capita reuocantur. Nam vel expendunt τὸ εὐαγγελισάμεθα, καὶ τὸ παρελάβετε, vel τὸ παρ' ὅ.

XXIII. Primum ergo asserunt, non loqui Paulum de solo verbo scripto, sed de omni verbo, siue scripto siue tradito. Non enim dixisse, si quis euangelizauerit præter id quod scripsimus; sed præter id quod euangelizauimus: nec, secundo loco, præter quam quod in sacræ Scripturæ libris scriptum est; sed præter quam quod accepistis. Imo potissimam doctrinam sine scripto traditam significat. Ratio est quia alibi se Euangelium testatur traditione & accepisse, & communicasse: 1. ad Corinth. 11. *Ego quod accepi à Domino, tradidi vobis.* ad Galat. 1. *Neque enim ab homine ego id accepi, neque edoctus sum, sed per reuelationem Iesu Christi.* Prioris ad Corinth. 15. *Notum vobis facio Euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis.*

XXIV. Sed primum meminisse debent se traditiones distinguere in Diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas: ex quibus Ecclesiasticas esse, quæ neque ad Deum, neque ad Apostolos autores referri queant: sed ad Ecclesiam; Ecclesiæve prælatos, varia variis temporibus approbantes & instituentes: cogitare etiam apud se ex hoc loco saltem has reiiciendas esse constare. Dixit enim Paulus nihil recipiendum præter id, non quod euangelizabitur vobis, quod accipietis: sed quod euangelizauimus, quod accepistis. At Ecclesiasticas neque Paulus euangelizauerat; alioqui referri possent ad eum autorem, & essent Apostolicæ, contra hypothesin: neque Galatæ acceperant, quia deinceps varijs seculis institutæ sunt, & quidem vt plurimum ab ijs, quos Galatæ nunquam audiuerunt, puta Romanis Episcopis. Quare, si non omnes omnino Traditiones non scriptæ, saltem earum hoc genus, omnino damnatur, & quidem sub anathematis pœna: exempli gratia, ciborum delectus, votum continentiæ; vel potius non continentiæ, sed cœlibatus; ieiunium quadragesimę, veneratio reliquiarum; & alia non facile vno spiritu numeranda.

XXV. Secundo; solutio prorsus est inutilis: nam præcedentibus argumentis probauimus quęcunque Paulus euangelizauit, ea esse scripta: quod si verum est; constat res argumenti. Nam si nihil admittendum, præter quam quod euangelizauit Paulus; & nihil euangelizauit Paulus pręter quam quod scriptum est: quis non videt legitimè confici: nihil admittendum præter quam quod scriptum est? Itaque frustra voces, vrgent euangelizandi, & accipiendi. Quanquam has omnes sciunt non intelligi de sola viua voce. Nam & euangelizare nihil aliud est, quam Euangelium tradere: traditur autem scripto, testibus Matthæo, Marco, Luca; ac Ioanne: & accipitur etiam quod scripto traditur; teste Paulo, post. ad Thessalonic. 2. *quas edocti estis siue per sermonem, siue per Epistolam.* Nam hoc quidem loco idem est edoceri, & accipere.

XXVI. Tertio: Veteres hūc ipsū locū de Scripturis interpretati sunt. Chrysostom. in eū ipsum: ὁ μὲν οὖν Ἀβραὰμ ἀξιούμενος πέμψαι τὸν Λάζαρον ἔλεγεν, ἔχουσι Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας. ἐὰν μὴ ἐκείνων ἀκούσωσιν, οὐδὲ νεκρῶν ἀνισταμένων ἀκούσωσι. τοῦτον δὲ αὐτὸν εἰσάγει λέγοντα ὁ Χριστός, δεικνὺς ὅτι καὶ νεκρῶν ἐγειρομένων ἀξιοπιστοτέρας εἶναι βούλεται τὰς γραφάς. ὁ δὲ Παῦλος, ὅταν δὲ Παῦλον εἴπω τὸν Χριστὸν πάλιν λέγω, αὐτὸς γὰρ ἦν ὁ κινῶν αὐτοῦ τὴν ψυχήν, καὶ ἀγγέλων ἐξ οὐρανοῦ καταβαινόντων αὐτὰς προτίθησι, καὶ μάλα εἰκότως. οἱ γὰρ ἄγγελοι, κἂν μεγάλοι, ἀλλὰ δοῦλοι καὶ λειτουργοὶ τυγχάνουσιν ὄντες. αἱ δὲ γραφαὶ πᾶσαι, οὐ παρὰ δούλων, ἀλλὰ παρὰ τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ δεσπότου γραφεῖσαι ἐπέμφθησαν. *Abraham quidem rogatus, vt mitteret Lazarum, dixit, Habent Mosem & Prophetas: si eos non audiunt, ne mortuos quidem resurgentes audient. Hæc eum loquentem Christus inducit, ostendens se velle Scripturis maiorem fidem adhiberi, quam mortuis resurgentibus. At Paulus (& Paulum cum dico, rursus Christum dico, hic enim eius animum mouebat) etiam Angelis è cœlo descendentibus eas præfert: & merito quidem. Etenim Angeli, quantumuis magni, serui sunt tamen & ministri, at Scripturæ omnes, non à seruis, sed ab ipso omnium Domino Deo scriptæ missæ sunt.* Hic Chrysostomus manifestissime pro Euangelio Scripturam substituit.

XXVII. Alij Patres in eundem sensum. Basilius in moralibus summa septuagesima secunda, capite primo, vt probet ab auditoribus examinanda esse quæ audiunt à doctoribus, ad Scripturam hunc ipsum locum citat. Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani, cap. 6. *Si quis, siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam si nos, sed quod Paulus adiecit, si Angelus de cœlo vobis annunciauerit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.* Vbi obiter notandum illud verbum accipere dici de rebus, quæ non habentur ex viua voce. Athanasius in fragmento de Incarnatione Verbi, quod citatur à Cyrillo lib. 1. de fide ad Reginas. εἰ δέ τις παρὰ ταῦτα ἐκ τῶν θείων γραφῶν διδάσκει, ἕτερον λέγων τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ ἕτερον τὸν ἐκ Μαρίας ἄνθρωπον, *si quis præter hæc quæ sunt ex Scriptura docet alium esse Filium Dei, & alium hominem ex Maria,* τοῦτον ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, πειθομένη τῷ Ἀποστόλῳ λέγοντι, εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω; *hūc anathematizat Catholica Ecclesia, obsequuta Apostolo dicenti, si quis vobis euangelizat præter id quod accepistis, erit anathema.* Ergo his autoribus perinde est, siue Euangelium dicas, siue Scripturam: videlicet, quia non dubitabant totum Euangelium esse scriptum.

XXVIII. Sed ad Basilium & Augustinum Bellarminus respondet, eos non ex professo exponere hunc locum; sed probare, non licere quicquam asserere contrarium Scripturis. At Bellarminus primo peruertit ordinem disputationis suæ; cuius cum, duas partes fecerit, priorem, in qua disputet vtrum Euangelium intelligendum sit scriptum, an non scriptum, posteriorē, in qua anquirat an *præter* sit *contra*: hic tamen, id est, in priore nodum putat soluendum ex posteriore, nondum demonstrata. Magnum vitium: vt incertum probetur per incertius; prius per posterius. Audiat ergo tam nobis nunc licere negare, eos Patres tantum loqui de iis quæ sunt contraria Scripturæ; quam ille sibi permittit supponere pro vero.

XXIX. Secundo: fateor Basilium & Augustinum, ex professo locum Pauli non interpretari; tantumque obiter citare: sed quid Chrysostomo fiet? Nam ille certe ex professo interpretatur, & ad populum: & tamen is, etiam disertius cæteris, hunc locum pertinere contendit ad Scripturæ commendationem: & quidem tanto magnificentius, quam in Euangelio locus ille de Lazaro; quanto Angeli, de cœlo ad nos venientes, præstant mortuis resurgentibus.

XXX. Tertio, perinde est siue ex professo explicent, siue ex occasione citent. Non debet enim Scriptura quacunque occasione detorqueri à genuino sensu. Imo quodammodo fœdius est, citando detorquere: quia indicium est, nos tum Scripturis abuti ad arbitrium: & tanquam regulam Lesbiam pro nostro commodo huc illuc detorquere. Hoc vero cum semper est verum: tum maxime in disputatione: quantum enim illud crimen est, vt qui aliorum mendacia refutare profitetur, ipse se ita gerat, vt falsarius appellari

possit? Inutiliter ergo Basilius & Augustinus, & Athanasius disputassent. Et respondissent Basilio auditores, non obligari se ad Scripturam; quamdiu traditiones superessent; Augustino Donatistæ, se non debere in inquirendo Christo, inquirenda Ecclesia coerceri intra Scripturæ limites. Denique Athanasium irrisissent Arriani ita argumentantem: Quicunque docent præter ea quæ sunt in Scripturis, sunt anathematizandi: At vos docetis præter ea quæ sunt ex Scripturis: Ergo anathematizandi. Profecto si monitores habuissent Iesuitas, negassent maiorem: & negassent probari ex hoc loco Pauli. Gratulemur ergo illis Ecclesiæ temporibus, quæ Iesuitarum cunabula tot seculis præuerterunt.

XXXI. Imo vero, inquit Bellarminus, illi recte argumentabantur: Exspecto acumen. Quomodo igitur? Quia ex vniuersalis negatione recte ducitur argumentum ad negationem particularis: itaque cum Paulus loquatur in genere de prædicatione Apostolica, possumus inde recte probare non licere aliquid afferre contra scriptam prædicationem Apostolorum. Rursus ergo, inquam, nihil agit Bellarminus, nisi supponat, quod nondum probauit, *præter* esse pro *contra*. Alias vident omnes non legitime in hunc modum concludi. Nihil docendum est præter doctrinam traditam tum viua voce, tum scriptis; Ergo nihil docendum est præter doctrinam scriptis traditam. Non enim eadem ratio est duorum syllogismorum: Quicquid est contrarium doctrinæ Apostolorum, est reiiciendum. At quicquid est contrarium Scripturæ, est contrarium doctrinæ Apostolorum: Ergo quicquid est contrarium Scripturæ, est reiiciendum. Et, quicquid est præter doctrinam Apostolorum, est reiiciendum: At quicquid est præter Scripturam, est præter doctrinam Apostolorum: Ergo quicquid est præter Scripturam, est reiiciendum. Nam prioris syllogismi partes omnes facile concedunt, tum Catholici tum Papistæ. At in secundo, etsi nihil reprehendant Catholici, tamen minorem Papistæ negabunt necessario, quia duplicem faciunt doctrinam Apostolorum, vnam scriptam, alteram non scriptam. Simile Sophisma: si non est animal, non est rationale: Ergo si non est asinus, non est rationale. Nam æque animal generale est homini & bruto; vt prædicatio Apostolica, ex mente Bellarmini, scriptæ & non scriptæ prædicationi. Nimirum acutissimi sunt Iesuitæ.

XXXII. Venio ad alteram solutionem: quæ non noua dogmata prohiberi asserit, sed contraria: & illud παρ' esse positum pro ἀντί. Argumenta hæc habet Bellarminus. Primum, quia Apostolus ipse multa alia postea docuit: & post hanc Epistolam Ioannes scripsit Apocalypsin, Euangeliumque suum. Secundum; quia Apostolus agit contra eos, qui docebant seruanda esse legalia, cum ipse docuisset non esse seruanda: igitur cum dicit præter, intelligit contra. Tertium; quia alio loco Apostolus eo sensu vtitur eadem voce: ad Romanos vltimo. *Obseruate eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam accepistis, faciunt*: quo loco Erasmus vertit *contra*. Quartum, quia sic Patres exponunt. Ambrosius, *Si contra*. Hieronymus, *Si aliter*. Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, dicunt, Apostolum non dixisse, si contraria, sed præter quam quod, vt indicaret, non solum eos anathematizari, qui aperte contraria toti doctrinæ docent, sed etiam eos, qui quomodocunque, siue aperte, siue oblique, quidlibet labefactant ex doctrina tradita. Basilius summa moralium 72. docet ex hoc loco haberi eos reiiciendos, qui aliena, eos recipiendos, qui consona Scripturis tradunt. Augustinus contra Faustum lib. 17. cap. 3. exponit, contra: & tract. in Ioann. 98. opponit plus quam & præter quam.

XXXIII. Respondeo; primum, quæcunque sunt contra, esse etiam præter: sed non omnia quæ sunt præter, esse etiam contra. Itaque Paulum esse vsum voce latius patente: quod ex sensu Papistico non minus esset ineptum, quam si quis vt diceret asinos non esse rationales, negaret animalia esse rationalia: quam infantiam qui tribuat Spiritui Sancto, vix eum credam esse pium. Certe Tertullianus illud *præter* Apostoli; interpretatur *vltra* & *citra*. Libro de præscript. cap. 8. *Hoc prius credidimus, non esse quod vltra credere debeamus*. Et cap. 14. *Nihil vltra scire, omnia scire est*. At cap. 29. *Etsi angelus de cœlo aliter euangelizauerit citra quam nos, anathema sit*. Vbi mihi quidem τὸ *aliter* superfluum videtur: etsi non magni intersit.

XXXIV. Secundo, hanc solutionem contradicere præcedenti assero. Nam si Euangelium intelligendum est de doctrina, tam scriptis, quam viua voce tradita: tum aut fatendum erit, Paulum non omnia docuisse, ne quidem viua voce, quod est blasphemum: aut si omnia docuit, ergo non tantum nihil esse contrarium inducendum: sed ne quidem quicquam præter. Quare non potest Bellarminus vtramque solutionem simul amplecti: sed alteri necessario renunciare debet. Illique sibi melius consuluerunt, qui alterutram elegerunt.

XXXV. Argumenta autem sic soluo: Primum rursus euertit priorem solutionem: quia supponit Euangelium nominari pro Scriptura: imo non pro Scriptura tota, sed pro eius particula, nempe Epistola ad Galatas. At nos intelligimus totum Euangelium à Paulo Galatis prædicatum viua voce, postea scriptis mandatum, cum ab ipso tum ab alijs. Itaque negamus consequentiam: id est, post hoc Galatis prædicatum Euangelium, aut Paulum, aut Ioannem vlla proposuisse noua dogmata, præter ea quæ Euangelij nomine Apostolus intelligit.

XXXVI. Ad secundum respondeo, etsi is sit scopus Apostoli, agere contra eos qui contrariam doctrinam docebant, ei doctrinæ quam ipse docuerat: tamen non propterea esse vocem *præter* ita restringendam, vt nihil significet nisi contra. Quia enim omnia quæ sunt contra; sunt etiam præter, vt diximus, recte ab vniuersali concluditur particulare, hoc modo. Quæcunque sunt præter Euangelium Pauli, ea sunt reiicienda: at quæcunque sunt contra Euangelium Pauli, ea sunt præter Euangelium Pauli: Ergo, quæcunque sunt contra Euangelium Pauli, ea sunt reiicienda. Proinde quemadmodum si quis probet nullum hominem carere sensu; quia nullum animal careat sensu, non propterea dicendum est animalis nomen in eo argumento nihil aliud significare præter hominem: similiter ridiculus est Bellarminus, contendens apud Paulum, τὸ *præter*, significare tantum contra. Addo Paulum, postea in progressu disputationis probaturum ea dogmata esse suis contraria: vt inde cuilibet conclusionem permittat; quam offert κοινὴ ἔννοια, non posse simul contraria esse vera: sed hic præscribere huic disputationi, hoc axiomate multo faciliori, nempe nihil esse admittendum, quod non fuisset euangelizatum: quia facilius erat Galatis dignoscere quæ Apostolus docuerat, ab iis quæ minime docuerat. Quod frequentissimum est apud veteres argumenti genus, negantes quicquam recipiendum præter id, quod ab initio traditum sit.

XXXVII. In tertio non sequitur: primo, si παρ' in Epistola ad Romanos significet contra, ideo etiam in Epistola ad Galatas: quia ex particularibus non concluditur legitime. Secundo: nihil necesse fuit, etiam in Epistola ad Romanos, mutare præter in contra: quoties enim nihil est absurdū, frustra disceditur à genuina significatione, & præstabat interpretationem mutuari ab ipso Apostolo, videlicet ex tertio cap. posterioris ad Thessalonicenses, vbi præcepit eum vitari qui incederet ἀτάκτως, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν ἣν παρέλαβε παρ' ἡμῶν, *inordinate. & non secundum traditionem quam accepit à nobis*: vbi inordinate incedentes, qui alij esse possunt quam quos nominauit ad Romanos, offendicula facientes? At hos interpretatur, qui non viuerent secundum traditionem, quam ab eo acceperant. Ergo τὸ παρ', intelligendum est per τὸ μὴ κατὰ; quod multo latius patet, quam contra. Quid tum igitur, si Erasmus vertit contra? Nam ille certe nullam legem nobis ponit, vt non sentire possimus aliter.

XXXVIII. In quarto, respondeo sigillatim ad Patres. Ambrosius in commentariis in Epistolam ad Galatas legitur in hunc modum, *Tam firmū atque verum Euangelium, quod eis prædicauerat, asserit, vt etiam seipsos, id est Apostolos, si immutati forte aliter prædicarint, non audiri doceret, quorum vtiq; fama, quod essent Apostoli Christi, peragrauerat omnem locū. Aut si forte Diabolus angelum Dei se fingens, vt facile possit audiri, de cœlis appareret contra hæc prædicans, sciretur esse contrarium & abominatio haberetur. Si ergo Apostolos Christi, quorum tam præclara opinio in signis & prodigiis erat faciendis, & Angelum de cœlo, quem possit spiritalis ratio commendare, aliter docentes, quam ab Apostolo Paulo edocti erant, anathematizari præcipit, quanto magis quos nullum testimonium ad seducendum potest commendare?* Hæc Ambrosius, bis vsus vocabulo *aliter*, quod curtacuit, & dissimulauit Bellarminus? semel duntaxat voce *contra*. Id certe à nobis est, qui, præter, dicimus patere latius quam, contra: vt quicquid contra sit etiam præter. Hoc omnino Ambrosius voluit, indicans vtrumque ea voce comprehendi, nimirum & aliter & contra. Eadem ratio est in Hieronymo, qui contra nusquam vsurpauit, sed aliter. At Bellarminus disputat non de aliter, sed de contra. Aliter autem qui docet, non tantum is est qui contraria, sed etiam in genere qui non eadem, sed diuersa.

XXXIX. Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum, miror à Bellarmino nominatos: certe scio non intellectos: ideoque falso productos. Chrysostomus quidem sic habet. οὐκ εἶπεν ἐὰν ἐναντία καταγγέλλωσιν. ἢ ἀνατρέπωσι τὸ πᾶν· ἀλλὰ κἂν μικρόν τι εὐαγγελίζωνται παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα, κἂν τὸ τυχὸν παρασαλεύσωσι.. *Non dixit, si contraria annunciauerint, aut totum subuerterint: sed si vel minimum euangelizauerint, præter id quod euangelizauimus: vel quidlibet commouerint*. Oecumenius, εἴ τι παρεγχειρήσει τὶς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ βουληθῆναι. *si quid adulterare voluerit in Euangelio*. At neutrius horum verba id sonant, quod Bellarminus contendit. Chrysostomus testatur Paulum non dixisse contraria. Bellarminus vero dixisse contra. Nonne hæc sunt ἀντιφατικά? Nam quod pro contrariis supposuit contraria toti doctrinæ, id vero non habet à Chrysostomo, sed habet à propria audacia: qua plurimum Iesuitæ magis confidunt quam sinceritate. Illud autem labefactare, Græce est παρασαλεύειν, quod non tantum contrariis conuenit, sed etiam iis quæ sunt aliena: sicut & τὸ παρεγχειρῆσαι Oecumenij, quo significatur adulteratio, cum quid supponitur pro alio, vt fit in traditionibus non scriptis.

XL. Theophylactus autem multo disertior est. *Neque enim*, inquit, *si contraria solum prædicauerint, intulit: sed si euangelizauerint præter id quod ipsi euangelizauimus: hoc est, si plusculum quippiam ipsi adiecerint*. Non potuit certius distinguere inter contraria & ea quæ sunt præter: ne quidem si Caluinista fuisset: quando Iesuitæ hoc nomine Catholicorum partes odiosas reddere voluerunt. Testatur Paulum non dixisse, si euangelizent contraria. At Papistæ contendunt dixisse: nec aliter patiuntur intelligi τὸ παρά: quia se saluos non sperant, si suus Pauli verbis redditur sensus. Quid illud, *si plusculum quippiam adiiciant?* Potuitne aliquis nostrum luculentioribus verbis exprimere quid de hoc loco sentiat? Nisi forte iam etiam eo audaciæ deueniant Traditionarij, vt etiam plusculum illud, nolint nisi contrarium intelligi. Quod vt faciant: videant prius ne cœcam illam obedientiam suo ordini quarto modo, siue quarto voto propriam reddant: sed communicent omnibus omnino hominibus, nouo artificio transformatis in pecora. Aliter enim ψεῦδα τὰ πάντα, Illi viderint.

XLI. Basilij locum paulo ante indicauimus; vt doceremus hunc Pauli locum de Scriptura intelligendum. Mirum ergo, si Bellarmino contra nos suam commodet operam. Quid ergo ille? Docet ex hoc loco haberi eos recipiendos, qui consona Scripturis tradunt: eos reiiciendos qui aliena. Intelligo: sed Bellarminus in eo est, vt doceat Paulo, *præter* idem esse, quod *contra*. Hoccine dicit Basilius? Minime vero. Nam quemadmodum vt aliquid sit Scripturis σύμφωνον, non satis est vt eis non repugnet, quod sequenti libro docebimus; sic nulla ratio patitur τὰ ἀλλότρια restringi ad sola contraria. Norunt enim omnes τὸ ἀλλότριον id dici, quod est aliunde. Lucæ 16. εἰ ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ, *si in alieno fideles non fuistis*: Rom. 14. *Quis tu es, qui iudicas* ἀλλότριον *alienum?* & infinita eiusmodi. Aliena sunt igitur quæcunque non sunt ex Scriptura sancta, quemadmodum à Iudæis alienus erat, quicunque non ex semine Abrahæ.

XLII. Augustini prior locus ita habet, *Nos non propterea dicimus non credendum Manichæo, quia dictis factisque Christi non interfuit, & longe post natus est: sed quia de Christo, contra Christi discipulos loquitur, & contra Euangelium, quod illorum autoritate firmatum est. Habemus enim Apostoli vocem, qui in Spiritu Sancto tales venturos esse cernebat: vnde fidelibus dicebat, Si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit*. Exponit, inquit Bellarminus, *præter* per *contra*. Itane? At ego ab ipso Bellarmino solutionem commodato accipio: & dico Augustinum non interpretari ex professo hunc locum, sed ex eo tantum probare non licere quicquam admitti contrarium Scripturis. Et recte probat; quia quicquid est contra Euangelium, est etiam præter. Non igitur explicat Augustinus verba Pauli: sed applicat contra Manichæum: quare Bellarminum nihil iuuat.

XLIII. Alter locus est huiusmodi: *Non ait plus quam accepistis, sed præter*

quod

quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit, non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Atqui hoc loco non dixit Augustinus præter esse contra; imo phrasin constanter retinuit. Deinde, vident omnes expositionem esse satis coactam, Augustino particularem; & solitariam; id est, destitutam reliquorum Patrum consensu. Tertio Augustinus sic exponens hunc locum, non Euangelium comparat traditionibus, sed auditorũ varios profectus considerat, qui non omnia simul & semel capiunt, sed pedetẽtim promouent; egentque noua, repetitaque in dies instructione, non tamen quæ noua nunquamque audita suggerat; sed quæ iam olim prædicata inculcet. Vnde fit, vt singulis fidelibus addi possint quæ deerant fidei eorum: at non quæ desunt Euangelio. Ideoque alteram duntaxat partem huius loci Augustinus exponit. Duo enim Paulus dixit, & præterquam quod euangelizauimus, & præterquam quod accepistis. Atque hoc quidem præter Pauli mentem; & quasi abutens verbi *accepistis* amphibolia: Nam & accipere is dicitur, cui aliquid aliquis tradit, hoc est, proponit discendum: & is etiam qui id quod traditum est, re vera discit, suumque discendo facit. Qui autem partem tantum discunt, ij hoc secundo sensu totum non accipiunt: itaque cum reliqua pars eis suggeritur, tum ii accipiunt præterquam prius acceperant. Sed hic sensus nihil ad rhombum. Nos enim in hoc argumento, non quid singuli fideles exceperint; sed quid Apostoli tradiderint; consideramus: tradidisse autem omnem doctrinam, manifestius est, quam vt negari possit.

XLIV. Superest alius locus ex 22. cap. Apocalypsis. *Enimuero contestor omni audienti verba Prophetiæ libri huius, si quis adiecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit aliquid ex verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro vitæ.* Respondent Sonnius & Bellarminus, loqui Ioannem duntaxat de Apocalypsi, cui nihil velit addi, quasi tunc reuelatum Ioanni, aut in illo libro descriptum ab eodem.

XLV. At nos regerimus: primum ex hoc saltem loco intelligi illud addere & detrahere, non tantum prohibere contraria, vt in Mose aduersarij contendebant, sed etiam auctarium cuiuscunque generis sit, hoc est, siue cõtrarium, siue non contrarium, sed tantum præter ea quæ erant Ioanni reuelata. Secundo, nihil augustius aduersarij tribuunt huic libro Canonico, quã cuilibet etiam non Canonico: Nam huic nihil vnquam licet addere, tanquã scriptum ab autore, aut demere tanquam non scriptum. Vnde fit, vt detestẽtur omnes viri boni expurgatorum iniustam audaciam, qui sibi autoritatem arrogarunt quidlibet pro arbitrio addendi, & eradendi ex omni genere librorum. Tertio, nullum hoc ius esse proprium huic Apocalypseos libro, sed generale omnibus Canonicis. Quare etsi intelligenda hæc verba essent, tanquam dicta de eo libro tantum: tamen probarent etiam generalem propositionem. Propterea Andreas Cæsariensis in hunc locum ita commentatur. Φοβερὰ δ' ἡ κατὰ τῶν παραχαρακτῶν τῶν θείων γραφῶν κατάρα. *Horrenda imprecatio aduersus corruptores diuinarum Scripturarum.* Et paulo post; Διαμαρτύρεται ἡμῖν τοῖς ἀκούουσι, μήτε προσθεῖναί τι, μήτ' ἀφελεῖν, ἀλλὰ τὰ γραφικὰ ἰδιώματα, τῶν ἀττικῶν συντάξεων, καὶ τῶν διαλεκτικῶν συλλογισμῶν ἡγεῖσθαι ἀξιοπιστότερα καὶ σεμνότερα. *Contestatur nobis audientibus, vt ne quid addamus, aut detrahamus, sed Scripturarum idiomata, multo magis fide digna cẽseamus, & maioris momenti Attica orationis structura, syllogismisque Dialecticis.* Generaliter ergo locum Andreas intellexit: sed & Aretas similiter iisdẽ mutuatis verbis. Quinetiam his Ioannis verbis Tertullianus tanquam vniuersali axiomate impugnauit Hermogenem. Denique in Concilio Foroiuliensi Paulinus sic loquutus est in Apocalypsi, *Ioannes Apostolus sub vnius libri appellatione, de tota vtriusque testamenti serie contestatus est dicens, Si quis, inquit, apposuerit ad hæc, apponet Deus omnes plagas scriptas in libro hoc. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem illius de libro vitæ, & de ciuitate sancta.*

Cap. VII.

Ex Patribus, nihil detrahendum addendumve Scripturæ.

I. PRobauimus ex Scriptura, capite præcedenti nihil esse addendum Scripturæ, aut ex ea detrahendum. Hoc ipsum nunc probandum est, ex antiquorum Catholicorum consensu. Primus Irenæus esto lib. 4. cap. 63. *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, & character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam quæ in vnoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos custodita sine fictione scripturarum tractatione plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, & lectio sine falsatione, & secundum Scripturas expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia.*

II. Locus est verborum constructione perturbata satis difficilis. Si cui satisfacit Feuardentij restitutio, (nam ante eũ omnino erat corruptissimus) sensus erit. Veram veritatis agnitionem, quam capite præcedenti præstari dixit à Spiritu Sancto, esse Apostolorum doctrinam, & antiquum Ecclesiæ statum in vniuerso mundo: quæ agnitio peruenit ad posteros custodita Scripturarum tractatione, cui nihil sit addendum, nihil etiam detrahendum: esse etiam lectionem sine falsatione, & Scripturarum expositionem.

III. Vtcunque sit tamen, & quantacunque in construendis verbis difficultas, hæc notanda sunt. Primum agnitionem veritatis constitui in doctrina antiqua; id est, quæ Ecclesias olim constituit iam ab ipso Apostolorum tempore: Excludi igitur recentiores traditiones. & post Apostolorum tempora natas. Secundo, eam veritatis agnitionem, siue mauis Apostolorum doctrinam appellari, & antiquum Ecclesię statum, & characterem corporis Christi, id est notam Ecclesiæ interprete Feuardentio: quod tamen Papistæ omnes constantissimè negant: qua de re alias. Tertio, eandem conseruatam esse in Ecclesia, tractatione Scripturarum, non vero additione traditionum. Quarto, eam traditionem Scripturæ, id est, traditionem per Scripturam, esse plenissimam: ac neque additamentum neque detractionem recipere: quo significatur ita in Scripturis tractatas esse res fidei, vt ea tractatio sit plenissima, atque adeo omnibus numeris absolutissima, cui sine scelere tam nihil addi potest, quam nihil eximi.

IV. Feuardentius annotatione addita locum corrupit. *Docet* (inquit) *agnitionem veritatis, & Scripturarum sinceram germanamque interpretationẽ, à veteri Ecclesiæ statu & ordine petendam esse.* Sed hoc Monachi somnium est: non mens Irenæi: atque adeo nulla verborum constructione confici potest; quantumlibet, & quomodolibet inuertantur: adeo vt prolixiore refutatione non egeat, quam simplici comparatione cum textu.

V. Tertullianus contra Hermogenem c. 22. *An autem de aliqua subiacente materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adiicientibus, aut detrahentibus destinatum.* Bellarminus, Ratisbonenses, atque alij contendunt intelligendũ de dogmatis contrariis: nimirum, Hermogenem, qui addebat ad Scripturam dogma contrarium; & repugnans ipsi Scripturæ, incidere in illam maledictionem. Sed primo, nego Hermogenem voluisse addere hoc dogma ad Scripturam: imo voluit addere ad fidem: voluit, vt id Ecclesia crederet, præter ea quæ ex Scriptura didicerat. Secundo, intelligendum Tertullianum de dogmatis contrariis fateor; si modo, vt solet thesis de hypothesi: sin autem vt ex vniuersali propositione fiat particularis: quis non videt ineptiam? Nam illud *doceat scriptum*: & *si non est scriptum*, quomodo interpretamur? aut quomodo inflectimus, vt significet, dogma Hermogenis esse contrarium? Enimuero cõtrarium fuisse, ego non eo inficias: sed his verbis significari esse contrarium, id vero est, quod audacissime sibi aduersarij sumunt. Nihil enim significant aliud, quam hoc Hermogenis dogma, quodcunque tandem illud sit, non legi in Scriptura: ob eamque solam causam, etsi nulla alia subesset, reiiciendum.

VI. Puteanus, omnium audacissimus, ne quid durius dicam, sic inducit Tertullianum disserentem: Tu à Catholica fide discessisti; & credis melius Scripturam intelligere, quam Ecclesiam, imo Ecclesiæ contrariam esse Scripturam: doce igitur idem Scripturam docere quod tu dicis: quod cum faciã, asseram omnes locos à te citatos male explicari. Hanc audaciam quibus argumentis retundam vix inuenio. Sunt enim sæpe quædam adeo impudentia, vt quid iis agas nescias. At Tertullianus nũquam obiecit Hermogeni, quod pro certo sumit Puteanus, eum sibi arrogare Scripturarum scientiam maiorem, quam Ecclesię. Non dixit se asserturum omnes locos producendos male explicari; nam id intolerabilis esset pertinaciæ argumentum, quæ locos nondum examinatos, imo nondum auditos, aut visos, ex solo opinionis cõcepto prętudicio polliceretur meriturum. Quid autem facilius est quam cuilibet autori de suo orationem commodare. Sed ne illud quidem de non adiiciendo profert tanquam ad hominem, vt aiunt, sed ex seipso argumentatur: illud de subiacenti materia, nusquam scriptum legi, ideoq; reiiciendum, hac syllogismi forma: Nullum dogma non scriptum, est admittendum. At Hermogenis dogma est non scriptum: Ergo non admittendum. Vbi nemo non videt aut maiorem esse vniuersalem, aut Tertullianum nugas agere.

VIII. Apollinaris apud Eusebium hist. Ecclesiast. lib. 5. c. 15. editionis Christophorsonianæ, testatur se hæsitasse an aliquid scriberet; οὐκ ἀπορίᾳ τοῦ δύνασθαι ἐλέγχειν μὲν τὸ ψεῦδος, μαρτυρεῖν δὲ τῇ ἀληθείᾳ, δεδιὼς δὲ καὶ ἐξευλαβούμενος, μή πῃ δόξω τισὶν ἐπισυγγράφειν ἢ ἐπιδιατάσσεσθαι τῷ τῆς τοῦ εὐαγγελίου καινῆς διαθήκης λόγῳ, ᾧ μήτε προσθεῖναι, μήτ' ἀφελεῖν δυνατὸν τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον αὐτὸ πολιτεύεσθαι προῃρημένῳ. *Non tam quod dubitarem falsa errorũ commenta posse conuincere, & firmis testimoniis veritatem confirmare: quam quod & metuerem, & sedulo præcauerem, ne Euangelico Noui Testamenti verbo (cui neque apponere, neque detrahere quicquam licet ei, qui secundum ipsum Euangelium vitam degere instituit) scribendo vel componendo viderer adiicere.*

VIII. Bellarminus primum loci fidem vellicat, negans in omnibus codicibus reperiri: secundo contendit non esse dictum de Euangelico verbo scripto: tertio intelligit additionem dogmatis contrarij: quia ibidem Montanus accusatur, quod non seruauerit doctrinam, quam Ecclesia ex traditione, & successione Episcoporum ab Apostolis acceperat.

IX. Ego vero comperi hæc verba non haberi apud Rufinum: hominem in vertendis libris sibi nimium arrogantem, indeque pro arbitrio multa addentem, multa rescindentẽ: sed haberi in Græco exemplari, & editione Christophorsoni; quanquam hîc τὸ ἐπισυγγράφειν & ἐπισυνδιατάσσεσθαι liberius verterit *meo quasi marte aliquid vel addere vel statuere*. Porro ea ipsa verba inferunt non aliquid viua voce traditum; sed scriptis mandatum: est enim ἐπισυγγράφειν, iis quæ iam scripta sunt aliquid superaddere: & ἐπισυνδιατάσσεσθαι, non vt putauit Christophorsonus, ab ea significatione, qua τὸ διατάσσεσθαι simplex est statuere: sed ea qua τὸ συντάσσεσθαι est librum componere. Tertiam exceptionem iampridem scimus tam esse friuolam, quam Iesuitis familiarem. Egregiam vero Apollinaris rationem. Nihil debet assui contrarium Scripturæ: ergo ego debui non scribere. Quasi vero ille nesciret, se nihil scripturum contrarium. At Montanus accusatur, quod non seruauerit traditionem: & docuerit παρὰ τὸ κατὰ τὴν παράδοσιν, καὶ κατὰ τὴν διαδοχὴν ἄνωθεν τῆς ἐκκλησίας ἔθος. Quid tum? Nam & τὸ παρὰ non significat contra? Et si Montanus contra docebat, tamen Apollinaris de se ipso securus erat: & traditio illa erat doctrinæ scriptæ, quæ in Ecclesia docebatur; eratque ab initio, non per singula secula recens nata.

X. Cyprianus epist. 74 quæ est ad Pompeium. *Vnde est ista traditio? vtrumne de Dominica, & Euangelica autoritate descendens, an de Apostolorũ mandatis, atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur: & ponit ad Iesum Naue dicens, Non recedet liber legis huius ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, vt obserues facere omnia quæ scripta sunt in eo.* Argumentum à traditione repellit, hac obiectione: quod omnis traditio, in Ecclesia seruanda, constare debet ex Scriptura: citato testimonio ex libro Iosue.

XI. Respondent omnes, hæc Cyprianum scripsisse, cum errorem suum tueri vellet, de repetendo hæreticorum baptismo. Imo hanc Epistolam refelli ab Augustino lib. 5. de Baptismo contra Donatistas. Ego autem concedo hæc esse vera. Sed quid inde concludunt? Aduertendum enim est, Cyprianũ à nemine vnquam accusatum vllius erroris circa Scripturas: aut Traditiones: sed duntaxat circa Baptisma hæreticorum. Imo ipsum Augustinum, cum hanc refutat Epistolam, hunc tamen locum non modo non refutasse, sed etiam approbasse; laudando Cyprianum admonentem ad fontem esse recurrendum, id est, ad traditionem Apostolicam, videlicet quæ constaret ex Scriptura. Itaque non est ab altero illo capite, quod erroneum esse constat, in istud inuidia deriuanda. In summa, peccabat, fateor, Cyprianus; sed in assumptione: at non in propositione maiore. Sic enim erat argumentum concipiẽdum: Nullum dogma non scriptum admittendum; at ratum esse Baptismum

hæreticorũ eſt dogma nõ ſcriptum: Ergo non admittẽdum. Similiter vt olim Sabellius, Quicũq; tres Deos aſſerunt, ſunt deteſtãdi: at qui Trinitatẽ docẽt, tres Deos aſſerunt: Ergo deteſtandi. Hoc nemo neget argumentum eſſe prorſus hæreticum: & tamen nemo ſerio Catholicus maiorem auſit negare.

XII. Secundo ergo reſpondent: etſi Cyprianus vnam illam traditionem de Baptiſmo reiiciebat, quia contra Scripturas eſſe putabat, tamen non propterea reiici volebat alias, quæ etſi in Scripturis non ſunt, tamẽ cum Scriptura non pugnant. Ineptiebat ergo Cyprianus, inquam. Nã quæ contraria ſunt Scripturæ, quis merito quærat, vt oſtendantur ſcripta? Niſi forte nouum genus Dialecticæ didiciſſet, quæ argueret ex non vniuerſalibus. Deinde nego vllum eſſe dogma fidei, quod Cyprianum admiſiſſe conſtet ex ſola traditionis non ſcriptæ autoritate. Nam quæ hic Pamelius exempla collegit, in baptiſmo celebrando, abrenunciatio, interrogatio ſymboli, exorciſmus, ea non dogmata ſunt, ſed ritus, de quibus alias.

XIII. Baſilius homilia de fide. εἰ πιστὸς ὁ Κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ, πισταὶ δὲ πᾶσαι αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ ἐστηριγμέναι εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, πεποιημέναι ἐν ἀληθείᾳ καὶ εὐθύτητι, φανερὰ ἔκπτωσις πίστεως, καὶ ὑπερηφανίας κατηγορία, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰπόντος, τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς ἀκούει, καὶ πρὸ τούτου δὲ εἰρηκότος, ὅτι οὐκ οἴδασι τῶν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν· καὶ τοῦ Ἀποστόλου ἐν ὑποδείγματι ἀνθρωπίνῳ σφοδρότερον ἀπαγορεύσαντος τὸ προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν τι ἐν ταῖς θεοπνεύστοις γραφαῖς. *Si fidelis eſt Dominus in omnibus ſermonibus ſuis, fidelia etiam omnia mandata eius, fundata in ſeculum ſeculorũ, facta in veritate & rectitudine, manifeſta eſt à fide defectio, & ſuperbiæ indicium, aliquid vel eorum quæ ſcripta ſunt, infirmare, vel quæ non ſcripta ſunt, inferre: cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicat, Oues meæ vocem meam audiunt: & paulo ante: Non norunt vocem alienorum: Apoſtolus etiam commotius interdicat quicquam addere, aut detrahere Scripturis diuinis.* Quid diſertius? quid luculentius? quid manifeſtius ad noſtri confirmationem argumenti? Nam & prohibet quicquam inferri, quod non ſcriptum ſit? & locũ illum ex Epiſtola ad Galatas interpretatur de Scripturis. Et hanc additionem, aſſerit eſſe manifeſtam defectionem à fide, non minus quam detractionem. Certè ne Caluinus quidem poterat vehementius tonare in Traditionarios. Atque adeo huius loci autoritate freti deinceps facile poſſumus aſſerere omnes traditiones non ſcriptas eſſe non tantum præter, ſed etiam contra Scripturas: alias non inducerent defectionem à fide.

XIV. Et tamen ſophiſticantur aduerſarij: adeo nunquam ſepia ſui obliuiſcitur atramenti. Reſpondent ergo dupliciter. Prima reſponſio; Baſilium loqui de iis qui addunt ad Scripturæ dogmata, aliqua alia contraria, & aliena, Scripturiſque repugnantia. Et probant, quia eadem homilia dicat ſe contra hæreticos diſputantem ſæpe vſum ſermonibus non ſcriptis, tamen cum Scripturis conſentientibus, & Apoſtolum quoque non ſolum è Scripturis, ſed etiam èx Philoſophis teſtimonia accepiſſe.

XV. Ergone vnquam nihil erit tam firmum, tam perſpicuum, quod Papiſtæ ſuis exceptionibus non violent? ſuis ſophiſmatis non obſcurent? Auerruncet hanc terris peſtẽ Deus. Saltem ſi aliquo vocabulo nominaſſet, aliquo ſigno indicaſſet Baſilius dogmata aut contraria, aut repugnantia! At is nihil ſonauit niſi iam quæ ſcripta ſunt, iam quæ non ſcripta ſunt: Iam additiones, iam detractiones: & adhuc ſperent Ieſuitæ, ſe fucum facturos? Optime, ſi omnes ex iis eſſent quos Poeta dixit λημῶν τὰς κολοκύνθας. Nam quandiu videbunt aliqui per τὶ τῶν γεγραμμένων ſignificari vel minimum apicem Scripturæ; concludent etiam per τὶ τῶν μὴ γεγραμμένων omnia indicari quæ non ſunt ſcripta: non tantum ea quæ ſunt contraria.

XVI. Alterum autem locum non ſatis penſiculate Bellarminus obiicit: quod vt omnes videant, deſcribam integrum. Ἕως μὲν οὖν ἀγωνίζεσθαι πρὸς τὰς ἐπανισταμένας κατὰ καιρὸν αἱρέσεις ἐχρῆν, ἑπόμενος τοῖς προειληφόσιν, ἀκόλουθον ἡγούμην τῇ διαφορᾷ τῆς ἐπισπειρομένης ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἀσεβείας, ταῖς ἀντιτύποις φωναῖς κωλύειν, ἢ καὶ ἀνατρέπειν τὰς ἐπιγινομένας βλασφημίας, καὶ ἄλλοτε ἄλλαις, ὡς ἂν ἡ χρεία τῶν νοσούντων κατηνάγκασε, καὶ αὐταῖς πολλάκις ἀγράφοις μὲν, ὅμως δὲ οὐκ ἀπεξενωμέναις τῆς κατὰ τὴν γραφὴν εὐσεβοῦς διανοίας, ὥσπερ οὖν καὶ ὁ Ἀπόστολος πολλάκις πεποίηκεν, Ἑλληνικοῖς ῥήμασι χρήσασθαι μὴ παραιτούμενος πρὸς τὸν ἴδιον σκοπόν. νῦν δὲ πρὸς τὸν κοινὸν ἡμῶν τε καὶ ὑμῶν σκοπὸν ἁρμόζον ἐλογισάμην ἐν ἁπλότητι τῆς ὑγιαινούσης πίστεως τὸ ἐπίταγμα τῆς ὑμετέρας ἐν Χριστῷ ἀγάπης πληρῶσαι, εἰπὼν ἃ ἐδιδάχθην παρὰ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, φειδόμενος μὲν καὶ τῶν ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ἐκείνων ἃ λέξεσι μὲν αὐταῖς οὐκ εὑρίσκει ἡ θεία γραφή, διάνοιαν γε μὴν ἐκείνην τὴν ἐγκειμένην τῇ γραφῇ διασώζει· ὅσα δὲ πρὸς τῷ ξένῳ τῆς λέξεως, ἔτι καὶ τὸν νοῦν ξένον ἡμῖν ἐπεισάγει, καὶ ἃ οὐκ ἔστιν ὑπὸ τῶν ἁγίων κηρυσσόμενα εὑρεῖν, ταῦτα ὡς ξένα καὶ ἀλλότρια τῆς εὐσεβοῦς πίστεως παντελῶς παραιτούμενος. *Quamdiu oportuit me oppugnare eas hæreſes quæ hoc tempore inſurgunt in nos, ſequutus eos qui præceſſerunt cenſebam non eſſe alienum, ab impietatis quã occulte Diabolus ſeminat, diſcrepãtia, blaſphemias inuectas cõpeſcere, & euertere vocib. cũ aliàs alijs vt corruptorum ſe morbus habebat, tum ſæpe et iis quæ nõ erãt quidẽ ſcriptæ, nec alienæ tamẽ à pio ſenſu, qui eſt ſecundum Scripturã: vt prout ipſe fecit Apoſtolus, non abſtinens à vocibus Græcorũ vtilibus ſuo propoſito. Nunc aũt accommodans me ad inſtitutum & veſtrũ & meũ, ita decreui, in ſimplicitate fidei, mandatũ veſtræ in Chriſto charitatis implere, vt ea dicã, quæ à diuina Scriptura ſum doctus, abſtinens ẽt ab iis nominibus & vocabulis, quæ nõ continentur in Scriptura diuina, etſi ſenſum retineant illũ qui ineſt Scripturæ, At quæcunq;, præterquam quod voce ipſa noua ſunt, ẽt ſenſum alienum inducunt, & non inueniuntur prædicata à ſanctis, hæc ego prorſus vitabo, tanquã peregrina, alienaq; à pia fide.* Hęc ſunt Baſilij.

XVII. In iis ille primo refutationem hæreſeon diſtinguit, à traditione fidei. In illa ſe teſtatur libenter exſpatiatum, etiam Apoſtoli exemplo, colligẽdo, extra Scripturam, quæcunq; vtilia videbantur. At in tradenda fide, continere ſe ipſum intra Scripturas; vt ea tantũ doceret, quæ inde didicerat. Quorum illud nemo poteſt improbare: hoc vero obnixe tuentur Catholici. Quæcunque enim quocunq; modo vtilia ſunt ſtabiliendæ veritati, iis omnes bona conſcientia poſſunt vti: ſed ipſa veritas aliunde non poteſt peti, quã è Scriptura. Ex his duobus hoc certe non poſſunt pro ſe Papiſtæ proferre: illud autem quomodo? Nam ea verba, quæ ſignificant verba non ſcripta, non ſignificant tamen traditiones non ſcriptas. Nam hæ ſunt vel diuinæ, vel Apoſtolicæ, vel Eccleſiaſticæ. At Baſilio verba non ſcripta, comprehendunt illa etiam, quæ mutuo ſumuntur ab Ethnicis autoribus.

XVIII. In tradenda veritate ita ſibi imperaturum pollicetur, vt ne quidem vocibus alienis vtatur à Scriptura. Atq; earum duo conſtituit genera: vnum earum, quarum ſonum quidem in Scripturis non inuenias; ſed tamẽ ſenſum: nempe quæ retinent τὴν διάνοιαν ἐκείνην τὴν ἐγκειμένην τῇ γραφῇ, ſententiã ipſis inſitam Scripturis: alterum earum quarum neque ſonus eſt in Scripturis, & ſenſus ab iis abhorret. Et quidem non tantum hoc ſe pollicetur ſerio vitaturum, ſed ẽt illo non vſurum. Atque ita omnino nullum locum reliquit traditionibus non ſcriptis: ne quidem, quod omnino minimum eſt, quoad ſonum verborum. Nos certe plus concedimus, qui, dum ſenſus retineatur Scripturarum, verba relinquimus arbitrio tum traditionis, tum etiam doctorum. Atque adeo pene ſuperſtitioſulum Baſilium dicerem: qui, quum vixerit poſt Nicænum Concilium, potuit ſcire τὸ ὁμοούσιον non eſſe ex Scriptura quoad ſonum: quinetiam ipſe τὴν τριάδα nominauit, & τὰ ἰδιώματα; quæ opinor non habuit à ſcriptis Apoſtolorum, Sed eſt tamen verum, hoc loco Baſilium in traditione fidei, nullum locum reliquiſſe non ſcriptis traditionibus: contra quam Bellarminus putabat.

XX. Secunda aduerſariorum reſponſio, de iis ait Baſilium loqui, qui non contenti vocibus ſcriptis, ex proprio capite inueniunt alias. Sane vero, inquam: ſed an de iis ſolum? hic enim nodus eſt argumenti. Nam ſi eos ſolos Baſilius damnat, ergo ſolos hæreſiarchas, non etiam eos, qui ab eis decepti prolabuntur in hæreſin, quam non inuenerunt ex proprio capite. Sed id, inquit, ſuperbiæ ſignum eſt certiſſimum. Optimè! ſed an ſolum? Imo vero etiam illi ſuperbi ſunt, qui aliunde acceptas ſententias non ſcriptas tuentur: Cæterum τὶ τῶν μὴ γεγραμμένων generaliter comprehendit omnia, tum voces; tum maxime res ipſas. Itaq; nihil aliud quam ludit Bellarminus.

XX. Coſterus Apologia 2. contra Gomarum, hunc eundem locum tractat prolixius: & obſeruat, primo diuerſum Baſilij ſtylum, qui diſputans cum hæreticis, non ſolis vtebatur Scripturis, ſed etiam non ſcriptis traditionibus, quæ cum ſacris literis non pugnarent: vnde concludit, eum fateri traditiones aliquas eſſe non ſcriptas, quibus magis hæretici conuincendi ſint; quam Scripturis. At quando agit cum piis Chriſtianis, vti conſueuit ſacris literis ad eos informandos. Secundo, Baſilium repudiare ea, quæ nouum ſenſum adferunt, & apud Sanctos viros nuſquam in vſu fuerunt: Eius autem generis eſſe, de non inuocandis Sanctis, de reliquiis abiiciendis, de Romano Pontifice Antichriſto. Tertio, Baſilium dicere, fidem eſſe, non eorum quæ ſcripta ſunt; ſed quæ dicta ſunt, aſſentientem approbationem; vnde elicit non ſolis Scripturis fidem concludi, ſed complecti etiam dicta Dei verba. Quarto, infidelitatis à Baſilio conſtitui argumentum, & ſignum ſuperbiæ eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid velle reiicere, aut eorum quæ non ſcripta inducere? Non vero quæ extra Scripturam ſunt tradita retinere. Eſſe autem hæreticorum introducere noua: Catholicorum retinere antiqua. Quinto, Baſilium teſtari ab Apoſtolo interdictum, ne quid eorum, quæ in diuinis libris habentur, dematur, aut quod abeſt, addatur: Non eſſe igitur reſecandam Sapientiam Salomonis, Eccleſiaſticum, & ſimiles libros. Non condemnari autem eos, qui duplicem Scripturam, prout ab Apoſtolis tradita eſt, nullo adiecto, dẽpto, vel mutato, integram retinent, vnam in chartis exaratam, alteram in corde Eccleſiæ à Spiritu Sancto inſcriptam. Sexto; Baſilium ratum habuiſſe, vt omnem à Dominica doctrina alienam, & vocem & ſententiam fugeret: Papiſtas autem docere Verbum Dei ſcriptum, Verbo Dei non ſcripto conforme: & verbũ nõ ſcriptũ, cum ſcripto per omnia conuenire. Hæc Coſterus.

XX. Reſpondeo ad primum, vſum eſſe Baſilium traditionibus: at nõ quę non ſcripta dogmata ſignificarent; ſed tantum ſcriptorum dogmatum explicationem & confirmationem; vt iam dixi. Sed his ipſis traditionibus, id eſt, non ſcriptis vocibus, magis refutandos hæreticos, quam Scripturis, Baſilius profecto non dixit: Coſterus finxit Ieſuitice. Ille contra factitauit, aduerſus Arianos: aduerſus Eunomium: reliqui Patres etiam. Porro videant hinc Papiſtæ, quantum diſceſſerint à Patribus. Nam illi ſaltem cum apud pios Chriſtianos agerent de fide, diſputabant ex Scripturis; fatente id Coſtero. At Papiſtici doctores, non tantum ſibi nullum præſidium agnoſcunt eſſe in Scripturis, quoties aduerſus eos negotium eſt, quos in hæreticis recenſent: ſed ne ſuis quidem quicquam inculcant præter non ſcriptas traditiones: aut certe has maxime. Et quidem haud aliter illis opus eſt: cum contendant ea quæ in Scripturis continentur, efficere omnino minimam partem veritatis reuelatæ.

XXII. Ad ſecundum: Ea nouum ſenſum adferre, quæ ſuum non habent ex Scriptura, ſed ex ſola traditione non ſcripta? qualia ſunt, omnia quæ apud Papiſtas docentur de Purgatorio, de Miſſa, de Indulgentijs, de Cœlibatu, de Meritis, & ſimilia infinita. Itaque reiicienda eſſe ex hac diſertiſſima Baſilij regula. Neque illa ſane vnquam apud viros ſanctos in vſu fuerunt omnia. Quę autem nos docemus, de non inuocandis Sanctis, de Reliquiis, de Romano Antichriſto, nihil veremur, ne quis demonſtret inducere ſenſum nouum, alienumve à Scriptura. Quanquam horum tractandorum capitum alius locus eſſe debet, aliud tempus.

XXIII. Ad tertium, dico hæc eſſe Baſilij verba; quæ non recte Latina facta ſunt ab Interprete quo vſus eſt Coſterus, Πίστις μὲν οὖν ἐστι συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας, τῶν κηρυχθέντων Θεοῦ χάριτι. Coſterus in hunc modum recitat, *Eſt igitur fides, eorum, quæ dicta ſunt, aſſentiens approbatio ſine vlla hæſitatione, cum ſumma animi perſuaſione de eorum veritate quæ Dei munere ſunt prædicata.* Ego ſic potius, *Fides igitur eſt indubitata perſuaſio eorum quæ audiuntur cum veritatis pleniſſima certitudine, prædicata per Dei gratiam.* Coſteri verba τὴν πληροφορίαν referunt ad τὴν συγκατάθεσιν, at ego, ſeruato conſtructionis ordine, ad τῶν ἀκουσθέντων, vt non quælibet audita pertinere ad fidem ſignificentur: ſed ea tantum, quæ indubitato conſtat à Deo eſſe. Quo poſito neceſſe eſt funditus ruere Traditiones non ſcriptas, quæ ſibi illam πληροφορίαν vindicare non poſſunt, vt ſuo loco notabimus. Cæterum miſere ſophiſticatur Coſterus, cum ea vrget quæ dicta ſunt, vt traditiones commendet. Nam primo, ἀκουσθέντα Baſilius dixit, non λεχθέντα. Secundo, addidit ἐν πληροφορίᾳ, quæ Scripturis ſacris eſt peculiaris: vt τὰ ἀκουσθέντα, ſiue etiam τὰ λεχθέντα (vt hoc demus) ἐν πληροφορίᾳ produci nullo modo queant ad non ſcriptas traditiones.

XXIV. In tertio; miſerum eſt, atque adeo ridiculũ ſophiſma, qualia pleraque omnia Ieſuitarum eſſe ſolent: Baſilius loquitur de iis qui inducunt aliquid noui: ergo non de iis qui vetera retinent. Portentum! quaſi non æque peccent, qui retinent ea, quæ nunquam inducenda fuerant, ac qui inducunt ea quæ non ſunt retinenda. Rurſus, quaſi non conſtet, Papiſtas, tanquam pro aris & focis, pugnare pro iis traditionibus, quæ cum ab initio non fuerint inſtitutæ, procedentibus ſęculis exortæ ſunt; etiam poſt ætatem Baſilii: ac proinde

inde nouæ aliquando fuerunt, quantumlibet annis nunc numeratis Veteres appellentur: Imo semper nouæ, nunquam veteres, si comparentur cum Scripturis, vt fieri necesse est. Quasi non constet Papistas Veteres constitutiones, dicis tantum causa nominare, vt nos recentissimis subiiciant. Sic enim si quæratur vter grauius peccet Sacerdos, coniugatus ne, an scortator, laudabũt mihi ad rauim vsque Veteres traditiones: nimirum, vt suo recentissimo axiomati, nec aliunde quã è medio lupanari nato, fucum inducant, Βαλλ' ἐς κόρακας.

XXIV. In quinto, cum memini Patribus olim Montanistas obiecisse, quod Spiritus prophetias reiicerent; non miror hodie Papistas Catholicis indignari, quod Apocryphis Canonem purgent: mirarer potius, si ferrent patienter. Interea nouerint, non Catholicos quicquam demere de sacris libris: sed se inducere non sacra, itaque peccare in regulam à Basilio latam. Duplicem Scripturam, absit vt negent Catholici: vnam in sacris libris, alteram in corde Ecclesiæ, id est, fidelium. Sed vtriusq; oportere dicunt idem esse subiectum, eadem capita: vt exempli gratia, quoniam scriptum est in libris sacris, fide iustificari hominem absque operibus, idem ipsum Spiritus Sanctus scribit in cordibus fidelium. Ac proinde infideles oportet esse Papistas, qui id, quãtum uis scriptum sciant in libris, tamen inscribi non patiuntur suis cordibus. At huius secundæ Scripturę pretextu, traditiones nusquam scriptas, neque in libris sacris, neque in cordibus fidelium, sed tantum obtrusas à superstitiosissimis Papistis, commendare, nihil aliud Catholici iudicant, quam fidem abnegare.

XXV. In sexto, primum, illam alienam à Dominica doctrina & vocem & sententiam, Basilius significauit his verbis ἐπεισάγειν τι τῶν μὴ γεγραμμένων, vt traditiones non scriptas confoderet. Secundo illud est falsissimum, Verbũ non scriptum Papisticum, cum Scripto diuino consentire.

XXVI. Rursus Basilium audiamus in asceticis regula 80. Τί ἴδιον πίστεως, Ἀδιάκριτος πληροφορία τῆς ἀληθείας τῶν θεοπνεύστων ῥημάτων ὑπὸ οὐδενὸς λογισμοῦ οὔτε ὑπὸ φυσικῆς ἀνάγκης εἰσαγομένη, οὔτε πρὸς εὐσέβειαν ἐσχηματισμένη διασαλευομένη. Τί ἴδιον πιστοῦ, τὸ ἐν ταύτῃ πληροφορίᾳ συνδιατίθεσθαι τῇ δυνάμει τῶν εἰρημένων, καὶ μηδὲν τολμᾶν ἀθετεῖν ἢ ἐπιδιατάσσεσθαι· εἰ γὰρ πᾶν ὃ οὐκ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστίν, ὥς φησιν ὁ Ἀπόστολος, ἡ δὲ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ, πᾶν τὸ ἐκτὸς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς οὐκ ἐκ πίστεως ὂν, ἁμαρτία ἐστίν. *Quid proprium fidei? Plena certaq; persuasio de veritate verborum Dei, quæ nulla ratiocinatione, siue ex naturali ducta necessitate, siue simulatè ad pietatem confirmata, concutiatur. Quid est proprium fidelis? In hac certa persuasione consentire sententiæ eorum quæ dicuntur: neq; quicquam audere vel irritum facere, vel insuper addere. Nam si quicquid ex fide non est, peccatum est, teste Apostolo: fides autem est ex auditu: auditus per verbum Dei: quicquid est extra diuinitus inspiratam Scripturã, cum non sit de fide, peccatum est:* Audientne tandem aliquando Traditionarij? Dicebat paulo ante Basilius eos à fide deficere, qui inducerent aliquid non scriptum. hic nũc fidelium hanc proprietatẽ designat, vt neq; auferant quicquam, neq; addant Scripturis: addit quicquid extra Scripturam, esse peccatũ. Audientne igitur? an iusto Dei iudicio inter eos erunt cõputandi, qui oculos habẽt, & aures, vt neq; videãt, neq; audiant, instar imaginũ quas adorant.

XXVII. Iesuitæ in Colloquio Ratisbonensi opponunt Cornarij versionem in hæc verba, *Si enim, quod nõ ex fide est, peccatum est, vt vel Apostolus ait, fides autem ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, omne quod extra diuinitus inspiratam Scripturam, non ex fide est, peccatum est.* Sed ego Cornario Basilium corrumpenti, oppono Basilium ipsum per se loquentem. Nam, Πᾶν τὸ ἐκτὸς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, οὐκ ἐκ πίστεως ὂν ἁμαρτία ἐστίν. Id sonat, quod ego Latine expressi, non quod Cornarius. Nempe Basilius qui ex Apostolo adstruxerat, quicquid non est ex fide, esse peccatum: deinde, fidem esse ex auditu, & auditum per verbum Dei: tandem applicans ad institutum suum, ita colligit. Ergo quicquid est extra Scripturam, id non est ex fide: vt hoc postremo concludat, ergo esse peccatum. Hunc Soritem Cornarius corrumpit.

XXVIII. Puteanus, facete ex his videri ait posse Basilium Hugonotum, nisi attendantur quæ alibi idem dixerit. Et argumentatur contra. Si Basilius credidit, quicquid statuitur extra Scripturam esse peccatum: multas autem statuit monachorum regulas: Ergo necesse est, eum credidisse, vel eas regulas esse in Scriptura, quod falsum est: vel esse peccata, quod est absurdum: non credidit igitur quicquid extra Scripturam statuitur, esse peccatum.

XXIX. Respondeo, nos nulla alia alibi à Basilio dicta videre, quibus ista retractauerit: itaque libenter credimus Hugonotum fuisse, id est, ex eorum numero, qui contra Traditionarios Scripturæ perfectionem asserunt, vindicantq; ab eorum blasphemijs. Argumentum aũt eo est audacius absurdum, quod pugnet contra diserta verba. Nam etsi luculenter asserat Basilius peccatum esse, quicquid est ἐκτὸς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, extra Scripturam Sacrã: tamen iste concludit, id Basilium non credere. Sic sophistæ sperant se persuasuros meridie solem non lucere. Porro nullam Basilius suis monachis regulã tradidit, quam non confirmet frequentibus Scripturæ locis: quod ex Asceticis videre licet. Nondũ n. monachatus erat, quod postea fuit, traditionũ humanarum cloaca: Monachi ve id genus hominum, quod cõsectaretur genus aliquod religionis Christianæ, perfectius, quam id quod in Scripturis traditur, sed erant homines pij, qui totam suam perfectionem quærentes intra libros sacros, ah hominum cœtibus segregabant se, vt & eos libros diligentius meditarentur, & quæ in iis docebantur opere complerent exactius. Sed Puteanus audito Monachatus nomine, statim suos sibi monachos repræsentauit. At isti nihil ad suem Parmenonis. Imo ad suem plus ęquo: ad veteres monachos, οὔτ' ὄναρ οὔθ' ὕπαρ.

XXX. Chrysostomus in Genesin hom. 3. *Non credere his, quæ diuina Scriptura continentur, sed alia quadam ex propria sententia inferre, opinor plurimum periculi secum aduehere his qui talia audent.* Homil. in Ioan. 58. cum ostium interpretatus esset Scripturam; ostium (inquam) illud, per quod qui non intrat in caulam ouium, eum Christus Ioan. 10. furem esse dicit & latronem: ita infert Chrysostomus, Διὰ ταύτης καὶ τοὺς ποιμένας, καὶ τοὺς οὐ ποιμένας εἰσόμεθα ἀπαντας. τί δ' ἐστιν εἰς τὴν αὐλήν; πρὸς τὰ πρόβατα, καὶ τὴν ἐκείνων πρόνοιαν, ὁ γὰρ μὴ ταῖς γραφαῖς χρώμενος, ἀλλὰ ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν, τουτέστιν ἑτέραν ἑαυτῷ καὶ μὴ νενομισμένην τέμνων ὁδὸν, οὗτος κλέπτης ἐστίν, *Per hãc & pastores agnoscemus, & eos qui non sunt. Quid est autem in caulam? Ad oues, & earum curam. Qui enim Scripturis non vtitur, sed ascendit aliunde, hoc est, aliam sibi & legibus non sancitam viam instituit, is fur est.*

XXXI. Ambrosius de Paradiso c. 12. *Discimus nihil vel cautionis gratia iungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas, vel detrahas, preuaricatio quædam videtur esse mandati.* Et paulo post, *Docet igitur nos præsentis series lectionis, neq; detrahere aliquid diuinis debere mandatis, neque addere. Nam si Ioannes hoc indicauit de suis scriptis, Si quis apposuerit (inquit) ad hæc, adiiciet in illum plagas quæ scriptæ sunt in libro isto: & qui dempserit de verbis his Prophetiæ huius, delebit Deus partem illius de libro vitæ: quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum?*

XXXII. Respondet Puteanus, primo, Traditionem esse ex mandato Apostolorum, ideoq; & Dei: Secundo, id mandatum de quo Ambrosius agit, non fuisse scriptum. At prima responsio dupliciter intelligi potest; vel in genere Deum mandasse, vt recipiantur in Ecclesia Traditiones non scriptæ: vel in specie, singulas traditiones esse ab Apostolis, id est, à Deo institutas. Illud, primo, est extra Ambrosij sententiam, qui agit de vno aliquo certo & indiuiduo mandato: adeo vt eius mentem sic debeamus accipere, nihil addendum esse iis rebus quas Deus sigillatim & ipso facto mandauit. Deinde est falsum: nullo enim vel Dei, vel Apostolorũ mandato constat recipiendas esse in Ecclesia traditiones dogmatum, præter eas quæ scriptæ sunt. Posterius, contradicit statui quæstionis, ex quo constat, non tantum diuinas, & Apostolicas, id est, quas Deus instituit, sed etiam Ecclesiasticas, quas Deus non instituit, traditiones admitti à Papistis. Secunda responsio non est solidior. Nulla enim pars Verbi Dei primo fuit scripta: sed postquã primo fuit tradita viua voce, tandem scriptis mandata est: quæ diuersitas ad modum tradendi pertinet, de quo sæpe testati sumus nos non contendere: non autem ad ipsam rem, id est, ad dogmata quæ traduntur. Quod autem ei mandato nihil fuit addendum, id inde euenit quod erat mandatum Dei, non autem quod esset non scriptum. Itaque Ambrosius latius produxit axioma, ad omnia Dei mandata: & illustrauit Ioannis testimonio.

XXXIII. Hieronymus in Micheæ c. 1. *Ecclesia Christi, quæ habitat benè, & in toto orbe Ecclesias possidens, Spiritus vnitate coniuncta est, & habet vrbes legis, Prophetarum, Euangelij Apostolorum, non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis Sanctis, sed cœptam retinet possessionem.* Hic Iesuitę in Colloquio Ratisbonensi dixerunt, Ecclesiam non egredi de finibus Sacræ Scripturæ, quando traditionibus non scriptis vtitur: & addunt causam, quia Ecclesiam ipsam, vt veritatis columnam, eiusq; traditiones & præcepta, ipsa quoque Scriptura commendet.

XXXIV. At contra. Si non egreditur de Scripturis: ergo continet se intra Scripturas, si continet se intra Scripturas, ergo docet ea tantum quæ sunt scripta: quare non docet traditiones non scriptas. Et notandum non dixisse Hieronymum extra fines præscriptos à Scripturis: sed extra fines, id est, Scripturas: vt ipsos fines interpretetur esse ipsas Scripturas: quanquam etiam illud si dixisset, satis aduersaretur traditionariis, nam traditiones admittere, omnino est nullis finibus aut Ecclesiam, aut doctrinam circumscribere: infinitæ enim sunt traditiones, quia & pro varijs Ecclesiis variantur, & quotidie nouæ nascuntur. Ad argumentum autem, Scriptura commendat Ecclesiam vt veritatis columnam, & eius traditiones & præcepta: Ergo cum aliquid docetur ab Ecclesia non scriptum, ea non egreditur extra Scripturas. Respondeo, negatur antecedens, si traditiones & præcepta intelligantur de non scriptis: quod si aliter, negatur consequentia.

XXXV. Puteanus, primo, τὸ κοκκυσμὸν repetit, præter esse contra: quia paulo post Hieronymus de hæreticis loquitur, & contrariis dogmatis: secundo, factus audacior, hic locus (inquit) valde confirmat autoritatem Ecclesię: quo asseritur Ecclesiam errare non posse: & quamuis Scripturam non citet, tamen credendum esse eam nullo modo egredi è Scripturis. At de κοκκυσμοῦ primum alias egimus, eumq; explosimus. Hic autem longe ineptior est, quia vox, extra, apud Hieronymum nulla est: sed tantum non est egressa de finib. suis, id est, Scripturis. Itaque absurde Puteanus lusit in versione Gallica. Non legitime autem concluditur per hæc verba, Ecclesiam non egredi de Scripturis, significari tantũ eam non docere dogmata contraria Scripturis; quia hæretici qui egrediuntur è Scripturis, siue, vt loquitur Hieronymus, habitant in vicinia Scripturarum, docent contra Scripturas. Nam consequentia nihil habet necessitatis. Postremo, quo iure nobis sua Puteanus mendacia offert, pro Hieronymi verbis? Nec enim Hieronymus dixit aut errare non posse Ecclesiam, aut credendum non egredi è Scripturis, etiam si Scripturas non citet. Imo ne inferri quidem hæc possunt, πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Contra potius: nam illud non egreditur, est pro, non debet egredi.

XXXVI. Idem in Psal. 86. etsi non sunt Hieronymi, illi in Psalmos commentarij: quanquam ei tribuantur à Ruperto: sed tamen quicunq; sit ille tãdem autor, non enim malus, in hæc Prophetæ verba, *Dominus narrabit in Scriptura populorũ, & principum horum qui fuerunt in ea:* ita commentatur, *Nõ dixit, qui sunt in ea: sed qui fuerunt in ea, Dominus narrabit. Et quomodo narrabit? Non verbo, sed Scriptura. In cuius Scriptura? In populorum: non sufficit in populorum: sed etiam principum dicit. Et quorum principum? Qui sunt in ea, Non dixit hoc, sed qui fuerunt in ea. Videte ergo, quomodo Scriptura Sancta sacramentis plena est. Legimus Apostolum Paulum, legimus Petrum: & legimus illum dicentẽ, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Et quod Paulus loquitur, loquitur Christus. Qui enim vos recipit, me recipit. Dominus ergo noster atq; Saluator, narrat nobis, & loquitur in scripturis principum suorum. Dominus narrabit in scripturis populorum, in Scripturis Sanctis: quæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc est: vt omnes intelligãt.* Et paulo post. *Et principum, hoc est, Apostolorum, & Euangelistarum, horũ qui fuerunt in eã. Videte quid dicat. Qui fuerunt, non qui sunt: vt exceptis Apostolis, quodcunq; aliud postea dicitur, abscindatur, non habeat postea autoritatẽ. Quamuis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos: quamuis disertus sit, non habet autoritatem: quoniam Dominus narrat in Scriptura populorum, & principum qui fuerunt in ea.* Locus & luculentior, & vehementior, quam vt post recitationem, admonitione multa indigeat. Aduersarii vero varie respondent. Bellarminus, Hieronymum reiicere ea, quę sunt aliena à doctrina Apostolica, id est, contraria, & repugnantia scripturis. Iesuitæ Ratisbonenses & Puteanus, solum dicere, scripta eorum qui post Apostolos vixerunt, non habere autoritatem omnino Canonicam, vt habet Sacra Scriptura.

XXXVII. Sed quis non deprehendit desperatam Sophistarum pertinaciam? Imo incredibilem arrogantiam, quæ solo verbo putet se omnia debellaturam? Profecto, his viris nihil pensi est, quid dicant, dum loquantur, suaque ἐνθυμήματα totidem putant ex tripode oracula: quæ expedi minime, adorati debeant maxime. At nos lolio non vescimur. Itaq; hæc ridemus σοφὰ φάρμακα, ad autoris verba redimus, præ quorũ pondere, ista profecto qua-

uis plu-

uis pluma leuiora sunt. Primo, dixit Dominum loqui in scripturis principiũ, qui fuerunt, non autem qui sunt in Ecclesia. Notemus igitur Deum non loqui in scriptis eorũ, qui post Apostolos exstiterunt in Ecclesia, ne principum quidem. Certè, si non loquitur, ne in eis quidem est Verbum Dei. At initio, cum cõtrouersiæ statum inquireremus, aduersarij nobis verbum Dei distribuebant in scriptum, & non scriptum: vt Traditiones honestarent hoc verbi Dei titulo: quod omnes iã vident esse contra mentẽ huius loci, Secundo, notãda sunt hæc verba, *Dominus narrabit: quomodo narrabit? Non verbo, sed Scriptura.* Negant .n. Deum loquuturum post Apostolos, verbo, siue viua voce, sed tantum Scriptura. Quî possunt certius explodi Traditiones non scriptæ, quæ solo verbo, id est, viua voce traduntur? Tertio, *quodcunq; aliud postea dicetur, abscindatur, non habeat autoritatem.* Nõ dixit, quodcunq; contra dicetur; sed quodcũq; aliud. Nõ est aũt necesse, vt quicquid est aliud, sit cõtrariũ.

XXXVIII. Atq; ex his apparet totam vim huius loci esse ab aduersarijs dissimulatam. Enimuero non negem reiici omnia contraria, quod dixit Bellarminus, aut nullum scriptum intrudi in Canonem debere, quod Iesuitæ, quod Puteanus maluerunt: sed hoc tantum voluisse horum autorem Commentariorum, ipsa per se verba abunde negant. Ad hæc, vicissim destruunt se hæ duæ responsiones. Nam si contraria reiiciuntur, ergo non tantum vetantur recipi in Canonem. Et si loquutus autor est de non recipiendis in Canonẽ; ergo non tantum de contrarijs reiiciendis: quia nec ea tantum excludenda sunt à Canone, quæ sunt Scripturis contraria: nec quæ sunt contraria, sufficit reiici à Canone: nam insuper execrationi esse debent. Sunt autem multa, quę neque execramur, neque habemus in Canone.

XXXIX. August. de bono viduitatis c.1. *Quid amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet sapere: sed sapiamus: vt ipse ait, ad tẽperantiã, sicut vnicuiq; Deus partitus est mensurã fidei. Nõ sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere, & de iis quod Dominus dederit, disputare.*

XL. Bellarminus negat Augustinũ loqui de omni dogmate, sed tantum de professione viduitatis, quod quale bonum esset, satis exposuerat Apostolus: & ideo dicit Augustinus, satis sibi esse si exponat verba Apostoli. Imo (inquã) non hoc tantum dicit: sed insuper rationẽ reddit, quare id sufficiat. Et hæc ratio generalis est, quia Scriptura doctrinæ regulam figit. Quare inepte Bellarminus explicat hypothesin, cum nos potius thesin vrgeamus. At hanc thesin rursus Bellarminus asserit esse contra eos , qui proprio iudicio fingunt nouas doctrinas, non consonas Scripturis. Et hoc etiam ineptius. Nam quæ hæc esset Augustiniani iudicij laus , ita argumentantis : Non oportet proprio iudicio fingere nouas doctrinas: Ergo nihil aliud est agendum, quam exponenda verba Apostoli? Sic isti vt ne corruptores deprehendantur fidei Christianæ, malunt ridendos propinare omnes ẽt maximi nominis veteres doctores. Deinde, vnde illud, *proprio iudicio* assuitur? Nam id Augustinus neq; dixit, neq; indicauit. Imo, sapere plus quã oportet: non tantum de ijs dicitur qui sibi ipsis freti, suoq; ingenio quidlibet excogitant, sed ẽt aliunde conquirunt, quæ non oportet, mutuanturq; à primis autoribus. Addo, agere Augustinum de bono viduitatis, in quo capite, si ita Papistæ coercentur, vt pręter Scripturã nihil dicant, nihil proponãt, ad ἀφωνίαν fere reducantur: nã iis profecto hac parte, vt plurimis alijs, id quod è Paulo habent, minimũ est: adeo (inquam) minimũ, vt vix agnoscatur in tanta traditionũ multitudine.

XLI. Idem rursus de peccatorum meritis & remissione lib.2. c. 36. *Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.* Bellarminus negat loqui de Traditionibus, sed de quæstionibus obscurissimis. Quasi nullas Papistæ Traditiones agnoscerent in rebus obscurissimis: puta, vtrum Spiritus si amor Patris & Filii: vtrum sit aliquod in Trinitate speculum: & similibus multis. At traditiones (inquit) totius Ecclesiæ, & omnium veterum consensu firmantur: At primum (inquã) hoc falsum est: vt patet ex singularum inquisitione: nam exempli gratia, Sanctos omnia nosse, ipse Augustinus non credidit. Secundo, nihil ad rem: testimonia enim, etiam infinita, non efficiunt rem ex obscura perspicuam, sed duntaxat certã ex incerta. Exempli gratia, Trinitatis mysterio nullũ est certius; quia ex Scripturæ certis testimonijs constat: sed nullum est obscurius, id est, remotius à captu ingenii humani. At Augustinus non dixit, in rebus incertis; sed in obscurissimis. Quare etsi Traditiones essent testatissimæ, possent tamen esse obscurissimæ: ac proinde in iis cohibere se debet humana præsumptio, vt ne loqui audeat, si taceat Scriptura.

XLII. Cyrillus libro de Trinitate & persona Christi, nuper edito à Ioanne Wegelino, Πάντα τὰ παραδεδομένα ἡμῖν διά τε νόμου καὶ προφητῶν καὶ ἀποστόλων δεχόμεθα καὶ γινώσκομεν, καὶ ὁμολογοῦμεν, οὐδὲν περαιτέρω τούτων ἐπιζητοῦντες. Ἀμήχανον γὰρ παρὰ τὰ θείως ὑπὸ τῶν θείων λογίων τῆς τε παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης ἡμῖν εἰρημένα εἰπεῖν τι περὶ Θεοῦ, ἢ ὅλως ἐννοῆσαι, *Omnia quæ per legem & Prophetas, & Apostolos nobis tradita sunt, recipimus, & agnoscimus, & confitemur: neq; vltra hæc aliud aliquid inquirimus: Fieri enim non potest, vt præter illa quæ diuinitus à diuinis oraculis quum Veteris, tum Noui Testamenti, nobis exposita sunt, de Deo aliquid dicamus, aut omnino cogitemus.*

XLIII. Theodoretus in Leuiticum q.9. *Docemur non debere nos extinguere Spiritum, sed accendere gratiam quam accepimus, extraneumq; nihil ad Scripturam inuehere, contentosque doctrina Sancti Spiritus, abominari hæreses, quarum fautores nonnulli verbis diuinis fabulas addiderunt, alij suas commentationes impias sententiæ Scripturæ prætulerunt.* Hoc loco Ratisbonenses disputatores taxari dixerunt hæreticos, qui aliena dogmata ex suo cerebro conficta Scripturis addunt. Quod quis neget? Sed ea pars est duntaxat eius sermonis. Non enim id solum Theodoretus agit: sed insuper Catholicos admonet, vt nihil addant extraneum ad Scripturam. Nam quorsum illa, *Docet nos nihil inuehere ?* Aut quis omnino mentis compos exponat, docet hæreticos? Nisi forte adeo insanisse dicamus Theodoretum, vt se inter hæreticos numeraret. Hoc Iesuitæ strenue dissimularunt.

XLIV. Theophilus Alexandr. 2. Paschali: *Dæmonici spiritus est instinctus, sophismata humanarum mentium sequi. & aliquid extra Scripturarũ autoritatem putare diuinũ.* Bellarminus respondet Theophilum loqui de libris Apocryphis, qui pro diuinis à quibusdam supponebantur. Quid hic dicam? Bellarminumne nunquam hunc locum vidisse oculis: an de industria calumnias consectantem, quod vitilitigatores faciunt? Nam certe merum mendacium dixit. Loquitur enim Theophilus de Origene, quem certum est enumerasse Canonem Scripturarum sincere, nullis additis Apocryphis: sed plus æquo detulisse Philosophorum argutiis, vt eas suis tractatibus insereret. His Theophilus autoritatem omnem amputat, hoc axiomate, nihil putandum esse diuinum, extra Scripturarum autoritatem. Aureum, ita me Deus amet, axioma, eoque sanctius, & minus Papisticum.

XLV. Prosper de Vocatione gentium: quod opus est in tom.2. operum Ambrosij, l.2.c.3. *Scripturis non loquentibus, quis loquetur?* O prosperam ætatem Prosperi! quæ nondũ Papistas, nondũ Iesuitas viderat! Nobis sane non sit integrum sic interrogare. Prodirent .n. illi statim; minimam veritatis particulã clamitãtes in Scripturis cõtineri: Sed ad Prosperũ quid illi? In Colloquio Ratisbonensi, agere dixerunt de certa quadã quæstione, quæ nec ex Scriptura, neq; ex traditione certo constaret. Quid igitur (inquã) ob eam particularem quæstionẽ, putantne fas esse, ex vniuersali thesi, hypothesin facere? Est hæc quidẽ perpetua aduersariorũ sophistice. Sed quã affatim irridebunt docti & pij: qui hunc locum cõparabunt cum Augustini loco de peccatorum meritis & remissione, paulo prius recitato: vt sciant, hoc ipsum longe patere latius, quam quæstionem de varia donorum Dei distributione.

XLVI. Damascen. lib.1. de Orthodoxa fide c.1. Πάντα τὰ παραδεδομένα ἡμῖν διά τε νόμου καὶ Προφητῶν καὶ Ἀποστόλων καὶ Εὐαγγελιστῶν δεχόμεθα, καὶ γινώσκομεν καὶ σέβομεν, οὐδὲν περαιτέρω τούτων ἐπιζητοῦντες. *Cuncta quæ tradita sunt nobis, per legem, & Prophetas, & Apostolos, & Euangelistas, suscipimus, agnoscimus, veneramur, nihil vlterius perquirentes.*

XLVII. Anastasius Antiochenus lib.8. Anagogicæ contemplationis in Hexameron, *Quod quæ silentio præteriit Scriptura diuina non sint scrutanda, est perspicuum. Omnia enim quæ faciunt ad nostram vtilitatem dispensauit, & administrauit Spiritus Sanctus.*

XLVIII. Rupertus Abbas Tuitiensis in librũ Regum comment. lib. 3. c. 12. *Quicquid est de Verbo Dei, quicquid sciri vel prædicari oportet, de incarnatione de vera diuinitate, & humanitate Filii Dei, duobus ita cõtinetur Testamẽtis, vt extra hæc nihil sit quod annunciari debeat aut credi. Totum in his comprehenditur cœleste oraculum, quod tam firmiter scire debemus, vt extra hæc audire, neque hominem nobis liceat, neque Angelum.*

CAP. VIII.

An omnia confirmanda è Scripturis.

I. SI quæcunque in Ecclesia docentur, è Scripturis confirmanda sunt: Ergo Scripturæ sunt perfectæ ad omnem salutis doctrinam sufficientes. Probatur antecedens plurimis Patrum testimonijs. Nã consequentiam vt probemus, nihil opinor est necesse. Origenes in Matthæum tract.25. *Debemus ergo ad testimoniũ verborũ quæ proferimus in doctrina, proferre sensũ Scripturæ, quasi confirmantẽ quẽ exponimus sensum.* Idẽ in Epist. ad Rom. c.3. *Post hæc vero, vt ei* (Paulo) *moris est, de Scripturis Sanctis vult affirmare quod dixerat: simul & doctoribus Ecclesiæ præbens exemplũ, vt ea quæ loquuntur ad populum non propriis præsumpta sententiis, sed diuinis munita testimoniis proferant. Si enim ipse tantus ac talis Apostolus authoritatẽ dictorum suorum sufficere posse nõ credit, nisi doceat in lege & Prophetis scripta esse quæ dicit: quanto magis nos minimi, hoc obseruare debemus, vt non nostras cum docemus, sed Spiritus Sancti sententias proferamus?*

II. Respondent aduersarij, ad priorẽ quidẽ locum Puteanus, tũ cum nulla est generalis, siue Ecclesiæ declaratio, sensus nostros absq; Scripturã fidem non facere: sensus autem intelligi cuiusq; priuati. At posteriore, Iesuitæ Ratisbonenses, moneri doctores, vt ne priuatas opiniones, sed diuinis nixas testimoniis, & ipsius Spiritus Sancti sententias proferant : non excludi autem Conciliorum & Ecclesiæ decreta.

III. Enimuero, quis hoc iuris Puteano concessit, vt quælibet assuat autoribus pro arbitrio, quo suã perficiat sententiam, ac tũ de tribunali tanquã nouus prætor pronunciet ita esse? Nã Origenis, neq; scopus, neq; verba hãc limitationẽ inferunt. Loquitur .n. vniuersaliter, pronuncians debere proferri sensum Scripturæ, tanquã genus aliquod iuramenti, quo nostri sensus, .i. ea quæ proferimus ad docendã Ecclesiã confirmẽtur. Hinc iam si excipiũtur ea quæ cõstant ex Ecclesiæ decreto, quid aliud quam mentitus arguitur Origenes? Illud aũt de sensu priuato, quam ineptum est κηροφυγετὸν? Dixit .n. Origenes, sensus nostros: at priuatos de suo Puteanus induxit. Et quis dubitat intelligi eorũ qui docent? Vult ergo ẽt Orthodoxos & Catholicos doctores, quoties aliquid proferunt in Ecclesia, toties proferre Scripturam. Atq;, id ipsum magis patet ex secundo loco, vbi ipsius Pauli exemplo nititur, vt facile intelligant omnes proprios sensus opponi, iis qui desumuntur ex Scriptura.

IV. Ratisbonenses autem recte dixerunt moneri doctos, ne priuatas sententias, sed diuinis nixas testimoniis proferant, nisi forte diuina illa testimonia latius proferant, vt solent Verbum Dei, Traditionibus vendicare: quæ tamen facile sermonis series ostendit ad Scripturam esse coarctanda. Itaq; habemus, quod quærimus. Nam si in vniuersum præcipitur, vt ea quæ proferũtur ad populũ, muniantur iis testimoniis, quis locus relinquitur soli traditioni? Non reiici autem Conciliorum & Ecclesiæ decreta, fateor recte admonitum, etsi intempestiue. Nam quis asserebat? Sed meminerint Iesuitæ, ex ea Origenis admonitione recte concludi, ea ipsa decreta non esse proferenda ad populum, nisi confirmata testimoniis Scripturæ. Quod cum sit, non ea sane reiiciuntur, sed legitimus indicatur modus , quomodo recipi possint & debeant. Sed isti tam sinceri sunt Theologi, vt quicquid in laudem profertur Scripturæ, vertant in Ecclesiæ ignominiam: Imo tam sunt tyranni, vt nisi, quę vendicant tanquam Ecclesiæ decreta, obtrudantq; quo iure, quaue iniuria, excipiantur obuiis vlnis absque vllo examine vllove æqui & iniqui discrimine, statim clamitent actum esse de Ecclesia, eiusque autoritatem pessundari. Quid iis agas? nisi mentem preceris saniorem?

V. Clementis Alexandr. Strom.7. aurea verba hæc sunt, οὐ γὰρ ἁπλῶς ἀποφαινομένοις ἀνθρώποις προσέχομεν, οἷς καὶ ἀνταποφαίνεσθαι ἐπ' ἴσης ἔξεστιν. εἰ δ' οὐκ ἀρκεῖ μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιστώσασθαι δεῖ τὸ λεχθέν, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον, ἣ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει. *Non est æquũ nos attendere simpliciter hominibus asserentibus: aduersus quos & nobis ex æquo licet assertione vti. Quod si non sufficit tantum proloqui id quod ita videtur, quin potius necesse est fidẽ astruere eorum quæ dicuntur, ne expectemus testimoniũ ab hominibus, sed confirmemus id quod in quæstionem venit; Verbo Domini, quæ omnium demonstrationum certissima est: imo vero sola est demonstratio.*

VI. Hunc mihi locũ obiicienti respondebat Gauterius Iesuita, τὴν τοῦ Κυρίου φωνὴν, non esse duntaxat Scripturam, sed maxime Ecclesiæ traditionem.

Itaque

Itaque hunc locum esse communem, tum enim etiam confirmari quæq; Voce Dei, cum confirmantur ex Traditione Ecclesiæ. Sed quid prodest λεπτολογεῖν, & misere syllabas aucupari? Nam totus contextus, tum præcedentium, tum sequentiũ clamat loqui Clementem non nisi de Scripturis, quas adeo nõ semel auiterum, sed nominat sæpius. Hinc sunt ista in præcedentibus, πότερον γὰρ ἀναιροῦσιν, ἢ συγκατατίθενται εἶναί τινα ἀπόδειξιν; οἶμαι πάντας ἂν ὁμολογήσειν αὐτοὺς τοὺς αἰσθήσεις ἀναιροῦντας· ἀποδείξεως δ' οὔσης, ἀνάγκη συγκαταβαίνειν εἰς τὰς ζητήσεις, καὶ δι' αὐτῶν τῶν γραφῶν ἐκμανθάνειν ἀποδεικτικῶς· ὅπως μὲν ἀπεσφάλησαν αἱ αἱρέσεις, ὅπως δὲ ἐν μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ καὶ τῇ ἀρχαίᾳ Ἐκκλησίᾳ, ἥ τε ἀκριβεστάτη γνῶσις, καὶ ἡ τῷ ὄντι ἀρίστη αἵρεσις. *Vtrum,* inquit, *prorsus omnem tollunt, an fatentur aliquam esse demonstrationem? Concessuros opinor omnes esse, iis exceptis qui etiam sensus auferunt. Iam si est aliqua demonstratio, necessario deueniendum est ad inquisitiones, atq; ex ipsis Scripturis demonstratiue discendum, tum allucinatas esse hæreses; tum esse in sola veritate, & antiqua Ecclesia exactissimã cognitionem, reueraq; optimam hæresin.* Sermo erat ad eos, qui Christianis obiicebant varias de religione sententias, indeque hæreses, vt docerent, nihil apud eos esse certum ratumque, respondet Clemens, quandoquidem negari non possit, esse aliquam dubias res demonstrandi viam, non esse id priuilegium denegandum fidei Christianæ. Esse autem certissimam hanc viam, vt ex Scripturis sententias diiudicemus. Imo vero, vt sciamus excludi ex hoc demonstrationis gradu Traditionem, hanc ipsam viam esse docet cognoscendi vtrum in antiqua Ecclesia, vera sit cognitio, quibus verbis, quis non videt, significari Ecclesiæ autoritatem in dubium venire, quoties nascuntur hæreses, adeo vt confugiendum sit ad Scripturas? Subiicit autem paucis interpositis, οἱ πονεῖν ἕτοιμοι ἐπὶ τοῖς καλλίστοις οὐ πρότερον ἀποστήσονται ζητοῦντες τὴν ἀλήθειαν, πρὶν ἂν τὴν ἀπόδειξιν ἀπ' αὐτῶν λάβωσι τῶν γραφῶν, *Qui libenter rebus optimis laborem impendunt, non prius absistunt ab inuestiganda veritate quam ab ipsis Scripturis demonstrationem sint assequuti.* Subsistunt igitur in medio cursu Papistæ, qui cum ad Traditiones ventum est, subsistunt. Quis miretur eos τῆς ἀληθείας ἁμαρτάνειν;

VII. Illa præcedebant: hæc sequuntur, Καθ' ἣν ἐπιστήμην οἱ μὲν ἀπογευσάμενοι μόνον τῶν γραφῶν πιστοί· οἱ δὲ καὶ προσωτέρω χωρήσαντες ἀκριβεῖς γνώμονες τῆς ἀληθείας ὑπάρχουσιν, οἱ γνωστικοί, *Iuxta quam scientiam* (eam nempe quam dixerat, quæ ex Scripturis fidem facit) *ij quidem qui duntaxat degustarunt Scripturas, fideles sunt, qui autem penetrarunt altius, ij veritatis exactam habent notitiam, nempe Gnostici.* Atque hunc locum pessime tractat Gentianus Heruetus in annotationibus, vt & multa non satis bene vertit. Nam illud προσωτέρω χωρήσαντες, interpretatur, *qui vltra ipsas processerunt Scripturas*, quasi Clemens significet, esse aliquẽ scientiæ gradum altiorem ipsis Scripturis. Pessime. Nam ille distinguit duos gradus eorum qui in Scripturis versantur. Priores vocat πιστοὺς fideles, posteriores γνωστικοὺς, cognitione præditos. Illos describit esse, qui tantum degustarunt Scripturas, hoc est, primorib. quasi labris attigerunt, adeo vt illis adhuc multa sint non cognita. Hos vero qui in iisdem diligentius versati, penetrarunt altius in earum intelligentiam. Atq; vt sciamus non tantum πιστὸν sed etiam τὸν γνωστικὸν in Scripturis detineri, non autem Scripturas esse quasi gradum quendam primum Gnostico substratum, quo nixus pergat vlterius, vt qui ab elementis pergunt ad integras scientias, is ipse Gnosticus his verbis, eodem libro describitur, Ὁ γνωστικὸς ἄρα ἡμῖν μόνος ἐν αὐταῖς καταγηράσας ταῖς γραφαῖς τὴν Ἀποστολικὴν καὶ ἐκκλησιαστικὴν σώζων ὀρθοτομίαν τῶν δογμάτων, κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον ὀρθότατα βιοῖ, τὰς ἀποδείξεις, ὡς ἂν ἐπιζητήσῃ, ἀνευρίσκειν ἀναπεμπόμενος ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἀπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν. *Nobis igitur solus Gnosticus, cum consenuerit in ipsis Scripturis, conseruans Apostolicam & Ecclesiasticam dogmatum dispensandorum rationem, exactissime iuxta Euangelium viuit, demõstrationes, quotiescunq; inquisierit, inuenit à lege & Prophetis, quo relegatus est à Domino.* Sic enim interpretari malo illud ἀναπεμπόμενος ὑπὸ τοῦ Κυρίου, quam cum Herueto, *vt qui emittatur à Deo.* Nam quid hoc significare potest, quod ad rem faciat? Eidem tamẽ assentior legenti ἀνευρίσκει, alioquin hiante sententia, sed illud ὡς ἂν ἐπιζητήσῃ, non recte mea sententia reddit, *vt quærit.* Interea, mens est Clementis perspicua, illum ipsum Gnosticum καταγηράσαι ταῖς γραφαῖς insenescere Scripturis, secundum eas viuere, ab iis demonstrationes petere. Itaq; vere dixi, per illud προσωτέρω χωρήσαντες, non intelligi aliquã Gnostici scientiam augustiorem Scripturis, sed penitiorem aliquam exactioremq; earundem notitiam, quam sit τῶν πιστῶν. Et huc omnia redeunt, vt contra Iesuitarum Sophisticen, manifestum fiat, per τὴν φωνὴν τοῦ Κυρίου Clementem nihil aliud intellexisse, quam Scripturam.

VIII. Basilius in Ethicis definit. 26. Δεῖ πᾶν ῥῆμα ἢ πρᾶγμα πιστοῦσθαι τῇ μαρτυρίᾳ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς εἰς πληροφορίαν μὲν τῶν ἀγαθῶν, ἐντροπὴν δὲ τῶν πονηρῶν, *Oportet quicquid fit aut dicitur, cõfirmari testimonio diuinæ Scripturæ, cum ad plenam bonorum certamq; persuasionem, tum ad malorum confusionem.* Non potuit disertius Omnia, inquit, quæ fiunt, quæq; dicuntur. Nimirum, quæ ad fidẽ, quæ ad mores spectãt. Estne aliquid præterea quod pertinet ad Ecclesiæ doctrinam? Nullus ergo locus superest Traditionib. non scriptis, nullus imperfectioni Scripturæ. Similis locus Cyrilli Hierosolymitani Catechef. 12. illuminatorũ, μὴ ταῖς ἐμαῖς εὑρεσιολογίαις πρόσεχε· δυνατὸν γὰρ ἴσως κατασοφισθῆναι. ἀλλ' ἐὰν μὴ προφητῶν περὶ ἑκάστου πράγματος δέξῃ μαρτυρίαν, μὴ πίστευε τοῖς λεγομένοις, ἐὰν μὴ καὶ περὶ τῆς παρθένου, καὶ τοῦ τόπου, καὶ τοῦ χρόνου, καὶ τοῦ τρόπου μάθῃς ἐκ τῶν θείων γραφῶν, μὴ παραδέξῃ παρὰ ἀνθρώπου μαρτυρίαν, *Ne meis commentis attendito, posses enim forte decipi, imo nisi de singulis rebus accepto testimonio, ne dictis fidem habeto, nisi (inquam) de virgine, de loco, de tempore, de modo, è Scripturis didiceris, ne admittito hominis testimonium.*

IX. Puteanus agnoscit vere loquutum esse Basilium. Quid ergo (inquam) causæ est quominus nostrum argumentum sit verum? Nã aliud profecto nihil voluit. Imo, inquit, non sequitur reiiciendam esse Traditionẽ, siue autoritatem Ecclesiæ. Enimuero, expectabam vt negaret etiam sequi, non mutuis vulnerib. fratres Thebanos occidisse. Nam cur non hoc æque, ac nõ reiiciendam esse Ecclesiæ autoritatẽ? Æque enim vtrumq; ex Basilio nos quidem cõcludebamus. Nisi forte nullam aliam esse velit autoritatem Ecclesiæ, quam Traditiones excogitare, hoc est, vt verum loquart quod ille olim λεπτολογεῖν, καὶ περὶ κάπνου στενολεσχεῖν. At nos contra censemus, tum veram stabiliri autoritatem Ecclesię, cum Scripturis sua cõstat perfectio omnib. numeris plena. Reiici autem hoc testimonio Traditiones, omnes vident, qui sciunt, quæcunq; è Scripturis autoritatem habent, vt habent sine dubio, quæcunq; earum testimonio confirmantur, ea non posse dici traditiones non scriptas.

X. Epiphan. hæresi 65. quæ est Pauli Samosateni, ἡμεῖς ἑκάστου ζητήματος εὕρεσιν οὐκ ἀπὸ ἰδίων λογισμῶν δυνάμεθα λέγειν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀκολουθίας· *Nos vniuscuiusq; quæstionis solutionẽ, non ex propriis ratiocinationib. dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.* Ratisbonenses Iesuitę respõdebant, taxari ibi proprie ratiocinationis figmenta à Scriptura aliena. Recte (inquam) si aliena intelligas, extranea; quod si tantum cõtraria, id vero omnino alienum ab Epiphanij mente, qui cum probare vellet, ὅτι ὁ ἐνυπόστατος Θεὸς λόγος, ἐκ πατρὸς φύσει γεγεννημένος ἀνάρχως καὶ ἀχρόνως; Deum verbum re vera subsistentem ex Patris natura esse natum absq; initio, & tempore, ex illo loco, *Ante Luciferum genui te*, quærẽtem inducit hæreticum, vnde probetur Luciferum, imo Angelos creatos esse ante cœlum & terram. Volens igitur huic satisfacere quæstioni, his, quæ citauimus, verbis ἀπαντιάζει. Itaque certum est Christianorum morem significare, qui adeo abhorrebant à figmẽtis alienis à Scriptura, vt quæcunq; in controuersiam caderent, ea solui debere agnoscerent ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀκολουθίας. At Iesuita vafer; alteram duntaxat partem assumit, eamq; suo commodo atq; arbitrio luxatam, vt reliquam dissimulet, in qua nodus est & vis argumenti.

XI. Chrysost. homil. in Psal. 95. *Non oportet quicquam dicere sine testibus, solaq; animi cogitatione. Nam si quid dicitur absq; Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdũ sermonẽ, vt friuolum auersans, interdum vt probabilem recipiens, verum vbi è Scriptura diuinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Bellarmin. & Puteanus, sensum esse dicunt, si quid dicatur ex propria inuentione, non ita facile persuaderi, ac si Scripturæ testimonio confirmari posset. Insulsissimum effugium. Nã primo non iuuat eorum causam. Quia enim Papistæ latiorem & vberiorem asserunt Traditionum autoritatem, quã Scripturæ, ergo oporteret facilius ea quæ dicuntur è Traditione cõfirmari, quam ex Scriptura, maxime, cum ipsam Scripturam non aliunde suam quoad nos autoritatẽ habere pertinaciter contendant. Secundo, Chrysost. docere vult, nihil dicendum sine testibus, solaq; animi cogitatione, assumit autem pro argumento ad id probãdum, generale axioma, videl. claudicare auditorum cogitationem, si quid absq; Scriptura dicitur. Ex legib. ergo bene argumentandi, necesse est propositionem esse vniuersalẽ. Sed nescio quod sit hoc hominum genus misere importunorum, qui nunquam volunt propositionem maiorem latius patere assumptione. Tertio, quid illud est, non ita facile persuaderi? Nam id quidem apud Chrysostomum non legas: Ergo hic etiam, vt alias, sibi isti censores eam arrogant autoritatem, vt quidlibet suo commodo adiiciant. Sed quo iudicio? Nam illud facile persuaderi vel intelligunt, ita vt suadeatur, etsi non μετὰ πληροφορίας, & cum certa persuasione, firmaq; vel vt ad summum gradum certitudinis perueniatur, omnisq; incertitudo excludatur. At prius Chrysost. concedit, cum fatetur aliquando recipi id quod dicitur tanquam probabile, sed innuit non sufficere in Ecclesia, nec suis functum esse partib. Doctorem, si sic incertos auditores relinquat, & tantum, vt ita dicam, ἐπιπολαίως persuasos, itaq; hoc non satisfacit. At supponit falsum posterius, quia Chrysostomus diserte asserit, quandiu non profertur Scriptura, omnino nihil esse firmi, sed auditores titubare.

XII. Hieronym. in Psal. 89. *Dicat mihi aliquis: Da mihi exemplum de Scripturis, vbi Iudæa sola insula dicta sit. Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis Sanctis, in ore enim duorum & trium testium stabit omne verbum. Non habet tantam autoritatem sermo dicentis, quantum Domini præceptum.* En tibi diserta verba argumenti nostri.

XIII. Puteanus negat Hieronymum voluisse vniuersaliter asserere de nullis rebus omnino nobis loquendum, quas non possimus Scripturarum testimoniis astruere. Ridiculum, inquam, quis enim omnium aliquando ita somniasset? Conuenit ergo, quibusdam omnino terminis coercenda esse infinita Hieronymi verba. Sed quibus-nam? Hoc opus, hic labor est. Nos dicimus eos terminos esse religionẽ, id est, fidem & mores, vt sensus sit, Christiano, maxime autem Doctori, nihil in medium proferendum, quod non confirmet ex Scripturis. Puteanus vero id pati non magis potest, quã latrones legum autoritatem. Et negat id esse Hieronymo propositum: Esse autẽ ex eius proposito hæc verba intrpretanda. Porro hoc tãtum Hieronymũ quærere, verum-ne sit in Scriptura Judæam vocari insulam, atq; hoc probandum esse ex Scriptura, vt sensus sit, quicunq; dixerit aliquid in Scriptura cõtineri, id eum ex Scriptura probare debere. Nos igitur vim inferre huic loco, ex hypothesi thesin inferentes. Et tamen si concederetur Hieronymum dicere omnia esse è Scripturis probanda, nihilominus non posse aliter intelligi quam de singulis, ac quidem tum cum suum aliquid proponunt, nec ab Ecclesia receptum.

XIV. Egregium acumen! quale nimirum Papisticum esse solet, multa mouens, vt nihil promoueat. Esse ex proposito verba interpretanda, quo sensu dictum est? Nam si significat non latius esse producenda, quam patet id particulare caput, de quo agitur, falsum est, est ridiculum, est absurdum, deniq; est papisticum. Sciunt enim omnes, quibus non est iudicium misere corruptum, thesin omnem quæ assumitur in argumentum, multo latius patere, quam hypothesin, alias nullam esse conclusionem, sed ἱπποπαίστην ἀδολεσχίαν καὶ φλυαρίαν. Sin vero intelliguntur ita, vt ex hypothesi genus sit inuestigandũ, idq; eligendum non alienum, assentimur & nos, nec consultius quicquam videmus, quam vt dicamus Hieronymum interpretandæ Scripturæ regulam proponere. Inciderat enim in explicationem huius versus qui primus est Psal. 96. *Dominus regnauit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ*, exponebatq; insulas multas Iudæam, & totum mundum. Atq; inibi alium obiicientem fingebat, debere probari ex Scripturis Judæam appellari insulam, ipsam etiam solam, non autem, debere probari, Judæam in Scripturis appellari insulam, vt Puteanus fingit, suum magis sectans commodum, quam veritatem amans. Quare totus sermo est de interpretãda Scriptura. Porro interpretationem Scripturæ rem esse religiosam nemo potest negare. Quia tamen nonnullis paulo durior videri poterat conditio, quæ non simpliciter probari volebat, sed probari ex Scripturis, ideo ratio statim subiungitur, *Omne quod loquimur debemus affirmare ex Scripturis Sanctis*, axiomate longe latius patente, quam ipsa interpretatione. Itaque non nos huic loc loco vim inferimus, sed ille totum fœde inuertit. Et sane, quid nos necesse erat inferre, cum ipsa autoris verba multo sint luculentiora omnibus aliis.

XV. Illud postremum, etiam si Hieronym. diceret omnia esse probanda è Scripturis, tamen non posse intelligi nisi de singulis, cum aliqui proprie suum proponunt, primo dicitur absque vllo argumento, tantum quia sic videtur hæresi Papisticæ commodum, in qua vt plurimum, est pro ratione

voluntas. Secundo seipsum sua absurditate euertit. Faciamus enim ita loquutum: Quicunque aliquid proponit proprie suum, & nondum ab Ecclesia receptum, is id probare debet ex Scripturis. Atqui, inquam, si nondum est receptum ab Ecclesia, est ergo aliquid nouum. Et vbi est grauissima illa Pauli protestatio contra aliter euangelizantes etiam Angelos? Vnde illud antiquorũ præscribi aduersus hæreticos ex nouitate? Rursus, quod quis proprie suum profert, quis exspectet vt probet è Scripturis? Nam hæ certe nõ seruiunt quorumlibet adinuentionibus, sed tantum veritati. Et regula est notissima non aliunde inferendum, sed ex ipsis Scripturis sensum esse veritatis capiendum. Itaque nihil aliud autor diceret, quam, si quis quid proferat, quod è Scripturis probari non potest, id ille debet è Scripturis probare. Μαίνετ' ἐπεί τις σωφρόνων τλαίη τάδ' ἄν.

XVI. In Matth. cap. 23. *Hoc, quia de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Hinc constat, quicquid proponitur alienum à Scriptura, hoc est, quod nequeat ex ea confirmari, siue quod non desumatur ab ea, ex æquo licere vel probare vel improbare, id est, nullam credendi necessitatem secum ferre, etiamsi alias non sit impium, itaque posse quemlibet pro arbitrio suscipere, vel contemnere.

XVII. Puteanus & Jesuitæ Ratisbonenses respondent, loqui eo loco Hieronymum solum de particulari illa quæstione, an Zacharias Barachiæ filius, fuerit pater Joannis Baptistæ. Importune. Imo, thesin applicat hypothesi, vt supra: nam illud, *quia de Scripturis non habet autoritatem*, argumentum est, quo reliquum probatur, scilicet, *hoc eadem facilitate contemnitur, qua probatur*. Et sic in formam debet redigi. Quicquid de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate cõtemnitur, qua probatur. At hoc, id est, Zachariam patrem Baptistæ, occisum esse inter altare & templum, non habet autoritatem de Scripturis. Ergo eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Quis non miretur nouum illud genus Dialecticæ, si maior non latius pateat, quam minor? Nam disputatio esset nugatoria, si enim non omnia reiicienda quæ præter Scripturam, ergo ne hoc quidem, ideo reiiciendum, quia præter Scripturam. Nam si ideo, ergo oporteret eam causam esse sufficientem ad aliquid reiiciendum. Quod falsum, si non omnia talia reiicienda. Denique conclusio esset ex omnibus particularibus.

XVIII. In Aggæi cap. 1. *Quæ absq; autoritate & testimonio Scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt atq; confingunt, percutit gladius Dei*, id est abscinditur, & autoritate diuina præcipitur reiiciendum. Duplex est aduersariorum solutio. Bellarminus, Ratisbonenses, Puteanus, alij dicunt Hieronymum agere solum contra illos, qui confingunt aliquid, & tamen videri volunt esse traditionem Apostolicam. Ita sane, inquam, quemadmodum Papistæ subinde faciunt, qui, si agamus de Iconolatria, de Jeiunio quadragesimæ, de Cœlibatu, statim clamant traditionem esse Apostolicam. Quid tum enim, si non à se confingunt, sed ab aliis excipiunt? Nam omnino figmenta oportet alicunde originem habere. Sed dissimulant totam vim huius testimonij, in verbis, *absq; autoritate & testimonio Scripturarum*, quæ indicant, hæreticorum esse, aliquid inuenire extra Scripturas, ideoq; reiiciendos. Nam alias inepta esset loquutio, quæ hæretici reperiunt, atq; confingunt absq; autoritate & testimonio Scripturarum, reiicienda sunt. Quasi vero, inquam, aut aliquid hæretici sponte confingere dici possint ex autoritate & testimonio Scripturarum, aut aliquid illi omnino confingere queant, non reiiciendum. Itaq; ne riducule videatur loquutus esse Hieronymus, *absq; autoritate & testimonio Scripturarum*, ita intelligendum est, vt vim habeat argumenti, & significet, quæcunq; proferuntur confirmanda esse ex Scriptura, alioquin numeranda inter hæreticorum figmenta?

XIX. Puteanus reliquis, subtilior ne an audacior? Interpretatur discerpens autoritatem à testimonio Scripturarum, vt autoritatem esse dicat Ecclesiæ, & sensus sit, ideo reiicienda hæreticorum figmenta, quia destituuntur non tantum testimonio Scripturæ, sed etiam autoritate Ecclesiæ. Quasi dixisset; *Quæ absque autoritate Ecclesiæ, & testimonio Scripturarum sponte reperiunt, atq; confingunt.* Portentosum commentum. Nam quis tam hospes in lingua Latina, tam ignarus Grammaticæ constructionis, qui nesciat vtrumque referri ad Scripturam, vt ea figmenta destituantur & autoritate Scripturæ, & testimonio Scripturæ? Duobus enim verbis eadem res est expressa, quorum altero contentus erat Hieronymus in proxime superiori loco, cum eo diceret esse contemnenda, quæ de Scripturis autoritatem non habent. Nec aliter sensit Andradius, non infimus in ordine Jesuitarum, cum eos taxari dixit, qui *Sacrarum literarum fide & autoritate* neglecta, conficta nescio quæ deliramenta obtruderent.

XX. Cyrillus Alexandrinus ad Euoptium, statim initio. *Oportebat ipsum vtpote in sacris exercitatum Scripturis, siquidem mens eius erat, de diuinuis mysteriis nobiscum miscere sermones, de solis Sacris literis nobiscum commentari, narrationemq;, vt sacra decet, contexere.* Theodoretum intelligit, magnum illum magni in Ecclesiasticis doctorib. nominis, quibus si non licet è Scripturis egredi, quantominus reliquis? Hunc tamen Cyrillus volebat disputantem argumentari, non tantum ex Scripturis, sed etiam ex iis solis. Et quidem ne id esse dicas tanquam ad hominem, ratio non prætermittitur, *vt sacra decet*, quę tria verba significant, indecorum esse cum de sacris disputatur, non argumentari ex Solis Scripturis.

XXI. Augustinus contra Maximinum lib. 3. ca. 14. *Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Neque ego huius autoritate, neq; tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunq; propriis, sed vtrisq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Optime! Magni erant nominis Concilia duo. Nicenum, & Ariminense, illud apud Catholicos, hoc vero apud Arianos, eorumq; fautores, & cum in certamen deueniebatur, opponebatur vicissim vtrumq; vtrisq; à Catholicis Nicenum, ab Arianis Ariminense. Augustinus non vult ita fieri, vult agi Scripturarum autoritatibus, reddita ratione, quod illa quidem Concilia essent eiusmodi, vt alternatim reiicerentur. Nam Ariani negabant apud se valere Nicenum, Catholici vero Ariminense anathemate feriebant: at Scripturæ erant vtrisq; communes, id est, iis se tam Catholici quam Ariani agnoscebant debere omnem reuerentiam, nullaq; ad eas exceptione vti posse. Et quidem ita volebat è Scripturis agi, vt non tantum res ipsæ, de quib. erat contentio, sed etiam rerum causæ, rationesque, id est, argumenta ipsa singula è Scripturis pondus sumerent.

XXII. Respondent, Andradius, Puteanus, Ratisbonenses, reliqui, ita loquutum esse Augustinum per concessionem, quomodo solebat Cicero multa, vt aduersarium iugularet, illi artificiose tribuere. At hoc merum est figmentum eorum hominum, qui nihil habent pensi, dum quid misere balbutiant, non quidem vt dicant aliquid, sed vt omnib. persuadeant se nescire tacere, imo vero erubescere, si vel tantillum veritati concedant. Bis miseri, qui neque pugnare possunt, neq; vinci patiuntur. At primo, non ita solent concessiones suas Rhetores exprimere, vt negent debere aliter agere. Augustinus autem, non tantum ait se concedere aduersario, vt seponatur autoritas Concilij Niceni, sed conceptis verbis negat, se id debere in medium proferre. Secundo, non tantum se negat vti debere autoritate eius Concilij, sed ne aduersarium quidem Ariminensis. Quid igitur? an placet, tantum per concessionem ab Augustino remotam Ariminensis conciliabuli autoritatem? Minime vero, neq; ille vnquam se ea consensisset vrgeri, erat enim hæreticum, quantumlibet Oecumenicum. Itaque clarum est Augustinum, non esse loquutum per Rhetoricam concessionem.

XXIII. Bellarminus causas nobis horum verborum promit, primam, vt Augustinus expeditius ageret: secundam, quia in iis quæstionibus, quæ tum erant disputandæ, exstabant Scripturæ clarissima testimonia, quæ sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis. Atqui vtraque hæc causa partim falsa est, partim Bellarmino inutilis. Prior falsa est, quia non tam solet compendium quæri, quam soliditas in refutandis aduersariis fidei. Quid enim promoueris si refutaris duntaxat per transennam? Deinde manifestum est Augustinum, non expedite, sed accurate & solide Maximini errorem ἐκ τῶν ὁμολογουμένων refutare, non vna clausula, sed longa oratione, quæ poterat omnia colligere. Est tamen etiam inutilis, quia sequeretur eos in disputationib. de religione ambages quærere, qui à Scripturis diuertunt ad Traditiones, quod egregie factitant Papistæ. Posterior falsa, quia Augustinum ostendit iniustam legem præscribentem aduersario, nempe non generalem, sed particularem, atq; vt vno verbo dicam, papisticam, quasi ita tum liberet Augustino ex Scripturis disputare, quia id sibi esset vtile, alias disputaturo ex traditione, si videret è re sua esse. Indignum facinus tanto viro, tam candido. Est inutilis, quia si verum est, tum cum de re aliqua exstant clarissima Scripturæ testimonia, tum ea præponenda esse omnib. Conciliis, verum autem etiam in iis quæ perspicue posita sunt in Scripturis comprehendi omnia fidem & mores continentia, tum certe nullum erit caput, in quo non præferenda sint Scripturæ testimonia, omnib. Conciliis, imo vero disertius, quod disputandum non sit ex Scripturis, relegatis in aliud tempus Conciliis, omnibusq; traditionibus. Quanquam velim Papistas sibi consentire. Nam in proximo libro, illi τὸ ὁμολογούμενον nobis obiicient, inter ea capita, quæ ex Scripturis probari non possunt, sed ex sola traditione habentur: Cum tamen hic Bellarminus fateatur de eo extare clarissima Scripturæ testimonia, & præferenda omnibus Conciliis. Ipsi viderint, ταῦτα γὰρ ἐμοὶ μελ.

XXIV. Theodoretus Dialogo 1. cap. 6. Orthodoxum ita inducit, quasi protestantem ad Eranistem: μή μοι λογισμοὺς καὶ συλλογισμοὺς ἀνθρωπίνους προσενέγκῃς. ἐγὼ γὰρ μόνῃ πείθομαι τῇ θείᾳ γραφῇ. *Caue mihi disceptationes humanas syllogismosq; protuleris. Ego enim in sola Scriptura acquiesco.* Auersabatur ergo in disputationib. de fide, cuiusmodi hæc erat illi præ manibus, quomodo inuisibilis videri potuisset, quęcunq; nõ probabantur ex Scriptura. Quid nos aliud? Ratisbonenses respondent, humanæ rationis figmenta, non autem traditiones, & præcepta Ecclesiæ nõ scripta taxari. Sed non attendunt versipelles duas esse loci partes, priorem qua sibi præcauet aduersus τοὺς λογισμοὺς καὶ συλλογισμοὺς ἀνθρωπίνους & hæc sane esto aduersus ea figmenta. Sed altera quid fiet, in qua soli se Scripturę fidem habere, aut si mauis, sola Scriptura persuaderi διαῤῥήδην βοᾷ: Nam ad hanc illi muti sunt, vt pisces. Videlicet Gorgonis aspectu in lapidem mutari: Ego mallem illis cor esse carneum.

XXV. Cyrilli Hierosolymitani locus est, πολλῶν αἴτιος ἀγαθῶν, Illuminatorum Catechesi 4. ταύτην ἔχε τὴν σφραγῖδα ἐν τῇ διανοίᾳ σου πάντοτε. ἥτις νῦν μὲν κατὰ ἀνακεφαλαίωσιν ἀκροθιγῶς εἴρηται, εἰ δὲ παρέχοι ὁ Κύριος μετὰ τῆς τῶν γραφῶν ἀποδείξεως κατὰ δύναμιν ῥηθήσεται. δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν. μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι. μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτά σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν, οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας ἀλλ' ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν. *Hoc semper in mente signaculum retineto*, (sanam intelligit de Trinitate fidem) *quod tibi iam nunc per summa capita leuiter propositum est: deinceps autem si Dominus concesserit, exponetur pro viribus, cum demonstratione ex Scriptura. Oportet enim ne minimum quidem aliquid tradere de Sanctis & diuinis fidei mysteriis absq; diuinis Scripturis, neque moueri probabilibus sermonum compositionibus. Ac ne mihi quidem hæc dicenti fidem adhibeto, nisi accepta eorum quæ ponuntur demonstratione, è Sacris petita Scripturis. Hæc est enim ratio conseruandæ nostræ fidei, quæ ducitur non ex ingenioso acumine, sed ex demonstratione diuinarum Scripturarum.*

XXVI. Puteanus contra hunc locum multa molitur. Primo, negat Cyrillum vniuersaliter loqui de singulis rebus, quę pertinent ad fidem, sed duntaxat de præcipuis mysteriis. At hoc euidenter falsum. Nam phrasis Græca μηδὲ τὸ τυχὸν, significat ne minimum quidem ac leuissimum, ne fortuitum quidem aliquid. Eamque Godrecius non satis bene expressit, per *temere quicquam*. Iam si ne minimum quidem, quid excipiet? aut cur tantum præcipua includet mysteria?

XXVII. Secundo, negat loqui Cyrillum in persona Ecclesiæ, aut ei nolle fidem haberi nisi quantum Scripturam citarit. Ridiculum. Quis enim audiit vnquam Ecclesiam aliquid docentem in propria persona? Et nõ potius Episcopos in Ecclesia? Ad hæc, nonne sermo est vniuersalis? Non licet, inquit, vel minimum aliquid proponi. Certe non potuit magis: non enim personas considerandas proponit, distinguendas-ve relinquit, vt his quidem liceat, illis minime, quæ Papistarum est προσωποληψία fidem ex personis metientium: sed res ipsas ponderandas obiicit, vt axioma sit omnino καθολικὸν nullique personarum exceptioni obnoxium. Imo (inquit Puteanus) hæc verba, *ne mihi fidem adhibeto*, ostendunt eum loqui saltem de quolibet priuato, & autoritate priuata cuiusque Episcopi, aut Concionatoris, quæ non potest æquari autoritati vniuersæ Ecclesiæ. O cæcam mendacij importunitatem. Primum enim nullus est inter Papistas tam miser Jesuitulus, qui nolit sibi licere testimonium à traditione petere, & quidem tam certum & irrefutabile, quam à Scriptura. Quod si instes, negabit ilico se hac lege teneri, vt

nihil loquatur nisi ex Scriptura. Et non citius audieris ab eo nominatam vel Ecclesiam, vel Traditionem, siue in suggestu ad populum, siue in disputatione, quam eum videas in pedes arrectum, triumphum canere, noua ἐλληνεύουσα noua parta victoria. Deinde, quis vnquam audiit Episcoporum in docendo priuatam esse autoritatem? Et quidem Cyrillus, erat Archiepiscopus, æque cum Romano, etsi ordine posterior.

XXVIII. Rursus aduerte Puteani sophisticen; Distinguit, nec tamen respondet. Neque enim indicat, quid probet vel improbet. Loquitur Cyrillus, inquit, de quolibet priuato, & autoritate priuata cuiuslibet Episcopi. Concedamus, si ita videtur. Sed placet-ne Papistis, vt nemo priuatus, siue etiā nemo Episcopus, aut Concionator, quicquam proferat in medium, de rebus religiosis, pⁿta de Purgatorio, de Imaginibus, de Inuocatione Sanctorum, de numero Sacramentorum, de Aqua benedicta, de Crucis adoratione, de reliquis magnis Papimanicis mysteriis, nisi fultum demonstratione è Scripturis? Hoc exspecto, hoc, inquam, exspecto, vt audiam, hoc queror à Puteano non definitum. Nam si non placet, ergo inutilis Puteani solutio, semper enim damnatur à Cyrillo docendi ratio, quæ apud Papistas inualuit, quamque nos impugnamus, populum docendi ex sola Ecclesiæ traditione. Sin placeat, quis non videt, quantum ipsi sibi infortunium parent? Si tamen infortunium esset, à mendacio ad veritatem resilire, sed infortunium tamen, quandoquidem suas ipsi fortunas omnes non in veritate, sed in mendatio collocarunt.

XXIX. Deniq; nego ex iis verbis, *ne mihi fidem adhibeto*, cogi in arctum præcedentia, sed indicari potius præcedentis enunciationis vniuersalis applicationem, siue descendi à thesi ad hypothesin, hoc pacto: Ne minimum quidem mysterium tradendum est absq; demonstratione petita è Scripturis, ergo ne mihi quidem ipsi, mihi, inquam, Episcopo, imo vero Archiepiscopo, fidem adhibere vllus debet, loquenti sine Scripturis.

XXX. Sed vt ratione, non sola audacia Puteanus disputare videatur, ex 5. Catechesi nonnihil excerpit, quo sperat se persuasurum Cyrillo cordi fuisse Traditionum non Scriptarum patrocinium. *Hanc igitur*, inquit, *esse mentem suam, ipse satis indicat catechesi sequente, his verbis, fidem vero si didiceris, & promissionem possidebis, & obserua illam à sola Ecclesia tibi nunc traditam, & ex omniis Scriptura munitam, Cum enim non omnes possint Scripturas legere & alios quidem inscitia, alios vero occupatio quædā impedit à cognitione, ne ob inscitiam animam perdas, in paucis versib. vniuersam fidei doctrinam comprehendimus. Et post. Videte itaq; fratres, vt seruetis traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite. His enim verbis Cyrillus testatur, & non esse necesse singulis vt norint Scripturam, & Scripturam non ita sufficere, vt non debeant singuli ab Ecclesia, & quidem sola petere, tum Scripturæ interpretationem, tum suam fidem.*

XXXI. At ego eam esse Cyrilli mentem, quam Puteanus indicauit, nego ex vllis eius verbis constare. Primum enim hęc ipsa catecheseos quintæ verba fœdissime corrupta sunt, adulterato sensu. *Testatur*, (inquit Puteanus) *non esse singulis necesse, vt norint, vel sciant Scripturam.* At hoc mendacium est, tantum enim dixit Cyrillus, non posse ab omnibus legi. Est autem aliud legere, aliud scire Scripturam, & ἀναλφάβητοι quidem nulli possunt legere, sed multi possunt scire Scripturam, cum alias, tum maxime à Pastorib. edocti. Et hoc Cyrillus voluit, cum dixit, quia non possint omnes legere, ideo paucis verbis fidem fuisse comprehensam. Rursus, *testatur* (inquit Puteanus) *Scripturam non ita sufficere, vt non debeat ab Ecclesia, & quidem sola peti Scripturæ interpretatio ac fides.* Iterum mendacium, non enim dixit, quia non sufficiat, sed quia non possit legi. Non sequitur autem, si Scripturam nō possint omnes legere, ergo esse non sufficientem. Rursus illud de sola Ecclesia, impostura est. Gręce: πίστιν δὲ ἐν μαθήσει καὶ ἐπαγγελίᾳ κτῆσαι, καὶ τήρησον μόνην τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας νυνί σοι παραδιδομένην. *Fidem vero in disciplina & promissione posside & custodi eam solam quæ ab Ecclesia tibi nunc traditur.* En tibi religionem! Fidem solam traditam ab Ecclesia seruandam, Cyrillus voluit. Grodecius, & post hunc Puteanus maluit, fidem à sola Ecclesia traditam, quasi nihil intersit, & non possit eadem fides & ab Ecclesia tradi & à Scriptura. Sua igitur Cyrillo somnia Puteanus imposuit.

XXXII. Et tamen, quod secundo loco notari volo, ita est stupidus, vt ne sic quidem interpellato Cyrillo concludat, quod proposuit. Quid enim? An si negaret Cyrillus necesse esse omnes nosse Scripturam, ideo sequitur Catechesi 4. eum loqui, aut de præcipuis tantum mysteriis, aut de quolibet priuato? Nullo modo. Nec magis, si diceret Scripturam non ita sufficere, vt non deberet ab Ecclesia peti interpretatio Scripturæ & fides. Nam etiamsi nobis certum sit Scripturam esse sufficientem, tamen hæc fieri debere omnino credimus.

CAP. IX.

An omnes hæreses refutentur è Scripturis.

I. SI omnes hæreses refutari & debent & possunt ex Scriptura: Ergo illa est ad salutis doctrinam perfecta & sufficiens. At prius verum: Ergo & posterius. Ratio consequentiæ inde petitur, quia si omne mendacium diruitur, tum necesse est omnem cōstitui veritatem. Etsi distinctæ sunt partes diruendi mendacij & constituendæ veritatis, possitque aliquando sic dirui mendacium refutando, vt non constituatur veritas, tamen non potest omne mendacium dirui, nisi constituatur omnis veritas, & quæcunque aliter refutationes instituentur, erunt particulares, hoc est, diruent aliquod duntaxat mendacium. Exempli gratia, poterunt Nestoriani refelli, vt tamen non explicetur vniuersa doctrina de vnione hypostatica, sed non refutabitur Eutyches. Poterit Sabellius funditus Trinitatem tollens refutari: at Arius negans τὸ ὁμοούσιον remanebit intactus. Poterit os obstrui Manichæo liberum arbitrium neganti: at non Pelagio eidem nimium concedenti. Qui vero doctrinam veram totam exposuerit in iis articulis, is eadem opera, omnes illos refutarit hæreticos.

II. Quin ipsa Scripturæ natura huc nos ducit. Nam cum dupliciter hæreses dicantur refutari, vel sigillatim omnib. iis recensitis & expositis, vel vniuersaliter positis quibusdam axiomatis, siue regulis, quæ postea singulis prout vsus venerit, applicentur. Scriptura sane priori modo, aut nullas, aut certe paucas hæreses refutat, vt Nicolaitarum, vt Phigelli, & si qui sunt alij. Restat ergo vt altero modo refutare dicatur. Nempe ex illa communi notione, Rectum esse index sui & obliqui. At hoc modo, ne cogitari quidem potest, quomodo omnes hæreses omnino refutentur à Scriptura, nisi ipsa contineat omnia capita veræ doctrinæ, quæ singularum hæreseon errorib. opponi queant. Itaq; consequentia est perspicua.

III. Antecedens probatur. Paulus 2. c. ad Rom. Γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, κατηχούμενος ἐκ τοῦ νόμου. Hæc verba dupliciter solent verti. Nam τὰ διαφέροντα, quidam interpretantur, vtiliora, eximia, pręstantiora, vt Syrus interpres, & vulgatus Latinus. Alij vero discrepantia, siue contraria, vt vir doctissimus Theodorus Beza. Et sane vtroq; sensu apud Gręcos ea vox vsurpatur. Sed Bezæ interpretatio videtur plenior. *Et nosti eius voluntatem & exploras quæ discrepant, institutus ex lege*, vt sensus sit, eum qui diligenti institutione & Catechesi eruditus sit in lege Dei, non tantum nosse voluntatem Dei, sed etiam explorare quæcunq; repugnant. Quæ verba argumentum confirmant nostrum, & illustrant quod dixi de hæreseon refutatione. Nam illud explorare, nihil aliud significat, quam singula quæ proponuntur examinare, comparando ad ea quæ sunt in lege.

IV. Quanquam non est, quod vehementer de vocibus contendamus. Nam & illa vulgata versio non est à nobis aliena. Sensus enim est eum, qui eruditus sit in lege, sic nosse Dei voluntatem, vt possit explorare vtiliora, siue iudicare de vtiliorib. nimirum, quæ sint fugienda tanquam deteriora, aut sequenda tanquam vtiliora. Dominicus à Soto annotauit, *Probas vtiliora, explicatio est agnitæ voluntatis Dei, quia scilicet, nosti per legem, non solum bonum & malum, sed bonum & melius.* Porro non possunt vtiliora eligi, nisi probata, neque deteriora vitari, nisi refutata.

V. Tertullianus de resurrectione Carnis cap. 3. *Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, vt de Scripturis solis quæstiones suas sistant*, (Latinus legit instruant) *& stare non poterunt. Communes enim sensus simplicitas ipsa commendat, & compassio sententiarum, & familiaritas opinionum.* Magnum loci pondus est, magnum argumenti nostri firmamentum. Hæreticos stare non posse, si ex solis Scripturis disputatio instituatur. Quid nos poteramus disertius? Respondent dupliciter.

VI. Puteanus concedit Scripturas bene intellectas, sufficere aduersus hæreticos, quasi nos supponeremus male intelligendas, peruertendas, corrumpendas, & ad hominum placita misere distrahendas. Absit hoc vero à nobis, vtinam etiam abesset à Papistis. Sed exponit bene intelligi Scripturas ab Ecclesia iuxta Traditionem. At quid hic opus erat? Non enim quæstio est, à quo Scriptura intelligatur, sed vtrum bene intellecta sufficiat, hoc si habemus, habemus quod quærimus hoc nostro argumento. Deinde, existimatne solam Ecclesiam legitime intelligere Scripturas? Omnes igitur doctores, imo non omnes simul, sed singuli, quid patiuntur? Sin omnes intelligunt, aut certe etiam si non omnes, saltem plures, saltem aliqui, saltem pauci, non potest non importuna esse limitatio. Ego vero assero, Scripturam legitime intellectam, non tantum ab Ecclesia, sed etiam à muliercula, sufficere aduersus hæreticos.

VII. Præterea illud, iuxta Traditionem, quid est, aut quorsum additum? Rursus enim importune ingeritur sermo, de ratione intelligendæ Scripturæ, quam necesse est in hac controuersia supponi bene intellectam. Et quid tum, si non ex traditione, sed ex reuelatione bene intelligatur, vt à Paulo? an ideo minus futura est efficax? Denique intelligere Scripturam, nihil aliud esse potest, quam sensum, quem intra se, vt ita dicam, scripta verba continent, nosse, non autem alienum intrudere, vndecunque acceptum. Quacunque ergo ratione eum sensum simus adepti, siue reuelatione, siue meditatione, siue institutione, tamen si bene intellecta Scriptura sufficit ad confutandos omnes hęreticos, tum oportet ipsam per se sufficere.

VIII. Iesuitæ Ratisbonenses dicunt Tertullianum agere contra eos, qui humana ratiocinatione inducti, negabant cum Epicureis, aliisque Ethnicis, resurrectionem, & de his aliisq; similibus, qui ea quæ credenda sunt, humana solum ratione conuellere nituntur, ita loqui. Sane vero, inquam. Sed quid tum? An propterea non loquutus generaliter est? Egregios Aristotelis discipulos, qui semper thesin metiuntur ex hypothesi. At nos vrgemus diserta verba, hæreticos, si cogantur ex Scripturis quæstiones instruere, non posse stare. Et notamus additam rationem, quia sensus Scripturæ indicantur, ex simplicitate, quam ego facilitatem, siue perspicuitatem interpretor, atque ex compassione sententiarum, familiaritateque sensuum, quæ illa ipsa est pura puta Analogia, quam nos docemus esse optimam rationem & interpretandę Scripturę, & disputandi ex Scriptura.

IX. Origenes in Matth. tract. 23. *Cum Dominus ad interrogationem Sadducæorum esse resurrectionem audire nolentibus, demonstrasset legis exemplo (sicut dixit Matthæus) silentium Sadducæis imposuit Iesus, volens ostendere, quoniam amaram & nociuam mendacij vocem obmutescere fecit claritas veritatis. Sicut ergo Saluator verbo doctrinæ suæ silentium imposuit Sadducæis, & falsum dogma quod apud illos veritas putabatur, conuicit fiducialiter: Sic facient & Christi imitatores, exemplis Scripturarum, quibus oportet secundum sanam doctrinam omnem votem obmutescere Pharaonis.* Admodum perspicue. Nam quemadmodum Sadducæos Christus compescuit opposita autoritate Scripturarum, ita vult Origenes omnes Christianos opponere Scripturas aduersariis veritatis. Nec diffitentur Ratisbonenses id faciendum. Quid igitur vltra contendimus? aut cur non idipsum opere pręstamus? Si sunt Catholici, si sunt Christiani Papistę, cur nobis sæpius opponunt Traditionem, quam Scripturas? Imo potius, cur contendunt non posse per Scriptutas hæreses refutari? Nam id proximo libro eos asserentes audiemus. Sed dant-ne ergo manus Ratisbonenses: Imo non sequitur (inquiunt) omnia scripta esse, aut Ecclesiæ autoritatem repudiandam. Inepte. Nam de repudianda autoritate Ecclesiæ, quis disputat? Aut quis negat esse aliquam, etiam concessa Scripturarum perfectione? Sequi autem, scripta esse, non simpliciter omnia, sed omnia ad doctrinam salutis necessaria, nos iam confirmauimus.

X. Chrysostomus in Ioannem homil. 58. Εἰκότως δὲ θύραν τὰς γραφὰς ἐκάλεσεν. αὗται γὰρ ἡμᾶς προσάγουσι τῷ θεῷ καὶ τὴν θεογνωσίαν ἀνοίγουσιν. αὗται τὰ πρόβατα ποιοῦσιν. αὗται φυλάττουσι, καὶ τοὺς λύκους οὐκ ἀφιᾶσιν εἰσελθεῖν. καθάπερ γάρ τις θύρα ἀσφαλὴς, οὕτως ἀποκλείει τοῖς αἱρετικοῖς τὴν εἴσοδον. *Merito ostium Scripturas appellauit. Ipsæ enim nos ducunt ad Deum, eique cognitionem aperiunt. Ipsæ oues & faciunt, & custodiunt, nec lupos intrare permittunt, instar enim ostij tutissimi, hæreticis præcludunt introitum.* Perspicua mens est. Certe, si per Scripturas arcentur hæretici, non est quod nego-

negemus ex iisdem refutari. Puteanus satis frigide respondet, non dici Scripturam vnicum ostium, quod ad nos nihil nunc pertinet. Non enim ex hoc loco omnia simul probare contendimus, sed hoc saltē, Scripturas esse ostium, quo hæretici arceantur, & quidem, non quidam, sed omnes. Hoc enim per se infert metaphora sumpta à re pastoritia. Nec enim aliquos tantum, sed omnes lupos arcet caulæ ostium.

XI. Opere imperfecto in Matth. homil. 49. *Tum cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, id est cum videritis hæresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis Sanctis Ecclesiæ, in illo tempore qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas.* Et post. *Quare iubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? Quia tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse vera Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ diuinæ.* Et paucis interpositis. *Nunc nullo modo cognoscitur volentib. cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas.* Rursus. *Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionē verrum in nouissimis diebus esse futuram, ideo mandat vt Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant nisi ad Scripturas.* Eximius, disertissimusq; locus, in quo multum varieq; se torquent aduersarij.

XII. Andradius, & Bellarminus, itemque Jesuitæ Ratisbonenses negant hoc opus imperfectum esse Chrysostomi. Alicuius Ariani potius, qui homil. 48. homoousianos numeret inter hæreticos, & quadragesima nona tota, prolixe aduersus eos declamitet. Solere autem Arianos ad Scripturas prouocare Catholicos. Ergo vero fateor Erasmum primum censuisse hoc opus non esse Chrysostomi, & habuisse sui iudicij causas, quas nolim impugnare. Esse autem Ariani hominis, non est ausus definire, tantum suspicatus est, & addit, nisi quis malit ab Arianis corruptum. Sed id vtcunq; sit, nostra non interest. Primum enim, non is solus est, qui pro nobis hac in re testimonium dicat, sed cum ante, tum post eum plurimi, omnino Catholici. Secundo, non sunt reiicienda, quæcunq; dicunt hæretici, sed sobrie expendenda, ac ne rigidissimi quidem austerissimiq; censores Jesuitæ. Nam hoc hominum genere, vix vllum noui adeo sui confidens, adeoq; insolenter censorium. Ne quidem igitur rigidissimi Jesuitæ ausint omnia repudiare, quæ in eius operis reperiuntur homiliis. Quinetiam ad stabiliendas Traditiones, nonne & Origenem citant, & Tertullianum Papistæ? Tertio Ariani à Catholicis nunquam in hoc tantā, & Tertullianum Papistæ? Tertio Ariani à Catholicis nunquam in hoc capite discreparunt, vtrum sint ad Scripturam reuocandæ omnes de religione quæstiones, quidam duntaxat aliquādo vrgebant τὸ ὀρθὸν singulorum verborum, & importune flagitabant, vt totidem literis, syllabisq; τὸ ὁμοούσιον legeretur scriptum. Quod recte Catholici non admittebant. Porro illi audacissime fecerunt, qui (vt notant Bellarminus & Ratisbonenses) in editione recentiori operum Chrysostomi, totum hunc locum eraserunt. Indicio certissimo, quid à Papistarum cōscientia exspectare debeamus, & ad Indicibus expurgatoriis. Nam etsi continuerunt se adhuc Indices, quos habemus è Belgio, & Hispania, intra marginales annotationes, & indices ad opera veterum, tamen vel ex hoc loco conijcere licet, maius aliquid moliri bonos illos viros, quod profiteri pudeat, & iuuet clanculum perficere. Portentosum inceptum, in hac tanta librorum copia, literatorumque virorum.

XIII. Sed Puteanus inflatis buccis grande nescio quid intonat, dedignatus reliquorum exceptionem ab autoris persona, magnum aliquid seque dignum Sophisma volutans animo. Audiamus. Ergo primum notat hæc, dicta ventura, tum cum diminutissimus, atq; obscurissimus futurus est status Ecclesiæ, non esse igitur ordinarium sufficiensq; florentissimo eiusdem statui. Secundo, id maximum futurum signum maledictionis à Deo, vt nulla sit præter Scripturam lucerna, non esse igitur aut solam, aut maximam à Deo benedictionem. Tertio, idipsum fore maximum signum aduenientis Antichristi, quod nullum sit Ecclesiæ nisi ad Scripturas perfugium, non esse igitur notam reformādæ Ecclesiæ. Quarto, spectare totum eius Patris sermonem ad Ecclesiæ cognitionem, vt ex ea cognoscatur & vera Scriptura, & verus Scripturæ sensus, & vera fides, non igitur iis prodesse, qui omnes abducunt ab Ecclesia, eamque denigrare conantur occasione Scripturæ.

XIV. Sed hæc tanto conatu, tam seuere efflata, ridicula sunt sophismata, imo etiam mendacia. Nam primo, etsi multa de aduētu loquatur Antichristi, tamen comprehendit etiam præcedentia Ecclesiæ tempora, iisq; hanc ipsam doctrinam applicat, atq; adeo omnes hæreses nominat, eam ob causam appellans exercitum Antichristi, quia ei omnes aliquo modo militant. Et sane verba hæc, *In tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias*, quo referri possunt, nisi ad eius autoris ætatem? Quid reliqua? *Antea multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, nunc autem nullo modo nisi per Scripturas: Quia omnia quæ sunt proprie Christi in veritate, habent & hæreses illæ in Schismate: Episcopos, Scripturas, Ecclesias, ordines clericorum, baptismum, Eucharistiam, ipsum Christum.* Hæc, inquam, quis credat de Antichristi temporib. diuinata, & non potius de præsentib. obseruata? Vt plurima eiusdem generis omittam. Quāquam, si non mentiretur Puteanus, esset q; verum autorem loqui tantum de temporib. Antichristi, tum sane hodie cum Antichristus non tantum venit, sed etiam reuelatus est, in eam nos deuenissemus necessitatem, vt Scripturis solis hæreses propulsaremus.

XV. Secundo, quod nam hoc genus est consequentiæ? Hoc dicitur de tēpore Antichristi: Ergo non est ordinarium sufficiensque florentissimo Ecclesiæ statui. Nisi forte Scripturam, itidem vt pharmaca, nolit in vsu esse nisi in morbis. At nos scimus Scripturæ vsum esse Christianis perpetuum, proinde ordinarium, nec aduersus omnes hæreses valere, ob aliam causam, nisi quia etiam tunc, vt prius omnem veritatem docent. Quid enim? Annon erit tum cum Antichristus veniet, omnis retinenda sana doctrina? An vero potius aliquatenus ab ea discedendum? Imo nunquam magis fides integra & retinenda & propugnanda, proinde Paulus ad Thessalonicenses non putauit aliter muniendos fideles aduersus Antichristi fraudes, quam his verbis κρατεῖτε τὰς παραδόσεις, *tenete traditiones quas accepistis.* Erunt ergo tum temporis sufficientes: at si tum, ergo semper. Multo nos melius aduersus Traditiones. Nam si tum temporis ex sola Scriptura agnoscitur Ecclesia, ergo non ex traditionibus. Quare tum certum est Traditiones fore insufficientes. Erunt igitur incertæ, nam id certum est, quod semper suam vim retinet. Si in certæ, ergo ne alias quidem sufficientes, quia in doctrina fidei, nihil esse potest sufficiens, quod non sit certum. Rursus, si tum non valent Traditiones, Ergo non nos illud improbamus, neq; educitur è Chrysostomi verbis.

XVI. Tertio, falsum est, ab autore perfugium ad solas Scripturas censeri maledictionem à Deo: proponitur enim tanquam remedium validissimum aduersus omnes eas confusiones, quæ appellari merito queant maledictio à Deo. Quemadmodum cum Petrus sermonem propheticum appellat lucernam in tenebris lucentem, nō dicebat esse tenebras, sed præsens aduersus tenebras remedium. Agnoscit igitur autor potius reliqua, quib. olim cum nullæ sunt hæreses, adiuuari possunt homines ad Ecclesiam cognoscendam, esse non perpetuo certas notas, & nunquam fallentes, sed aliquando tantum vtiles. Scripturam vero non tantum aliquando vtilem, sed etiam semper necessariam, & quidem tum maxime, cum irruunt hæreses.

XVII. Quarto falsum est perfugium ad solas Scripturas, poni pro signo aduentus Antichristi. Et hoc quidem prorsus de suo Puteanus & somniauit, & addidit, absque vlla verisimilitudine, vlla vel appparente causa, tantum quia addidit, absque vlla verisimilitudine, vlla vel appparente causa, tantum quia libuit puluerem magnum excitare. Rursus igitur dico proponi potius, sic libuit puluerem magnum excitare. Rursus igitur dico proponi potius, pro præsentissimo remedio contra hæreses, contra Antichristum, itaque recte à nobis censeri, non quidem notam (nam hoc nimis ἀκύρως dicitur) sed certe normam reformandæ Ecclesiæ, quando certum sit, etiam tum, cum omnia sunt in religione turbatissima, è Scripturis certissime agnosci veram Ecclesiam.

XVIII. Quinto, falsum est eius autoris id propositum esse, vt ex Ecclesiæ cognitione cognoscatur, & vera Scriptura, & vera fides. Nam illud quidem de Scriptura manifestam implicat contradictionem, si enim confugiendum ad Scripturas, vt cognoscatur Ecclesia, quomodo per Ecclesiam cognoscetur Scriptura? Nam id prius esse oportet cognitum, per quod aliquid aliud cognoscitur: itaq; si vtrumque esset verum, Scriptura simul esset & notior & obscurior Ecclesia, ὅπερ ἐστὶν ἀδύνατον. Fides autē à Scriptura certius discitur, quam ab Ecclesia, imo non cognoscitur ex Scripturis Ecclesia, nisi quatenus ab iis fides docetur, vt iam non tantum Scripturas, sed etiam ex Scripturis fidem, prius cognitam esse oporteat, quam Ecclesiam. Propterea diligenter autor Christinitatem copulauit & fidem., *Nulla*, inquit, *probatio esse potest veræ Christianitatis, neque refugium vllum volentium cognoscere fidei veritatem præter Scripturas.* Quia nimirum vera Christianitas, non est aliud quam vera fides, propterea vtramque peti docet, non nisi à Scripturis. Quare nihil Puteanus legitime potuit excipere aduersus hunc tam disertum locum.

XIX. Sed rursus argutatur. Si Chrysostomus obseruat, tunc eo maiorem futurum confusionem, quod nullum aliunde futurum sit lumen, quam à Scriptura: Ergo si Scriptura seorsim sumatur, cum solo priuato, non autem Ecclesiæ iudicio, ea obscura est, perplexa, turbulenta, variis iisque noxiis expositionibus opposita. Respondeo tum antecedens vitiose proponi, non enim ex perfugio ad Scripturam nasci Chrysostomus dixit illam confusionem, sed docuit aduersus eam confusionem nullum esse remedium nisi in Scriptura. Tum consequentiam esse inanem. Nam si Scriptura difficillima, obscura, perplexa, turbulenta, & quæcunque aduersus eam irati Papistæ debacchantur, tum omnino in ea nullum esset remedium aduersus hæreses, & Antichristi tyrannidem. Quanquam illud de iudicio priuato, cur additum est? Nam & nos illud improbamus, neq; educitur è Chrysostomi verbis.

XX. Augustinus in Epist. Ioan. tractat. 2. *Contra insidiosos errores, Deus voluit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se vult videri Christianum.* Quanquam pij Patris pia verba, mendacij accusabunt nostri Papistæ, qui se & Christianos & Catholicos videri volunt, & tamen contra Scripturas loquuntur quicquid splendida bilis suggerit, & obscuram, & imperfectam, & insufficientem, & nasum cereum, & turbulentam, & quid non? Sed ille bonus Pater, non poterat diuinare, ita degeneraturos Christianos, vt quibuslibet sui temporis hæreticis fierent deteriores.

XXI. Andradius hunc locum ita sophistice eludere conatur, vt dicat primo, tot ac tantis esse Scripturæ testimoniis Ecclesiæ dignitatem munitam, & corroboratam, vt Traditionum causa hinc possit Augustini testimonio mirifice defendi, eaq; dici maximum habere in Scripturis firmamentum, quæ Ecclesiæ sunt iudicio firmata. Sensus est, nam verba sunt paulo στοιχειότερα, positum esse in Scripturis firmamentum contra errores, quia in Scripturis valde commendatur auctoritas Ecclesiæ.

XXII. Sed hoc sophisma adeo est præter Augustini mentem, vt ipsum eius auctorem Andradium non mediocriter puduerit. Quando enim secundam adhibet respōsionem, id se dicit facere, ne ab Augustini mente & disputatione discedat. Et sane subiecto statim exemplo Augustinus docet, quomodo firmamentum illud intellexerit. *Cum se palpandum præbuisset*, inquit, *non illi suffecit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentium. Prospiciebat enim nos futuros. In quo palpemus, nos non habemus, sed quod legamus habemus. Si enim propterea illi crediderunt, quia venerunt & palpauerunt, nos quid facimus? Iam Christus ascendit in cœlum, non est venturus nisi in fine, vt iudicet de viuis & mortuis. Vnde crediturí sumus, nisi vnde & ipsos palpantes voluit confirmare? Aperuit enim illis Scripturas.* Ex his patet ita firmamentum dici, esse positum in Scripturis, vt inde credamus. Credamus autem, quomodo? Nempe quomodo Apostoli, cum illis Scripturæ aperiebantur. At id nullomodo significat, commendatam esse Ecclesiæ auctoritatem ad quam illi abirent docendi, sed, significat intra ipsas Scripturas, illis indicata singula mysteria fidei. Firmamentum igitur contra errores positum esse in Scripturis, significat Augustino, singulorum fidei mysteriorum ita expositam esse veritatem in Scripturis, vt inde solidissime hæreses refutari possint.

XXIII. Secundo igitur ait Andradius, valde esse præter rem, quæ de particularib. quibusdam mysteriis dicuntur, omnib. passim accōmodare. Nempe hæc illa est profundissima Jesuitarum Dialectica, quæ ex hypothesi, nunquam ascendat ad Thesin, imo quæ nullā adeo generalib. verbis conceptam Thesin offendat, quam non eneruet ex præsenti, quæ tractatur hypothesi. Et non aduertunt stolidi, toties se huc cogi, vt vix vllus iam sit articulus fidei, ad cuius demonstrationem, non fateantur Scripturas sufficere.

XXIV. Ambrosius, quisquis est, siue magnus ille Mediolanensis Episcopus, siue alius aliquis auctor commentariorum in Apoc. c. 4. *Sed quarendum*

dum nobis est, cum sedes Ecclesiam significet, cur in circuitu sedis, hac sedilia disposita esse dicantur. Nimirum, quia quisquis paterfamilias, qui domum suam tutam à latronibus, & inimicis esse desiderat, hanc aut muro, aut sepe, aut pariete circundat. Similiter Ecclesia, & contra hæreticos, & contra Paganos, qui fidem Christi in ea deiicere volunt, Veteris Testamenti libris munitur. Iustus Orgelitanus, explicatione in Canticum Canticorum. *Capite nobis vulpes, conuincite hæreticos, eorumq; versutias Sanctarum Scripturarum concludite testimoniis.*

Cap. X.

Testimonia Patrum de Perfectione Scripturæ.

I. PRæter has rationes, supersunt Catholicorum Doctorum testimonia plurima, quæ Scripturarum perfectionem, ita prædicant, ingeminantque, vt facile sit coniicere, vix quicquam fuisse primis sæculis magis persuasum Christianis omnibus, aut frequentius in ore. Quo magis nostra veniunt deploranda tempora, cum iis, qui maxime sibi Christianorum, Catholicorumq; nomen venditant, nihil tam solenne est, tamq; vulgatum, quam Scripturas calumniari. Quod cum alias, tum hinc apparet luculentissime, quod nihil sit iam olim tam diserte, tam explicate dictum in Scripturæ commendationem, quod non isti vel dente canino rodant, vel Sophistico artificio eneruent, vel deniq; impostore stylo peruertant.

II. Dionysius ille quisquis est, cui Areopagitæ cognomen vulgo, in Epistola ad Titum. Καὶ δρόσῳ καὶ ὕδατι τὰ θεῖα καὶ νοητὰ λόγια, καὶ γάλακτι, καὶ οἴνῳ καὶ μέλιτι παρεικάζεται, διὰ τὴν ζωογόνον αὐτῶν ὡς ἐν ὕδατι δύναμιν, καὶ αὐξητικὴν ὡς ἐν γάλακτι, καὶ ἀναζωτικὴν ὡς ἐν οἴνῳ, καὶ καθαρτικὴν ἅμα καὶ φρουρητικὴν ὡς ἐν μέλιτι. ταῦτα γὰρ ἡ θεία σοφία δωρεῖται τοῖς προσιοῦσιν ἀφθόνων αὐτοῖς καὶ ἀνεκλείπτων εὐωχιῶν ἐπίρροιαν χορηγοῦσα, καὶ ὑπερβλύζουσα. τοῦτο δὴ τὸ ἀληθῶς εὐωχεῖν καὶ διὰ τοῦτο ζωοποιὸς ἅμα, καὶ κουροτρόφος, καὶ ἀνανεωτική, καὶ τελεσιουργὸς ὑμνεῖται. *Et rori, & aqua, & lacti, & vino, & melli diuina spiritaliaq; oracula comparantur, propter eam quam habent vim procreandi, vt aqua, augendi, vt lac, recreandi, vt vinum, purgandiq; simul ac conseruandi, vt mel. Hæc enim diuina sapientia largitur accedentibus, lautarum illis nunquamq; deficientiũ epularum abundantiam suppeditans, imo profundens. Atq; hoc vere est epulari. Propterea laudatur, quod & generandorum, & nutriendorum infantium partes agat, insuper etiam renouet ac perficiat.* Hæc ille, κομπορρημόνων suo more, nihil enim solet loqui non per ampullas, & sesquipedalia verba, sed tamen accõmodate ad nostram quæstionem. Nam τὰ λόγια oracula perpetuo appellat Scripturas, adeo vt vix aliter vnquam reddantur à Perionio. Has igitur Scripturas dixit vtiles ad omnes partes incipiendæ, promouendę, perficiendæq; pietatis, deinde earum epulas ἀφθόνους καὶ ἀνεκλείπτους non tantum opiparas, largasque, vt in infinita copia, sed etiam nunquam deficientes, tertio eas epulas non tantum χορηγεῖν suppeditare, sed etiam ὑπερβλύζειν; quasi exundanti amne profundere, & quasi ista adhuc parua essent, deniq; τὸ τελεσιουργὸν additum. Quod si fideles Scriptura perficit, ipsam esse perfectam, ausitne iam aliquis negare?

III. Irenæus lib. 2. cap. 47. *Credere hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissime scientes, quia Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu eius dictæ.* Hæc ille, & Feuardentius annotat, Sacra scripta omnib. numeris perfecta esse, quod nos & volumus & vrgemus, dolemus autem Papistas ferre non posse. Quod autem de obscuritate Feuardentius subnectit, nihil nunc attinet examinare, cum pertineat ad aliam controuersiam suo loco tractandam.

IV. Idem lib. 4. cap. 66. *Dicemus aduersus omnes hæreticos, & primo quidem aduersus eos qui sunt à Marcione, & aduersus eos qui sunt similes illis, ab altero Deo dicentes esse Prophetas, legite diligentius id quod ab Apostolis est Euangelium nobis datum, & legite diligentius Prophetas, & inuenietis vniuersam actionem, & omnem Doctrinam, & omnem Passionem Domini nostri prædicatam in ipsis.* Consideratissime. Quid enim iam in Euangelio quærimus, quod sit extra Christi acta, Doctrinam, Passionem?

V. Iesuitæ in Ratisbonensi colloquio dupliciter posse hunc locum eludi putauerunt. Primo, per criticam restitutionem, legendum enim potius prędictam, quam prædicatam. Voluit enim Irenæus demonstrare, quomodo omnia quæ Prophetæ de Christo prædixerunt, Christus impleuerit, vt sensus sit, si Euangeliũ legamus attentius, similiter & Prophetas, videbimus omnia, quę in eo scripta sunt de Christo, prædicta fuisse à Prophetis. Secundo, etiam si seruetur lectio vulgata quæ *prædicata* habet, nullo modo intelligi posse, quod omnis Christi actio & Doctrina sit descripta in Prophetis & Euangelio, hoc enim apertere pugnare Scripturæ, Joan. vlt.

VI. Sed instamus: eam lectionis varietatem à Feuardentio margini adscriptam, haud esse magni momenti: Videri quidem prędictam paulo aptius vocabulum instituto Irenæi, vt in sequenti capite. *Vnde poterant prædicere Prophetæ regis aduentum, & eam libertatem quæ ab eo dabatur.* Sed eodem sensus redit: nam id prædicitur quod antequam euenit, dicitur. Atq; adeo Irenæus ipse seq. cap. non tantum annunciandi verbum tribuit Prophetis, sed etiã prędicandi. *Hoc enim ipsum prædicabatur*, inquit, *quoniam nouitas veniet*, & quæ sequuntur. Quod si ergo vniuersam actionem, & Doctrinam Christi Prophetæ prædixerunt, necesse est vt fateamur etiam dixisse: nam si non dixerunt, ne prædixerunt quidem. Præterea non tantum prædicta dixit Irenæus, sed dixit, quod in primis obseruandum fuit, ex lectione Prophetarum, & Euangeliorum inueniri prædicta esse. At si non vtrinq; omnia continentur, hoc est tum in Prophetis, tum in Euangeliis, fieri non potest, vt ex eorum lectione vllus percipiat prædicta. Quare necesse est Irenæum sensisse vniuersam actionem Christi, omnemq; eius Doctrinam contineri in scriptis, tum Prophetarum, tum Apostolorum, & quidem seorsim, videlicet omnem in Prophetarum, & rursus omnem in Apostolorum scriptis.

VII. Quod attinet ad Ioan. testimonium, nego id esse Irenæo contrarium. Ioannes enim loquitur de indiuiduis Christi actibus, puta, singulis mortuis suscitatis, singulis ægris sanatis, & similib. quorum sigillatim scimus enumerationẽ non contineri aut in Prophetis, aut in Euangeliis. Irenæus vero actiones omnes nominat καθ' ὅλου, hoc est, omne genus actionum, &, vt in scholis loqui mos est, nõ singulas generum, sed singularum genera, vt suscitare mortuos, infirmos sanare, cęcis visum, surdis auditum restituere, & similia. Atq; id facile constat, cuiuis ipsam tum eius capitis tum sequentis seriem consideranti.

VIII. Tertullian. aduersus Hermogen. cap. 22: *Adoro Scripturæ plenitudinẽm, quæ mihi & factorem manifestat & facta.* Quid est plenitudo? nisi eius rei perfectio, quæ omnia continet sua? Ratisbonenses Iesuitæ respondent, Tertullianum, agere de vno tantum fidei articulo, nempe quod Deus omnia ex nihilo, non ex præiacente materia condiderit, quod cum expresse in Sacris scripturis habeatur, dicit se adorare plenitudinem Scripturæ, quoad hunc articulum. Addunt non agere de tota Scriptura, sed de loco solum vnico Scripturæ, videlicet, *In principio fecit Deus cælum & terram.*

IX. Vt sunt sui semper similes Sophistæ. Enimuero quis neget agere tum tẽporis, eoq; loci Tertullianum de vnico articulo? Et illo quidem, de creatione ex nihilo? Nam totus contextus id facile arguit. Sed est tamen vsus argumento generali à plenitudine Scripturæ, quod accommodari queat omnib. aliis Doctrinæ partibus. Nimirum, sic oportebat eum, qui à Scripturis nollet discedere, in ea quæstione & explicanda, & definienda, generaliter præfari de eius perfectione. Nam si illam cõstaret esse imperfectam, insufficientem, mutilam, mancam, deniq; minimam reuelatæ veritatis particulam, quid obstitisset, quominus confidentissimus Hermogenes exciperet, adferre se mysteria quædam noua, nec antea scripta? Vt ergo hoc effugium præcluderetur, apposite laudatur eius Scripturæ plenitudo. Quid? nonne ridiculum esset, plenitudinem nominare, vnius duntaxat mẽbri aut particulæ habita ratione? Quid? ego plenum hominẽ dicam, vbi sunt crura integra, etiam si, vt solet post magnam in prælio stragem, desint brachia, forte etiam caput? Ego plenam Dialecticam admirer, in Isagoge Porphyrij, quæ non imperite tractat quinque voces.

X. Sed illud egregie falsum est, non totam Scripturam, sed vnicum eius versiculum designari. Contrarium enim apparet ex textu, quem Iesuitæ confidentiores quam prudentiores audent testem citare. Nam cum dixisset Tertullianus, se adorare plenitudinem Scripturæ, statim addit, *An autem de aliqua subiacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi.* O dignos homines, qui totam bibant Anticyram, si *nusquam* interpretari possint de primo duntaxat Geneseos versiculo! Sed vident omnes, quib. non est cerebrum σελωνιακόν, hanc esse Tertulliani mentẽ, quam dixi, vt nominata Scripturæ plenitudine, sibi aditum faciat ad argumentum quo Hermogenem voluit vrgere, nempe quod eius sententia non legeretur in Scriptura, veluti argumentaretur in hunc modum: Quæcunque non leguntur in Scriptura, ea non sunt docenda. At hoc Hermogenis non legitur in Scriptura. Ergo non est docendum. Negabit Hermogenes bonus hoc nomine Papista, maiorem. Sed eam Tertullianus ἐνθυποφορᾷ munit, cum plenitudinem dixit adorare, significans omnia ad fidem docenda plene contineri in Scriptura.

XI. Constantin. ille Magnus apud Theodoret. hist. Ecclesiast. lib. 1. c. 6. & apud Gelasium Cyzicenum de actis Synodi Nicenæ lib. 2. ca. 7. dicebat acerbum fore, inter se, Christianos contendere ἄλλως τε δὲ καὶ περὶ θείων διαλεγομένους πραγμάτων, καὶ τὴν τοῦ παναγίου πνεύματος τὴν διδασκαλίαν ἀναγραπτον ἔχοντας. Εὐαγγελικαὶ γὰρ βίβλοι, καὶ ἀποστολικαὶ καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα, σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ θείου φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι. *Cum alias, tum vero de reb. diuinis disputantes, atq; doctrinam sanctissimi Spiritus literis commendatam habentes. Libri enim Euangelici, & Apostolici, quinetiam veterum Prophetarum oracula, nos euidenter docent, ea quæ oportet credere de Deo.* Locus in multis, notatu dignissimus, cum propter Constantinum Imperio sane magnum, sed pietate longe maximum, cuius tot celebrantur labores in cõpescendis Ecclesiarum discidiis, quæ composito Satan mouere videbatur, vt Ecclesiæ libertatem tunc primum nascentem suffocaret, tum propter Synodum Nicenã exercitum illum Christi non tam numero insignem, quam sinceritate fidei munitum, cuius consessu primo, longam, disertam, piam orationem Imperator pronunciauit, in qua tum alia, tum hoc vehementi zelo Patrib. pro commonitorio proposuit. Senserunt aduersarij tantæ auctoritatis, tantum pondus, itaque nihil non moliuntur, vt declinare possint.

XII. Bellarminus primum impetum in ipsam facit Constantini personam, fuisse enim Constantinum, magnum quidem Imperatorẽ, sed non magnum Ecclesiæ Doctorẽ, præsertim secundum nouorum hæreticorum (quæ Iesuitæ est modestia) opinionem, & antiquorum Arianorum, nondum eo tempore baptizatum, ac proinde non omnium religionis arcanorum peritum.

XIII. At si nos quicquam auderemus eiusmodi, cum nobis Richeomus, Cotonus, reliqui, obiiciunt imagines ab eodem constitutas, si, inquam, exciperemus, non fuisse magnum Ecclesiæ Doctorem, quæ nos tellus exciperet? quæ lauri protegerent aduersus fulmina Iesuitica? Sed respondeo Constantinum fuisse non tantum magnum Imperatorem, sed etiam valde Christianum, istoque magis quam illo nomine celebrem. Mysteria autem fidei, non illi tantum sciunt, qui sunt magni Doctores, sed illi etiam qui sunt vere Christiani. Sic plurimi de rebus religiosis scripserunt solide, qui nullo Ecclesiastico gradu fungebantur, nedum magnorum in Ecclesia Doctorum: Iustinus, Arnobius, Lactantius, Minutius, Athenagoras, Boethius, atque alij magno numero, & vt Imperatorem Imperatori, comparem, Leonis Imperatoris homilias nuper Græce publicauit & Latine Gretserus Iesuita. Ac ne præiudiciis agam, legant studiosi hanc ipsam totam orationem, & facile deprehendent, non fuisse tum temporis imperitum Imperatorem mysteriorum fidei etiam altiorum.

XIV. Cæterum nondum fuisse baptizatum, sed post in extremo vitæ actũ constat, ex testimonio, non nouorum hęreticorum, aut veterum Arianorum, sed multorum olim vere Catholicorũ, quantumuis contra noui historiarum interpolatores contendant, inque iis maxime Cæsar ille Baronius, cui in historia texenda, iste videtur vnicus esse propositus scopus, vt quæcunque fabulæ faciunt ad Papismi commodum, eas suo nomine confirmet. Huius in hoc quidem negotio imposturas, alius aliquando nobis Deo propitio detegendi dabitur locus. Sed nunc, quid tum, si nondum erat baptizatus? Etsi hoc non debuit argumento Bellarminus vti, quod falsum omnino credit. Sed quid tum? *Ergo* (inquit) *non nouerat arcana religionis.* Itane? & sic solent Papistæ suis Catechumenis, omnino omnia fidei mysteria occultare? At non sic olim boni Patres, quorum infinitæ extant ad id Christianorum genus, Catechumenos (inquam) homiliæ, infiniti tractatus, in quibus nullum est fidei dogma, quod non accurate explicetur. Atque adeo Arnobius libros suos fertur scripsisse, antequam illum Ecclesia vel in Catechumenorum ordinem vellet admittere. Ambrosius nondum baptizatus, electus

ctus eſt in Epiſcopum: Auguſtinus ſcripſit contra Academicos, & de Beata vita, & de Ordine, & Soliloquia, & de Immortalitate animæ, & de Diſciplina, quæſtionibus vtique non paruis. Quid quod ipſe Conſtantinus in hac Concione, multa perſtringit reconditiora fidei myſteria? Ergo negatur conſequentia. Et quidem velim obſeruari, quanto ſpatio diſtent Catecheſes Papiſticæ ab antiquis. Nam hi ſuos Catechumenos docebant non pendere niſi à Scriptura: an enim putamus Conſtantinum in tanto cœtu, id temere effutiſſe, quod à nullo Doctore audiuerat. Sed & Hieroſolymitanum antiſtitem antea audiuimus ſuis φωτιζομένοις (Latini competentes appellabant à petendo Baptiſmo) iniungentem, vt ne ſibi quidem ipſi crederent, loquenti abſque Scripturarum teſtimonio. At apud Papiſtas nullum eſt hominum genus, quod magis pendere iubeatur à Traditionibus, quod magis arceatur à Scriptura, quam eorum qui tradunt ſe inſtruendos. Dignos ſcilicet patribus filios. O illi vtinam ſerio erubeſcant, qui vident non minus ſimilem eſſe noctem diei, quam eius magni regis, quem nuper in ſuas partes ſeduxerunt, inſtructionem, Conſtantini Magni item regis inſtructioni. Nimirum neceſſe fuit, aliter edoceri eum qui ab Ethniciſmo ad Chriſtianiſmum transferebatur, & eum, qui à Chriſtianiſmo ad Papiſmum rapiebatur.

XV. Canus lib.3. locorum Theologicorum cap. poſtr. negat Nicenos Patres omnia quæ Conſtantinus dixerat, fuiſſe amplexos. Vnde igitur habuit (inquam) diſſenſiſſe? Nam ſi nullus vnquam aut hiſtoricus, aut alius reſtatus eſt, tum profecto, id Canum diuinare neceſſe fuit. Et eius coniecturis, aliquis credat? At Theodoretus contrarium diſerte teſtatur. Τῆς συνόδου τὸ πλεῖστον τοῖς λεχθεῖσιν ἐπείθετο: *maxima pars Synodi dictis aſſenſit.* Sed hoc Canus ita eludit, vt dicat aſſenſiſſe Patres Conſtantino hortanti, vt poſita diſcordia quæſtiones explicarentur, & confiterentur omnes Apoſtolicorum dogmatum vnitatem. O pertinaciam! Vult ergo hoc ſaltem de Scriptura diſplicuiſſe. At ego duplici argumento contra defendo. Primo, quia Theodoretus dixit maximam partem aſſenſiſſe τοῖς λεχθεῖσιν, iis quæ à Conſtantino erant dicta, non autem partim probaſſe, partim non admiſiſſe. Ergo ſignificantur omnia placuiſſe, inter quæ & hoc de Scriptura. Secundo, quis credat Theodoretum Catholicum, ex tota oratione hanc duntaxat partem ſelegiſſe, quam αὐτολεξεὶ recitaret, quæ tamen non eſſet orthodoxa? Nam reliquam orationem cogit in ſummam, & κατ' ἀνακεφαλαίωσιν, ſuiſque verbis exponit, imo indicat potius, quam exponit: hanc vero particulam totidem verbis tranſcripſit, quod ſciunt, omnes fieri ſolere in locis maxime illuſtribus, notatuque digniſſimis.

XVI. Andradus noſtram exagitat imprudentiam, qui non excogitemus, tantum Arianis, qui Seleuciæ Iſauriæ conuenerant Conſtantini iſtam orationem olim arriſiſſe, vt eam ad Nicenam fidem euertendam, tanquam machinam compararint. Sed obiectum imprudentiæ crimen, ab homine Papiſta, imo vero Jeſuita, qui niſi quod ipſi facit, nihil rectum putat, facile diſſimulamus, ad rem ipſam reſpondemus, non eſſe aut nouum aut mirum, ſi aduerſus veritatem, ipſius veritatis arma vſurpare conentur hæretici, nec eſſe illa eam ob cauſam à Catholicis abiicienda. Itaque nulla ratio patitur, vt hanc Conſtantini orationem pro falſa habeamus, quia olim ea abuſi ſint Ariani. Nam ne à Scriptura quidem impias manus abſtinuerunt.

XVII. Bellarminus iterum obſeruat, Theodoretum, qui lib.1.cap.7. recitabat hanc Conſtantini orationem, eundem ipſum cap.8. referre, prolatas fuiſſe vtrinque Scripturas, & cum ex iis non conuincerentur Ariani, eo quod eaſdem Scripturas aliter exponerent quam Catholici, damnatos eos fuiſſe ex ſermonibus non ſcriptis, pie tamen intellectis. Sed hæc Bellarmini ſunt mendacio. Nuſquam enim Theodoretus dixit Arianos non potuiſſe conuinci è Scripturis. Non dixit damnatos fuiſſe è ſermonibus non ſcriptis, ſed contra potius ἐξ ἐγγράφων λέξεων, ex ſcriptis vocibus pie intellectis, qua de re agendum erit libro proximo: nam hunc ipſum locum nobis iterum opponent aduerſarij.

XVIII. Atque hæc fuerunt hactenus duntaxat præludia, & quaſi præiudicia quædam, quibus imminueretur loci dignitas, quam tamen fruſtra exagitarunt. Deinceps vertunt ſe alio, & ipſam ſententiam, quo iure quave iniuria crinibus prehenſam à nobis ad ſe pertrahere conantur. Primo Bulengerus ad Pleſſæi præfationem articulo decimo quinto. *Bonum* (inquit) *Conſilium, quum verba Scripturæ ſunt perſpicua.* Ridiculum, inquam: nam Conſtantinus id ipſum aſſerit, quod iſte reuocare videtur in dubium, videlicet, eſſe perſpicua Scripturæ verba. Σαφῶς, inquit, ἐκπαιδεύουσι: *euidenter docent*, interprete Chriſtophorſono *manifeſte erudiunt*, interprete Lango apud Nicephorum, lib.8.cap.16. *plane inſtruunt*, interprete Camerario, vt teſtatur Canus. Quare hæc ridicula Bulengeri exceptio, nihil eſt aliud quam plena confeſſio.

XIX. Bellarminus, Andradius, Canus, Puteanus, contendunt his Conſtantini verbis non reiici Traditiones Quod quis credat? ſiquidem verum eſt. Traditionibus cum perfectione Scripturæ tam bene conuenire quam luci cum tenebris, quam affirmationi, & negationi. Sed id tamen conantur variis argumentis perſuadere. Canus ita interpretatur: *Cum Scripturæ ipſæ, & Eccleſiæ miniſterium, & Traditionum auctoritatem non obſcure commendent, profecto ſenſu numinis plane nos inſtruunt, docent enim ſenſum numinis ſiue ſcripto, ſeu verbo traditum, iuxta eſſe tenendum.*

XX. Sed hæc, præter audaciam, nihil habent ponderis. Neque enim quiſquam dictus eſt aliquando plane & perſpicue aliquid docere, qui tantum indicauit locos, vnde id poſſit haberi, alias ipſe Canus, qui duntaxat locos communes enumerauit, in quibus vera refellendi vniuerſos Chriſtianæ religionis hoſtes, confirmandique ſacra dogmata, ratio & vſus exacte oſtenditur (ſic enim magnifice pollicetur libri titulus) Canus, inquam, hoc exantlato labore, dicendus eſſet totam Theologiam perſpicue docuiſſe. Imo vero, quia lib.11. eos indicat & laudat auctores, è quibus hiſtoria commode peti poteſt, hoc ipſo tam facile conatu, hiſtoriam vniuerſam euidenter docuiſſe comperietur. Quæ ſi ſunt abſurda, non poteſt eſſe non ridicula hæc interpretatio.

XXI. Sed refutatur etiam ex contextu. Primum enim Conſtantinus acerbas dicebat eſſe Chriſtianorum contentiones, cum haberent τοῦ παναγίου πνεύματος τὴν διδασκαλίαν ἀναγράπτως, Spiritus Sancti doctrinam ſcriptis mandatam. At hæc verba hunc ſenſum efficiunt, earum rerum, de quibus contentio eſſe poteſt inter Chriſtianos, dogmata, è quibus doctrinam conſtare neceſſe eſt, ſcripta eſſe. Quis autem credat vnum idemque eſſe doctrinam ipſam, & Doctorum indicem? Imo interrogo Cani conſcientiam, ſi ea reliqua eſt vlla, vtrum διδασκαλία ἀναγράπτως Latine ſignificare poſſit Traditiones non ſcriptas. Secundo, Conſtantinus concludebat in hæc verba: ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν: quæ Chryſtophorſonus ſic interpretabatur, *Literarum diuinitus inſpiratarum teſtimoniis res in quæſtionem adductas diſſoluamus.* Vnde apparet ita ſenſiſſe Conſtantinum, vt earum ipſarum rerum, quæ in quæſtionem venerant, ſolutio depromeretur ex ipſis Scripturis. Atqui quantumlibet Eccleſiam commendet Scriptura, tamen aliud eſt, cum quæſtiones ſoluuntur ab ea, aliud cum ſoluuntur ab Eccleſia. Exempli gratia, ſi quæratur vtrum pueri baptizati ſint ab Apoſtolis ipſo facto, (nunc enim de iure nihil interrogo) vel vtrum mulierib. tradita ſit Euchariſtia ab iiſdem, reſpōdebit mihi Eccleſia (ſic enim volunt Papiſtæ) vtrumque eſſe factum, & eam Eccleſiam mihi commendari à Scriptura, ſed tamen ipſi Papiſtæ negabunt mihi has quæſtiones ſolui à Scriptura, & recte, ſi (nunquam) de facto interrogemus. Denique ne multis morer, tu ipſe, Cane, nam te cur non teſtem citem aduerſus te ipſum? Tu ipſe (inquam) definiſti multa pertinere ad Chriſtianorum doctrinam & fidem, quæ neque aperte, neq; obſcure in ſacris literis continentur. Itaq; hæc interpretatio eſt inepta.

XXII. Bellarminus paulo aliter, eorum omnium dogmatum, quæ ad naturam Dei pertinent, extare in Scripturis teſtimonia, & poſſe nos circa ea dogmata plene & plane inſtrui ex Scripturis, ſi eas recte intelligamus, verum tamen ſenſum Scripturarum pendere ex Traditione Eccleſiæ non ſcripta. Mirum vero tantum Jeſuitam, tam leui ſophiſmate delectatum. At quem illi audiit aliquando negantem Scripturas eſſe recte intelligendas? Sed aut nugatur, cum intelligentiam nominat Scripturarum, aut neceſſe eſt fateatur, ipſam intelligentiam eſſe ſcriptam. Eſt enim aliud nihil, quam aſſequutio ſenſus verborum propoſitorum, qui ſenſus tum dicitur ſcriptus, cum ſcripta ſunt verba, quibus ſignificatur. Ac proinde, ſi ex Scriptura bene intellecta, plene & plane poſſumus inſtrui, tum ſane oportet omnem ſenſum, id eſt, totam doctrinam, quæ neceſſaria eſt ad plenam planamque inſtructionem, contineri in Scriptura. Rurſus ergo, vt paulo ante Bulengerus, ita nunc Bellarminus id omne concedit, quod nos ex Conſtantini teſtimonio probatum volumus.

XXIII. Sic igitur infeliciter interpretati ſunt. An vero ſanius argumentabuntur? Audiamus. Canus igitur ſic, *Concitatæ & ineruditæ concionis eſſet, ſtatim in procemio verba dicentis retundere, eius præſertim qui bona fide loqueretur. An mox cieri turbas æquum eſſet, & id impudenter anteuertere, quod erat in Concilio magna vi & contentione tranſigendum? Illud enim Ariani præſcripſerant, ſeſe in fidei quæſtione præter Scripturas nihil omnino recepturos.* Hæc Cani verba ſunt, admodum obſcura, ſed mentem ſpero me diuinando conſequutum. Senſus eſt igitur, hanc quæſtionem fuiſſe paulo poſt agitandam in Concilio inter Catholicos & Arianos, Sitne omnino nihil admittendum præter Scripturam: Itaque non debuiſſe Conſtantinum ſtatim initio præripere definitionem ſua oratione. Improbitatem vide! Bellarminus ſe non putabat eſſe iniurioſum in Cōſtantinum, cum ei detraheret cognitionem myſteriorum fidei, iſte nunc nos credit, pene dixerim, maieſtatis, reos, ſi de oratoria laude nonnihil detrahitur. Sic vident Sophiſtæ feſtucam in oculo proximi, in ſuo trabem non ſentiunt.

XXIV. Sed Canus ſupponit falſum. Nunquam enim is ſtatus fuit quæſtionis inter Catholicos & Arianos, imo Catholici facile conſentiebant, non niſi ex Scripturis cauſam eſſe iudicandam. Atque adeo Alexander Alexandrinus, literis ſuis ad omnes Epiſcopos ſcriptis, Arium, Ariique ſocios accuſat hoc nomine, quod præter Scripturam ſuos errores commenti eſſent: ποίας δὲ παρ' αὐτοῖς γραφὰς ἐφευρόντες λαλοῦσιν ἐστὶ τοῦτα; οὐκ ἀεὶ ὁ Θεὸς πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν ὅτε ὁ Θεὸς πατὴρ οὐκ ἦν. *Quæ autem illi præter Scripturas inuenta loquuntur hæc ſunt: Non ſemper Deus Pater fuit, ſed tempus aliquando fuit, quando Deus Pater non fuit*, & reliqua quæ ſtatim ſubnectuntur addita compendioſa è Scripturis refutatione, cui hæc ſubiiciuntur; ὧν τε λέγοντες καὶ ἀναπτύσσοντες τὰς θείας γραφὰς πολλάκις ἐνετρέψαμεν αὐτούς; *hæc ſuggerentes, & diuinas Scripturas explicantes, eos ſæpenumero conuicimus.* Adeo iam ante congreſſum in Concilio Catholici erant certi, ſe Scripturarum teſtimoniis ſuperaturos. Cur ergo recuſaſſent conditionem, ſi eam Ariani obtuliſſent? Ita ne veriſimiliter quidem Canus eſt commentatus. Fateor Arianos præterea voluiſſe ipſiſſima vocabula totidem ſyllabis legi in Scriptura, idque Catholicos negare eſſe neceſſarium. Sed primo id illis in mentem videtur veniſſe poſt Concilium, occaſione τοῦ ὁμοουσίου, quam vocem ſuis errorib. contrariam, hoc prætextu acriter inſectabantur, quod non legeretur. Deinde Conſtantinus de ea quæſtione nihil in concione definiuit, loquebatur enim non de vocabulis, ſed de rebus ipſis, ſunt enim concepta verba ἅπερ χρὴ περὶ τοῦ Θείου φρονεῖν, quæ oporteat ſentire, non vero quib. vocibus vti oporteat loquentes de Deo. Eſt enim, τὸ φρονεῖν, τῶν ἐν τῷ νῷ ὄντων σημεῖα πλεῖν τῇ φωνῇ.

XXV. Andradius, ratione pugnat, deinde teſtimonio Gregorij Cæſarienſis. Primo igitur, non de vniuerſa modo Scriptura, ſed de vna quauis vnius parte dici poſſe, plane inſtruere nos numinis integerrimum atque diuinum ſenſum, cum nulla ſit in qua non excellens aliqua atque perſpicua diuinæ voluntatis atque myſteriorum ratio reſideat. Sed ſenſum numinis ambigue dictum, à neſci oquo hunc locum vertente, Græca melius exprimunt ἅπερ χρὴ περὶ τοῦ Θείου φρονεῖν, id eſt, interprete Caſſiodoro, *quid de ſacra lege ſapiamus:* Chriſtophorſono autem, *quid de diuino numine ſentiendum ſit*, & Lango apud Nicephorum, *quæ de Deo & dicere & ſentire oporteat.* Quod cum ita ſit, merito negamus de ſingulis Scripturæ particulis id intelligi poſſe, quod Conſtantinus pronunciauit. Primum, quia poſſunt eiuſmodi Scripturæ loci obſeruari, qui obſcuriores ſint, quam vt adhuc intelligantur, in Prophetis, in Apocalypſi, in reliquis, qui ſi ſunt obſcuri, certe non σαφῶς ἐκπαιδεύουσι. Secundo, quam multæ ſunt partes Scripturæ continentes humanarum rerum duntaxat hiſtoriam, quam nemo poſſit niſi valde ἀκύρως & vocabulis importune abutens, appellare diuinæ voluntatis ac myſteriorum rationem? Tertio phraſis ipſa, ἃ χρὴ φρονεῖν, nullo modo intelligi poteſt de particulis aliquot doctrinæ ſiue myſteriorum, ſed generaliter ſonat omnia, quæ ſcienda ſunt, vt Actor.11. ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε; *quæ Deus purgauit*, id eſt, omnia quæ Deus purgauit, & vigeſimo ſexto, *vt deſignarem te miniſtrum ac teſtem.* ὧν τε εἶδες, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι, *tum eorum quæ vidiſti, tum eorum in quibus apparebo tibi.* Quibus exemplis addi poſſunt infinita. Quarto, quid ille Andradij ſenſus profuiſſet Conſtantino? Nam is perſuadere volebat,

non

non esse Christianis Episcopis dissentiendum in rebus fidei. Id autem quomodo probasset, si addidisset singulos è Scriptura locos aliquid nos docere de sensu numinis? Annon potius vident omnes inde illi fuisse ducendum argumentum, quod omnia quæ in controuersiam venire poterant, iam erant definita in Scriptura? Nam certe si quæ alia manebant non definita, non poterat Scriptura, siue illam ὅλως consideres, siue κατὰ μέρος, impedire, quominus reuocarentur in dubium.

XXVI. Nunc profligata ratione, examinemus testimonium. Contendit igitur Andradius, Constantini mentem ex iis literis petendam esse, quas Gregorius Presbyter Cæsareæ Cappadociæ apud Metaphrasten, ad Theophilum scripsit, de Niceni Concilij, Constantiniq; rebus gestis, in quib. hæc Constantini oratio multo vberius continetur, & Conciliorum dignitas mirum in modum extollitur, demonstraturq; ex quib. fontibus eorum decreta sint potissimum haurienda. Subiicit autem locum *ex iis literis in hæc verba. Agedum, Patres, omni studio & diligentia efficiamus, vt per Propheticas prædictiones, & Apostolicas Traditiones sit exæquatio & comprehensio Veritatis, extra turpe & indecorum fratrum odium, & inanem doctrinam. Graue enim fuerit, si multiplicis deorum cultus impietate dissoluta, & nobis subiectis hostibus, & bellis sedatis ciuilibus, non ensibus nos inuicem fideles, sed dogmatibus feriamus, & Euangelicam doctrinam, quæ est simplex & non artificiosa, & vim habet non in verbis, sed in factis, doctrinæ disceptatione, & verborum varietate conemur euertere. Deo ergo & Patri, & vnigenito Filio Patris, & viuifico Spiritui, eorum, quæ nunc à nobis exquiruntur, permittentes reuelationem, persequamur inquisitionem, præstabimus enim vt nos quoq; prompto & alacri animo adsimus, & simus participes certaminis & laboris, vsq; ad finem reuelationis eorum quæ vera sunt. Credimus enim fore, vt nos inspiret aduentus Domini Spiritus, per quem erit firma ac stabilis nostra fides, omni hæretica opinione vacua, & expers malæ de Deo sententiæ.* Hæc Grægorius ille: ex quibus Andradius duo capita selegit specialiter consideranda. Primum, Conciliorum dignitati tantum ab Imperatore tribui, vt eorum placita ac definitiones numinis sempiterni oracula audeat appellare. Secundum, Traditionum vim cum Prophetarum oraculis eundem copulasse? vt veritatis ducem, neque à sacris literis diuellendam. Ex quib. concludit, non esse quod ad Traditiones labefactandas, Constantini augustissimum nomen & pietatem opponamus. Hæc Andradius, magnis animis, vt Jesuitæ solent, confidentissimum hominum genus.

XXVII. Respondeo, primum multo certius Constantini mentem disci ex ipsius Constantini verbis, quam ex alterius, nescio cuius, ad placitum ficta paraphrasi. Esse autem, quæ recitauimus Imperatoris verba, non tantum ex Theodoreto apparet, qui cum reliquæ orationis summâ suis verbis collegisset, hanc perorationis particulam αὐτολεξεὶ recitauit, sed etiam consensu aliorum, Cassiodori, & Nicephori, maxime autem ex Gelasio Cyziceno, qui orationem descripsit integram, vnde mutuatus est Alphonsus Pisanus Jesuita, transtulitque in suum de Nicæno Concilio librum secundum. Quis autem non plus deferat Prototypo, quam Apographo? Quis Gregorium illum, quicunque tandem sit, melius credet expressisse sensa Constantini, quam ipsum Constantinum?

XXVIII. Secundo, nego quicquam esse in ea paraphrasi, quod argumenti nostri vim eneruet vel tantillum. Vocat, inquit, Cõciliorum definitiones, Spiritus oracula. Imo non vocat, inquam, tantum pronunciat se sperare eorum quæ exquirebantur reuelationem à Deo. At sciunt omnes duplex esse genus reuelationis, alterum immediatum, quale erat olim Prophetarum & Apostolorum, qui à solo Dei Spiritu agebantur, alterum mediatum, quum studiis alicuius ita benedicit Deus, vt veritatem, quæ vel se, vel etiam alios latebat, assequatur. Prioris generis Reuelationes, oracula solent appellari, posterioris non item. Loqui autem Gregorium de posteriori, satis patet ex ipso contextu, in quo & vult Inquisitionem Patres persequi, & certamen ac labores nominat, quæ certe priori generi cõuenire non possunt. Quanquam quid hoc totum de Conciliorum dignitate & auctoritate, ad rem pertinet? Nam etsi verum est magnam illam esse, nihilominus verum est, Scripturam plane docere, quæ de Deo sentienda sunt.

XXIX. Ad Traditiones autem quod attinet, dico à Gregorio nominari Apostolicas Traditiones, pro Apostolicis libris. Est enim Traditio cõmune nomen scriptis rebus, & non scriptis, proinde generalitas illa determinanda est ex circumstantiis. Non potest autem negari hæc Gregorij, *per Propheticas prædictiones, & Apostolicas Traditiones esse pro his* Constantini Εὐαγγελικαὶ βίβλοι, καὶ Ἀποστολικαὶ, καὶ τὰ παλαιῶν Προφητῶν θεσπίσματα. Itaque si, quod nemo neget, Propheticæ Reuelationes sint, τῶν Προφητῶν θεσπίσματα, sine dubio Apostolicæ Traditiones erunt pro libris Euangelicis, & Apostolicis, non autem pro Traditionibus non scriptis, vt putabat Andradius. Et denique nemo quicquam protulit, quominus Constantinus testimonium dixerit pro Catholicis in hac quæstione.

XXX. Accedat ad Constantinum Athanasius, magnus Episcopus & Doctor Ecclesiæ ad magnum Imperatorem. Is exhortatione ad Monachos, si modo illius id opus est; *Cura in Canonicis ponenda est salubriter monumentis. Non quod Apocrypha debeamus præsertim ignorata damnare, sed quod ad scientiam Dei, digestam Canonis seriem putemus posse sufficere.* Audin' scientiam Dei? cognoscisne idem esse, quod apud Constantinum, ἃ χρὴ περὶ τοῦ Θείου φρονεῖν? Putabat ergo hic auctor libros Canonicos ad eam scientiam sufficere. Propterea que in illis Monachos volebat exerceri. O infœlicem hodiernorum Monachorum sortem! quibus nullus est monitor Athanasius, itaque non possunt non bonas horas perdere in Traditionibus non scriptis. Nam illæ cum omnibus Papistis proponantur, his tamen singulariter pascendis seruiunt.

XXXI. Sed longe illustrissimus locus est initio orationis contra Gentes, quem vt declinent, quid non commenti sunt Papistæ? Semper audaces qui ne ἐπ' αὐτοφόρῳ quidem deprehensi erubescere norint. Sed ipsum prius Athanasium audiamus. Αὐτάρκεις μὲν γάρ εἰσιν αἱ ἁγίαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ, πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. Breuissimus, sed illustrissimus locus, & vere ἀπόφθεγμα, aureis describendum characterib. *Sufficiunt Sanctæ, diuinitusq; inspiratæ Scripturæ, ad veritatis annunciationem.*

XXXII. Sufficiunt, dixi, quia sic Glossarium vetus τὴν αὐτάρκειαν sufficientiam reddidit. Non videtur tamen satis augustum Latinis in præsto esse vocabulum, quod suo pondere Græcum referat. Nam τὸ αὐταρκὲς ipsa sui cõpositione indicat intelligendum id esse, quod per se sufficiens est, ne mihi posthac Papistæ obiiciant Scripturam sufficere; quia monstrat Ecclesiam, commendatq; Traditionem. Nam id si est sufficere, etsi non est quidem, sed tamen si est, saltem non est per se sufficere.

XXXIII. Iuuat autem ex bonis auctoribus eius verbi vim obseruare. Vetus est Stoicorum Sententia, αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Eam sententiam nonnulli reddunt, *in quo virtus sit, ei nihil deesse, ad bene beateque viuendum.* Alij, *Se ipsa contentam esse virtutem ad beate viuendum.* Neutri male. Sed Seneca, ipse Stoicus, multo augustius Epist. 85. *Virtus ad explendam beatam vitam sola satis efficax. Sed & τὴν αὐτάρκειαν* ab Aristotele nominatam Ethnicor. ad Nicomach. lib. 1. cap. 7. Perionius vertit, *eam abundantiam rerum, quæ se ipsa contenta est.* Lambinus, *copiam quæ per se ipsam homini satis est, & copiam per se ipsam abunde bonis cumulatam.* In annotationibus autem in eum locum, num. 36. *Pluribus*, inquit, *verbis hæc vox αὐτάρκεια, cui nulla respondet Latina, fuit declaranda. Est autem αὐτάρκης, is qui suis bonis contentus, satisque copiose instructus est, quiq; nullus externas opes desiderat.* Hæc Lambinus. Noster Athanasius in libro de Decretis Synodi Nicænæ; cum dixisset, αὐταρκοῦς ὄντος τοῦ Θεοῦ τὰ πάντα αὐτουργεῖν. Petrus Nahnius vertit, *Quum Deus sufficiat per se ad omnia creanda.* Tatianus contra Græcos, cum diceret τὴν αὐτάρκειαν ἀσκῶν, Interpres quisquis fuerit, expressit, per *animi tranquillitatem nihil extra se suamq; sortem desiderantis.* His omnib. longe antiquior Herodotus lib. 1. ὡς καὶ ἀνθρώπου σῶμα ἓν οὐδὲν αὐταρκές ἐστι, τὸ μὲν γὰρ ἔχει, ἄλλου δὲ ἐνδεές ἐστι. *Hominis corpus vnum nullum est perfectum; sed hoc quidem habet, illo autem caret.* Ergo hoc autore illud est αὔταρκες, de quo dici non potest, quod vnum aliquid non habeat. Polyb. lib. 3. εἰ μέν τις ὑπολήψεται πρὸς πᾶσαν περίστασιν αὐτάρκης ὑπάρχειν. Casaubonus vertit, *Si quis putauerit satis sibi in se vno esse præsidij aduersus omnes casus.* Theophylact. in Joan. 18. copulauit, τὸ αὐταρκὲς εἶναι & nullo indigere, ἐνδοῦ γὰρ δηλοῖ, καὶ τῆς παρ' ἡμῖν βασιλείας τὸ εὐτελές; ὅτι ἐν ὑπηρέταις ἔχει τὴν ἰσχὺν, ἡ δὲ ἄνω αὐτάρκης ἐστὶν, μηδενὸς δεομένη. *Hic ostendit nostratis regni defectum, cuius sit, in ministris robur, at cœleste per se sufficiens, nullius indigum.*

XXXIV. Hoc igitur vocabulo tam diserto, tam efficaci, tam augusto, cum sit vsus Athanasius, facile apparet hanc ei mentem fuisse, vt diceret, Scripturam ipsam per se & solam perfecte sufficere, ad docendam veritatem. Cui succenturiatus addi debet Vincent. Lyrinensis initio commonitorij, αὐτάρκειαν Scripturarum suis verbis sic exprimens, *Perfectus est Scripturarum Canon; sibiq; ad omnia satis superq; sufficit.* Ita ille cap. 2. sed & rursus quadragesimo primo. *Canon solus sibi ad vniuersa sufficit.* Et ne quis nostro Athanasio hunc locum temere excidisse suspicetur, idem in Epist. ad Serapionem, de Spiritu S. quod non sit creatura. Nemo, inquit, interroget, sed solum ex sacris literis discito. αὐτάρκη γὰρ τὰ ἐν αὐταῖς κείμενα περὶ τούτου παραδείγματα. *Sufficiunt enim per se quæ in eis sunt monumenta ad hanc rem.*

XXXV. Bellarminus, Athanasium negat dixisse, Scripturam sufficere ad omnem veritatis instructionem, sed tantum ad veritatis indicationem. Et Puteanus hoc ἕρμαιον ambabus vlnis lætus excipiens, indicationem explicat nihil aliud esse, quam cum res aliqua ex parte significatur tanquam è longinquo, crassa minerua, atq; in genere tantum. Volunt igitur Athanasium dicere, non quidem plenam haberi posse demonstrationem, atq; intelligentiam è Scripturis, sed saltem aliquo modo. Verum hoc effugio nihil illiberalius. Nam indicationis vocabulum, Nannij est interpretis, non Athanasij autoris, qui Græce ἀπαγγελίαν nominauit. Hæc autem in veteri glossario est, *Nunciatio, Renunciatio*, vt τὸ ἀπαγγέλλειν nunciare, apud Phauorinum τὸ μηνύειν, τὸ διηγεῖσθαι. Vsurpatur autem pro prædicatione Euangelica, Matth. 12. Actor. 16. ad Hebr. 2. 1. Joan. 1. & alias, vbi à Latino interprete exprimitur per nunciare, & annuntiare, à Syro autem per verbum ברז, quod est proclamare, promulgare, adeo vt τὸ κηρύσσειν, eadem voce reddatur, vt 10. ad Rom. Quis autem dicat Euangelij prædicationem esse nudam, & aridam, atq; etiam αἴνιγμα τινὸς indicationem?

XXXVI. Aliquo modo autem haberi veritatis siue demonstrationem, siue indicationem è Scripturis, nunquam dixit Athanasius, alias quam ridicule dixisset, eas esse sufficientes αὐτάρκεις? Puteanus igitur suo more, id est Papistico, id sibi finxit audacter. Apud Athanasium hoc legas paulo post locum à nobis recitatum, esse præter Scripturas sanctas, alios etiam sanctorum libros, οἷς ἐάν τις ἐντυγχάνῃ, εἴσεται μὲν πως τὴν τῶν γραφῶν ἑρμηνείαν; *quos si quis euoluat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem.* Quare, si illud *aliquo modo*, Puteano imperfectionem significat, vt vere significat, tum ea non erit in veritatis indicatione ex Scripturis, sed in Scripturarum interpretatione ex Patribus, id est iuxta Papistarum idioma, in traditionib. non scriptis. Seruet ergo Puteanus, seruent Papistæ, illud πως *aliquo modo* suis deliciis, suo Verbo non scripto: nobis ne sint molesti adorantibus, τὴν τῶν γραφῶν αὐτάρκειαν, plenitudinem Scripturæ, ex Tertulliano.

XXXVII. Bulengerus, sed & cum eo Puteanus, ita legi locum dicunt, *Sufficiunt autem per se tum diuinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem, tum plurimi de eadem re libri à sanctissimis magistris conscripti.* Voluisse itaq; Athanasium ostendere duo esse media ambo sufficientia ad agnoscendam veritatem, nempe Scripturam & libros Patrum. Non ac(c)eri igitur traditiones. Enimuero si quid delirat interpretes, plectine oportet veritatem? Nam hæc sophistice nititur solo Latinæ versionis peccato: Græca enim aliud sonant. Adscribo locum integrum, αὐτάρκεις μὲν γάρ εἰσιν αἱ ἁγίαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ, πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. εἰσὶ δὲ καὶ πολλοὶ τῶν μακαρίων ἡμῶν διδασκάλων εἰς ταῦτα συνταχθέντες λόγοι, οἷς ἐάν τις ἐντυγχάνῃ, εἴσεται μὲν πως τὴν τῶν γραφῶν ἑρμηνείαν. Quæ verba Latine ita reddo, ex iam demonstratis. *Scripturæ ad explendum veritatis præconium solæ satis sunt efficaces. Sunt vero etiam multi sanctorum magistrorum libri, in quos si quis incurrat, assequetur quodammodo Scripturarum interpretationem.* Quis iam non per se videt, non id esse Athanasio propositum, vt duo media sufficientia designet, siue vt Bulengerus mauult, doceat sufficere partim Scripturam, partim libros Patrum, sed vt sufficientiam totam vindicet Scripturæ seorsim & per se, libros autem Patrum tanquam non inutile medium, ad eas Scripturas intelligendas? Itaq; merum erat mendacium illud Puteani, in quod incidit etiam Bellarminus, cum ita loquitur, *Athanasius ibidem addit Scripturas quidem sufficere ad indicationem veritatis, tamen non sine explicatione sanctorum Patrum.* Et quis (malum) hos nobis Theologos dedit tam non religiosos?

XXXVIII. Ratisbonenses Athanasium loqui malunt de sufficientia Scripturæ ad fidem faciendam, & ideo sufficientem esse ad indicationem veri-

ritatis, quia ex parte sui nulla alia indigeant probatione. Adeo patum sibi constant, ὁ τ̃ ψδύδες ὑπεσχαωσι. Nam paulo ante Bellarminus & Puteanus volebant indicationem, aliquid esse adeo exile, & tenue, vt vix procul & è lõginquo ac quasi per tenebras monstraretur veritas. Hic vero intelligit summam autoritatem probandi demonstrandiq; veritatem. Illi viderint, quomodo suas res componant. Sed ἀπαγγελίας nomen latius patet, quam probationis, etsi non est quod curiosius inquiramus: nam probari certe veritas non potest, nisi doceatur, ergo si Scriptura per se sufficiens ad veritatem probandam, profecto oportet etiam non esse imperfectam ad eandem docendam: nam quicunq; probat, & docet. Deinde contextus satis patefacit mentem autoris, qui se profitetur ad Macarium scribere, vt nonnulla illi exponeret pro viribus pertinentia ad fidem, δυνάμεως μὲν, inquit, καὶ ἀπὸ τῶν θείων λογίων ταῦτα εὑρεῖν, φιλοκάλως δὲ ὅμως καὶ παρ' ἑτέρων ἀκούειν; qui etsi poterat ea ipsa inuenire ex sacris oraculis, audiebat tamen libenter ab aliis, atque rationem reddens, quare dixit potuisse illa ipsum inuenire, hęc subiunxit de sufficiẽtia.

XXXIX. Hæc leuiora fuerunt hactenus, quasi tentamenta. Nunc suam illam comicam ἑλέπολιν Bellarminus adhibet, qua nullum locum non sibi expugnatu facilem Papistę promittũt, illam scilicet machinam, quæ adeo caute nouit thesin ex hypothesi contrahere. *Loquitur Athanasius*, inquit, *non de omnibus dogmatibus, sed solum de duobus, quæ sunt argumenta duorum librorum ad Macarium, videlicet quod idola non sunt Dij, & quod Christus sit verus Deus, & similiter homo, quæ duo habent in Scripturis expressa testimonia.* En tibi illum vero, qui legiones difflat spiritu, quasi ventus folia, aut panicula tectoria.

XL. Sed fallit Bellarminus. Primum enim, non id legitimum est, aut integrum eorum librorum argumentum, quia multo plura in iis tractantur præter ea duo capita. In priore, de origine τ̃ κακίας καὶ τ̃ εἰδώλων, de eorum excusatione qui per imagines dicunt cognosci Deum, & eorum qui negant se colere lapides & ligna: Patrem Christi esse verum Deum, hominis animam esse rationalem & immortalem. In posteriore, nunquam Christus probatur esse homo, sed causa incarnationis inquiritur, disseritur multis de morte & resurrectione, tum ad Christianos, tum aduersus Judæos & Gentes. In vtroq; autem libro, ea ipsa capita admonentur plenius & certius disci ex Scriptura quã ex traditione. Non erant igitur duo tantum dogmata, vt volebat Bellarminus, sed longe plura, & quidem è præcipuis.

XLI. Secundo, ne ad illa quidem omnia quæ sic tractantur capita, coarctanda est hæc sententie, sed generaliter sumenda τ̃ ἀληθείας ἀπαγγελίας, pro vniuerso veritatis præconio, vt solet hypothesis ex Thesi confirmari. Pollicetur enim se Athanasius, ὀλίγα τῆς κτ̃ Χριστὸν πίστεως expositurum Macario, qui quamuis ea posset è Scripturis sibi comparare, tamen ab aliis studiose solebat audire, ac tum statim nostrum hoc subnectitur ἀπόφθεγμα, ac si diceret, quia Scripturæ sufficiunt ad explendum veritatis præconium, ideo potuisse Macarium, inde illa petere. Atq; ita ventosus ille Bellarmini conatus abiit in ventos, nosterque permanet Athanasius, magnifice prædicans eam ipsam Scripturarum perfectionem, quam Catholici adorant, Papistæ blasphemiis impetunt.

XLII. Chrysostomus homil. 9. in post. ad Timot. εἴ τι μαθεῖν, εἴ τι ἀγνοῆσαι χρὴ ἐκεῖθεν εἰσόμεθα. εἰ ἐλέγξαι τὰ ψευδῆ, καὶ τοῦτο ἐκεῖθεν, εἰ ἐπανορθωθῆναι, καὶ σωφρονισθῆναι, πρὸς παράκλησιν πρὸς παραμυθίαν εἴ τι λείπει καὶ χρὴ προστεθῆναι. Hæc sic reddita legas ab incerto interprete. *Si quid vel discere, vel ignorare opus sit, illinc addiscemus, si arguere falsitatem, inde hauriemus, si corrigi, si castigari, ad exhortationem, ad solatium, si quid desit, & oporteat adipisci, ex ea nihilominus discimus.*

XLIII. Bulengerus negat Chrysostomum dixisse omnia doceri à Scriptura: Quem ego quidem nunc credo repente factum Arianum. Ariani enim quicquid non totidem literis & syllabis pictum videbant, negabãt esse in Scripturis, eaq; importunitate negotium facessebant Catholicis. Sic iste, nouo nunc œstro percitus, obfirmat se, vt quia horum verborum, *Omnia docentur à Scriptura*, nõ potuit puerorum in morem numeratis singulis elementorum characteribus, totidem syllabas componere in eo textu quem recitauimus, ideo audacter neget legi apud Chrysostomum. Ita nobis res tandem futura est cum pueris, aut saltem repuerascentibus, qui constantes viros nacti esse credebamus, quibuscum de veritate sobrie disceptaremus. Patientur cordati omnes, nos ab hoc puerili nugamento prouocare ad τὴν διάνοιαν, vt ex hoc probemus omnia doceri à Scriptura. Nam si inde haurienda sunt & quæ discenda, & quæ ignoranda, quid sit reliqui? nisi forte nobis tertium aliquod genus excudunt Papistæ.

XLIV. Ratisbonenses respondent, omnia ex Scriptura disci, aut immediate, aut mediante Ecclesiæ autoritate, quam ipsa nobis Scriptura commendat. Ita sane, inquam, omnia discuntur à Scriptura, vel immediate, cum ipsa per se legitur, & attenditur diligenter, vel mediate per Ecclesiam, id est, cum οἱ ἀναλφάβητοι, vel alij, qui Scripturæ libros ipsos legere non valent, ea tamen quæ scripta sunt, docentur, suggerente illis Ecclesia, vel doctorib. in Ecclesia constitutis. Atq; hoc prorsus est quod volumus, & vnde perfectionem probamus Scripturæ. Nam alioquin, quemadmodum nemo se à patre Logicam didicisse gloriabitur, qui à patre missus sit ad Parisiensem Academiam, sic omnino ridiculus sit, quicunq; ἐκεῖθεν, hoc est, è Scripturis contendat omnia disci, non aliam ob causam, nisi quia Ecclesia (quam Scripturæ laudant) omnia doceat, quæ tamen neq; habet, neq; habere potest è Scriptura.

XLV. Idem homil. 9. in Epist. ad Coloss. Μηδὲ περιμένῃς ἕτερον διδάσκαλον. ἔχεις τὰ λόγια τ̃ Θεοῦ. οὐδεὶς σε διδάσκει ὡς ἐκεῖνα. *Ne alium expectato doctorem ac magistrum, habes Dei eloquia, nullus te docet sicut illa.* Si nullus alius doctor exspectandus, ergo necesse est omnia doceri à Scriptura, alias aut ignoranda essent, quæ non docet Scriptura, aut eundum ad alium magistrum, vt ab eo disceremus, quæ ab illa non docentur. Intelligi autem à Chrysostomo per τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, Scripturas ex sequentib. patet. Nam statim singulos hortatur ad comparanda Biblia, & quidem intenta voce, quem locum expendemus libro decimo.

XLVI. Idem rursus homil. 58. in Joan. vbi contendit per ostium intelligendas esse Scripturas. καθάπερ γὰρ τις θύρα ἀσφαλὴς, οὕτως ἀποκλείει τοῖς αἱρετικοῖς τὴν εἴσοδον, ἐν ἀσφαλείᾳ καθιστῶσα ἡμᾶς περὶ ὧν βουλόμεθα πάντων. *Tanquam ostium munitissimum hæreticos ingressu arcent, nosque omnino certos faciunt, de omnibus rebus, quascunq; volumus.* Quid excipi potest quæso, si omnia, quæ scire volumus, nobis certa reddunt Scripturæ?

XLVII. Augustini nobilissimus locus est c. 9. lib. 2. de doctrina Christiana. *In iis quæ aperte in Scripturis posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq; viuendi, spem scilicet atq; charitatem.* Quibus vicina sunt hæc Odilonis Abbatis Cluniacens. Collation. lib. 1. c. 1. *Omnis ratio, qua vel Deum, vel nos cognoscimus, diuinis libris continetur.* Torquent hæc Augustini verba mirum in modum Traditionarios, quib. qualibet cruce molestiores, Scripturæ laudes à perfectione. Tam certe torquent, inquam, quam recreant Catholicos, quib. quolibet melle & fauo dulciora sunt eloquia Domini. Sed vicissim ea illi mirum in modum torquent.

XLVIII. Bellarminus, loqui ait Augustinum de illis dogmatibus, quæ necessaria sunt omnib. simpliciter, qualia sunt quæ habentur in Symbolo Apostolico, & Decalogo. Atq; hoc ipsum Andradius explicat prolixius, & distinctius, constitutis duob. mysteriorum generib. vt alia eiusmodi sint, quorum notio sit omnib. ad iustitiam salutemq; comparandam in primis necessaria, vt Christi mors, passio, resurrectio, quas Apostoli omnib. passim inculcarunt. Alia vero, quamuis ad fidem pertineant, sintque valde necessaria, ignorari tamen à multis possunt. Ergo illa priora cum Augustino fatentur Bellarminus & Andradius, in apertis Scripturę locis fere contineri: at non item posteriora.

XLIX. Hic vero multa consideranda occurrunt. Excutiamus singula. Primo, obseruemus, aduersariis veritatis inter se non bene cõuenire: Cum enim hi fateantur mysteria omnib. necessaria contineri in Scripturis, tamen proximo libro audiemus inter Traditiones non scriptas, queq; non possint constare è Scripturis, enumerari, non tantum Baptismum infantium; Baptismum non iterandum, perpetuam Mariæ virginitatem, descensum Christi ad inferos, Trãssubstantiationem, sed etiam omnia Sacrosanctæ Trinitatis mysteria, τὸ ὁμοούσιον; Patris innascibilitatem, Spiritus processionem, eiusque adorationem: Christi in vnica persona duas naturas, & alia. Respondeant categorice, sunt-ne illa omnib. ad salutem scitu necessaria, an non sunt? Ne negent, sed reuereantur Athanasium, cuius Symbolum cantillant quotidie in suis Missarum solenniis: Nam hic hæc Trinitatis mysteria, aut omnia aut saltem plurima enumerans, ita præfatur: ὅστις βούλεται σωθῆναι, πρὸ πάντων χρὴ κρατεῖν τὴν καθολικὴν πίστιν, ἣν εἰ μή τις ἕκαστος σώαν καὶ ἀμώμητον τηρήσῃ, ἄνευ δισταγμοῦ εἰς τ̃ αἰῶνα ἀπολεῖται. *Quisquis seruari vult, ante omnia illum oportet retinere Catholicam fidem, quam si non seruant singuli sanam & incorruptam, sine dubio in æternum peribit.* Et postea, ἀναγκαῖον ἐστι πρὸς αἰώνιον σωτηρίαν, ὅπως καὶ τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔτι ὀρθῶς πιστεύσῃ. *Necesse est ad æternam salutem, & vt incarnationem Domini nostri Iesu Christi insuper recte credat.* Hæc vero si non negant, quid causæ dicunt, quominus vel hic mentiantur Bellarminus & Andradius, omnia necessaria concedentes in Scripturis contineri, vel illic alij, hæc capita negantes haberi ex iisdem?

L. Secundo, si quæcunq; necessa sunt ad salutem, continentur in Scripturis, non continentur autem non scriptæ Traditiones: Ergo vi consequentis fateri debent Papistæ suas Traditiones non scriptas non esse ad salutem scitu necessarias. Videlicet, non tantum ieiunia sextæ & septimæ feriæ, & quadragesimæ, obseruationem Festorum, vsum aquæ lustralis, sonitum campanarum, & similes plurimas nugas, sed ne quidem ista maiora, Transsubstantiationem, Purgatorium, Intercessionem, Inuocationemq; Sanctorum, Venerationem imaginum. Nam hæc atq; alia numerantur in non scriptis Traditionibus. Quid igitur aures omnibus obtundunt hisce inculcandis? Imo cur harum rerum ignorantiam flammis expiant? Itane humanitatis est Christianæ, Catholicæ etiam charitatis, homines viuos lentis flãmis vstulare, eorum dogmatum occasione, quæ ad salutem non sunt scitu necessaria? O Nerones! O Busirides! O si quid illis immanius nominari potest!

LI. Tertio, non satisfacit hæc quantumlibet accurata distinctio, Augustini verbis. Esto enim, sint alia dogmata simpliciter necessaria, alia minime, & de his non sit loquutus Augustinus. Quid igitur de illis dicemus? Concedunt-ne Papistæ omnia contineri in Scriptura? Imo, non est ausus Andradius, sed delicatule, labiisque semihiulcis, fere contineri, tandem vix vi coactus, visus est confiteri. O tenellulam! O delicatulam Jesuitarum conscientiam! Quasi cum sponsula mollicula vno digitulo, vixque summulis labellis delibat fabas. Tam solicitule Jesuituli verentur, cauentque ne imperfectioni Scripturarum, vel oblique præiudicium faciant. At quam rotunde, contra quam constanter, quam mascule Augustinus? Omnia inueniuntur, inquit, in Scripturis. Ignoscite Jesuitæ, si offendit aures vestras molliculas, delicatulas, nutritus in Ecclesia Catholica, non corruptus in aula Papistica. Sed enim, quid hoc, quæso, scopuli est, à quo non minus sibi cauent, quam nautę à Caphareis rupibus? Distinguunt, coercent, & tamen cum ad verba ventum est Augustini, tum titubant, tum tremunt, turbantur, atque horrent, & pro *omnia posita sunt*, nobis illud occinunt languidulum, *fere continentur.*

LII. Quarto: hoccine est ferendum, aut etiam dissimulandum in homine Theologo crimen, fallacis ne dicam audaciæ, an audacis falsitatis, quod pro Augustini verbis, alia mihi substituuntur? Nam cum ille omnia dixerit quæ continent fidem & mores, Andradius mihi suggerit ea quorum notio est omnibus necessaria ad iustitiam & salutem comparandam. Ita pro rebus ipsis omnibus, personas substituit omnes, deinde pro fide & moribus, iustitiam & salutem consequendam. O furcifer! At hæc longe abeunt ab Augustino. Tu me vis varios personarum gradus considerare, ille me totum detinet in reb. ipsis. Et nihil ista distare arbitraris? Tu mihi fidem proponis, iste mihi media obiicit ad eum finem tendentia, & speras me ita deceptum iri?

LIII. Quinto, nominauit Augustinus fidem & mores. Quo igitur hanc adeo solicitam distinctionem referri dicemus, ad fidemne, an ad mores? Si ad fidem, sensus erit, quædam esse dogmata omnibus necessario credendr, quædam non, vnde sequetur, non esse omnium Christianorum vnam fidem, quod tamen asseritur, 4. ad Ephesios, & mentiretur Paulus, cum testatur datos esse à Deo Pastores & Doctores, vt omnes euadamus in vnitatem fidei. Sin ad mores, vt sane verum est, non omnibus omnia præcepta competere, quod de dogmatis fidei asseri nequit, ergo inter non scripta nulla erunt fidei dogmata, sed tantum morum præcepta, quod sane nunquam Papistæ sunt concessuri: Sed & ridiculus esset Augustinus, qui æque mores ac fidem generaliter nominauit.

LIV. Et tamen obiiciunt nobis eundem Augustinum libr. 2. de peccator. meritis & remissione cap. vltim. *Credo etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima autoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.* Sed hic locus non distinguit, vt Jesuitæ, dogmata in necessaria omnibus,

bus, & necessaria non omnibus, sed simpliciter in necessaria; & non necessaria ab que vlla personarum distinctione. Agit enim de propagatione animæ siu potius peccati in animam, cuius rationem ille se fatetur ignorare, & addit non esse scitu necessariam, non tantum sibi, sed ne quidem omnino cuiquam. Iam nos libere profitemur, ea, quæ nostra scire nihil interest, non esse quærenda in Scripturis, sed necessariorum aliam esse rationem. Et quidem his iisdem verbis Augustinus satis perspicue testatur se nobiscum sentire. Nunquam enim ille adeo confidenter dixisset, si hoc caput necessarium esset ad salutem, fore de eo in Scripturis clarissima testimonia, nisi omnino sibi persuasisset generale hoc axioma verum esse: De omnibus necessariis ad salutem, extare in Scripturis clarissima testimonia, alioquin ridicula esset consequentia.

LV. Gautierus mecum olim contendens, asserebat, modificandam esse sententiam: ipsumque Augustinum modificationem docuisse, loquentem de iis quæ aperte posita sunt in Scripturis. Nimirum hoc volebat; Augustinum non simpliciter omnia dixisse reperiri in Scripturis, sed tantum ex omnibus quæ continent fidem & mores, ea quæ sunt perspicua. Alioquin, inquiebat, sequeretur totam Scripturam esse perspicuam. Sed breuiter respondeo, quod omnes satis vident; Augustinum non distinguere dogmata in obscura & perspicua, sed locos Scripturæ in obscuros & perspicuos, & asserere in perspicuis siue apertis contineri omnia dogmata fidei & morum. Itaque Iesuitam pueriliter mutare terminos. Quomodo autem necesse esset fateri totam Scripturam esse perspicuam? Nam primum ipse locus contrarium statuit. Nam qui dicit in iis quæ perspicue posita sunt, satis innuit esse quędam, non perspicue posita. Deinde, quid obstat, quo minus eadem fidei dogmata alicubi obscurius dicantur, alicubi clarius? vt aduentus Christi obscurior est in Testamento Veteri, in Nouo autem nihil manifestius. Tertio, possunt etiam nonnulli esse loci, qui neque fidem, neque mores continent, sed historica quædam. Itaque nugabatur Gautierus, non disputabat.

LVI. Sed audiamus omnibus Iesuitis subtiliorem Puteanum, cui adeo non placuit superior Iesuitarum solutio, vt vix dignatus sit attingere, tanquam extremo digitulo. Porro ipse dupliciter soluit. Primo mentem esse Augustini, omnes locos qui in Scriptura continent fidem & mores, in iis esse rebus, quæ aperte positæ sunt. Distingui igitur ea quæ sunt in Scriptura, vt alia contineant ea quæ sunt de fide & moribus, alia loquantur de rebus aliis: Omnes autem locos prioris generis, esse inter eos qui aperte positi sunt. Secundo, omnia non significare vniuersa, sed tantum partem, vt *Prædicate omni creaturæ*, Marc. 16. *Omnes mirabantur*, Luc. 1. vt sit sensus, omnium eorum quæ pertinent ad fidem, maiorem partem essentialem, ipsaq; adeo principia vniuersalia, & fundamenta reperiri in locis aperte positis.

LVII. At hæc clarissimo loco obductæ nebulæ nullo negotio dissipantur. Respondeo itaque ad illud prius: Si verum est, non omnia quidem vniuersaliter quæ continent fidem & mores, sed omnes Scripturæ locos qui continent fidem & mores, esse in iis quæ aperte posita sunt: Ergo sequi nullos locos Scripturæ obscuros, quicquam continere, quod ad fidem moresque pertineat. At hoc est falsum, nemo enim potest negare multos esse locos non perspicuos, qui non minus ad fidem moresque pertinent, quam perspicui. Vrin Prophetis Veteris Testamenti quamplurimi de semine mulieris contriturο caput serpentis, de semine Abrahæ in quo benedicendæ erant omnes gentes, de Silo, qui non venturus erat antequam defecisset sceptrum à Juda: aliaque sine numero, quibus αἰνιγματωδῶς significabatur Christi aduentus. Denique Papistæ alias obstinatissime contendunt Scripturam esse obscuram, atque indigere multa expositione. Itaque apud Augustinum, *omnia quæ continent*, non significat omnes locos Scripturæ, sed omnia dogmata, siue præcepta, quæ continent doctrinam fidei & morum.

LVIII. Ad secundum. Scimus quidem aliquando omnia, non sumenda pro cunctis indiuiduis, sed id fit tum, quando exceptiones sunt incertæ aut paucissimæ, & potius de facto: cum tamen ius ipsum æque ad omnes pertingat, vt cum dictum est *Prædicate omni creaturæ*. Nam Christus nullum hominem excipiebat, quominus ius esset Apostolis ei Euangelium annunciare, etsi de facto non annunciarint. Nam quod non Creaturæ omnes simpliciter intelliguntur, sed tantum homines, hoc pertinet ad expositionem vocis creaturæ, non ad restrictionem notæ vniuersalis. At tum cum certa est, cognitaque exceptio, nec tam de facto quam de iure, deque iis agitur rebus, quarum scimus non esse vnum ordinem inepte, imo imperite nota vniuersalis adderetur, vt si dicerem, omnia animalia esse rationalia. Quanto autem id magis absurdum esset, cum exceptio latius pateret, vt si dicam, omnes homines Latine loqui, cum tamen hodie pauculi sint duntaxat in scholis docti? At Papistæ contendunt, non tantum quædam excipi fidei morumve præcepta, sed etiam, minimam particulam veritatis esse scriptam. Adeo vt ex eorum mente, illa omnia quæ continent fidem & mores, transformanda essent in minimam particulam eorum quæ continent fidem & mores. Tam sunt in explicandis authoribus solertes Traditionarij?

LIX. Ergo his Augustini locus magnifice euincit perfectionem Scripturæ. Huic alterum comparo (si tamen eius est, sed nunc nihil hoc ad rem, nam plerique Papistæ ita censent) è sermon. 38. ad fratres in Eremo. *Legite sacram Scripturam, in qua quid tenendum, & quid fugiendum sit, plene inuenietis.*

LX. Idem in Joan. tract. 49. *Cum multa fecisset Dominus Iesus, non omnia scripta sunt, sicut idem ipse sanctus Euangelista testatur, multa Dominum Christum & dixisse & fecisse quæ scripta non sunt, electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.*

LXI. Prima solutio est Joannis Hayi, Augustinum de miraculis Christi hanc sententiam scripsisse. Sed hoc est falsum. Scripsit quidem occasione captata è miraculis, sed dixit generalius, quam de miraculis. Nam ne omnia quidem miracula Christi, si scripta essent, sufficerent saluti fidelium, sunt enim dogmata in primis necessaria. Sed & Puteanus agnoscit Augustinum dixisse, ex omnibus quæ Dominus fecisset, & dixisset, ea esse selecta, quæ videbantur ad salutem sufficere.

LXII. Secunda solutio Puteani, Augustinum loqui duntaxat de dictis & factis Christi, non autem de dictis & factis Apostolorum. Ridicule. Nam primum si concederemus, alia Apostolos, alia Christum & dixisse & fecisse, tamen non sequeretur Augustinum non dicere facta & dicta Christi sufficere ad salutem, itaque solutio nulla esset. Negamus tamen alia dixisse Christum, alia Apostolos: nam de factis non est; quod simus solliciti. Itaque, abit in ventos; quod pro magno incommodo Puteanus obiiciebat; si sufficerent facta & dicta Christi; excludi ergo omnia scripta Apostolorum, præter quatuor Euangelistas. Nam ipsa reliqua Apostolorum scripta, tractant facta & dicta Christi; æque ac quatuor Euangelia, etsi non eodem modo.

LXIII. Tertia solutio eiusdem, detorqueri à nobis illud Augustini *sufficere*, in alienum sensum; esse enim mentem autoris de dictis & factis Christi sufficere, si ea sciamus ad salutem; quæ scripta sunt ab Euangelistis. Et probat, quia non loquatur Augustinus de generali sufficientia, sed vnius certi articuli, vt quando dicimus, sufficit quoad hoc caput vnum aliquid scire, non significamus nihil aliud sciri debere. Huius viri mens hæc est, nisi me eius fallit obscurus & intricatus stylus, sciri quidem ad salutem dicta & facta Christi, sed non sufficere tamen ad salutem, si ea sola sciantur: atque ea ipsa non omnia esse necessaria, sed quædã selecta esse, quæ cum sciemus, possimus gloriari, nos de factis & dictis Christi tantum scire, quantum sufficit ad salutem. Sed disertiora sunt Augustini verba, quam vt tam facili eludi possint, dixit enim totidem syllabis, *saluti credentium sufficere*, hoc est, vt loquitur Joannes, vt credentes habeant vitam æternam. Iam vero, quænam hæc sophistice esse potest, quæ occultis quibusdam diuerticulis eo tandem redit, vt id negetur, quod verba affirmant. Nam hoc totum Puteani artificium eo tendit denique, vt dicere videatur Augustinus, illa non sufficere ad salutem, sed tantum sufficere ea sciri, hoc est, non esse necesse, vt plura sciantur, etsi, quæ sic scientur, non sufficiant saluti. Porro neque facta & dicta Christi censeri possunt vnus articulus, neque vllus esse potest articulus vnus qui sufficiat ad salutem.

LXIV. Quarta solutio est Joannis Hayi. *Obseruanda est*, inquit, *etiam D. Augustini loquendi ratio. Non enim ait, quæ saluti credentium sufficiebant, sed sufficere videbantur. Constat siquidem ex Luca Actorum primo, Dominum multa docuisse Apostolos ad fidem spectantia, quæ scripto non sunt tradita, multa quoque Spiritum sanctum docuisse Ecclesiam, quæ nusquam in Scripturis sacris leguntur.* Vult ergo Hayus Apostolis quidem ita visum esse, nimirum illa quæ scripta sunt, sufficere ad salutem, sed tamen non bene, re vera enim haud ita se habere: Et vno verbo Apostolos esse allucinatos. At hæc insignis esset Augustini in Apostolos iniuria, quibus Spiritum Christus erat pollicitus, à quo ducerentur in omnem veritatem. Sed non erat Augustinus Jesuita. Nos credimus illud, *videbantur*, esse pro *iudicata sunt, comperta sunt*, & si quid est simile, vt Actor. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis*, non incertam aliquam opinionem declarat, sed sanum, sobrium, certumque iudicium. A Christo post resurrectionem, aut à Spiritu sancto, Apostolos multa didicisse, quę non sunt scripta, nos negamus, & plenius refutabimus proximo libro.

LXV. Optatus contra Parmenianum lib. 5. *Vt quid pulsamus cœlum, cum habeamus hic in Euangelio testamentum? Quia hoc loco recte possunt terrena cœlestibus comparari. Tale est, quod quisis hominum habens numerosos filios. His quandiu pater præsens est, ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium testamentum. Sic & Christus quandiu præsens in terris fuit, quamuis nec modo desit, pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperauit. Sed quomodo terrenus pater, cum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas duraturas, & si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quaritur testamentum, & qui tumulo quiescit, tacitis de tabulis loquitur viuus. Is cuius est testamentum, in cœlo est; ergo voluntas eius, velut in testamento, sic in Euangelio inquiratur.* Similiter Augustinus exposit. 2. Psalm. 21. *Fratres sumus, quare litigamus? Non intestatus mortuus est pater noster, fecit testamentum, & sic mortuus est, mortuus est & resurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quandiu testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, vt tabulæ aperiantur, & recitentur. Iudex intentus audit, aduocati silent, præcones silentium faciunt, vniuersus populus suspensus est, vt legantur verba mortui non sentientis in monumento.* Notanda similitudo est. Nam in tabulis testamenti non tantum voluntas est testatoris, sed etiam tota voluntas, nec admittitur, non tantum, qui contra tabulas agit, sed etiam qui præter. Optatus ergo & Augustinus manifeste docent totam voluntatem Dei contineri in tabulis Scripturarum.

LXVI. Cyrillus Alexandrinus in Leuiticum lib. 5. *Ego, prout sensus mei capacitas habet, in hoc biduo puto duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet (hoc enim est sacrificium) requiri & discuti, atq; ex ipsis omnem rerum scientiam capi. Si quid autem superfuerit, quod non Scripturæ diuina decernat, vllam aliam debere tertiam Scripturam ad autoritatem scientiæ suscipi, quæ hic dies tertia nominatur, sed igni tradamus quod superest, id est, Deo reseruemus.*

LXVII. Bellarminus & Ratisbonenses, primum de autore respondent. Dehinc de loco. Illas igitur in Leuiticum homilias negant esse Cyrilli, sed Origenis, vel nescio cuius alterius, qui passim literam destruit, vt mysticos sensus ex capite suo statuat, proinde homilias non esse magnæ autoritatis. At ego de autore non valde contendo. Sed Sixtum Senẽsem, ita primũ admonuisse, & concedo habere causas verisimiles. Siue autem Cyrillus sit autor, siue Origenes, tamẽ est antiquus. Et quidem Origenes, nunquã in hoc capite accusatus hæreseos. Imo meminisse debẽt, à se illum ipsum nobis oppositi in Traditionib. asserendis: non merito id quidem, sed nunc de sola autoritate loquor, quam, an non iniquũ est, Origenem tum magnã obtinere, cum pro Papistis, aut facit, aut facere videtur, cum vero nobis aperte fauet, tum de ponte deiici? Grauius illud est de allegoriis, mysticisque sensibus ex proprio capite excogitatis. Sed illud dupliciter intelligi potest, vel sic, vt taxetur Origenes, tanquam singulos locos, violentius torqueat, & allegorice applicet alienis sensibus, quo vitio illum impense laborare & agnoscunt & dolent omnes vere pij, & quidem hoc etiam loco sibi nimis indulsisse non grauate concedam. Nam illi duo dies, omnino non significant duo testamenta. Vel rursus, vt significetur idem non tantum locos detorquere à sensu literali, ad allegoricos, sed etiam ipsos allegoricos sibi ipsum fingere alienos à doctrina Christiana. Hoc si fecit isto loco, causam non dicimus, quominus anathema sit. Sed si quod attinet ad sensum per se seorsimque sumptum, nihil dixit, quod non alij plusimi, imo quod non Scriptura, non debet veraci testimonio

monio præiudicium facere, paulo liberior in allegorias excursus. Nam quotus quisque est Patrum, qui ab hac affectatione, purum se castumque seruauerit?

LXVIII. Nunc ergo de ipso agamus loco. Autorem homiliæ negat Bellarminus excludere verbum Dei non scriptum, sed solum tertiam Scripturam, id est, humanam Scripturam, quæ se pro diuina venditare velit. Imo magnam partem eius loci Bellarminus vafre dissimulat. Tria dicuntur, primum in libris vtriusque Testamenti omnia esse & inquirenda, & discutienda, quæ ad Deum pertinent. Secundum, ex iisdem omnem scientiam capi. Tertium, si quid sit, quod Scriptura non discernat, nullam superesse aliam Scripturam suscipiendam ad autoritatem scientiæ. Duo illa priora, cur non legisti Bellarmine? Nimirum, quia nolles à quoquam legi. Disertiora enim, quam vt negari, magis etiam perspicua, quam vt vllo fuco induci possint. Concludunt autem totam quæstionem. Nam si omnia quæ ad Deum pertinent, non tantum inquiri possunt è Scriptura, sed etiam discuti, atque adeo sciri, tum necesse est eandem esse perfectam, id est, continere omnia dogmata religionis, quæ nulla nouit, nisi ad Deum pertinentia. Tertium vero caput etiam misere corrupisti. Non enim Cyrillus dixit, Scripturam humanam, quæ se pro diuina venditet, esse excludendam, sed dixit, quod longe plus ponderis habet, præter Scripturam Veteris Nouique Testamenti, nullam tertiam esse, quæ suscipienda sit ad autoritatem scientiæ, hoc est, ex cuius autoritate nos confidamus aliquid αὐθεντικῶς scire posse. Quod vos Papistæ contra facitis, cum traditiones suscipitis æquo gradu cum Scripturis. Nam in Traditionibus, sunt scripta Pontificum, Decreta Conciliorum, & similia. Et vt sciamus quid sit in autoritatem scientiæ recipi, statim subiecit, ea quæ definiri non possunt ex Scriptura sacra, Deo reseruanda. Scilicet, quia is illa sciri à nobis noluerit, ac proinde ne inuestigari quidem voluit.

LXIX. Idem contra Iulianum lib.7. *Sufficit diuina Scriptura ad faciendum eos qui in illa educati sunt sapientes, & probatissimos, & sufficientissimam habentes intelligentiam, indigemusque ad hoc prorsus nihil externis magistris.* Quid quærunt Papistæ magnificentius? Et tamen calcitrant Ratisbonenses, sensum esse, Scripturam his qui in ea simul cum Ecclesiæ obedientia educati sunt, sufficere ad sapientiam, nec ad hoc fideles indigere externis magistris, puta hæreticis, qui extra Ecclesiam versantur. En tibi nouas strophas, nouam sophisticen: nouam imposturam. Nam vnde illud de obedientia Ecclesiæ? Etsi hoc quidem neque friget neque calet. Nam etiam si concedamus ita meditandam Scripturam, vt ne simus rebelles Ecclesiæ, tamen certum erit ex ipsis Scripturis homines reddi sapientissimos, neque enim quicquam Scripturæ commodat hæc obedientia, ad sapientiam perficiendam, quod non iam habeat. Sed tamen, quæ (scelus) hæc est audacia, quæ sibi in Veterum dictis, quidlibet inserere permittit? aut quamdiu hanc tolerabimus? De ea obedientia ne verbo quidem Cyrillus meminit, & tu mihi sine ea constare Cyrilli mentem neges? Non nego obedientiam Ecclesiæ deberi, non nego mandari ab Ecclesia, sed nego hoc loco eam vel nominatam vel etiam indicatam. Quid? an tu tibi eam permitis huc intrudere, quia legitima sit, quia mandata à Scripturis? At ego, si eodem iure inueherem obedientiam debitam parentibus, nec minus à Scriptura commendatam, nec sine hac Cyrilli mentem constare assererem, quis me ferret? Noui ingenium Iesuitarum. Nihil dirarum fuit vnquam, quibus me non deuouerent. Ego humanior, illis opto mentem saniorem.

LXX. Chrysostomus, operis imperfecti in Matth. homil. 41. *Quicquid quæritur ad salutem, totum iam adimpletum est in Scripturis.* Et iterum paucis interpositis lineis. *Nihil ergo minus est in hoc conuiuio* (Scripturarum) *quam quod necessarium habet salus humana.* Bellarminus, eumque secuti Ratisbonenses, dicunt loqui Chrysostomum de remediis vitiorum, ac docere nullum esse vitium, ad quod sanandum non inueniatur in Scriptura aliquod remedium. Sed hæc est iniusta verborum Chrysostomi eneruatio. Primo enim, *Quicquid* (dicebat) *quæritur ad salutem*, at non sola ea est morum emendatio, vitiorumque correctio, deinde nihil minus esse, quam quod necessarium habet salus humana. Quæ verba quomodo à mendacio defendentur, si aliquid excipitur? Ad hæc tota homilia exponitur parabola inuitatorum ad conuiuium regis, Matth. cap. 22. Et prandium autor interpretetur, *doctrinam iustitiæ, & verba cœlestium mysteriorum de Filio Dei venturo.* An hæc ad mores tantum, corrigendaque vitia pertinent? Nonne etiam ad doctrinam fidei?

LXXI. Gregorius eius nominis I. Episcopus Romanus, cognomine Magnus, in Ezechiel. homil. 9. *In hoc volumine cuncta quæ ædificant, omnia quæ erudiunt, scripta continentur.*

Cap. XI.

An Scriptura sit perfecta Regula.

I. HActenus de perfectione Scripturæ satis multa diximus. Nunc impugnandus est Traditionum vsus non Scripturarum, hinc facto initio: Si Traditiones non scriptæ sunt necessariæ, & sunt æqualis autoritatis cum Scriptura: Ergo Scriptura non est regula fidei. At Scriptura est regula & norma fidei. Ergo Traditiones non scriptæ non sunt necessariæ, nec sunt æqualis autoritatis cum Scriptura. Hoc argumentum eramus prolaturi potius ad confirmandam perfectionem Scripturæ. Sed Bellarminus maluit ad hanc disputationis partem transferre. Nec nostra sane multum interest. Aduersarij & minorem negant, nec maiorem simpliciter concedunt.

II. Bellarminus Scripturam vult appellari non regulam, sed commonitoriū vtile. His argumentis: Nulla regula fidei aut plura aut pauciora continet, quā quæ sunt fidei. At Scriptura & plura & pauciora cōtinet quam quæ sunt fidei. Ergo non est regula fidei. Continere plura probat, quia continet historias plurimas, quæ non ideo scriptæ sunt, vt necessario credantur. Continere vero pauciora, ante se pobasse iactat. Rursus: Omnis regula fidei est vnum opus continuum. At Scriptura non est vnum opus continuum: sed continet varia opera, historias, conciones, vaticinia, carmina, Epistolas. Ergo non est regula fidei. Esse autem Commonitorium probat ex 15. ad Roman. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Et 1. poster. Petri, *Iustum arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione.* Et 3. *Hanc ecce secundam vobis scribo Epistolam, in quibus excito in communione vestram sinceram mentem.*

III. Sed nos assumptionem probamus, locupletissimo argumento, à nomine iam olim tributo Scripturæ Sanctæ. Appellatur enim Canonica, & totum eius corpus Canon. Rationem nominis, aut omnes aut fere omnes, esse testantur, quia sit regula fidei. Diserte Aquinas lect. 1. in 6. cap. 1. ad Corinth. *Doctrina*, inquit, *Apostolorum & Prophetarum dicitur Canonica, quia est quasi regula intellectus nostri.* Assentiebatur Andradius Jesuita, defensionis Tridentinæ lib. 3. *Minime mihi displicet eorum sententia, qui Canonicos appellari dicunt, quia pietatis, fidei, & religionis Canonem, hoc est, regulam, atque normam è cœlis summo Dei beneficio, ad nos delatam continent amplissimam.* Quanquam, quid opus est testibus? Nam hæc quæstio prolixe disputata est, & demonstrata lib. 1. harum controuersiarum.

IV. Contra, nihil efficiunt argumenta Bellarmini. In primo syllogismo, negatur maior. Nam si hæc certa esset, tum omnino nullam Ecclesia regulam haberet fidei. Cum enim omnino duæ tantum proferri queant, vna à Catholicis, nempe Scriptura, altera: Papistis, nempe Traditio non scripta: Certe non tantum Scriptura, sed etiam Traditiones multa continent, quæ non ideo proponuntur, vt necessario credantur. Etenim plurima extant in Patrum libris, in Episcoporum Romanorum Decretalibus, in Conciliorum actis, quæ ne Papistæ quidem vrgeant, tanquam fidei articulos, vel potius tanquam necessaria credenda. Vt mittam dicere non pauca contra fidem occurrere. Quanquam hic subit in mentem Tanneri Iesuitæ in vndecima sessione Colloquij Ratisbonensis, solertiamne dicam an audaciam? Vtrumvis placeat, ille tamen ita pronunciauit, *Tobiæ 6. dicitur, quod Tobias secum duxerit canem, id ergo omnibus fidelib. necessario credendū est.* Et Hunnio stupente, interroganteque, *Est-ne ergo articulus fidei, quod canem secum duxerit Tobias?* Tannerus nihil remittens de Iesuitica constantia, adductis, opinor, superciliis, fronteq; in dignitatem prætoriam composita, respondit ἐμφατικώτατα, *Maxime, maxime, maxime.* Iam vero, si hoc credendum, & credendum omnibus fidelibus: & credendum necessario: Et ideo numerandum inter articulos fidei, quid esse iam potest in Scriptura, qud non referendum sit in Symbolum Christianorum? Destruxit ergo Tannerus argumentum Bellarmini, vt iam non obstet, quominus Scripturam dicamus esse regulam fidei.

V. In secundo syllogismo, iterum negatur maior similem ob causam. Nam ne Traditiones quidem sunt vnum opus continuum, complectunturque æque vt Scriptura Historias, Conciones, Carmina, Epistolas, etiam Vaticinia, quamquam falsa, sed tamen vaticinia, Hermetis, Hippolyti, Brigittæ, & aliorum. Et illa quidem omnia, non tantum non vno confecta spiritu, sed ne quidem pluribus seculis. Semper enim scripserunt Patres, Canones condiderunt Concilia, Decretales emiserunt Episcopi. Quid? quod nedum quidem post secula sexdecim, omnia tradita sunt? Nam restat adhuc sine dubio nonnihil in fundo Thesauri Ecclesiastici, nondum exhaustum, nec renunciarunt, opinor, Romani Papæ Decretalibus scriptitandis, vtrum etiam ne Conciliis quidem cogendis, non facile dixerim.

VI. Nos, fatemur regulam fidei nihil minus continere debere, quam quod credendum sit, & hanc laudem vindicamus Scripturæ Sacræ. Sed nihil obstare credimus, quominus plura comprehendat, quam articulos fidei. Posse enim illustrandis illis articulis aut necessaria, aut vtilia, comprehendere, vt fit in Scriptura. In summa hoc dicimus, Scripturā continere, primo articulos fidei (& cum hos nomino, etiam præcepta morum intelligi volo, est enim eadem ratio) eumque esse proprium Scripturæ finem, deinde plurima, quæ his articulis, hisve præceptis seruiunt tum illustrandis, tum confirmandis. Voluit enim Deus fidem non tantum imperari, sed etiam suaderi. Sic in Veteri Testamento historiam habemus Ecclesiæ ab initio orbis conditi, vt magnifice illustretur articulus, *Credo Ecclesiam Catholicam.* Habemus hymnos plurimos, vt quomodo sit inuocandus, laudandusque Deus, nescire non possimus, quod quidem pertinet ad articulum, *Credo in Deum*, habemus exempla multa tum beneficiorum, tum iudiciorum eius, vt & misericordem esse sciamus, & iustum, & omnipotentem. Denique omnia pertinent ad fidem, & quidem ita vt nihil detrahi debeat. Quæcunque autem continentur sunt αὐθεντικά. Et sane hoc sufficit ad naturæ regulam, vt quæcunque sunt de fide αὐθεντικῶς in ea contineantur. Nam inde fit, vt neque quicquam addi possit, quia omnia continentur, neque detrahi, quia αὐθεντικῶς. Id autem Scripturæ proprium, vt vulgo loquuntur, quarto modo.

VII. Esse autem Scripturam vtile commonitorium, quis neget? Admonet enim Christianos, quid credere, quid facere debeant, & eo referendi sunt loci à Bellarmino relati. Quanquam hi non de toto Scripturæ corpore, sed de partibus manifeste loquuntur. At esse commonitorium tantum vtile, qui dixit, quid plus honoris Scripturæ tribuit, quam, exempli gratia, Enchiridio Augustini? aut Athanasij libris duobus contra Gentes? Imo omnibus veterum tractatibus? Esse autem regulam, sic probauimus, vt Bellarmini, nihil quam negantis, mouere non debeat autoritas. Quantula enim esse potest in Papista? in Iesuita?

VIII. Ergo minorem ita Bellarminus impugnabat. In maiori vero, regulam distinguit in totalem & partialem. Totam fidei regulam esse verbum Dei, diuisam in duas partiales, Scripturam & Traditiones. Scripturam ex eo quod sit regula, id habere, vt quicquid continet, sit necessario verum, & credendum, nihilque admittendum quod ei repugnet. Quia vero sit duntaxat partialis, idcirco non omnia mensuret.

IX. Sed contra. Hæc distinctio est contra naturam regulæ, siue Canonis. Nam communi quadam notione cuiusque rei ea dicitur regula, quæ ipsam totam metitur, nec excessu peccans nec defectu. Propterea Varinus ita definiebat, κανών ἐστι μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. *Canon est mensura non fallax, nullam omnino additionem, & diminutionem admittens.* Basilius lib. 1. contra Eunomium, hæreticum reprehendens, quod cum παράδοσιν Traditionem Patrum appellasset γνώμαια

καὶ κανόνα, tamen diceret μὴ δεῖν ἔτι αὐτῷ τι προσθεῖναι, opus habere vt illi ampliùs aliquid adiiceretur, hoc est, stylo Bellarminiano, esse regulā partialem (ita iam tum in hæreticis Iesuitæ latitabant) hoc argumento somnium illud impugnat, ὁ γάρ τοι κανὼν, ὦ σοφώτατε, καὶ ὁ γνώμων, ἕως ἂν μηδὲν ἐνδέῃ τοῦ κανὼν εἶναι καὶ γνώμων, οὐδεμίαν προσθήκην εἰς ἀκρίβειαν ἐπιδέχεται. κατὰ γὰρ τὸ λείπειν ἡ προσθήκη. ἀτελεῖς δὲ ὑπάρχοντες, οὐδὲ τῶν προσηγοριῶν τούτων ὑγιῶς ἂν ἐπιτυγχάνοιεν. *Gnomon & Canon, quatenus quidem nihil illi deest, vt sit Gnomon & Canon, nullam exactiorem additionem admittit. Nam cui aliquid deest, illi additio congruit, qui vero imperfecti sunt, nunquam recte amussis ac regulæ appellabuntur nominibus.* Chrysostomus in 3. caput ad Philippenses homil. 12. ὁ κανὼν οὔτε προσθεσιν οὔτε ἀφαίρεσιν δέχεται, ἐπεὶ τὸ κανὼν εἶναι ἀπόλλυσι. *Canon neque additionem neque detractionem recipit, alioquin desinit esse Canon.* Quæ verba diligenter exscripsit Theophylactus. Oecumenius autem ita expressit, τι τοῦ κανόνος, κἂν ἀφέλῃς, κἂν προσθῇς, ἐλυμήνω τὸ πᾶν. *Canoni si quid addas, aut detrahas, vniuersum corrupisti.* Eodemque sensu iam olim Plato Politicon 6. ἀτελὲς οὐδὲν οὐδενὸς μέτρον, quicquid imperfectum est atq; mancum, nullius rei potest esse mensura.

X. Ex his necessario concluditur Canonem partialem monstrum esse in rerum natura, quale Tragelaphus, aut Hippocentaurus, digna Iesuitarum ἐνθυμήματα. Quanquam si esset distinctio vera, nos tamen non læderet, qui non mensuram tantum, sed totalem esse Scripturam prolixe probauimus libro primo: Et habemus disertis verbis attestantem Chrysostomum homil. 13. in post. ad Corinth. Scripturam appellantem ζυγὸν ἁπάντων ἀκριβῆ καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, trutinam, grumam, & normam omnium rerum. Ἁπάντων inquit, ergo, inquam, non saltem quarundam rerum, non partialem.

XI. Sed Bellarminum obseruo, cum sibi, tum suis contradicentem. Sibi quidem, quia cum paulo ante, id est, minorem impugnans, diceret regulam fidei debere esse vnum opus continuum, eoque argumento Scripturam disputaret non esse regulam, nunc tamen Verbum Dei dicit esse regulam: Et diuidit tamen in Scriptum & non Scriptum. Atqui Verbum Dei, constans ex Scripto, & non Scripto, nemo vnquam dicat esse vnum opus continuum, cum ne sit quidem vnum opus. Ergo alterutrum corrigat, vel quod prius dixit omnem regulam esse vnum opus continuum, vel quod posterius concessit, Verbum Dei Scriptum & non Scriptum simul, esse regulam fidei.

XII. Suis autem, quia Verbum non Scriptum asserit esse regulam partialem, ideoque non omnia mensurantem, quæ ad fidem pertinent, siue religionem Christianam. Atqui Costerus in Enchiridio, vt notauimus in statu quæstionis, Traditionem asserebat, omnem veritatem in se habere, omnia fidei mysteria, omnemque rationem Christianæ religionis complecti, & omnia dissoluere dubia, quæ de fidei negotiis exoriri possunt. Nō poterat, opinor, totalis siue vniuersalis regula magnificentius describi. Ergo Bellarminus, & Costerus, Ignatij ἀδελφοί, non satis bene conueniunt.

Cap. XII.

An omnia damnentur quæ præter Scripturam.

I. SI omnia damnantur, quæ præter Scripturam religioni adiiciuntur. Ergo in rebus ad religionem spectantibus, & perfecta est Scriptura, & Traditiones non scriptæ admitti non debent. At prius verum. Ergo & posterius. Duarum consequentis partium, posterior de Traditionibus per se patet, quia omnis Traditio est præter Scripturam, prior autem de perfectione Scripturæ, hinc fit manifesta, quia si Scriptura non esset perfecta, ergo quædam essent admittenda præter illam, ideoque non omnia damnanda, contra hypothesin. Restat Antecedens, id probatur tum ex Scriptura, tum ex Patribus.

II. Isaiæ 29. cap. conqueritur Deus per Prophetam de Judæis, *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis.* Quem locum rursus Judæis multis interlapsis seculis, Dominus obiecit Matth. 15. & Marc. 7. *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Esaias, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me, frustra colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.*

III. Et ne quis putet subitanea tantum mandata intelligi, non vero ea quæ ab antecessoribus accepta transierunt in vim Traditionum, rursus Judæos Dominus monebat Ezech. 20. *In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere nec iudicia eorum custodiatis, & ne in idolis gentium polluamini.* Matthæi etiam 15. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, per traditionem vestram.* Primo etiam ad Galatas Paulus suam describens conuersationem prius quam ad fidem conuerteretur, notat se fuisse περισσοτέρως ζηλωτὴν τῶν πατρικῶν παραδόσεων vehementiori studio captum paternarum traditionum. Denique Petrus Judæos admonet redemptos fuisse ἐκ τῆς ματαίας ἀναστροφῆς πατροπαραδότου à vana conuersatione paternæ traditionis. Quibus omnibus locis nominatur traditio non scripta in malam partem.

IV. Ad hos è Scriptura locos respondens Bellarminus & Baronius. Ille de Verbo Dei lib. 4. cap. 10. iste Annalium Tom. 1. ad annum quinquagesimum tertium §. 6. Primum illas improbari traditiones, quæ aduersus legis diuinæ militarent instituta, & quæ superstitione quadam, pietatis specie adumbrata, irritarent potius quam roborarent diuinam legem. Secundo Judæorum traditiones, alias à Mose & Prophetis fuisse, alias à recentioribus. Earum priores non improbari, sed posteriores, partim inanes, partim perniciosas, & contra Scripturas. Probatur distinctio, primo, quia Christus, & Apostoli nunquam vocant eas traditiones Mosis, & Prophetarum, secundo, quia aperte dicunt se loqui de illis quæ cum Scripturis pugnant: Tertio quia Patres veteres explicuerunt diserte quis fuerit auctor traditionum, quas Christus & Apostoli reprehendunt. Irenæus lib. 4. cap. 25. & 26. Epiphanius in hæresi Ptolemæi. Hieronymus in cap. 8. Isaiæ, & in tertium caput Epistolæ ad Titum, & ad Algasiam quæstione decima. Denique Iustinianus Nouella 146.

V. Nos instamus. Ad primum dicimus dupliciter intelligi posse, eas traditiones militare aduersus legis diuinæ instituta. Nimirum vel sigillatim, vel ὅλως. Sigillatim, vt illarum traditionum capita singula, singulis opponerentur capitibus legis Mosaicæ καὶ ἀντιφατικῶς, vtpote, si cum Moses vetuerit occidere, hæ traditiones cædem permiserunt, quomodo hodie Jesuitæ, Regum parricidia, aut idololatriam contra secundum, quomodo hodie Papistæ cultum imaginum. At isto modo non intelligendas esse Christi & Apostolorum reprehensiones, facile patet, quia nondum vllę similes indicari possunt Traditiones in vsu fuisse apud Iudæos. Exempli gratia, cum præceperit Moses Sabbatho non laborare, Pharisæi, Sadducæi, reliquaque Traditionariorum turba, nunquam probantur opera seruilia permisisse. Sed & ipsi Euangelistarum loci manifesti sunt. Nam Matth. 15. & Marc. 7. sermo est de ea seniorum Traditione, quæ iubebat panem edere non pollutis manibus, hoc est, non prius diligenter lotis. At in tota Mosis lege, quis mihi præceptum ostendet, quo prohibeantur lauari manus?

VI. Ὅλως vero, vt eo ipso militare censeantur contra legem Mosis, quia erant præter legem Mosis, quæ additiones vetuerat. Sic dici possunt eiusmodi manuum lotiones, esse in hoc genere, quia à Pharisæis, vel Sadducæis, vel aliis quibuscunque vrgebantur, etsi eas nunquam Deus præcepisset. Et hic quidem dupliciter peccatum fuisse concesserim. Tum quod vanæ quædam essent Traditiones, & proinde superstitiosæ quædam rerum indifferentium obseruationes, vt manuum ablutio, & vasorum purgatio, & similia. Tum, quod hæc præponerentuur legi Dei, id est, curiosius obseruandæ traderentur, aut certe æque curiose, & sub pœna mortis.

VII. Hæc cum ita sint, nos dicimus secundi generis traditiones à Christo fuisse reprehensas. Atque ideo à nobis hodie legitime adduci in argumentum, contra Papisticas traditiones. Nam etsi non essent per se impiæ, tamen satis est, quod præter Scripturam inuehantur. Deinde æque sunt vanæ, & superstitiosæ. Nam quid habent baptismata campanarum, & bombardarum, & nauium, ita enim vulgo appellant, etsi declinantibus nominis inuidiam Iesuitis. Quid inquam, illa habent? quid habent templorum purgationes, calicum consecrationes adeo superstitiosæ, vt à nullo laico nudis manibus tractari possint, sed tantum chirothecis sumptis? Quid hæc, inquam, aut sanctius habent aut augustius, quisquiliis illis Pharisaicis? Commendari vero seuerius traditiones, quam diuina mandata, tum praxis probat. Seuerius enim multo reprehenditur qui sexta feria bubulam degustarit aut suillam, quam qui nomen Dei publice blasphemarit, multoque iam exactius festa illa obseruantur, quæ maiora appellant, quam dies ipse Dominicus. Quid illud? quod cum fateantur cœlibatum esse ex institutione humana, tamen non verentur Iesuitæ pronunciare, multo fœdius peccare coniugatum sacerdotem, quam fornicarium? Dei atque hominum fidem, non est hoc sua præcepta legi Dei præponere? Non est hoc irrita facere mandata Dei, per traditionem hominum? Itaque hoc superest, nos his Scripturæ locis vti, vt oportuit, aduersus Traditionarios Papistas.

VIII. Ad secundum effugium concedimus has Traditiones, quæ reprehenduntur iis locis, habuisse autores Mose & Prophetis recentiores, quomodo Traditiones Papisticæ, quas Catholici reprehendunt, initium habuerunt post Christum, & Apostolos. Sed diuisas apud Iudæos fuisse Traditiones non scriptas, in eas quæ essent à Mose, & eas quæ ab aliis, hoc vero nunquam Bellarminus docebit. Hoc tantum fortasse, fuisse Mosi tributas, quemadmodum hodie multas Apostolis, sed falso. Nam argumenta illa quam sunt friuola? CHRISTVS & Apostoli, nunquam eas Mosis esse dicunt. Concedo: quomodo enim essent mentiti? Ergo Traditiones aliquæ fuerunt Mosis. Itane? nec pudet sophistices? Rursus, aperte Christus & Apostoli testantur se loqui de iis, quæ cum Scripturis pugnant. Vt ante ὅλως fateor, sigillatim nego.

IX. Sed Patres. Ergo, inquam, Patres audiamus. Quid igitur Irenæus in acie primus? *Docet non Mosis legem, sed recentiorum seniorum Traditiones legem corrumpentes, à Christo & Apostolis reprehendi.* Te ipso igitur teste, Bellarmine, scimus Irenæum non distinguere Traditiones, sed eas opponere legi Mosis, id est Scripturæ. Ita mentita est iniquitas sibi. Addo non contrarias tantum legi Traditiones ab Irenæo notari, sed etiam addititias. Nam cap. 24. Iudæos carpit *fingentes plusquam quæ dicta sunt sese obseruare, tanquam diligentiam suam ipsi Deo præferentes*, quæ quanto melius nomine mutato dicerentur de Papistis? Et sequenti. *Non solum autem per præuaricationem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aqua, sed & suam legem è contrario statuerunt, quæ vsque adhuc Pharisaica vocatur, in qua quædam auferunt, quædam vero addunt, quædam autem, quemadmodum volunt, interpretantur.* Dicas Pharisæos affectasse typum Papistarum, qui legi Dei è regione copulant mandata, quæ vocant Ecclesiæ. Sed tamen Bellarmino Irenæus testimonium nullum dixit.

X. Quid Epiphanius? Docet (inquit Bellarminus) Traditiones Iudæorum fuisse quatuor expositiones librorum sacrorum, primam Mosis, & eam non reprehendi: Secundam Rabbi Akibam, tertiam Rabbi Juda, & quartam filiorum Asamonæi, atque has esse quæ reprehenduntur à Domino. Imo Bellarminus hæc retulit fide Jesuitica. Primum, non dixit Epiphanius traditiones Judæorum, fuisse expositiones librorum sacrorum, sed τὰς παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων δευτερώσεις παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λέγεσθαι, *traditiones seniorum, à Iudæis appellari Deuteroses.* Fateor Cornarium τὰς δευτερώσεις vertisse *expositiones.* Sed si peccauit, quid ad nos? Deinde non addit, *librorum sacrorum,* quod à seipso Bellarminus inuexit. Certe vox ipsa aut repetitionem significat, aut, quod verisimilius videtur, secundam quasi curam, vt prima legem Mosis publicauerit, hæc secunda ei legi nonnulla adderit.

XI. Secundo, non dixit Epiphanius, primum genus δευτερώσεων, esse Mosis. Sed, μία μὲν, ἡ εἰς ὄνομα Μωυσέως φερομένη. Cornarius, *vna quæ Mosis nomine fertur.* Non male, sed Græca tamen non satis exprimuntur. Sic igitur potius: *Prima, ad Mosis nomen refertur*, hoc est, quæ nomine Mosis venditatur, scilicet tanquam Mosis esset, quæ re vera non erat. Sic enim plerunque solent Traditionarij sua somnia commendare, suppositis autoribus. Sic iampridem Quadragesima ad Apostolos refertur, & multa alia.

XII. Tertio, non dixit Epiphanius primum genus Traditionum, hoc est, quæ Mosis nomine insigniebantur, non reprehendi à Christo. Neque illi de reprehensione Christi, omnino sermo erat, sed de verbis Epistolæ Ptolomęi ad Floram, trifariam legem diuidentis, legem, inquam, Scripturam, vt esset partim à Deo, partim à Mose, partim à Senioribus, quod ille grauiter impugnat. Audio quidem dicentem, τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ Μωυσέως, οὐκ ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ αὐτὰ ὀνομοθετήθη, ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ διὰ Μωυσέως, *ea ipsa quæ à Mose non sunt sancita*

ta absque Deo, sed à Deo per Mosen. At hoc nihil ad Deuteroses, sed ad Ptolomæi verba. Nam quia is legis scriptæ partem referebat ad Deum, partem ad Mosen, partem ad Seniores: Epiphanius cum exposuisset, quid per Seniorum Traditionem Judæi intelligerent, videlicet, ea quæ ferebantur præter scriptam legem, nunc exponit, quid sit de ea parte sentiendum, quæ tribuebatur Mosi, & hanc docet esse referendam ad Deum autorem, eam, inquam, partem, quæ scripto constabat: nam statim, non multis verbis interpositis, subditur: ὃ δὲ ἔγραψε Μωυσῆς, οὐκ ἐκτὸς βουλήσεως Θεοῦ ἔγραψεν, ἀλλ' ἐκ πνεύματος ἁγίου ἐνομοθέτησε. *quod scripsit Moses, non scripsit nolente Deo, sed sanciuit ex Spiritu Sancto.* Vnde patet pro eodem sumi τὸ γράφειν καὶ τὸ νομοθετεῖν, vt omnino constet non loqui Epiphanium de illis δευτερώσεσι, sed de Mosis lege scripta. Itaq; Epiphanius quatuor illa δευτερώσεων genera, vno quasi fasciculo comprehensa, quid ni nobis æquo iure reiicienda reliquerit?

XIII. Quid iam Hieronymus? Docet traditiones Judaicas, quas Dominus reprehendit initium habuisse à Sammai, Hillel, Achiba, & quibusdam aliis, qui paulo ante ortum Saluatoris existiterant, & legem non tam exposuerant quam corruperant. Ego vero fateor illos traditionum autores nominari. Sed primum, nego cõstitui alias traditiones non scriptas, quæ non improbentur à Domino, secundo nego has solas improbandas significari. Nam improbari, etsi non admonuisset Hieronymus, omnes facile videbant, solas autem improbari; Hoc Bellarmino ostendendum est. Certe Esaias, qui sui temporis Judæos increpabat, has solas non habebat in animo, quæ tot postea seculis ortæ sunt.

XIV. Superest Iustinianus. Nouella autem ita habetur Græce, τὴν δὲ παρ' αὐτοῖς λεγομένην δευτέρωσιν ἀπαγορεύομεν παντελῶς, ὡς ταῖς μὲν ἱεραῖς οὐ συνειλημμένην βίβλοις, οὐδὲ ἄνωθεν παραδεδομένην ἐκ τῶν προφητῶν, ἐξεύρεσιν δὲ οὖσαν ἀνδρῶν ἐκ μόνης λαλησάντων τῆς γῆς καὶ θεῖον ἐν αὐτοῖς ἐχόντων οὐδέν. Latine sic reddo: nam mihi neque vetus versio satisfacit, neque ea quam Bellarminus interpolauit. *Eam vero, quæ ab illis appellatur Deuterosis, omnino prohibemus, vt neq; in sacris libris comprehensam, neq; ab initio traditam à Prophetis, sed adinuentionem potius virorum, qui tantum è terra loquuti sunt, neq; in se diuinum quicquam habuerunt.* Hic vero locus, quid habet, quæso, quod faueat Bellarmino? An enim docet aliquas fuisse traditiones Mosis & Prophetarum? An aliquas à Christo, à Prophetis, ab Apostolis non improbari? Neutrum vero. Imo ne significat quidem, quid Christus aut probarit aut improbarit, neque omnino horum meminit Scripturæ locorum quos habemus præ manib. Ergo ille Bellarmino nullum testimonium dicit.

XV. Sed habet quædam, quæ nobis non leuiter fauent. Primum enim omnem omnino Iudæorũ δευτέρωσιν prohibet Imperator, ergo non (vt Bellarminus volebat) è quatuor ordinibus, tres tantum posteriores. Secundo, has omnes δευτερώσεις, negat à Prophetis descendere, nõ igitur docet aliquas esse à Mose: nam is fuit Propheta. Tertio, eam ob causam prohiberi pronunciat, quod non continerentur in sacris libris, quod argumentũ erat, non esse à Prophetis traditas. Ergo quia non essent scriptę. Et quid nos præterea quærimus?

XVI. Atq; hæc è Scriptura. Venio ad Patres. Tertullian. de Orat. cap. 12. *Sed quoniam vnum aliquod attigimus vacuæ obseruationis, non pigebit cætera quoq; denotare, quibus merito vanitas exprobranda est, si quidem sine vllius aut Dominici aut Apostolici præcepti autoritate fiunt. Huiusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata, & coacta, & curiosi potius, quã rationalis officij.* Perculit hic Pamelium locus, qui annotauit caute legendum, ne contra traditiones Ecclesiasticas, facere videatur, & opponit librum de Corona militis, de quo sequenti libro, quantum satis erit, agemus. Interea habemus Pamelij, magni veterum autorum interpolatoris, plenam confessionem.

XVII. Athanas. in disputatione coram Probo. *Credo quod memorabilibus prudentiæ vestræ sensib. Athanasii prosequutionem nequaquã subtraxit obliuio, quia id elegantius perorauit, illum debere prauitatis errore notari, qui noua & inusitata verborum commenta sectatur, adiiciens Apostolicis dogmatibus, quod ad fidem constat, traditum non fuisse.* Probus respondet, *Ita memini.*

XVIII. Hilarius in Psal. 132. *Quæ libro legis non continentur, ea nec posse debemus.* ἐμφατικώτατα non tantum negauit credi debere, sed etiam cognosci. Nos multo lenius, qui cognosci permittimus, dum ne recipiantur tanquam de fide. Dauius Episcopus Ebroicensis, nunc etiam Cardinalis, negat Hilariũ loqui de omnib. iis quæ non continentur in lege, sed de iis quæ proponuntur, tãquam essent Scripturæ sanctæ, libri ve inspirati à Deo, nec tamẽ sunt in corpore librorum Canonicorum. Agi enim de libro Apocrypho, cui Mosis vel Prophetæ alicuius nomen esset impositum. Sed cur libet ita mentiri? Hilarius enim librum illum nullo dixit insignitum nomine, siue Mosis siue Prophetæ, tantum, *nescio*, inquit, *cuius liber extat.* An vidit librum Dauius? Si non vidit, cur diuinat? Cur suis nos pascit somniis, vt glandibus? Quasi non fruges sint inuentæ. Secundo, nego agere de libro integro, eiusve autoritate Hilarium. Quid ergo? De eo capite, quod inde excerpserat, *quod angeli concupiscentes filias hominum, cum de cælo descenderent, in hoc maxime conuenirent excelsum,* scil. in montem Hermon, hoc ergo caput vt doceret non admittendum, *Sed hæc,* inquit, *prætermittamus. Quæ enim libro legis non continentur, ea nec nosse debemus.* Argumentum. Quicquid fideles cognoscere debent, id oportet esse Scriptum in lege. At hoc non est Scriptum in lege. Ergo id fideles nosse non debẽt. Maiorem oportet esse vniuersalem, ita tamen vt distinguantur tempora. Videlicet quia hic amor Angelorum pertinebat ad tempora quæ ante Mosem fuerant, ideo de lege, id est, libris Mosis specialiter loquutus est, quomodo nos possumus dicere eorum quæ pertinent ad Veteris Ecclesiæ statum, videlicet ante Christum, fidem petendam esse è Veteri Testamento. Porro obseruemus omniũ Papistarum vnam eandemq; esse Dialecticam, vt qui vnum norit, omnes norit, nempe eam quæ thesin non patitur produci vltra hypothesin. Sed Catholicos nefas est tam puerilibus ineptiis implicari.

XIX. Basilius in Esa. c. 2. *Omnis vtiq; operatio, quæ efficitur præter rectitudinem Scripturæ, apud Deum execrabilis est abominatio.* Potuit-ne vehementius? Quanquam hic vel Tilmannus addidit illud *Scripturæ*, vel editio Græca Parisiensis detraxit, in qua nihil legas nisi παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, viderint alij. Verũ in Asceticis regula 80. πᾶν τὸ ἐκτὸς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἐκ πίστεως ὂν ἁμαρτία ἐστίν. *Quicquid est extra Scripturam diuinam, cum non sit ex fide, peccatum est.* Quæ verba recitata sunt à nobis ca. 7. Idem in regulis breuioribus, regula 95. ἐρώτησις. εἰ συμφέρει τοῖς ἄρτι προσερχομένοις εὐθὺς τὰ ἀπὸ τῶν γραφῶν ἐκμανθάνειν; Ἀπόκρισις. καὶ τοῦτο τὸ ἐπερώτημα ὑπὸ τῶν προειρημένων κατευθυνέσθω. Τὸ γὰρ πρὸς τὴν χρείαν ἕκαστον ἐκμανθάνειν ἐκ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἀκόλουθον, καὶ ἀναγκαῖον, εἰς τὴν πληροφορίαν τῆς θεοσεβείας, καὶ ὑπὲρ τοῦ μὴ προσεθισθῆναι ἀνθρωπίναις παραδόσεσιν. *Quæstio, An conducat, vt qui recens accesserunt, confestim scripturas discant. Responsio. Et in hac etiam quæstione ex præcedentib. quid sit tenendum statuatur. Nam quod ex vsu sit suo, singulos è Scripturis sacris discere consequens est, imo necessarium, cum ad plenam pietatis certitudinem, tum ne assuescant humanis traditionibus.*

XX. Puteanus ad tertium ex his Basilij locis Tragice declamat. Sũma huc redit; Primo, Basilium loqui non de omnib. sed de iis qui recens accesserunt, id est Nouitiis, secundo, nolle eos assuefieri, nõ quidem simpliciter Traditionib. vllis, sed tantum solis, vt aliud nihil audiant. Nõ reiicere aũt omnes Traditiones probat, quia tum hoc ipso opere, regulas tradat Monasticas, quę non sunt traditiones diuinæ, tum aliis locis prolixe Traditiones confirmet.

XXI. Respondeo, nescire me, nec ipsum Puteanum docere, quorsum spectet exceptio de Nouitiis, hoc est, iis qui recentes monachatũ profitebantur. Amabo quamnam hæc in se solutionis vim habet? An quia nouitij detinendi sunt in Scripturis, non vero veterani? At qui primum Papistæ, ne nouitios quidem suos monachos in Scriptura occupant, imo asserunt tam esse obscuram, difficilem, perplexam, vt non sit rudiorib. concedenda, ideoq; docendorum nouitiorum initium faciunt, nõ à Scriptura, sed à Traditionib. Secundo, causas huius decreti Basilius notauit duas, priorem, pietatis plerophoriam, quasi diceret, & iam tum ab initiis Nouitios ita docendos, vt omnino certi sint earum rerum quas discunt, pleneq; securi, & eam certitudinem securitatem ve non posse aliunde peti quam à Scripturis, alioquin non dixisset esse non tantum vtile, sed ἀναγκαῖον necessarium: Nam si aliunde haberi poterat eadem πληροφορία, tum potuissent Nouitij eo studio detineri, eodem successu. Posteriorem, ne assuefiant traditionib. humanis, hoc est, ne statim suis initiis doceantur hærere iis quæ non scripta sunt, eamq; recentem impressionem tota vita retineant, vt fieri solet, vnde facile apparet Basilium ne quidẽ Monachos voluisse assuefieri Traditionibus. At hæ causæ non sunt Nouitiis propriæ, sed omnib. fidelibus communes. Itaq; exceptio de Nouitiis est inepta.

XXII. De solis autem Traditionibus, quid dicam, quæ secunda est Puteani exceptio. Videlicet sui semper similes sunt Papistæ, pro arbitrio producentes, contrahentesq; dicta Patrum. Sed non debuerunt Basilium tractare vt infantulum, qui nescierit quib. verbis suam mentem exprimeret. At nos nõ miramur, aut à canib. lapides arrodi, aut à Papistis Patres cogi in ordinem, sed vicissim non censemus æquum esse, vt vllius hominum audacia præscribat veritati. Noluit Basilius Nouitios assuescere traditionib. humanis, hoc nos, vt scriptum est, accipimus vniuersaliter, nec magis credimus Puteano licere in hunc verborum contextum intrudere suum illud *solis*, quam nobis permitteremus idipsum detrahere, si esset additum ab authore.

XXIII. Non reiicere autem Basilium omnes traditiones, omnino nõ probat Puteanus. Nam quos ille alios locos indicat, alias, id est, libro proximo examinabimus, quam vim habeant. De his autem regulis Monasticis, facilis responsio, quia eæ nullæ sunt omnino non à Scriptura. Legat Puteanus diligenter totum librum, quo continentur regulæ trecentæ ac tredecim, videbit, nisi sibi oculos effodiat sciens volensq;, omnes duci è disertis Scripturę locis. Non erat enim Monachatus Basilij eiusdem naturæ cum Papistico. Nam in hoc, præter humanas constitutiones, imo etiam superstitiosas, nihil est quo Monachum agnoscas. Et fateor quidem nonnunquam paulo violentius detorqueri quosdam Scripturæ locos ad instituta illa monastica, etiam à Basilio, sed quid tum? Non enim sequitur Basilium non credidisse, ita Scripturam aut intelligendam, aut applicandam, quomodo etiam sanctissimi quiq; suos habent næuulos, suos lapsus, quorum nos æquum est misereri, & veniam largiri, memores humanæ infirmitatis. Sed hoc tamen Basilius fundamentum retinebat immotum, non discedendum à Scriptura.

XXIV. Proinde huius ipsius operis prima regula, cum interrogaretur, an permittendum sit alicui, vt quæ censebit esse honesta, ea faciat, ac dicat, absq; testimonio Scripturarum, respondens distinguit τὰ ἐν ἡμῖν στρεφόμενα πράγματα, eas res quæ inter nos agitantur, vt alia sint præcepta in Scripturis, alia minime. Illa omnino obseruanda, sic vt neque fiant prohibita, neque omittantur mandata, iisve quicquam aut adiiciatur, aut detrahatur. Secundum autem genus, rerum esse indifferentium, in quibus valeat quod Paulus scripsit: Omnia licent, at non expediunt omnia, aut ædificant.

XXV. Locus est notatu dignus, itaq; adscribam, eoq; libentius, quod regula nonagesima quinta, quam nunc expendimus, eam habet profundamento. Nam eo referuntur hæc verba ὑπὸ τῶν προειρημένων κατευθυνέσθω. Quæstio his verbis cõcipitur, εἰ ἔξεστιν ἢ συμφέρει τινὶ ἑαυτῷ ἐπιτρέπειν ἢ (sic enim lego pro καὶ) ποιεῖν ἢ λέγειν ἃ νομίζει καλά, ἄνευ τῆς μαρτυρίας τῶν θεοπνεύστων γραφῶν; *An licet, aut conducit cuiquam vt sibi permittat vel facere vel loqui ea quæ censet recta, absq; testimonio Scripturarum Sanctarum.* Respons. post nonnullos locos è Scriptura in vnum collatos, ita habet, Τίς οὖν εἰς τοσαύτην ἐξέλθῃ μανίαν, ὥστε ἀφ' ἑαυτοῦ τολμῆσαί τι καὶ μέχρις ἐννοίας λαβεῖν. ὃς ὁδηγοῦ μὲν τοῦ ἁγίου καὶ ἀγαθοῦ πνεύματος χρείαν ἔχει, ἵνα κατευθυνθῇ εἰς τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας κατά τε τὸν νοῦν καὶ λόγον καὶ πρᾶξιν, τυφλός τε καὶ ἐν σκότει διάγει, ἄνευ τοῦ ἡλίου τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ φωτίζοντος ὥσπερ ἀκτῖσι ταῖς ἑαυτοῦ ἐντολαῖς. ἡ γὰρ ἐντολὴ κυρίου, φησὶ, τηλαυγὴς φωτίζουσα ὀφθαλμούς? *Quis igitur in tantam deuenit amentiam, vt à seipso audeat quicquam vel sola cogitatione concipere, cum indigeat Sancto bonoq; Spiritu duce, vt dirigatur tum mente, tum sermone, tum actione in viã veritatis, cæcaq; in tenebris degat absq; sole Iustitiæ Domino nostro Iesu Christo, qui suis præceptis tãquam radiis lucem præbet, sicut scriptum est, Præceptum Domini lucidum illuminans oculos?* Ἐπειδὴ δὲ τῶν ἐν ἡμῖν στρεφομένων πραγμάτων τὰ μέν ἐστιν ὑπὸ τῆς ἐντολῆς τοῦ θεοῦ ἐν τῇ ἁγίᾳ γραφῇ διεσταλμένα, τὰ δὲ σεσιωπημένα, περὶ μὲν τῶν γεγραμμένων, οὐδεμία ἐξουσία δέδοται καθ' ὅλου οὐδενὶ, οὔτε ποιῆσαί τι τῶν κεκωλυμένων, οὔτε παραλεῖψαί τι τῶν προστεταγμένων· τοῦ κυρίου ἅπαξ παραγγείλαντος, καὶ εἰπόντος, καὶ φυλάξῃ τὸ ῥῆμα, ὃ ἐντέλλομαί σοι σήμερον. οὐ προσθήσεις ἐπ' αὐτῷ, καὶ οὐκ ἀφελεῖς ἀπ' αὐτοῦ. φοβερὰ γάρ τις ἐκδοχὴ κρίσεως, καὶ πυρὸς ζῆλος ἐσθίειν μέλλοντος τοὺς τοιοῦτόν τι τολμῶντας, *Quandoquidem autẽ eorum, quæ inter nos agitantur, alia sunt mandato Dei in Scriptura Sacra constituta, alia vero silentio præterita. Quod attinet ad ea, quæ sunt scripta, omnino nemini vlla concessa est potestas, vel aliquid facere eorum quæ prohibentur, vel omittere aliquid eorum quæ iubentur: Cum semel Dominus denuntiauerit, & dixerit, Custodies verbum, quod tibi præcipio hodie, non addes ad illud, neque auferes ab eo. Tremendum enim iudicium expectatur, ignisque ardor deuoraturus eos, qui aliquid tale audent.* Περὶ δὲ τῶν σεσιωπημένων κανόνα ἡμῖν ἐξέθετο ὁ ἀπόστολος Παῦλος εἰπὼν πάντα μοι ἔξεστιν,

ἀλλ'

ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει· πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. μηδεὶς τὸ ἑαυτοῦ ζητείτω, ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος, *Quod vero attinet ad ea quæ silentio sunt prætermissa, regulam nobis constituit Apostolus Paulus, dicens, Omnia mihi licent, at non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Ne quis, quod suum est quærat, sed singuli, quæ sunt aliorum.*

XXVI. His positis concludens infert: ὥστε πᾶσα ἀνάγκη ἢ (duka pharasis, atque haud scio an græca: malim εἶναι, vel omnino verbum deleri) τῷ Θεῷ ὑποτάσσεσθαι κατ' ἐντολὴν αὐτοῦ: *vt omnino necesse sit Deo subijci iuxta eius mandatum.* Nimirum in vtroque rerum genere. Nam in primo subiicimur disertis præceptorum verbis. In secundo vniuersali regulæ ab Apostolo propositæ. Scilicet, illa igitur sunt necessaria, καὶ οὐκ ἄλλως ἔχειν δυνάται, neque aliter se habere possunt: hæc vero libera, siue ἀδιάφορα, quæ pro varijs vtilitatis aut ædificationis circunstantijs vel vsurpari ; vel omitti debent. Credant Basilio Papistæ: deferant illi Iesuitæ: nihil erit quod de Catholicis conquerantur.

CAP. XIII.

An dogmata non scripta πληροφορητικῶς doceri possint.

I. OMnia dogmata fidei ita doceri debent, vt quolibet tempore generetur in cordibus fidelium πληροφορία. At nulla dogmata non scripta in libris Sacris, ita doceri possunt, vt quolibet tempore ingeneretur cordibus auditorum illa πληροφορία. Ergo nulla dogmata scripta sunt fidei dogmata.

II. Maior propositio est inter Christianos κοινὴ ἔννοια, & per se omnino certa. Probatur tamen è Scriptura. Paulus 14. ad Roman. ἕκαστος, inquit, ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω: *vnusquisque in suo animo plene certus esto*: quibus verbis adhortatur Christianos, vt in vsu ipsarum rerum ἀδιαφόρων, quisque laboret plenam habere certitudinem in sua mente, ne quid agat titubans: vnde Syrus vertit, *in cognitione*, siue vt vertit Boderianus, *in scientia animæ suæ confirmetur, aut certus esto.* Pessime Latinus, *abundet in suo sensu*, phrasi vel periculosa, vel obscura: imo periculosa, quia obscura. Post. ad Timoth. 4. ὁ δὲ κύριός μοι παρέστη καὶ ἐνεδυνάμωσέ με, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ, καὶ ἀκούσῃ πάντα τὰ ἔθνη. *Adstitit mihi Dominus, & confirmauit me: vt per me, plenam certitudinem acciperet prædicatio, & audiretur ab omnibus gentibus.* Nimirum, quia in Pauli confessione tam solemni, operabatur extra ordinem Spiritus Dei, adeo vt omnino confirmarentur animi iam credentium, mouerentur etiam nondum credentes. Ad Colossenses secundo: ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν συμβιβασθέντων ἐν ἀγάπῃ, καὶ εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως, εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ. *Vt consolationem accipiant eorum corda ipsis charitate compactis, & omni opulentia certo persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem mysterij Dei & Patris & Christi.* Sic Thessalonicenses laudantur primo capite prioris. quod Euangelium excepissent; ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ. Et Hebræos Apostolus hortatur cap. 6. vt τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος retineant vsque ad finem: & 10. προσερχώμεθα, inquit, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, *accedamus cum certa persuasione fidei.* Adde Iacobum, opponentem τὸ ἐν πίστει, τῷ διακρίνεσθαι, cap. 1. αἰτείτω, inquit, ἐν πίστει. μηδὲν διακρινόμενος, *petat in fide nihil addubitans.* Denique Basilius homilia de fide: fidem definit συγκατάθεσιν ἀδιάκριτον τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας, *assensum indubitatum eorum quæ audiuntur cum plena veritatis persuasione*: hoc est, sic vt audienti plene constet vera esse.

III. Iam vero assumptio probatur, primo testimoniis veterum, deinde rationibus. Hieronymus in Matthæi 23. *Hoc quia de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Augustinus de Ciuitate Dei lib. 19. cap. 18. cum dixisset, Ciuitatem Dei, id est, Ecclesiam, detestari dubitationem Academicam, tanquam dementiam, habereque etsi paruam, tamen certissimam scientiam, de rebus quas mente atque ratione comprehendit: his, inquam, ita propositis, subiungit, *Credit etiam Scripturis Sanctis, & veteribus & nouis quas Canonicas appellamus, vnde fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuit: per quam sine dubitatione ambulamus, quandiu peregrinamur à Domino: quæ salua atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam peruenerunt, sine iusta reprehensione dubitamus.* Addo Basilium superiore capite asserentem ea quæ non constant ex Scripturis, metienda esse ex Canone Apostolico, de rebus adiaphoris. Certe si quæcunque non comprehenduntur in Scripturis, sunt ἀδιάφορα, nemo sanus ea dixerit pertinere ad illam quam diximus fidei πληροφορίαν.

IV. Basilius epistol. 80. quæ est ad Eustathium medicum: quanquam esse Gregorij Niceni potius censent alii, & ita nuper edita est tomo primo huius operũ apud Motelliũ, & quidẽ quã antea correctius, Ἀλλ' ἐγκαλοῦντες τοῦτο προφέρουσιν, ὅτι ἡ συνήθεια αὐτῶν τοῦτο οὐκ ἔχει, καὶ ἡ γραφὴ οὐ συντίθεται. Τί οὖν καὶ πρὸς τοῦτο ἡμεῖς; οὐ νομίζομεν δίκαιον εἶναι τὴν παρ' αὐτοῖς ἐπικρατοῦσαν συνήθειαν νόμον καὶ κανόνα τοῦ ὀρθοῦ ποιεῖσθαι λόγου, εἰ γὰρ ἰσχυρόν ἐστιν εἰς ὀρθότητα λόγου ἡ συνήθεια, ἔξεστι καὶ ἡμῖν πάντως ἀντιπροβάλλεσθαι τὴν παρ' ἡμῖν ἐπικρατοῦσαν συνήθειαν. εἰ δὲ παραγράφονται ταύτην ἐκεῖνοι, οὐδὲ ἡμῖν πάντως ἀκολουθητέον ἐκείνοις. οὐκοῦν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή, καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λογίοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ἡ ψῆφος, *Sed criminantes hoc obijciunt, quod consuetudo eorum id non habeat, nec Scriptura concordet. Quid igitur nos item aduersus hoc? Non arbitramur æquum esse, vt consuetudo quæ apud ipsos obtinet, pro lege ac norma rectæ rationis habeatur. Nam si consuetudo res valida est ad rectitudinem rationis ac sermonis probãdam, prorsus etiam nobis licet contra prætendere consuetudinem, quæ apud nos inualuit: sin autem hanc illi præscribunt & reijciunt, ne nos quidem illos omnino sequi oportet. Igitur diuino Spiritu prodita Scriptura, arbitra controuersiarum inter nos dirimat, & apud vtroscunque inuentæ fuerint sententiæ consonæ verbis diuinis, ad hos prorsus suffragium veritatis accedat.*

V. Huic loco nebulas obducere Bellarminus conatur, vt semper Basilio, ait, in quæstione, an dicendæ essent tres hypostases, vna vero Deitas, obiecisse quosdam consuetudinem suæ regionis, vbi talibus verbis nemo vteretur: respondere Basilium in aliis regionibus, aliam esse consuetudinem. Non agi ergo de traditione recepta in tota Ecclesia, sed de particularib. cõsuetudinib.

VI. At primo, meminisse debuit Bellarminus, inter non scriptas Traditiones, etiam à seipso numeratas esse particulares consuetudines, scilicet in tertio Traditionum ordine, quas Ecclesiasticas appellauit. Quare Basilium, aduersus has saltem nobis argumentum commodare, vt sciamus particularibus consuetudinibus alias particulares opponi posse: itaque ex iis nihil firmi statui, aut concludi. Maxime vero Tridentinam Synodum, inconsiderate, imprudenter, imperitè decreuisse omnes Traditiones pari pietatis affectu recipiendas cum verbo scripto, hinc fit perspicuum.

VII. Secundo, dico Basilio negotium fuisse cum Arianis, qui; dici tres hypostases, non indignabantur, sed vnicam Deitatem impugnabant. Testatur Basilius, πρὸς γὰρ οὖν τὴν διαίρεσιν τῶν ὑποστάσεων οὐκ ἂν ἔχοιεν ἀλλοτρίως, οἱ τὴν ἑτερότητα τῶν οὐσιῶν ἐπὶ τῆς θείας δογματίζοντες φύσεως, οὐ γὰρ εἰκὸς ἔτι τοὺς τρεῖς λέγοντας οὐσίας, μὴ καὶ τρεῖς ὑποστάσεις. λέγειν οὐκοῦν τοῦτο μόνον ἐστὶν ἐν ἐγκλήματι τὸ τὰ ἐπιλεγόμενα τῇ θείᾳ φύσει ὀνόματα μοναδικῶς καταγγέλλειν, *Diuisionem quidem hypostaseon non ægre ferrent ij qui in natura diuina docent esse aliam essentiam. Neq; enim verisimile est, eos qui tres dicunt essentias, non dicturos etiã tres hypostases. Hoc igitur solum accusant, quod quæ de natura diuina dicũtur nomina, ea singulariter prædicantur.* Patet igitur vnicam fuisse tum temporis Basilio quæstionem; an dicenda esset vnica Deitas.

VIII. Huic illi duplex argumentum opponebant; alterum à propria consuetudine, alterum ab autoritate Scripturæ: sunt enim hæc totidem verba, ὅτι ἡ συνήθεια αὐτῶν τοῦτο οὐκ ἔχει, καὶ ἡ γραφὴ οὐ συντίθεται, *Neque id habet eorum consuetudo, neq; Scriptura consentit.* Horum argumentorum alterum reijcit. alterius examen libenter subit. Consuetudinem (inquam) reijcit opposita altera consuetudine. Ergo fatendum quidem nobis est intelligi particulares consuetudines, hoc est, non vtrique parti communes: sed eas particulares quarundam regionum male Bellarminus esse dixit.

IX. Nam earum consuetudinum altera erat Arianorum. Ariani autem nõ erant vnius alicuius regionis incolæ, vt Pepuziani, vt Donatistæ: sed longè lateque patebant: ac pene totum orbem occupabant. Deinde, quis nescit tũ in Oriente, tum in Occidente, in Ecclesia tum Græca, tum Latina, plures substantias fuisse ab hæreticis prædicatas? Aut quis credat Arianos tam parum fuisse acutos, vt Catholicis, alicuius tantum gentis consuetudinem obiicerent? Imo illud erat potius, quo illi insolenter sese efferebant, totum orbem secum sentire.

X. Altera erat Catholicorum. Erat enim Basilius Catholicus. Neque vnquam fando auditum est, non vbique terrarum Catholicos confiteri, vnicã Deitatem: etsi aliquando τριῶν ὑποστάσεων nominatio nonnihil habuerit difficultatis: non ipsius rei causa. sed ambiguitatis: quia videbatur significare tres essentias, quas in Deitate nunquam vllus admisit Catholicus. Sed, vt dixi, de tribus hypostasibus, nullum erat tum Basilio negotium; imo de vnica essentia: cuius confitendæ consuetudo non particularis erat Cappadocum, quorum Basilius Episcopus, sed generalis omnium Catholicorum vbique terrarum. Itaque Basilius consuetudini Arianorum, quæ longe lateque patebat, opponit consuetudinem catholicam Catholicorum.

XI. Et tamen vtramque remouet ab inquisitione veritatis: iniquumque esse ostendit, si Ariani Catholicos, aut Arianos Catholici vrgere velint hoc argumento: nos ita solemus, aut nõ solemus. Immerito ergo Bellarminus dixit non agi de traditione recepta in tota Ecclesia. Et tamen, si verum esse maxime concederetur, particulares esse has consuetudines, nihilominus inepta esset solutio. Nam vtramque hanc consuetudinẽ refutat argumento generali, quod consuetudo nihil habeat solidi ad demonstrandã veritatẽ, οὐκ ἰσχυρόν ἐστιν εἰς ἀπόδειξιν ὀρθότητος ἡ συνήθεια, sic enim resoluenda est hypothetica particula: ita formato argumento: Si omnis consuetudo valet ad demonstrationem veritatis: Ergo & Catholicorum. At falsum posterius: Ergo & prius. Itaq; rursus vt alias, cum ex thesi argumentetur ad hypothesin: Bellarminus bonus dialecticus, ex hypothesi thesin contrahit. Satin' sane?

XII. Ex duplici igitur Arianorum obiectione, alteram à consuetudine Basilius prorsus respuit. Alteram autem à Scripturis quid? Magnificè, οὐκοῦν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή, Iudicet, siue de tota lite pronunciet diuina Scriptura. Nam διαιτητὴς in Glossario est disceptator, arbiter. Dixerant Ariani Scripturas non consentire iis qui in tribus hypostasibus vnam diuinitatem confiterentur. Non potuit Basilius hoc forum declinare: imo noluit: imo gauisus est eo trahi. Et protestatus est sibi æquum videri, vt iis adiudicetur veritas, quibus Scripturæ consentientes deprehendentur. Constanter: vt Catholicum decuit: vt inter Catholicos magnum doctorem; splendidissimum lumen. Vtri vtris hodie similiores? Arianisne Catholici, nonnisi è Scripturis iudicari controuersias volentes: Basilio ne Papistæ, vix quicquam præter consuetudinem, traditionesve, crepantes? aut si quando Scripturam, tamen æquo iure traditiones? Sani iudices sedento. Sed Basilius tamen agnouit, nihil esse firmitatis in Traditione.

XIII. Venio nunc ad rationes, quibus confirmamus assumptionem propositi syllogismi. Earum prima est: Omnia dogmata, quæ incertum est prodisse à Spiritu Sancto, ea inepta sunt ad generandam πληροφορίαν. At omnia dogmata non scripta, incertum est prodisse à Spiritu sancto. Ergo, omnia dogmata non scripta inepta sunt ad generandam πληροφορίαν. Propositio patet: quia, cum veritas Christiana sit supernaturalis, adeo vt neque sensu, neq; experientia, neque ratiocinatione in scientiam venire possit, necessaria est reuelatio, eaque non ab hominibus, sed à Spiritu Sancto. Vnde Petrum Christus beatum prædicauit, quod ei reuelata esset confessio fidei, non à carne & sanguine, sed à Deo Patre.

XIV. Probatur autem assumptio inductione. Nam Traditiones aduersarij diuidunt in diuinas, Apostolicas, Ecclesiasticas. Postremæ singulis nascuntur ætatibus, cum tamen pridem desierint viri θεόπνευστοι, hoc est, qui infallibiliter moueantur à Spiritu Sancto, sed tantum κατὰ τὸ μέτρον. Adde Irenæum dicentem c. 1. lib. 3. *Non per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quã per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos:* hos autem manifesto intelligit Apostolos, qui primo præconiauerunt, postea scripserunt. Ergo, per eos qui non fuerunt ex illo numero, non habemus cognitionem salutis nostræ. Quorsum igitur Ecclesiasticas traditiones?

XV. Diuinas & Apostolicas, si quæ sunt, necesse est natas esse ab ipso Christianitatis initio. Sed hoc, nisi ex Scriptura Sacra, constare non potest, saltem certo: quia reliqua testimonia, quæcunque ad earum originem probandam conquiri possunt, omnia sunt infirma, & titubantia: vtpote mere humana, quibus non credere, absurdum non est. Et vt plurimum illis concedas, verisimilitudine placent. At πληροφορία longissime excedit o-

tuuem verisimilitudinem, imo vero omnem philosophicam demonstrationem.

XVI. Quid? quod earum origo adeo obscura est, vt à nemine certo indicari possit? Nam cum aliquot secula percurreris, quasi cum leporis vestigia canes sagiunt, tandem in nubes dissipantur, vel condunt se in turbam, vt solet accidere temere ac sine certo autore publicatis rumoribus. Sic enim, exempli gratia, probatur à Bellarmino iure mutilatam esse Eucharistiæ communionem subtracto poculo: quia Constantiense Concilium non tum primo instituit eum vsum, sed prohibuerit tolli consuetudinem iam receptam & approbatam consensu gentium. Id legas libr. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 28. Eius ergo mutilationis habemus quidem disertum testimonium, etsi nō αὐθεντικὸν in actis Concilij Constantiensis: at si ascendas altius, tum nemo certus autor obtenditur, sed consensus populorum prætenditur. Et hæc est πληροφορία.

XVII. Hinc illa est Augustini regula, Traditionariis nostris propriis digitis notior, fere dixerim spiritu familiarior, *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta teneri.* Epistola centesima decima octaua. Et libro quarto contra Donatistas capite vigesimo quarto, *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi autoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Esto, inquam: Vt tamen non inquiram altius in ipsam rei veritatem, quis mihi has leges præscripsit? Augustinus? Recte. Quis hic autem fuit? Non certè Deus. Non etiam Apostolus: adde ne vir quidem Apostolicorum temporum. Ergo hæc mihi tota traditionum fides in Augustinum recumbit, non in Deum, non in Apostolum. Et hæc est πληροφορία? Et hæc illa est omnium demonstrationum certissima demonstratio, quam fides exigit? Vt mihi sufficiat, vnum exsangue *datur intelligi*: & alterum illud frigidum, *rectissime creditur?*

XVIII. Hæc erat prima ratio. Iam secunda. Quicquid falsitatem potest admittere, id ineptum est ad generandam πληροφορίαν. At traditio non scripta falsitatem potest admittere: Ergo inepta est ad generandam πληροφορίαν. Maior patet: quia singulis traditionibus commendandis necessarium esset hoc axioma, Omnis traditio est necessario vera: quēadmodum necessarium est iis, quos ex Scriptura docere volumus, nos prius persuadere, omnem Scripturam esse necessario veram. Nam si quædam admittantur traditiones falsæ, tota claudicabit traditionum autoritas. Quemadmodum de Scripturis Augustinus dixit Epistola nona, *Si ad Scripturas Sanctas admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas? Statim enim vt protuleris, si aliter sapit qui contra nititur, dicet illud quod prolatum erit honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum.*

XIX. Superest minor. Ea probatur ex variis obseruationibus; quarum magnus numerus colligi facile potest. Sed non est necesse. Quædam sufficient, exempli caussa. De Papia antiquissimo autore Eusebius historiæ libro tertio capite vltimo, testatur in hunc modum, καὶ ἄλλα δὲ ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατέθεικε, ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα. ἐν οἷς καὶ χιλιάδα τινά, φησιν, ἐτῶν ἔσεσθαι μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν σωματικῶς τῆς τοῦ Χριστοῦ βασιλείας ἐπὶ ταυτησὶ τῆς γῆς ὑποστησομένης. Hoc est, interprete Christophorsono, *Alia præterea idem autor quasi traditione non scripta ad se peruenisse commonstrat, quæ peregrinas quasdam Seruatoris parabolas, & nouas eius doctrinas atiaque nonnulla commentitiis fabulis referta continent. In quibus asserit, regnum Christi post vniuersæ carnis à mortuis resurrectionem, mille annos humano & corporeo more in terra hac continuatum & stabilitum fore.* Atqui hæc traditio iampridem, tanquam erronea, est ab Ecclesia explosa; etsi post Papiam, à Tertulliano, Irenæo, Lactantio confirmata. Atque hoc primum esto vitiosæ Traditionis exemplum. Secundum est de Christi Domini nostri ætate. Nam passum esse anno ætatis trigesimo docuit Tertullianus, contra Iudæos capite octauo, consentiente Clemente Alexandrino, Stromateon primo. Irenæus vero docuisse asserit post annum ætatis quadragesimum, libro secundo, capite trigesimo nono: & laudat testes omnes seniores qui in Asia apud Ioannem discipulum Domini conuenerunt: quæ descriptiō est traditionis eius, quam hodie Apostolicam appellant, quia redibat in autorem Apostolum. Tertium exemplum, idque illustrissimum, est in veteri Ecclesiarum dissidio ob festum Paschatis. Nam teste Eusebio historiæ libro quinto, capite vigesimo secundo editionis Christophorsonianæ, omnes Ecclesiæ Asiæ antiqua quadam traditione adductæ, decima quarta die Lunæ celebrabant: Traditione (inquam) repetita inde vsque à Philippo, & Ioanne. At reliquæ per vniuersum terrarum orbem Ecclesiæ, ex consuetudine item Apostolica (sic enim iactabant) alium morem obseruabant. Quartum exemplum in Canone sanctarum Scripturarum. Quem ab Apostolis Ecclesiæ commendatum Origenes, Melito, Athanasius, Hieronymus, Rufinus, Cyrillus Hierosolymitanus, atque alij plurimi, aliter enumerant: aliter rursus Papistæ nostri, qui videri volunt pro Catholicissimis, Apostolicissimisq; vt constat ex sexto & septimo libro harum controuersiarum. Quintum exemplum in vsu imaginum: quem Damascenus Orthodoxæ fidei libro quarto, capite decimoseptimo arcessit ab Apostolorum non scripta traditione. At Eusebius longe antiquior, affirmat fluxisse ab imitatione Ethnicorum: & ex priuata singulorum deuotione, vel superstitione potius. Locus est hist. lib. 7. ca. 14. Infinita possunt eius generis colligi.

XX. Constant ergo partes argumenti. Bellarminus tamen tum ad maiorem respondet, tum ad minorem. Maiorem negat proposita exceptione: quia valeret aduersus Scripturas. Ratio hæc est, quoniam multi libri falsi & perniciosi ornati fuerunt olim titulo librorum Canonicorum, insignitique nomine Petri, Pauli, Bartholomæi, atque aliorum Apostolorum, vt patet ex Gelasio in Concilio septuaginta Episcoporum: ex Hieronymo in libro de viris illustribus in Luca. Ex Paulo etiam posterioris ad Thessalonicenses secundo, *Ne terreamini, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam.*

XXI. Sed hæc instantia inutilis est, imo falsa. Nunquam enim illi suppositítij libri fuerunt in Canonē admissi, quantumlibet specioso nomine Apostolorum proferrentur ab hæreticis ornati: nec sane periculum est, ne recipiantur: Nam si ex præteritis fit in futurum coniectura, certe, si emensis iam seculis sexdecim incorruptus mansit Canon, quantumuis contra nitentibus hæreticis, quis porro vereatur, ne hinc ad finem vsque mundi facilius corrumpatur? Deinde, iam ab initio certus est constitutus librorum sacrorum numerus, quorum corpore continetur Scriptura Sancta: adeo vt, quum illam nominamus, nemo fidelium quicquam intelligat, præter hos ipsos libros; non vero indefinitam, incertamve, nescio quam. Itaque, qui argumentum nostrum contendet valere posse aduersus Scripturas, eum oportet asserere, hos ipsos libros, quos nunc habemus pro Canonicis, posse falsum admittere, quod quis non horreat? At Traditionum non potest esse eadem ratio; quia harum infinitus est campus, nulloque vnquam numero circumscripta, aut coercita luxuria. Quare accidit idem quod post mortem Cæsaris. Quia enim Senatusconsulto rata erant Acta Cæsaris, nec definita tamen, Antonius, cum in sua potestate haberet eius commentarios, ascripsit quæ voluit, proposuitque ὡς τῷ καίσαρι δόξαντα. Denique, quia conuenit in statu quæstionis, ea quæ non continentur in his libris Canonicis, quamuis alibi scripta sint, contineri Traditionum non scriptarum nomine, tum certe si quid in Ecclesiam vitij irrepsisset ex iis libris suppositítijs, quia non ortum esset è Canonicis, necesse esset fateri, profluxisse ex Traditione non scripta: etiam si fieri potuisset, vt non satis perspicax Ecclesia, aut potius non satis attenta Scripturæ Sacræ, hoc intrudi permisisset in Canonem.

XXII. Nunc ad minorem veniens Bellarminus primo de duobus primis exemplis agit: deinde assignat remedium contra falsas traditiones. Papias (inquit) errorem illum suum de mille annis, non tam ex traditione non scripta, quam ex Scriptura male intellecta Euangeliorum & Apocalypsis desumpsit, vt Hieronymus docet in caput quadragesimum nonum Isaiæ, & decimumnonum Matthæi. Irenæus quoque ex traditione & Scriptura conatur probare Dominum ad annum fere quinquagesimum peruenisse. Tertullianus etiam & Clemens Alexandrinus ex sola Scriptura male intellecta nituntur probare errorem suum.

XXIII. Respondeo Eusebij verba esse diserta, ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα. Irenæi etiam non minus testes citantis omnes seniores in Asia, qui viderant Ioannem. Nec contra quicquam probatur. Nam Papistæ interpretationem Scripturarum referunt ad traditionem non scriptam: præcipue vero eam, quæ locos non candide & simpliciter, sed cum quadam violentia detorquet. Sic enim mihi liceat interpretari, id quod illi aliter efferunt, obscuritatem prætēdentes. Vt Purgatorium, qui statuunt ex prioris ad Corinthios tertio, quia tamen locus est obscurus, indigetque multo artificio, quo ad eum sensum pertrahatur, ideo non minus ad Traditionem confugiunt. Imo Driedo tomi primi libro quarto, capite quinto, contendit omnium traditionum Papisticarum initia & fundamenta esse in Scriptura: hoc est, vt ego interpretor, nonnullos esse locos, qui ad eas possint detorqueri. Et sane notum est semper eos etiam, qui quolibet modo sua somnia proferebant, abusos esse Scripturis. Itaque non sequitur, non fuisse illas traditiones non scriptas, etiam si confirmarentur detortis Scripturis. Imo ipse Bellarminus non potest inficias ire. Nam & Papiam non simpliciter negauit vti traditione: sed non tam traditione: quam Scriptura. Irenæum autem & traditione & Scriptura. Ergo ipso iudice vterque Traditione nitebatur: admittebat ergo falsitatem Traditio. Scripturæ autem non possunt in societatem criminis vocari: quia reuera constat Scripturam eos errores nunquam docuisse, nec posse ad eos accommodari, nisi magna violentia, id est, interpretatione coacta. Porro Scriptura male intellecta, non est Scriptura. Inclinat ergo totum falsitatis onus in Traditionem.

XXIV. Superest remedium. Est igitur (inquit) in Ecclesia autoritas, & certa etiam via ac ratio discernendi veras traditiones à falsis: neque vnquam publico iudicio Ecclesiæ recepta fuit falsa traditio pro vera.

XXV. Hic vero nos multa regerimus. Primo, quid tum? Nam si conquirendum est aliquod remedium ad distinguendas falsas traditiones à veris. Ergo necesse est fateri quasdam esse falsas traditiones. At inde conficitur nostra conclusio: non posse igitur Traditiones πληροφορίαν generare. Nihil enim falsitati obnoxium certum esse potest, indubitatumque fundamentum fidei, speique Christianæ; siue id remedio careat, siue minus. Quid enim? an credimus Hieronymum existimasse nullo modo discerni potuisse mendacia officiosa Scripturarum, ab immota veritate? Et tamen pronunciabat Augustinus actum esse de Scripturarum autoritate. Cur non nos similiter de Traditionibus?

XXVI. Secundo, autoritas Ecclesiæ, ipsis aduersariis ita affirmantibus, non est aliud quam Traditio non scripta. Perinde est igitur ac si totidem verbis Bellarminus diceret, traditionem viam esse dignoscendæ traditionis. At hæc serra in infinitum reciprocabitur. Nam si ob falsitatem iam mihi Traditiones suspectæ sunt, quis non videt non posse mihi αὐθεντικῶς probari à Traditione traditionem? Nos vero fatemur esse aliquam viam & rationem iudicandi de traditionibus, nec tam parum consuluisse Deum fidei Christianorum, vt hac parte eam desertam relinqueret: sed eam nullam nouimus certam firmam, omninoque securam præter Scripturam: cui quicunque non hærent, eos oportet misere animo, assensuque distrahi: ideoque fide carere.

XXVII. Tertio, Quid tum? si sit in Ecclesia autoritas, & ratio discernendi veras traditiones à falsis? An propterea nemini nocent falsæ traditiones? Imo Papias, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, viri magni, decepti sunt. Quid igitur speret aliquis è plebe? Imo quid speret plebs ipsa: cum hæc sui temporis lumina norit, adeo fœde obscurata? & quidem hanc ob causam, quod inniterentur Traditioni non scriptæ? Illi (inquam) traditioni, quam ei solam relinquunt hodie magistram? Nam illi habebant saltem paratum antidotum Scripturas Sanctas, de quibus hodie plebs arcetur tanquam à certissima peste animarum.

XXVIII. Quarto, quod nullam falsam traditionem receptam fuisse dicit publico Ecclesiæ iudicio, multa consideratione indiget. Et primum non meminit Bellarminus se inter non scriptas traditionns numerare etiam consuetudines, tum vniuersales, tum particulares? Quæro igitur, vtrum

pütet etiam nulla consuetudine receptam vllam traditionem falsam? Nam si fatetur: Ergo manet immotum argumentum nostrum, Traditiones, illud (inquam) traditionum genus, quod admittendum ipse contendit, esse fallax: illud (inquam) quod quanquam diuersum est à publico iudicio, non minus tamen est Traditio Ecclesiastica. Sin neget, conuincetur ipsa experientia. Nam de particularibus consuetudinibus, quid dicam? Ipse enim de Sanctis lib. 2. cap. 8. non probat eorum consuetudinem, qui vt Trinitatem significarent, hominem pingebant cum triplici vultu: vel duplici capite intermedia columba. Ergo particulares consuetudines sunt falsi capaces. Quid rursus de vniuersalibus? Ipse enim eod. cap. fatetur non tam certum esse an sint faciendæ imagines Dei, siue Trinitatis, quam Christi & Sanctorum, quia sit tantum in opinione. Et tamen idem licere probat ex vsu Ecclesiæ: quia iam receptæ sint ferè vbique Dei, Trinitatisque imagines. Ergo (inquam) potest vsus Ecclesiæ niti sola opinione: cur non etiam admittere falsum? certe aliquid saltem non satis certum.

XXIX. Ad hæc, iudicium illud Ecclesiæ publicum, intelligitur vel vniuersale omnium Ecclesiarum, vel particulare quarundam. Si posterius, falsum est, nullo vnquam publico iudicio admissas esse falsas traditiones. Nam Carthaginense Concilium sub Cypriano, erat iudicium Ecclesiæ, saltem μερικὸν, erat publicum, quia Concilium: & tamen eo approbatus est anabaptismus. Item Concilia quædam Asiatica, Pascha celebrari volebant quarta decima Luna cum Iudæis apud Eusebium. Est igitur publicum Ecclesiæ iudicium capax falsi.

XXX. Sin autem prius intelligimus, id est, Oecumenicum iudicium: tum non erit remedium vniuersale: cum constet ex Bellarmini confessione Traditionum alias esse vniuersales, alias particulares: has autem ipsa ratio euincit non pendere à iudicio omnium Ecclesiarum. Itaque saltem hîc hæret aqua. Deinde vniuersalia iudicia cum nulla sint nisi in Concilijs vniuersalibus: rara autem admodum hæc sint, non erit sufficiens remedium. Exempli gratia, ab Apostolorum tempore ad Constantinum vsque, hoc est, spatio trium seculorum, nullum notari potest eiusmodi iudicium: itaque tanto spatio Traditio potuit esse suspecta, nec satis certum fundamentum fidei fidelium. Mitto quæstionem alio tempore, & loco tractandam prolixius, scilicet etiam vniuersalia Concilia falli posse, vt Ariminense Arianum, Nicenum secundum idololatricum.

XXXI. Denique si sunt traditiones aliquæ falsæ, aliquæ veræ, ideoq; discernendæ, iudicandæ, separandæque aliæ ab aliis: ergo necesse est Traditiones, si quam autoritatem habent, eam vt accipiant aliunde, non autem à seipsis. At nihil quod per se certum non est, sed mutuatur extrinsecus suam fidem, eam potest generare πληροφορίαν quam quærimus. Ergo certum est nostrum argumentum.

CAP. XIV.

De regulis discernendarum Traditionum.

I. QVoniam ad discernendas Traditiones veras à falsis non tantum Ecclesiæ autoritatem Bellarminus nominauit, sed certam etiam viam & rationem: iuuat hoc loco paulo diligentius hanc viam rationemque excutere: hoc est, regulas illas examinare, quas proponunt tum ipse Bellarminus cap. 9. lib. 4. de Verbo Dei non scripto: tum Canus lib. 3. locor. Theologic. c. 4. Proponam illas prius ordine quo sunt à Bellarmino constitutæ: tum addam nostras considerationes.

II. Prima regula. Quando vniuersa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur quod non inuenitur in diuinis literis, necesse est dicere, ex Apostolorum traditione id haberi. Existimo hanc esse Cani secundam, his verbis conceptam: Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, huiusque contrarium vt hæreticum refutarunt, quod tamen è Sacris literis non habetur, id nimirum per Apostolicam traditionem habet Ecclesia. Probatur à Bellarmino. Quæcunque sunt de fide, ea reuelata sunt à Deo per Apostolos, aut Prophetas, vel ex reuelatis euidenter deducuntur. At quæcunque Ecclesia vniuersa tanquam fidei dogmata amplectitur, illa sunt de fide. Ergo ea vel reuelata sunt à Deo per Apostolos & Prophetas, vel ex reuelatis euidenter deducuntur. Propositio per se patet. Assumptio probatur, quia Ecclesia non potest errare.

III. Secunda regula. Quando vniuersa Ecclesia aliquid seruat, quod nemo constituere potuit, nisi Deus, quod tamen nusquam inuenitur scriptum, necesse est dicere, ab ipso Christo & Apostolis eius traditum. Hanc Canus tertio posuit loco, & his verbis exposuit? Si quicquam est nunc in Ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione necessario deriuatum est. Argumenta Bellarmini sunt duo. Prius, quia Ecclesia non potest errare, aut in credendo, aut in operando. Posterius ex Augustino Epistola 118. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.*

IV. Tertia regula. Id quod in Ecclesia vniuersa, & omnibus retro temporibus seruatum est, merito ab Apostolis creditui institutum, etiamsi illud tale sit, vt potuerit ab Ecclesia institui. Hæc apud Canum prima est, ipsis Augustini verbis concepta, quæ citantur etiam à Bellarmino ex lib. 4. contra Donatistas cap. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Hanc autem nullis argumentis probant, sed exemplis illustrant Quadragesimæ, & Ordinum.

V. Quarta regula. Cum omnes doctores Ecclesiæ communi consensu docent aliquid ex Apostolica traditione descendere, siue in Concilio generali congregati, siue scribentes seorsim in libris, illud credendum est Apostolicam esse traditionem. Est Cani quarta. Si viri Ecclesiastici aliquod dogma, vel vnamquamlibet consuetudinem vno ore testentur nos ab Apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, vt ita esse credamus. Probatur, quia alioqui tota Ecclesia erraret, quippe quæ doctores suos sequi tenetur, & sequitur.

VI. Quinta regula. Id sine dubio credendum est ex Apostolica traditione descendere, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, vbi est integra, & continuata successio ab Apostolis. Et probatur ex Irenæo lib. 3. c. 3. Tertulliano libro de Præscriptionibus.

VII. Hæc sunt illa antidota, hæc ἀλεξιφάρμακα, quibus se Traditionarij satis putant tutos à falsis traditionibus. Sed hæc quam sint parum vtilia, quam sint non sufficientia ex his considerationibus apparebit: quarum aliæ sunt generales, aliæ singulis regulis particulares. Nam & peccant omnes simul: non satis cauentes fidei Christianæ, quam vndique tutam esse oportet. Et singulæ habent suum aliquid, quod vere redolet traditionum vanitatem, id est, humani cerebri ἀῤῥωστίαν, qui tum sibi minus prouidet, cum maxime suæ prudentiæ specimen edere conatur. Atque id quidem iustissimo iudicio Omnipotentis Dei, qui se prædixit frustraturum prudentium huius seculi consilia.

IX. Primo, hæ omnes regulæ non docent discernere falsas traditiones à veris: sed tantum Apostolicas à non Apostolicis. At Traditionum omnino minima pars est earum quas ad Apostolos referunt. Nam distinxit noster Bellarminus dupliciter, tum ab autoribus, tum à materia. Ab autoribus in Diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas. A materia vero in eas quæ sunt de fide, & quæ sunt de moribus: in perpetuas, & temporales, in vniuersales & particulares. At hæ regulæ de Ecclesiasticis omnino nihil agunt. Quid igitur? Certè necesse est, vel omnes Ecclesiasticas censeri πάντῃ ψευδὲς ἄμοιρες. omnino expertes falsi: aut omnino omnes falsas: vt nullo opus sit artificio ad eas discernendas: quorum tamen illud omnino falsum est, hoc ne ipse quidem Bellarminus admittat. Vel vnum restabit, vt fateamur has regulas esse insufficientes, vt quæ caueant tantum ne Apostolorum nomine intrudantur in fidem falsa, non vero, vt ne Ecclesiæ titulo, vnde aut maius, aut certe non minus malum imminet: vt iám periculum sit ne Papistis idem vsu eueniat, quod Æsopicæ ceruæ. τῇ πὶ ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν πεπηρωμένῃ.

X. Secundo, quibusnam, quæso, ponuntur hæ regulæ? Omnibusne omnino fidelibus, an quibusdam tantum? Si omnibus, vt necesse sit etiam singulos fideles, nullam Traditionem amplecti, quin prius diligenter examinarint iuxta hos canones; quid difficilius? Imo quid magis ἀδύνατον? fieri enim non potest, vt quilibet è plebe hæc omnia rimetur: primum, vt discurrat per orbem vniuersum, omnesque Ecclesias sigillatim interroget: tum recenseat omnia secula iam ab initio præterita: denique omnia volutet autorum veterum monumenta. Sin ad quosdam duntaxat hæ pertinent cautiones, vt videtur Canus indicare, cum in hoc ait totius orationis cardinem versari, quonam modo Theologo constare possit, hoc aut illud dogma ab Apostolis traditum esse: si ergo solis Theologis sunt hæ leges vtiles, quid reliquis fiet, qui non sunt Theologi? Nisi his sufficiat pendere ab hominum iudicio, & quidem non ἀναπεύστων? Quod quam procul recedit à nostra πληροφορίᾳ.

XI. Iam in prima regula, Ecclesia vniuersalis vel significatur ὅλως indo à Christo ad nos vsque, vel κατὰ μέρος, per singulas ætates. Priori notione potest concedi regula. Sed negatur eiusmodi quicquam ab initio ad nostra vsque tempora creditum tanquam de fide, quod non scriptum, vel è scriptis necessario sequatur. Itaque hæc regula non distingueret falsas traditiones à veris, sed omnino Traditiones à Scriptura. At posteriori notione, quam innuere videntur verba Cani, alioquin satis obscura, regula est falsa, quia non necessaria, hoc est, non semper verum est, ea quæ singulis ætatibus seorsim, ac per se consideratis, in vsu sunt apud Christianos, esse omnia ab Apostolis. Exempli gratia, vsus imaginum iam ab aliquot seculis inualuit apud eos omnes, quos saltem scimus Christianorum sibi nomen vendicasse, cum in Oriente, tum in Occidente. Et tamen nunquam fluxit ab Apostolis: alioquin (vt mittam Scripturas diserte prohibentes) oporteret etiam primis seculis fuisse communem, quod tamen falsum est. Non esse autem Ecclesiam infallibilem, & jam indicauimus lib. 2. & tandem prolixius disputabimus, Deo dante, suo loco.

XII. In secunda regula rursus eadem Ecclesiæ distinctio repetenda est. Nam quicquid ab initio Ecclesia vniuersa credidit, quod nisi à Deo constitui non potuit, id est scriptum. Ecclesia vero alicuius ætatis potuit aliquid ita tenere, quod non sit Apostolicum. Distinguo enim rursus illud posse constituere, vt intelligatur vel de iure, vel de facto. Enimvero omnia dogmata de fide oportet à Deo constitui, omnia sacramenta institui, nec præter Deum vllo: tamen de facto instituta sunt aliquando quædam, non à Deo, vt quem dixi, vsus Imaginum, adoratio Sanctorum, Confessio auricularis, multaque similia: quæ non sunt ab ipso initio, sed tantum ab aliquot seculis. Ad argumenta facilis responsio, Nam primum ab infallibilitate Ecclesiæ, falsum est, vt dixi: Secundum ab autoritate Augustini, primo, est humanum: neque enim Augustinus est ἀνάπευστος. In facienda autem dogmatis religionis plena fide, inepta est humana autoritas quantacunque illa sit. Secundo, detorquetur Augustini locus: non enim loquitur de iis rebus quas constituere non posset nisi Deus: sed etiam de ijs quæ à Conciliis, *Illa autem* (verba sunt Augustini) *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur dantur, intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri.* Ergo (inquam) communis obseruatio omnium Ecclesiarum, non est argumentum necessarium institutionis Apostolicæ.

XIII. Tertia regula, omnino vera est. Nam omnia retro tempora, comprehendunt etiam Apostolos. Sed asserimus nihil esse huiusmodi præter ea quæ sunt à Traditione scripta: quorum etiam ipsorum probatio non ducitur ex facto, sed ex iure: hoc est, non dicuntur ea instituta ab Apostolis, quia sint ab omnibus semper Ecclesiis obseruata: sed quia ex tabulis certis ita constet. Quod si ex facto, & vt disertius loquar, ex verborum huius regulæ præscripto volumus aliquid probari, asserimus esse ἀδύνατον. Nam, quum aliquid dicimus omnibus retro temporibus obseruatum esse ab vniuersa Ecclesia, tum necesse est intelligi singulis ætatibus vniuersalem: hoc est, reipsa demonstrari non succedentibus temporibus repetita serie ab ipso initio esse apud quosdam aliquid obseruatum, sed apud omnes

Catholi-

Catholicos. Atque hoc est, quod in rebus non scriptis asserimus fieri non posse.

XIV. Quod vt illustremus, periculum sane faciamus in Quadragesima, quod exemplum Bellarmino placuit: vt eius vsum vestigare inciperet à Bernardo: inde retrogrado ordine ascendendo ad Gregorium, tum ad Leonem primum, Augustinum, Hieronymum, Paulinum, Chrysostomum, Ambrosium, Epiphanium, Basilium, Nazianzenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Origenem, Irenæum, Telesphorum, Clementem. Optime. Examinemus ergo, quantum sit in his momenti. Et primum, quis neget Quadragesimam ante omnia esse definiendam? Eam igitur habeamus præ oculis Papisticam, vt sit quadraginta dierum ante Pascha abstinentia à carnibus, caseo, butyro, & similibus: cum tamen liberum sit vesci piscibus, nucibus, pomis, leguminibus, oleo, vino. Nam hæc est, quam hodie obseruant. Vel si placet à Papistis non parum recedere; Esto quadragesima ieiunium quadraginta dierum ante Pascha, vt olim erat. Quæstio igitur esto, vtrum hæc Quadragesima sit ab ipsis Apostolis instituta mandataque Ecclesiæ. Partem affirmantem probent Papistæ hoc Syllogismo: Quicquid ab Ecclesia vniuersa omnibus retro temporibus obseruatum est, id ab Apostolis est institutum. At Quadragesima est ab vniuersa Ecclesia omnibus retro temporibus obseruata. Ergo Quadragesima est ab Apostolis instituta. Catholicus concedet maiorem: Minorem vero negabit: at probabunt Papistæ ab enumeratione eorum Doctorum, qui sunt nominati.

XV. Hic videte quid desideret Catholicus. Primo nullius seculi vllum affertur testimonium vniuersale, sed tantum particulare. Exempli gratia, ex duodecimo solus Bernardus testis laudatur: è sexto solus Gregorius: è quinto solus Leo: è tertio solus Origenes: è secundo solus Irenæus. Hæccine vero sufficiunt? Sufficiunt (inqnam) ad πληροφορίαν? Imo non sequitur, Irenæus obseruabat Quadragesimam, Ergo vniuersa Ecclesia eius sæculi. Nam in libris Irenæi nonnulla habemus ipsi Irenæo peculiaria; aut certè non communia omnibus Christianis, errorem saltem Chiliastarum. Sic in Origene alia. Et in vniuersum nullus omnino est ex Antiquis, cuius testimonium sit αὐτόπιστον.

XVI. Secundo, secula multa prætermittuntur: non indigna tamen, quorum ratio habeatur: maxime cum quæstio sit de facto. Et regula disertè alliget Bellarminum ad omnia retro tempora. A Bernardo ad Gregorium Magnum immensa est quinque seculorum vorago. A Cyrillo Hierosolymitano ad Origenem annorum centum & viginti. Ab Origene ad Irenæum circiter centum. Atque hæc quidem leuia, fateor, si de iure agitur, quod nulla præscriptione induci potest: sed cum inquiritur historia facti, omnino in iicient scrupulos, in animos eorum, qui volent sibi plenam fidem fieri.

XVII. Tertio, non constat ab his omnibus eandem Quadragesimam nominari. Non enim docent, quomodo fuerit obseruata. Ego autem quæro non vsum nominis, sed rem ipsam, quam mihi Papistæ hodie inculcant. Non constat (inquam) fuisse duntaxat abstinentiam à carnibus: Imo plerique ieiunium nominant: Est autem hoc, non tantum carnium, sed generalis abstinentia ab alimentis: saltem vt singulis diebus semel tantum cibis indulgeatur. Et sic Bernardus ieiunari dicebat ab omnibus ad vesperam vsque. Sic Paulinus Epistola vigesima quarta, & quotidiana ieiunia nominat, & vespertinos conuiuas. At hodie Papistæ liberè & prandent, & cœnant: imo vero libere conuiuia agitant lauta & opipara: tantum à carnibus abstinent, & ouis. Butyro etiam in nonnullis regionibus, vt his nostris: Nam in iis regionibus, vbi oliua non crescit, secure vtuntur omnes; paruo, si ita velint, oblato precio. Nam quæstores solent cum Pascha aduenit, stantes ante ostium Ecclesiæ ingredientes, & egredientes, magna voce admonere, vt meminerint butyri, hoc est, vt ne obliuiscantur nonnihil pecuniarum dare, pro licentia edendi butyri.

XVIII. Quarto, nonnulli testes producuntur suppositi: vt Clementis Constitutiones, Epistola Telesphori, de quibus proximo libro agendum erit: & Canones Apostolorum: quos longe recentiores esse, nemo dubitat: vt mittam eos non esse tantæ autoritatis, quin in iis mandata nonnulla in desuetudinem venerint, etiam apud Papistas. Sed his igitur ablegatis testibus, superest primum seculum absque vllo testimonio. Et tamen de hoc præcipua est contentio. Quis enim credat inde ab Apostolis obseruatam fuisse Quadragesimam, cum de ipso Apostolorum seculo, nihil omnino constet? Imo cum vt illud in suas trahant partes, cogantur Papistæ testes subornare?

XIX. Quinto, proferri in contrarium possunt testimonia quibus probetur, non fuisse eam obseruationem vniuersalem. Nam Irenæus ipse apud Eusebium historiæ libro quinto capite vigesimo quarto, quæstionem suo tempore fuisse docet non tantum de Paschate, sed etiam de ieiunio: quum alij ieiunandum censerent vnum diem, alij duos vel plures, alij quadraginta. Certe Basilius homilia secunda de ieiunio, quam Bellarminus citat, ieiunij meminit quinque dierum, πέντε ἡμερῶν (inquit) νηστεία ἡμῖν προκεκήρυκται, *quinque dierum nobis ieiunium proclamatum est*. Et rursus, ὡς γὰρ οἱ πρὸς τὰς μακρὰς ἀποδημίας ἀπαίροντες, οὕτω τινὲς τῶν ἀνοήτων εἰς ἡμέραν πρὸς τὰς πέντε τῶν νηστειῶν ἡμέρας οἰνίζονται: *vt qui longam peregrinationem incipiunt, sic quidam non sana mente hodie in quinque ieiuniorum dies inebriantur*. Quæ verba quanto violentius declamarentur in mores Papisticos? Nam quis non videt pridie eius diei, quem Cinerum vocant, omne genus ebrietatis vagari? Sed Quadragesimam tamen Basilius nullam nominat. Quare eius seculo, aut non erat omnino, aut certe non vniuersalis. Augustinus epistola centesima decima octaua ostendit in Quadragesima, alios quinta Sabbathi relaxasse ieiunium, alios vero continuasse. Sozomenus libro septimo capite decimonono, testatur suo seculo variam fuisse consuetudinem: alios sex septimanas numerasse: alios septem: alios tres tantum, idque dupliciter, vel continuas ante diem Paschæ; vel ἀποράδην ἐν ταῖς ἕξ, sparsim delectas è toto sex hebdomadarum numero, ad arbitrium.

XX. Non potuit igitur è præscripta lege probari Quadragesimæ vsus. Nam ea nominatim non tantum omnia retro tempora, sed etiam vniuersam Ecclesiam designabat. At ipsa experientia patet, eam, si forte omnia tempora complexa est (etsi non omnia vt notauimus) sed si omnia, saltem non vniuersam Ecclesiam. Atque hic quidem notari velim Papistarum consuetudinem: imo non tam consuetudinem, quam naturam. Nam ij, quæ ab ipsis obseruantur, hoc est, in iis regionibus, vbi olim erat ea pars Ecclesiarum quæ Occidentales appellabantur (nam in Oriente nihil habent) ea sumunt pro vniuersalis Ecclesiæ consuetudinibus. Hæc vt probent, emendicant nonnulla ex singulorum seculorum (vt hoc maximum concedam; quod tamen non est perpetuum) continuatione testimonia. Et si quis ex patribus eorum aliquid nominarit, concludunt, obseruatum fuisse vniuersaliter: quod tamen est falsum. Hic velim omnes suæ salutis curiosos, esse attentissimos. Nam iste vel maximus est Papistarum fucus. Omnino ita solent: multa Patrum conuasant nomina: magnumque ex iis catalogum conficiunt: quem in numerato habent, ad singula controuersiarum capita confirmanda: In quo nihil est præter mera nominum crepitacula. Ita est, & fidenter pronuncio; esse mera nominum crepitacula: quæ si excutiantur paulo diligentius, πομφόλυγων δίκην abeunt in ventos.

XXI. Simile est exemplum de ordinibus. Nisi quod etiam Caluinum calumniatur, quasi dixerit, ordines minores esse inuentum nouitium, de quo nusquam legatur nisi apud ineptos rabulas Sorbonistas, & Canonistas. Nam Caluinus diserte distinguit veteres acoluthos, ostiarios, & lectores, à nouitio inuento de septemplici Sacramento in ordinibus Ecclesiasticis. Duplex igitur error est Bellarmini: tum quod non probet eos ordines Sacramenta fuisse: quod Caluinus in dubium vocat: sed tantum in vsu fuisse, quod non negat: tum quod non omnium seculorum testimonio eosdem probat fuisse in vsu. Non enim vllum habet testimonium, quod quidem certum sit, antiquius Cornelio, qui vixit tertio seculo. Nam Ignatij Epistola ad Antiochenses, viris doctis non videtur legitima: quia ab Hieronymo non adnotata in censu operum Ignatij: ipsisque adeo veteribus sit incognita. Quanquam ne hic quidem floruerit ante seculum secundum. Et tamen, vt iciam non agere de septem ordinibus papisticis, promiscuè salutat Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Exomologistas: Imo etiam post τοὺς πυλωροὺς, quos iam diximus, Ianitores, seorsim τὰς διακόνους, hoc est, Diaconissas, τοὺς φρουροὺς τῶν ἁγίων πυλώνων, custodes sanctarum portarum. Quæ nomina si pro totidem ordinibus numerentur, iam non septem erunt, sed decem. Et cur omittam τὰς χριστολήπτους παρθένους, Deo afflatas virgines? Nam has æque nominat, æque salutat. Si igitur ex sola nominatione & salutatione concludit Bellarminus Ignatij tempore Presbyteros, Diaconos, & reliquos, fuisse in Sacramento ordinum, cur non & has ego? Aut si hæ non fuerunt; quæ maior in illis erit necessitas? Viderint ergo quam se merito Papistæ hac regula tutos putent in Traditionibus distinguendis.

XXII. Venio ad quartum: in quo Doctores intelliguntur vel omnium temporum collectiue, vel singularum ætatum. Si collectiue: primo, si quid ita potest probari, fatemur legitime probari: quia in eo numero sunt etiam Apostoli. At hos si exemeris; tum profecto nihil conficitur; quia non potest iactari omnium Doctorum consensus: exemptis illis & quidem præcipuis: secundo, nego id posse præstari: tum quod non omnes supersunt Doctorum labores: tum quod non omnes aliquid scripserint: tum quod non scripserint de omnibus: tum denique quia diuersi diuersa sæpe de iisdem rebus scripserunt. Et quidem Bellarminus ipse hanc impossibilitatem cogitur agnoscere. *Vix*, inquit, *inuenitur exemplum*. Sed audite σοφὸν φάρμακον. *Videtur sufficere, si aliquot Patres magni nominis expresse id asserant, & cæteri non contradicant, cũ tamẽ eius rei meminerint*. Itane? at quis pronunciauit? Bellarminus. Quis prætor edixit? Bellarminus. Ite nunc Christiani, & hinc fidei vestræ πληροφορίαν haurire. Vt quum quis à vobis inquiret fidei vestræ rationem; magnificum hoc illi carmen occinatis, Bellarmino sic videtur. Næ tum suas habebunt labra lactucas. Bellarmino sic videtur. Næ magnum hoc seculo factum est operæ precium, cum in Cardinales ille allectus est; vt quia iam ad stercorariã sedem propius accedit, maiori fastu pronunciari possit, Bellarmino sic videtur.

XXIII. Restat, vt vnius alicuius seculi Doctores omnes eligantur. Et hoc proprie Bellarminus voluit, sic enim suarum venerationem puparum, probauit, hoc est, imaginum; ex decreto Concilij Niceni secundi. At hoc nos contendimus esse ineptum, esse tyrannicum: dignum denique solis Papistis. Nam quæ causa est, cur non Arianismus vincat? Nam cum in primo Nicææ Concilio vix tres aut quatuor Occidentales Episcopi numerarentur; in Ariminensi certe magno numero tum Occidentalium, tum Orientalium, τὸ ὁμοούσιον abrogarunt; prodita ab omnibus veritate, aut etiam impugnata. Sed habuit, inquiet, contradicentes. Ita sane, inquam: Nam quomodo alias vicisset veritas? Sed habuit etiam Nicena posterior. Non tantum Scripturam: & hanc cum nomino; reliqua omnia tacere possum; sed habuit etiam Synodum Francofurdensem magno Episcoporum tum Gallorum, tũ Germanorum numero. Itaque neque exemplum Bellarmini satis est sobrium; neque regula satis Catholica.

XXIV. Superest quinta, quæ Papistis omnibus esse solet pro Triarijs. Nam reliquis omnibus desperatis, huc denique confugiunt; nimirum vnius ob causam & studium, videlicet Romanæ Ecclesiæ: cui soli vendicant hodie integram successionem. Enimvero confectum est negotium; si omnia referuntur ad eius vnius arbitrium. Quis enim speret, ipsam à seipsa damnatum iri? Quasi vero vnquam aut Lais; aut Thais, aut Faustina voluerint extincta lupanaria. Sed Catholici regulam negant esse satis explicatam.

XXV. Et primo quæritur, cum nominantur Ecclesiæ Apostolicæ, (illæ sc. quæ primum constitutæ sunt ab Apostolis) omnes-ne intelligantur, an singulæ? Nã si omnes, ἀδύνατον; tum quia earum aliquæ olim errare compertæ sunt; vt Antiochena, vt Alexandrina: tũ quia ipsæ interse dissenserunt, vt olim de Pascha, quæ ab Ioanne institutæ dicebantur, ab iis, quæ in Occidente, in quibus præcipua Romana. tum denique quia non semper subsistunt; aliquæ enim ex iis iampridem defecerunt; vt Antiochena; & Hierosolymitana: Sin autem singulæ, ἄτοπον. Nam sic, quod in singulis obtineret, id vim ha-

vim haberet in omnes Ecclesias per vniuersum orbem. Quod tamen contra factum est olim: Nam etsi Orientales se Paschæ obseruationem habere iactarent à Ioanne: nec falsi vnquam dicantur fuisse conuicti, tamen statutum est, vt antiquaretur earum consuetudo.

XXVI. Rursus, cum successio intelligatur vel personarum tantum, vt ea dicatur perfecta & integra, quæ continua serie potest enumerare successores: vel personarum simul & doctrinæ; vt ea sit perfecta & integra, quæ sic personas enumerabit, vt constet nihil esse mutatum in doctrina ab Apostolorum temporibus. Quærimus vtro modo suam successionem Bellarminus intelligat. Nam si personarum tantum; negamus regulam: quia proferri possunt in contrarium exempla Ecclesiarum Apostolicarum, quæ falsam doctrinam iactant pro Apostolica, vt hodie Græcę omnes: Quid-ni etiam Romanam addamus? Sin autem personarum simul & Doctrinæ, negamus vllam hodie in toto terrarum orbe Ecclesiam exstare, cui sit integra & perfecta hoc sensu successio. Nam vel series personarum deerit, vt in plurimis, quæ restituto Euangelio Traditionum feces exploserunt: vel in doctrina mutata erunt plurima, vt in Græcis. Et sane fateri cogitur id Bellarminus; nisi quod solam excipit Romanam. Sed hoc eodem iure, quo Græci Constantinopolitanam exciperent, aut Alexandrinam: nempe ex mero partium præiudicio, cui nos cur deferamus?

Cap. XV.

An Traditionum memoria inuiolata conseruetur.

I. NVllius rei non scriptæ memoria conseruari potuit inuiolata, per multa secula & sola traditione. At omnium dogmatum fidei memoria inuiolata, & conseruata est, & conseruari debet per multa secula. Ergo nulla dogmata fidei sunt non scripta, siue ex sola traditione. Assumptio non potest negari. Nam neque huiusmodi erat doctrina Christiana, quæ certis tantum seculis inseruire deberet. Et ipso facto constat, etiam hodie omnia haberi dogmata fidei apud Catholicos puta, vt prædicata sunt ab initio.

II. Maior probatur experientia certa: Nam omnino nihil est ab vltima antiquitate certa fide repetitum, quod non scriptis vel sacris vel prophanis mandatum sit: ac reliqua omnia tantum coniecturis quasi per nebulam diuinantur. Vnde Liuius Decadis 1. li. 6. *Perraræ per eadem tempora literæ fuere, vna custodia fidelis memoriæ rerum gestarum.* Atque adeo ipsi Papistæ qui serio contendunt, fuisse in Veteri Ecclesia aliquod remedium contra peccatum originale pro fœminis, & pueris ante octauum diem decedentibus; tamen quodnam illud fuerit coniicere nequeunt. Ergo hinc facile concludimus, non satis consultum fuisse Ecclesiæ, si quædam soli viuæ voci mandata sunt.

III. Bellarminus tamen maiorem impugnat; contra asserens impossibile esse, vt non conseruentur traditiones non scriptæ. Quod vt doceat, primo ad Deum confugit, secundo quatuor adiuuantes caussas colligit earum conseruandarum. Ergo hanc curam ait incumbere non præcipue hominibus, sed Deo. Sicut ergo Deus conseruauit veram Ecclesiam vsq; ad hanc diem, contra tot persequutiones Imperatorum, Philosophorum, Iudæorum Hæreticorum: & sicut potuit conseruare traditiones ab Adam vsque ad Mosen per duo annorum millia: & deinde Scripturas à Mose vsque ad hoc tempus per tria millia annorum & amplius: ita potuit sine dubio conseruare traditiones à Christo vsque ad nos per mille quingentos annos.

IV. Sed respondemus, eorum exemplorum nullum omnino conseruatum fuisse per traditionem, non scriptam. Primo enim aliud est res ipsas actu existentes conseruari: aliud rerum quæ per se non existunt memoriam custodiri. Conseruari res, quæ actu ipso sunt, sine scripto, vt cœlum, terras, maria, hominem, Ecclesiam, Scripturas, nemo negat: sed vicissim conseruari per solam traditionem non scriptam, qui dicat, hunc pro sano quis habeat? At hæc de quibus loquimur, nimirum fidei dogmata non sunt huius generis: quia non existunt actu & per se, sed tantum in mente hominum. Propterea non sic concipiebamus maiorem, vt diceremus: Nullam rem non scriptam conseruari posse: sed tantum nullius rei non scriptæ memoriam.

V. Illud de traditionibus ab Adam vsque ad Mosen, magis accedit ad argumentum. Itaque secundo respondeo, ne has quidem ipsas conseruatas esse sola traditione viuæ vocis, etiam si nulla exstaret tum temporis Scriptura. Quod vt fiat manifestum, dico dupliciter suæ veritatis memoriam Deum conseruasse: nempe vel extraordinarie, vel ordinarie. Extraordinarie quidem per oracula, varias reuelationes & inspirationes, ordinarie vero per Scripturam, & per Traditionem. Et traditione quidem semper vsum ab initio mundi: sed nunquam sola. Nam quemadmodum post Mosen traditioni adiunxit scripturam, tanquam fundamentum: sic ante eum inspirationem adhibebat; quæ dogmata conseruaret præcipue, imo vero innouaret, cum paulatim ab iis homines dilaberentur. Vnde nos asserimus, quemadmodum tunc necessaria erat extraordinaria inspiratio; vt ne corrumperetur traditio, quod factum est in Ethnicis: Sic deinceps, cum noluit eius inspirationis vsum esse frequentem, necessaria fuit Scriptura, medium ordinarium, multo etiam magis cum omnino subtraxit hominibus eandem; vt non modo non sit frequens, sed etiam nulla.

VI. Hæc consideratio olim fuit Chrysostomi & Theophylacti: quorum locos adscribam etsi paulo prolixiores: sunt enim notatu dignissimi. Chrysostomus ergo homilia prima in Matthæum. Ἔδει μὲν ἡμᾶς μηδὲν (sic enim legendum censeo, non μηδὲ) δεῖσθαι τῆς ἀπὸ τῶν γραμμάτων βοηθείας· ἀλλ' οὕτω βίον παρέχεσθαι καθαρὸν, ὡς τὴν τοῦ πνεύματος χάριν ἀντὶ βιβλίων γενέσθαι ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς· καὶ καθάπερ ταῦτα διὰ μέλανος, οὕτω τὰς καρδίας τὰς ἡμετέρας διὰ πνεύματος ἐγγεγράφθαι· ἐπειδὴ δὲ ταύτην διεκρουσάμεθα τὴν χάριν, φέρε κἂν τὸν δεύτερον ἀσπασώμεθα πλοῦν. ὅτι γὰρ τὸ πρότερον ἄμεινον ἦν, καὶ δι' ὧν εἶπε, καὶ δι' ὧν ἐποίησεν ἐδήλωσεν ὁ Θεός. καὶ γὰρ τῷ Νῶε, καὶ τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τοῖς ἐκγόνοις τοῖς ἐκείνου καὶ τῷ Ἰὼβ, καὶ τῷ Μωυσεῖ δὲ οὐ διὰ γραμμάτων διελέγετο. ἀλλ' αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ, καθαρὰν εὑρίσκων αὐτῶν τὴν διάνοιαν. ἐπειδὴ δὲ εἰς αὐτὸν τῆς κακίας ἐνέπεσε τὸν πυθμένα ἅπας τῶν Ἑβραίων ὁ δῆμος, ἀναγκαίως λοιπὸν γράμματα καὶ πλάκες, καὶ ἡ διὰ τούτων ὑπόμνησις Hoc est Aniano interprete, *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum: sed tam mundam exhibere vitam, vt librorum vice gratia Spiritus sancti vteremur: & sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à Spiritu. Quia vero hanc à nobis excussimus gratiam, age vel ad secundam nauigationem animum adijciamus. Equidem, quod primum illud fuerit profecto sublimius, & ex verbis suis Deus, & ex operibus ostendit. Nam & Noe & Abrahæ, eiusque posteris, & Iob, & Mosi, non per literas, sed per semetipsum loquutus est, quia scilicet munda eorum corda repererat. Postquam vero omnis populus Iudæorum in vitiorum ima delapsus est, necessario iam inde literæ dantur, ac tabulæ, & ea quæ per has administratur admonitio.*

VII. Pergit porro Chrysostomus, & vt de Veteri Testamento, sic iam de Nouo loquitur, Καὶ τοῦτο οὐκ ἐπὶ τῶν ἐν τῇ παλαιᾷ ἁγίων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἐν τῇ καινῇ, συμβὰν ἴδοι τις ἄν. οὐδὲ γὰρ τοῖς Ἀποστόλοις ἔδωκέ τι γραπτὸν ὁ Θεὸς ἀλλ' ἀντὶ γραμμάτων, τὴν τοῦ πνεύματος ἐπηγγείλατο δώσειν χάριν. Et paulo post, ἐπειδὴ δὲ πολλοῦ τοῦ χρόνου προϊόντος ἐξώκειλαν, οἱ μὲν δογμάτων ἕνεκεν, οἱ δὲ βίου καὶ τρόπων, ἔδει πάλιν τῆς ἀπὸ τῶν γραμμάτων ὑπομνήσεως. *Et hoc non tantum Veteris Testamenti sanctis, sed etiam Noui accidisse perspicimus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit Christus; sed pro literis Sancti Spiritus se illis daturum gratiam repromisit. Quia vero, progrediente iam tempore, alii quidem propter dogmata, alii vero propter vitam & mores grauiter impegerunt, ea rursus, quæ constat literis admonitione fuit opus.*

VIII. Theophylactus initio commentariorum in Matthæum; vt solet κατὰ πόδας sequi Chrysostomum; Οἱ μὲν πρὸ τοῦ νόμου ἐκεῖνοι θεῖοι ἄνδρες, οὐ διὰ γραμμάτων καὶ βιβλίων ἐδιδάσκοντο. ἀλλὰ καθαρὰν ἔχοντες τὴν διάνοιαν, τῇ τοῦ παναγίου πνεύματος ἐφωτίζοντο ἐλλάμψει. καὶ οὕτω τὰ τοῦ Θεοῦ ἐγίνωσκον θελήματα, αὐτοῦ ἐκείνου ὁμιλοῦντος αὐτοῖς στόμα κατὰ στόμα. τοιοῦτος ἦν ὁ Νῶε, Ἰὼβ, ὁ Μωυσῆς. ἐπεὶ δὲ ἠθέτησαν οἱ ἄνθρωποι καὶ ἀνάξιοι ἦσαν φωτίζεσθαι καὶ διδάσκεσθαι ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος, δέδωκεν ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς τὰς γραφάς. ἵνα κἂν διὰ τούτων ὑπομιμνήσκωνται τῶν τοῦ Θεοῦ θελημάτων. οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς, τοῖς μὲν Ἀποστόλοις αὐτοπροσώποις ὡμίλησε, καὶ τὴν τοῦ πνεύματος χάριν διδάσκαλον αὐτοῖς· ἐπεὶ δὲ μετὰ ταῦτα ἔμελλον αἱρέσεις ἀναβλαστῆσαι, καὶ τὰ ἤθη ἡμῶν διαφθαρῆναι, εὐδόκησε γραφῆναι τὰ Εὐαγγέλια, *Ii quidem, qui ante legem vixerunt viri diuini, absque literis & libris docebantur: sed munda præditi mente, sancti Spiritus illuminatione illustrabantur, atque in hunc modum Deo ipsis ore ad os colloquente, eius voluntatem cognoscebant. Huiusmodi erant Noe, Abraham, Iob, Moses. At postquam deteriores facti sunt homines atque indigni qui illuminarentur, & docerentur à Spiritu sancto, dedit misericors Deus Scripturas, vt saltem per eas diuinæ voluntatis admonerentur. Sic etiam Christus, Apostolis quidem in propria persona constitutis colloquutus est, misitque Spiritus gratiam magistram. Verum quoniam hæreses pullulaturæ erant, & mores nostri corrumpendi, placuit ei vt scriberentur Euangelia.*

IX. His testibus ea constant quæ dicebamus. Opponuntur enim Inspirationes, & Scripturæ: hoc sensu, vt tum, cum nullæ erant Scripturæ, inspirationibus locus esset, non autem soli traditioni: deinceps vero cum cessarunt inspirationes, tum Scripturæ fuerint necessariæ: non rursus solis Traditionibus Dei voluntas commendata. Quæ si vera sunt, tum illud, quod dicebam, necessario sequitur, nunquam sola traditione veritatem fidei esse inter homines conseruatam. Quare qui nobis Scripturam auferunt, restituant oportet extraordinarias inspirationes, siue reuelationes: aut ne negent auferri à se media necessari conseruandæ veritati.

X. Quid igitur prodest contra rerum experientiam disputare? Quasi non sit id extremæ signum dementiæ. Quid iuuat à Dei potentia argumentari? Certè nostrûm nemo est, qui neget Deum esse omnipotentem, & quæcunque vult efficere. Sed necesse est, vt nobis constet de eius voluntate, priusquam certum à potentia ducatur argumentum. Breuiter; si cura Deo incumbat conseruandarum traditionum, fateor eas conseruari posse inuiolatas in omne æuum. Sed antecedens nego: quia nusquam patet, eam curam Deum assumpsisse: nec nostrum est eam illi imponere: & alias experientia docet, multas traditiones perisse; aut esse immutatas: quod non esset factum, si eas conseruandas Deus suscepisset.

XI. Sed iam quatuor illas examinemus adiuuantes caussas Bellarmini. Prima est, Scriptura. Etsi enim non sint scriptæ traditiones in dininis libris: sunt tamen scriptæ in monimentis veterum, & in libris Ecclesiasticis.

XII. At primo, quam pueriliter pertinaces sunt Papistæ, qui eo tantum contendunt, vt pro Scriptura scripturam substituant? Et quidem pro Canonica communem: humanam pro diuina? Certe si aliquando interfuit Ecclesiæ sua dogmata scribi, tum debuit id fieri, cum ab initio certa erat & recens memoria: atque ab iis, quos certum est impletos fuisse Spiritu sancto. Enimuero, quis magni aliquid lucratam esse credat Ecclesiam, si pro Petro Papiam ei doctorem concedimus? aut pro Paulo Hegesippum?

XIII. Secundo; hæc adiuuans causa inepta est multipliciter. Nam conseruationem dogmatum nos postulamus ab initio Ecclesiæ ad finem vsque mundi. At huic negotio præter Scripturam sacram nulla scriptura est satis vtilis. Ratio est, quia illi Patrum libri, & Ecclesiastici, non ab initio nati sunt, sed singulis ætatibus, imo vero singulis annis procreantur: itaque, vt maximum, apti esse queant tradendis nobis iis duntaxat quæ sua ætate erant in vsu. Sic à Tertulliano discimus baptisatos lactis & mellis degustasse concordiam: non tamen vniuersaliter ab initio Ecclesiæ ad finem vsque; sed tantum eius ætate. Ab Augustino nouimus baptisatis etiam infantibus statim datam Eucharistiam: id si quis ab Apostolis statutum fuisse inde disputet, nugas nugat. Similiter si quis mihi Damascenũ proponat, vt doceat, quid actũ sit Tertulliani tempore, is nihil aliud quam propinet se ridendum. Quo vitio semper laborat magnus ille temporum helluo Baronius.

XIV. Ad hæc non semper eiusmodi monimenta suppetunt. Sic Eusebius historiæ initio operis à se suscepti difficultatem magnam fuisse conqueritur hanc ob causam, quod viam iniret ante se non tritam, quandoquidem hominum ne nuda quidem vestigia reperire posset, qui eam viam priores triuisserit: sed exigua tantum monumenta tanquam faces procul accensas. Huius igitur testimonio per annos trecentos atque amplius, fuit hæc Bellarmini adiuuans caussa, si non inutilis, certe difficillima.

XV. Deinde illa inepta sunt ad conseruandam in perpetuum fidei memoriam;

tiam, quæ ipsa incertum est, vtrum in perpetuum sint conseruanda. Esse autē perditioni obnoxia scripta non θεόπνευστα, ipsa docuit experientia: cum certo certius sit, multo plures perisse Patrum libros, quam peruenisse ad nos vsq;. Atque adeo perierunt ipsius Hegesippi quinque libri, quibus eum testatur Eusebius comprehendisse Apostolicas traditiones. Scripta autem θεόπνευστα iam conseruata sunt per infinita secula à Mose ad nos vsque.

XVI. Rursus, ea inepta sunt ad conseruandam fidem, quæ falsi sunt capacia, id est, fallacia. At eiusmodi est numerus librorum non sacrorum: in quem multi intruduntur non satis sani: neque id vitari potest; cum eorū nullus vnquam fuerit certus numerus. Sic Papias scriptis suis multa iam olim miscuit tanquam ex traditione non scripta, quæ non satis bene conueniebāt cum sinceritate fidei. Imo Lucas testatur sibi hāc fuisse caussam scribendi Euangelij, vt cū varij varia scripsissent, Timotheus, id est, quilibet fidelis, nosse posset τῶν λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Locus est 1.c. Euangelij: in quem locū Theophylactus rectè monet, πολλοὶ γὰρ συνέγραψαν εὐαγγέλια δῆθεν. Οἷον ἐστι τὸ κατ' Αἰγυπτίους, καὶ τὸ ἐπιγραφόμενον τῶν δώδεκα. *Multi sc. conscripserant Euangelia, vt id quod est secundum Aegyptios, & aliud quod inscribitur, Duodecim.*

XVII. Præterea, si conseruantur traditiones in Patrum libris; tum necesse est, vel ab omnibus conseruari, vel à singulis, vel à designatis quibusdam. At nihil horum esse potest. Non enim à quibusdam designatis: nulli enim illi fuerunt vnquam. Non à singulis: quia non sunt singuli scripti de omnibus aut credendis aut faciendis. Non denique ab omnibus; quia neque omnes exstant: & in iis infinitæ reperiuntur contradictiones. Ergo inepti sunt libri Patrum ad conseruanda ea, quæ ad fidem pertinent.

XVIII Adde: Si vtile, aut potius certum hoc medium esset: ergo omnia quæ exstant scripta in libris Patrum, fuissent in Ecclesia conseruata. At posterius est falsum: ergo & prius. Assumptio patet, ex multis traditionum exemplis, quarum nomen duntaxat hodie legitur in veterum patrum monimentis: res autem ipsa iam pridem abiit in desuetudinem. Huiusmodi illæ sunt, à Tertulliano numeratæ, libro de Corona militis, plurimæ: nonnullæ etiam à Basilio libro de Spiritu Sancto.

XIX. Denique, non tantum oportet conseruari memoriam dogmatum: sed etiam ita conseruari, vt sint authentica. At id nisi per Scripturas Sanctas nullo modo fieri potest. Certè non potest per Traditionem nudam, id est, per scripta Patrum. Rectè Theophylactus initio Euangelij secundum Lucam, περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. οὐ γὰρ ἁπλῶς κατὰ ψιλὴν παράδοσιν, εἰσὶ τὰ τοῦ Χριστοῦ. ἀλλ' ἀληθείᾳ καὶ πίστει βεβαίᾳ, καὶ μετὰ πάσης πληροφορίας, *Dixit Lucas, earum rerum, quarum nobis plena fides facta est, Non enim simpliciter per nudam traditionem habentur ea quæ sunt Christi: sed in veritate, & fide firma, & cum plena certitudine.* Quæ verba opponunt τὴν ἀλήθειαν veritatem, τὴν πίστιν βεβαίαν, firmam fidem, τὴν πληροφορίαν plenam certitudinem, τῇ ψιλῇ παραδόσει nudæ traditioni. Quid igitur sibi volunt aduersarii. Cur tergiuersantur? Cur tumultuantur? Cur sunt pertinaces? Demus per traditionem conseruari dogmata Christiana. Quid tum? Si sic conseruata, non habent plenam veritatis certitudinem: Ego vero dubitem, vtrum malim: an omnino non conseruari: an ita conseruari, vt non differant ab historijs Thucydidis, aut Liuij. Itaque prima hæc adiuuans caussa multis modis est inepta.

XX. Secundam Bellarminus constituit in vsu continuo: quia pleræque traditiones sunt in continua obseruatione: vt ritus Sacramentorum administrandorum: dies festi, ieiuniorum tempora, celebratio Missæ, & officiorum diuinorum, & alia generis eiusdem. Vt ergo conseruantur linguæ vulgares, etiamsi nullæ quandoque exstent Grammaticæ, propter continuum vsum, vt lingua Hebraica, quæ conseruata est vulgaris in populo Dei ab Adam vsque ad captiuitatem Babylonis, per tot millia annorum: ita etiam sine vlla Scriptura, vsu conseruari possent eiusmodi traditiones.

XXI. Imo vix quicquam potest esse ineptius. Nam vsu communi vix aliud inuenies aliquid inconstantius. Quid enim? Non sunt in vsu communi vestes? At eæ singulis prope annis immutantur. Olim Romanorum vestes erant candidæ: qui tamen hodie vix vtuntur nisi nigris. Solebant iidem, vt & Persæ iqui, accumbentes cœnare: at hodie sedent ad mensam: solebant omnes togis indui: at hodie thoracibus, & brachis, & palliis. Et vt linguam nominē, qua pro exemplo Bellarminus vsus est, solebant ij ipsi Romani Latine loqui, qui hodie Italice. Et vt semel dicam, vix vlla est vllius populi lingua, quæ nō sæpius immutata fuerit à Christi passione. Demus Hebraicam omnium diutissime perseuerasse: tamen inclinauit tandem: ac paulatim facta est incognita: quod nobis sufficit. Nā dogmata non est satis continuari ad aliquot annorum aut centurias aut chiliadas: sed perseuerare oportet ab initio ad finē vsque. Quod si ea quæ maxime omnium consistunt in vsu (nam linguarum nulla est alia natura) sic veniunt in desuetudinē, quid censendum de reliquis?

XXII. Iam vero, quibus terminis hunc vsum placet describere? Omniūne gentium, an alicuius? Nam hoc quidem absurdum est, & tyrannicū. Quis enim æquum credat, vt quæ religio toti orbi est tradita, eam quæramus in vnico duntaxat angulo: quomodo Donatistæ volebant in sola Africa? Sic enim quomodo vniuersalis fides esset, intelligi non potest. Sed & quænam sit illa vnica siue gens, siue Ecclesia, ad cuius præscriptum reliquæ corrigendæ sint, nemo vnquam demonstrabit: & si suam millies Romam ostentent Iesuitæ: vt olim suam Pepuzam, inde dicti hæretici.

XXIII. Omnium vero gentium vsum si inuestigemus, in eas nos difficultates induemus, vnde non possimus saluo pudore discedere: quia vix vlli sunt ritus eodem vbique terrarum modo obseruati: certè multos scimus fuisse diuersos. In Sacramentorum administratione, quod Tertullianus ait de lacte & melle, id, ni fallor, Rhenanus vult esse Africæ proprium, & post eum Pamelius. Dies festos, ne nunc quidem Papistæ omnes eosdem obseruant, præter paucos, quorum est altior gradus. Ieiuniorum tempora alia aliis erant definita, vt de Quadragesima ante monuimus: sed & alij quarta ieiunabant, & sexta feria: quidam sexta & Sabbatho, vt hodie. Celebratio Missæ, & officiorum diuinorum, hoc est, Liturgia publica, quam varia fuerit, quis nescit? Nā primum testatur Gregorius Apostolos vsos esse sola oratione Dominica: deinde supersunt liturgiæ Petri, Marci, Iacobi, Clementis, Basilij, Ambrosij, Chrysostomi, Gregorij. Quid singula persequar? Nam id longum esset. Ergo ex tanta varietate, certi nihil haberi poterit.

XXIV. Quid? quod plurima quæ erant in vsu continuo mutata esse constat inter Christianos? Nō placet nunc coniecturis vti, aut præiudiciis: ipsam testem cito historiam, id est, certissimam experientiam. Tertullianus libro de Corona militis, *Baptizandi ritum ostendit* (verba sunt Rhenani) *qui in vsu veterum fuit, de quo consuetudo quædam nunc mutauit.* Eucharistiam in manus sumptam fuisse à Laicis, sic apud Cyprianum Pamelius legit; vt eum veterem Ecclesiæ morem esse diceret, annotationibus in Epist 56. & librum de Lapsis: Atis mos prorsus euanuerat, nisi hac recenti reformatione restitutus esset à Catholicis. Ex Canonibus, vulgo Apostolicis nominatis, aliisque multis indiciis constat, omnes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, atq; adeo omnes clericos præsentes accessisse ad communionem: rursus infinitis pene testimoniis luce meridiana clarius patet laicis non panem tantum, sed etiam calicem fuisse distributum: at vtrumque paulatim abiit in desuetudinem, donec proficiente errore, apud Papistas seuere sit interdictum: adeo vt noua reformatione oportuerit restitui.

XXV. Quid? quod ea, quorum non est aut culpandum aut pessimum initium, vertit vsus in deterius? Sic Mosis serpentem, olim non sine ratione cōseruatum, paulatim vsus transformarat in idolum; vt necesse fuerit ab Ezechia conteri. Nec dissimili successu imagines primo inter priuatos parietes vsurpatæ gratitudinis ergo, teste Eusebio, postea in templa etiam introductæ memoriæ caussa, tandem degenerarunt in adorationis obiectum. Et memoriæ martyrum eo tantum primo constitutæ, vt essent tanquam trophęa spiritualis victoriæ, occasionem dederunt Sanctorum adorationi. Sic Magi illi, qui ad Christum infantem ab Oriente venerunt, paulatim laudando in tres reges euaserunt. Sexcenta huius generis colligere liceat. Præclarum vero custodem veritatis vsum!

XXVI. Denique non omnes traditiones in vsu sunt communi: quædam enim remotæ sunt, & solis commissæ clericis: quasdam etiam soli vsurparunt Episcopi. Atque hic operæ pretium est animaduertere, quomodo luserint artificiosissimi homines in ordinationibus ministrorum Ecclesiasticorum; omnia translata sunt in theatralem pompam. Nam & per saltum (vt loquuntur) fiunt ordinationes, vt vno eodemque die se videat aliquis factum è laico ostiarium, lectorem, exorcistam, acolytum, hypodiaconum, Diaconum, Presbyterum, nonnunquam etiā Episcopum: Et quæ plebis erant initio suffragia, postea mimica fuit interrogatio, dicis tantum caussa; & denique in applausus desierunt, gaudentibus iis id factum esse ab Episcopo; quod olim absque eorum diserto consensu illegitime fiebat.

XXVII. Pergo ad tertiam adiuuantem caussam in monimentis quibusdam externis, quæ ad longissimum tempus durant: vt templa antiquissima, & in aliis altaria, sacri fontes, memoriæ Sanctorum, cruces, imagines, libri Ecclesiastici: & similia. Atque hîc oblectat se suosque lectores Bellarminus, iucundo commento altaris nescio cuius in Flandria eruti, è cuius literis adscriptis patefactum sit eos falli qui altarium vsum recentem esse dicerent. Rectè: quidni enim hæc in promptu Papistæ habeant, qui apud Carnutes ostentant idolum Virginis Deiparæ longe ante Christi natiuitatem factum, & inscriptum *Virgini pariturae:* In Conuentu Possiaceno, Laines Iesuita vitreos fenestrarum cancellos in fano apud Sanctum Dionysium, proferebat testes Idololatriæ. Eleganter & facete noster tum Beza respondit, argumentum esse fragile, vtpote vitreum.

XXVIII. Sed iam olim Augustinus istos increpabat, qui à testibus monimentariis mallent quam è Scripturis doceri, c. 12. lib. 1. de Consensu Euangelistarum. *Omnino errare meruerunt qui Christum & Apostolos eius, non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Nec enim mirum si à pingentibus fingentes decepti fuerunt.* Eos increpat, qui, quia viderant alicubi Christum & Paulum simul pictos, diuinarunt, simul vixisse, itaque finxerant Epistolas inter eos mutuo missitatas. Et sane isthæc omnia monumenta, cū muta sint, facile possunt in varias partes torqueri: imo oculos quidem pascere: sed animum instruere nullo modo, sed & falsis sæpenumero opinionibus imbuere. Nam, exempli gratia, quid possunt Trinitatis imagines nudæ, menti repræsentare? Videbit aliquis humanum corpus, cuius in capite triplex vultus sit; quasi Christiani Ianū vno voluerint vincere, alius admirabitur corpus biceps cum columba: quasi voluerit Ecclesia aliquid habere, quod accederet ad Cerberum. Nam has Trinitatis imagines vsitatas fuisse Bellarminus fatetur, & reprehendit. Quid igitur? Alius contemplabitur bonum senem barbatum cum diademate regio, & adolescente mortuo in gremio, columbaq; ad pectus. Quid hoc habet accedens ad Trinitatem? Christophorum pictores ostentant Gigantē nixum arbore integra pro baculo in medio mari. Id omnibus iam Papistis persuasit rem esse vere gestam: vt etiam in Georgio & draconem omnes statim intelligunt & puellam: quæ tamen nasutiores dicūt esse emblemata, Sed hæc emblemata ita omnium animos deceperant, vt Legendarii in rerum gestarum verterint historiam: quidni simile aliquid metuamus in Trinitate; vbi multo periculosius erratur: sed multo etiam procliuius; cum tanto spatio superet ingenij humani captum.

XXIX. Quid? quod variis vsibus ea monumenta pro varijs temporibus adaptantur? Nam Romæ quod erat Ethnicæ superstitionis seminarium, plurima templa ab Idololatria sunt ad vsum religionis translata, vt Pantheon, dedicatum in honorem beatæ Virginis & omniū Sanctorum. Quid memorem sanctam Mariam in Porticu; & nouam? quid Luciam? quid Cosmum & Damianum? Nam ea templa fuerunt olim, Saturni & Opis, Solis & Lunæ, Herculis & Musarum, Romuli & Remi. Apud nostros Nemausenses templū Dianæ; dicatum erat monasterio fœminarum. Quid? non Constantinopoli magnifica illa templa Christianorum, Moschea facta sunt Mahometica? Adde interpolationem? ad quam non dubitem referre Missalium, & Breuiariorum reformationem Tridentinam, quæ multa sustulit, quibus euinci poterat quantis tenebris Papismus inuolutus fuerit.

XXX. Quid? quod non omniū sunt ætatum? Nam à primis seculis vsq; ad Constantinū aut nulla aut paucissima supersunt. Ædificia certè nulla: Nam ipsi Christiani fatebantur se iis carere. Imagines apud eos tā facile erat reperire, quā in syluis delphines. Libri Ecclesiastici, hoc est, non priuati, nulli omnino. Ergo vt antiquissima sint monumenta, tamē ab initio nō sunt. Nisi forte supposititiis delectemur: cuiusmodi sunt Liturgiæ Petri, & Marci, Canones Apostolici, Constitutiones Clementis: & id genus alia. Quid si syluam ingrediar reliquiarum? quanta sese imposturarum seges offeret?

XXXI. Quid? quod non sunt monimenta perpetua: sed tempore etiam consumuntur? Mitto Romanæ magnificentię indicia; quorum plerisque locis vix vestigia agnoscuntur. Polydorus Virgilius libro secundo historię Anglicę, cū de templo loqueretur à Constantino erecto, nominibus Laurentij

& Mar-

& Marcellini, hæc habet, *Huic templo perinde ac cæteris omnibus donaria pretiosissima collata sunt. Quæ autem, qualiaue fuerint illa donaria in eiusmodi sacris locis ab Imperatore posita consulto minus exponendum duximus, vt ne inuidiam in malos adium sacrarum aditimos concitaremus, cum ab hinc sexcentos annos, ea de templis sublata fuerint.* Egregia vero conseruandæ in perpetuum veritatis instrumenta, quæ hominum negligentia tam facile pereunt.

XXXII. Iam hæc ipsa quæ conseruantur, & cum paulo vetustiora sunt à paucis cognoscuntur, vixque cognoscuntur, nec cognoscuntur vt plurimum, nisi ope literarum, quas quanto præstat exstare in Scripturis sanctis? Et non sunt vbique obuia, interest autem, vt vbique fides Christiana certis documentis persuadeatur: & denique ipsa vetustate, si non pereunt, vt dixi, certè obruuntur, adeo vt effodi oportuerit altare illud Belgicum, Bellarmini delicias.

XXXIII. Denique eiusmodi monimenta, cum contraria inualuit vel cõsuetudo vel opinio, prorsus sunt inutilia: siue quia negliguntur: siue quia alio detorquentur. Historici, qui Ioannam fœminam meminerunt fuisse in numero Episcoporum Romanorum, eius rei indicia citant, statuã quandam: vicum in vrbe certum, qua nunquam processio prætergreditur, sellã nescio quam perforatam. At hæc omnia quam dextrè interpretantur recentiores, interq; eos Bellarminus, & Florimondus Remondus Burdegalensis? Nam & sellam in eum finem adhiberi, vt admoneatur Papa te de stercore erigi in maximam dignitatem: Et vicum illum arctiorem, quam vt processionem capiat: Et statuam esse Romanæ antiquitatis vestigium: quãquam audio motam esse de loco suo: prudenter, ne posthac cuiquam similem scrupulum inijciat. Testatur Rhenanus suo tempore superfuisse in nõnullis Ecclesijs, quas Cathedrales vocant, calices, habentes canalem, siue tubulum, quo aptius communicari posset laicis sacramentum sanguinis. Quis hos curat calices? hoc, inquam, indicium quo probatur laicis vtramque speciem esse distributam? Imo quid prosunt libri Ecclesiastici? Nam omnes liturgiæ Græcorum, quotquot habemus, indicant hoc ipsum fuisse factitatum. Ipse Canon Romanus: ipse, inquam, Canon, quem singulis diebus Papistæ cantillant, habet, *vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus.* Ista & similia aut non aduertuntur, aut ridentur, aut sophistice detorquentur. Et speret quis, his remedijs conseruandam veritatem?

XXXIV. Quarta Bellarmini causa est in hæresibus Deus enim mirabiliter vtitur hostibus Ecclesiæ ad Ecclesiam conseruandam. Nam, quia singulis ætatibus orti sunt noui hæretici, qui diuersa dogmata Ecclesiæ oppugnarunt: ideo etiam singulis ætatibus exstiterunt homines docti, qui, vt hæreticis resisterent, diligenter inuestigarunt doctrinã Ecclesiæ, & traditiones antiquas, & magna diligentia eas posteris commendarunt. Quemadmodum qui diu pacificè possidet bona sua, facile amittit instrumenta & literas, quibus continetur, vnde illa bona ad eum peruenerint, & quo iure bona illa possideat. At qui semper litigat, diligentissimè illa custodit, nec vlla ratione patitur.

XXXV. At Bellarminus est Sophista: qui quum cœpas quærimus, apponit allia. Nos enim non quærimus, quibus modis excitari possint fideles ad inquirendam diligentius veritatem: sed quibus medijs hæc veritas ad quam inquirendam incitantur siue ab hæresibus, siue ab alia quapiam causa, ita conseruetur, vt non inquiratur frustra. Et quidem incitandis fidelibus, non dissitear hæreses esse vtiles. Sed esse medium siue instrumentum vtile conseruandæ veritati, prorsus negatur. Prosunt hostium incursiones excitandis ciuibus ad tutandam armis patriam, sed vtiles incursiones esse ad tutandam patriam, quis sanus dicat? Sic incitant morbi homines alioqui quærendis medicamentis non admodum curiose incumbentes at medium esse tuendæ sanitati accommodatum, nondum Galenus dixit, nondum Hippocrates in aphorismos retulit.

XXXVI. Pergo, & quæro: Veritatem illam qui viri inquisierunt? Quod cum dico, hoc quæro, vtrum θεόπνευστοι, an κρεῖττον τι μέτρον τῆς πίστεως. Nam si primi, vt in Concilio Hierosolymitano, nihil est, quod excipiam. Sed quis affirmet? Imo ipsi contradicunt: & nolunt suis quasi canonicis literis deseruire. Itaque aliter audio Paulum ad Galatas contra Ceremoniarios disputantem: aliter contra Donatistas Augustinum: aliter Paulum ad Romanos contra Iustitiarios, quam Augustinum contra Manichæos. Imo aliter de Resurrectione Paulum ad Corinthios & Tertullianum, Athenagoramve. Quia ille Spiritu plenus, eo qui Apostolos duxit in omnem veritatem, oracula potius pronunciabat, quam enthymemata syllogimosve conquirebat: Isti vero etsi pie, religioseque, tamen vt homines falsa impugnabant, vera inquirebant: hoc est, poterant labi: poterant errare. Itaque non erant authentici.

XXXVII. Quid? Quod se Deus minatus est concessurum ἐνέργειαν πλάνης, efficaciam erroris (posterioris ad Thessalonicenses secundo) vt credant mendacio? Et sane obseruatum est ab ijs qui paulo curiosius historiam Ecclesiæ considerarunt, paulatim sese errores insinuasse in Ecclesiam, donec tandem multis cumulatis factum sit vlcus vniuersale, vt à capite ad plantam pedis non esset sanitas. Nam quis non agnoscat vestigia in Papatu, Angelicorum, qui Angelos colebant? Collyridianorum, qui Mariam? Apostolicorum, qui nihil admittebant proprium: Encratitarum, qui cibos distinguebant? Silentiariorum, qui vix hiscere audebant? Eustathianorum qui exsecrabantur presbyteros coniugatos? Quis non interpolatos Pelagianos in Libero arbitrio? Ethnicos in vsu imaginum, & inuocatione Sanctorum? A quibus etiam Pallas mutuo sumpta est, vt transformaretur in Margaretam: Atlas, in Christophorum: Perseus, in Georgium. Et multa similia.

XXXVIII. Deniq;, veteres vno ore testati sunt, nobis certum aduersus hæreses remedium esse in Scripturis positum, vt prolixius docuimus c. 9. Chrysostomus etiam & Theophylactus paulo ante testati sunt, ob nascituras hæreses Christum voluisse vt Euangelia scriberentur. Itaq; etsi verum esset, hæresibus excitari Christianos ad inquirendam veritatem: tamẽ non propterea traditionum autoritas aut certitudo confirmaretur, sed potius Scripturæ, ad quam recurrendum est omnibus, vt certum inde remedium petamus aduersus hæreses.

CAP. XVI.

Hæretici traditionibus nituntur.

I. PRæter has rationes; hæcque Patrum testimonia, ex vsu etiam hæreticorum facile probamus, Traditiones non scriptas, non esse fundamẽtum certum veræ fidei. Nam hoc artificio de hæreticorum plurimi facilè sperarunt insinuare posse sua dogmata in Ecclesiam, si hominum oculos à Scriptura possent ad Traditionem nõ scriptam aduertere. Opponent nobis proximo libro aduersarij nonnihil simile de Scriptura, ab hæreticis sæpe iactata: Ergo nunc vim argumenti, omnino similis non debent eludere. Nos autem multo certius concludimus. Quia Scripturam quamtumlibet iactent hæretici, tamen corrumpunt interpretando: & statim possunt ab ipsa Scriptura conuinci. Quod non potest itidem de Traditione dici.

II. Accurrisse hæreticos ad Traditionem, facile probatur ex varijs testimonijs. Statim initio, aut certe paulo post initium, cum videri poterat esse purior Traditio, ac proinde veritati magis fauens, falsum difficilius admittens: tamen Carpocratiani, apud Irenæum lib. 2 c. 24. *Iesum dicunt in mysterio discipulis suis seorsim loquutum, & illos expostulasse, vt dignis & assentientibus seorsum hæc traderent.* Et lib. 2. c. 2 omnes, *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neq; sint ex autoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his qui nesciant traditionem.* Dele nomen Irenæi: iurabit tota Iesuitarum cohors, ipsum hæc Caluinum scripsisse Papistis iratum. Hoc vero Tertulliani de præscriptionibus, quid? *Solent dicere non omnia Apostolos scisse: vel omnia quidem sciisse, sed non omnia omnibus tradidisse.*

III. Eusebius historiæ lib. 5. c. 27. Artemonis sectatores testatur dicere, maiores omnes, atque adeo ipsos Apostolos, ea quæ ipsi affirmabant, & accepisse & docuisse. En verba, φασὶ γὰρ τοὺς μὲν πατέρας ἅπαντας, καὶ αὐτοὺς Ἀποστόλους παρειληφέναι καὶ διδιδαχέναι ταῦτα ἃ νῦν λέγουσι. *Dicũt omnes antecessores, sed & ipsos Apostolos accepisse, docuisseq; ea quæ nunc ipsi loquuntur.* Papias similiter suos proponebat errores nomine traditionis non scriptæ. Basilius se ab Arianis prouocatum testatur περὶ τῆς σωτηρίας. Apud eundem lib. 2. contra Eunomium; Eunomij legimus hæc verba, ἡμεῖς δὲ τὰ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων παλαιὰ, καὶ νῦν ὑφ' ἡμῶν ἀποδεικνυμένα: *Nos cum in his quæ à Sanctis patribus olim, & nunc à nobis demonstrata sunt, permaneamus.*

IV. Augustinus in Ioannem tract. 97. *Omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare nituntur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant.* At nostri Papistæ hoc ipso loco vtuntur, vt suas Traditiones tueantur: vt videbimus sequente libro.

V. Alphonsus de Castro contra hæreses lib. 1. c. 2. Felicianum hæreticum notat, dicentem in causa fidei, magis rationib. quam Scripturarum testimonijs vtendum esse. Ergo iste etiam libenter declinabat à Scripturarũ iudicio: in quo habet similimos Papistas, etsi illud de rationib. non similiter profiteantur. Sed est deniq; verum, hæreticos libenter à Scripturis ad Traditionem diuertisse.

VI. Quid? quod Irenæus lib. 2. c. 23. scribit Basilidianos asserere, non oportere sua mysteria effari in publicum, sed in abscondito continere per silentium? Quantũ discedit à Cano, asserente si quib. formis Sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda, aliaq; id genus religionis secreta, passim vulgo tradita fuissent ab Apostolis, tum aduersus Christi legem sanctũ datum fuisse canibus, & inter porcos sparsas margaritas? Imo omnia religionis mysteria abolita? Sed Bellarminus etiam c. 3. libr. 4. de Verbo Dei, dignitatem ait multorũ mysteriorum, silentiũ requirere, nec decere, vt in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur.

VII. Bellarminus respondet c. 12. hæreticos esse simias Catholicorum: & propterea velle ipsos etiam habere mysteria. Interesse tamen inter eorum mysteria & Papistica: quod illa secretum petunt, quia sunt turpissima occultanturq; hominib. doctis, at imperitis manifestantur. At ista solum quibusdam traduntur, non quia timeant lucem, sed vel quia non est opus vt sciantur ab omnib. vel quia non sunt eorum omnes capaces. Porro illud Christi, *Quod in aure audistis, prædicate super tecta*, Matth. 10. intelligendum addita cautione, *Si opus sit.* Illud rursus, *Ego palam loquutus sum mundo & in Synagoga, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil.* Ioan. 10. interpretandum, nihil dixi: quod non possit vbiq; dici, quod attinet ad veritatem & puritatem dictorum: vt ne repugnet, quod aliqua seorsim discipulis exposuerit.

VIII. Ath æc responsio primum non est ad totum argumentum, sed tantum ad eam partem quæ de mysterijs hæreticorum loquitur. Altera pars ergo manet non soluta, quæ docet hæreticis in hoc capite similes esse Papistas, quod noctuarum instar auertant quantum possunt oculos à luce Scripturarum (vnde eos Tertullianus appellabat lucifugas Scripturarum libro de Resurrectione carnis) ad tenebras Traditionum.

IX. Secundo, nego hac in re hæreticos esse Catholicorum imitatores. Nam etsi Catholici aliquando vterentur argumento à Traditionibus, tamen libentius disputabant è Scripturis, atq; in ijs suæ causæ proram constituebant & puppim, vt Irenæus, qui cum obiter de Traditione disputauit vno aut altero capite, & quidem non prolixo, totam disputationis aciem, eamq; prolixam instituit è Scripturis. Tertullianus de Traditionib. egit tantum præscribendo, sed retractando, Scripturis. Basilius, cum ab Arianis prouocaretur ad consuetudinem, & Scripturam, tum ille non diutius consultans consuetudinem recusauit, Scripturam iudicem adoptauit.

X. Iam vero mysteria occultarunt illi quidem aliquando, sed primo nõ fidelibus, id est, vel manifestis infidelibus, vel nondum egressis Catechumenorum ordinem, nunquam autem fidelib. deinde, non dogmata, sed solum Eucharistiæ quædam altiora, magisque obnoxia infidelium sannis. Tertio; ea ipsa non à traditione habebant, sed à Scriptura. At hæretici non hæc tantum, sed etiam dogmata volebant non esse in vulgus efferenda: &

nostri Papistæ similiter: ergo neutri sunt imitatores Christianorum: & si imitatores, tum simiæ, vere simiæ, quæ in deterius mutant, quæ imitanda susceperunt.

XI. De mysterijs autem Papisticis, nihil sincere Bellarminus exprimit quia vtraque causa, obquam ea putat occultari, falsa est. Nam primum, cur non opus est vt sciantur ab omnibus? Imo contraria est eorum praxis: Papistarum, inquam: Nam quæ illi habent è Scriptura, illa occultant: nõ permittunt enim ea venire in omnium manus: causantes esse difficillimã: quę autem habent ex Traditione, illa non patiuntur quemquã ignorare Trãssubstantiationem, Purgatorium, Limbum puerorum, Imaginum venerationem, Sanctorum inuocationem: Extremam vnctionem, Auricularem cõfessionem, Cœlibatum, Ieiunia, & sexcenta huiusmodi. Quæ si ab initio in aurem tradita sunt, quia publicari non deberent, cur hodie publicantur, nõ vero in aurem susurrantur, paucis quibusdam perfectis, vt Manichæorum in re simili, verbis vtar? Sin publicari debent, cur contendunt Traditiones non fuisse scribendas?

XII. Non esse autem auditores horum mysteriorum capaces, quis credat? Nam si non sunt capaces, cur audiunt quotidie, & de suggesto, & in priuatis colloquijs, & in vsu perpetuo? Adhæc, libenter interrogem conscientiam Iesuitarum, si habent aliquam, quid altius, augustius, diuinius existiment Trinitatis mysterio: aut incarnationis? Et tamen hæc sunt non in aurem susurrata, sed publice prædicata omnibus: non per occultam traditionem seminata, sed per Scripturam sanctam fundata. Non est ergo hæc auditorum incapacitas legitima causa occultæ Traditionis.

XIII. Porro aureas illas Christi sententias, quis non doleat ita deturpatas artificio Iesuitico? *Prædicate super tecta*, inquiebat Christus: huic aurem vellicat Iesuita, quasi inconsideratius loquuto, & susurrando succinit, *Si opus est.* ὦ τῶν πολυπλοκῶν αὐχωνίας. Quid enim iam integrum esse possit in Scripturis? Et quid non quouis detorqueri erit facile, si hæc additionum commenta permittuntur? Non ita Tertullianus, de Præscriptionibus, c. 26. *Dominus palam edixit, sine vlla significatione alicuius taciti Sacramenti ipse præceperat, si quid in tenebris & in abscondito audissent, in luce & in tectis prædicarent. Ipse per similitudinem præfiguraverat: ne vnam mnam, id est, vnum verbum eius sine fructu in abdito reseruarent.*

XIV. Quæro autem, quomodo illud *si opus est*, intelligant. Nam vel significat, si ea sint dogmata, quæ opus sit in tectis prædicari, vt sic distinguãtur, dogmata alia ab alijs, vel potius intelligendum, si eæ sint personæ quibus expediat dogmata prædicari, vt sic distinguantur personæ à personis. Nam si priore notione, vt sint quædam dogmata, quæ possint libere de tectis prædicari, quædam vero quæ nunquam: primõ contradicit series verborum. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate supra domos:* nihil enim distinguitur: contradicit etiam Tertullianus. Deinde, si Traditiones ea sint dogmata nunquam de tectis prædicanda: ergo non modo scribendæ non fuerunt in Canone, sed ne quidem vnquam populus annuntiandæ: quod vt diximus, contra factum à Papistis. Sin a posteriori notio magis placet, ergo ea non dogmata distinguet à dogmatibus: atq; adeo significabitur, eadem dogmata aliquando quidem, debere publicari: aliquando minime, pro captu eorum: quibuscum negotium erit. At hoc æque de scriptis dogmatibus verum est.

XV. In altero loco, mitor improbam sophisticem. *In occulto loquutus sum nihil:* id est, nihil dixi, quod non possit publice dici: imo non absolute, sed quoad veritatem, & puritatem dictorum. Atque hæc deniq; huc redeunt, vt, nihil loquutus sum, significet, non omnia loquutus sum: sed aliquid: imo non aliquid tantum, sed minimam partem loquutus sum: nam Traditiones, multo maximam partem constituũt doctrinæ Christianæ, si Papistis credimus. Adeo nihil pudet. Atqui hoc dicebat Christus subijciẽs, *Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid sim ipsis loquutus: Ecce hi sciunt quæ dixerim ego.* At hoc absurde dixisset: quia de occultis, id est, de ijs quæ Christus occulte dixisset, Pilatus non potuisset præsentes Iudæos interrogare.

XVI. Quod si aliqua seorsim discipulis Christus exposuerit, non est his dictis contrarium: primo quia eadem quæ publice dicebantur, seorsim exponebantur. Proponere enim & exponere, non duo diuersa dogmatum genera, sed eadem potius supponunt: tantum variam docendi rationem significant: quia quæ paulo obscurius aliquando publice totiq; plebi proponebantur, eadem postea dilucidius interpretata repetebantur, vt factum est in parabolis. Deinde quia hæc ipsa quæ sic seorsim probantur, Apostoli publice prædicare iubebantur.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS.

DE CANONE.

Caput I.

AN A SCRIPTVRIS TRADITIONES COMMENDENTVR.

VLTA pro veritate diximus, hoc est, pro Scripturæ perfectione. Sed erunt plura disputanda contra Papistarũ blasphemiam, de eiusdem imperfectione. Quid enim loquacius mendacio? quid pertinacius hæresi? Illud tacere non potest, etiam confutatum: hæc nescit cedere, etiam victa. Quo magis vtrumque in se veritatem armat, eiusque vim acuit: vt ne siue loquacitas, siue pertinacia quicquam prosit. Et quomodo venando canes constantissime feram persequũtur, quocunq; ierit: sic veritas mendacium, mendacijque prolem, hæresin inuictis animis insectatur, donec extremum exspirent halitum. Tu æterne Deus, qui mihi veritatis tutandæ partes imposuisti, da, per Filium tuum vnigenitum, vt opus incœptum persequens, Traditionum præstigias omnes exsequar, nec sophismatum aculeis territus, nec effugiorum multiiuga diuersitate factus.

II. Primus Traditionariorum impetus esto à locis Scripturæ, à qua valde contendunt suas Traditiones commendatas. Nam & Puteanus se demonstraturum pollicitus est, Scripturam nos subinde ad Traditionem Apostolicam amandare: & Iesuitæ Turnonenses, alijque plurimi, eam ob causam asserunt, non posse nos Scripturam non aspernari, quæ Traditiones commendet. Esto igitur hic syllogismus: Quæcunque commendantur à Scriptura, sunt necessaria. At Traditiones non scriptæ commendantur à Scriptura. Ergo Traditiones non scriptæ sunt necessariæ. Assumptio probatur septem locis Scripturæ, quos prius quam excutio singulos, respondeo ad maiorem.

III. Repeto distinctionem Traditionum propositam in statu quæstionis, 1. cap. præcedent. libr. 1. num. 16. vt intelligantur, vel pro ipsis dogmatis cum fidei tum morum: vel pro modo & ratione earum rerum tradendarum: & rursus res ipsas esse vel necessarias, vel ἀδιαφόρους. Et dico, Si argumentum Traditiones nominat pro tradendarum rerum ratione, concedo totũ. Nos enim vere confitemur, hanc Traditionem & plurimis locis Scripturæ serio commendari, & esse propterea Ecclesiæ necessariam. Nego tamen inde quicquam concludi contra perfectionem Scripturæ. Non enim sequitur, si Ecclesia docenda sit viua voce, vt non omnia necessaria ad salutem contineantur in Scripturis: quia ipsa etiam quæ sunt in scripturis, tradenda sunt viua voce.

IV. Rursus, si Traditiones intelliguntur τὰ ἀδιάφορα, conceditur assumptio. Nam, etiamsi non multa sit Scriptura in harum rerum commendatione: tamen huc referri possunt nonnulli loci: atque ij in primis qui sunt de autoritate Ecclesiæ. Et hanc nos prolixè concedimus, nonnulla eiusmodi posse pro varijs locis, personis, & temporibus constituere: prout viderit expedire: imo non videmus quomodo hæc omnia potuerint in Scripturis sacris comprehendi, quæ liberam haberent obseruationem. Itaque thesin nostram, de perfectione Scripturæ, ita concipiebamus, vt huic traditionum generi nihil officeret. Sed negamus maiorem syllogismi: neque enim hoc rerum genus necessarium esse potest: cum sit ἀδιάφορον, ex hypothesi.

V. Restat genus illud, quod in rebus necessarijs constituebamus, & in quo totus comprehenditur huius controuersiæ status. Negatur ergo minor propositi syllogismi: hoc est, Scripturam vlla dogmata, necessaria ad fidem & mores, commendare, præter ea quæ sunt scripta in libris sacris, hoc est, in toto Canonis corpore. His ita distinctis, restat vt ipsos locos cõsideremus è Scripturis decerptos.

VI. Primus est è 16. ad Rom. citatus à Puteano. *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos accepistis, faciunt.* Sic ille locum legit. Et addit: si accipere non intelligitur, nisi de eo quod auditu discitur: tradere intelligi etiam non potest, nisi de eo quod docetur: Nam & ea Paulus semper facit esse correlatiua. Quid igitur potuit magis perspicue dici in Traditionis gratiam? Sed & voculam παρὰ præter, interpretatur contra: non posse enim aliter hoc saltem loco, quia non agatur de Scriptura: & ratio est, quia nihil dum Paulus ad Romanos scripserat.

VII. Respondeo, primum neutro verbo, siue tradendi siue accipiendi, Paulum esse vsum, sed vocibus διδαχῆς & μαθήσεων. Διδαχὴ autem non tãtum de viua voce dici, sed etiam de scripto, cum omnes sciunt, tum illud saltem ostendit ex 2. ad Thessalonicenses, εἴτε διδαχθέντες εἴτε λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς, *quas edocti estis, siue per sermonem, siue per Epistolam.* Et ad Romanos 15 ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη: *quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt.* Quodsi relatiua sunt τὸ διδάσκειν καὶ τὸ μανθάνειν; tum profecto τὸ μανθάνειν non erit ad aures restringendum, quando nec τὸ διδάσκειν ad os. Facit autem non bene Puteanus, qui Paulo commodat verba de suo.

VIII. Secundo, neque id verum est, Accipere ad aures, tradere ad os tantum referri. Nam si hoc ita esset, tum nulla traditio esset scripta: quod tamen agnoscunt falsum esse cum omnes Papistæ, qui traditionem dicunt non

non scriptam, vt distinguant à scripta: tum Bellarminus diserte, *Nomen Traditionis generale est, & significat omnem doctrinam siue scriptam, siue non scriptam*: c 2. lib. 4. controu. 1. Sed & Paulus τὰς παραδόσεις agnoscit doceri ἤτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς, vel per sermonem, vel per Epistolam Et c. Actor. 6. legimus, ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωσῆς, *mutabit ritus quos nobis tradidit Moses*: tradiderat a. scripto. Rursus igitur ex natura correlatiuorum, si τὸ παραδιδόναι non pertinet ad os tantum, neq; τὸ παραλαμβάνειν ad aures tātum. Itaq; non tantum semel peccauit Puteanus, qui Paulo verba supposuit sed etiam secundo, qui ne ex suis quidem verbis recte argumentatur: Illud peccatum grauius est, vtpote falsi crimen: hoc vero ineptius, dicam etiam stolidius. Nam si violandum est ius, vincendi gratia violandum fuit.

IX. Tertio peccat Puteanus in interpretatione voculæ παρά: quam proprie esse præter, omnes sciunt. Hoc a. loco aliter vsurpari nihil cogit. Quid tum n. si Paulus non agat de Scriptura? Quanquā ne hoc quidem satis probatur, non n. valet hæc consequentia. Nihil ad Romanos Paulus scripserat: ergo non agit de Scriptura. Quasi vero, inquā, nulla alia esset omnino Scriptura, ex qua Romani discere potuissent fidem Christianam, præter ea quæ Paulus ad eos potetat scribere. Sed, vt dixi, demus, si ita placet, non loqui de Scriptura: quid tum? An sic legitime concludet. Non agit de Scriptura, ergo παρά præter, est contra? Imo negatur consequentia. Et eo magis euincam παρά non esse contra, si verū est Paulum non loqui de Scriptura. Nam si loquitur de Traditione per viuam vocē, & hæc continet omnia: tum nihil necesse est, vt præter mutetur in contra. Etenim, si aliquid superesset præter tradita: ergo non omnia essent tradita. Ita videtur Puteanus, non tantum non esse exacte peritus in Dialecticis: sed etiam carere sensu communi,

X. His purgatis Puteani erroib. iam locus Pauli ex Græco sic legendus est: *Precor a. vos, fratres, vt speculemini discidiorum, & scandalorū autores, præter doctrinam, quam vos didicistis.* Vnde apparet, Paulum non determinasse sermonem suum ad Traditionem non scriptam magis quam scriptam, sed esse loquutū generaliter de doctrina, hoc est, reb. ipsis quas Romani didicissent. Et fieri quidē potuit, vt eam doctrinam viua voce didicerint, sed, vt hoc modo duntaxat, & non etiam per Scripturam, non fit verisimile. Nam Paulus tota Epistola Scripturas frequētes citat: quod quis credat fuisse facturum, si illis Scripturæ fuissent incognitæ? Apparet igitur eos, à quib. viua voce docti fuerant, Scripturas illis in manus præbuisse, saltem Veteris Testamenti: ideoq; dupliciter docuisse, & viua voce, & per Scripturas. Deniq; eadem illa, quæ Romani edocti sunt, quomodocunq; tandem edocti fuerint, scripta demum sunt, siue a Paulo tum hac ad Romanos Epistola, tum reliquis, siue ab alijs. Itaq; nihil ex hoc loco concludi potest aduersus Scripturæ perfectionem.

XI. Secundus locus ex 11. prior. ad Cor. vbi Paulus (inquit Bellarminus) duas quęstiones tractat, vnam de modo orandi in Ecclesia, alteram de modo sumendæ Eucharistiæ. Primam exorditur à Traditione: *Laudo vos* (inquit) *quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*. Ista n. præcepta de modo orandi, & sumendæ Eucharistiæ, nusquam scripta inueniuntur. Et Chrysostomus ac Theophylactus notant Apostolū loqui de præceptis non scriptis, necnon Epiphanius hæresi 61. Basilius libr. de Spiritu, c. 29. Damasc. lib. 4. c. 17. Vt ostendat a. multum tribuendum esse traditioni, & consuetudini Ecclesiæ, etiam sine scripto, concludit. *Si quis a. videtur contentiosus esse, nos talem cōsuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei*. Alteram quæstionem exorditur etiam à traditione: *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis*. Et concludit: *Cætera cum venero disponā*. Quid enim disposuerit nusquam scriptum inuenitur. Suspicantur autem Papistæ eum, non solum disposuisse, quæ ad ritus & ceremonias pertinebant, sed etiam tradidisse alia grauiora, vt de ordinatione ministrorum, de sacrificio altaris, de aliorum Sacramentorum forma & materia, nec posse vllo modo contrarium ostendi.

XII. Resp. multa hic esse animaduersione digna, neq; simpliciter peccari à Bellarmino. Primo, hæc verba *Laudo vos, quod per omnia mei memineritis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*, non sunt aliquid vniuersale, pertinens ad omnes Christianos: sed particularis circunstantia, ipsos Corinthios contingens, quos ante id tempus Paulus viua tantum voce docuerat. Non sequitur a. si tum fuerunt Corinthijs præcepta quædam proposita viua voce, non fuisse vnquam scripta in libris sacris. Nam ea ipsa quæ legimus diserte scripta, fuerunt prius tradita viua voce. Nam Petrus, opinor, non cōcionabatur ad Iudæos de scripto legens, cum tamen eius conciones hodie apud Lucam descriptæ sint. Itaq; potuit vel alius aliquid è sacris autoribus, vel ipse etiam Paulus ad alios eadem scribere.

XIII. Rursus non sequitur, si tum primo proposita sunt Corinthijs viua voce, non esse etiam ipsis proposita per traditionem scriptam: duplicem ob causam. Primo, quia ea ipsa quæ docentur viua voce, possunt & desumi è Scripturis, & earum autoritatibus probari. Potuit itaq; Paulus, cū ea præcepta Corinthijs traderet, confirmare suam traditionē varijs locis librorū sacrorum. Nam sic Petrus ad Iudæos concionabatur, & docebat Iesum esse Christum. Secundo, potuit Paulus eadem quæ primo viua voce proposuetat, ad Corinthios postea scribere. *An non meministis* (inquiebat ad Thessa, 2. c. post.) *me, cum adhuc essem apud vos, hoc dixisse vobis.*

XIV. Sed hæc præcepta (inquit Bellarminus) de modo orandi, & sumendæ Eucharistiæ, nusquam scripta inueniuntur. Imo (inquam) non est necesse ea præcepta sic intelligi. Nam in his capitibus, id est, de modo orādi, & de sumenda Eucharistia, satis apparet ex ipso capite, Corinthios non seruasse id quod erat traditum. Postea enim Paulus negat se eos laudare, quia in deterius conuenirent. Factos a. esse conuentus non tantum Eucharistiæ, sed & orationis causa nemo nescit. Videtur ergo potius intelligendū de doctrina Christiana, vt sensus sit, laudari quidem Corinthios, quod doctrinæ traditiones siue præcepta retinerent: sed esse tamen illis addendam εὐταξίαν, siue rituum decentiam. Quod si ita est, certe non intelligitur alia doctrina, quam quæ scripta est, tum in Epistolis ad Corinthios, tum in alijs Canonicis.

XV. Deinde, vnde habet Bellarminus non esse scripta? Certe aliter censet Chrysostomus, qui ea ipsa quæ ante erant viua voce tradita, hic fuisse repetita asserit: πῶς οὖν (inquit homil. 26 ὑπὲρ τούτων ἤδη παρῆν εἰσ παρὼν, καὶ ἴσως οἱ μὲν ἤκουσαν, οἱ δὲ ἠπείθησαν, διὰ τοῦτο καὶ διὰ τῆς ἐπιστολῆς πάλιν ὥσπερ σοφὸς ἰατρὸς ἐπαντλῶν τῷ λόγῳ διορθοῦται τὸ ἁμάρτημα, ὅτι γὰρ παρῆν ἐστὶν ἤδη παρών, δῆλον ἐκ τῶν προοιμιάζεται. *Quoniam ergo de his iam admonuerat præsens. Et forte alij quidem audientes fuerant: alij vero non obtemperabant: propterea etiam per epistolam eis rursus tanquam doctus medicus verba infundens, peccatum corrigit. Nam admonuisse iam præsentem, perspicuum est, ex præfatione.* Et rursus nonnullis interpositis: ἄρα καὶ ἀγράφως πολλὰ παρεδίδου τότε, ἢ καὶ ἀλλαχοῦ πολλαχοῦ δηλοῖ, ἀλλὰ τότε μὲν παρέδωκε μόνον. νῦν δὲ καὶ αἰτιολογίαν τίθησιν *Ergo & sine scripto multa tunc illis tradebat: quod etiam multis alijs in locis indicat, sed tunc quidem solum tradidit, nunc autem etiam ponit causam.* Chrysostomum de more sequuntur Oecumenius & Theophylactus. Ergo ex horum iudicio, ea ipsa quæ Paulus significat παραδόσεως nomine, dogmata sunt scripta.

XVI. Sed nos ita concludimus: Illa quæ ad orationem & Eucharistiam dicuntur pertinere, esse illis, orationi, inquam, & Eucharistiæ vel essentialia, vel accidentaria. Si essentialia, negamus non esse scripta. Nam quæ pertinent ad orationis, Eucharistiæue naturam, id est, formam & materiam, omnia plurimis locis occurrunt in libris Canonicis Sin a. accidentaria, vt locus, tempus, & similia, hæc ad nostram non pertinent controuersiam. Et tamen, cum etiam accidentium nonnulla inueniantur scripta, debet Bellarminus ostendere, quænam illa sint præcepta pertinentia ad orationē & Eucharistiam, quæ Corinthijs viua voce tradiderit Paulus, vt postea sciamus, sint-ne omnino scripta an non. Videat tamen ne suas nobis nænias occinat horas, calculos, linguam incognitam, azymum, patenas, cereos, vestes, & similia, nam illa nos quidem nunquam fatebimur ab Apostolo Corinthijs tradita.

XVII. Quod ad Patres attinet, primus Chrysost. falso citatur. Neq; enim ille quicquam aliud, præter id quod obseruauimus: videlicet Apostolū postea scripsisse eadem, quæ prius viua voce docuerat. Theophylactus, hic discedens à Chrysostomo, *Liquet ex his*, inquit, *cum Paulum, tum Apostolos reliquos, haudquaquam omnia literis mandasse præcepta, quæ populis tradidissent*. Quod, quanquā ex Pauli verbis perperam concluditur, & recentior Theophylactus non sit quauis exceptione maior: tamen non vrget. Nam si præcepta intelliguntur vniuersaliter ἀντὶ τῶν παραδόσεων, (vt videtur Porsenna retinuisse vocem Latini interpretis) quis negat, non omnia Apostolos scripsisse, nempe ritus atq; εὐταξίαν? Sed de necessarijs præceptis fidei aut morum, non est idem iudicium.

XVIII. Basilij mens alia non fuit, cum ex Traditione probat nō caput aliquod doctrinæ, sed vsum quarundam vocum in precationibus: assumens thesin generalem de Traditionibus obseruandis: sed ad politiam pertinentib. εἰ δὲ τὰ πλεῖστα (inquit) τῶν μυστικῶν ἀγράφως ἡμῖν ἐμπολιτεύεται, μετὰ πολλῶν ἑτέρων καὶ τοῦτο παραδεξόμεθα *Si vero mysticorum plurima à nobis sine scripto in politiam admissa sunt, cum multis alijs, & istud etiam admittemus*. Erunt igitur hoc autore Traditiones non scriptæ, non τὰ πιστευθέντα, sed τὰ ἐμπολιτευθέντα, non quæ oportet credere, sed quæ oportet facere. Sed de hoc loco plura alias.

XIX. Epiphanius, etsi ne ipse quidem agat de reb. credendis, sed de virginitate seruanda: tamen abutitur hoc loco audacius, scribens Apostolos Ecclesiæ tradidisse ἁμαρτίαν εἶναι τὸ μετὰ τὸ ὁρίσαι παρθενίαν, εἰς γάμον τρέπεσθαι *peccatum esse, post decretā virginitatē, ad nuptias conuerti*. Impudentius vero Damasc. pro adorandis imaginibus: asserens eam esse ἄγραφον παράδοσιν. Vt facile appareat vtrumq; desperatione quadā deuenisse ad Traditiones, cū suos errores videret constare nulla Scripturæ autoritate. Atq; hoc experimento colligere nos debemus, quam sit Traditionum ianua perniciosa, qua semel aperta nihil sit quod non inde erumpat in Ecclesiam.

XX. Superest conclusio primæ partis, *Nos* (inquit Paulus) *talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei*. Ostendit a. (ait Bellarminus) multum tribuendum esse Traditioni, & consuetudini. Et sane, inquam, illū oportet esse oris impudentissimi, qui eam contemnat, Nos vero illum, parum abest, quin sacrilegium appellemus: & quidem non tantum in rebus leuiorib. vt sunt de quibus Apostolus loquitur, caput apertum, vel tectum: sed & grauiorib. ipsis etiam articulis fidei. Sed bis inepte concluditur: primum consuetudo Ecclesiæ non est contemnenda: ergo Traditio est necessaria, id est, Scriptura est imperfecta. Nam, ne tum quidem cum Scriptura est diserta, contemni debet consuetudo Ecclesiæ: Deinde consuetudo in rebus leuioribus non est reijcienda: ergo omnia ad fidem & mores necessaria non sunt scripta.

XXI. De altera quæst. quæ Eucharistiam spectat, non est maior difficultas. Nam hoc initiū, *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis*: omnino non loquitur de Traditione, id est dogmate non scripto: sed tantum de ratione eius tradendi: Nā institutio Eucharistiæ cum hoc loco descripta est integra, tū apud Euangelistas. Quare hinc nihil aliud concludi potest, nisi vtendum esse, in Ecclesia, ea docendi ratione, quæ fit per viuam vocem quotidie à Pastoribus & doctoribus: quorum id proprie munus est.

XXII. De conclusione, cætera cum venero disponam, proximo argumēto latius agendum erit illam n. reponent nobis Iesuitæ: Vnum hîc verbum sufficiat: quid censeant quid cōnijciant Papistæ, nos non curare: iampridē enim illi ariolantur potius, quam censent, & somniant potius, quam diuinant. Nos contra, assentientibus magnis autoribus, pronuntiamus, Paulū intelligendum de quibusdam Ecclesiasticæ politiæ partibus, nō de grauioribus capitibus, quæ fidem & mores continent: multo minus de Papisticis erroribus, sacrificio altaris, septem Sacramentis, & similibus. Enimuero suauis est Bellarminus, qui & obijciens, & affirmans, vult in nos, & respondentes, & negantes, reijcere probationis onus.

XXIII. Tertius locus ex 15. eiusdem ad Cor. Epist. citatur à Puteano. *Notū vobis facio Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini: qua ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis, quod & accepi*. Et post; *siue enim ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis*. Hinc constat, ait Puteanus, primo, Apostolos fidem Christianorum retulisse non ad Scripturam, sed ad prædicationem, ac traditionem: secundo, ita scripsisse, vt testarentur se nihil derogare velle traditioni: imo potius cum hac cautione; vt ad eam fideles amandent: tertio, non sic eos cum contendentibus disputasse, vt dicerēt, Ita scriptū est, sed, ita prædicatū est. Hæc Putean9, nescio quo suo malo fato, adeò

excæcatus, vt non videat etiam præsentissima: iuxta prouerbium: Neminem esse tam male cæcum, quam qui non vult cernere.

XXIV Atqui debuit nō abscindere contextus filum. Tradidi (inquit Paulus) *vobis in primis quod & acceperam: Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris secundum Scripturas: & sepultum fuisse, & excitatum tertio die secundum Scripturas.* Quibus verbis testatur Paulus se Corinthijs viua voce tradidisse quædam dogmata: sed illa tamen eiusmodi, vt non essent nunquā scripta. Qua vna fidelia dealbantur tres illi Puteani parietes. Nam & fides cum alias refertur tam ad Scripturam, quam ad prædicationem: tum hic manifestum est non res ipsas separari, sed docendarum rationem distingui. Subiecit enim Paulus, quid illud esset quod alias prædicasset Corinthijs: videlicet Christum mortuum, & sepultum, & suscitatum, qui sunt articuli fidei non tantum post eam prædicationem scriptis mandati: sed etiam longe antea, vnde subditur, *secundum Scripturas*. Nam quemadmodum hodie, quod Pastores docent secundum Noui Testamenti Scripturas, vtpote Christum natū & mortuū, & suscitatum, non est traditio nōn scripta, etiam si viua voce tradatur: sic, ne Apostolorum quidem seculo, poterat appellari Traditio non scripta, quod illi annunciabant iuxta Vetus Testamentum, quod erat scriptum. Paulus igitur hoc ipso loco, à Puteano notato, etsi non integro, fidem retulit non ad traditionem tantum, vt Puteanus volebat, sed etiam ad Scripturam: & quidem præcipue Scripturam: quia traditionis fontem docebat esse Scripturam.

XXV. Apostolos autem nihil derogasse Traditioni, ei scilicet quam oportet semper vrgere in Ecclesia, facile concedo, tum ex hoc loco rectè obseruari, tum ex alijs, sed quanta illa est sophistice, quæ statim, audita Traditione, Scripturam excludit? Atqui Paulus dixit, & bis dixit, ne cui efflueret *secundum Scripturas*: quæ verba Puteanus, integræ scilicet vir fidei, dissimulauit vt Traditionem commendaret, non secundum Scripturas, Hoccine in Theologo ferendum? Ableget ergo sane Paulus fideles ad Traditionē: dum scriptorum dogmatum. Atque vtinam sic hodie Papistæ, nunquam tria verba commutaremus.

XXVI. Non dixisse vero disputando, Ita scriptum est, sed, Ita prædicatum est, qua fronte, qua religione ausus est dicere Puteanus? Aliquemne tā imperitum esse Scripturarum: tam inexpertum moris Apostolici? Quasi nō sexcenta possint loca proferri, vbi non ex Traditione, sed ex Scripturis disputatur. Sed quid alios dico? Nam hic ipse satis superque tantam cohibet impudentiam Illud enim *Secundum Scripturas*, bis repetitum, si quorsum pertineat, non intellgit, at discat saltem a veteribus. Chrysostomo: ἐπήγαγε κατὰ τὰς γραφάς. καὶ ἐν τούτῳ πάλιν ἀξιόπιστον ποιῶν τὸν λόγον, καὶ δηλῶν ποῖον θάνατον λέγει: *Intulit, secundum Scripturas: inde fidem rursus concilians sermoni, & indicans quam mortem dicat.* Et paulo post ad eorundem verborum repetitionem: καὶ οὐκ ἀρκεῖται προτέρῳ τῷ κατὰ κοινὸν εἰρημένῳ, ὅλως γὰρ ἦν τοῖς πολλοῖς ἄδηλον ἦν διὸ κἀνταῦθα τὰς γραφὰς παράγει. *Non sufficit illi quod prius dixit in commune: nam hoc multis incertum fuisset: propterea iterum hic scripturas intulit.* Oecumenio. πάλιν, κατὰ τὰς γραφὰς προσέθηκε, διὰ τὸ πολλοὺς ἀθέους ἀεὶ φιλλεῖν περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου. *Iterum, Secundum Scripturas, addidit, quia multi athei dubitarent de resurrectione Domini.* Theophylacto: *Cum vero, secundum Scripturas, inquit, Corinthios plane vituperat, & arguit vanitatis: siquidem vbiq; corporalem hanc mortem Christo sacræ literæ contestantur.* Quis iam non videat, hoc ipso loco, hoc ipso, inquam, loco, quod Puteanus negabat, Paulum disputantem magis dicere: Ita scriptum est, quam, Ita prædicatum est? Etsi vtrumque ille quidem dicit, nam quid obstat? quando eadem prædicantur, quæ scripta sunt. Sed potius dixi, quia prædicationem suam ita nominauit, vt statim eius fundamentum Scripturas indicauerit.

XXVII. Quartus locus eiusdem Puteani, ex prior. ad Thessal. c. 2. *Nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam, quum accepissetis à nobis verbū auditus Dei, accepistis non vt verbum hominum.* Notat, non ita fuisse distinctè nominatum *verbum auditus*, nisi vt separetur à verbo scripto. At ego cur non regeram illud Tragicum: ἀπὰρ σφοδρῶν γ' ἀσθενεῖ σοφίσματα? Nam hoc quicquid est nititur interpretis Latini incogitantia. Græce est, λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν Θεοῦ: quod non sonat, *verbum auditus Dei*: sed κατὰ πόδας, *verbum auditus nobis à Dei*, id est, verbum Dei, quod audistis à nobis. Atque ita nulla est distinctio verbi non scripti à scripto: Tantum enim indicatur qua ratione Thessalonicenses Paulus ante id tempus docuisset, nempe viua voce. Nisi forte illud magis placet glossæ ordinariæ, & Anselmi, interpretantium, *Euangelium in quo audistis notitiam Dei.* Sed vtrumuis placeat ineptit profecto, quicunque intelligit à Paulo denotari verbum aliquod Dei, nunquam in Canone scriptum, scribendum-ve. Atqui etiam ad Scripturam auditus pertinet. Vin' testem? Damascenū audi c. 11. lib. 4. Thesauri. Ἀκούοντες τῶν θείων γραφῶν, πιστεύομεν τῇ διδασκαλίᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Audientes diuinas Scripturas, credimus doctrinæ Spiritus.*

XXVIII. Quintus locus, omnium celeberrimus est: Papistisq; nostris inter primos in delicijs, ex post. ad Thessal. 2. *Itaq; fratres, tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et quidem antequam venio ad ipsam vim argumenti, placet vitilitigatorem meum Gautierum compescere: qui Bezam valde accusabat, quasi hunc locum corrupisset vertendo: cum παραδόσεις, Latine dixerit traditam doctrinam, non traditionem. Nam ita Græce legitur, Ἄρα οὖν ἀδελφοὶ στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν, Beza sic transtulit, *Nempe igitur, fratres, perstate & tenete traditam doctrinam, quam edocti estis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Vetus autem interpres, traditionum nomen retinuit: atque id mutatum Iesuitulus indignabatur.

XXIX. Miram vero horum hominum petulantiam: quibus nos non sufficimus aduersarij, nisi ipsi inter se bella moueant. Certe hic Gautierus impegit in suos Taceo Bellarminum, qui Traditionis nomine significare agnoscit doctrinam siue scriptam, siue non scriptā: c. 2 lib. 4. de Verbo Dei: quod si verum est, quid peccare potuit Beza, cum pro verbo, verbi significationem substituit? Quid? non Peresij autoritatem verebitur, viri, & ob ingenium laborumve, & ob Episcopatus dignitatem inter Papistas nō postremi nominis? Is sanè 1. par. de Traditionibus, postulato secundo, non tātum *Tradere*, asserit accipi aliquāto largius pro doctrina quouis modo primitus tradita: sed etiā diserte. *Apostolus* (inquit) 2. *ad Thess.* 2. (agnoscin' tu Gautiere, hunc ipsum locum & citari, & exponi?) *Doctrinam per epistolam & sermonem accepta, generali nomine Traditiones vocat.* Vicimus hoc teste, vicimus hoc iudice, Gautiere. Qui, si non placet, vt sunt Iesuitæ omnium ordinum, præter suū, maximi contēptores, ὅσ' ἄλλοι ἐκ δόξης κ' ἀπειρίας συμμαχεῖ, Ioan. (inquam) Hayo, tui gregis non minimo? Is Disp. lib. 1. c. cū audiret a Serrano, Traditionis vocabulo in Apostolorum scriptis intelligi vel doctrinæ applicationē, vel rituum & disciplinæ constitutionē impugnauit nec dedignatus ab ipso Caluino testimoniū sui ære, explicante hūc ipsum locum, de tota doctrina: non a. de præceptis tantum externæ politiæ.

XXX. Et sanè vidit Hayus, quod iste non vidit, præ odio Bezani nominis imo præ affectata consuetudine reprehendendi, quā ille se iam alijs indicijs ostendit, vnū sibi proponere finē, vt nostros calumnietur, quo iure, quave iniuria. Vidit (inquā) hunc locum, si aduersum nos quicquam faceret, tum multo vehementiorem fore, si doctrinam reddamus, quam si traditiones. Quia nobis aduersus Papistas, non de quibuslibet traditionibus cōtrouersia est: sed duntaxat de traditionib. dogmatum, quibus continentur fides & mores, hoc est, de ipsa doctrina. Quamobrem vt ab Hayo Caluinus, sic a Gautiero Beza, non tantum veniam mereri, sed etiam inire gratiam debuit.

XXXI. Porro Beza vertit, vt debuit. Et primo non falso: quia ipsum παραδόσεως nomen, etsi ritus & ceremonias amplectitur, quæ suum habent separatum ordinem tamen significat etiam doctrinam ipsam. Sed & apposite ad loci circumstantiam. Nam aduentui Antichristi opponuntur traditiones, quibus standum sit, nimirum ijs qui ab Antichristo decipi nolent. At ritus & ceremoniæ, ei rei vix sunt vtiles, vix cuiusquā momenti: sed doctrina omnino maximi. Et hoc notabat Caluinus, ab Hayo laudatus testis, *Quod nonnulli* (inquit) *ad præcepta externæ politiæ restringunt, mihi non placet. Modum enim standi indicat, atq; ad inflexibile robur instrui, res longe altior est externa disciplina.*

XXXII. Adde, si ritus & ceremonias intelligamus, tum perire omnem libertatem Ecclesiæ, Nam si standum est ritibus & ceremonijs traditis ab Apostolo, tum ab ijs recedendum nōn erit. Quod tamen factum est. Exempli gratia: Tradidit Apostolus vt viduæ non eligantur nisi sexagenariæ: at hoc vbi terrarum obseruatur? Instituerunt Apostoli, vt abstineretur à sanguine & suffocato: quod iamdiu nemo Christianorū obseruat: vtrūq; non bene, si illud *state & tenete Traditiones*, ita sit intelligendum, vt æque Traditiones rituū & ceremoniarum retinendæ sint, ac ipsius Doctrinæ. At absurdum est, omnem liberatem auferri ab Ecclesia in his rebus? quare sic intelligendus locus est, vt vertit Beza: & quia intelligendus etiam vertendus, Est n. omnibus & singulis capitib. eius Doctrinæ, quam Apostoli tradiderūt mordicus instandō ab initio ad finem, nullo discrimine vllius aut temporis aut loci, aut personæ. Hæc, (credo) causa fuit, vt Ambrosius, has Traditiones Euangeliū sit interpretatus *Vt præsentia Dei* (inquit) *maneat in salutem illorum, idcirco in Traditione Euangelij standum, ac perseuerandum monet.* Beza traditam Doctrinam, Ambrosius Traditionem Euangelij. Quantulo hæc distant spatio? Syrus interpres habet פוקדנא præcepta, siue mandata. Desino, dum admonuero Felicis Romani Epistolam de depositione Petri Antiocheni, sic claudere φυλάξατε, Χριστοῦ μαθηταί, ἐμοῦ δὲ υἱοὶ τὰς παραδόσεις ἃς παρειλήφατε ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν. *Custodite Christi discipuli, mei autem filij Traditiones, quas à sacris voluminibus accepistis.*

XXXIII. Agamus de argumento. Paulus commendat Traditiones, siue voce siue scripto, ergo tota Doctrina fidei non est scripta. Negatur consequentia. Nam, vt sæpe diximus, Euangelium totum primo fuit non scriptum, deinde tamen scriptum. Itaq; primo traditum viua voce. Ac proinde distinguenda sunt tempora: vt appareat fallacia: aliquando non fuit scriptū Euangelium: ergo nunquam. Nam si hoc valet, sequitur nos nullos habere libros Canonicos. Quid? quod loquitur specialiter Apostolus ad Thessal. Quas accepistis, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς, *siue per sermonem, siue per Epistolam.* Nam quis non videt, intelligendam Epistolam ad eos scriptā, sicut intelligitur sermo ad eos habitus? Perspicuū est a. non contineri in Epistolis ad Thessal. omnia fidei dogmata. At si concludas, omnia fidei dogmata nō sunt scripta, in Epistolis ad Thessal. ergo nusquam. Quis non miretur ingenium? Imo quis temeritatem non exsecretur?

XXXIV. Sed Bellarminus instat dupliciter. Primo, hoc ipso cap. Apostolum dicere, se illis prædicasse de Antichristo, & præter alia, docuisse, quando esset venturus. Hoc a. nusquam scriptum esse. Ideoq; Augustinū lib. 20. c. 19. de Ciuit. Dei, dicere illos sciuisse quod Apostolus docuerat viua voce: nos autem non posse id scire, qui Apostolum non vidimus.

XXXV. Respondeo, idipsum de Antichristo esse scriptum, tum in Apocalypsi Ioan. ex professo: tum hoc ipso, de quo agimus Epistolæ ad Thessa. c. *Iam enim* (inquit) *peragitur mysterium iniquitatis: tantum qui nunc obstat, obstabit vsq; dum è medio tollatur: & tunc retegetur impius ille.* Quæ verba nō possunt alio referri quam ad tempus venturi Antichristi: Nam & prius dixerat, *vt is suo tempere retegatur.*

XXXVI. Quod & Augustinus dixit nos nescire: respondeo, non sequi non esse scriptum. Quid enim si concluderem, non esse traditum? An ferret Bellarminus? Si, inquā, concluderem, quia nos nescimus, aut ne forte syllabas arguculi Sophistæ aucupentur; Augustinus nesciuit, ergo non fuit ab Apostolo tempus Antichristi traditum? Ad hæc perspicuum est, multa fuisse scripta, quæ tamen longo tempore non intelligebantur, i. nesciebantur, vt in Prophetis ante Christum, cuius venturi tempus, etsi prædictū esset, & scriptū, tamen à Iudæis ignorabatur: imo à Christianis intelligitur tantum ex postfacto, vt aiunt: nā alioquin de Danielis Hebdomadis, quā variæ sunt quam non similes sententiæ? Adde multa esse in Apocalypsi scripta, quæ ne nunc quidem intelligantur. Solent n. Prophetiæ obscuriores esse ante cōplementum. Et hic Apostoli locus est Propheticus: ne miremur ergo esse obscurum, id est, nondū satis intelligi. Atq; hoc est, quod Augustinus a Bellarmino citatus agnoscit, *Ego* (inquit) *prorsus quid dixerit, me fateor ignorare.* Quibus verbis vtrumq; asserit, & se ignorare: & tamen idipsum esse ab Apostolo dictū, scilicet eo loco, id est, scriptum. Potest igitur obscura esse istius temporis designatio: sed non propterea tamen non scripta.

XXXVII. Etsi hanc designationem, si Bellarminus arbitretur esse temporis alicuius indiuidui, puta istius vel diei, vel anni, vel etiam seculi, fallitur. Non n. dixit Paulus, illos scire quando Antichristus esset venturus: sed *Nunc vero quid obstet scitis*; quod quidam de Imperio Romano accipiūt, vt

quamdiu

quamdiu staret, non veniret ille: alij de Euangelij prædicatione, vt quandiu non esset prædicatum per vniuersum orbē terrarum, tandiu differretur illius impij aduentus. Vtrumuis a. sit, tum non ipsum tempus fuit ab Apostolo Thessalonicensibus designatum, sed circumstantia vna quasi indicatum, quæ quidem sciti potuit à Thessalonicensib. etiamsi neq; diem neq; annum neq; etiam seculum cognitum haberent. Vt olim sciebant fideles Christi aduentum futurum post ablatum sceptrum à tribu Iudæ.

XXXVIII. Nec sane aliud Augustinus innuit eo loco quem Bellarminus citauit. *Quod a. ait, Et nunc quid detineat scitis, id est, quid sit in mora, qua causa sit dilationis eius, vt reueletur in suo tempore, scitis. Quoniam scire illos dixit, aperte hoc dicere noluit: & ideo nos qui nescimus, quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus.* Ergo Paulus non tam docuit Thessalonicēses tēpus, quo Antichristus venturus esset, quā circūstātiam, qua id tempus, quum aduenisset, agnosceretur, aut potius tanquā non longe ablens expectaretur. Quare, etsi id tempus non sit scriptum, tamen cum ea circumstantia sit scripta, siue hic, siue in Apocalypsi, nihil hoc loco Paulus, significauit non scriptum.

XXXXI. Deniq; ex Augustini testimonio cōstat, si colligitur è verbis Apostoli imperfectio Scripturæ, colligit etiā Traditionis insufficientiam. Negat n. se quod illis Paulus dixerat, scire, hoc est, ne ex traditione quidem non scripta haberi posse. Nam vtiq; si posset, tum credo, Augustinus non ignorasset. Imo ne hodie quidem Papistæ sciunt, maximi, qui vnquam fuerint, Traditionarij. Quod si verum est aliquando traditum fuisse, tū confirmabitur argumentum nostrum, quod Traditio non sit satis apta dogmatum custos. Quanquam nescio, quo iure id dogma appelles, maxime in Ecclesia quod neq; scriptum est, neque à quoquam scitur.

XL. Secunda instantia Bellarmini est huiusmodi: Siue scripta postea fuerint, siue non, qua Apostolus docuerat, non multum refert, quantum ad argumentum. Nam Apostolus non promittit se, vel alium, scripturum quæ ore tradiderat, sed simpliciter præcipit, vt non minus obseruent quæ acceperant sine scripto, quam per Epistolam.

XLI. Imo videtur Bellarminus, nouus & tantus magister disputationū, vel nunquam assequutus, vel nunc oblitus esse, aut certè dissimulare statū Controuersiæ. Sæpe enim diximus, non quæri vtrum aliquando Ecclesia sit docenda viua voce, hoc est, traditione non scripta. Nam cur id nos indubiū vocaremus, quod facimus quotidie? Sed vtrum docenda sint dogmataquędam fidei, aut morum, nunquam scripta à Prophetis & Apostolis. Est igitur exceptio nostra legitima. Nam quemadmodum creationem cœli & terræ, quæ ante Mosen erat traditio duntaxat non scripta, insaniat hodie qui neget esse traditionem scriptam, postquam est à Mose literis consignata, quique eam in argumentum proferat imperfectionis Scripturæ: Non secus de Euangelio sentiendum, hoc est, tota doctrina Christiana, quæ continetur in omnibus libris Canonicis.

XLII. Hæc cum ita sint, nihil promouent, qui hodie suas non scriptas traditiones, huius loci prætextu, defendunt. Sed tertio Bellarminus citat Basilium, Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum, Damascenum: De quib. nunc hoc tantum moneo, Damascenum Idololatriam defendentem non scripta traditione, cum scripta non posset, nullius esse momenti in hac quæstione. De reliquis agendum suo loco.

XLIII. Sextus locus, ex vlt. 1. ad Tim. *O Timothee, depositum custodi.* Et 1. post. *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctū qui habitat in nobis.* Nomine depositi (inquit Bellarminus) non potest intelligi Scriptura: sed Thesaurus doctrinæ, intelligentia dogmatum diuinorum, id est, tam sensus Scripturarum, quam aliorum dogmatum: quam totam doctrinam propagari volebat per traditionem, vt explicant Chrysostomus & Theophylactus. Iren. etiam lib. 3. c. 4. Et lib. 4. c. 43. Et facile ex ipsis verbis colligitur. Nam si loqueretur de verbis scriptis, non tam anxiè commendaret depositum. Scripturæ n. facilè conseruantur in thecis, & à librarijs: Apostolus a. vult seruari per Spiritum Sanctum in pectore. Et deinde non adderet, *Hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere*: sed diceret, commenda librarijs, vt multa exempla transcribant. Nec diceret, *quæ audiuisti à me per multos testes* sed, quæ scripsi tibi.

XLIV. En tibi argumenta Papistica! en Iesuiticas demonstrationes: Placet sigillatim retexere, vt omnib. fiat Loioliticum ingenium manifestum: quam nihil solidè agat: quā sophistice omnia. Nullū depositum est scriptū. At id quod Paulus commendabat Timotheo, est depositum. Ergo id quod Paulus cōmendabat Timoth. non est scriptū. Probatur maior quatuor prosyllogismis. Primus est: Nihil scriptum cōmendatur anxiè: at depositū hoc anxie commendatur: Ergo, depositū hoc nō est scriptum. Probatur major. Nihil quod facile conseruatur, cōmendatur anxiè. At omne scriptum facilè conseruatur: Ergo, nihil scriptum commendatur anxiè. Secundus prosyllogismus: Quicquid scriptū est conseruatur à librarijs & in thecis, non in pectore: At hoc depositum conseruatur non à librarijs & in thecis, sed in pectore. Ergo hoc depositum non est scriptum. Tertius prosyllogismus: Nihil scriptum cōmendatur fidelibus, qui idonei sint alios docere, sed librariis, qui multa exemplaria transcribant. At hoc depositum commendatur fidelibus qui alios doceant, non librariis, qui transcribant. Ergo, hoc depositum non est scriptum. Quartus & vltimus prosyllogismus: Nihil scriptum auditur, sed scribitur: Ad hoc depositum auditur non scribitur. Ergo, hoc depositum non est scriptum.

XLV. Deus bone! *ὅπου ἰχὼ θείων ψόφος ἀκήκοα!* At si hæc omnia vera essent tum necesse esset, nihil quod ad Trinitatem, Incarnationem, Resurrectionem, Baptismum, Eucharistiam, & similia, scriptum esse: aut certe non cōmendari anxie. Eligat vtrum velit. Nam si illud, vident omnes falsum esse. Hoc a. quis ferat? Vt diligentius commendentur apud Christianos, abstinentia à carnibus, festorum solemnitas, vsus aquæ lustralis, quam Trinitatis, Incarnationisq; dogmata? Sic omnes vno ictu præstigiæ abeūt in vētos.

XLVI. Porro Scriptura dupliciter intelligitur. Vel enim significat ipsam literarum picturam, iuxta illud antiquum *τὰ ἐν τῇ γραφῇ σημεῖα τῶν ἐν τῇ φωνῇ*: quæ sunt in Scriptura, signa sunt eorum quæ sunt in mente. Et sic accipitur Exod. 32. *Scriptura, Scriptura Dei erat.* Siue, vt legit vetus interpres, *Scriptura quoq; Dei erat sculpta in tabulis.* Significatur enim Deum, non dictasse Mosi decalogum, quem postea scriberet, vt reliqua, sed ipsum sua, vt ipsa dicam, manu, literarum illos characteres efformasse. Alias a. Scriptura significat res ipsas, quæ significantur per eas voces, quarum illi pictarum literarum characteres signa sunt: vt Matth. 22. *Erratis nescientes scripturas.* Et sæpe, *vt implerentur Scripturæ.* Prior. ad Cor. 16. *Secundum scripturas.* Et alibi sæpissime.

XLVII. Iam in hac controuersia, quis dubitet, quo sensu Scripturam nominemus? Imo non in hac tantū controuersia: sed omnino cum Scripturæ Canonicæ nominantur inter Christianos, quis nescit nullā haberi rationē characterū, linearumq; è quib. constant singularum literarum corpora? Alioqui, nullam iampridem haberemus Scripturam diuinā: nō tantum: quia non habemus tabulas illas scriptas digito Dei: sed etiā, quia caremus Apostolorum *αὐτογράφοις*. Tum æque Biblia Sacra nuncupantur, siue corpus librorum Canonicorum, id est, Scriptura Sacra, codices illi qui passim circūferuntur Latine, Gallice, Chaldaicè, Syriacè, ac qui Hebraicè, & Græce: etsi longe alij sint literarum ductus, imo etiam syllabarum, dictionumque compositiones.

XLVIII. Hoc ita constituto, negatur maior propositi syllogismi. Nam si nullum depositū est scriptū, ergo nullum scriptum est depositum. At hoc falsum est: quia Paulus de Iudæis ait *ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ*, 3. ad Rom. illis credita sunt, siue cōmissa sunt, oracula diuina: augustum scilicet depositum. Nam & Chrysostom. *ἐνεχειρίσθησαν* dixit. Prosyllogismi primi negatur maior. Debent n. anxie commēdari omnia quæ scripta sunt dogmata, quādoquidem in ijs consistit salus hominum: tanti interest ea sarta tecta conseruari. Quid n. an non eundē Timot sic eod. hortatur c. *Denuntio tibi corā Deo qui viuificat omnia, & Iesu Christo, qui testatam fecit coram Pontio Pilato bonam illam professionem, vt serues hæc mandata, macula & culpa omnis expers, vsq; ad illustrem illum aduentum Domini nostri Iesu Christi?* Certe nihil his verbis dici potest magis anxium: nihil magis solicitum. Quid ergo? non erat hoc depositum scriptum? Imo hæc præcepta nihil aliud significare possunt, quā ea, quæ ipsa Epistola tota continentur. Quanquam ipsum etiam codicē Scripturarum, nemo vnquam negabit anxiè custodiendum, qui sciet olim veteris testamenti libros in Arca fœderis fuisse conditos. Porro falsum est Scripturam, siue codicem significet, siue doctrinam, facile conseruari. Et vtrumque patet ipsa experientia.

XLIX. In secundo prosyllogismo, rursus negatur maior. Nam Scriptura, id est, doctrina scripta, non conseruatur tantum à librarijs & in thecis, vt olim lex Dei: sed etiam in intimo pectore. Propterea Psal. 1. is beatus dicitur, qui in lege Dei meditatur dies & noctes. Et Psal. 37. *Lex Dei* (inquit) *in corde ipsius.* Et 119 *Da mihi intellectū, & scrutabor legem tuā, & custodiam illam in toto corde meo.* In tertio prosyllogismo: nego iterū maiorē, quia necesse est, non tantum Scripturæ codices multiplicari per librarios: sed etiam scripta dogmata propagari per fideles, qui idonei sint alijs docendis. In quarto negatur vtraq; propositio. Nā & Scriptura auditur, non tantum scribitur: & depositum Apostoli, non tantum auditur, sed etiam scribitur. Quare hic locus Papistas prorsus nihil iuuat. Sed Bellarminus non facile se tuebitur ab impietate, qui his suis argumentis testatus sit, se Scripturam Sacram non alio loco habere, quam quēlibet etiam prophanum codicem, constantem è characteribus: quiq; in thecis recondatur, & librarijs committatur: quod quidem fit etiam prophanis Æsopi fabulis: imo & impuris Martialis Epigrammatis.

L. Septimum locum Puteanus profert ex Ioan. Epist. 1. & 2. Nam is (inquit) qui omnū postremus scripsit, plus cæteris autoritatis conciliat Traditioni, cum protestatur, se nihil scribere nisi iuxta mādatū vetus, quod ab initio habitum est, quod est verbum auditū, itē vt stetur firmiter in eo quod ab initio auditum est: tū etiam explicat hoc mandatum esse, vt ambuletur in aud: ta veritate. Nam cū tantam vim tribuat huic verbo, quod non est nisi ex auditu (atq; hoc dici non potest nisi vt distinguatur à verbo scripto, lectoque) quid hoc aliud est quam traditionem commendare?

LI. At hæc scatent mendacijs. Primus locus ex 1. c. 1. sic habet, *Hoc est nūtiū quod audiuimus ex ipso, & renunciamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse vllas.* Secundus ex 2. *Fratres, nouū mandatum nō scribo vobis, sed mādatum vetus, quod habuistis ab initio: vetus hoc mandatum est sermo ille quem audistis ab initio.* Et rursus, *Quod audistis ab initio, in vobis maneat. Si in vobis manserit quod audistis ab initio, vos quoq; in Filio & Patre manebitis.* Tertius ex Epist. 2. *Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternū.*

LII. Primum crimē: quod nusquā se Ioan. protestatur nihil scribere, nisi iuxta mandatum vetus: sed disertè dixit scribere ipsum mandatum vetus. Quam sunt a. hæc diuersa? Si scripsisset iuxta mandatū, potuisse ipsum mādatum non scriptum relinquere: & ita nonnihil ad Traditionariorum partes accedere. Sed si scripsit ipsum mandatum, quid habet sophistice, quod in suos vsus vertat? Secundum crimen: quod primus locus truncatus est. Nā contextus series ea est, vt statim explicetur quod sit illud mandatum vetus, videlicet, Deū esse lucē: vnde magis apparet Ioan. non loqui, de nescio quo mandato *ἀγράφῳ*: cum illud statim totidem verbis scriptis mandet: Etsi ex alijs etiam Scripturæ locis idipsum constat. Tertium crimen, quod nullum Ioan. verbum nominat, quod non sit nisi ex auditu: vnde tamen Puteanus inferebat, nescio quam discretionem scripti à non scripto. Nec magis inuenias auditam veritatem; sed simpliciter veritatem: Est autem Veritas, non tantum audita, sed etiam scripta.

CAP. II.

An Apostoli multa tradiderint non scripta.

I. APostolus multa tradidisse, quę scriptis non commendarunt, vicinum est præcedenti argumentum, & facile Claudiopolitani Iesuitæ in thesib. demonstrari posse confidunt. Canus etiam lib. 3. locorum c. 3. in suis fūdamentis istud quarto loco posuit, Apostolos maxime de causis alia quidē literis, alia a. viua voce prodidisse. Nec desunt alij confertim hoc ipsum asserentes. Vtuntur a. locis aliquot Scripturæ, deinde ratiocinatione.

II. Scripturæ loci sunt ex 2. & 3. Ioan. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero n. me futurum apud vos, & ore ad os loqui.* Et 11. Post. ad Cor. *Cætera cum venero disponā.* Francis. Cordubensis addit ex c. 1. ad Rō *Desidero videre vos, vt aliquid impertiar gratiæ spiritualis ad confirmādos vos, id est, simul consolari in vobis, per eam quæ inuicē est, fidem meā atq; vestrā.*

III. Ratiocinationē Panigarolla sic instituit *ῥητορικῶς*: non enim opinor dialec-

dialecticè potuit. An credimus nihil aliud Petrum docuisse, nisi quod in eius Epistolis inuenitur? An vero Bartolomæum, & Andream & reliquos, qui nihil scripserunt, nihil etiam docuisse? Similiter Canus. Quid multa? Duas Petri Epistolas habemus: & credimus mutum añis septem Antiochiæ sedisse, elinguem Romæ añis vigintiquinque? Num nihil aliud verbo docuit, quam quod Epistolis duabus scriptum reliquit? Quid? Andreas, Thomas, Bartholomæus, Philippus, nonñe sine Scriptura, solo intercurrente verbo Ecclesias sibi destinatas, & fundauerunt in fide, & in religione confirmarunt?

IV. Respondeo, Apostolos docuisse vtroq; modo, & scriptis, & viua voce. Scriptis quidem ea quæ sunt necessaria, atq; hæc quidem omnia, non ex parte. Viua a. voce, tum omnia necessaria, tum etiam ἀδιάφορα, quæ varijs, siue locis, siue personis, siue etiam temporibus, videbant congruere, & expedire, etsi horum ipsorum etiam nonnulla scriptis comprehenderint obiter.

V. Fateor ergo, Ioan. non esse omnia complexum ijs duab. Epistolis ad Electam, & ad Caium: fateor multa plura verbo exposuisse, quam scriptis. Sed ineptissima est consequentia eorum, qui sic concludunt: Non sunt in ij. duab. pagellis: ergo nusquam scripta. Nam, exempli gratia, quia in ijs nihil de Baptismo, nihil de Eucharistia, nihil de vsu legalium: nihil de coniugio, nihil de sacerdotio Christi, legimus: iustumne est, vt hæc ipsa capita nusquã dicamus esse scripta? Minime vero. Nam ea cum alij, tum Paulus, prolixè tractauit, idq; non semel Et sane hæc Ioan. verba, non de vniuersa loquuntur Scriptura, sed propria sunt his ipsis particulis. τὴν αἰτίαν (inquit Oecumenius) τῆς συντόμου ἐκθέσεως τῆς ἐπιστολῆς, καὶ ἐν ταύτῃ, καὶ ἐν τῇ μετὰ ταύτην, αὐτὸς ἐδίδαξε, *Docuit causam, tum hic, tum in sequenti, quare paucis verbis Epistolam conscripserit.* At isti adeo sublimi sunt ingenio, vt ad totum referant Scripturæ corpus. Nam hoc si non faciunt, quid aliud quam garriunt?

VI. De 11. prior. ad Corinth. hisque verbis, *Cætera, cum venero, disponam*: etsi varia varij sentiant, non est tamen difficile negotium. Quidam ita exponunt, vt contineant se intra ea capita, quæ Apostolus attigerat præcedentib. verbis, cum abusus Corinthiorum accusaret circa Eucharistiam. Sic Thomas de Vio, *Narrauerat* (inquit) *præter abusum anticipationis Cænæ, aliũ abusum, scilicet, & alius quidem esurit, alius ebrius est, narrauerat quod cum cõuenirent, discidia erant inter eos, & neutri horum remedium adhibuerat: Et propterea dicit, Cætera prænarrata, cum venero, ordinabo.* Hæc ille: cui ego quidẽ non assentio. Nam illud vtrunque caput satis videtur emendatum ex accurata recitatione institutionis. Imo vero, illud de esuriente & ebrio, non est nouum separatumq; caput: sed consequens anticipationem cœnæ: quia n. non communis erat cœna, & vna omnibus, sed cuiq; sua, hinc fiebat vt diuites laute cœnarẽt, & opipare, pauperes vero tenuiter: quare, sublata causa tollebatur effectus. Illi autem de discidijs iam erat prouisum. Et tamen, si Caietano accedamus, quid hoc ad imperfectionem Scripturæ? Nam compescendis quibuslibet discidijs, si non sufficiunt Scripturæ, quid sufficiet? Nisi forte particulares excipias circumstantias discidiorum, quarum cum sit infinitus numerus, regula dari non potest, ne quidem per traditionem non scriptam.

VII Sed longe maxima pars interpretum consentit Apostolum loqui de quibusdam reb. non adeo magni momenti, siue ad Eucharistiam pertinentibus, siue etiam alijs. Chrysostomus, ἢ περὶ τούτου τῶν πραγμάτων λέγων, ὡς ἔφην, ἢ περὶ ἑτέρων τινῶν οὐ σφόδρα ἐπειγόντων, *Vel de hoc ipso negotio loquens* (scilicet Eucharistia) *vel de alijs quibusdam non valde vrgentibus.* Chrysostomum Oecumenius sequitur. Theophylactus, *Aut hoc loco de alijs nonnullis apud hos delinquentib. disserit, qui viuendi modo indigeant, aut eadem de re mentionẽ nunc facit: perinde ac si dicat, superesse nonnullos ad hæc excusatione vsuros: velim tamen interea seruanda esse quæ retuli.* Ambrosius, *Caput prius salutis ordine agendum esse ostendit, & quomodo in Ecclesia ab vtroq; sexu conueniatur præsumit. In quib. rebus si error fuerit, non leue peccatum est. Cætera a. quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertinẽt, præsentia sua ordinare se promisit.* Anselmus ab Ambrosio non sensum tantum, sed etiam verba mutuatus est. Aquina, *Cætera, scilicet, quæ non sunt tanti periculi, cum venero præsentialiter disponam, qualiter scilicet ea conseruare debeatis.* Et his accedunt nostri Interpretes Caluinus, Beza, Martyr, Aretius: reliqui. Et fauet his verbum διατάξομαι, quod de Doctrinæ capitibus vix vsurpatum inueniatur: certe vt plurimum, de ordine & ritibus dici solet. At hic sensus si verum est, quid contra nos? Nam res illas leuioris momenti, ne posse quidem contineri in perfectione Scripturarum, vltro fatemur: ac proinde vtile esse quoddam traditionum genus.

VIII. In 1. c. ad Rom. miratus sum Cordubensis acumen, qui ausus sit inde concludere, Paulum dicere se non omnia fidei mysteria literis tradidisse. Itane? quia cupiebat ad eos venire: & eis impertire aliquid spiritualis gratiæ? Mirum ni etiam non omnia didicisse cõcludant, quia voluerit mutuam consolationem capere apud eos Sensus a. est Paulum, qui Romanos nondum docuerat nec præsens, nec per literas, optare Romam proficisci, vt eos viua voce doceret. Voluisse a. docere ἄγραφα nescio quæ, quorum nefas esset meminisse in literis, ij soli diuinant, qui id certũ esse magis optant, quam sperant. Distinguant ex hoc loco, si placet, variam Ecclesiæ docendæ rationem: at ne discerpant dogmata necessaria, in scripta & non scripta.

IX. Iam de Cani & Panigarollæ acumine quid dicam? Maior Apostolorũ numerus nihil scripsit, sed docuit viua voce: Ergo non omnia sunt scripta. Negatur consequẽtia. Quid enim? Stephanus ille protomartyr scriptumne aliquid transmisit ad Ecclesiam? Minime: Et tamen docuit. Scimus autem docuisse, ex relatione Lucæ, dogmata scripta: scripta (inquam) non tantum post eius obitum, cum scripti sunt libri Noui Testamenti, sed etiam longe ante, in Veteri Canone. Et vt de ipsis Apostolis aliquid delibem, ipsis (inquam) quorum nomina Cano placuit eligere. Abdias ille quisquis est, mea n. nunc nihil interest, approbatur enim ab aduersarijs, hic Abdias, historiæ Apostolicæ lib. 3. Andream Apostolum narrat in ciuitate Myrmidone, prædicasse Dominum Iesum Christum, & miracula quæ fecisset in hoc mundo ostendisse, & quemadmodum ipsum mundum iam pereuntem proprio cruore redemerit. At hæc nonñe sunt scripta? Deniq; eandem omnino doctrinã, Andreas Bartholomæus, Philippus, Thomas, alij: eandem (inquam) prædicarunt quam Matthæus, Ioañes, Paulus, Petrus, Iacobus, Iudas. Quare, si hi quanquam non singuli tamen omnes totam doctrinam fidei scripserunt sequitur esse etiam scripta, quæ illi prædicarunt, etiam si ipsi quidem non scripserint.

Cap. III.

De Argumento à Mose, & Lege.

I. SI & Moysi, Lege Dei eiusque interpretatione in monte accepta, à Deo præceptum fuit, vt legem quidem populo scriberet, legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Iosue, hic deinceps succedentibus sacerdotum primoribus magna silentij religione reuelaret. Et Christus Iacobo, Iusto, & Petro post ascensionem suam singularem quandam impertiuit cognitionẽ quam illi reliquis Apostolis tradiderunt, hi autem septuaginta discipulis: Ergo non omnia necessaria sunt scripta. At prius verum. Ergo & posterius. Probatur antecedens, quoad Vetus Testamentum testib. Origene homi. 5. in Numeros, & Hilario in Psal. 2. Quoad nouum vero, Paulo, 1. ad Corin. 2. Dionysio Areopagita Eccles. Hierarchiæ c. 1. Clemente Alexandrino apud Eusebium hist. lib. 2. c. 1. ipso denique Eusebio de Demonstratione Euangelica lib. 1. c. 8. Hæc ex Iesuitis Claudiopolitanis, & Sonnio.

II. Respondeo, illa Legis siue Euangelij mystica, esse vel mandata, siue præcepta ab ijs quæ scripta sunt distincta & separata, vt apud Iudæos baptismata quotidiana, apud Christianos Transubstantiatio: vel eorum quæ scripta sunt interpretationem, vt immolatione agni Paschalis Christi mortem significari: & per parabolam operariorum in vineam, ostnedi mercedẽ grauitam, & non ex merito.

III. Si posteriori notione argumentum sumitur, negatur consequentia. Nam interpretatio scriptorum dogmatum non continet noua dogmata, sed re vera nihil est aliud præter ipsa dogmata scripta. Quia interpretatio, id est, sensus siue sententia, est ἐν τῷ νῷ, eorum a quæ sunt ἐν τῷ νῷ, signa sunt τὰ ἐν τῇ γραφῇ. Itaq; interpretatio hoc tantum efficit, vt ipsa scriptorum mens aperiatur ijs à quib. non intelligebatur: non intelligebatur autem, nõ quia non esset scripta, sed quia certi homines non capiebant. Exẽpli gratia. Gen. 49. scripsit Mosen Iacobum dixisse, *Non recedet virga ex Iehuda, aut legislator de pedibus eius, vsq; quo veniat Siloh.* Ea est Prophetia venturi Christi, quã si paucis quibusdam Moses intelligendam tradidisset, docuisset, non certe aliquid non scriptum, sed id quod cum ita obscure scriptum sit, nõ omnes capiebant. Et in Apocalypsi. Si quis mihi interpretetur mulierem purpuratam sedentẽ super septem montib. de Episcopo Romano Papa Oecumenico: Et similia pleraq;. Itaque si mystica illa significent scriptorum intelligentiam, potest concedi antecedens: sed omnino non sequitur, non esse omnia scripta, quæ sunt necessaria.

IV. Sin vero noua quædam & separata dogmata intelliguntur, valebit quidem consequentia: sed antecedens est falsum Nam Exod. 24. Moses dicitur narrasse plebi, omnia verba atq; iudicia. At hoc esset falsum, si maximam partem, imo vero omnia apud se reseruasset, vni tantum communicanda. Nam quid sunt verba quæ non intelliguntur? Prorsus nihil: vt cymbalum tinniens. Adde eas quæ præcedenti lib. 1 collectæ sunt contestationes: quib. tam seuere prohibebatur, quicquam addi vel detrahi legi Mosis id est, eius scriptis.

V. In Nouo testamento, Apostoli sibi mandatum audiunt, vt doceant omnes gentes. Et Matth. 10. diserte, *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate supra domos.* Quæ verba explicãs Chrysost. homil. 35. Ἐπειδὴ γὰρ μόνοις αὐτοῖς διελέγετο ἐν μικρᾷ γωνίᾳ τῆς Παλαιστίνης, διὰ τοῦτο εἶπεν ἐν τῇ σκοτίᾳ, καὶ εἰς τὸ οὖς, πρὸς τὴν μετὰ ταῦτα παρρησίαν ἐσομένην, ἣν ἔμελλεν αὐτοῖς διδόναι, τὸν τρόπον τῆς διαλέξεως ἀντιδιαστέλλων ἐκείνοις. οὐ γὰρ μιᾷ καὶ δύο καὶ τρισὶ πόλεσιν, ἀλλὰ τῇ οἰκουμένῃ κηρύξατε πάσῃ φησί, καὶ θάλατταν ἐπιόντες, καὶ οἰκουμένην, καὶ τυράννοις καὶ δήμοις, καὶ φιλοσόφοις, καὶ ῥήτορσι γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, καὶ μετὰ παρρησίας πάσης πάντα λέγοντες. διὰ τοῦτο εἶπεν, ἐπὶ τῶν δωμάτων, καὶ ἐν τῷ φωτὶ χωρὶς ὑποστολῆς τινός, καὶ μετ' ἐλευθερίας ἁπάσης. *Solis enim ipsis, & in paruo angulo Palæstinæ dicebat, idcirco, quasi ad futurum vbiq; ingentem Euangelij sonitum hæc conferendo ita dixit. Non enim vni, aut duobus, aut tribus ciuitatibus, sed toti orbi terrarum prædicabitis, maria, terras, loca habitata, & inhabitata transituros ostendit. Nec pauperibus solum, aut rudibus, sed regibus, opulentis, potentib. acutissimis philosophis, facundissimis oratoribus, aperto ac nudo capite libere ac fidenter hæc dicturos prænunciat. Propterea dixit, super tecta & in lumine, ne quid subticendum aut celandum putent.* Sic Arianus olim vertit: paulo quidẽ liberius, sed non discedens tamen ab autoris mente. Theophylactus, Ἃ γάρ φησι, μόνοις ὑμῖν εἶπον, καὶ ἐν ἑνὶ τόπῳ (τοῦτο γάρ ἐστι τὸ οὖς, καὶ ἐν τῇ σκοτίᾳ) μετὰ παρρησίας διδάξατε, καὶ μεγαλοφώνως ὥστε πάντας ἀκούειν, *Quæ solis vobis dixi, & in vno loco (hoc enim est illud ad aurem & in tenebris) cum omni libertate docete, atq; elata voce, vt omnes audiant.* Anselmus. *Quod dico vobis in tenebris, id est, in figuris & obscuritatibus, dicite in lumine, hoc est aperte, & quod in aure auditis, id est, priuatim, prædicate super tecta, id est, publice.* Sic Euthymius, sic alij.

VI. Quis iam credat, ita præuaricatos Apostolos fuisse, vt cum omnib. iuberentur ea proponere, etiã secretissima, quæ à Magistro audierant, nonnullis tantum in aurem susurrarent? Sed Irenæus contra testatur, lib. 3. c 15. *Doctrina Apostolorum manifesta & firma, & nihil subtrahens, neq; alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium. Hoc enim fictorum, & praue seducentium & hypocritarum est molimen.* Quo loco Feuardentius Marcionitas insectatur, & Arianos: immemor Papistarum: vt ei liceat illud Terentianum obijcere, *Tute lepus es & pulpamentum quæris.* Ergo falsum est antecedens.

VII. Iam ad autoritates sigillatim respondeo. Origenes hom. 5. in Numeros: falso producitur: nihil enim habet huiusmodi. Sed vt solet allegorias importune venari, ex eo quod Cahatitæ iubebantur humeris leuare omnia illa quæ manus Sacerdotis obtexerat; ille hanc eruit doctrinam, *Si quis dignus ex ijs qui Domino ministrant, diuina capere & videre mysteria, ad quæ contuẽda cæteri minus capaces sunt, hic Aaron, vel filius Aaron esse intelligatur, qui ingredi potest ad ea, quæ adire alijs fas non est.* Et paulo post, *Sciat sane cui hæc reuelantur, & spiritualiter inspicienda creduntur, non sibi tutũ esse aperire ea & pandere quib. non licet pandi, sed operire debet singula, & operta cæteris minus capacibus tradere portãda humeris & ceruicib. imponenda. Cũ n. ex verbis mysticis eruditi & perfecti quiq; doctores opera populis iniungunt, & plebs agit quidẽ, & implet quæ mandantur, non tamẽ eorum quæ geruntur intelligit rationẽ, quid aliud nisi operta & velata sancta Sanctorum super humeros portantur.*

VIII. Hæc

VIII. Hæc ille: at alia in eam sententiam nonnulla. Nusquam a. Mosen quædam omnib. proposuisse, quædam alibi & perpaucis reseruasse: quod tamen in argumento Iesuitæ posuerunt: & necessario debent probare. En! quam digni sint, quibuscum in tenebris mices! Porro si sic Origenem intelligimus, vt statuamus quendam fidelium ordinem in Ecclesia, cui nunquam proponendæ sint eorũ quæ fiunt, aut fieri iubentur, rationes: tum nihil sani dixit Origenes. Non n. pastorib. animas Deus commendauit onerandas, sed potius pascendas. Et tamen nihil ad argumentum Iesuiticum: qui non tam rationes dogmatum, quam ipsa dogmata volunt occultari, id est, non scribi. Sin a. intelligimus, metiendas esse cuiusque vires: & quia alij sint prouectiores, alij infirmiores, non posse omnib. æque omnia proponi: infirmiores a. interim dum docentur, id est, paulatim prouehuntur, non omnium esse capaces: nihil audio quod non possit ferri in Ecclesia. Nam sic paruulis lac propinandum scimus, & fortiorum esse cibum solidum. Sed hoc multo minus traditiones iuuat non scriptas. Nam ita non diuersa significantur dogmata, sed tantum diuersa eorum docendorum ratio: & nemo dubitat vtroque modo Scripturam doceri posse.

IX. Et quidẽ, quando hic locus supponit quædam esse dogmata faciliora, quædã vero obscuriora, & μυστικώτερα, respondeant quo loco ponãt ea quæ à Mose scripta sunt. Nam si in faciliorib. quis feret? Cum circa eorũ intelligentiam adhuc hodie non parum laborent docti. Sin a. in difficiliorib. Ergo fateri coguntur hunc locum non pertinere ad dogmata scribenda, vel nõ scribenda: alioquin oportuisset hæc non esse scripta. Nisi forte inuertãt verborum significationem, & τὰ μυστικώτερα dicant, ea quæ faciliora sunt: quanquam hæc quo iure? Nã eorum quæ faciliora sunt, oẽs sunt capaces.

X Sed præterea hæc obseruari iubeo. Primo, Origenẽ non quid factum esset, significare, sed quid ipse faciendum iudicaret, ἀλληγορικῶς colligere At nostri Iesuitæ versabantur in quæstione facti, nõ iuris Secundo, non dixisse, quæda esse scribenda, quædã vero nunquã literis mandanda, quo Iesuitæ opus habent: sed tantũ non omnia esse omnib. reuelanda, id est, interpretanda. Tertio, ne ipsa quidem nunquam esse interpretanda, sed tantum non dignis, siue non capacib. At hæc nõ concludunt Scripturarũ imperfectionem, aut necessitatem Traditionum non scriptarum; quia etiam scripta, nõ ab omnib. capiuntur: non sunt etiam non dignis aperienda.

XI. Hilarius in Ps. 2. sic habet, *Moses, quãuis Veteris Testamenti verba in literis condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta seniorib. qui doctores deinceps manerent, intimauerat.* Hæc Hilarij sunt verba: ad quæ Erasmus añotauit, *Non credo.* Neq; hanc añotatiunculã reijciendam censuit Ioañes Gillotius, cum ederet huius Patris opera. Imo quod magis mireris; hanc eandem intactam prætermittit Index Expurgatorius Hispanus.

XII. Et sane, vnde id habere potuit Hilarius, tot post Mosem defunctum seculis? Aut quem illi ex præcedentibus ostendent aduersarij consentientem? Nam quod citat ex Matth. 23. *super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite*: merito mireris à tanto viro non prætermissum. Imo, non aliunde melius agnoscas, quam non prudenter ita senserit. Quam enim oportet eam esse sententiam quæ non nititur, nisi manifesta Scripturæ deprauatione? Aut quomodo ea Domini nostri verba hunc sensum ferre possunt, vt habuisse dicantur Scribæ & Pharisæi arcana quædam, & mystica, quæ non omnib. communicarentur? Nam si non communicabantur plebi, quomodo ea plebs seruare, & facere poterat? Imo vident omnes Christum distinguere doctrinam Pharisæorum, ab eorundem vita: non vero doctrinam Mosaicam in scriptam & non scriptam.

XIII. Imo vero per Cathedram Mosis, interpretes hoc loco intelligunt legem. Hieronymus, *Per Cathedram, doctrinam Legis intelligit.* Theophylactus, ὁ Κύριος περὶ τῶν ἐν τῇ Μωσέως καθέδρᾳ καθημένων λέγει, τουτέστι τῶν τὰ τοῦ νόμου διδασκόντων. *Dominus de iis loquitur qui sedebant in Cathedra Mosis, hoc est, qui ea quæ sunt è Lege docebant.* Et quod magis mireris, Hilarius ipse Canone 24. in Matthæum, *Iubet* (inquit) *præscriptis Pharisæorum obtemperari, qui in Mosis Cathedra sederunt, iubet legis mandatis omnibus obediri, sed à factis eorum atq; operibus abstineri, vt mores hominũ, atq; infidelitas, non legis doctrina vitetur.* Christus igitur non intellexit arcana quædam mysteria nunquã plebi proposita, aut etiam nũquam scripta: sed ipsam legis Mosaicæ doctrinam: ideoque scriptam: eam (inquam) doctrinam quam Pharisæi & Scribę, nõ sibi totam reseruarent, tanquam proprium thesaurũ: sed quam populo cõmunicabant. Quomodo hodie fidelissimi quique pastores & doctissimi, Scripturam optime intelligunt: quod illis proprium charisma esse potest: sed id tamen quod ipsi sciunt, putant se eo scire vt plebi proponant.

XIV. Non habuit ergo Hilarius ab eo Matthæi loco, quod voluit. Nisi forte hoc voluit potius, quam id quod Iesuitæ quæritant. Nimirũ Mosen, quosdam se lectos viros, familiarius instituisse in legis, ceremoniarumque intelligentia. Quomodo nõ dubito in Nouo Testamento, Paulum qui se apud Ephesios testatur nihil reticuisse, tamen Timotheo penitius insinuasse Euangelium: nimirum, quia hic alios debebat docere. Sed hoc quid ad nõ scriptas traditiones? Nam qui altius penetrarunt in cognitionem Scripturarum, ij profecto, nõ propterea inuehunt nescio quæ non scripta: sed ex ipsis Scripturis sensum veritatis accipiunt.

XV. Et sane ita Hilariũ apparet intellexisse. Quo n. alias referri ista possent, *quædam ex occultis legis secretiora mysteria intimauerat?* Est n. ac si diceret, fuisse in tot legis ipsius mandatis, quædam aliis obscuriora, siue occultiore, quorũ intelligẽtia septuaginta seniorib. sit intimata. Sunt igitur illa mysteria, quantumlibet obscura & occulta, tamen legis mysteria. Et quia tota lex est scripta, etiam ipsa non scripta esse nequeunt: aut certe, ne legis quidem futura mysteria. Itaque ex his Hilarij verbis non quædam colliguntur fuisse ἄγραφα, sed duntaxat τῶν ἐγγράφων intelligentiam. At nostri Papistæ cum pugnant pro Traditionibus, quarum maxima pars, neque expresse, neque obscure in Scriptura continentur, quid habent commune cũ Hilario.

XVI. Pauli testimonium à Francisco Sonnio prolatum est ex prioris ad Corinth. 2. cap. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Quasi diceret: Scribimus quidem etiam paruulis & imperfectis: sed sapientiam loquimur (loquimur, inquit nõ a. scribimus aut dictamus: nam hoc notandũ) inter perfectos. Vnde licet inferre, quod viua voce aperuit multa mysteria Episcopis, Euangelistis, & perfectioribus, quæ non commisit omnibus per scriptas Epistolas. Sic Sonnius.

XVII. Sed hunc locum Sonnius fœda interpretatione violat, detorquetque in eum sensum, qui *Paulo* non magis in mentem venit, quam Hesiodi θεογονία. Nam neque sapientiam appellauit, secretam aliquam scientiã, paucis communicandam; aut certe nunquam scribendam: neque perfectos intellexit Episcopos, aut Euangelistas; aut eiusmodi vllum ordinem in Ecclesia; nec denique suum illud loqui opposuit scriptioni. Quæ tria sunt capita quæ totum constituunt Sonnii somnium. Quid igitur? Primum Sapientiam appellauit, totam Euangelij doctrinam quantacunque illa est: quæ vere sapientia sit æstimanda, vtcunq; à mundo mera stultitia censeatur. Secundo, Perfectos intellexit, quoslibet fideles, in cognitione veritatis non infirmos: imo vero etiam latius, eos qui ab infidelitate discessissent ad fidem: tertio, *loqui*, comprehendit totam Euangelicæ doctrinæ prædicationem, cuiusmodi solet in Ecclesia fieri, vt omnes doceantur. Addo quartum, ita construenda esse Pauli verba, vt non se loqui dixerit inter perfectos: non vero inter alios sapientiam: quis n. nescit loquutum etiã inter fideles? Sed sapientiã esse inter perfectos: hoc est eam doctrinam quam æq; omnib. proponebat, cum infidelib. tum fidelib. esse sapientiam tantum inter fideles: hoc est, reputari ab infidelib. quidem meram stultitiam, sed à fidelibus haberi pro sola & vera sapientia.

XVIII. Atque hæc demonstrantur ex ipso contextu: probantur etiam interpretum autoritate: Nam primo; Pauli hoc capite propositum est, vt suam totam describat prædicandi rationem, qua apud Corinthios vsus esset, non a. specialem in quibusdam docendis operam; sic enim caput orditur, *Ego cum venirem ad vos: non veni cum eminentia facundiæ aut Sapientiæ annuntians vobis testimonium Dei.* Quis non videt, quantam in se inuidiam deriuasset, & certe suspicionem concitasset: si postquam ita protestatus esset, de sua non tantum sinceritate, sed etiam simplicitate, statim sibi oblitus profiteretur nonnihil abstrusius, absconditiusq; deposuisse apud quosdam? Aut quomodo id conueniret cum ea protestatione qua à se amoliebatur eminentiam non tantum facundiæ, sed etiã sapientiæ? Secundo, opponit eã sapientiam, quam se loqui dicebat inter perfectos, Sapientiæ mundi. Sic n. pergit, *Sapientiam a. non seculi huius, neque principum seculi huius.* Est autem non certa quædam pars Euangelij, sed tota eius doctrina, opposita Sapientiæ huius seculi. Tertio Sapientiam suam dicit eam esse quam præfinierat Deus ante secula: quod de toto Euangelio quis dicendum negat? Quarto, eam Sapientiam definitam esse addit *in gloriam nostram*: quod siue peculiariter intelligas de gloria ipsius Pauli prædicantis: siue generaliter omnium Christianorum, eodem redit. Nam & se Paulus dixit non gloriari nisi in Christo, eoque crucifixo: nec nos alibi decet. Quinto: Hæc Sapientia ea est, quam si cognouissent principes mundi, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Est ergo ea Euangelij doctrina, qua sola cognita fit vt Christum amplectamur. Et rursus, non Sapientia quædam reuelanda tantum Episcopis, & Euangelistis: sed etiam principib. seculi, quæ alia esse non potest, quã quæ toti populo. Sexto, cum dixisset, *Sapientiam quam nemo principum huius seculi cognouit*, statim intulit, *sed sicut scriptum est, Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt, quæ parauit Deus iis qui ipsum diligunt.* At hæc non quorundam propria sunt, sed omnium Christianorum communia.

XIX. Sic Sapientiam Pauli intelligimus: non quædam esse capita doctrinæ Christianæ, sed totum corpus. Nam si notæ sunt generales, quomodo erit particulare, id quod iis insignitur? Quod si sapientia illa sit totum corpus doctrinæ, quis reliqua non videt facile confici? Nã nec recte opponentur loqui & scribere: quia eandem doctrinam cũ alij tum ipse Paulus non tantũ prædicauit, sed etiam scripsit: nec eam loquutus est in angulis interve paucos: sed publice & apud quosuis. Sic n. agnoscebat se debitorem & Græcis & Barbaris, & sapientib. & insipientib. 1. ad Rom. Sic Act. 20. testificatum esse Iudæis simul & Græcis conuersionem ad Deum, & fidem in Dominum nostrum Iesum.

XX. Consentiunt interpretes. Chrysostom. admodum prolixe. Τὸ σκότος, τοῦ φωτὸς ἐπιτηδειότερον εἶναι δοκεῖ τοῖς τὰς ὄψεις νοσοῦσι, διὸ καὶ μᾶλλον εἰς συσκιαστὸν δωμάτιον καταφεύγουσι, τοῦτο καὶ ἐπὶ τῆς σοφίας γέγονε τῆς πνευματικῆς. ἡ μὲν τοῦ Θεοῦ σοφία, μωρία ἐδόκει εἶναι τοῖς ἔξωθεν. ἡ δὲ αὐτῶν ἀληθῶς οὖσα μωρία, σοφία αὐτοῖς νενόμισται. *Tenebræ videntur esse luce aptiores iis qui laborant oculis propterea magis confugientib. ad tenebrosam domunculam. Quod idem vsu venit in spirituali Sapientia. Siquidem Dei Sapientia, iis qui sunt extra Ecclesiam, videtur stultitia: qui suam existimauerunt esse sapientiam, cum re vera esset stultitia.* Ex his verbis hæc notanda sunt. Primum, opponi iis quos Apostolus τελείους vocat, non imperfectos aliquot Christianos: sed τοὺς ἔξωθεν, hoc est, infideles, non Christianos, alienos à fide. Secundo, eam Sapientiam, opponi, non alteri cuidã Sapientiæ, cui locus esset inter imperfectos: sed sapientiæ infideliũ, quæ re vera erat stultitia. Adde tertium ex sequentib. Non multis n. interiectis, καὶ πρότερον καλέσας μωρίαν τὴν τοῦ Θεοῦ σοφίαν κατὰ τὴν ἐκείνων ψῆφον, ἀποδείκνυσιν αὐτὴν σοφίαν οὖσαν. *Et cum prius Dei sapientiam vocasset stultitiam, vt erat illorum sententia, hinc ostendit eam esse sapientiam.* Nam hæc significant, eandem nunc sapientiam appellari, quæ prius stultitia nominabatur ex infidelium mente. Videlicet cum 1. c. hæc legimus. *Sermo ille de cruce, iis qui pereunt stultitia est.* Et rursus, *Placuit Deo per stultitiam prædicationis seruare credentes.* At hæc non significant occultas Traditiones. Deniq; Chrysostomus disertius σοφίαν δὲ λέγει τὸ κήρυγμα καὶ τὸν τρόπον τῆς σωτηρίας τὸ διὰ σταυροῦ σωθῆναι. τελείους δὲ τοὺς πεπιστευκότας. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τέλειοι οἱ τὰ ἀνθρώπινα εἰδότες ὅτι σφόδρα ἀσθενῆ, καὶ ὑπεριδόντες αὐτῶν ὅτι μηδὲ αὐτοῖς συμβάλλεται πεπεισμένοι· οἷοι γεγόνασιν οἱ πιστοί, *Sapientiam autem dicit prædicationem & modum salutis, nempe saluum esse per crucem. Perfectos autẽ eos qui crediderunt. Illi n. perfecti sunt, qui videntes humana esse valde infirma, contemnentesq; ea, persuaserunt sibi nihil inde ad se vtilitatis redire: cuiusmodi sunt fideles.*

XX. Occumenius Chrysostomi verba suo more mutuatur. Theophylactus *Stultitiam quidem superius Christi præconium appellauit, quod à Græcis sic dici sit vsurpatum: sed postquam ex rebus ipsis aperuit, veram esse præconium id sapientiam, fidem tandem audet sapientiam Christi prædicatione fateri,* Et post *Perfectos autem fideles ipsos appellat: siquidem hi perfectiores habentur, qui ceteris rebus contemptis ad cœlos subuolant,* Ambrosius, *Sapientiam*

autem loquimur inter perfectos, hoc est, inter eos qui crucem Christi virtutis testimonio Sapientiam fatentur: hic n. sapientes & perfecti sunt, qui fidem non magis verbis habent quam reb. Primasius, *Sed loquimur Dei Sapientiam, quæ Christus intelligitur, qui & prædestinatus est, sicut dicit ad Romanos.* Hieron. *Sed loquimur Dei Sapientiam in Euangelio quod continet natiuitatem Christi, passionem & cætera.* Theodor. *Quoniam prædicationem prius stultitiam appellauit, ea vtens appellatione, quam afferebant infideles, necessario ostendit, eam esse & dici sapientiam, ab iis qui sinceram & perfectam fidem susceperunt.*

XXII. Ex his omnib. patet quis sit sensus Apostoli. Quod si sapientia illa est Euangelij doctrina de natiuitate & cruce Christi, per eamq; oblata salute: hæc a. nunquam paucis quibusdam fuit ab Apostolis in aurem susurrata, sed omnib. publicata. Et perfecti sunt, qui fidem sinceram Christi susceperunt: hi a. non ex Christianis pauci, sed omnes. Ergo ij temere faciunt, qui nobis huius loci prætextu nescio quæ obtrudunt ἀῤῥήτους, ἀνεκφώνητα, id est, Traditiones non scriptas: & parum absunt ab eo vt clament intenta voce, illud mysteriis Ethnicis solenne, *procul hinc, procul este prophani.*

XXIII. Hactenus de Pauli loco. At Dionysius Areopagita (inquiunt Iesuitæ) Apostoli Pauli discipulus, fatetur Apostolos præter scriptam doctrinã aliam diuiniorem, & purgatiorem, atq; viciniorem cœlesti Hierarchiæ, ex mente in mentem transfusam, mediante sermone, sine scriptis tradidisse. At ego, ὢ τῆς περιττῆς βλασφημίας: ὢ τῆς ἀνηθοῦς δυσσεβείας. Et hæc Christianus orbis tolerare pôt? Deus bone, aliquid esse diuinius ipsa Trinitate! aliquid purgatius Christi incarnatione! Aliquid magis accedere ad Hierarchiã Diuinam, toto humanæ redemptionis mysterio! Traditiones, inquam, nõ scriptas diuiniores esse, purgatiores, cælestiores, ipsis Scripturis? Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ. Quis n. tantarum blasphemiarum finis est futurus?

XXIV. Id vero si scripsit vnquam, si dixit, si cogitauit Dionysius, non ego illum habeam pro Pauli discipulo: sed pro impuro apostata. Sed non dixit. Etsi nolim ego quidem eius authoris omnia præstare, de quo dicam paulo post. Sed nunc Iesuitarum accuso perfidiam, qui non tantum paulo ante Origeni imposuerunt quod non dixit, sed & hic Dionysij nobis nomine suas blasphemias propinant. Adscribo locum. Οὐσία τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα λόγια. Σεπτότατα δὲ λόγια ταῦτά φαμεν, ὅσα πρὸς τῶν ἐνθέων ἡμῶν ἱεροτελεστῶν ἐν ἁγιογράφοις ἡμῖν καὶ θεολογικαῖς δεδώρηται δέλτοις, καὶ μὴν ὅσα πρὸς τῶν αὐτῶν ἱερῶν ἀνδρῶν ἀυλοτέρᾳ μυήσει, καὶ γείτονί πως ἤδη τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας ἐκ νοὸς εἰς νοῦν διὰ μέσου λόγου σωματικοῦ μὲν, ἀυλοτέρου δὲ ὅμως, γραφῆς ἐκτὸς, οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐμυήθησαν. Locus est c. 1. Hierarchiæ Eccles. Sic verto: non enim placet Perionius. *Substantia nostræ Hierarchiæ, oracula sunt diuina. Hæc autem veneranda dicimus oracula quæcunque à diuinis nostris rerum sacrarum magistris, in sanctis & theologicis libris tradita sunt: sed & quæcunq; ab iisdem sacris viris nostri duces institutione magis abstracta à materia, & quodammodo magis accedente ad cœlestem Hierarchiam de mente in mẽtem mediante sermone corporeo illo quidem, sed tamen à materia magis abstracto, didicerunt sine scripto.*

XXV. Dionysium equidem audio fidei substantiam distribuentem in dogmata scripta; & non scripta: quod Iesuitis fauet: nobis vero, imo veritati non placet. Sed hæc non scripta ita describi, vt scriptis diuiniora, purgatoria viciniora cœlesti Hierarchiæ dicantur, id vero nego me audire. Quid igitur. Nempe non dogmata dogmatis comparat, sed Traditionem quæ fit viua voce, ei quæ fit per scripta, μύησιν, inquam, μυήσει. Nam huic authori μύησις est, exponere Maximo Scholiaste μάθησις, κατήχησις, ἐπιστήμη. Hanc igitur ἄνευ γραφῆς μύησιν sine scriptura testimoniũ ἀυλοτέραν vocat alterã, magis abstractam à materia, purgatiorem Iesuitæ dixerunt, & vicinam cœlesti Hierarchię. Ipsa a. dogmata sic comparasset & inepte fecisset & falso. Falso, quia exempli gratia, Trinitatis dogma nihil propterea magis fit ὑλικὸν, id est materia concretum, propter scripta, alias in mente esse non posset, vt oportet omnem μάθησιν. Inepte autem, quia eadem quæ scripta sunt, etiam sine scriptis traduntur, & de mente in mentem transferuntur.

XXVI. Quanquam hæc ipsa τῶν μυήσεων comparatio, habet aliquid in speciem subtilius quam verius. Nam, quid illud est, quod ait alteram esse purgationem eam nempe quæ fit διὰ λόγου, qui sit corporeus quidem: sed tamen ἀυλότερος? Nam hæc sine dubio causa est, cur institutionem ἄνευ γραφῆς, dicat ἀυλοτέραν. Ineptissime. Nisi forte quis contendat ipsam codicũ materiam, puta, membranam, aut papyrum, aut chartam, ipsumq; adeo attramentum nos diuina docere, quod hominis sit insipientissimi. Quod si non ipsa, materia, sed ipse sermo qui in ea materia depictus est, docet: Estq; is sermo non magis corporalis, quam qui profertur, tum sane hæc Dionysii comparatio, virum prodit non satis attentum iis quæ dicat: atque vni tantum studio occupatum, vt aliquid noui & absconditi conquirens, φιλοσοφώτερος appareat, quam θεολογώτερος: quod perpetuum illi vitium est præter κομπορρημοσύνην, quam insano affectat ardore.

XXVII. Nihilominus etsi non blasphemet, vt Iesuitæ, tamẽ Theologiæ (quam ἱεραρχίαν appellat substantiam constituit in scriptis & non scriptis. Et alias vbiq; apparet in eius operib. multo plus operæ impẽdere iis quæ nusquã scriptis mandata sunt in Canone, quam scriptis dogmatib. Itaque respõdeo me huius autoritate non teneri: non tantũ quia non sit Canonicus, sed etiã quia suppositititus. Cum n. videri voluerit Dionysius ille Areopagita, qui à Paulo Athenis Christum didicit, tamen alius est; & longe recentior. Itaque libens vsurpo Baronij verba, quæ ille pro incommodo obiecit, vt solent pueris μορμολύκεια. Indignum plane ac nefas esse, hunc qui se tam sublimem, ac excellentem haberi vult, menteq; diuina illustratum Theologum, cœli cardines perambulantem, choros angelicos peruestigantem, Diuinitatis thronum adeuntem, & secreta rimantem, tanquam ludionem in scena superinducta larua ludere, aliumque ab eo qui esset voluisse mendaciter fingere, alias mentiri personas, multaque falsa componere & simulare, quæ vt vera certaque vellet ab omnibus accipi.

XXVIII. Irascuntur nobis sic libere iudicantibus Papistæ. Sed ante nos fraudem olfecerunt hi laudatissimi viri. Theodorus Gaza in præfatione ad problemata Aphrodisæi vno tantum verbo & obiter. Laurentius Valla plenius in decimum septimum cap. Actor. itemque Erasmus, & Thomas de Vio Caietanus. Bellarminus duobus verbis rem transigit, quasi leuissimam. Citantur (inquit) hæc opera nomine Dionysij Areopagitæ in sexta, septima, & octaua Synodo generali: item à Gregorio 1. in homilia de centum ouibus, à Martino 1. in Concilio Romano, & ab Agathone, in epistola ad sextam Synodum. Ex quo, inquit, coguntur fateri hæretici, hunc autorem ante annos mille scripsisse, proinde non esse contemnendum. Egregiam vero laudem, inquam, & spolia ampla. Scripsit ante annos mille. Atqui ante mille sexcentos oportuit, si fuit Areopagita: cuiusmodi ergo hæc opera sunt quorum antiquitatem non potuit altius repetere, aut probare, quam à sexcentis annis post mortuum Dionysium? Saltem ergo, inquit, non erunt contemnenda. Egregie: quasi nihil sit contemnendũ eorum, quæ scripta sunt ante annos mille. Quasi nihil præterea in his operib. reprehẽdatur. Atqui impostura notior est, quam vt excusari possit: quia is, quicunque tandem sit, voluit se inserere ætati Apostolorum, nam & scribit ad Timotheum, ad Titum, ad Ioañem Euangelistam: & se Virginis corpus vidisse dixit vna cum Apostolis, quæ in homine recentiori quis potest non damnare?

XXIX. Iodocus Clichthouæus Antilutheri libro primo capitibus quinque prolixis hanc causam disputans, octo enumerat argumenta, sed puerilia: item Cotonus in Institutione. Primum, quartum & sextum, quia is auctor Paulum dicat suum esse præceptorem. Secundum quod se à gentilitate conuersum. Tertium, septimum & octauum, quod scripserit ad Timotheum, Polycarpum, Titum. Quintum, quod interfuerit Virginis morti. At hæc omnia tam facile fingi potuerunt, quam ipsum Areopagitæ nomen assumi: atq; adeo infinita deprehenduntur similia quotidie in scriptis supposititiis. Et quid in hoc imposturarum negotio nasutiores non sperent, cũ ineptus nescio quis morio ausus sit Augustini ad Cyrillum Hierosolymitanum, huiusq; ad illum epistolas obtrudere de miraculis, & obitu Hieronymi? Quare hæc non euincunt autorem esse Areopagitam, sed potius imposturam arguunt.

XXX. Argumenta autem in contrarium hæc sunt quorum quædam refutare conatus est Baronius, Annalium tom. 2. ad añum centesimum nonum. & Clichthouæus loco dicto. Primum hoc esto. Non vixisse Apostolorum temporibus hæc indicant: quod cœlestis Hierarchiæ c. 1. nominet τὰς τῶν ἱερωτάτων λογίων πατροπαραδότους ἐλλάμψεις, *illuminationes sanctorum oraculorum traditione à patrib. acceptas.* Et Ecclesiastic. 1. atque adeo eo ipso loco quem iam præ manibus habemus, suos duces dicat mystica illa non scripta didicisse à sacris illis viris, à quibus reliqua ἐν ταῖς ἱεραῖς δέλτοις scripta sunt, πρὸς τῶν αὐτανιέρων ἀνδρῶν οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐμυήθησαν. Non sat cõmode diuisa sunt hæc temporib. Nam ipso Apostolorum seculo πατροπαράδοτα appellari Christianæ fidei dogmata, quasi iam longa temporum serie intercedente, quam bene conuenit? Et ipsum, qui ab Apostolis erat institutus, & edoctus, testari suos duces, hoc est, eos qui sibi in his mysteriis inquirendis, explicandis-ve præiuissent, fuisse ab Apostolis μυηθέντας, hoc est, catechetice institutos: quod genus figuræ esse potest? Sic solent non satis attentis mendacibus excidere nonnulla, quibus se ipsos prodant, vt suis vestigiis sorices.

XXXI. Secundum argumentum inde petitur, quod multa dicat de Templis, de Altaribus, de Monachis: Et vt loquitur Photius Biblioth. cap. 1. ὅτι πᾶς τῶν ἐν τῇ προσαγωγῇ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ διὰ μακροῦ τοῦ χρόνου αὐξηθέντων παραδόσεων, ἡ βίβλος αὕτη λεπτομερῆ τὴν ἐξήγησιν ποιεῖται, *quod quæ in Ecclesia per speciem profectus, & longi temporis spatio inualuerunt, earum Traditionum hic liber exactam descriptionem exsequitur.* Ἀπίθανον οὖν, μᾶλλον δὲ καὶ κακόπλαστον τὰ μετὰ πολὺν χρόνον τῆς τελευτῆς τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντα, Διονύσιον ὑπολαμβάνειν ἀναγράψαι. *Non est igitur verisimile, imo vero ineptum figmentum est quæ multo post Dionysium mortuum tempore in Ecclesia excreuerunt, ea ipsum Dionysium describenda suscepisse.* Nam templa & altaria, Christianis nulla esse fatebantur Origenes, & Arnobius: at hi longe post Areopagitam, minimum integro seculo. Monachos autem, ante Paulum & Antonium, nemo vnquam nominauit, quorum obitum, illius quidem ad añum trecentesimum quadragesimum tertium, huius autem ad trecentesimum quinquagesimum octauum, Baronius refert Añalium tomo tertio. Paulum vero años vixisse centum tredecim dixit Hier. nec ante decimum quintum fugisse in eremum. Dionysium vero mortuum ferunt pleriq; omnes Domitiani año postremo, id est, nonagesimo octauo Christi. Baronius a. sub finem Traiani, aut initium Adriani, hoc est, circa años Christi centum viginti plus minusve. Quare Dionysium oportet esse mortuum vt minime annis centum viginti quinque, ante prima eaq; tenuissima Monachatus exordia.

XXXII. Baronius respondet, se 1. Añalium tom. probasse Ecclesiasticas cæremonias ex Apostolorum fontibus in Ecclesiam dimanasse: vitamque Monasticam in Essenis prodiisse, sed primitus à Ioanne exordium sumpsisse. At certe de templis & altaribus Christianorum, structis Apostolorum tempore, ille nihil aut dixit, aut potuit dicere: nam de cœnaculis, quo Christiani conueniebant, alia ratio est. Esse nos a. Monachos fuisse, & Christianos, quis credat, εἰ μὴ πάνυ τὴν ῥῖνα κορύζης μεστὸς εἴη? Etsi fateor veteres nõnullos ita lusisse, vt quæ de his Philo tradit libro de vita contẽplatiua, deriuarint ad Christianos. Sed quib. argumentis ducti? Nã etsi habuerunt quædam instituta communia cum iis qui postea vocati sunt Monachi, non sequitur tamen fuisse aut Monachos aut omnino Christianos. Habuerunt enim etiam diuersa, φεύγουσιν, inquit, ἀμεταστρεπτὶ καταλιπόντες ἀδελφοὺς, τέκνα, γυναῖκας, γονεῖς. *fugiunt relictis absq; spe reditus, fratrib. liberis, vxorib. parentib.* At Paulus, si quis suorũ curam non gerit, hunc pronunciat deteriorem infideli, fidemq; abnegasse 1. ad Tim. 5. Mulieres admittebant eiusdem instituti, non tantum ad orationem, sed etiam ad conuiuia: quas tamen maxime fugerũt ij omnes, quos scimus monasticam exercuisse. Sed hoc miror, qui factũ sit, vt cum huius gentis siue populi, siue ciuitatis (nã sic appellant Solinus cap. 48. Plinius lib. 5. c. 17. Synesius in Dione) nullam mentionem inuenerint apud vllum Christianum autorem, & quicquid habent, hauserint à Philone, id tamen genus hominũ inter Christianos numerent. Certe Philo nullũ omnino indiciũ prodit, quod eo inducat. Itaq; non dubito Eusebiũ (nam is primus est) sibi hoc loco nimiũ indulsisse. Ioãnem vero Baptistam autorem fuisse vitæ monasticæ potuit ἐξ ἡμίσεως dici, quemadmodũ Papistæ se iactant habere Mosem, Eliam, Christũ, autores Quadragesimæ. Sed is nominũ ludus est. Non n. sequitur, quia huius superstitionis admiratores his sibi exemplis delicias fecerunt, ideo eorum autorum nomine non abuti. Porro Dionysius monachos describit τῶν πλη-

ρῶν

μὲν ἀπάντων ὑψηλοτέραν τάξιν,summum ordinem omnium ordinum,qui & initiant & perficiunt,describitque ritus,qui iis consecrandis adhibentur à sacerdote.

XXXIII. Tertium argumentum,capite quarto de Diuinis nominibus, sic legimus,γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος,ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Scribit diuinus Ignatius, Meus amor est crucifixus.* Quæ verba legimus in Epistola,quam Ignatius scripsit ad Romanos. At quomodo hanc Epistolam Dionysius potuit legisse,aut omnino dum viueret:aut certe dum ad Timotheum scriberet? Namplerique omnes mortuum dicunt Dionysium anno Christi nonagesimo octauo,Domitiani postremo. Ignatius vero,teste Baronio,anno cētesimo nono vinctus Romam deducitur:atq; ex eo itinere scripsit hanc Epistolam:annis plus minus decem post obitum Areopagitæ. Sed & Timotheum defunctum esse ante quam Ignatius scriberet ad Romanos;constat ex ipso Ignatio,qui ad Ephesios scribens ex hoc itinere,eorum iam Episcopum nominat Onesimum.

XXXIV. Torsit hic nodus Baronium. Qui primo Dionysium contendit ad vltima Traiani tempora saltem peruenisse: itaque Ignatio superstitem fuisse. Sed quo argumento? Adonis auctoritate in Martyrologio,qui ex Aristide eum asserit passum sub Hadriano. At hæc auctoritas non potest esse magna. Primum enim varie interpolari huiusmodi Martyrologia,& res ipsa clamat,& Ioannes Molanus conqueritur. Deinde Vsuardus,Adone antiquior: & qui videtur Adoni hoc de Aristide suppeditasse,Hadriani non meminit. *Natalis*(inquit) *Beati Dionysii Areopagitæ,qui post clarissimam confessionem fidei, ost grauissima tormentorum genera , glorioso martyrio coronatus est,vt testatur Aristides,fide vir,sapientiaq; mirabilis,in eo opere quod de religione Christiana composuit.* Quid igitur tanti momenti est in Adone,vt soli credatur? Nempe antiquum suum Baronius obtinet: vt quamlibet leuissima occasione suæ superstitionis fabulis conciliet auctoritatem.

XXXV. Et tamen in meo Lipomano,siue potius Tiletano Lipomani breuiatore,ego Adrianum non legi ,sed pro eo Traianum. Vnde igitur factum dicam,vt Hadrianum substituerit Baronius? Ille sane viderit. Sic igitur Tiletanus locum descripsit, *Natale Sancti Dionysii Areopagitæ,qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo : & primus apud Athenas ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus: & sub Traiano Principe per clarissimam confessionem fidei post grauissima tormentorum genera,glorioso martyrio coronatur,vt Aristides Atheniensis,vir fide sapientiaq; mirabilis,testis est in eo opere,quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clarissimum tenetur , vt peritiores Græcorum affirmant.* Præter autem mutationem Traiani in Hadrianum,etiam postrema verba Baronius omisit,quibus constat Aristidem ab Adone citari aliena fide. De Traiano a.consentit Suidas. *Hic igitur eloquiorū Dei interpres Dionysius, decursis temporū curriculis, & cooperante Spiritu Sancto,plenus dierū per agonē martyrij pro Christo desudatum,diem suum obijt imperante Traiano Cæsare:quo quidē tempore & Ignatius,cognomento Theophorus,suum & ipse agonem decertauit.* Consentit (inquam) de Traiano,sed tempus designat , eū ipsum annum quo Ignatius functus est. Quod si est,mirum qui tam cito potuerit Ignatij Epistolā legere. Imo qui potuerit è vinculis ad Timotheum libros scribere.

XXXVI. Sed illud de Timotheo violentius est:quod soluit dupliciter. Primo,vt dicat,Dionysium hæc verba primo non vsurpasse cum scriberet ad Timotheum,sed postea addidisse. Sic enim quemlibet tractatorem ad extremum vsque suæ vitæ diem suas lucubrationes, aliquid addendo,minuendo,vel immutando,solitum expolire. Secundo nihil cogere,vt affirmemus Timotheum illum fuisse Pauli discipulum Episcopum Ephesiorum. Inscriptionem enim præfixam,*Sancti Dionysii Areopagitæ Atheniensis Episcopi,ad Timotheum Episcopum Ephesinum:liber de diuinis nominib.* a librario esse appositam. Germanam autem illam esse in Ecclesiastica Hierarchia, *Cōpresbytero Timotheo,Dionysius presbyter.* Porro vocari Timotheum ab hoc Dionysio,filium:Episcopum autem ab Episcopo potius fratrem vocari.

XXXVII. Ita,leuibus coniecturis,quidlibet se posse sperat:tantam ille concepit sui nominis confidentiam. Imo tam impotenter omnib.ingeniis dominatur Cardinalis. Sed primum,quam inepte concluditur, Hier.& August.profitentur,ita suis se operibus vsos esse : Ergo Dionysius sua opera correxit. Deinde,nondum probauit Dionysium Ignatio fuisse superstitem. Nam siue ante obierit,vt contendit auctorum pars maxima , siue eodem tempore,quis non videt inepte diuinari? Episcopos autem solere se mutuo fratres appellare,quis nescit ? Sed adpellatos etiam esse à senioribus iuniores filiorum nomine,quid habet absurdi? Fuisse autem longe prouectiorem ætate Dioysium ipse fatetur Baronius. Et sane si scripsit hunc librum post Ignatij ad Romanos Epistolam,eum oportet centenario maiorem fuisse : cum Timotheus compelletur tanquam iuuenis à Paulo iam tum morti proximo : hoc est,circa annum Christi sexagesimum nonum, cum iam sexagenarius,vt minimum,Dionysius esset. Porro, excepto hoc vno Baronio,nemo hactenus fuit, qui non agnouerit hunc Timotheum esse Episcopum Ephesinum;aut visus sit dubitare : non Pachymeres,non Maximus,non Suidas,non denique vllus quem saltem viderim.

XXXVIII. Quartum argumentum. Mentitur se Virginis corpus vidisse,vna cum Iacobo & Petro omnibusque Apostolis:de diuinis nominibus,cap.3. consciumque fuisse Timotheum. In quo primum,quod testem laudat Timotheum:vel falsum est,si tanquam oculatum ; vt ridiculum,si auritum. Sed quomodo omnes præsentes Apostoli? Nam ij iam pridem in varias orbis partes dispersi erant : & quod quidam fingunt deductos esse auium instar per aerem , crassam superstitionem redolet nouissimorum temporum. Deinde,qui adesse potuit Iacobus? Imo qui potuit ipse Areopagita? Nam Iacobi obitum Baronius refert ad annum quadragesimum quartum : Dionysij conuersionem ad annum quinquagesimum secundum. Virginis a.mortem,siue translationem,ad annum quadragesimū octauum. Ergo neq; Iacob. inter homines : neque Dionysius erat inter Christianos,cum Virgo desiit esse in terris.

XXXIX. Quintum argumentum,quod hi libri prorsus incogniti fuerūt primis Ecclesiæ seculis. Anastasius Bibliothecarius ad Carolum regem *Notandum est* (inquit) *quod licet tantæ gloriæ,tantæque scientiæ siue antiquitatis iste Sanctus Dionysius fuerit,nunquam tamen aliqua opuscula eum edidisse,nisi fallor,quæcunq; Orthodoxorum scripta Traditio prodit,priusquam Romani Pontifices,Gregorius,Martinus,& Agatho dictorum eius in conscriptis suis mentionem fecerint.* Et Baronius Constantinum nescio quem, cognomento Philosophum,notat deplorare solitum maiorum infelicia tempora , quæ his caruissent Dionysij commentariis. Denique Bellarm. non potuit altius eorum memoriam repetere,quam à Synodis 6.7.& 8.& illis paulo antiquiorib. Gregorio,& Martino:ac proinde continuit se intra mille ab hinc annos. Sic relinquuntur secula integrā quinque , & fere totum sextum:quib. merum sit de Dionysii libris silentium:vt nemo tum extiterit,qui se vel vidisse vel saltem aliquid inaudiuisse testetur. Quis credat? Cum Eusebij,Hieronymiq; tanta fuerit diligentia in conquirendis magnorum virorum etiā Epistolis? Cum omnium aduersus hæreticos disputantium tantum fuerit studium in legendis , citandisque vetustissimorum quorumque libris?

XL. Respondet Baronius,Eusebium, vt Arianum,suspectum esse:quasi non putauerit sibi suisque opportunum, quæ ipso solo aspectu Ariana dogmata potuissent infringere:vt dolo malo Theognosti Theologorum celeberrimi nomen atque scripta silentio obuoluta reliquit:quem tamen Athanasius citat,Et iam ante Maximus Monachus, Eusebii hoc de Dionysij libris silentium impietatis nota sugillauit. Hieronymum vero quod attinet,eius hoc fuisse institutum , vt eos colligeret antiquos Scriptores, quos inuenisset ab Eusebio recensitos:illis tantum superadditis, qui post Eusebij obitum vsque ad sua tempora in Ecclesia floruere , reliquos additos esse à Sophronio. Cæterum Athanasium in quæstionibus ad Antiochū, citasse librum de Hierarchia cœlesti. Maximum testari, Dionysio Corinthio cognitum fuisse:& Chrysostomo,appellanti πετεινὸν τῶν οὐρανῶν,Anastasium Bibliothecarium:Liberatum Cyrillo Alexandrino.

XLI. Sed hæc infirmissima sunt. Suspicionis in Eusebium ille profecto ementitur auctorem Maximum. Nihil enim hic aliud ,nisi in Eusebij manus non venisse Dionysij libros , vt neque alios plurimos:de Ariana hæresi ne verbum quidem. Etsi autem verum sit Arianis Eusebium fauisse ante Synodum Nicenam:tamen post eiuratum in ea errorem,nemo quicquam sinistri de eo retulit. Et tamen si habet Baronius aliquem aut σύγχρονον , aut vetustiorem Eusebio;a quo hæc opera certo nouerit commemorata,permitto vt quidlibet suspicetur. Sed si non habet,cur de industria ludit? Aut cur non simile aliquid suspicatur de Athanasio:illo (inquā) viro magno cui nihil fuit commune cum Ario:illo , qui Theognostum vidit ab Eusebio omissum? De Hieronymo rursus veritatem violat. Nusquā enim se ille significat eos tantum colligere , quos inuenisset ab Eusebio recensitos. Nusquam hoc Hieronymus (inquam) profitetur:sed tantum sibi Eusebium Pamphili in 10. Ecclesiastic. histor. libris,maximo adiumento fuisse. Et sane non paucos ille accenset , quorum apud Eusebium ne nomen quidem inuenias:vt Senecam,Hermam , Iustum Tiberiensem, Aristidem, Agrippam cognomento Castorem,atque alios. Quos additos esse à Sophronio vnde habet? Nam is nihil addidit,præter nomina eorum Apostolorum,qui nihil scripserunt , quæ fuerant ab Hieronymo prætermissa. Et ad Senecam, Marianus Victorius diserte ad marginem annotauit, *Epistolæ Senecæ à Hieronymo probantur.*

XLII. Porro liber quæstionum ad Antiochum non est Athanasij: nam quæstione 3. citatur Epiphanius Cyri , Athanasio multo recentior. Atque adeo Sixtus Senensis libro 4. Bibliothec. hoc suum iudicium scriptum reliquit,de isto ipso libro. *Qui tamen*(inquit) *Athanasii non videtur. Suspicor hunc ex variis Patrum scriptis collectum à studioso quopiam,qui in quæstione 4. Theologiam mysticam Dionysii allegat, Athanasii seculo,vt arbitror,ignotam: & quæstione 33. citat Athanasium ipsum , & ab eo etiam diuersam sententiam profert.* Reliqua Maximi:Anastasij , Liberati testimonia valde sunt incerta,atque adeo merito Baronius quærit, qua iniuria vel fraude illa omnia exciderint.

XLIII. Quod vero addit,citari Dionysium à Romanis Pontificibus,quorum in his summa sit auctoritas,scilicet Gregorio, Martino , & Agathone: Papisticum est,non Theologicum argumentum:hoc est, confidentiæ plenius,quam sinceritatis. Primum Catholic. Episcoporum Romanorū nullā maiorem auctoritatem agnoscunt , quam aliorum quorumlibet virorum Doctorum,si tamen ipsi in eo censeri possunt ordine. Secundo,ne ipsi quidē Papistæ agnoscunt Episcopos Romanos errare non posse in rebus,quæ sūt facti,cuiusmodi hæc est. Itaque nihil est,quod nos eorum moueat auctoritas. Et sane quid expectemus sani ab Agathone,qui ad Constantinum & Irenæum,multa citat quasi ab antiquis,quæ tamen eorum non sunt? Basilium aduersus Iulianum desertorem, Hieronymi sermones? Nec est quod plura colligam.

XLIV. Sed non esse antiquis cognitos hos Dionysii libros,non aliunde melius agnoscas,quam ex iis rebus,quas cum in iis legas, alibi tamen non creditas Christianis comperias:quod nunquam fieret,si Areopagita,Pauli discipulus,ea scripsisset. In libris de Hierarchia cœlesti,ordines Angelorū magnifice describuntur:atque ea descriptio deinceps pro lege habetur ab omnibus Scholasticis. At eos ordines Irenæus enarrari non posse credidit, libr.2. in editione Feuardentii. Augustinus etiam , Enchiridij cap. 58. negat aut se scire,aut à quoquam facile explicari posse. At qui vterque ex iisdem libris,minus didicissent,quam Thomas? quam Scotus: quam reliqui? Tenebras,quæ factæ sunt,tum cum Christus pependit in cruce, Dionysius se vidisse testatur,cum esset Heliopoli in Ægypto:& factas ex Solis Eclipsi,opposita Luna,quæ ab Oriente ad Solem accesserit, contra quam fieri solet: statimq; in suum locum redierit. At Origenes & Hieron. asserunt eas tenebras non excessisse solum Iudaicum:& verisimile est:nam cum tum temporis floreret Astrologia,quis credat eā Eclipsin non esse obseruatā ab Astronomis? Factas a. non obiectu Lunæ,sed Sole radios retrahente. Denique, ne omnia colligam de Mariæ Virginis obitu, Baronius queritur historiam esse valde incertam,& obscuram:ipsum etiā Epiphanium non ausum definire mortuā. At Dionysius iste,suorū testimonio oculorum debuerat Ecclesiam docuisse eam re vera esse mortuam,si is quidem ita scripsisset. Et miror Baronium,qui alias huic viro tantum defert,nunc tam parum commoueri eius nomine,vt historiam relinquat incertam.

XLV. Atque hactenus de Dionysio:sequitur Clemens Alexandrinus, quem Iesuitæ dicunt asserere, Christum Iacobo Iusto, & Petro,post ascensionem suam , singularem quandam impertiuisse cognitionem,quam illi

reli-

reliquis Apostoli tradiderint. Hi autem 70. discipulis. Respondeo, locum haberi apud Eusebium libr. 2. historiæ, cap. primo. Ἰακώβῳ τῷ δικαίῳ καὶ Ἰωάννῃ καὶ Πέτρῳ μετὰ τὴν ἀνάστασιν παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ Κύριος· οὗτοι τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις παρεδώκασιν. οἱ δὲ λοιποὶ Ἀπόστολοι τοῖς ἑβδομήκοντα. Eum locum Christophorsonus vertendo corrupit: singularem cognitionem reddens, quam ille simpliciter cognitionem dixerat: & hanc corruptionem Iesuitæ in suum vertunt commodum. Ego sic reddo. *Iacobo Iusto, & Ioanni, & Petro post resurrectionem, cognitionem impertiuit Dominus: hanc illi reliquis Apostoli: reliqui Apostoli Septuaginta.* Rufinus omnem cognitionem addiderat: quod etsi non est apud Eusebium, tamen potest ferri: quis enim non facile patiatur Christum his tribus Apostolis omnia manifestasse mysteria? Quanquam illud duriusculum: hæc eadem mysteria fuisse reliquis Apostolis, non à Christo, sed ab his tribus communicata: cum tamen, saltem Paulus sit excipiendus, qui se profitetur reuelatione Euangelium didicisse, nec contulisse cum carne & sanguine: nec aliquid plus accepisse ab his ipsis. Sed hoc vt vt sit, tamen nihil ad imperfectionem Scripturæ. Non enim sequitur, Iacobus, Ioannes, & Petrus acceperunt cognitionem, & si velis, omnem cognitionem, eamque reliquis tradiderunt, ergo non omnia sunt scripta.

XLVI. Superest Eusebius de Demonstratione Euangelica libr. primo cap. 8. Is ita habet, ἀλλ' ὁ μὲν scil. Moses ἐν πλαξὶν ἀψύχοις· ὁ δὲ scil. Christus ἐν διανοίαις ζώσαις τὰ τέλεια τῆς καινῆς διαθήκης παραγγέλματα ἐνέγραψεν. οἱ δέ γε αὐτοῦ μαθηταὶ τῷ τοῦ διδασκάλου νεύματι, καταλλήλον ταῖς τῶν πολλῶν ἀκοαῖς ποιούμενοι τὴν διδασκαλίαν, ὅσα μὲν ἅτε τὴν ἕξιν διαβεβηκόσι πρὸς τοῦ τελείου διδασκάλου παρήγγελτο, ταῦτα τοῖς οἵοις τε χωρεῖν παρεδίδουν, ὅσα δὲ τοῖς ἔτι τὰς ψυχὰς ἐμπαθέσι, καὶ θεραπείας δεομένοις ἐφαρμόζειν ὑπολάμβανον, ταῦτα συγκατιόντες τῇ τῶν πλειόνων ἀσθενείᾳ, τὰ μὲν διὰ γραμμάτων, τὰ δὲ δι' ἀγράφων θεσμῶν φυλάττειν παρεδίδοσαν. Donatus vertit, *Cæterum ille quidē in tabulis inanimatis, hic autem in mentibus vita præditis perfecta Noui Testamenti documenta descripsit. Eius vero discipuli ad magistri sui nutum auribus multorum doctrinam suam commodantes, quæcunque quidem velut vltra habitum progressis* (dic potius, *habitu prouectioribus*) *à perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea iis qui capere poterant tradiderunt, quæcunq; vero iis conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisq; indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim literis, partim sine literis quasi quodam iure non scripto seruanda commendarunt.* Horum, si me iudicium non fallit, hæc mens est. Distingui primum ipsum Christum à discipulis. Nam Christum animis omnia sua mandata inscripsisse: hoc est, puto, nihil scripsisse, sed tantum viua voce docuisse. Discipulos vero distinxisse ea ea quæ sibi commissa erant in duo genera, vt alia pertinerent ad perfectiores, alia vero ad imperfectiores. Primum genus tradidisse capacibus: alterū vero tradidisse partim scriptis, partim non scriptis.

XLVII. At hæc ego, quid sibi velint, non bene capio. Nā quid est, Apostolos tradidisse capacibus, ea quæ pertinerent ad prouectiores? Causa dubitandi, quia statim postea id ipsum tradendi verbū commune facit tum scriptis, tū non scriptis. Quod si proprie intelligimus de traditione non scripta primum sequetur, quæ apta sunt prouectiorib. non esse scripta: &, quia scripta sunt dogmata Trinitatis, Incarnationis, crucis, resurrectionis, redemptionis, iustificationis, sequetur ista duntaxat infirmiorum esse, quasi rudimenta: quæ tamen constat esse maxima mysteria. Et rursus quia scriptū est arcanum illud de Christo sacerdote secundū ordinem Melchisedec, mentitus erit Apostolus, qui eū sermonē dixerit esse δυσερμήνευτον, 5. ad Hebræos: Et Petrus, qui in iis rebus de quib. Paulus scripsit, testatur esse δυσνόητά τινα: post. 3. Secundo, quia ea quæ scripta sunt, dicit Eusebius esse accommodata etiam infirmiorum captui, qui rerum grandium non sunt capaces, sequetur scripturas adeo esse faciles, vt à rudiorib. intelligantur: multo magis ab iis, qui horum excesserunt ordinem. Contra Augustinum qui Epistol. 2. *Tanta est*, inquit, *Christianorum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsq; ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio, conarer addiscere.* Contra Papistas ipsos, qui earum obscuritate difficultateque summa tanquam μορμολυκείῳ vtuntur ad absterrendos laicos. Quinetiam Ioan. Hayus libr. primo Disp. c. 38. scripsit, neminem omnium esse qui perfectam vel primi capitis Euangelij secundum Ioannem notitiam sit assequutus.

XLVIII. Quid hoc est rursus; quod secundi generis homines describit τοὺς ἐμπαθεῖς, καὶ θεραπείας δεομένους, eisq; opponit, τοὺς τὴν ἕξιν διαβεβηκότας? An quia vllo homines esse possint, quorum habitus ita profecerit, vt nullis animi perturbationib. obnoxius sit, ipsisque vltra superflua sit vitiorum cura? Hoccine, inquam, sperare aliquis possit, dum agit spiritum? Imo hæc non aliunde nata, quam ex stupida, & superstitiosa monachorum admiratione, quæ in eo laudando vitæ genere πάντας τοὺς τῆς ἀληθείας ὅρους μακρὸν ἀπεν ὑπερβέβηκεν.

XLIX. Ergo negari non potest Eusebium esse loquutū incommode, vt ne quid durius dicam. Ignoscant ergo Iesuitæ, si eius iudicio stare nolumus. Illi potius discant non muscarum in morem vlcerib. delectari. Nec tamen adeo sumus inhumani, vt nullam Eusebio relinquamus spem excusationis. Dicat forte aliquis, nec nobis quidem inuitis, loqui non de reb. fidei, dogmatumue mysteriis, sed de variis vitæ institutis, ac propterea non necessariis. Argumento est, quia statim post iam descripta verba, infertur, ὥστε ἤδη δὴ καὶ τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ δύο βίου νενομοθετῆσθαι τρόπους, adeo vt iā *Ecclesiæ Christi duo viuendi modi instituti sint*: nimirum alter supernaturalis, & longe vltra communem ac humanam πολιτείαν viuendi rationem: οὐ γάμους, οὐ παιδοποιίας, οὐδὲ κτῆσιν, οὐδὲ περιουσίας ὕπαρξιν παραδεχόμενον, *non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens*: cuius generis homines miris, imo & diuinis laudibus effert, aliquosque tanquam Deos appellat Alterum vitæ genus, demissius est & humanius ὑποβεβηκὸς καὶ ἀνθρωπινώτερον, eorum hominum qui nuptiis dant operam & liberis, & œconomiæ. Hæc Eusebius: hoc passus, quod alij omnes, qui ἐθελοπερισσοθρησκείαις delectantur: vt quas non possunt ex Scriptura probare, παραδόσεως ἀγράφου nomine commendent. At hæc ἀδιάφορα sunt: non enim omnes Christiani obligantur alterutri generi: itaque sunt extra controuersiam nostram. Denique eligant aduersarij vtrumlibet: vel scripsit Eusebius in genere, vt etiam comprehenderet ea quæ ad salutem necessaria: vel specialiter περὶ τῶν ἀδιαφόρων. Si prius, tum fœde peccauit, violata maiestate scriptorum dogmatum: ac proinde nō est testis idoneus. Sin posterius, tum otiose inducitur in hanc controuersiam.

Cap. IV.

An omnia quæ Christus fecit & docuit, scripta sint.

I. Si neque omnia Christus per se docuit, neque omnia quæ Christus fecit, scripta sunt, tum necessariæ sunt Traditiones non scriptæ. At neq; omnia Christus docuit: neq; omnia quæ fecit scripta sunt. Ergo necessariæ sunt traditiones non scriptæ; & vi consequentis, Scriptura est imperfecta. Argumentum est Panigarollæ lectionis 4. p. 2. Et probatur assumptionis pars prior ex Ioan. 16. *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam, sed nunc non potestis portare.* Et decimo quarto. *Spiritus vos docebit omnia, & suggeret omnia.* Pars posterior probatur: ex Ioan. 20. & 21. *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Ad hæc, quum dicatur curasse omnes, sanasse omnes, satis apparet multa non esse scripta, cum paucorum habeamus historiam, qui sanati sunt. Præterea, Lucæ 24. *Incipiens à Mose & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* Et rursus, *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*, Et Actor. 1. *Apparebat eis loquens de regno Dei.* At hi sermones Christi nusquam sunt scripti.

II. Primum negatur consequentia. Nam etsi Christus ipse non omnia docuisset sua voce, tamen non sequeretur necessarias esse traditiones. Ratio prima: Nam idem pollicebatur Apostolis Spiritum Sanctum, à quo docerentur omnem veritatem. Quare etsi non à Christo, tamen ab hoc Spiritu Apostoli omnia scire potuerunt, ac propterea etiam scribere. Deinde, etsi non omnia quæ Christus dixit, essent scripta, tamen potuerunt scribi omnia quæ Spiritus Sanctus suggessit. Ratio altera: quia non omnia, quæ Christus fecit & dixit, necessarium est sciri. Testis mihi Gretserus Iesuita in hoc ipso argumento: negans omnia: sed tantum quædam ab Ecclesia commendari credenda & obseruanda. Quod si est, cur non iis quibusdam contenti sint Christiani, quæ scripta sunt?

III. Secundo, & quidem præcipue, negatur vtraque antecedentis pars. Et prius. Et prius certum esse dicimus, Christum ipsum Apostolos omnia docuisse, Io. 16. *Non amplius dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Nisi forte malint Papistæ ne ipsum quidem Christum omnia audisse à Patre.

IX. Neque obstat primus locus è Ioannis decimo sexto: tum quia, etsi ad id vsque temporis non omnia docuisset Christus Apostolos, tamen postea docere potuit: nempe, post resurrectionem: quod probant ij loci, qui post ea citantur ex Luca. Tum etiam, quia non sequitur, Christus tum habebat multa dicenda, quæ Apostoli non poterant portare: ergo Christus non docuerat omnia. Quid enim prohibet, quominus dicamus, ea ipsa ante id tempus Christum docuisse, quæ erant iterum proponenda propter Apostolorum tarditatem? Multa enim Euangelistæ testantur illis fuisse dicta, quæ tamen non intelligebant.

IV. Non obstat etiam secundus locus ex decimo quarto Ioannis: imo illustrat primum. Ac sane vim eius agnouisse videtur Panigarolla, qui integrum proferre ausus non est, sed Papistice curtatum. Sic enim Christus, *Consolator ille Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis*: ὑπομνήσει ὑμῖν πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν: Duo nota Prius, non simpliciter dici *docebit omnia & suggeret omnia*, quod volebat Panigarolla: sed *omnia quæ dixi vobis*: vt ne noua aliqua exspectarentur: sed ea ipsa quæ iā audita fuerant à Magistro. Cyrillus Catechesi 16. οὐκ ἀπεδίδαξε μόνον. ἀλλὰ καὶ ὑπομνήσει ὅσα εἶπον ὑμῖν. οὐ γὰρ ἄλλα Χριστοῦ διδάγματα, ἄλλα ἁγίου πνεύματος, ἀλλὰ τὰ αὐτά. *Non dixit, docebit solū: sed & suggeret quæcunque dixi vobis. Non n. alia Christi præcepta, alia Sancti Spiritus, sed eadem.* Ac proinde, quis non videt, quam inepta sit hæc consequentia: Spiritus docebit Apostolos: ergo Christus non docuerat omnia? Imo hæc potius vera est: Spiritus erat docturus omnia, & suggesturus quæ illis Christus dixerat: ergo Christus Apostolos docuerat omnia.

V. Posterius: ex hoc loco interpretandum alterum esse è c. 16. qui integer habet in hunc modum: *Adhuc multa habeo quæ vobis dicam: sed nunc non potestis portare. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in omnē veritatem.* Quibus verbis perspicuum est promitti Spiritum, qui ea suppleat, quæ tum dicenda Christus habebat. Iam vero horum verborum, *deducet vos in omnem veritatem*: non potest alius esse sensus, quam illorū *docebit vos omnia.* Si igitur, cum diceret Christus, docebit vos omnia, is sensus erat, vt ostendimus suggesturum Spiritum Sanctum ea, quæ illis ante Christus dixerat: certe debent & hæc verba, *deducet vos in omnem veritatem*, sic accipi: non igitur ostendent Christum non omnia docuisse.

VI. De altera parte assumptionis respondeo, distinguenda esse Christi dogmata & facta: & ista quidem non esse scripta omnia: nec potuisse: nec fuisse necesse: illa vero nulla esse prætermissa: quin scripta sint, aut ab Euangelistis, aut ab aliis: qui autem loci, quæve argumenta prolata sunt à Panigarolla: ea de factis esse, siue gestis: non a. de dogmatis: quantumuis impudenter Florebellus libro de autoritate Ecclesiæ contra asserat *Testificatur* (inquit, & Ioannem intelligit) *quam plurima à se consulto fuisse prætermissa, quæ non modo egisset, sed etiam loquutus esset Iesus.* Porro de Christi factis, nulla nostra est controuersia: quæ tota in dogmatis consumitur. Est autem Sophistarum proprium artificium, à statu quæstionis ἀπάγειν εἰς ὃ δεῖ περιουσίαν ἐπιχειρημάτων, in eos locos diuertere, aduersariumque pertrahere, quæ illis argumentorum syluam suppeditant.

VII. Sed vrget Panigarolla. Si quæcunque fecit, non sunt scripta, cur debeam credere absque probatione, quæcunque dixerit esse scripta. Respō deo, primū, quod de probatione dixit, esse ad inuidiā conflandā nō legitimo præiudicio; minime a. ad litē decidendā certo argumēto: porro nos nūc aduersariorū argumēta refutare: nō nostra proferre. Ille vero; si nulla à nobis vnquā audiat, ne credito sane omnia Christi dogmata esse scripta: sed si audit; moneo

moneo ne tanquam aspis surda, aures obseret: quod ille plerunque, imo semper facit. Deinde ad argumentum: dico non parum interesse discriminis inter Christi gesta, & dogmata: vt hæc scriberentur omnia, etsi non illa. Illa etsi sunt vtilia, neque enim alias facta essent ab eo: qui nihil frustra facit: tamen non sunt æque scitu necessaria: hæc vero non tantum vtilia sunt, sed etiam scitu necessaria: propterea illa potuerunt prætermitti facilius; hæc vero minime. Quod ipsum potest ipsa Papistarum confessione confirmari. Nam cum omnia dogmata contendant per traditionem non scriptam esse continuata in Ecclesia: tamen non ausint idem de gestis dicere. Imo Gretserus in defensione cap. 5. lib. 4. *Ecclesia non omnia dicta & facta Christi, sed quædam ex illis nobis credenda & obseruanda tradidit.* Nec paucos esse doctores asserit Panigarolla, qui merito credendum esse dicant multo plures suscitatos à Christo, præter tres illos, quos habemus in Euangelio. At, inquam, illos multo plures iampridem ignorauit Ecclesia. Ergo non sunt omnia gesta Christi, non tantum non scripta, sed ne tradita quidem. Etsi non tradita, ergo non necessaria. Nam & absque iis cognitis & fiunt Christiani; & in Christianitate saluantur plurimi. Præterea ipse Euangelista testatur gestorum Christi tantum esse numerum, vt libros totus mundus capere non posset. At de dogmatib. nemo vnquam aut Apostolus aut alius ita loquutus est. Capi quidem à mundo non posse ipsa dogmata dici potuit: sed singula propter mysteriorum altitudinem, non omnia propter numerum. Quare longe diuersa est ratio factorum & dogmatum.

VIII. Ad ea quæ restant, dico, non omnes conciones Christi fuisse descriptas, & literis mandatas: ne ipsas quidem singulas totas. Sed quæ illis concionibus tractabantur dogmata, ea vero esse omnia scripta. Quæritaliquis argumenta? ea ipsa volo quibus Panigarolla vsus est. Nam Lucæ 24. ita scriptum est: *Exorsus à Mose & Prophetis omnibus interpretabatur illis ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ ἑαυτοῦ in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Et paulo post *Hi sunt sermones, quos loquutus sum vobis, quum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit eorum mentem, vt intelligerent Scripturas.* Audin tu, non quædam ἀγράφα Iesum tum primum annunciasse, sed ea quæ in Scripturis de illo pridem legebantur, nec intelligebantur, exposuisse. Quanuis igitur nõ sint excepta totidem verba Concionantis Christi, quæ ne ipsi quidem Papistæ ausint profiteri apud se ex Traditione non scripta exstare: tamen ea dogmata, quæ illis verbis aperiebat Apostolis, scripta sunt in lege Prophetis & Psalmis, hoc est, in Veteri Testamento: quod satis est.

IX. Atque hoc est, quod in hoc argumento refutando alij dixerunt, non omnia scripta esse, sed necessaria: nempe quia verba singula, nihil est necesse haberi aut conseruari: sed tantum dogmata, hoc est, concionum summa capita. At hoc, inquit Bellarminus, iam est refutatum. Nimirum, inquam, quia sine aduersario, & se iudice disputabat. Quomodo autem refutarum? Quia multa, inquit, necessaria non sunt scripta, & præsertim de Sacramentorum institutione, quæ sine dubio Dominus tradidit in illis diebus quadraginta. Somnia, inquam. Nullum enim necessarium est dogma, quod non sit scriptum: & Sacramentorum Baptismi, atque Eucharistiæ institutionem Euangelistæ non omiserunt: alia a. præter hæc duo Sacramenta nulla agnoscit Ecclesia.

X. Atque hæc quidem de argumento. Sed nunc libet Papistarum ingenium attentius considerare. Augustinus ad hunc locum 1. Ioan. 6. hæreticorum mores non potuit non grauissime notare, vt qui eos multis norat doctus experimentis. Tractatu igitur in id Euangelium 97. sic legimus. *Omnes insi entissimi hæretici qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum quas maxime exhorret sensus humanus: hac occasione Euangelica sententia colorare conantur, vbi Dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: quasi hæc ipsa sint, quæ tunc discipuli portare non poterant.* Hæc Augustin.

XI. Notemus primo omnes hæreses, teste grauissimo Augustino, religionisque Christianæ scientissimo, omnes, inquam, hæreses ne exceptis quidem iis, quæ sunt insipientissimæ, prætextu huius loci sua inuenta conatas esse colorare. Si igitur de traditionibus non scriptis is locus interpretãdus est: quis neget verum esse, omnes hæreses conatas esse suis inuentis fucum aptare ex traditionib. non scriptis? Enimuero: grande scil. suæ diligentiæ, suæque subtilitatis præmium auferant Papistæ, cum iisdem Scripturæ locis suas traditiones palliauerint, quibus olim abutebantur hæretici. Nimirum ἄγραφοι θεοὶ ὡς τὸν ὅμηρον.

XII. Secundo: putauit Augustinus, si hæreticorum dogmata per se considerarentur, id sufficere ad indicandum quantopere hoc loco illi abutantur. *Quasi*, inquiens, *hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant.* Est enim in iis verbis vehementissimus παρρησιασμὸς: innuens ne verisimile quidẽ esse, de iis tum loquutum esse Dominum: imo summam esse eorum stolidi tatem, qui assererent eorum quæ hæretici inueherent, Apostolos non fuisse capaces. Magnum profecto contra Papistas telum. Nequen. tam verum est, nullame esse communionem luci cum tenebris: quam falsum Apostolos non fuisse capaces earum quisquiliarum, quas nunc nobis traditionum nomine Papistæ obijciunt: Et quidem huius loci prætextu. Quo fateantur oportet, aut se fœdissime abuti, aut suas traditiones comprehendi. Nam quia illa quæ sunt in Scripturis, non sunt traditiones non scriptæ: ac proinde non de illis quæ Christus habebat dicenda: quæque Apostoli portare non poterant: necesse est has quidem traditiones Apostolos portare non potuisse: potuisse autem portare illa scripta dogmata.

XIII. Quæ erant igitur illa scripta? Non persequar omnia: paucis ero contentus Pauli verbis ex 3. cap. prior. ad Timotheum. *Sine controuersia magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne: iustificatus est in Spiritu: conspectus est ab Angelis, prædicatus est gentibus: fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.* Audis mysterium, arcanum, Sacramentum? sed magnum, *quia cuncti fideles* (inquit Anselmus) *nouerunt hoc ita magnum esse, vt nemo sufficiat magnitudinẽ eius cogitare.* Hoc ex illis erat, quæ facile, nulloq; negotio illi adhuc rudes, & impoliti Apostoli portare poterãt. Contra vero audite arcanorũ arcana: mysteria μυστικώτατα dogmata, ἀνεκφώνητα, quorũ præ altitudine, Apostoli erant penitus incapaces. Sic n. spero vtrorumq; genium facilius proditum iri, vtrisque à regio e positis & comparatis. Atq; audite, non a me, sed à præstantissimo eorum arcanorum Hierophanta, Ioanne Driedone tom. 1. lib. 4. cap. 5. *Sunt autem* (inquit) *huiusmodi: Veneratio & inuocatio Sanctorum Martyrum: solenne ieiunium, à carnibus & cæteris cibis abstinentia, suffragia viuorum pro defunctis: voluntaria vota in castitate: Deoque dicata virginitate: purgatorius ignis post mortem: parulorum baptismus: sacramenta confirmationis, confessionis, sacri ordinis, vnctionis: matrimonij insolubilitas: corpus Christi sub specie panis & vini: Missa Sacrificium, cæteraque officia Ecclesiastica: Sacerdotum cœlibatus.* Iudicent nunc Christiani, hæccine illa sint tanta mysteria: quæ propterea non diceret Christus, quia ea discipuli portare non poterant: quum nemo sit inter sacrificulos tam Bœotus, qui non capiat, atque ad vnguem sciat?

XIV. Sed audiant iterum Augustinum tractat. nonagesimo sexto. *Quis nostrum audeat eorum se dicere iam capacem, quæ illi capere non valebant? Ac per hoc nec à me expectanda sunt, vt dicantur, quæ forte non caperem, si mihi ab alio dicerentur, nec vos ea portare possetis, si ego tantus essem, vt à me ista, quæ vobis altiora sunt audiretis.* Duo his verbis significantur. Prius, nec plebem Christianam, ac ne ipsos quidem Episcopos, eorum capaces esse, quæ tum Christus tacuit, cum ne ipsi quidem Apostoli ea portare potuerint. Quid iam dicimus? An vero non scriptarum Traditionum, quas siue Driedo recensuit, siue alij superaddere possunt; neminem ab Apostolorum seculo fuisse: neminem hodie siue laicum, siue Episcopum esse capacem? Bona verba, inquient Iesuitæ: tum enim nostra ad restim res rediret. Alterum: Augustinus expressit, se non posse dicere ea, quorum neque laici capaces essent, quos docebat, neque ipse qui docebat. At si Augustinus non potuit, quanto minus Driedo? Driedo tameh dixit illa quæ enumerauimus capita. Rursus ergo, hæc ea non sunt quæ Christus tacuit.

XV. Sed nondum absoluit Augustinus. *Ecce* (inquit) *concedamus vt ita sit multos ea modo portare posse iam misso Spiritu Sancto, quæ tunc eo nondum misso non poterant portare discipuli: nunquid ideo scimus, quæ sint quæ dicere noluit: quæ tũc sciremus, si ab eo dicta legeremus, vel audissemus? Aliud est n. scire, vtrũ à nobis, vel à vobis portari possint: aliud a. scire quæ sint, sine portari possint, siue nõ possint. Quæ cum ipse tacuerit, quis nostrum dicat, Ista vel ista sunt? Aut si dicere audeat, vnde probat? Quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cum dixerit etiam vera quibus voluerit, sine vllo testimonio diuino affirmet ea esse quæ tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc nostrum faciat, & non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec Prophetica, nec Apostolica excellit autoritas.* Hactenus Augustinus.

XVI. Primum negauit suo tempore sciri, quæ illa essent, quæ Christus tum dicere noluerit. Exspecto Papistas, vt audiam, suæ iactantes Ecclesiæ profectum, vt doctior sit, quam tempore Augustini. Et si hoc, quomodo has traditiones appellent: cum eas oporteat continua successione de manu in manum esse perpetuatas? Quod si seculo quarto nemo erat qui nosset: quis nouus de cœlo doctor repente cecidit, qui eas seculo quinto docuerit, & sic deinceps? Deinde nullo testimonio diuino affirmari posse dixit, quæ illa essent. Ergo, inquam, tum vel nulla traditione illa constabant: ac proinde ne nunc quidem: vel non erat traditio, testimonium diuinum, id est, Verbum Dei. Quod si non tunc, ergo ne nunc quidem, contra quam Papistæ asserunt. Tertio temeritatis eos damnat, qui ausint dicere: hæc vel illa esse quæ tum Christus noluit dicere: cuiusmodi sunt igitur dicendi nostri aduersarij? Quarto, si ex Traditione illa non habentur; & ex eorum defectu colligunt aduersarij imperfectionem Scripturæ: nos etiam inferemus eodem iure Traditionis imperfectionem; vt eam falso Costerus dixerit omnem veritatem in se habere: falso etiam Alphonsus de Castro asseruerit, *credendum Apostolos aliis verbo narrasse tam facta quam dicta: atque ita vt ex ore in os, & ex pectore in pectus transfusa, ad nos vsque perueniisse, sine alio quouis Scriptura testimonio.* Denique hoc vno Augustinii ictu totum corruit argumentum. Si non sunt omnia (inquiebat) scripta, quæ Christus docuit: ergo necessaria est traditio. Imo, inquam nego consequentiam. Nam quis necessariam dicat eam quæ nulla est? Nulla est autem eorum quæ Christus tum ad Apostolos dicere noluit. Ergo ne necessaria quidẽ. En igitur Papistarum acumen: qui ex traditione, quam nullam esse constat, euincere volunt, Traditionem esse necessariam.

XVII. Sed hunc Augustini locum Puteanus conatur eludere: quia his Augustinum verbis vsum esse dicat aduersus quosdam hæreticos, qui quædam sua inuenta dicerent ea esse de quibus tum loquutus sit Dominus Quasi vero, inquam, personæ tantum reprehendi solerent: non res ipsæ damnari. Quasi, inquam, personarum essent non rerum peccata. Quasi denique, non esset in Augustini verbis expressa prima persona, *Num ideo scimus? Quis nostrum dicat? Quis hoc nostrum faciat.* Deinde non de inuentis duntaxat hæreticorum, quæ necessario falsa sunt: Augustinum loqui sed omnino generaliter hæc indicant, cum neminem esse dicat, qui etiam tum cum vera dicit, ea tamen audeat asserere, de illorum esse numero, quæ Christus tum tacuerit. Nam ita profecto nunquam loquutus esset, nisi vniuersaliter vellet intelligi.

CAP. V.

An totus Canon sufficiat.

I. BEllarminus, non omnia Scripturas ita continere, vt sufficiant ipsæ sine alia Traditione, probat, quia vel totus Canon Scripturarum simul sumptus est sufficiens, vel singuli libri per se. At nõ potest dici singulos libros esse sufficientes: quia videmus Euangelistas non singulos omnia continere: & si vnus liber omnia continet, quid opus fuit tot libris? Sed ne affirmari quidem potest totum Canonem esse necessarium ad hoc, vt sufficiens doctrina habeatur. Nam multi libri vere sacri & Canonici perierunt: doctrinam, si tota sita est in Scripturis.

II. Periisse autem aliquos libros Canonicos, probat primo in Veteri Testamento, autoritate Chrysostomi homil. nona in Matthæum, cum ageret de eo loco, *Nazaræus vocabitur*: quẽ in nullo veteri libro inueniebat, *Multi*, inquit, *ex Propheticis periere monumẽtis: quod de historia Paralipomenon probare possibile est*: & eius rei culpam refert in Iudæorum desidiam, impietatemque

temque. Deinde ex vltimo prior. Paralip. & 9. post. & prior. Regum 4. In nouo autem Testamento certum esse, Pauli Epistolam ad Laodicenses periisse; ex vltimo ad Colossenses. In Retractationibus addit Epistolam vnam ad Corinthios: testibus Anselmo, & Caietano, colligentibus ab his verbis, *Scripsi vobis in Epistola*, prior. ad Corin. 5.

III. Respondeo prius de defectu Canonis, tum de argumento. Nego Canonem, id est, numerum librorum sacrorum, ex quo confectus est, vnquam fuisse maiorem, quam sit hodie. Nam quod alia quædam nominata comperiantur Prophetarum scripta, non probat oppositum. Stapletonus de Principiis lib. 9. c. 5. *Notandum est, tum in Veteri, tum in Nouo Testamento ipsos Prophetas & Apostolos aliqua scripsisse, quæ tamen in Canonem Scripturarum non sunt relata.* Et post paulo. *Itaq; in magna multitudine Prophetarum perpauci ea scripserunt, quæ autoritatem Canonis obtinerent.* Et iterum, *Huius vero rei causam diligenter quærens Augustinus, aliam se inuenire non posse scribit, quam quod existimet Prophetas Veteres (adde etiam Apostolos) quibus ea, quæ in autoritate religionis esse deberent, Spiritus Sanctus vtique reuelabat: alia, sicuti homines, historica diligentia, alia, sicut Prophetas, inspiratione diuina scribere potuisse: atq; hæc ita fuisse distincta, vt illa, tanquam ipsis, ista vero tanquā Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis autoritatem, in qua autoritate custoditur Canon. Hæc ille. Apparet ergo tam Prophetas, quam Apostolos cum plura scripserint, quam quæ in Canonem Scripturarum referri deberent, eorum quædam in Canonis autoritatem relata fuisse, quædam non.* Idem de Autoritate Scripturæ contra VVhitakerum lib. 2. c. 1. sect. 7. *Multo sane probabilius est dicere huiusmodi libros in Canonem nunquam receptos fuisse, postquam ita penitus iam interierint, quam in Canonem receptos fuisse ante quam interierint. Hoc enim posterius contra illam Dei prouidentiam facit, quæ in reb. ad salutem vel necessariis, vel plurimum conducentib. nunquam deest: cum res huiusmodi potissimum sit Canonicarum Scripturarum conseruatio.*

IV. Non perisse libros Samuel videntis, Nathan Prophetæ, Gad videntis, Aniæ, Addo testimonium habemus Athanasij in Synopsi Scripturæ lib. 11. *Supra dictum est*, ὅτι οἱ συγγραψάμενοι τὰς τε πράξεις καὶ τοὺς χρόνους τῆς βασιλείας, εἰσὶν οἱ κατὰ καιροὺς ὄντες προφῆται. *Quod qui Regum facta & tēpora conscripserunt, Prophetæ fuerunt, qui singulis temporibus vixerunt. Vt autem singulariter quid quisq; scripserit, cognoscatur, ex Paralipomenis ista annotauimus. Dauidis historias scripserunt, Samuel, Nathan, & Gad Prophetæ. Salomonis Nathan & Achia Prophetæ. Ieroboam, Sabæus, & Adido Prophetæ.* Sixtus Senensis Bibl. lib. 1. ad libros Regum. *Liber Samuelis, partim à Samuele Propheta, partim à Nathan, & Gad Prophetis creditur esse conscriptus. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Dauidis, ac sui ipsius gesta, quæ in primo Regum vsque ad mortem suam, hoc est, vsq; ad caput vigesimum quintum referuntur. Nathan vero & Gad Prophetæ, scripserunt libros Regum à morte Samuelis, vsq; in finem libri secundi: quod satis aperte indicare videtur primus liber Paralipomenon: in cuius calce hæc verba leguntur: Gesta Dauid priora & nouissima scripta sunt libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad.* Genebrardus in Chronologia anno mundi 3066. *Samuel scribit librum Iudicum, Ruth, & maximam partem libri primi Regum, quem eius nomine alius ad regnum vsq; Salomonis perduxit. Hebræi Rabba Bathra capite primo, nempe Nathan & Gad videns Rabbi Mose, Kimhi.*

V. Salomonis Parabolæ ter mille, non significantur fuisse scriptæ, sed tantum prolatæ. Nam ea sunt verba, *Loquutus est tria millia Parabolarum*: Hoc iam notauit Dionysius Carthusianus. Carmina quinquies mille, vt habet editio Latina, siue potius mille & quinque, vt Hebraica veritas, cuiusmodi fuerint, aut quæ eorum materia, quis dixit? Aut vnde constat fuisse Canonica? Nam illa de arboribus, deque bestiis Physica esse poterant, necessaria: & longe præferenda Aristotelicis, Theophrasticis, aliis lucubrationibus. Sed non Theologis, quibus cœlestia curæ sunt.

VI. Chrysostomum fateor existimasse reuera aliquos ex Canone libros excidisse: cum illud *Nazaræus vocabitur*, nusquam legeret. Sed quid ille scire potuit? aut vnde? Maxime, cum eius citationis difficultatem, quæ eum mouit, alij aliter, & quidem felicius dissoluant? Nam Iudæorum, siue segnitiem, siue malitiam, cur accuset, vt non excuset eosdem eorum librorū, quos non habemus nisi ab eis, tam diligens, tam religiosa, imo etiam tam curiosa conseruatio? Quanquam, cur it ad Iudæos? Nam ex hoc ipso Matthæi loco constat tunc temporis extitisse Prophetiam illam, vnde ea verba erant, quum Matthæus scriberet Euangelium: vnde sequitur fuisse in potestate Ecclesiæ. Quomodo ergo segnities excusabitur Ecclesiæ, quæ tantum thesaurum non conseruarit?

VII. In Nouo Testamento illud de Epistola ad Laodicenses, quod pro certo Bellarminus obijciebat primo, deinde retractando tanquam probabile, omnino est falsum. Pauli hæc sunt in extrema ad Colossenses. Καὶ ὅταν ἀναγνωσθῇ παρ' ὑμῖν ἡ ἐπιστολὴ, ποιήσατε ἵνα καὶ ἐν τῇ Λαοδικέων ἐκκλησίᾳ ἀναγνωσθῇ. καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα ὑμεῖς ἀναγνῶτε. Ea verba Latine sunt ita reddita, *Et cum lecta fuerit apud vos Epistola, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur. Et eam, quæ Laodicensium est, vos quoq; legatis.* Ex his Latinis, *eam, quæ Laodicensium est* quidam sibi in animum induxerunt, esse quandam à Paulo ad Laodicenses scriptam Epistolam. Ridicule. Nam quis vnquam vidit appellatas Epistolas Attici, eas quæ sunt Ciceronis ad Atticum? Imo ne apud Theologos quidem vocantur Corinthiorum, aut Romanorum, aut Ephesiorum eæ, quas ad illos Paulus scripsit.

VIII. Deinde non aduerterunt Latina longe discedere à Græcis. Certe enim nulla ratio ferre potest: vt τὴν ἐκ Λαοδικείας interpreteris eam, quæ ad Laodicenses. Itaque Syrus interpres reddidit דאתכתבת מן לאודוקיא והי, *Et illa quæ scripta est ex Laodicea.* Obseruarunt iampridem multi: Et explicarunt dupliciter Theodoretus. *Quidam existimarunt ipsum etiam scripsisse ad Laodicenses: Itaq; fictam etiam Epistolam proferunt. Diuinus autem Apostolus, non dixit eam, quæ est ad Laodicenses: sed eam, quæ est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus reb. ad eum scripserant.* Theodoretum inter recentiores sequutus est Gagnæus Sorbonicus. *Quæ Laodicensium est, id est, quæ ab Laodicensibus mihi missa est, sic enim Græci explicant, & Græca verba id innuunt.* Iustinianus, *Chrysostomi ac Theodoreti sententia semper mihi vero propinquior visa est, non Pauli Epistolam ad Laodicenses, sed contra potius Laodicensium ad Paulum significari: quod Græca verba aperte indicant.* Adde Baronium anni sexagesimi §. 13. eiusq; abbreuiatorem Bisciolam.

IX. Sed Theophylactus maluit aliquam à Paulo Laodicea scriptam: & coniecit alteram ad Timotheum. Verba sunt, *Quæret aliquis, Quænam illa fuit ad Laodicenses Epistola?* Sic in editione Porsennæ. Male, ni fallor: nam statim, *Ea nimirum, quæ ad Timotheum prior scripta est. Hanc, namque ex Laodicea transmisit Apostolus.* Et sane Codices id notant. Sed Iustinianus interrogat, quid causæ fuerit, cur Epistolam iampridem ad priuatum Episcopum scriptam, præciperet Colossensibus legi. Importune, ne durius dicam. Cur enim nos necesse est omnium, quæ tunc facta sunt, causas rescire? Quanquam si nobis tot postea seculis, eadem legi debet: nec sine causa, cur non concedemus Colossensibus? Et quam tu habes causam dicere, cur illam Laodicensium ad se innueret? Et tu hanc credas sine causa; hanc respuas? Quid Oecumenius potuit de istac Laodicensium dicere, ἦν γάρ τι πάντως ἐν αὐτῇ ὠφελοῦν τοὺς Κολοσσαεῖς; *Omnino inerat ei aliquid vtile Colossensibus*: quam tamen ille non viderat: & nos, qui videmus, legimus, illam ad Timotheum: & vtilissimam cognoscimus, negamus quicquam habere quo iuuari potuerint Colossenses?

X. Gretserus peruetustam esse opinionem innuit, aliquam ad Laodicenses: tum huic opinioni fauere Latinam editionem: *cui vt etiam Græcum textum anteponamus* (inquit) *nunquam à nobis Caluinistæ obtinebunt*, Tertio; Græcum non adeo esse planum, vt inueteratæ persuasioni nihil prorsus loci relinquat. Etenim ἐκ Λαοδικείας, quod eam inde accepturi essent, quā ante Paulus scripserat ad Laodicenses. Denique non apparet, quid causæ tantopere mouerit Apostolum, vt eam, quæ ad Colossenses erat, voluerit à Laodicensibus legi: & à Colossensibus eam, quæ ex Laodicea ad Colossenses ventura erat, si non vtraque à diuina Pauli manu fuerit.

XI. Iustinus suo quōdam Triphoni, εἰ ὁμοίως ὑμῖν φιλέριστος, καὶ κενὸς ὑπῆρχον, οὐκ ἄν ἔτι προσμένον κοινωνῶν ὑμῖν τῶν λόγων. οὐ συνιέναι τὰ λεγόμενα σπουδαζομένοις, ἀλλά τι λέγειν μόνον θηρεύουσιν ἑαυτοῖς. *Si æque vobiscū contentiosus essem & vanus, non possem diutius vobiscum verba conferre: non id satagentibus, vt intelligatis quæ dicuntur, sed vos ipsos acuentibus duntaxat vt aliquid effutiatis.* Vtinā hodie id solius Triphonis olim vitiū fuisset: vtinā hodie soli⁹ Gretseri. Sed Gretseri certe vitiū germanissimū, quis nō aduertat, si quæ pugnet, attendat, & quomodo? Impugnat disertum Pauli textum. Quomodo? Vetusta opinione. Quid hoc est? Opinionem opponere textui? Et quidem opinionem ita vetustam, vt primos autores legamus primos hæreticos: Marcionem apud Tertullianum libr. 5. contra eum c. 11. & 17. post etiam alios impostores qui legerent, teste Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis in Paulo, quandam ab omnibus Ecclesiis explosam. Opinionem denique nemini probatam Veterum.

XII. Assentitur vulgata versio, Nimirum κακὸν κακῶν ἐστὶ ἔλεγχος. Sed dissentit textus Græcus: testibus Veteribus Catholicis: testibus nouis Papistis. Sed hunc negat Gretserus illi præferendum apud Papistas. Viderit quā confidenter loquatur. Nam nos contra scimus præferri, à Caietano, Erasmo, Gagnæo, Guillando, Salmerone, Iustiniano. Item Sixto Senensi Biblioth lib. 2. in Paulo. Pamelio in 5. Tertulliani contra Marcionem annotat. 259. Baronio anni sexagesimi 13. Denique Bellarmino Recognitionibus in libros suos de Verbo Dei.

VIII. At τὴν ἐκ Λαοδικείας, eam designat quam Laodicenses missuri essent. Mirabar, si sic abiret: Et impudentiæ tantum, non etiam subtilitatis rarum specimen ederet. Benefactū: hac tandē mundi senecta intelligimus quod tot iē seculis ne suspicari potuerūt vel Græci, vel Latini, quantūcunq; Græce callētes, vt ἡ ἐκ Λαοδικείας, nūc a sit, quā autor dederit ex eo loco, sed aliūde eo missā, Laodicenses cōmunicauerint aliis. Ignoscat subtilissimus Gretserus: Nos malumus cū Theodoreto, & Chrysostomo, & Theophylacto, eam, quā autor Laodiceæ existens scripserit: οὕτως ἐχωρίσθησαν ἐνθάδε: & cum his ignobilibus autoribus Græce imperiti esse, quam cum famosissimis Iesuitis nouæ eruditionis gloriam affectare.

XIV. Sed nullam rationem vident acutissimi homines; quare legi oportuerit apud Colossenses, si non esset à Paulo scripta. Vicit ergo Theophylactus, qui scriptam putauit diuinissima illa Pauli manu. Quid habes Gretsere, quod mutias? Et tamen vt prius, primo quid tum si non videas: si nemo videat? Deinde cur tu non vides, quod alij viderunt? an quia αὐτὸς ἐπιμύει Sixtus Senensis, *Diuinus Apostolus non dixit eam, quæ est ad Laodicenses: sed eam, quæ est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem, eos vel accusasse, quæ fiebant Colossis, vel eodem morbo etiam laborasse: & ideo dixit, hanc quoq; Epistolam eis esse legendam.* Mirum tam hoc loco talpas esse, qui in Græcanica phrasi vel Lynceum superarunt.

XV. Superest Epistola illa ad Corinthios, quam desiderarunt etiam Anselmus, Caietanusque: & autor Commentariorum, qui Ambrosio adscribuntur, & Aquinas. Quinetiam noster Beza. Adeo vt non mirer Bellarminum pro certo habuisse, cui multo tenuiora fundamenta sæpe instar sunt montium. Verum alij contra sentiunt: & quidem diserte, dum explicant ea ipsa verba, *Scripsi vobis in Epistola.* Theodoretus, *Non in alia, sed in hac.* Chrysostomus ipsum locum indicat, vbi id ipsum de fornicariis scriptum sit, in iis Epistolis quas habemus, vt frustra sit, qui tertiam quærat. *Quoniam enim dixerat, Non potius luctum habuistis, vt tolleretur iste? Et, Expurgate vetus fermentum: Eratque verisimile illos suspicari omnes scortatores esse fugiendos.* Et hanc sententiam sequuti sunt Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Autor etiam commentariorum qui Hieronymo adscribuntur: *Hoc ipsum*, inquit, *in hac Epistola ita scripsit.* Denique quod hic certum Bellarminus habet, recentiores Sixtus Senensis, Gagnæus, Salmero, relinquūt in medio.

XVI. Sed phrasis, quam hic vsurpat Paulus, eadem est cum illa ad Colossenses. Cum lecta fuerit apud vos ἡ ἐπιστολὴ, Latina editio, *Epistola hæc*, quod retinuit Iustinianus in paraphrasi. Et olim Syr⁹ אגרתא הדא. Quid ergo erit aut duri, aut inusitati, si nunc ἐν τῇ ἐπιστολῇ vertas *in hac Epistola.*

XVII. Non videtur tamen hæc sententia verisimilis Iustiniano; quia quæ præcesserint, non possint nisi coacte intelligi de iis qui sunt extra Ecclesiam Contentus tamen verbo dicere: nam argumenta nulla habuit,

quasi

quasi tam nihil viderint Veteres, vt ne refutari quidem mereantur. Sed Iesuitas plerumq; transuersos agit sui confidentia. Qui modestiores, vident Paulum præcepisse, vt separaretur ab Ecclesia fornicarius ille. Nemo sanus non vidit pendere mandatum ab vniuersali quopiam axiomate. Id geminum: vel absolutum: Christianis nihil esto commune cum vllis fornicariis: Imo altius, cum vllis peccatoribus. Vel circumscriptum, Christianis nihil esto commune cum fornicariis, cum peccatorib. Christianis. Hanc homonymiam tam facilem, tam procliuem, oportuit distinctam, Itaq; non neglexit Apostolus.

XVIII. Itaq; nihil erat in illorum librorum nominib. quo quisquam merito suspicaretur fuisse imminutum Canonem, quæ prior nobis pars erat proposita. Nunc progredior ad alteram, responsurus ad argumentum. Concedo Scripturæ perfectionem non esse constituendam in singulis eius libellis. Quia certum, singulas partes non omnia continere, quæ necessario credenda sint: vt in Epistola ad Romanos, etsi diligenter disputetur de iustificatione, deque prædestinatione: tamen de Eucharistia nihil, nihil de Resurrectione: nihil de Antichristo: nihil de aliis quibusdam capitibus, quæ alibi explicantur. Denique ridiculus sit, si quis in Epistola ad Philemonem aut duabus postremis Ioannis, omnia quærat Christianorum mysteria: aut in libello Ruth historiam creationis, diluuij, Sodomæ, & alias.

XIX. Perfectionem ergo constituamus sane in Canonis corpore. Sed in toto corpore: ambiguũ est, quasi omnes partes, quæ aut sunt aut fuerunt, esseve potuerant, eius Canonis absolute sint necessariæ ad hoc, vt sufficiens habeatur Ecclesiæ doctrina. Quod visum Bellarmino commodum; quasi inter extrema axiomata, vnum, omnes libros esse necessarios, alterum, singulos esse necessarios, nihil esset medium. Quod est falsum. Nam & si nullus fortasse dari liber queat, qui omnia contineat: tamen possunt esse plures simul, etsi non omnes. Exempli gratia: Nullum est in Epistola ad Philemonem dogma, quod non habeamus aliunde, & quidem vlterius: similiter in secunda, & tertia Ioannis.

XX. Catholici igitur, quum perfectionem nominant Scripturæ, considerant totum corpus doctrinæ Christianæ: atque hoc contineri contendunt in iis libris qui sunt Canonici. Sed vicissim considerant, primo in iisdem libris contineri multa historica, quæ non sunt proprie dogmata, etsi certissime vera: secundo ex iis locis qui continent dogmata: multos esse repetitos: nam eandem rem plures tractant. Et Aug. non veretur affirmare, in iis, quæ aperte posita sunt, inueniri omnia quæ continent fidem & mores. Non negans eadem inueniri in obscuris: sed asserens saltem in iis partib. quæ perspicuæ sunt inueniri. Ergo sciunt Catholici Scripturæ corpus latius patere, quam dogmatum corpus.

XXI. Iam igitur patet infirmitas argumenti, quod erat in dilemmatis formam connexum: Si Scriptura est perfecta: tum aut singuli libri cõtinent totam doctrinam: aut omnes sunt necessarij ad efficiendam sufficientem doctrinam. At hoc negatur: quia datur tertium membrum, quod sophistice Bellarmin. tacuit: videlicet: aut in toto corpore continetur tota doctrina. Atque hoc membrum verum est: reliqua duo falsa. Hinc fit: vt quamuis verum esset, quosdam libros olim Canonicos esse amissos tamen non minus certum sit: hunc, qui supereſt, Canonem esse perfectum: Nam ex iis ipsis libris qui supersunt, etiamsi nonnulli amitterentur, tamen certum est non perituram illam quam dicimus perfectionem.

CAP VI.

An oportuerit diserte Apostolis mandari vt scriberent.

I. SI Christo & Apostolis fuisset propositum Verbum Dei coarctandi & restringendi ad Scripturam, in primis rem tanti momenti Christus aperte præcepisset, & Apostoli alicubi testarentur, se ex mandato Domini scribere: præterea vel Catechisinum, aut similem librum confecissent. Denique vel singuli Apostoli edidissent scriptam doctrinam Euangelicam; vel certe omnes simul congregati, antequam discederent in suas prouincias, aliquem librum edidissent. At hæc consequentia nusquam legimus: Ergo falsum est antecedens. Argumentum est Bellarmini. Charronæus, pro sua insigni audacia, addit, Deum nunquam cogitasse de fide Euangelica docenda, & Christianis faciendis, per Scripturam, nedum per Solam Scripturam.

II. Respondeo, illud, *Verbum Dei arctari & restringi ad Scripturam*, dupliciter intelligi posse: vel ac si dictum esset, nullo alio modo Verbum Dei prædicandum, nisi per Scripturam. Hoc sensu abs it vt Catholici vtantur: qui sciunt Apostolos nihil feciſse contra officium: fuisse autem in eo diligentissimos, vt viua voce Euangelium prædicarent, etiam tum cum nihil adhuc scripsissent. Sciunt etiam, hoc esse perpetuum munus Pastorũ, quos Ecclesiæ Christus dedit, vt suam quique plebem eodem modo doceant instantes opportune & importune. Non pugnant igitur Catholici, quominus Bellar. eos strenue refutet, qui sic sentiunt, si qui tamen sic sentiunt: & sciunt nunquam effecturum vt his refutatis, refutetur Scripturæ perfectio.

III. Quod si Bellarmin. intelligat his verbis, non aliud Verbum Dei prædicandum, siue viua voce tradendum fuisse ab Apostolis, quam id ipsum quod scriptis erant mandaturi: tum hæc verba, huncq; verborum sensum Catholici facile amplectentur, & admittent: & verum esse nos iam confirmauimus, toto præced. libro.

IV. Negamus ergo primo consequentiam. Neque enim vllo argumento confici potest, vt necesse sit diserte à Christo mandatum fuisse Apostolis vt scriberent omnia. Ratio est, quia sufficiebat mandatum generale, vt docerent, & prædicarent, vel etiam, vt traderent: nam illa omnia fiunt duobus modis vel viua voce vel scripto. Tertullianus de Præscriptionib. cap. 27. *Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, ex his præscribam non aliunde probari debere nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tum viua, quod aiunt, voce, tum per Epistolas postea.* Ergo prædicatur vtroque modo. Paulus poster. ad Timoth. 3. Tota Scriptura vtilis est ad docendum πρὸς διδασκαλίαν, ergo docet non tantum vox, sed etiam Scriptura. Et poster. ad Thessalonicenses nominantur ὡραδόσεις Traditiones siue per sermonem, siue per Epistolam: ergo traditum fuisse vtroque modo. Proinde, cum iubebantur Apostoli docere, prædicare, tradere, admonebantur sibi esse omnem vsurpandam docendi, prædicandi, tradendi rationem: nempe apud præsentes viuam vocem: absentes autem, Scripturam: quod & factum.

V. Nec magis necesse fuit catechismum aliquem componi, aut librum, siue à singulis suum siue ab omnibus vnum, qui totam doctrinam contineret. Docuit enim certissima experiẽtia, satis fuisse, vt à pluribus plures libri scriberentur, variis verbis, varia methodo, vario stylo: vt magis omniũ esset consensus admirandus: qui variis locis, variis temporibus, varias ob causas ad varios scribentes; tam exacte tamen secum consentiunt, vt qui hactenus dissensionis argumenta quæsierunt, se ipsos potius non tam ridendos, quam exsecrandos propinarint. Ita hæc librorum diuersitas, & multum prodest confirmandæ veritati, tot testib. quamuis non ex composito, consentientibus: & nihil nocet, eidem inuestigandæ.

VI. Sed præter consequentiam, negatur etiam assumptio. Quia, etsi nullus inuenitur aut Catechismus, aut liber communis; tamen scripsisse Apostolos ex inspiratione diuina, certo certius est. Nam Paulus πᾶσαν γραφὴν, totam siue vniuersam Scripturam θεόπνευστον appellat, posteriotis ad Timotheum tertio: & post eum, Athanasius initio Synopsis: *πᾶσα γραφὴ ἡμῶν καινῶν διαθήκων θεόπνευστός ἐστι. Vniuersa nostra Christianorum Scriptura est à Spiritu Sancto inspirata.* Et Theophylactus initio comment. in Matthæum Δέδωκεν, inquit, ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς τὰς γραφάς. *Dedit humani generis amore diuinus Deus scripturas*: Et διδάσκων γραφὴν τὰ εὐαγγέλια: *visum est illi vt scriberentur Euangelia.* Irenæus etiam libr. 3. cap. 1. Apostolos dixit per Dei voluntatem in scripturis nobis Euangelium tradidisse. Et disertius, Augustinus libro de Ciuitate Dei 11. c. 3. Christum dicit Scripturam condidisse: primoque de consensu Euangel. c. 36. *Quicquid ille*, inquit, *de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illa* (Apostolis) *tanquam suis manibus imperauit.* Et negabit adhuc Bellarminus: imo negabunt mihi Papistæ absque vllo Dei iussu Apostolos scripsisse? Quasi vero inspiratio, non sit genus mandati: & quidem potentissimi.

VII. Nec mihi quisquam obijciat, Apostolos, non nisi necessitate quadam coactos ad scribendum animum appulisse. Nam si ita intelligunt, vt coacti & refragante propria conscientia scripserint: omnino falsum dicunt. Captatas quidem occasiones fateor: sed libenter, animoque prompto. Vt Petrus testabatur primo posterioris se non negligecturum suos illos semper commonefacere: & effecturum, vt post mortem suam, possent suorum præceptorum mentionem facere: quæ verba de tractatib. & libris intelligit Thomas de Vio. Quo exemplo saltem falsum apparet, quod Bellarm. asseruit: ad prædicandum quidem viua voce: non exspectasse Apostolos oblatam occasionem vel necessitatem: at ad scribendum, non nisi necessitate quadam coactos, veniſse.

VIII. Fateor tamen eam scribendi occasionem ab Eusebio histor. lib. 3, c. codicis græci 24. appellari ἐπαναγκέστερον, quid necessariũ. Sed eo proculdubio sensu, quo apud Iudã legimus, ἀναγκαῖόν ἔσχον γράψαι ὑμῖν: *necesse erat mihi ad vos scribere.* Quare necessitas intelligitur non ipsius Iudæ, quasi nolẽtis: sed ipsorum potius ad quos scribebat, quib. id erat non tantum vtile, sed etiam necessarium. Et fuit non minor in viua voce. Quid enim? annon ipse Bellarm. contendit necessarias esse traditiones.

IX. Charronæi vero quam scelesta est audacia? Itane? Deum nunquam cogitasse fidem docere per Scripturas? nunquam cogitasse Christianos facere per Scripturas? Sit ergo mentitus Paulus, qui Scripturas dixit primo inspiratas à Deo: secundo vtiles: hoc est in eum vsum datas, vtiles, inquam, ad doctrinam: vtiles ad institutionem, quæ est iniustitia. Mentitus sit Ioannes, quia Euangelium se scripsisse protestatur, vt credamus Iesum esse Christum filium Dei: & credentes vitam habeamus per nomen eius. Sed hæc blasphemia, supplicio fuit coercenda, non argumentis refutanda.

CAP. VII.

De variis ætatibus Ecclesiæ, quibus Traditio fuit in vsu.

I. BEllarminus cap. 4. libr. 4 de Verbo Dei pollicitus se demonstraturum Scripturas sine traditionib. non fuisse simpliciter necessarias nec sufficientes: Argumentum profert à variis ætatibus Ecclesiæ: quod alij etiam plurimi faciunt in hac quæstione de Traditionib. contra Scripturæ perfectionem, vt Peresius assertione 2. part. 2. de Traditionib. Andradius etiam accommodatissimam hanc esse profitetur argumentationem. Deniq; vix vllum videas de Traditionibus agentem, qui non hic magno fastu immoretur.

II. Incipiunt ab Adam, à quo vsque ad Mosen fuisse aliquam Ecclesiam non dubitant: nullam tamen Scripturam: itaque annis bis mille conseruatam concludunt religionem sola traditione. Secundum gradum faciunt in de à Mose: à quo initium quidem cepit Scriptura: sed eam obseruant primo fuisse tantum Iudæorum; & tamen in gentibus multos ad Ecclesiam pertinuisse: vt Iobum & amicos eius notauit Augustinus libr. 2. de peccati origine & 1. de Prædestinatione Sanctorum, & 18. de Ciuitate Dei. Secundo ipsos Iudæos, & si Scripturæ exstarent, tamen magis vsos fuisse obseruant traditione quam Scriptura: ex 23. Exodi, Deuteronom. 32. Iobi 8. Iudicum 6. Psalmo 44. & 48. Ecclesiastici 8.

III. Tertius illis gradus est ab aduentu Christi, cũ per anos multos Ecclesia fuit sine Scripturis. Nam primus, qui aliquid scripserit, Matthæus fuit, quem Irenæus testatur edidisse Euangelium, cum Petrus & Paulus in vrbe Romana euangelizarent: adeo vt compertũ sit (inquit Peresius) plusquam viginti anos Ecclesiã sine scripto Euangelio fuisse. Et tamen ne tum quidẽ omnib. diuulgatũ, sed solis Hebræis. Marcum a. serius scripsisse; multo etiã magis Lucã, postremum omnium Ioanem. Præterea Bellarm. obseruat adhuc Irenæi tempore, fuisse gentes aliquas Christianas: quæ solis traditionibus, sine Scriptura optime viuerent, apud Irenæum lib 3. c. 4. Et est, inquit Andradius accõmodatissima argumẽtatio. Per viginti anos aut eo amplius

noui Testamenti doctrina, sine scripto propagata, & conseruata est, vt quãta sit Spiritus cœlestis vis Euangelio comprehensa orbis experiretur. Ergo cum animum ad scribendum Apostoli adiunxerunt, minime opus fuit charactis omnia commendari, cum tanta illa Spiritus Sancti virtus Ecclesiam deserere nunquam possit.

IV. Respondeo, hæc maiori fastu declamari, quam virib. disputari. Dicam prius nonnulla de ipsis gradib. tum de vi argumenti. In primo gradu, quo comprehenditur tempus ab Adamo ad Mosen, & si nonnulli nonnullas fuisse scripturas disputent, vt Enochi, tamen ego quidem prolixe concedo nullas fuisse. Fuisse tamen sola traditione conseruatam religionem, id vero falso Bellarm. sumit. Nos à contra probauimus lib. præced. c. 15. videlicet, quia Deus vtebatur subinde extraordinaria inspiratione, vt collapsã veritatem restitueret: cum autem ea noluisset amplius vti, aut saltem rarius tum instituta est Scriptura.

V. In tertio gradu proculdubio falsum Bellarm. asseruit. Nam contra, verum est Ecclesiam Christianam nunquam fuisse absque Scriptura Canonica: sed tantum aliquot aũis fine libris noui Testamenti. Habuit n. libros Veteris quib. valde vtebatur ad sua dogmata probanda, confirmandaq; eadẽ, inquam, quæ nos hodie credimus. Nam & Dominus præiuerat, qui suos sermones subinde Mosis & Prophetarũ testimoniis illustrabat: & sanctissimum hoc exemplum Apostoli secuti, Iudæis demonstrabant Iesum esse Christum, eorundẽ testimoniorum autoritate, quib. suas conciones referciebant. Ipsi a. fideles, tum Christi, tum Apostolorum vestigiis insistentes, Scripturæ veteri firmiter adhærebant, teste Petro primo posterioris: Sed & Beroenses quotidie scrutabantur eas, anquirentes, an quæ Paulus docebat, ita se haberent. Sed loquitur Bellarm. de libris noui Testamenti, inquit Gretserus. Ita sane inquam: at quæstio est de Scriptura sacra in genere. Viderit Bellarm. quid opponat: ego potius videro quid quæratur. Nam Bellarm. vtpote Iesuita, magis sollicitus est, vt aliquid dicat, quam vt ad quæstionem dicat.

VI. De serie aũorum, quibus scripti sunt libri noui Testamenti, satis est curiosum, animose contendere. Tamen video apud veteres non esse vnam eandemq; sententiã. Theophylactus in initiũ Matt æi. Ματθαῖος πρῶτος πάντων ἔγραψε τὸ εὐαγγέλιον Ἑβραΐδι φωνῇ πρὸς τοὺς ἐξ Ἑβραίων πιστεύσαντας μετὰ τὴν τῶν Χριστοῦ ἀνάληψιν. *Matthæus omnium primus scripsit Euangelium Hebraica lingua ad eos ex Hebræis qui crediderant post octo à Christi assumptione annos.* Vt in Chronicis Eusebij ad annum quadragesimum primum, legimus obseruatũ. *Matthæus in Iudæa Euangelium primus scribit.* At Niceph. lib. 2. c. 45. *Matthæus Euangeliũ suum quintodecimo post Christi ascensionem anno scripsit.* Deniq; Irenæus lib. 3. c 1. & citatur ab Eusebio hist. libr. 5. c. 8. Matthæum scripsisse asserit tum cum Petrus & Paulus Romæ Euangelizabant Ex his sententiis Baronius illam potius amplectitur, quæ est Eusebij, ratione tamen nulla reddita: sed tantum refutato Irenæo, & Nicephoro. Peresius a. magis Irenæum probat. Ipsi viderint: mea certe nihil interest. Vnum certum, si Matthæus scripsit, cum Paulus & Petrus Euangelizarent Romæ, tum non esse eam primam Scripturã noui Testamenti. Quia Paulus antequam iret Romam, scripserat ad Romanos, ad Corinthios, ad Thessalonicens. ad Titum, etiam ad Timotheum primam.

VII. Iam ad argumentum & prius de necessitate: quam Bellarm. non à quæstione habuit: sed de industria quæsiuit: aliud est n. quærere, sit-ne Scriptura necessaria siue simpliciter siue κατά τι: aliud, sit ne perfecta: & quidẽ põt esse perfecta: quanuis nõ esset necessaria. Cæterum pugnat cum laruis: neque n. quenquam aut ego vidi, aut ille potuit nominare, qui Scripturas simpliciter dixerit esse necessarias. Nos certe dicimus; κατά τι nempe quatenus Deo visum est in iis sese plene & authentice nobis manifestare: siue in eas redigere totam eam doctrinã, quam prius siue ipse, sua inspiratione, siue per quosdã Prophetas sine Scripturis proponebat. Quomodo Theophylactus dixit; postquam hæreses futuræ essent, placuisse Deo scribi Euangelia, vt ex iis veritatẽ discamus: neq; decipiamur ab hæretib. neque omnino mores nostri corrumpantur: Cum prius siue Apostolos, siue ante Mosen Patriarchas, item Deus doceret suis ipse alloquiis & φωνῇ τέμα.

VIII. Et quia sic arguit Bellarm. Si ante Scripturas tum veteris tum noui Testamenti, traditio fuit in vsu, ergo Scriptura non est necessaria. Respondeo negati consequentiam: distinguenda n. esse & tempora & personas. Id melius agnoscas, si sic concipiatur argumentum: Non erant necessariæ Scripturæ ante legem, ergo ne quidem post legem. Non erant necessariæ Apostolis: Ergo ne nobis quidem. Negatur consequentia. Ratio est, quia aliter Israelitas doceri voluit post legem Deus, aliter ante legem. Certe ante Abrahamum circuncisio neq; simpliciter erat necessaria, neq; κατὰ τι: at post quã Abrahamo fuit mandata, tum transiit in necessitatem, non illam quidẽ absolutam, sed saltem ex mandato. Rursus aliter Christus Euangelium voluit Apostolis reuelari, aliter nobis prædicari.

IX. Iam quod attinet ad alteram argumenti partem, quæ vsum sumit fuisse Traditionum magnum, etiam postquã Scripturæ fuerunt traditæ: respondeo non esse verum, ex eo tẽpore fuisse maiorẽ vsum traditionis: Nam ipsa traditio, vt paulo post ostẽdemus, Scripturis vtebatur, hoc est, docebat ea quæ in Scripturis continebantur, imo quæ è Scripturis didicerat. Quare non ii tantum qui ipsam Scripturam immediate legebant, sed etiam ij qui voce docebantur, vtebantur Scripturis, saltẽ mediate: omnes igitur, & semper vtebantur Scripturis. At ij, qui Scripturas legebant, vtebantur quidem traditione etiam ipsi, sed non semper, hoc est tum saltem: cum legebant: quare maior siue frequentior erat vsus Scripturarum.

X. Quod si argumentum Bellarminus molliat, & non iam maiorem vsum Traditionis fuisse contendat, sed magnũ duntaxat: tum nihil cõcludet: Nam & nos hodie in prædicando vtimur traditione, hoc est, viua voce, & quidem multum: nã ea est quotidiana plebis instructio: tamẽ Scripturas tuemur esse necessarias; quia hæc ipsa, siue prædicationẽ appelles, siue traditionem, tota niti debet Scripturis, tanquam proprio fundamento, eoque certissimo.

XI. Sed quia Andradius & alii hoc argumento concludunt Scripturarum imperfectionem: repeto Traditionis distinctionem: vt significet vel ipsa dogmata tradita, vel eorum tradendorum rationem. Et si quidem hanc rationem intelligunt: tum nego inde confici Scripturarum esse imperfectam. Nam etsi Ecclesia semper vtatur viua voce ad ea dogmata tradenda quæ sunt credenda: tamen viua vox non alia proponit dogmata, quã quæ sunt scripta. Exempli gratia, facile vident omnes, Scripturam non propterea non perfecte furtum prohibere, aut adulterium, aut homicidium: quia in hæc ipsa crimina quotidie pastores detonant. Cur non idem dicemus de reliquis dogmatibus?

XII. Iam si dogmata intelligant, ita vt alia sunt scripta à Mose, alia tradita ante Mosem: siue ex toto siue ex parte: tum hoc ipsum negamus: asserimusq; nunquam in Ecclesia fuisse dogmata fidei vlla necessaria, præter ea quæ sunt scripta in Veteri & Nouo Testamento. Et contrarium tantum abest, vt probent aduersarij: vt nos potius iis ipsis argumentis quæ collegit Bellarm. meliora non quæramus. Quid n. quod ad primam ætatem attinet, quæ est ab Adamo ad Mosen, nonne Moses nobis eius Ecclesiæ faciem depinxit in Genesi. At inde constat, credidisse tum temporis fideles mundum esse conditum à Deo, hominem seductum esse à serpente, & propter peccatum, à Deo maledictum, audisse tamen augustam illam promissionem de conterendo capite serpentis, in spem salutis: credidisse sibi fidẽ imputari in iustitiam: credidisse Deum colendum, cum interno animi affectu, tum externis ritib. vt precib. & sacrificiis: credidisse non occidendum, non adulterium faciendum: & cætera. At hæc omnia nonne sunt scripta? Quid tum n. si non erant? Nam cum perfectionem dicimus Scripturarum, sæpe testati sumus, hanc esse mentem nostram: iis Scripturis, quas nos hodie habemus, omnia contineri dogmata tum credendorum, tum faciendorum.

XIII. In secundo gradu de iis qui non erant Iudæi, & tamen pertinebant ad Ecclesiam, dico ea ipsa dogmata esse scripta, quæ i li crediderunt, vt essent fideles. Nec difficile est negotium. Nam primo, si contradicat aliquis, proferat, si potest, exempli gratia, aliquem articulum, quem illos credidisse constet, non scriptum: aut si non possit, ne sit molestus: & suis vanisq; coniecturis ac diuinationib. fundatissimam Ecclesiæ autoritatem pessundare desistat. Nam quid ille se profecturum speret, si, nobis asserentib. ille neget sua tantum autoritate fretus? Secundo proferam ipsius Iobi exemplum: qui quidnam crediderit, satis apparet ex eius libro, quem vtrique numeramus in canone: in quo etiam ipso, quodnam mihi dogma eligent, quod non cõstet ex aliis Canonicis libris.

XIV. Ad hæc testem admittimus, imo vero iudicem facile constituimus Augustinum, à quo se hanc instantiam Bellarminus videri vult didicisse. Nam is libro de Prædestinatione Sanctorum c. 9. *Nonnulli commemorantur* (inquit) *in sanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec aduentitia societate in populo Israel, qui tamen huius sacramenti participes fuerint.* Et paulo post. *Ita salus religionis huius per quam solam vera, salus vera veraciterq; promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit: & cui defuit, dignus non fuit, & ab exordio propagationis humanæ vsq; in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudiciũ prædicatur.* Quid est hoc sacramentum? quid est hæc religio? Aut quis non videt his verbis Augustinum significare, vnius eiusdemque doctrinæ fideique communionẽ? Sed hoc manifestius libro de Ciuitate Dei 18. c. 48. vbi de Iob loquitur. *Diuinitus prouisum fuisse non dubito, vt ex hoc vno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus est vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui venturus in carne, sic antiquis sanctis pranunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, vt vna eademq; fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.* Quid nunc supereſt? Nam no biscum vnam fidem illi habuisse dicuntur: fuerit illa sane circunstantiis quibusdam distincta: sed nunquam tamen vna dici poterit, si etiam substantia diuersa fuit. At nostræ fidei substantia scripta est; ergo & illorũ, & id pater exemplo, Nam vt eam substantiam Aug. exprimeret, Christum nominauit mediatorem: hoccine a. aliquis dicet non constare è Scripturis? Concludo igitur, eorum virorum qui extra populi Iudaici societatem positi, crediderunt, fidem, non alia dogmata comprehendisse, quam quæ nos nunc scripta recolimus in libris sanctis: quanuis hi libri sancti vel non exstarent eorum tempore: vel illis fortasse non fuerint communicati. Non enim differunt essentialiter scripta à non scriptis.

XV. De Iudæis autem multo facilius negotium. Nam hos vsos traditione, hoc est, viua voce, non est quod Bellarm. probare contendat: quis enim negat? Sed hac viua voce quid fuerint edocti hoc vero considerandum. Nã si dogmata quædam, quæ nusquam reperias in libris sacris, habent Papistæ quod quærunt: Sed hoc si non probem falsum ex ipsis locis à Bellarmino citatis, nihil est quod deprecer. Exodi 13. *Narrabisq; filio tuo in die illo loquens, hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto.* Præcipiebat igitur hoc loco Deus omnibus Israelitis, vt cum venissent in terrã promissam, filiis suis narrarent, id est, viua voce traderẽt: eequidnam vero? Nempe, ea quæ Deus fecisset tum quum eos educeret è captiuitate Ægyptiaca. At hæc sunt scripta à Mose, & quidem diligentissime: imo propter ea scripta, vt viua voce tradi possent in perpetuum. Nihil igitur hic locus ad non scripta dogmata.

XVI. Capite 32. Deuteronomij. *Memento dierum antiquorum: cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi: quando diuidebat Altissimus gentes, quãdo separabat filios Adam constituit terminos populoriũ iuxta terminos filiorũ Israel: pars a. Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* Sensus est, vt ingratitudinis incipiat Israelẽ pudere, recolenda illi esse Dei beneficia eum populũ eligentis, dum alios omitteret. At hoc beneficiũ scriptũ est à Mose. Vnde etiam, opinor, Procopius ita ausus ad hunc locum notare, *Quod si vero iuuenes ignorantiã horũ pratexitis, tibi quoq; pater sum, ac ceu princeps, Prophetia te dignatus sum, qui mediator sum vestri, & Dei: qui cognitum quomodo hoc vniuersum constitutũ sit, habeo.* Putauit ergo Procopius, Mosen seipsum populo proposuisse interrogandum. Quod si est: quis dubitet Mosen ea respondisse, quæ scripserat? At glossa ordinaria Patres interpretatur Doctorem legis, & prædicatorem Euangelij. Atqui tum Lex scripta est, tum Euangelium.

XVII. Locum ex 6. capite Iudicum Bellarminus truncauit. *Vbi sunt mirabilia quæ narrauerunt nobis Patres nostri?* Hic abrumpit oationis filum Iesuita: sed autor pergit: *atq; dixerũt, De Ægypto eduxit nos Dominus.* Vnde cõstat illa mirabilia, à Patrib. viua voce narrata, non esse alia, quã quæ facta sun

in ex

in exitu ab Ægypto: non ergo, inquam non scripta. Sic Psalmo 44. testatur Propheta, annunciatum fuisse à Patribus: non somnia nescio quæ: sed *opus quod operatus est in diebus eorum: manus tua gentes disperdidit & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.* Hæc vero quis negat scripta? Psalmus 78. adhuc disertior est, iuxta Hebraicam veritatem: quam sic ad verbum Arias expressit: *Et suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, quæ præcepit patrib. nostris ad notificandum ea filiis suis.* Hieron. reddiderat in hunc modum, *Statuit contestationem in Iacob, & legem posuit in Israel, quæ mandauit patrib nostris, vt docerent filios suos.* Significat Propheta mandatum fuisse à Deo patrib. vt testimonium illud legemq; illam filiis suis insinuarent. Ignorant-ne Iesuitæ, hæc esse scripta?

XVIII. Iobi 8. disputat Baldad Suhites, Deum non supplantare iudicium, aut subuertere quod iustum est: atque hoc probat autoritate veterum. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam: & ipsi docebunt te: & eloquentur tibi: & de corde suo proferent eloquia.* Quis dubitat autem, hoc ipsum caput prolixe doceri in Scripturis? Et iursus ea, quæ docentur Scripturis, quis neget varie confirmari posse? Dei etiam iudicia variis experimentis comprobari omnes sciunt. At hæc experimenta, etsi non sint scripta, tamen non sunt noua fidei dogmata, sed tantum dogmatum fidei confirmationes. De Ecclesiastico Apocrypho facile negotium: nam & præcepta sunt moralia ciuiliaque, non religiosa, vt ex toto capite apparet: & sermo est, de ratione docendi, non de rebus quæ docentur.

XIX. Restant Christiani, Docuit Christus, docuerunt Apostoli viua voce: sed nihil aliud quam Euangelium, quod postea scriptum est. Testis Irenæus libr. 3. c. 1. *Non per alios dispositionē salutis nostræ cognouimus, quam per eos per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, postea vero per Dei voluntatē in Scripturis nobis tradiderunt.* In quæ verba Feuardentius Monachus, ita commentatur, *Docet Apostolos sanctissimi Euangelij primos buccinatores, non nisi Spiritus Sancti virtutibus ac donis instructos, illud constanter prædicasse, deinde ad futuram posterorum memoriam illud ipsum scriptis mandasse.* Quod si Apostoli illud ipsum, quod ore docuerunt, illud ipsum, inquam, Euangelium, scriptis postea mandarunt, quis non videt, nisi sit talpa cæcior, ex eorum viua voce nihil conludi pro traditionib. non scriptis, contra Scripturæ perfectionem? Nam si illud ipsum scripserunt, ergo ea traditio est scripta.

XX. Ex eo ipso illustratur id quod ab eodem Irenæo profertur de Barbaris quibusdam, qui sine vllis Scripturis fidem tenuerunt: eandem enim fidem intelligit, quam reliquæ tenebant totius orbis Ecclesiæ: atque adeo præcipua enumerat eius capita. *In vnum*, inquit: *Deum credentes fabricatorē cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt per Christum Iesum Dei filium: qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloria, venturus Saluator eorum, qui saluantur, & iudex eorum qui iudicantur, & mittens in ignem æternum transfigiuratores veritatis, & contemptores Patris sui, & aduentus eius.* Hæc illi, inquam Barbari credebant: At hæc omnia sunt scripta: & a nobis creditur è Scripturis sanctis hausta. Quare credebant illi quidem instructi per catechesin sine scripto, quod ad tradendi rationem pertinet, secundū quam apud Catholicos, etiam decennes pueri, atque eo etiam minores eadem se profitentur credere: sed credebant tamen ea quæ & nunc sunt, & tunc etiam erant scripta. Nihil igitur eorum exemplum confert non scriptis Papistarū traditionib. Imo ostendit, eos pueriliter abuti Traditionis homonymia quę à cordatioribus ridetur: apud eos a. potest plurimum, qui iam sua levitate fluctuantes, mendacium prætulerunt veritati.

CAP. VIII.

An Scriptura non contineat fidei dogmata Veteris Testamenti.

I. SI Scriptura quædam non continet fidei dogmata, ergo non est perfecta: At prius verum, ergo & posterius. Hic Achilles est Papistarum, magno fastu ostentatus ab omnibus & singulis qui versantur in hac controuersia. Maior negari non potest, minorem probant inductione exemplorū, quorum quædam pertinent ad Vetus Testamentum, reliqua ad Nouum: vt vtriusque imperfectionem euincant. De illis priore loco agendum.

II. In Veteri igitur Bellarminus hos defectus obseruabat. Primum, sine dubio non minus fœminæ quam viri remedium aliquod habebant, quo à peccato originali purgarentur: & tamen pro masculis instituta erat circuncisio secundum multorū opinionem, quid autem esset pro fœminis nusquā habet Scriptura. Deinde non est vllo modo credibile, non fuisse remedium vllum pro masculis morientib. ante octauum diem, quo solo poterant circumcidi, & tamen nihil extat de hac re in Scriptura. Tertio gentiles multi saluari poterant, & saluabantur, & vere ad Ecclesiam Dei pertinebant, & tamen nihil prorsus de eorum iustificatione a peccato originali, aliisq; peccatis in Scriptura habetur. Hæc Bellarm.

III. Iacob. Dauius Episcopus Ebroicensis, nunc etiā Cardinalis, colligit multo plura: & tum cum à Mose acciperent legē, Iudæos contendit credidisse Immortalitatem animæ, Resurrectionem corporum, Iudicium nouissimū, Paradisum, Inferna. Creationem Angelorum, eorūq; distinctos ordines, diabolos esse, & creatos: & alia quæ tamen non continebantur in libris Mosis, aut saltem illis contineri, nō habebant exploratū. His addit ordinem Exorcistarum: miraculum Piscinæ, vnius hominis liberationem tēpore Paschæ: sanguinem testamenti aqua fuisse temperatum: librum fœderis sanguine aspersum: vrnam mannæ, & Virgam Aaronis in arca fuisse: Angeli cum diabolo contentionem pro corpore Mosis: Enochi Prophetiam de vltimo iudicio.

IV. Respondeo, primum, etsi hæc omnia vera essent, tamen inde non euinci Scripturarum Canonicarū imperfectionem. Ratio est, quia verus testamentū pars est duntaxat totius Scripturæ. Nos a. & semper profitemur, & argumento præcedenti protestari sumus, nos Scripturarum perfectionem quærere in toto corpore. Tum hanc sane controuersiam quis nescit nobis esse proprie aduersus Papistas, suas nobis traditiones, id est, sua sōnia subinde obtrudentes. Itaq; ex æquo & bono debuerunt se continere intra statum Ecclesiæ Christianæ: nam si non probant in Scripturis aliquid deesse eorum, quæ à Christianis credi debent, quid promouent? Laterem lauāt. Et sane dicat nobis Dauius, si potest, an sint necne illa fidei capita de Immortalitate animæ, de Resurrectione, de Iudicio nouissimo, de Paradiso, de Inferno, de Angelorum creatione, de diabolis, in corpore Canonis Christiano. Nam si sunt, quid est importunus.

V. Et tamen hoc ipsum de imperfectione Veteris Testamenti falsum est. Nam quod ad tria Bellarmini capita attinet, distinguo remedium contra peccata: nam id vel κυρίως intelligitur, pro ea efficacia, quæ peccata delet: vel pro eius efficaciæ signo aliquo corporali: si posteriori modo Bellarmin. remedium intelligat, tum nego ex institutione diuina vllum fuisse pro fœminis, infantib. ante octauum diem, aut non Iudæis fidelib. institutum: aut vllum omnino vsurpatum. Nec sequitur tamen, quod Papistæ valde metuere videntur, vt sunt misericordes, non fuisse igitur illis remissa peccata. Quia efficacia illa, quod est proprium remedium, non est alligata signis visibilib. quominus libere agat in quosuis, etiam signis carentes. Quemadmodum hodie cum in vsu est baptismus, lauacrum regenerationis: non vere tamen illi sentiunt, qui neminem asserunt seruari, nisi aqua baptisatum. Itaq; Vasques in 3. Thomæ, q. 61. art. 1. comendit sola parentum fide fuisse tum temporis seruatos infantes non vllo instituto remedio.

VI. Iam si priori notione remedium sumitur, dico hoc constare è Scripturis tum pro infantib. tum pro fœminis, tum pro gentilib. Nullum est enim aliud præter gratuitam ex misericordia Dei remissionem: hæc a. communis est omnibus, qui seruantur, absq; vlla exceptione: non minus in veteri Testamento, quam in Nouo. Continetur a. his locis, *Ero Deus tuus, & seminis tui*, pro Iudæis omnib. cuiuslibet ætatis aut sexus, pro gentib. autem, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

VII. Quanquam, quod ad Iudæos quidem attinet, Circuncisionis, id est, signi externi efficaciam, communem fuisse tum marib. tum fœminis, tum viris tum infantibus, ipsa eius institutio facile docet, erat enim signum fœderis: fœdus autem ad omnes pertinebat, qui erant de semine Abrahæ, dūmodo ei non renunciarent. Institutionis hæc verba sunt, *Et statuam* (inquit Deus Gen. 17. *pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te, in generationib. suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Et paulo post. *Hoc est pactum meum quod seruabitis inter me & vos, & semen tuum post te, circuncidetur ex vobis omne masculinum.* Iam quod dictum est, *Hoc est pactum meum*, constat idem esse, ac si esset dictum, hoc est signum pacti mei. Quare circuncisio facta in ipso corpore Abrahami, significabat Deum esse Deum non illius tantum, sed & seminis eius. At in eo semine erant fœminæ, erant pueri etiam ante octauum diem. Itaq; etsi non esset facta in corpore fœminarum, aut infantium illorum, tamen ea significabat vtroq; esse in fœdere, cum contra institutionem neutri quicquam peccauissent.

VIII. Gretserus instat dupliciter. Primo, perinde esse ac si quis diceret, hodie fœminas non esse baptizandas: quia virorum baptisma efficacitate sua pertingat ad eas. Vt enim baptismus est particulare beneficium eius, qui eum suscipit: neque hos fines excedit, ita & circuncisionem personale beneficium fuisse eius personæ quæ circuncidebatur: neque vim eius vltra hos terminos sese extulisse. Secundo: etsi id verum esset, tamen non ex Scriptura, sed ex Traditione constare.

IX. Ast ego prioris instantiæ ineptam doceo, quia longe alia ratio sit circuncisionis & baptismi hac parte. Non n. hunc peculiarem esse marib. vt illam. Neque dictum, gratiam consecuturos Christianos, si mares baptizētur? sed ἀορίστως, si baptizentur. Quum tamen circuncisionis institutio diserte cauerit Deum futurum Abrahami Deum, totiusq; seminis, si mares circūcidantur. Itaq; quod postea subiicitur, de personali beneficio falsū est de circuncisione: nisi tantum in marib. Enimuero si dictum esset: Ego sum Deus tuus & seminis tui, si tu circuncidaris: necessario intelligendum foret, in solius Abrahami corpore factam circuncisionem, proferre efficaciam suam ad vniuersum semen. Cur non ergo similiter dicimus proferri eiusdē efficaciam ad vniuersum semen, etsi applicetur solis maribus? At de baptismo nihil simile.

X. Altera instantia nihil habet sanius. Non constat inquit, ex Scriptura: At hoc falsum, Quia diserta sunt fœderis verba: quæ non agunt de solis marib. Hoc est, nō sunt ita concepta: ego Deus tuus, & seminis tui masculini: Sed generalius: & seminis tui: qua voce nemo tam est insanus, vt neget fœminas contineri.

XI. At hoc Gautierus Iesuita asserebat esse contra Scripturam. Nam cur, inquam? Quia (aiebat) Gen. 17. diserta sit declaratio circuncisionem esse pro marib. eamque esse in carne propria suscipiendam, vt mundaretur quis a peccato. Imo, inquam, Iesuitico more, & Sophista est, & mendax Gautierus, Sophista, cum circuncisionem dicit esse pro marib. Nam quis neget, si intelligas, quoad signi vsum, siue applicationem? Sed nunc de efficacia contentio est; quam neque hoc loco, neque vsquam alibi Scriptura marib. esse dicit peculiarem; ego iam probaui ad fœminas extendi. Mendacium autē est purum putum, fuisse in carne propria suscipiendam circuncisionem, vt quis mundaretur a peccato. Hoc, inquam, non est à Scriptura, sed ab eadem audacia, qua sibi solent Papistarum plerique, sed Iesuitæ maxime, quidlibet fingere: tantum, vt importune sint molesti modestis aduersariis.

XII. Citabat hæc verba, *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Et, quid, inquiebat, hoc aliud est, quam priuari efficacia Circuncisionis? Præterea, si semen Abrahæ etiam fœminas complecteretur, non magis necessaria foret masculis circuncisio, quam fœminis. Tertio, quis audiit vnquam propriā alicuius Sacramenti efficaciam latius patere, quam eiusdem vsum? An vtilè est baptisma non vtentibus? Et quorsum instituuntur Sacramenta, nisi vt iis vtamur?

XIII. Respondeo ad primum, illis verbis non significari efficaciam Circōcisionis; sed pœnam eorum à quib. neglecta fuisset: non omnium, inquam, eorum qui eam in carne sua non haberent. Nam tū etiam fœminæ delectæ fuissent è populo Israelitico, quod falsum est, nunquamq; factum. Quorū igitur? Marium. Itaque verum est, omnes mares obligatos fuisse ad suscipiēdam in propria carne circuncisionem, post septimum à natiuitate diem,

sed non est verum, neq; inde conficitur non latius produci Circuncisionis efficaciam, quam ad mares.

XIV. Ad secundum, fateor sua vi non magis necessariam maribus fuisse circuncisionem, quam in fœminis, quia absque ea vtrique potuerant censeri in fœdere, poterant iustificati. Sed non causa intercessit nimirum institutio: quæ diserte mandabat, vt id signum eius fœderis; quod commune erat tum maribus, tum fœminis, imprimeretur carni, non æque vtrorumq; sed tantum marium. Quæ autem vim habent, non à natura sua, sed ab institutione, ea non in se ipsis consideranda sunt, sed in institutione. Sic quia filum coccineum appensum ad fenestram datum fuit Rahab meretrici in signum salutis: factum est, vt salute potiti sint omnes qui erant intra eam domum, etsi non singuli filum illud gestarent: nullam aliam ob causam, nisi quia ita conuenerat.

XV. Ad tertium. Efficacia ipsa etiam pars est vsus Sacramentorum: itaq; non potest sane illa latius patere. Sed loquitur Gautierus Papistarũ more: qui vix Sacramentum agnoscunt, extra signorum applicationem. Hoc igitur sensu asserimus, nihil prohibere, quominus efficacia Sacramenti latius pateat, quam signi applicatio: si id institutio habeat, vt dixi. Sic filum rubrũ neq; ipsa Rahab gestauit, ne; quisquam alius. Sed appositum est domui. Item sanguine illo agni, nemo Israelitarum aspersus, sed postes. Et tamen efficacia eius fili, eiusque sanguinis pertinuit ad inclusos intra eas domos. Vnde id? nempe ab institutione. Nam si Deus mandauisset vel filum gestari à singulis, vel sanguine singulos aspergi, tum frustra vel filum appensum esset fenestræ, vel sanguis postibus asperius. Nemo igitur miretur in Baptismo & Eucharistia aliam esse rationem: cum in iis instituendis non excepcrit Christus aliquas personas. Nec nos sane negamus Sacramenta institui, vt iis homines vtantur: sed vsum illum omnem coerceri dicimus debere ex eorum institutione.

XVI. Iam venio ad reliqua Dauij exempla. Eorum quædam dogmata sunt, quædam non sunt. Hæc faciliora: quis n. in hoc ordine negat suum esse traditioni locum? Habuerint sane aliunde quam è Scripturis Apostoli aquæ & sanguinis mixtionem: aspersionem libri fœderis, Mannam & Virgã in arca conditam: Angeli contentionem cum diabolo: Enochum etiã prophetasse. Quid hoc ad nos? Quasi non nos etiam quotidie multa assumamus multa probemus ex traditione Christianorum. Quasi vero Augustinũ fuisse Episcopum sciamus è Scripturis: aut Antonium primum Monachum: aut Constantinum Imperatorem & quidem Christianorum: & sexcenta eiusmodi. Quasi non etiam nos ex traditione infinita sumamus argumenta, ad confirmanda ipsa fidei dogmata. Quid igitur habebat in mente Dauius cum nos putabat eo confutatum iri, quod Apostoli traditionem citabant, siue vt historiam, siue vt argumentum? Hoc potius doceat, collegisse è mera Ecclesiæ traditione aliqua fidei dogmata. De piscina, & Exorcistis, superfluum est quicquam monere. Nos omnia miracula non dicimus debere esse scripta: imo tum Tertulliano, tum aliis fidem habemus asserentibus ad cuiuslibet Christiani iussum diabolos excessisse è corporibus humanis.

XVII. De homine liberando ridicula est ἀκριβεία. Quid enim? An quia nonnulla inualuerant apud Iudæos præter Scripturam, ideo necesse est, vt in rebus religiosis Scriptura sit imperfecta? Monstrum iudicij. Ego vero & hoc & alia plurima credo apud Iudæos inuecta fuisse, quæ in Scriptura nusquam sunt quærenda. Quid mirum? Cum ne Christi quidem Ecclesia id potuerit vitare? Nec video cur hoc exemplum Dauius citarit potius: quam illud ex Actis de appellatione ad Cæsarem: quam in vsu fuisse patet, inde, quod Paulus ea sit vsus. Sed (ait) ea hominis liberatio figura fuit redimendi generis humani. Imo vnde hoc? At Lyranus censet id fuisse Romanorum institutum violentium subiugatis Iudæis nonnihil gratificari. Titus Bostrorum Episcopus, paulo aliter: censet enim ex patriæ ritu id Iudæis fuisse legitimum. Sed vtcunque se res habeat, siue eam Romani instituerint, siue Iudæi iam pridem induxerant, tamen hoc, quicquid est, ad religionem nõ pertinet, sed ad magistratum. Nec dubitarim pronunciare inductum esse contra Legis diuinæ autoritatem. *Oculus tuus* (inquit Deuter. 13.) *non parcat homicidæ.*

XVIII. Reliqua magis ad rem pertinebant, de Immortalitate, de Resurrectione, de Iudicio, de Paradiso, de infernis, de Angelis, de diabolis. At hæc Dauius: ipse non audet absolute pronunciare, non esse in Lege: sed vel non fuisse, vel certe non manifesta fuisse Iudæis in Lege contineri. Hic vero, quid si nos prius negemus, posterius confiteamur? Nihil enim prohibet quominus quædam sint obscura, quæ tamen contineantur in libris sacris: Et cum obscura dico significo, non manifesta esse. Quare Dauius non legis imperfectionem accusat, sed Iudæorum potius tarditatem. Quemadmodum, Si Trinitatem Sabelliani, τὸ ὁμοούσιον Ariani non videbant: non erat propterea culpanda Scriptura, quæ vtrumq; docebat. Et tamen in immortalitate Animæ contradicit Dauio Pererius in Geneseos 2. c. v. 7. qu. secunda. *Non est dubitandum ex his paucis verbis, quibus Moses creationem animæ rationalis indicauit, demonstrari & probari posse animam hominis esse immortalem: quod etiam multifariam & hoc libro, & aliis suis libris Moses significauit.*

XIX. Secundo: Quid tum, si non erant hæc capita in quinque libris Legis? An propterea sunt ἄγραφα? Sane, si aliis scriptis non comprehensa. At qui hoc falsum. Nam Hieron. in Matthæi 22. *Ad comprobandam resurrectionis veritatem multo aliis manifestioribus exemplis vti potuit.* Salmeto Tom. 8. tract. 6. *Dominus ad statuendam resurrectionem, cum plurimos & apertos locos Prophetarum posset producere, vt Esaiæ, Ezechielis, Danielis, Iobi, Oseæ & Ioelis, consulto omisit.* Mitto alios testes. Non est ergo hac saltem parte imperfecta Scriptura. Atqui cognata sunt dogmata, Immortalitas animæ, Resurrectio, Iudicium, Paradisus, Infernus: vt qui vnum donat, reliqua non possit negare.

XX. Imo, inquit Dauius, ea omnia scripta sunt posteriora. Quid tum, inquam? Sunt enim nihilominus Canonica: æque cum priorib. Nos autem non negamus vllum fuisse vnquam tempus, quum Traditio viguerit: & scimus Scripturas varie fuisse à Deo dispensatas. Certe Christi prolixa illa Concio ad Capernaitas traditio fuit non scripta, donec Ioannes eam aliquot postea descripsisset: quod postquam factum, desiit esse non scripta. Dur non similiter dicamus: de Veteri Testamento: consentiamu'que ἄγραφα fuisse historiam Creationis & Diluuij, & Abrahami, & alias? Aut qui potest Dauius magis contendere illis capitibus imperfectam esse Scripturam, etsi scripta post Mosen reperiantur, quam istis, quæ à primo Moise scripta sunt?

XXI. Tertio, ea contineri dicuntur in Scriptura, non tantum quæ totidem syllabis in ea leguntur, sed etiam quæ necessario è diserte scriptis consequuntur. At hæc capita, etsi non priori modo, certe posteriori dicimus in Scripturis contineri. Sic Christus non esse mortuos docuit Patriarchas, id est, eorum animas esse immortales, ex eo, quod Deus dicatur, Deus Abrahami Isaaci, & Iacobi: quo argumento Sadducæis obturauit os: Matthæi 22. Eodem artificio, ex quinque libris Legis multæ possunt aliæ deduci probationes, quibus singula illa Dauij capita demonstrentur: Et tamen qui Dauium norunt, facilius credunt assentiri Melchiori Cano, qui libro duodecimo locorum communium, negat immortalitatem animæ vllo modo ad fidem attinere.

XXII. Sed instat Dauius, has consequentias, perspicuas esse debere, & infallibiles: atque adeo cuilibet vel imperitissimo Israelitæ obuias. Ridicule: imo importune: cuiusmodi pleraque sunt huius viri: qui cum à veritate constrictus tenetur, tum confidit in audacia sua. At hoc vnde nobis ille profert axioma? Nos certe infallibilem consequentiam esse debere consentimus: quanquam malueramus necessariam dicere: sed perspicuam, & adeo perspicuam, vt cuilibet etiam stupidissimo sit obuia: id vero nouum genus est Dauianæ Theologiæ: imo nouum commentum Papisticæ importunitatis. Quid enim? Nonne omnia allegorica continentur in Scripturis? Et tamen aut nullæ aut certe paucæ sunt eiusmodi allegoriæ, vt ab omnib. intelligi queant: cum in iis etiam peritissimi non raro sudent. Quemadmodum ergo necessario vereque dicimus aduentum Antichristi (vt hunc pro exemplo sumam) contineri in Scripturis: etsi certum sit satis esse descriptũ obscure: sic constanter pronunciamus, quæcunque necessario sequuntur è scriptis, esse scripta dogmata, etiamsi necessitas consequentiæ non sit omnibus, etiam rudissimis, euidentissima. Atque ita respondimus ad eam argumenti partem, quæ erat de Veteri Testamento.

CAP IX.

De falsis dogmatibus, & de appendicibus fidei.

I. SEquitur multo prolixius animosiusque negotium de Noui Testamenti defectibus. Nam hic, mirum quantopere omnes desudent in congerendis articulis Doctrinæ Christianæ, quos negent in Scripturis inueniri. Nunquam tam fuerunt olim Marcionitæ diligentes in conquirendis iis, quas appellabant antilogias vtriusque Testamenti, vt Vetus probarent esse ab alio Deo: Adeo proficiunt hæretici in deterius.

II. Canus nominat perpetuam beatæ Mariæ virginitatem: descensum Christi ad inferos Baptismum paruulorum: conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi: processionem Spiritus Sancti ex Filio: trium personarum in vna substantia æqualitatem: earundemque per relatiuas proprietates distinctionem. Bellarmin. addit, Scripturarum Canonem, Pascha celebrandum die Dominico, & Purgatorium. Petrus à Soto, teste Hosio, πόμοσιον, Chrisma, atq; vnctiones. Stapletonus, infantes baptisatos in numero credentium haberi: mixtum Eucharistiæ calicem ex Cypriano, Sabbathi in Dominicam diem mutationem: aduentũ Enoch & Eliæ ante extremum Iudicium, Sacramentorum doctrinam, & nomen ipsum: item peccatum originale: Patrem ingenitum, Spiritũ verum Deum, Christum habere duas naturas operationes ac voluntates. Charronæus, non iterandum Baptisma, Symbolum fidei sic factum, & factũ ab Apostolis: in Christo pluralitatem naturarum, & vnitatem personæ, eiusq; diuinæ. Gautierus adorationem Spiritus Sancti. Tannerus in Colloquio Ratisbonensi, Antichristum venisse, Costerus multorum Sacramentorum formas: teste Dionysio Areopagita. Sic fiunt omnino triginta capita: quæ in Scripturis constare negant: alij fortasse alia cumulo superaddent. nam, vt in Augiæ stabulo omnes aggerunt, nemo purgat.

III. Sed horum ego triplicem ordinem constituo. Primum falsorum: & huc refero conuersionem illam panis & vini, id est, Transsubstãtiationem, & Purgatorium & aduentũ Enoch atq; Eliæ: quib. miror alia non esse addita plurima, vt ex Damasceno adorationem imaginum: ex Driedone, venerationem Sanctorũ: suffragia viuorũ pro defunctis, Missæ Sacrificium, Sacerdotum cœlibatũ, aliaq; magno numero, quæ inter nos sunt & Papistas controuersa: imo vero quæcunq; aliquando hæretici inuehere conati sunt. Manichæi duo principia, ἀντιξόσιον Pelagij ὁμοιόσιον Arij, Nestorij separationem, Eutychetis confusionem: & infinita huiusmodi portenta. Enimuero non est, quod multis argumentis Papistæ contendant ista non contineri in Scripturis: nam nos vltro profitemur: vt qui sciamus Scripturas nullos articulos fidei tradere falsos: Sunt n. immutabiliter veræ. Imo suppeditant certas indubitatasq; autoritates, quib. hos omnes erroneos articulos abunde confutemus. Quo magis apparet perfectio, quæ non solum ad veritatem docendam, sed & ad mendaciũ conuincendum sufficiat. Sũto ergo Papistæ quantum volent pertinaces: iactentque suas Traditiones. Nos his armis potentissime tantam pertinaciam securi oppugnabimus, & σὺν Θεῷ expugnabimus.

IV. Secundus est ordo eorum capitum, quæ salutarem doctrinam non continent, sed eius sunt appendices. In his alias sæpe diximus non paruam esse autoritatem Ecclesiæ, dum caueat à superstitione, & impietate. Superstitionem appello in hoc genere, vt ne rerum naturas immutet: hoc est, ex indifferentib. necessarias constituat: vt quia illa præcipit, ideo tanta religione seruari debeant, quanta quæ Dei constat mandato. Impietatem censeo, cum ea non tantum tanquam necessaria præcipiuntur, quæ non sunt, sed etiam cum vsus eorum impingit in aliquod dogma, scriptum. His seruatis cautionib. reliqua facile expediuntur.

V. Huc refero primo Virginitatem Mariæ matris Dei, distincte tamen. Nam illa triplici sensu nominatur. Vel, vt significet Virginem concepisse absque vlla viri copula: modo vere extraordinario, & supernaturali. Qui articulus refertur inter eos qui pertinent ad fidem: vere enim actum est de

tota

tota Christiana religione, si Christus inducitur conceptus ex virili semine. Sed hunc probari è Scripturis, ne ipsi quidem Iesuitæ negant. Vel, in partu non violata esse quæ vocant claustra Virginitatis, neque seruatum communem pariendi morem. At hoc neque inter articulos est fidei, neque certum, quia & Patres nonnulli contra loquuntur: & Scripturæ propendent in alteram partem. Sed huic capiti suus debetur proprius tractatus.

VI. Tertio perpetua Virginitas Mariæ significat, eam post Christum natum à viro perseuerasse intactam. At hic nullus est articulus fidei: propterea; nō expressus in Scripturis. Basilius Homilia de Natiuitate Domini: οὐκ ἐγίνωσκε γὰρ αὐτήν, φησίν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν πρωτότοκον. Τοῦτο δὲ ἤδη ὑπόνοιαν παρέχει, ὅτι κατὰ τὸ καθαρῶς ὑπηρετήσασθαι τῇ γεννήσει τοῦ Κυρίου τῇ ἐπιτελεσθείσῃ διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου τὰ νενομισμένα τοῦ γάμου ἔργα μὴ ἀπαρνησαμένης τῆς Μαρίας. Ἡμεῖς δὲ εἰ καὶ μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ, μέχρι γὰρ τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαία ἡ παρθενία, τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν: ὅμως διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοὴν ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ Θεοτόκος, ἱκανὰς ἡγούμεθα τὰς μαρτυρίας αὐταρκεῖς. *Non cognouit eam, inquit, donec peperit filium suum primogenitum. Hoc iam suspicionem iniicit, Mariam postquam pure inseruisset generationi Domini, quam perfecit Spiritus Sanctus, legitima coniugij opera non esse auersatam. At nos, etsi nihil illud officit pietati (nam donec inseruiendum erat dispensationi Dominicæ necessaria erat virginitas: deinceps vero quid actum sit non putamus, quod quidem attinet ad mysterij rationem: curiosius inuestigandū) nihilominus, quia fideliū aures ferre nonpossunt, quando Dei genitricem desisse esse virginem, credimus illa testimonia sufficere.*

VII. Hæc Basilius, cui cur non subscribamus causam nullam videmus. Sed obseruamus varie eludi ab aduersariis. Toletus annot. in primū Lucæ, sic recitat, quasi dixisset Basilius, ad mysterij dispensationem magis referre quod Virgo præfuerit (id est ante fuerit, quam concepisset) quam quod permanserit post partum: quæ manifesta est impostura. Nam neque mysterij dispensationem dixit: neq; magis referre; sed dixit, μηδὲν τῷ εὐσεβείας λόγῳ παραλυμαίνεσθαι, nihil officere nationi, siue vt habet versio communis, doctrinæ pietatis: & addit τὸ δ' ἐφεξῆς, id est, quid acciderit post hanc Messiæ natiuitatem: ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου, non esse curiose, siue anxie inquirēdum, quod quidem attineat ad huius mysterij rationem: siue ad mysterij huius doctrinam. Præ quibus verbis verba Toleti nihil sunt præter nugas Iesuiticas importunas.

VIII. Charronæus ait, tantum à Basilio significari non esse curiose contendendum de ea Virginitate, sicut ne de reliquis quidem articulis fidei: sed credendum ex pura obedientia, non ex vi rationum aut testimoniorum Scripturæ.

IX. Sed verba disertiora sunt, quam vt tam ineptum glossema patiantur. Primum enim violari negat pietatem, si quis dicat post Christum natum Mariam dedisse operam liberis: secundo necessariam fuisse virginitatem, quousque inseruitum esset natiuitati Christi. Tertio, quid post eam natiuitatem acciderit, id esse ἀπολυπραγμόνητον: nec tamen absolute, sed cum hac additione, τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου, vt ostendat nō nostri respectu se ita loqui sed ipsius mysterij habita ratione. Denique vt contra credatur, sufficere rationes prius expositas, vt omnino nullum habere locum queat illud de pura obedientia: quæ opponitur ab ipso Charronæo, vi rationum.

X. Quanquam τὸ ἀπολυπραγμόνητον non id significat cuius rationes non sint inquirendæ, hoc est τὸ διότι: sed id cuius etiam τὸ ὅτι perinde est: siue de quo sit-ne an non sit necessarium: Halicarnasseus lib. 5 scripsit Romanos ciuitatem communicasse τοῖς ξένοις μὴ διακρίνοντας αὐτῶν τὰς τύχας, μηδ' εἴ τινες ἐκ δούλων εἶεν οὔτε ἐλεύθεροι πολυπραγμονοῦντας: *neq; distinguentes eorum fortunas, neq; inquirentes essent-ne ex iis aliqui liberti.* Dion Cassius lib. 40. ὁ Πομπήιος καίπερ εἰς τὰ ἄλλα ἀκριβὴς ὤν, ὅμως οὐδὲν διὰ τῶν στρατιωτῶν χρείαν ἐπολυπραγμόνησεν, οὔτε ἀφ' ὧν, οὔτε ὅπως αὐτοὺς λαμβάνει. *Pōpeius homo in aliis omnibus reb. diligens, legiones animo libenti accepit, nihil neque à quibus neque qua ratione eæ offerrentur solicitus.* Et 42. καὶ οὐδὲν τῶν προγεγενημένων ἐπολυπραγμόνησε. *nullam de præteritis inquisitionem instituit.* Plutarchus Pyrrho Mulieres discessisse domum quamq; οὐδὲν ἔτι πολυπραγμονεῖν ἀξιοῦσας τῶν πολεμικῶν. *nihil sollicitas de bello.* Vin' amplius? Cyrillus ad Calosyrium cap. 2. cum dixisset creationem fide admittere: τὸ δὲ ὅπως ἢ πόθεν, inquit *quomodo vero, aut vnde cœlum ac terra,* prodierint in existentiam, reliquæve creaturæ πολυπραγμονεῖν οὐκ ἀζήμιον: *non est extra noxam, si quis inquirat curiosius.* τοῖς βαθυτέροις γὰρ οὐ δεῖ ἐπικαθιέναι τὸν νοῦν *Non enim oportet profundioribus mentem applicare.* ὅσα τοίνυν μὴ σαφῶς ἡ θεία λέγει γραφή, ταῦτα λανθάνειν χρὴ καὶ παραπέμπειν ἐν σιωπῇ: *Quæcumque igitur Sacra Scriptura aperte non dicit, latere oportet, & silentio præterire.* Viden' quid sit μὴ πολυπραγμονεῖν? Videlicet non rationes tantum non inquirere, problematis, cur sit, aut quomodo: sed etiam problema ipsum, susque deque habere, sit-ne verum, an falsum. Itaque Dionysius Halicarnasseus lib. 4. στέργειν ἐπὶ τοῖς παροῦσιν ᾤοντο δεῖν καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν: *acquiescere præsentibus: nihilq; mouendū decreuerunt:* manifesta oppositione indicans τὸ πολυπραγμονεῖν pertinere ad rem ipsam, non autem ad rationes rei.

XI. Hayus, cum audiit nostram confessionem, exclamauit, Iuliani, impiissimi Apostatæ vocem se audire. Et quid, inquit, insensissimo Christianæ religionis hosti detestabilius in mentem venire potuit, quam vt thalamus ille Christi Seruatoris nostri purissimus, alieno semine pollueretur? Nihilne incommodi fuisset, si perpetuæ Virginitatis votum, quod Deo nuncupauerat, violasset? Et nescio quod Mahometicum probrum obiicit, Esaiæque העלמה citat, & recutitos verpas nominat, vocem illam cuicunque adolescentulæ communicantes: & Caluinum obijcit, qui crediderit sponsalia tantum fuisse inter sanctissimam Virginem & Iosephum. Hæc Hayus: Iesuitico more magnis animis, sed clausis oculis pugnans Andabatarum more.

XII. Bona verba, Iesuita. Certe non erat idem Basilius, qui Iulianus: imo Iuliani σύγχρονος, Iulianum abominatus est. Quid igitur? aut nos peccamus, aut Serranus male meruit, si nulla contradicente Scriptura, sentimus cum Basilio? Enimuero Serranus non asserebat opera matrimonij Mariam exercuisse: sed hoc tantum, hanc quæstionem non pertinere ad articulos fidei. In quo primum Hayi peccatum est, quod id non viderit. Deinde non dicebat ante natum Christum: sed Christo nato: quare non potuit illi obiici aut Esaias, qui Virginem dixit parituram; aut Caluinus, qui sponsalia dixit, non nuptias: nam vtrumque Serranus firmissime credidit. Atque hoc secundum est Hayi peccatum. Ad hæc, quo iure thalamum Seruatoris pollutum obiicit? Nam neque thalamus dici potuit Seruatoris: quis enim audiuit vnquam thalamum dici filiorum, ac non potius maritorum? Phauorinus; θάλαμος ὁ τόπος τοῦ γάμου *Thalamus locus nuptiarum*, Etymologicum magnum, σημαίνει τὸν νέον οἶκον ἐν ᾧ εἰσέρχεται ἥ τε νύμφη καὶ ὁ νυμφίος. *Significat nouam domum in quam ingreditur sponsa & sponsus.* Neque matrimonio vllus thalamus polluitur. Est enim teste Paulo, cubile absque macula. Hoc tertium est Hayi peccatum. Denique Mariam vouisse aliquam perpetuam virginitatem, mera est fabula: & quartum Hayi peccatum.

XIII. Hæc de Mariæ perpetua Virginitate: quæ quia (vt dixi) non est articulus fidei, ideo libenter amplectimur, eam sententiam, quæ iam ab initio inter Christianos videtur inualuisse, vt virgo fuerit, hoc est, pura à coitu viri non tantum in toto Christi generationis mysterio, quod sane vt credamus necesse est, sed etiam toto deinceps vitæ tempore. Et contra docentes improbamus, siue Heluidium, siue Iouinianum, siue Antidicomarianitas. Nam in his quæ non sunt proprie de fide, magnam esse dicimus autoritatem Ecclesiæ, si non contradicat Scripturæ: aut alias nihil absurdū proferat.

XIV. Ad hunc indifferentium ordinem referuntur etiam ritus & Ceremoniæ: vt diei Dominicæ vsus, & Paschatis solennitas. Quanquam vsum illum diei Dominicæ habemus satis disertum in Scripturis. Nam primo, Sabbathi Iudaici abolitionem à Paulo habemus cap. 2. Epistolæ ad Colossens. *Ne quis vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu diei festi, aut nouilunij, aut Sabbathorum.* Et quarto ad Gala. *Dies obseruatis: & menses, & tempora & annos: metuo de vobis ne frustra fatigatus sim apud vos.* Diei autem Dominicæ primo nomen ipsum habemus Apocalyps. 1. *Fui Spiritu correptus die Dominico.* Deinde vsum Actor. 10. *Primo die hebdomadis coactis discipulis ad frangendum panem.* Et prior. ad Corin. 16. *Primo quoq; die hebdomadis, vnusquisq; vestrum apud se reponat, recondens quod pro Dei benignitate licuerit.* Et tamen, si non haberemus hos locos credimus hunc vsum potuisse institui siue ab Apostolis, siue ab Ecclesia: quemadmodum, vt eo die cessemus ab omni opere, etsi non credimus institutum aut à Christo aut ab Apostolis, tamen non illibenter obseruamus, quia iam olim scimus placuisse Ecclesiæ: nec vlterius inquirimus.

XVI. At hæc Gautiero non satisfaciebant: nam & pertinere ad doctrinam, non tantum ad ritus, quia vel Iudæus, vel hæreticus censendus sit, qui non ita obseruaret. Et non sufficere, quod ex Scripturis constet abolitio Sabbathi: restare enim ostendendum, quare substituta sit dies Dominica, potius quam alia quæuis. Dauius insuper eludit locos citatos ex Apocalypsi ex prior. ad Corinth. Nam in Apocalypsi. τὴν ἡμέραν κυριακήν, exponi posse pro iudicio: vt prior. ad Corin. 3. *Dies Domini reuelabit:* Et quarto, *aut ab humano die.* Et alioquin non posse nisi ex Traditione constare diem illum Dominicum hunc esse quem obseruamus, & non potius Sabbathum. In prima ad Corinthios nihil certi haberi: non enim iubentur Corinthij deferre ad Ecclesiam, vnde constaret eum diem solennem fuisse cœtibus cogendis: sed tantum vt apud se conderent.

XVII. At hoc vere nihil est aliud, quam πρὸς κέντρα λακτίζειν. Tanto isti odio feruntur in Scripturas, vt malint sibi oculos eruere, ne videant, quod velint nolint videre coguntur, quam sacri Canonis perfectionem admittere. Respondeo: qui diem Dominicam non seruet, si nihil aliud habeat contra fidem Christianam, eum non posse aut Iudæum, aut hæreticum videri: sed schismaticum. Et tamen, etiam si hæreticus appellaretur, non sequeretur peccare contra dogmata fidei: nam etiam antiqui hæreticos appellabant aliquos qui contra ritus tantum peccabant, vt postea videbimus cum de Paschate agemus. Rationes, quare mutatū sit Sabbathum in diem Dominicum, nego necesse ostendi è Scripturis, vt ipse vsus dicatur è Scripturis esse: aliud est n. dogma, aliud ratio dogmatis. Secundo in ritib. & Ceremoniis, plerunque tota ratio est in autoritate & voluntate instituentis: nā, quod Circuncisio significabat fœdus Dei cum Abrahamo, nulla alia ratio est, quam quod ita Deus voluerit. Quanquam ipsum nomen die Dominicæ rationem satis ostendit: nimirum, quia tum Christus resurrexit.

XVIII. Dauius sui similis est semper, id est, tum maxime ridiculus, cum magis serius videri vult. ἐγενόμην ἐν τῇ ἡμέρᾳ Κυριακῇ, raptus fuit ad visionem diei Domini, id est, iudicij diuini. Optime: valde profecit in Sophistica: λῆμμα μὲν πάρεστι τῷδέ γ' οὐκ ἄπλατον, ἀλλ' ἕτοιμον, qui non recuset videri, θρασεῖς, δόλιος, τολμηρός, βδελυρός, ψευδῶν συνθέτης, δ' ρεσιστής. Euge Daui, macte esto ista virtute: ἴσθι δ' ὡς κλέος οὐ φθινόμενον ἐν βροτοῖσιν ἕξεις. Nam profecto hodie nihil promoueas apud Papistas: nisi quidlibet ausis. Nec tu sane hunc sanguineum pileum tunc gestares, nisi te Romana mater se dignum iudicasset. Sed si tu Cardinalis esse voluisti, nos tamen decipi nolumus. Concedimus, τὴν ἡμέραν, aliquando iudicium significare; sed γίνεσθαι ἐν τῇ ἡμέρᾳ Κυριακῇ, non significat rapi ad contemplandum iudicium diuinum: nisi tu persuadeas aliquot exemplis. Alterum autem effugium, est puerilis λογομαχία: quasi cum nescio quis olim niuem contendebat esse nigram: quia volebat vocabulum id eum colorem significare, qui est in niue. Et quid est, quod non hoc pacto Traditioni non scriptæ vindicemus? Sane vero Scriptura sancta non occupatur in Grammaticis. Et si aliquis quærat, Quis docuit Presbyteros, aut Diaconos, aut Episcopos eos esse qui nominantur in Scripturis? Quis Eucharistiam? quis Baptisma? quis reliqua? Decimi sexti ad Corinthios testimonium non est solum: nam ex Actis scimus conuenisse fideles: itaque vtroque loco collato, facile apparet, diem fuisse solennem. Quanquam hæc non curiosius rimamur: & satis esse debent verisimilia argumenta, in re non necessaria; sicut Basilius concludebat de perpetua Mariæ virginitate: *ea testimonia sufficere existimamus, quia aures Christianæ ferre non possunt cōtrarium.* Sic nos nunc, quamuis non sint ἀποδεικτικοὶ loci, tamen nobis sufficiunt, quia eiusmodi consuetudo est Ecclesiæ.

XIX. Non dissimilis de Paschali solennitate quæstio. Placuit ab initio peculiari celebritate memoriam recolere Dominicæ resurrectionis. Non male. Ei rei dicatus in anno dies, quem Paschatis placuit appellare: si, ne quia resurrectio hæc accidit postridie eius diei, quem apud Iudæos ita ap-

appellabant, siue quia Pascha nostrum immolatus est, Christus. Placuit etiam non copulari Iudæis: itaque electus dies Dominicus proximus post decimam quartam Lunam. Hoc ipsum nos obseruamus: quia nec vllam habet adiunctam superstitionem, nec quicquam contra Scripturas: & iam olim placuit Ecclesiæ. Quanquam igitur de hac solennitate nihil Scriptura, aut præcipiat, aut indicet, tamen non putamus inde legitime concludi eius insufficientiam.

XX. At in Colloquio Ratisbonensi Iesuitæ asserebant esse articulum fidei: quod quis miretur? Nam illi tam late definierunt articulos fidei, vt in iis comprehendant Canem Tobiæ: quibus multum debet Christianus orbis, ita fidem locupletantibus, vt iam etiam stercora doceant ad eam pertinere: siue auium, quia in oculos Tobiæ hirundines de tecto sua deiecerint: hominum, quia siue Saul narratur purgasse ventrem, primi Samuelis 24. Sed nos haud ita insanimus, vt ad fidem, qua nos saluos fieri est necesse, etiam ista pertinere dicamus. Obseruationem Paschatis non esse articulum fidei, inde constat: quia secundo ad Coloss. Paulus negat Christianos iudicandos ex festis, in quib. est procul dubio Pascha: at ex articulis fidei iudicandos esse Christianos, credo omnibus constare. Et rursus, quia Polycarpus & Irenæus, Episcopis Romanis restiterunt, volentib. Orientales excommunicare, ob hanc rem: teste Eusebio histor. lib. 5. c. 24. Denique quia definitio Synodi Nicænæ, quæ continetur in literis Constantini Magni: decreto ibidem facto, nihil obtendit necessarium, sed tantum εὐπρέπειαν & εὐταξίαν.

XXI. Sed, inquiunt, qui pertinaciter contrarium defendit, ille est hæreticus: Ergo Pascha celebrandum esse die Dominica, est articulus fidei: & probat antecedens, ex Augustino, Tertulliano, Epiphanio. At ergo consequentiam nego. Nam apud Epiphanium, qui hos numerat, inter hæreticos, sic legimus, οὗτοι μὲν πάντα ἔχουσιν ὡς ἡ ἐκκλησία, σφάλλονται δὲ ἀπὸ πάντων, διά τι μὴ τῇ ἀκολουθίᾳ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ τῶν θεσμῶν προσανέχειν. Id est, interprete Cornario, *Et hi quidē omnia habent velut Ecclesia: aberrant a. ab omnib. eo quod non consequentiæ, & doctrinæ rituū attendant.* Quib. verbis quid lucidius? Nemo enim non videt Epiphanium distinguere τοὺς θεσμοὺς, id est, ritus ab articulis fidei: & Quartadecimanos errantes notare non in his, sed in illis. Disertius in Anacephalæosi, de Audianis. εἰσὶ δὲ κατὰ πάντα τὴν πίστιν ἔχοντες ὡς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία: *fidem per omnia habent vt Catholica Ecclesia.* Et tamen statim testatur agere Pascha cum Iudæis. Et in genere, quicunq; aliquid ἀδιάφορον, in alterutram partem definit tanquam necessariū, est hæreticus: etiamsi assertio in oppositam partem non sit de fide. Sic Eustathius damnatus, quia in vestib. salutem constitueret, quibus tamen nemo Catholicus dixit esse de fide vt abstineatur. Sic Catholici, quanquam damnent Papistas damnantes vsum carnium quinta & sexta feria, tamen cauent asserere articulum fidei iisdem dieb vti carnib.

XXII. Chrismatis vsum huc referrem, nisi nimia esset audacia inductum. Non enim credimus cuiquam ad Sacramenta à Christo instituta licere quicquam adijcere, quocunque prætextu. Baptismum Christus instituit ex aqua pura: ea debuit Christianis sufficere. Et quidem, si nihil quæreretur chrismate, præter ritum aut decentiam: tolerabilius esset additamentum: sed addunt mysteria, & significationem quandam spiritualis gratiæ: quam nemo aut polliceri potest, aut signo confirmare præter Deum. Porro Hosius etsi de hoc vsu valde contendat, tamen fatetur non esse de Baptismi substantia. Quare, si pure est indifferens, non potest concludere imperfectionē Scripturæ: si quid habet superstitiosius, tum non debet in Scriptura contineri: frustra ergo obiicitur.

XXIII. De calice Eucharistiæ mixto, non aliter sentiunt Catholici: esse videlicet indifferentes, & iudicandum ex vsu præsenti. In Baptismo solam aquam nominant Euangelistæ: inde omnes eam solam esse materiam Baptismi confitentur. Vinum similiter nemo dubitat propriam esse Eucharistiæ, (quoad alteram partem attinet) materiam, aquam autem ij ipsi, qui addunt, negant esse de necessitate. Quid hoc igitur ad rem pertinet? Sed Cyprianus habet calicem mixtum pro verbo Dei, inquit Stapletonus. Sane, inquam, sed mixtum vino, disputat enim contra aquarios, qui aqua pura conficiebant. Cyprianus docet ex institutione Christi vinum addendum, nec sine vino conficiendum: hoc nos scimus esse verbum Dei, & quidem scriptum.

Cap. X.

An Scriptura non contineat omnia dogmata Euangelica.

I. SUperest tertius ordo complectens reliqua omnia capita magno numero, quæ vere pertinent ad doctrinam Christianam, & sic creduntur à Catholicis. Digeram in ordinem, quæ tumultuaria enumeratione proposita sunt: vt aliqua sint de Canone: nonnulla de Trinitate: alia pertineant ad Incarnationem Christi: quædam ad hominem: reliqua ad Sacramenta. Hæc omnia constare dico è Scripturis: vel, αὐτολεξεὶ, vel ex necessaria consequentia. Prius tamen distinguo, agi vel de rebus, vel de verbis seu vocibus. Nam has quidem concedimus non semper contineri in Scripturis, puta Trinitatis syllabas, & τοῦ ὁμοουσίου, & innascibilitatis, & peccati originalis, & similium. Nec sane ita inquiruntur, nisi ab iis quibus magis cordi est sophistica λογομαχία quam Theologica συζήτησις. Certe verba nō efficiunt totidem articulos fidei: sed significant. Potest a. eadem res varie significari. Itaq; satisfacit Theologus suo officio, si retineat eam quam Paulus vocat ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, formam sanorum verborum. Sunto ergo sane verba, ipsa verborumque syllabæ ex Traditione, dum res sint è Scriptura.

II. In canone quæritur primum de libris Canonicis, tum de Symbolo Apostolorum. In libris, tria volunt esse necessaria: primum esse aliquam Scripturam vere sanctam, diuinam, & Canonicam: tum quænam illa sit: tertio, qui sint singuli libri ad eam pertinentes. Ex quibus nullum è Scriptura cōstare Bellarm. asserit. At ego contra, dico hæc tria esse dogmata scripta, id est constare è Scripturis.

III Et de primo quidem capite, miror Bellarminum, miror post eum Iesuitas in Colloquio Ratisbonensi, mouere quæstionem. Nam, possuntne tam multa de Scriptura legi in libris Sacris, vt tamen incertum relinquatur, an sit omnino aliqua Scriptura Sacra? *Oportet impleri Scripturas: Scrutamini Scripturas: Tota Scriptura est diuinitus inspirata:* & mille eiusmodi, possunt-ne esse dicta de iis Scripturis quæ nusquam essent? Certe, qui hominem disputat esse factum ad imaginem Dei: ille necessario dicit esse aliquē hominem: nam si nullus est homo: ergo falsum est, esse factum ad imaginē Dei. Propterea Alphonsus de Castro contra hæreses lib. 1. c. 2. post aliquot recitata testimonia è libris sacris, concludens, *ex quibus omnibus*, inquit, *manifeste colligitur Scripturas aliquas diuinas esse.* Ita ille è Scripturis colligi testatur, & quidem colligi, non obscure, non ambigue, sed manifeste: quod Bellarminus colligi negabat. Negabat tamen immemor sui. Qui capite secundo libri primi de Verbo Dei, Scripturas esse Verbum Dei, disputat è Scripturis. Et citatis quibusdam locis: *Cum Mose igitur*, inquit, *cum Prophetis, cum Apostolis, cum Christo ipso ac Deo Patre, & Spiritu Sancto, qui sacras literas, & oracula diuina contemnunt.* Et paulo post, easdem vt probet certissimas esse atque verissimas: *Quarto*, inquit, *testis est ipsa Scriptura.*

IV. Sed excipit: *etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum, & Apostolorū esse diuinos: tamen non certo id credam, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse diuinam.* Respondeo sophistice quæstionem permutari. Nunc enim non agimus quo ordine, aut qua autoritate credamus Scripturæ: imo ne quidem quo ordine, quave ratione credamus Scripturam aliquam esse: sed tantum vtrum id, quod aliquo ordine, aliquave ratione & autoritate credendum est, contineatur in Scripturis. Enimuero hæc sophistice abit in infinitum. Et quid si similiter de Traditione dicam? Nam nihil prohibeat, quominus concludam: etiamsi Traditio dicat, esse aliquas Traditiones non scriptas, tamen id ego non certo credam, nisi prius credidero, Traditionem, quæ hoc dicit, esse diuinam: vt concludam non constare ex Traditione, Traditionem esse? Atqui principia scientifica: vno eodemque actu, & se probant esse principia, & probant id de quo agunt. Porro de autoritate Scripturæ prolixe actum est lib. 6.

V. Adde, ad id vt aliquid scriptum sit, nihil interesse, vtrum tu ita credas, aut non credas. Nam quamuis Athei, non credant esse Deum, ne tum quidem cum Scripturas audiunt constantissime asserentes, tamen nihilominus verum est, cum articulum certissime doceri in Scripturis. Præterea: si non constat è Scripturis, ergo Scripturas esse, Traditio erit non scripta. At instantia, non negat, imo concedit Scripturam dicere, esse aliquas Scripturas sacras: videlicet libros Propheticos & Apostolicos. Agnoscant ergo sophistæ, argumentum suum implicare contradictionem. Nam in constituendo statu quæstionis, conuenit Traditionem non scriptam esse, quæ in Scripturæ libris non continetur. Et hoc argumentum concludit eam Traditionem, quæ in Scripturis continetur, esse tamen non scriptam.

VI. De reliquis duobus capitibus vna eademque opera respondeo, constare hos libros esse Canonicos, ex Scriptura, eo ipso quod eorum singuli sint in Scripturæ corpore. Ac proinde, etsi quidem hæc totidem verba, Euangelium secundum Matthæum est Canonicum, non legantur in Scriptura: tamen res ipsa, quæ per ea totidem verba significatur, est in Scriptura: ac propterea dici non potest dogma non scriptum. Quod si de singulis libris constat, quod erat tertium Bellarmini caput: tum profecto etiam cognitum esse oportet quænam sit Scriptura, quod erat secundum.

VII. Quomodo autem, inquit Bellarminus colligemus è Scriptura, Euangelia Marci & Lucæ esse vera Euangelia: Thomæ vero & Bartholomæi esse falsa? Et vnde colligam Epistolam ad Romanos esse vere Pauli: ad Laodicēses, quæ nunc circumfertur, non esse Pauli? Respondeo: primo quomodocunque, aut vndecunque id tandem colligas, tamen nihil colliges, quod non sit in Scriptura ac proinde hoc ipsam erit dogma scriptum. Nam & esse Deum varie disputatur, & multis rationibus colligitur, non tantum Theologicis, sed etiam naturalib. quæ non sunt in Scriptura: & tamen esse Deum dogma est scriptum: non enim rationes, quib aliquid concluditur, efficiunt vt id sit in Scriptura, aut non sit. Secundo: non esse opus multis rationib. vt probemus Euangelia Marci aut Lucæ esse in Canone, quia id ipsa docet experientia: quemadmodum non necesse est me syllogismos aceruare, vt probem in Euangelio Ioannis legi historiam multiplicatorum panum, aquæ in vinum mutatæ. Non est autem Euangelium Lucæ aut Marci minus pars Scripturæ Sanctæ, quam multiplicatio panum, & mutatio aquæ, partes sunt Euangelij Ioannis. Tertio, de Apocryphis alia est ratio: nam quia ad fidem non pertinent: ita de iis non necesse est nos quicquam legere in Scriptura.

VII. Erant igitur in Scripturis importuni. In Symbolo multo magis. Volunt ostendi ex Scripturis, sic factum, & factum ab Apostolis. Respondeo, per Symbolum intelligi vel ipsam verborum compositionem & texturam: vel doctrinam iis verbis significatam Si posterius, tum negamus vllum esse in toto Symbolo vel minimum articulum, qui non diserte constet, ac totidem, pene dixerim, verbis, in Scriptura sancta: adeo vt merito dici possit opus tessellatum, vtpote constans ex variis locis hinc inde excerptis, atque in vnum collatis, artificioseque compositis. Cyrillus Catechesi 5. Πίστιν ἐν μαθήσει καὶ ἐπαγγελίᾳ κτῆσαι καὶ τήρησον, μόνην τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας νυνί σοι παραδιδομένην τὴν ἐκ πάσης γραφῆς ὠχυρωμένην. *Fidem in disciplina & promissione posside, ac custodi: illam solam ab Ecclesia* (male vulgatus interpres, *illā à sola Ecclesia*) *tibi tunc traditam, & ex omni Scriptura munitam. Cum n. non omnes possint Scripturas legere: & alios quidem inscitia, alios vero occupatio quædam impediat à cognitione, ne ob inscitiam animam perdas* ἐν ὀλίγοις τοῖς στίχοις τὸ πᾶν δόγμα τῆς πίστεως περιλαμβανόμενον, ὅπερ ἐπ' αὐτῆς τῆς λέξεως μνημονεῦσαι ὑμᾶς βούλομαι: *in paucis versib. vniuersam fidei doctrinam comprehendimus: quam vos volo verbatim memoriæ mandare.* Paulo post, οὐ γὰρ ὡς ἔδοξεν ἀνθρώποις συνετέθη τὰ τῆς πίστεως, ἀλλ' ἐκ πάσης γραφῆς τὰ καιριώτατα συλλεχθέντα ἀναπληροῖ τὴν τῆς πίστεως διδασκαλίαν. *Non enim pro arbitrio hominum compositæ sunt res fidei: verum ex vniuersa Scriptura, quæ potissima, collecta vnam perficiunt fidei disciplinam.* Eucherius homil. prima de Symbolo. Ecclesiarum *Patres de populorum salute solliciti, ex diuersis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia diuinis grauida Sacramentis. Disponentes itaque ad animarum pastum salubre conuiuium, collegerunt verba breuia & certa, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis, & hoc symbolum nominauerunt. De Canonicis itaque lectionibus facta est in vnum pretiosa collatio,*

latio, angusta sermonibus, sed diuisa sensibus, & de vtroq; testamento totius corporis virtus in paucas est diffusa sententias. Thom. 2.2. q.1. art 9. *Veritas fidei in sacra Scriptura diffuse continetur, & variis modis, & quibusdam obscure, ita quo ad eliciendum fidei veritatem ex sacra Scriptura requiritur longum studiū & exercitium, ad quod non possunt peruenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerią; alijs negotiis occupati, studio vacare non possunt: Et ideo fuit necessarium, vt ex sententiis sacræ Scripturæ aliquid manifestum summarie colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum, quod quidem non est additum sacræ Scripturæ, sed potius ex sacra Scriptura sumptum.* Thomam sequutus est, imo ferme descripsit Durandus in 3. dist. 25. q. 2. Vide Bielem in eundem locum, & Almainum.

IX. Sed hæc confessio Papistis non sufficit: volunt enim ipsam verborum sic compactorum seriem ostendi in Scripturis: volunt ex ijsdem probari constitutam a duodecim Apostolis, singulis suam symbolam conferentibus, ante quam dissiparentur ad gentes docendas. Nam hoc factum contendunt, & docent autoritate Rufini, Venantij, Albini, Rabani, Epistolæque Clementis ad Iacobum. Addunt Irenæum lib. 1. cap. secundo: Hieronymum ad Pammachium, Augustinum sermone 115. & 181. de tempore. Leone sermone & Epistola decima tertia; Petrum Chrysologum, Vide Baronium tomo Annalium primo, ad annum quadragesimū quartum, Feuardentium annotationibus ad Irenæum libro 1. capite secundo Franciscum Iouerium in Velitatione de Apostolorum Synodis. Coccium libro sexto tomi primi Thesauri Catholici, articulo vigesimo nono.

X. At mirantur importunitatem Catholici. Quid enim attinet de vocibus contendere? Quasi non simus ob aliam caussam Christiani, nisi vt in numerato habeamus Apostolorum vocabula. Quod si ita apud se Papistæ constituerunt, ne ediscant, ne recitent Latine hoc ipsum Symbolum. Nā si illud Apostoli composuerunt, profecto non composuerūt Latinè. Catholici ergo non sunt solliciti, vtrum ab Apostolis αὐτολεξεὶ ita sit conceptum. Norunt enim in Ecclesia autoritatem esse fidem varijs verbis docendi, dummodo eandem. Sic factum Symbolum Nicænum, sic Ephesinum sic Chalcedonense, imo etiam Athanasij. Sic multi Catechismi, infinitæq; homiliæ, tractatus & libri.

XI. Porro negant in Scripturis comprehendi debere, quicquam aut falsum aut non omnino certum. Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non est falsum, certe, quod proximum falso esse nemo negat, incertum est. Primus omniū & antiquissimus autor est Rufinus in explanatione Symboli. Nam Clementis Epistolam, ad Iacobum fratrem Domini, supposititiam esse, lippis iam notum ac tonsoribus: etsi nonnulli audaciores pro ea pugnent, vt pro aris & focis. Sed Baronius graui notauit præiudicio, etsi, vt est vafro ingenio, noluerit tantam inuidiam subire. *Cuius* inquit, *fidei sint ac firmatis quinq; illæ, quæ eiusdem Clementis titulo notatæ habentur, in his non laboro.* Annalium tomo secundo ad annum centesimum secundum §. 6. Sed Rufinum sequuti sunt recentiores multo post Venantius, Albinus, Rabenus. Sermones de tempore Augustini non sunt omnes, ipso Baronio non contradicente, & facile fraudem olfaciente quolibet non imperitissimo. Reliqui, Irenæus, Hieronymus, Ambrosius in Epistolis (nam sermones non sunt illius, vt non tantum Erasmus obseruauit sed etiam Costerius confirmauit) Leo Chrysologus, nihil habent huiusmodi, sed testantur duntaxat, fidem eius Symboli nos habere ab Apostolis, quod est verissimum.

XII. Res autem non caret difficultate. Primum habet aliquid ipsa ridiculum: quum finguntur omnes Apostoli quasi centonem consuisse, singulis suam particulam adijcientibus: vt Petrus dixerit, *Credo in Deum Patrem omnipotentem:* Ioannes addiderit, *creatorem cœli & terræ*, Iacobus Alphæi, *Credo & in Spiritum Sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam:* Simeon *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum:* Et reliqua similiter, satis male diuulsis, connexisue articulis. Nam cur non potius vni negotium cōmissum? nec enim periculum erat, ne reliqui dissentirent, aut ne vnus omnia non nosset. Apparet otiosum aliquem ita voluisse apud se ludere, reliquis illudere, ex homonymia symboli.

XIII. Deinde non satis constat, cur sit factum. Nam, qui ita per particulas factum volunt, addunt factum, quum discessuri essent in varias orbis partes Apostoli, separandique alij ab alijs, vt normam sibi futuræ prædicationis in commune statuerent, ne localiter ab inuicem discedentes, diuersum vel dissonum prædicarent. Atqui ea causa nulla erat. Habebant enim Spiritum Sanctum à quo ducebantur in omnem veritatem. Nam & Paulus etsi non contulisset cum carne & sanguine, tamen prædicabat idem Euangelium cum cæteris.

XIV. Non satis etiam consentiunt veteres factum esse tum temporis, Nam Eucherius, quem iam citauimus, cum collectum dicat ex omnibus Scripturis, satis indicat factum est editos libros sacros. Quod ipsum Paschasius, præfat. libri de Spiritu Sancto, disertius profitetur: *fides Catholica* (inquit) *in vniuersum mundum per Patriarchas & per Prophetas, & gratiæ dispensatores; Spiritu Sancto insinuante diffusa est. Hanc Apostolica solicitudo atq; perfectio sicut per sanctas paginas dilatauerat, ita per symboli salutare mira breuitate collegit, & tanquam per diuersas remediorum species disposuit in corpus vnum, ac velut ex innumeris aromatibus pretiosum confecit vnguentum.* Hoc si verum est, prior non potest esse non falsa sententia: nam & causa eadem non potest esse, cum iam disseminatum esset Euangelium: nec omnes Apostoli in vnum coacti potuerunt componere, quia mortui iam essent nōnulli. Et ex quo dissipati sunt, nunquam conuenisse legantur. Erasmus Compendio Theologiæ auguratur compositum in Concilio Niceno: Quod mihi quidem non fit verisimile. Sed ista, vt prius dicebam, nihil est quod curiosius anquiramus. Sufficit nullum in eo Symbolo dari articulum, nullā articuli particulam, quæ non in Scripturis & diserte proponatur, & exponatur perspicuè. Itaque nulla in ijs erat traditio non scripta.

XV. Ad Trinitatem venio. Hic quærunt primo in genere, distinctionem personarum, & vnitatem essentiæ, quæ verba sunt Charronæi, id est, Trinitatem in Deitate, siue, vt Melchior Canus loquebatur, trium personarum in vna substantia æqualitatem, earundemque per relatiuas proprietates distinctionem, & τὸ ὁμοούσιον, Hosius. Deinde particulatim, innascibilitatem Patris, Gautierus, siue Patrem esse ingenitum, Stapletonus, Spiritum Sanctum esse Deum & procedere à Patre & Filio: Et ab vtroque quidem tanquam vno principio, & esse adorandum. Nam hæc omnia negant è Scripturis haberi.

XVI. Sed has blasphemias horrent Catholici: & vere blasphemias, quibus summa totius Christianitatis mysteria à fundamento labefactantur hoc sine dubio Sathana moliente, vt paulatim in dubium reuocata, tandē etiam penitus abnegentur. Illi contra firmissime tenent, hoc salutis nostræ fundamentum omnino certum, ratum, fixumque esse, non aliam ob caussam, quam quod in Scripturis disertè doceatur. Certe etiam veteres, quorū tam exercita pietas fuit, Sabellianorum, Photinianorum, Arianorum, Macedonianorum hæresibus, inde se totam eam doctrinā haurire protestabātur. Athanasius in libello de Decretis Synodi Nicenæ, de vere discipulis Christi loquens, οὗτοι (inquit) τριάδα κηρυττομένην ὑπὸ τῆς θείας γραφῆς σαφῶς ἐπίστανται, *hi Trinitatem à Diuina Scriptura prædicatam perspicue sciunt.* Et sanè quid aliud Tertullianus agit aduersus Praxeam, quam hoc ipsum, vt testimonijs Scripturæ doceat Deum esse vnum essentia trinum personis? Petrus Lombardus lib. 1. dist. 2. c 4. & 6. hoc ipsum. Ephrem Epistola ad Brazen (referente Photio in Bibliotheca) ἐκ θείων γραφῶν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐκ πατρικῶν μαρτυριῶν, περί τε τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος διαλαμβάνει, *ex diuinis Scripturis, non autem Patrum testimoniis de sancta & consubstantiali Trinitate disputat,* δι᾽ ὧν αἱ προκείμεναι τῶν ὑποθέσεων τὸ ἀληθὲς καὶ βέβαιον ἀπηνέγκαντο: *vnde propositæ quæstiones veritatem acquirunt & certitudinem.*

XVII. Nec ab ijs dissentiens Epiphanius aduersus Sabellianos sic exclamat, σὺ δέ, ὦ κατὰ πάντα ἰδιῶτα, μὴ νοήσας τὴν φωνὴν τῶν ἁγίων γραφῶν σεαυτὸν μᾶλλον ἔβλαψας καὶ τοὺς σοι ὑπακούοντας ἐκπεσὼν τῆς ἁγίας πίστεως, τῆς τοῦ Θεοῦ ἀληθείας, *Tu autem, ô penitus idiota, non intelligens vocem sanctarum Scripturarum, tibi ipsi potius nocuisti, tuisq; auditoribus, excidens à sancta fide, & Dei veritate,* Quam inepte, quæso, si nullæ sunt Scripturæ voces de tanto mysterio? Theodoretus Dial. 2. c. 4. cum contrarias proposuisset hæreses Arij & Sabellij, quorum ὁ μὲν διαιρεῖ τὰς οὐσίας, ὁ δὲ τὰς ὑποστάσεις συγχέει, *ille quidem essentias diuidit, hic vero personas confundit*, & vtrique adhibendum diceret commodum remedium, subiunxit, οὐκοῦν τὸν μὲν Ἄρειον πειρασώμεθα μὲν (lego μίαν) πιστοῦν τῆς ἁγίας τριάδος τὴν οὐσίαν ὁμολογεῖν, καὶ τούτου τὰς ἀποδείξεις προσοίσομεν ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς. *Arium quidem igitur conabitur persuadendo flectere vt vnam sanctæ Trinitatis essentiam confiteatur, atq; huius sententiæ demonstrationes afferemus è sacra Scriptura.* Postea de Sabellio, ἐπειδὴ μίαν ἐκεῖνος εἶναι λέγει τῆς τριάδος ὑπόστασιν, ἐπιδείξωμεν αὐτῷ τὴν θείαν γραφὴν τὰς τρεῖς ὑποστάσεις κηρύττουσαν *Quoniam ille vnam asserit esse Trinitatis personam, demonstrabimus ei diuinam Scripturam tres personas prædicare.*

XVIII. Nonne sunt hæc diserta Patrum testimonia, profitentium contra nouorum Christianorum κακοζηλίαν, se Trinitatem acceptam referre Scripturis, & quidem sic, vt ex ijs potentissime aduersarios confutatum iri crediderint? Addo aduersariorum semel vi veritatis extortam confessionē. Ii Iesuitæ erant in colloquio Ratisbonensi sess. 8. qui cum eludere conarentur hunc locum Hilarij, *Bene habet, vt iis quæ scripta sunt contentus sis*, respōdent, cum Scriptura satis clare mysterium Trinitatis declararet, gratulari sibi Sanctum Hilarium, quod Arianus contentus esset Scriptura. Salmero disp. 4. in post. ad Tim. Scriptura *dicitur diuinitus inspirata, quia de sacris & diuinis erudit, vt de vnitate Dei, & Personarum Trinitate.*

Περὶ τοῦ ὁμοουσίου quid dicam? Dionysius Alexandrinus apud Athanasium in libello de Sententia Dionysij contra Arianos, cum in criminis societatē vocaretur ab hæreticis, quod alicubi negasset vocem τοῦ ὁμοουσίου reperiri in Scripturis, ita se purgat, εἰ καὶ μὴ τὴν λέξιν ταύτην εὗρον ἐν ταῖς γραφαῖς, ἀλλ᾽ ἐξ αὐτῶν τῶν γραφῶν τινὰ συναγαγὼν ἔγνων, ὅτι υἱὸς ὢν καὶ λόγος, οὐ ξένος ἂν εἴη τῆς οὐσίας τοῦ πατρός. *Etiamsi eam dictionem non inuenerim in Scripturis, tamen ex ipsis Scripturis sententiam colligens, cognoui, quod qui filius est & sermo, non alienus est à substantia Patris.* Ambrosius c. 5. lib. de fide contra Arianos, aduersarijs insultat in hunc modum. *Cum ergo hanc vnitatem substantiæ in Patre & Filio, non solum Prophetica, sed & Euangelica autoritate cognoscat, quomodo dicit in Scripturis diuinis homousion non inueniri? Quasi aliud sit homousion, quā quod dicit, Ego de Deo Patre exiui, & ego & Pater vnum sumus.* Augustinus in Ioan. tract. 97. *Aduersus impietatem Arianorum hæreticorum, nouum nomen Patres homousion condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt, hoc enim vocatur homousion quod est, Ego & Pater vnum sumus, vnius videlicet eiusdemq; substantiæ.* Epist. 178. *Etsi verbum ipsum in lege scriptum non inuenitur res ipsa tamen inuenitur.* Deniq; ne omnia colligam, & ipsos potius aduersarios inter se committam, Bellarminus, lib. 4. de Verbo Dei c. 10. vt eludat Augustini locum, Maximum abducentis à Concilijs Niceno & Ariminensi ad Scripturam in disputatione περὶ τοῦ ὁμοουσίου, id factum respondet, quia in ea quæstione *exstabant in Scriptura clarissima testimonia.*

XX. Patris innascibilitatem Stapletonus haberi negat è Scripturis, & Gautierus confirmabat testimonio Augustini. Sophistice, si ipsam ingeniti, innascibilitatis vocē attendunt: falso, si rem ipsam ijs vocib. significatā Augustinus n. epist. 174. agens cum Pascentio Ariano, qui τὸ ὁμοούσιον sibi legi volebat in Scripturis totidem syllabis, imo literis, vt hanc obstinatam importunitatem frangeret, & à simili doceret *prius interpretandum esse, quid sit ὁμοούσιον, tum demum in diuinis literis requirendum, quia & si fortasse nomen ipsum non inueniretur, res ipsa tamen inueniretur,* vt hoc, inquam, doceret, imo a Pascentio confitente exprimeret, id sumpsit quod Pascentius dixerat, Patrem esse ingenitum: &, *Quæsiui* (inquit) *vtrum Scriptura Dei contineret hoc verbū, quod Pater esset ingenitus, & cum scriptum esse respondisses, instantius quærebam vt ostenderes, tunc vnus ex tuis qui aderant, quantum intelligi datur, fidei tuæ socius ait mihi, Quid ergo? Tu Patrem genitum dicis? Respondi, non dico: Et ille, si ergo genitus non est, inquit, vtiq; ingenitus est. Cui ego, Vides, inquā, posse fieri, vt etiam de verbo quod in Scriptura Dei non est, reddatur tamen ratio vnde recte dici ostendatur. Sic ergo & homousion, quod in autoritate diuinorum librorum cogebamur ostendere, etiamsi vocabulum ipsum non inueniamus, fieri posse vt illud inueniamus, cui hoc vocabulum recte adhibitū iudicetur.* Tota igitur quæstio est, non de re ipsa, vtrum vel pater non sit genitus, vel filius non sit ὁμοούσιος patri: sed de ipsis vocabulis, Ingenitus & ὁμοούσιος. Hæc concedit Augustinus non legi in Scriptura, sed res tamen, quib. ea tribuuntur, legi indicat. Prorsus similis est concertatio in disputatione Athanasij cū Ario, corā Probo, autore Vigilio, atq; in ea sic præses pronunciat aduersus Arium, *Hoc contentionis vitio deputabitur, vt documentum nudi sermonis exi-*

gas, cui fidei sensum Scripturis noueris copiosius redundare. Videant Papistæ, vtrum suos in his verbis colores agnoscant.

XXI. Distingui personas per relatiuas proprietates, antequam cogant nos in scripturis ostendere, postulo, vt ipsi de eo capite inter se consentiāt, certum-ne sit an incertum. Etenim Otho Frisingensis testatur eam quæstionē non potuisse definiri, in Synodo Rhemensi præsente Episcopo Romano ob theologicas rationes, quæ hinc inde habentur. Imo recens scriptor Alphonsus de Castro contra hæreses lib. 1. c. 8. pronunciat nondum esse definitū. *Quidā* (inquit) *dicunt personas diuinas constitui inesse (vt ipsi loquuntur) personali per respectiua, aliis affirmantib. constitui per absoluta, Alij rursū dicūt, non constitui per aliqua, sed seipsis esse personas. Quis non videt aliquem horū errare, cum tamen quilibet eorū suæ adhæreat opinioni impune & sine hæresis nota?* Melchior Canus locorum lib. 8. c. 2. hunc ipsum articulū numerat in ijs, qui citra salutis dispendium vel ignorari poterāt, vel in ambiguo relinqui. Nos vero credimus tres esse hypostases, nobis in Scriptura significatas per nomina quæ relationem significant. Non n. est Pater, nisi filij, nec filius nisi patris nec Spiritus nisi spirātis. Itaq; relationes quidē ipsas habemus in diuinis literis. His contenti nihil aliud inuestigare didicimus: Et libenter vsurpamus illud Athanasij ad Serapionem: ὦ ἀνόητοι καὶ πάντα τολμηροὶ, διὰ τί μὴ μᾶλλον ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος παύεσθε περιεργαζόμενοι, καὶ μόνον πιστεύοντες, ὅτι ἐστιν· ἔχοντες εἰς τοῦτο διδάσκαλον τὸν ἀπόστολον, λέγοντα, πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ θεῷ, ὅτι ἐστι, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται, οὐ γὰρ πῶς ἐστιν εἴρηκεν, ἀλλὰ μόνον ὅτι ἐστιν, *O stulti, & ad omnia audaces! Cur non potius in sancta Trinitate curiosi esse definitis, tantū credentes: eā esse. Habentes eius rei magistrū Apostolū, dicentem, Credere oportet inprimis Deo, quod est, & remunerator est iis qui eum requirunt. Non n. quomodo est, dixit, sed tantū, quod sit.* Sic nos nostrā curiositatem cōpescentes, sic Scholasticorum audaciā increpantes, qui nihil sibi volunt incognitum esse, non miramur eos qui altiora se scrutantur, in diuersas abire sententias, imo contrarias, id est, necessario mendaces. Cum in reb. tanti momenti non possit quisquam non periculosissime falli.

XXII. Spiritum S. esse Deum, horrendum est hanc ætatē audire non cōstare è Scripturis. Atqui, inquam, ipsi quos Bellar. præfat. in 2. controuers. 1. tom. opposuit Erasmo, Hilarius, Athanasius, Basilius, Naziāzen. Didymus Ambros. Augustin. reliqui. Et quidē, ne omnia persequar, Athanasius claudens longā illam Epistolā ad Serapionem, in qua disputauit, Spiritum S. nō esse creaturā, κατὰ τὴν παράδοσιν, inquit, ἡμῖν παρὰ τῶν πατέρων ἀποστολικὴν πίστιν παρέδωκα, μηδὲν ἔξωθεν ἐπινοήσας. ἀλλ᾽ ὅπερ ἔμαθον ἐνεχάραξα συμφώνως ταῖς ἁγίαις γραφαῖς· σύμφωνον γὰρ ἐστι τοῖς προαπομνημονευθεῖσι φαινομένοις ... ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν. *Ego secundum Apostolicam à patrib. acceptam fidem ista tradidi, nihil prorsus aliunde adijciens. Sed sicut didiceram, ea scripsi, quæ cum sacris Scripturis congruerent: Id enim consonum est cum iis quæ prius declarata sunt ad confirmationē è Scripturis sanctis.* Greg. Nyssenus contra Eunomium ora. 1. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, ἡ καὶ διὰ τῆς ἐπιπνοίας τοῦ πνεύματος ἀναγραφεῖσα μαρτυρεῖ τῷ πνεύματι τὴν θεότητα. *Omnis à Deo inspirata Scriptura afflatu Spiritus descripta, Deitatem Spiritui suo testimonio asserit* Sed & Vigilius extrema ferme disput. Athanasij cū Arrio, ex solis Scripturis hanc controuersiā disput. Bellarm. c. 13. lib. 1. de Christo, notat post. Samuel. 23. Deum appellari eundē quem Spiritum Sanctum. Item, illum quem Isaias vocet Dominum exercituum c. 6. à Paulo. Act. vlt. Deum dici. Audi Nazianzen. orat. 37. ἤδη δὲ ἥξει σοι, καὶ ὁ τῶν μαρτυριῶν ἑσμὸς ἐξ ὧν δείξει καὶ λίαν ἔγγραφος ἡ τοῦ πνεύματος θεότης ἐπιδειχθήσεται. *Iam vero tibi autoritatū examē prodibit, ex quib. Scripturæ testimonio admodum confirmatā esse Spiritus diuinitatem ostendetur.* Vbi tamē Bilius mollius vertit ἔγγραφον θεότητα, quæ significat, nō tantum confirmandā è Scripturis, sed potius in Scripturis cōprehensam expressamque, vt vere dogma sit ἔγγραφον scriptum. Atq; en tibi Traditionatiorum frontem, negantium in Scripturis reperiri Spiritus Deitatem, quam tamen reperiri Nazianzenus affirmet, & ita reperiri, vt habeat non vnum aut alterum testimoniū sed *examen* ἑσμὸν, testimoniorum. Tanta mutatio Theologiæ fuit à Catholica in Papisticam.

XXIII. Procedere à Patre, nemo opinor neget in Scripturis, doceri, sed à Filio, Græci; fortasse vna cum ijs nostræ Papistæ, odio potius nostri, quam ipsius dogmatis, vt se αὐτόματα præcipitat, Sed hoc ipsum è Scripturis constare Augustinus docet 90. in Ioan. Isidorus Epistola 4. ad Claudium. *Spiritum vero Sanctum esse Patris & Filij & à Patre & Filio mitti, atq; procedere ab vtroq;, Sanctæ Scripturæ testimoniis clarius demonstremus.* Et post lectos locos. *His itaq; plenarie declaratur, Sancti Spiritus missionem à Patre esse, & à Filio.* Petrus Damiani lib. 3. Epist. 3. *Cum Filius dicit, Ego & Pater vnum sumus, quomodo potest Spiritus Sanctus ab eo, quod vnum est, & procedere, & non procedere? Sed res ineffabilis, quæ nullo valet humanæ rationis ingenio concipi, nullo potest mentis intuitu vel consideratione discerni, ex diuinorum duntaxat eloquiorum debet sententiis colligi.* Et aliquanto post. *Quod a. à Patre concedat simul & à Filio, vnde scilicet quæstio est, Euangelica nos docet autoritas.* Quid plura? Non nostri tantum Scriprores, hanc controuersiam disputant ex Scriptura vt Zanchius 7. de Trib. Elohim. c. 8. Vrsinus in locis Communib. quæst. 5 de Trib personis. Sed etiam Papistæ. Lombard. 1. dist. 11. c. 1. *Quod autem de vtroq; procedat, multis diuinorum eloquiorum testimoniis comprobatur.* Ioan. Maior in eandem quæstionem. *Omnis conclusio ex contentis in Scriptura sacra per se ducta, est simpliciter vera, & vt articulus fidei tenenda. Hæc est eiusmodi. Igitur* Eustathius à S. Paulo, 1. parte Summæ Theologiæ tract. 2. de disp. 8. quæst. 2. *Probatur in primis autoritate Sacrarum Scripturarum, ex quibus id aperte satis colligitur.* Becanus in summa Theologiæ parte 1. tract. 2. c. 6 quæ. 2. *Licet expresse non habeatur in Scripturis, potest tamen euidenter inde deduci.* Viden' rem esse testatissimam? Et sibi quicquam vendicare Traditores hic audeant.

XXIIII. Sed Gautierus instat, vt non missura cutim nisi plena cruoris hirudo. Vult ergo sibi ostendi non tantum processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio: sed potius hanc processionem sic esse a Patre & Filio, vt tamen vnum sit eius principium, non duo. Nam illud quidem non diffiteatur, sed hoc omnino negat è Scripturis haberi. Respondeo, hoc fortasse paulo curiosius inuestigatum esse à Scholasticis, atque adeo à Melchiore Cano Locor. lib. 8. c. 2. numerari in ijs quæ citra salutis dispendiū poterant vel ignorari, vel in ambiguo relinqui: sed tamen elici è Scripturis, & perpetua fidei analogia, per abductionem ad impossibile, siue per absurdum: quia alioquin separarentur essentialiter Pater & Filius, ac proinde duo Dij constituerentur. Illud probatur, quia ratio principij non pertinet ad personalitatem, qua distinguitur Filius a Patre, ea enim in generatione consistit, pertinet igitur ad essentiam, itaq; sic distingueretur, imo separaretur essentia Patris & essentia Filij, quod est absurdissimum. Denique Melchior Canus Locorum lib. 7. c. 2. asserit ita Euangelium & Apostolos tradidisse.

XXV. Adorandum esse Spiritum Sanctum Gautierus negabat, è Scripturis haberi, & probabat ex Augustino contra Maximinum Arianum lib. 3. c. 3. Sed hoc mendacium est. Maximinus postulabat, vt sibi in Scripturis legeretur, Spiritum Sanctum adorandum esse, Augustinus ad hæc, *quasi* (inquit) *non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus,* Ac tum argumentis è Scriptura ductis probat, Spiritum adorandum, quia dicitur habere templum. Est igitur mens Augustini, hoc dogma, & si non totidē literis & syllabis legatur, tamen constare e Scripturis. Et sane duo tantum hominum genera id negare possunt, vel qui eundem credunt esse Deū, vel qui negant. Vtrique sic confutantur: Deus est adorandus, quod patet è Scripturis, & vtrique concedunt. At Spiritus Sanctus Deus est, quod illi concedunt, hi autem docendi sunt è Scripturis, vt prius diximus. Ergo Spiritus est adorandus.

XXVI. Hactenus de Trinitate. In Christi Incarnatione, quærunt primo pluralitatem naturarum, operationum, voluntatum: & vnitatem personæ: Quid ergo, inquam, veterib. illis actum magnis viris, qui adeo magnificè compescuerunt Nestorianos, Eutychianos, Monothelitas: Adeo illos frustra laborasse: vt hodie tot elapsis seculis & quidem ἐκ περιουσίας, nullo instante aduersario, Diabolo ipso, etsi inuito, tacente, reuocemus in dubium, an eos articulos habeamus autore Scriptura? Videlicet nihil est adeo perspicuum, quod isti Theologastri non reuocent in dubium, dum vnā excipiant suæ purpuratæ autoritatem. Cōpescet aliquando Deus istā temeritatē.

XXVII. Enimuero, si Christi duas esse naturas nō constat è Scripturis, omnino nullū fidei Christianæ dogma ex ijsdem constabit. Quid n. hoc sibi vult, *Verbum caro factū est?* Dicat sane Eutyches suā hic haberi confusionē, quando illi certum est blasphemare. Sed Catholicus vt neget Verbi nomine diuinam: carni humanam naturam significari? Monstrū hoc quidem est. Quid hoc? *De Filio suo facto ex semine Dauidis secundum carnē, declarato Filio Dei potenter, secundū Spiritum Sanctitatis?* Dic tu sanè Nestori, insanire libet quoniam tibi, Filij nomine non naturam, sed dignationē significari, at Catholicum assentientem, quis vnquam audijt? Papistas ergo cuius generis esse oportet, qui negant duas Christi natnras in Scripturis doceri? Sint sanè quicquid velint, dum ne sint Catholici.

XXVIII. Sed vnam personam præterea quærunt. Ridiculum: Quasi nobis Scriptura alicubi Christos describeret plurali numero: & non vnicum. Quasi non ijsdem vbique phrasib. describeret vnum Christum, quib. solet, vnum Petrum, vnum Ioañem, vnum Iacobum, vnum Paulum. Quid hæc? Matth. 23. *Vnus est doctor vester, nempe Christus.* Ad Rom. 5. *per vnum Iesum Christum.* Et, *per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Prior. ad Cor. 8. *vnus Dominus Iesus Christus.* Post. 5. *Vnus pro omnibus mortuus est.* Prior. ad Tim. 2. *Vnus mediator Dei atq; hominum.* Et post hæc diserta testimonia, neget aliquis Catholicus vnum esse Christum? atq; id constare ex Scripturis? Nam hæreticos quid morer? qui nodum quærunt in scirpo. Cyrillus in Ioan lib. 9. c 21. *Obseruandum est, quia quamuis secundum carnem solummodo abiturus erat (adest enim semper virtute Deitatis, vt diximus) modico tamen tēpore cum discipulis se futurum dicebat, aperte seipsum nominans, ne quis in duos Filios diuidere Christum audeat: sed vt vt omnino esse credat Dei patris, & virginis filium, non quia vna natura sit, sed quia post incarnationem pia hæc diuisio non est, Vnus enim in vtraq; natura Christus est.* Augustinus tract. 7. in Ioan. *In terra loquebatur, & in cœlo se esse dicebat. Et non ita dixit, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius Dei qui est in cœlo. Quo pertinet, nisi vt intelligamus, quod etiam pristino sermone commendaui charitati vestræ, vnam personam esse Christum Deum & hominem, non duas, ne fides nostra non sit Trinitas, sed quaternitas: Christus ergo vnus est,*

XXIX. Volunt rursus eam personā diuinæ esse naturæ non humanæ, & hoc probari è Scripturis. Egregium acumen! At hoc illi à me responsum expectent, quod ab Augustino Pascentius. Vocabulum personæ interpretandū, ac tum reliqua quærenda in Scripturis. Persona igitur siue ὑπόστασις, est indiuiduū per se subsistens Quod si ita est, tū aut Deitatis necesse, personā esse, aut si humanitatis dicitur, duas constitui, quia ante eā subsistebat Diuinitas. At Scripturæ vnā personam demōstrant: vt dixi, Ergo ex Scripturis necessario concluditur, non tantū vnicā esse in Christo personam sed etiam hanc personā Deitatis esse, nō humanitatis. Quanquā quid disputo. Audiat locupletissimū testē Iustinianū Imperatorē in Edicto de Fide. Ταύτην δὲ τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν τοῦ Θεοῦ λόγου πρὸς τὴν σάρκα ἕνωσιν διδάσκων ἡμᾶς ὁ θεῖος ἀπόστολος, λέγει. ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἀλλ᾽ ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών· Διὰ γὰρ τοῦ εἰπεῖν. ὃς ἐν Θεοῦ μορφῇ ὑπάρχων. τὴν τοῦ λόγου ὑπόστασιν ἔδειξεν ἐν οὐσίᾳ Θεοῦ. διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν, μορφὴν ἔλαβεν, οὐσίαν ἀνθρώπου καὶ οὐχ ὑποστάσει, ἤτοι προσώπῳ ἑνωθῆναι τὸν Θεὸν λόγον ἐσήμανεν. οὐ γὰρ εἶπε τὸν ἐν μορφῇ δούλου ὑπάρχοντα ἔλαβεν. ἵνα μὴ προϋποστάντι ἀνθρώπῳ ἑνωθῆναι δείξῃ τὸν λόγον *Hanc a. secundum subsistentiam (vel personam) Dei verbi cum carne vnionem docens diuinus Apostolus, dicit: Qui in forma Dei exsistens, non rapinam arbitratus est, æqualem esse Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Per hoc enim, quod dixit, qui in forma Dei exsistens, Verbi subsistentiam in essentia Dei esse ostendit. Per hoc a. quod dixit, formam assumpsit, significauit naturæ hominis & non subsistentiæ siue personæ vnitum esse Deum verbum. Nec enim dixit, assumpsit eum qui in forma serui exsistebat: ne præexistenti homini Verbum vnitum significaret.*

XXX. Iam (vt minutissima quæq; persequuntur) duas operationes volūtatesq; in dubiū vocant doceri à Scripturis. Enimuero, quod hominū hoc genus est? aut quis fuisse credat magis pertinaces vnquā hæreticos? Victis Arianis, negantib. Filiū, incidit Ecclesia in Macedonianos; saltē Spiritū eximentes è Trinitate. Cōfutatis Nestorianis, separantib. naturas Christi: Eutychianos oportuit debellari, easdē confundentib. post quos exsurrexerūt Monothelitæ operationes saltē nolentes distingui. Ναὶ, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Armauit nostros Papistas contra veritatē, veterū hęreticorū pertinacia. Sed quis eā credat, quæ veteres Achilles prostrauit, cessurā nouis Patroclis qui se illorū armis induunt? Enimuero si duæ naturæ admittuntur duæ operationes volūtatesq; necessario cōfitēdę sunt. Illas a. vt dixim[9], Scriptura docet

docet;Ergo & eas,& necessaria consequentia.Propterea Alphonsus de Castro 4.lib hæresi 6 de Christo *Sed omissis his*(inquit)*argumentis*(nam vnum aut alterum proposuerat)*scrutemur Scripturas sacras, quoniam*(*vt Christus ait*)*illæ testimonium perhibent de illo*: ac statim disputat ex Scripturis, duas esse in Christo voluntates.

XXXI. Descensum Christi ad inferos,non miror ab ijs non legi in Scripturis,qui localem fuisse contendunt,ad Patres nescio quo loco,tanquam in carcere expectantes,& in cœlum educendos.Hoc qui à traditione non scripta didicerunt,ne quærant in libris sacris:frustra quærent.Et Catholici clamabunt,quicquid de Scriptutis autoritatem non habet,eadem facilitate contemnitur,qua probatur:Doceat scriptum Traditionariorũ officina:aut timeat væ illud adijcientibus aut detrahentibus.Et potius eligent vt dicant Christum descendisse ad inferos nullo locali motu,sed tum dum sustinuit grauissimas nostrorum scelerum pœnas,vt consummaret id sacrificium,quo tum Patres,tum nos salutem habemus. Quem sensum qui in Scripturis negat esse,eum oportet nunquam legisse, Christum factum esse peccatum,post.ad Cor. 5.factum esse κατάραν maledictionem,3. ad Gal. vt alia mittam non pauca. Sed de Christi descensu ad inferos, ex professo disputandum erit in secundo loco Communi:Deo fauente.

XXXII. Eorum quæ ad hominem pertinent,solum peccatum originale hic Traditionarij nominant, tanquam in aurem susurratum,non autem scriptum in libris sacris.Quod si de voce dicunt,facile concedimus; sed securi Sophistas ridemus λεξιδια θηρῶντας.Rem vero ipsam Catholici semper legerunt in diuinis literis.Gen. 6, *Vidit Deus omne figmentum cogitationum cordis humani duntaxat malum esse,idq; omni tempore.* Psal.51.*In iniquitatibus conceptus sum:& in peccatis concepit me mater mea.* Ad Rom.5.*Per inobedientiã vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Augustinus Retract lib.1. c.9. *Quæ disputatio contra Manichæos habenda est,qui non accipiunt Scripturas Sanctas veteris instrumenti,in quibus originale peccatum narratur.Et quicquid inde in literis Apostolicis legitur detestabili impudentia immissa fuisse contendunt à corruptoribus Scripturarum,tanquam non fuerit ab Apostolis dictum.* Ergo iudice Augustino Scripturæ tum Veteris tum noui Testamenti docent peccatum originale,Didacus Aluares de auxilijs gratiæ lib 5.disp.45. *Secundum fidem Catholicam asserendum est paruulos descendentes ex Adam per seminalem propagationem contrahere peccatum originale.Probatur euidentissimis testimonijs Sacræ Scripturæ,tam ex Veteri quam ex nouo Testamento.*

XXXIII. Transeo ad Sacramenta. Horum nomen negat in Scripturis legi Stapletonus, Quid tum?si res ipsa legitur?Vt Trinitas,vt ὁμοούσιον, vt alia?Negat doctrinam.At hoc falsum. Continetur n.ἀνὰ μέρος?cum singulorum institutio describitur:vt tota hominis definitio continetur in Natura. Quemadmodum enim omnem suam doctrinam Physicus haurit è natura, quia rerum naturalium singula rimatus,inde conficit vniuersalia præcepta sic in Sacramentorum ratione, Theologus nihil extra Scripturam docet, quia singulorum Sacramentorum diligenter considerata institutione,ex ea generalia θεωρήματα colligit.

XXXIV. Sed multorum Sacramentorum formas Costerus negat scriptas esse.Et testem citat Areopagitam,vlt.c.Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Stapletonus,ne Baptismi quidẽ,aut Eucharistiæ forma,inquit,& administrandi modus vtriusq; huius Sacramenti in Scripturis prorsus tacetur. Nihil n, de Catechismo,nihil de exorcismo,nihil de illo solenni voto & Abrenunciatione,quæ omnia baptismum præcedunt,scriptum est.De forma administrandæ Cœnæ Dominicæ, quum pauca quædam scripsisset Apostolus, *cætera*,(inquit)*cum venero,disponam.*

XXXV. Respondeo multorum Sacramentorũ formas ab ijs desiderari,qui à seipsis multa Sacramenta finxerunt.A Catholicis non requiri,qui duob. sunt contenti,quæ sciunt in Scriptura diserte tradi: Baptismo & Eucharistia.Dionysium a.Iesuiticè citari,hoc est,falso.Verba eius sunt hæc, τὰς δὲ τελεστικὰς ἐπικλήσεις,οὐ θεμιτὸν ἐν γραφαῖς ἀφερμηνεύειν,οὐδὲ τὸ μυστικὸν αὐτῶν, ἢ τὰς ἐπ' αὐτοῖς ἐνεργουμένας ἐκ θεοῦ δυνάμεις ἐκ τῶν κρυφίων πρὸς τὸ κοινὸν ἐξάγειν.Perionius vertit,*Precationes a.quæ in mysterijs adhibentur,nefas est scripto interpretari,& mysticam eorum intelligentiam aut vim,quæ in eis Deo autore efficacitatem habet,ex adyto in publicum proferre*,Hæc primo de forma Sacramentorum nihil habent,nec omnino quicquã de Sacramentis, sed de precibus mysticis.Secundo,hæ preces Dionysio fiebant in sepultura mortuorum,non a.vlli Sacramento adhibebantur. Tertio,non agit de Scripturis Sanctis,sed cuiuslibet autoris.Quarto,eas ipsas preces negat interpretandas scripto.Quo sensu?An omnino non scribendas?Ergo futilis autor apud Papistas,qui omnes suas preces descripserunt in suis Ritualibus.An κατὰ πόδας:vt possint quidem describi,at non explicari? Viderint vtrum probent, Sed siue probent,siue improbent;nihil ad hanc controuersiam.

XXXVI. Stapletonus formam cum administrandi modo imperitè confundit.Nam forma est essentialis: modus a. administrandi accidentarius, Formam aut nullam esse dicunt Catholici, aut esse scriptam contendunt: nimirum Institutionem illam Christi,quæ non tantum materiam,id est,elementa terrena, signaq; indicat,sed ijs etiam formam addit,relationem ad res significatas.Itaq; negant catechismum,exorcismum, esse aut formam, aut partes baptismi:ipso pene fatẽte Stapletono.Nam si præcedunt Baptismum,sane non sunt eius partes. Catechismum in adultis recte præcedere sciunt:in infantib.qui respondere nequeunt,haberepuerilem affectationẽ. Exorcismum nunquam legitime fuisse Baptismo annexum,qui energumenis erat necessarius.Abrenunciationem,necessario includi in Baptismi forma *Baptizate in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sãcti*,quod fieri nullo modo potest, nisi qui baptizatur renunciet Satanæ,& pompis eius. De Eucharistiæ forma credunt Catholici Apostolorum omnia esse complexum: & si quid non scripsit,id pertinere ad εὐταξίαν:quam non est necesse legi in Scripturis.

XXXVII. Ioan. Petrinius contra Ministros Gratianopolitanos,vbi Scripturarum est,hanc baptismi formam,*In Nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti*,esse vnicam,aut saltem optimam:Cum tamen Act.2.aliter statuerit, *Baptizetur vnusquisq; vestrum in Nomine Iesu Christi.* Et ita deinceps factum fuerit c.8.& 9.Consentit Bellarminus c.3.de Baptismo,*Hanc esse* inquit,*veram & necessariam formam baptismi,colligitur ex Euangelio :sed non euidenter ex solo,sed cogimur recurrere ad traditionem , & Ecclesiæ declarationem: quod est notandum contra Caluinum,& alios hæreticos, qui eandem formam præscribunt in ritu baptismi,& eadem vtuntur,cum tamen nolint traditiones , sed solã Scripturam admittere.*

XXXVIII. Respondeo,primum calumniose dictum nos nolle traditiones recipere. Distinguere verius est, traditiones alias cum Scriptura, alias præter Scripturam:tum vero illas prioris generis omnes admittere,quo loco hæc censenda est,vel ipso Bellarmino teste:qui hanc ipsam formam, cui confirmationem addit è traditione,testetur colligi ex Euangelio: quo ipso refutatur Petrinius,sic interrogans, quasi constaret nusquam constare ex Euangelio.Quanquam sophisticè ille formam nominat,hæc totidem verba intelligit,*ego baptizo*:vel saltem,*baptizo te in Nomine*,& deinceps.Nã etsi liberaliter concedat pronomen *ego* non esse necessarium:tamen &baptizãdi verbum vult exprimi;& personam à ministro diuersam;deniq; tres diuinas personas.At nos æque bonam censemus formam Græcorum,*Baptizetur seruus Dei in nomine Patris,Filij,& Spiritus Sancti*,&æque congruam aut Euangelio,aut traditioni.Sed hæc leuiora quam vt prolixius detineant,Petrinius liberalior,qui non nisi tertij capitis meminerit.

XXXIX. Dico igitur hanc ipsam formam,& solã esse, & optimam constare ex Euãgelio:vbi nimirum institutionis est descriptio. Nam quis ignorat,quæcunq; instituantur à Christo,nõ tantum optimè institui ,sed etiam sic:vt non debeant aliter?Iubet Christus aquam sumi ad lauandum, hoc ipsum ergo oportet constanter retineri:etsi aquæ possint alij esse vsus. Iussit lauari in nomine Trinitatis:Eadem vis institutionis est.Itaq; credidit Caluinus,credimus omnes nos,satis necessitatis esse aduersus eos, quib exigua traditiuncularũ occasio sufficit,vt aut negent,aut certe sigillent, quod scriptum est.A Petro fuisse contra institutum,mendacium est. Non n. ille formam Baptismi dicebat, sed iubebat tantũ sumi baptismũ , ex mandato Christi,vt alias docturi sumus.Et nunc confirmamus,ex eo quod non tantum dixerit,*Baptizetur in nomine Christi*,sed addiderit *in remissionem peccatorum*,quæ additio nunquam fuit vsurpata in ministranda aqua.

XL. Baptismum infantium non esse è Scriptura mendacium est. Index Biblicus additus Biblijs Sixti V. baptizandos paruulos docet quindecim Scripturæ locis.Catechismus item Tridentinus idipsum ex Scriptura conficit Crocquetius Catechesi 109.*Vnum caput Matthæi totam quæstionẽ posset absoluere,vbi Christus redarguit Apostolos , quia prohiberent eos ,qui infantes oblatum illi veniebant.* Atq; adeo Bellarminus lib.1.de Baptismo c.9.ad argumentum 8.disertè asserit deduci euidenter ex Scripturis: enumerabat a. argumenta c.8.Contra tamen Tañerus disputat in colloquio Ratisbonensi, &Dauius contra Tilenum. Quotquot in Scridtura inueniuntur (inquit Tannerus)loca de Baptismo,nulla fit in illis mentio paruulorum:quin si præcise staremus verbis Scripturæ seposita autoritate Ecclesiæ,contrariũ magis innotesceret:igitur ex Scriptura colligere non possumus, quod paruuli sint baptizandi. Respondeo, mentionem paruulorum intelligi vel κατὰ τὸ ῥητὸν,vel κατὰ τὴν διάνοιαν.Si prius,conceditur antecedens:sed negatur cõsequentia.Sin posterius,tum antecedens est falsum.Nam omne genus suas species includit,omnisq; species sua indiuidua. Quare cum in Scripturis inueniatur id genus baptizandum,quod sub se infantes continet, sequitur eos baptizandos.Falsa est autem antecedentis altera pars,quæ dicebat cõtrarium potius innotescere ex Scriptura.

XLI. Sed quia examinant ac refutant argumenta nostra,placet hoc ipsũ considerare,hoc est,quam dextre suscipiant Anabaptistarum partes Primũ argumentum est,ex eo quod Christus iubet baptizari omnes gentes :Nam in iis sunt infantes.Tañerus respondet,in eo loco Christum eos duntaxat baptizari præcipere,quos Apostoli docere possent,qui itidem credere possent Sed paruulos nec doceri nec credere posse: Ergo sequi quod Christus non præceperit paruulos baptizari.Respondeo,negatur minor: nã paruuli doceri possunt,& credere:non cum baptizantur,sed suo tempore. Non est a. hæc mens Christi,vt omnes,qui baptizantur,prius doceantur,&credant sed omnes gentes esse &docendas , & baptizandas. Propterea Tannerus. Nõ nego,posse colligi,sed euidenter deduci nego.Atqui,inquam,argumẽtum à genere ad speciem, & à specie ad indiuiduum, est necessarium. Viderit igitur Tañerus vtrum separet euidentem conclusionem à necessaria: nobis perinde est, dum constet esse necessariam, etiam nulla adhibita autoritate Ecclesiæ.

XLII. Secundum argumentum est ab analogia Circuncisionis.Hîc varia Dauius excipit.Primum,a figura ad veritatem non esse certam consequentiam,nisi accedat repetitum mandatum.Sic Pascha Eucharistiæ figuram fuisse:nullum tamen in eo potum. Sic Circumcisionem factam octauo die: nec in fœminis.Inde a.nihil concludi pro Eucharistia,aut Baptismo. Secũdo,duplicem vsum fuisse Circumcisionis,vnum temporalem ad distinguẽdos Iudæos à Gentibus:alterum spiritualem. At Baptismi duntaxat spiritualem:itaq; Circumcisionis circunstantias nihil necessario inferre, quod ad Baptismum attinet.Tertio,Circuncisionẽ impressisse notam sensibilẽ, Baptismum vero nullam,nisi in memoria baptisati. Ergo Baptismum postulare ætatem capacem memoriæ iudicijq;.Quarto, in Circuncisione fuisse signum absq; verbo:at de Baptismi essentia tum elementum esse, tum verbum:itaq; necesse est baptizandum capacem esse vtriusq;.Quinto,quãuis omnia,quib.locus erat in Circuncisione,de Baptismo etiam inferrẽtur, illatio tamen esset non identica,sed analogica,vt infantia illa, infantiã significet spiritualem.Sic Dauius docere voluit,multo se fortius Anabaptistarum partes defensurum,quam ipsos Anabaptistas.

XLIII. Respondeo:Ad primum,non esse Circuncisionem aut Pascha, figuram Baptismi,aut Eucharistiæ:sed earum rerum,quarũ illa signa sunt: &,vt Petrus loquitur,esse ἀντίτυπα.Deinde absurde singulas circunstantias κατὰ τὸ ῥητὸν,à Sacramentis veteris Testamenti transferri ad Sacramenta Noui.Itaq; Bellarminum irridemus,qui lib.4.de Euch c.24.sic arguit,*Pleriq; figuræ Eucharistiæ manducationem sub vna specie significant : non est igitur vllo modo probabile Christum imperaturum fuisse manducationem vtriusq; speciei:figuratum n figuræ respondere debet.* Atq; ita Cardinalem Cardinali possumus opponere. Porro negamus hanc esse particularem Circumcisionis circumstantiam: quia non tantum circumcidebantur infantes,sed etiam prouecti.Et institutio erat generalis,*Circũcidetur ex vobis omne masculinũ,*

XLIV. Ad secundum:primo,alterum illum finẽ,de discernendis Iudæis à Genti-

Gentibus,ſi de ſola cuticulæ abſciſſione, quam Paulus Conciſionem non Circunciſionem vocat,auulſa à reliqua fœderis obſeruatione,intelligatur, nuſquam Scriptura illud aſſerit.Dauius tantum repetiuit à Ioſepho.vt taceam inter Gentes numerari etiam Iſmaelitas, atque alios qui circumcidebantur,& non fuiſſe etiam circumciſas fœminas inter Iudæos,quæ tamē ipſæ à Gentibus ſeparabantur.Secundo,illud de infantibus,non explicuit, quorſum ſit referendum. Nam ſi ad finem ſpirituale̅,is in Baptiſmo ſartus tectus eſt.Cur non igitur,ſi circuncidebantur infantes, vt cenſerentur in populo Dei,etiam baptiſabuntur,vt appareat eſſe Chriſtianos? Tertio cōſequentiæ vim fateor me animaduertere non poſſe.

XLV. Ad tertium,negatur conſequentia, Quia ſigna ſenſibilia impreſſa nihil per ſe docent,niſi addatur inſtitutio particularis.Itaque ſi circunciſionem Sacramentum intelligamus,tātum pelliculæ abſciſſionem,ne quidem Iudæus prouectior,inſtitutione deſtitutus, intelligere poterat ſe eſſe circumciſum,hoc eſt,in quem finem ea particula minutus eſſet. Voluit ergo Deus, vt ſufficeret, cum addiſcretionis annos veniſſent, edoceri omnia quæ ad Circunciſionem pertinebant.Cur non etiam in Baptiſmo?

XLVI. In quarto: falſum eſt in Circunciſione nullum fuiſſe verbum: cum abſque eo nullum ſit Sacramentum. Nam Sacramenta nulla ſunt ſigna naturalia:ſed pactionalia.Itaque niſi conſtet de inſtituentis voluntate nulla eſſe poſſunt. Iam in Baptiſmo verbum adhibetur, non vt quicquam agat aut in ſignum,aut in infantem,ſed tantum,vt ad vſum externum ſigni promiſſio addatur,quam baptizatus ſiue tum,ſiue poſtmodum intelligere poſſit.Fateor ergo neceſſe eſſe,vt baptiſatus capax ſit vtriuſq; tum ſigni,tū verbi:at non eodem tempore.

XLVII. In quinto:à ſigno ad ſignum nulla poteſt eſſe illatio analogica, eius generis,quod Dauius vſurpat: ſed tantum a ſigno ad rem ſignificatam.Itaque inepte concluditur,Circuncidebantur infantes ætate, ergo baptizandi ſunt infantes ſpiritu.Quomodo Bellarminus de Clericis lib.1. c,19.concludit cœlibatum,ex eo quod Aaron & filij eius ingredientes tabernaculum,iuſſi ſunt tegi fœminalibus lineis. Deinde ſunt huius generis concluſiones magis veriſimiles,quam neceſſariæ,niſi nitantur diſerto Dei verbo.Porro eſſe inter ipſa Circunciſionis &Baptiſmi ſigna analogiā, non diffitetur Tannerus,qui,poſt aliquam velitationem,tandem *Facile concedo*(inquit)*analogiam eſſe:ſed inde non probatur euidenter.* At illud præſenti negotio ſufficit.

XLVIII. Tertium argumentum noſtrum eſt ab Infantibus, qui ad Chriſtum adducti ſunt.Id Dauius duci ait ex eo quod ad eum ſint adducti, vt oraret,& manus imponeret.Itaque reſpondet,non eſſe tamen baptizatos,ideo nihil concludi.Sed noſtrum argumentum ex ijs verbis ducitur, quib.Apoſtolos increpauit,obſtantes ne ad ſe adducerentur. *Sinite pueru-los,& ne prohibete eos ad me venire:talium eſt enim regnum cœlorum.* Quibus verbis addimus id Petri dictum,quod ille tanquam ſeparatum argumentū numerauit,Act.10.*Nunquis aquam prohibere poteſt, quominus baptizentur iſti,qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut & nos.*

XLIX. Dauius ita nos facit argumentantes: Quicunq; capaces ſunt eiuſdem gratiæ,capaces etiam ſunt eiuſdem ſigni. At pueri capaces ſunt eiuſdem gratiæ:ergo& eiuſdem ſigni. Tum diſtinguit maiorem:vt intelligātur capaces eodem modo:negatq; minorem,nam adulti capaces ſunt gratiæ per propriam fidem:ad infantes tantum per fidem parentum. Sed diſtinctio non eſt ad rem.Sic n.non debebant circūcidi infantes æque cumpatrib.Itaq; teſtatus eſt Deus, ſe in inſtituendo pacti ſigno non tā attendere quid nos agamus,quam quid ipſe agat in nobis.Ideo illud,capaces gratiæ, intelligendum,non de aliqua noſtra diſpoſitione,ad excipiendam gratiam ex nobis:ſed vt eam gratiam attendamus ad quā habemus nos mere παθητικῶς,per quam Deus nos adſcribit in numerum ſuorum.Huius autem gratiæ ſunt capaces omnes eodem modo:itaque diſtinctio eſt inepta.

L. Nihil obſtat igitur,quominus dicamus pædobaptiſmū haberi è Scripturis. Sed Stapletonus atq; Hayus,volunt etiam oſtendi,Infantes baptizatos in numero credentium haberi, quod ex Eccleſiæ autoritate probat Auguſtinus.Reſpondeo,otioſam eſſe quæſtionem.Et quidem Auguſtinus non ipſos credere dicit,ſed pro ijs illos qui reſpondent,credo. Nouum ſane genus fidei.Catholici Chriſtianorum infantes habent pro Chriſtianis,ex fœdere,*Ego Deus tuus,& ſeminis tui*:cui promiſſioni ſuauiter acquieſcunt. Fideles a.ea ratione quamuis actu non credant,dici poſſe non negant, etſi id curioſe magis quam neceſſariè diſputatur.

LI. De non iterando baptiſmo facile negotium. Non eſt enim fidei dogma,ſed condemnatio falſæ opinionis quam ſufficit non exſtare in Scripturis.Sic negant plura duob.eſſe Sacramenta Catholici: Non quod hæc ipſa verba legerint ſed quod illa plura non comperiant in ſacris libris. Si quis contra ſentiat,tum ille ſuam opinionem probare debebit. Nam ſi nihil recipiendum extra Scripturas,illi ſane ſe intra Scripturas continent, qui non iterant baptiſmum:quia hanc iterationem,nuſquam ſcriptura,aut præcepto mandat,aut exemplo docet,aut argumento vllo inducit.Rationes etiam ſuppetunt in contrarium:vt analogia circunciſionis:regenerationis nomen,quæ vnica eſſe debet,vt generatio:& alia nonnulla. Ex Paulo etiam citarunt Patres,*Vna Fides,vnum Baptiſma*. Athanaſius in *Quicunq;* dixerit, Μίαν εἶναι ἀνακαίνησιν διὰ τοῦ Βαπτίσματος καὶ μὴ δευτέραν ἀποφαίνει)· ὡς καὶ ἐν ἑτέρᾳ ἐπιστολῇ φησι, μία πίστις ἓν Βάπτισμα: *Vnam eſſe renouationem per Baptiſma & non ſecundam oſtendit,vt & in alia Epiſtola dicit,vna Fides, vnum Baptiſma.* Deniq; cauſæ ob quas repetendum baptiſmum quidam contendunt, inueniuntur falſæ,&contra Scripturam: & hoc ſufficit ad confutationem. Poſſumus tamen huic quæſtioni ſatisfacere etiam teſtimonio Papiſtarum. Nam in Indice Bibliorum Sixtinorum ita legas, *Baptiſmus non eſt iterandus, Ad Epheſ.4.verſ.5.Ad Heb.6.verſ.6.& 10.verſ.26.Idem declarat ipſius figura. Gen 17 verſ 14.prioris ad Corinth.10.v.2.* Tiletanus parte altera defenſionis Tridentinæ ad articulum de Charactere *Reſpondemus Catholicos conſtantiſſime ſemper tradidiſſe,baptiſmi ſacramentum ſemel rite ſuſceptum nulla ratione iterari & repeti poſſe:idq; non ſolum propter impreſſionem characteris:verum etiam propter ſolidiſſima, & manifeſtiſſima Scripturarum fundamenta & teſtimonia.*

LII. Percurri omnia capita,excepto vnico de Antichriſto. Negabat igitur Tannerus conſtare è Scriptura Antichriſtum veniſſe. Imo vero,conſtat ex eadem Antichriſtum venturum:non differunt autem præteritа a futuris,reipſa,ſed tantum ratione. Quemadmodum igitur Chriſtus à Prophetis olim prædictus non aliquid fuit noui,cum venit, ſed impleuit prophetias:ſic Antichriſtus cum reuelatus eſt, non poteſt dici aliquid eſſe non ſcriptum:ſed impleuiſſe ea quæ Apoſtoli lōge ante prædixerant Porro ſcriptura tam certis notis deſignat Antichriſtum, vt qui hodie dignus ſit hoc nomine,non difficile ſit indicare:cum vero ipſum præſentem ſic nouimus, ex Scripturis didicimus veniſſe Inſtat Tannerus:Non poteſt ex c.2. poſt.ad Theſſalon nec ex vnico alio loco euidenter vllo modo colligi etiam ſpectatis circunſtantijs:ergo non poterit ex Scriptura colligi ſepoſita autoritate Eccleſiæ,Antichriſtum veniſſe. Reſpondeo: primo quod ad vnicum locum coercere vult probationem aduentus Antichriſti, facere Tannerum non candide. Siue enim ex vno deducamus, ſiue ex pluribus comparatis, perinde eſt.Secundo negatur antecedens:nam & ex ſingulis quibuſdam,& ex pluribus comparatis,Catholici concludunt Antichriſtum veniſſe.

LIII. Quid habent igitur Papiſtæ quo Catholicis inſultent? imo quo Scripturis inſultent?Omnino nihil.Nam quæ protulerunt capita, partim ſuperſtitioſa fuerunt,vt molliſſime loquar,ac propterea non debent quæri in Scripturis,niſi forte quomodo crimina in iure,quomodo peſtis in medicina:partim adiaphora,ac propterea non neceſſario probanda è Scripturis: partim denique vera & pia,ſed omnia è Scripturis.Rurſus igitur dico, fruſtra laboraſſe in traducenda Scripturarum imperfectione, ſiue inſufficientia.Interea obſeruemus,adeo tranſuerſos agi a ſuarum Traditionum affectu,vt non dubitent certiſſima fidei dogmata concurrere:Nam etſi ſcholaſtice id faciunt,hoc eſt,ſumpta eorum perſona,quos ipſi condemnant, tamen ſcrupulos ingenerant infirmioribus animis, quibus certe eximendis non ſufficit Traditionis exſanguis autoritas.Et vt hæc non eſſent, tamen illud Ethnici hominis cogitare debuerunt,malam & impiam conſuetudinem eſſe contra Deum diſputandi,ſiue ex animo hoc fiat,ſiue ſimulate.

Cap. XI.

De iis,quæ Catholici obſeruant extra Scripturam.

I. HAc cum non proceſſit,alia aggrediuntur via. Hoſius in confeſſionē c.92. Si penes ſolos Apoſtolos hanc conſtituendi poteſtatem fuiſſe volunt,cur illis ipſis autorib.viri ac mulieres promiſcue cantant in Eccleſia? Denique cuius hoc eſt Apoſtoli inſtitutum,vt cantentur Pſalmi redacti in rythmos in fine concinentes,mutatis etiam, quod eſt neceſſe, multis verbis,quum id ipſimet Scripturā prohibere dicant?Cur alios prætereanouos ritus excogitant, quos enumerare longum foret?Hæc Hoſius. Hayus ſeuerior. Doce certo aliquo Scripturæ teſtimonio,ſola fide nos iuſtitiam, quam appellatis imputatiuam,adipiſci.Neminem mortalium poſſe omnibus Dei mandatis parere:omnia quæ ab hominibus fiunt peccata eſſe hominis voluntatem non eſſe liberam.Addit exemplum Caluini.qui Vbiquitarios Scripturæ teſtimonijs ad errorem de immenſitate corporis Domini abutentes,verbo non ſcripto repreſſit,lib.4.Inſtit.c.17.§.30. Ex his conficitur hoc argumentum: Si ipſi qui omnium maxime teſtantur à Scripturis non diſcedendum,vtuntur Traditionibus. Ergo Scriptura non continet omnia cerdenda.Probatur antecedens allatis exemplis.

II. Reſpondeo;primo negari conſequentiam: quia ex nullius hominis factis de Scriptura iudicandum eſt:ac proinde, ſi nos ipſi aliquid Eccleſiæ credendum proponamus tanquam dogma fidei,quod è Scripturis autoritatē non habeat,ipſi potius condemnandi ſimus impietatis,quam Scripturæ imperfectionis. Audiuimus Paulum non alijs tantum, ſed ſibi ipſi anathema dicentem ſi quid euangelizet,præter id quod euangelizatum.Audiuimus à Tertulliano à fide probandas perſonas non à perſonis fidem. Ne credant ergo aduerſarij,nos Arianos eſſe,aut Arianis ſimiles,qui cū nollēt à Catholicis vocem vnam induci,quam in ſcripturis non legebant,ipſi tamē multas ſibi permittebant inuehere.Nullam nos Papiſtis legē proponimus, à qua poſtulemus eximi.Atq; adeo ſic nobis miſericors Deus corda finxit, vt ſi quid aliquis nobis oſtendat in articulis noſtræ Confeſſionis, non deſumptum ex Verbo Dei,Verbo,inquam,ſcripto,ab eo potius receſſuri ſimus,quam vt admittamus quicquam in eum ordinem introducendum ex mera Traditione.

III. Sed in antecedentis probatione Hoſius ſeſe oſtendit hominem harum Controuerſiarum nondum capacem:cum diſcedit à dogmatis fidei,ad diſciplinæ partes,quas ſemper Catholici crediderunt eſſe liberæ obſeruationis. Tertullianus de Velandis Virginibus c.1 *Lege fidei manente cæteraiā diſciplinæ & conuerſationis admittunt nouitatem correctionis operante ſcilicet, & proficiente vſq; in finem gratia Dei.*

IV. Cantat apud nos plebs tota Pſalmos Dauidicos, cum in Eccleſiam conuenimus:Quidni?Nam ſi nō ſit inter Papiſtas,at nos olim ſcimus apud Catholicos factitatum.Baſilius Epiſt.63.ἐκ νυκτὸς ὀρθρίζει παρ᾽ ἡμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς, καὶ ἐν πόνῳ, καὶ ἐν θλίψει, καὶ ἐν συνοχῇ δακρύων ἐξομολογούμενοι τῷ Θεῷ, τελευταῖον ἀναστάντες τῶν προσευχῶν εἰς τὴν ψαλμῳδίαν καθίστανται. καὶ νῦν μὲν διχῇ διανεμηθέντες ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις, ὁμοῦ μὲν τὴν μελέτην τῶν λογίων ἐντεῦθεν κρατύνοντες, ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν προσοχὴν, καὶ τὸ ἀμετεώριστον τῶν καρδιῶν ἑαυτοῖς διακχούμενοι.(hæc poſtrema vox eſt nihili:reponam Διακονούμενοι an vero διακηνώμενοι:)ἔπειτα πάλιν ἐπιτρέψαντες ἑνὶ κατάρχειν τοῦ μέλους οἱ λοιποὶ ὑπηχοῦσι· καὶ οὕτως ἐν τῇ ποικιλίᾳ τῆς ψαλμῳδίας τὴν νύκτα διενεγκόντες μεταξὺ προσευχόμενοι, ἡμέρας ἤδη ὑπολαμπούσης, πάντες κοινῇ ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος, καὶ μιᾶς καρδίας τὸν τῆς ἐξολογήσεως ψαλμὸν ἀναφέρουσι τῷ κυρίῳ. ἴδια ἑαυτῶν ἕκαστος τὰ ῥήματα τῆς μετανοίας ποιούμενοι. *Nocte apud nos excitatur populus,abitq; ad domum orationis,& in labore,in afflictione,lacrymiſq; continuis confitentes Deo tandem ſurgentes à precibus,ſtant ad Pſalmodiam:tum partim bifariam diſtincti,pſallendo alternis reſpondent:eadem opera & oraculorum meditationem roborantes,cordiſq; attentionem nunquam vagam ſibi ipſis ſubminiſtrantes,ſiue exacuantes: deinde initio facto canendi ab vno aliquo, cui ſunt hæ partes impoſitæ,reliqui ſuccinunt: Atq; hac ratione,hacque pſallendi varietate intermixtis precibus noctem tollerantes: dic tandem illuceſcente, omnes ſimul tanquam vno ore vnoq; corde confeſſionis pſalmum deferunt ad Dominum,ſingulis interea ſibi tanquam ſua ſpeciatim applicantibus pænitentiæ verba.* Auguſtinus

Epiſt

Epist 119. *Quando autem non est tempus, cum in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur, aut disputatur, aut antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur? Aliis vero particulis temporum quid melius à congregatis Christianis fiat, quid sanctius, omnino non video.* Ita fiebat olim: omnes Christiani (in quibus, quis mulieres non numeret?) cum conueniebant, psallebant: nec credebant id paucorum esse clericorum, vt factum est, cum inualuit ignorantia, imo cum retenta est lingua peregrina. Illud si facimus, quid peccamus?

V. *At* hoc, inquiunt, non habetur in Scriptura. Inepte. Quasi vero ageretur de dogmate fidei, quod esse perpetuum oporteat: & non de decentia ordinis, quæ variari possit pro locis, temporibus, imo etiam personis. Nam & hæc ipsa psallendi consuetudo circa Basilii tempora inuecta est. Porro in ritibus consultissimum est *Augustini* consilium eadem Epist. 119. *Vna in his saluberrima regula tenenda est, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque instituí videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit.*

VI. Sed rythmice; quasi prosaice sit melius: aut quasi nefas sit carminibus Deum laudare. Quod si esset, quis Dauidem excuset, & reliquos autores Psalmorum, qui & suis versibus vsi sunt, & phrasi certe non pedestri? Nisi forte linguas distinguunt, vt nefas sit versibus Gallicis exprimere versus Hebraicos. Quo quid puerilius? Sed multa verba mutare est necesse. Imo, inquam, omnia, alioquin Hebraice cantaturis. Sed in rebus ipsis pietas est, non in verbis. Et falsum est Scriptura prohiberi hanc mutationem: nam contra verum est, præcipi potius à Paulo prioris ad Corinthios decimo quarto.

VII. Ioannes Hayus seuerior est, vtpote qui non μέσα quędam & ἀδιάφορα colligat, sed eos articulos, quos ad fidem pertinere nemo neget. Non est tamen difficilior apologia: sed tantum audacior accusatio. Sola fide nos iustitiam adipisci credimus, & iustitiam illam imputatiuam appellamus. Ita est sane: absit autem, vt non ex Scriptura. Quid enim reprehendunt? An imputatiuæ nomen? Si syllabas numeres, fatemur non magis legi, quam τὸ ὁμοούσιον τῆς τριάδος, Sacramentum, & similia. Sin rem ipsam, quis tam somnolenter Scripturam legit, vt non aduerterit, *Imputatum fuit illi ad iustitiam*, id est, ex idiomate sancto, pro iustitia, ad Rom. 4. ad Galat. 3. Iacobi 2. & longe ante Gen. 15. Et quis nescit nostra nobis imputari peccata, vt simus iusti? Id vero nihil significare potest aliud, quam cum reipsa non simus iusti propter peccata, necessario recurrendum ad eam gratiam, quæ, deletis peccatis nos habeat pro iustis. Ea res si appellatur apud nos imputata iustitia, quid peccamus? aut, quid ad Traditionarios?

VIII. Fide autem obtineri iustitiam, non negant Papistæ. Restat igitur, vt negent sola fide obtineri. Et quidem, si solam ita dicunt, vt nudam, omninoq; destitutam bonis operib. quemadmodum plurimi calumniantur, quasi opera bona aut contemnamus, aut reijciamus, tum merito clament id esse extra Scripturam: sed immerito tantum errorem nobis imputabũt. Absit vero, vt sic doceamus. Sin ita solam nominent, vt merita operũ excludantur à ratione iustificationis fidelium: Et fidem vnicam nobis à Deo imputari pro iustitia, quam ex operib. nullam habemus: tum vero nos id fatebimur & credere & docere: sed credere & docere, præuia Scriptura: in qua, etsi solius nomen non sit, tamẽ res ipsa tam est perspicua, vt quid aliud quam cæci sint, qui non vident? Nam opera excludi à Paulo mysterio iustificationis nostræ coram Deo, omnes iam sciunt præter non tam cæcos, quam pertinaces Papistas. Ad Rom. 3. *Colligimus fide iustificari hominem, absq; operibus legis.* Ad Eph. 2. *Gratia seruati estis per fidem: idq; non ex vobis: Dei donum est: non ex operibus: ne quis glorietur.* Vnde hîc educitur & legitimus & necessarius syllogismus: Aut sola fide iustificamur, aut ex operib. At non ex operibus: Ergo sola fide. Minor est ab Apostolo. Maior est necessaria, quia præter opera, nihil est, quod fidei adijciant. Origenes in 3. ad Rom. *Dicit sufficere solius fidei iustificationem.*

IX. Neminem mortalium posse omnibus Dei præceptis parere, nunquam quisquam dixit Catholicorum: sed neminem posse omnia præcepta implere, id vero Catholici & credunt & docent: Ea autem duo valde differunt. Nam etiam qui non implent, parent tamen, etsi non perficiant. Paulus 7. ad Rom. *Non facio bonum,* en tibi imperfectionem, *quod volo,* en tibi obedientiam. Rursus, *sed malum quod nolo,* ea est obedientia, *hoc ego,* hæc est imperfectio. Adde eos loco, qui testantur neminem esse absq; peccato: nam quia peccatum est ἀνομία, primæ Ioan. 3. id est, defectio à lege, sequitur eos, qui non sunt absq; peccato, discedere à lege, hoc est, non implere legem. Iã *si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Prouerb. 24. *Septies cadet iustus, & resurget.*

X. Omnibus quæ ab hominib. fiunt, esse peccata, non simpliciter dicunt Catholici: sed cum exceptione necessaria, si Deo iudice censeantur. Non enim tollunt omne discrimen iusti & iniusti, id a. ab Esaia didicerunt, didicerunt à Salomone. Esai. 62. *Quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Salom. Ecclesi. 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Didicerunt ex Iacobo. *Quisquis totam legem seruarit, offenderit autem in vno, omnibus tenetur.*

XI. Hominis voluntatem non esse liberam, calumnia est Iesuitarum in Catholicos. Horum nemo sic loquitur, aut credit: imo negant omnino vllam voluntatem esse posse, nisi liberam: quod enim coacte fit, illud est nõ voluntarium. Quid ergo? Videlicet, non quamlibet libertatem humanæ voluntati concedunt. Id autem si scelus est, scelerate olim damnati fuerint Pelagiani. Catholici ergo negant hominis voluntatem, quæ libera quidem est à necessitate, liberam esse à peccato, & miseria, donec liberetur per gratiam. Suapte igitur natura liberam esse tantum ad malum, vt non possit nisi peccare: etsi libenter, & libere peccet. Genes. 6. *Et vidit Deus quod multa malitia hominis in terra: & imaginatio cogitationum cordis eius tantum malum in omni die.* Ea naturalis est corruptio hominis, per quam voluntarie fit seruus peccati. Hinc vero si quæras, quomodo liberetur, docebit Christus Ioannis octauo. *Si vos Filius in libertatem vindicarit, vere liberi eritis.*

XII. Quare in articulis fidei nihil docent Catholici extra Scripturam nec suo exemplo Traditionarijs præeunt. Superest illud nescio quid de Caluino, quid repressisse dicitur Vbiquitarios verbo non scripto. Recito locum, Institutionis lib. 4. c. 17. §. 30. *Nam quod pro se testimonia illa adducunt, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit Filius hominis, qui est in cœlo. Item, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, eiusdem est stuporis spernere idiomatum κοινωνίαν, quæ non frustra olim à Sanctis Patribus inuenta est.* Hæc Caluinus: in quib. quia obseruauit Hayus nominatã ἰδιωμάτων κοινωνίαν atque eam quidem a Patribus inuentam, putauit Traditionem non scriptã ijs oppositam, qui abuterentur Scripturæ verbis.

XIII. Sed primo nunquam Catholici simpliciter & absolute, siue in vniuersum repudiarunt Traditionem non scriptam: atque adeo non hoc tantum loco, sed alijs infinitis Caluinus vtitur Patrum autoritate. Nempe putant Catholici multum valere ad veritatis triumphaturæ magnificentiam, si ex Scripturis vincat, & ex Patribus. Secundo, quod κοινωνίαν ἰδιωμάτων. Caluinus dixit à Patribus inuentam, nullum dogma significauit, sed verba illa quæ vtilia sint ad illustranda explicandaque dogmata; vel potius certos Scripturæ locos, qui ad dogmata pertinent. Itaq; verba quidem ipsa sunt à Patribus, at re ijs verbis significata est in Scripturæ vsu.

XIV. Habet autem se in se hunc modum: Quemadmodum cum infinitis locis legebant manus, brachia, pedes, aures, oculos, os, linguam Deo tribui, non proprie & κατὰ τὸ ῥητὸν, esset enim insignis blasphemia, sed ἀλληγορικῶς: Catholici nomen inuenerunt τῆς ἀνθρωποπαθείας, quo inter Theologos significaretur id genus allegoriæ, quæ Deo tribuit siue membra, siue affectiones hominum. Sic omnino, cum obseruarunt Scripturam, quod alterutri naturæ Christi conuenit toti tribuere personæ ex altera natura denominatæ, quæ species est Synecdochæ Rhetoricæ, hunc morem, siue hãc figuram loquendi Patres appellari voluerunt ἰδιωμάτων κοινωνίαν. Exempli gratia: Dixit Paulus, Deum gloriæ esse crucifixum. 2. c. prior. ad Cor. illi dixerunt in his verbis esse proprietatum communionem. Nam ad verbum & κατὰ τὸ ῥητὸν blasphemia est Deum, id est, diuinam naturam dicere crucifixam. Itaque certum est hominem fuisse crucifixum, sed vicissim certum est eundem hominem esse Deum, Deitati ὑποστατικῶς vnitum: Ergo rectè dicitur Deus crucifixus, etsi non quatenus Deus. Quare res ipsa, siue is modus loquendi est in Scriptura: sed id nomen, quo is modus significatur, inuentus est à Patribus. Sæpius autem diximus, fidem non verborum esse, sed rerum. Quare ne Caluinus quidem suo exemplo fauet Traditionarijs.

CAP. XII.

An per Traditionem dogmata probanda sint.

I. SI per Traditionem dogmata fidei probanda sunt & contra hæreticos tutanda, ergo Traditio est necessaria. Argumentum est Transyluanorum, Thesi 25. Et Charronæi, qui non dubitauit in hunc modum blasphemare, non tantum in Traditionibus plus esse momenti ad conuincendos hæreticos, quam in Scriptura, sed etiam omnem cum hæreticis disputationem terminandam esse per traditiones à maioribus relictas.

II. Antecedens Hayus confirmat exemplis Christi & Apostolorum. Nam Christus Iudæos admirãdis quæ edidit, operibus, vt crederent admonuissent, Ioan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et Lucæ 11. aliunde quam ex Scripturis Iudæos conuicisse: *Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt?* Paulum etiam ex alijs ribus, quam ex Scripturis argumenta duxisse: vt prioris ad Corinthios 15. *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra, inuenimur autem & falsi testes Dei,* Eundem non potuisse solius Scripturæ testimonijs Gentes refutare, quæ Scripturis fidem non habebant: itaque citasse Epimenidem ad Titum 1. & Aratum, Act. 17. & Menandrum 1. ad Corinth. 19. Transyluani exempla veterum congerunt, Irenæi Valentinianos refutantis, epistola ad Florinum Tertulliani Marcionistas: Nazianzeni Macedonianos: Basilij Eunomianos, Sabellianos, Arianos: Epiphanij, Mechisedecianos, Apostolicos, Aerianos, Hieronymi Vigilantium, Iouianum, Heluidium: Augustini Donatistas: Stephani & Cornelij Cyprianum: Denique Niceni Concilij Ephesini & Gangrensis.

III. Respondeo, negari consequentiam. Ratio est in promptu, quia tota hæc controuersia de Perfectione Scripturæ, hoc quærit vtrum omnia fidei dogmata contineantur in Scripturis: itaque in consequenti intelligendæ sunt Traditiones non quælibet, sed dogmatum. At antecedens agit non de ipsis dogmatibus, sed de eorum probandorum ratione. Mutatis igitur terminis, nulla esse potest vis argumenti.

IV. Sciunt omnes non esse necesse, vt omnia argumenta, quæ assumuntur ad probandum aliquod dogma fidei, sint etiam ipsa totidem dogmata fidei. Quod ipsa docetur experientia. Nam Paulus resurrectionem Corinthijs persuadere volens, vtitur exemplo sementis, quæ proiecta in terram moritur, vt reuiuiscat. Cyrillus Catech. 18. eandem probat ex Phœnice post mortem rediuiuo, & ex Lunæ innouatione. Athenagoras eandem illustrat congestis multis ex intima Philosophia. Resurrectionem sane articulum esse fidei, & quidem non minimum, nemo est Christianorum qui non profiteatur: sed sementem ad Physicam pertinere, Lunæ integrationem ad Astrologiam, alia alio, ne Iesuitæ quidem negent.

V. Quare in vniuersum distinguenda sunt dogmata à dogmatum probationib. Dogmata omnia Catholici asserunt ad finem proprie pertinentia esse scripta in libris sacris: probationes vero vndecunq; sumi posse, tum è Scripturis, atq; has quidem esse certissimas: tum ex autoribus Ecclesiasticis: tum ab Ethnicis: tum à natura: aliquando etiam ex fabulis. Nec improbant sane hac quidem parte Cani diligentiam, qui locos argumentorum Theologicorum indicauit, Scripturam, Traditiones, Ecclesiam, Concilia, Sanctos veteres, Scholasticos, rationem naturalem, Philosophos, Historiam. Nam ex his tum omnibus, tum singulis elici possunt non inutiles probationes; & quidem non excepta ipsa Ecclesia

cleſia Romana, cui Canus, ex ingenio Papiſtico, plus tribuit autoritatis, quam illa, quamdiu fuit in fide ſana, agnoſcere potuerit.

VI. Rurſus diſtinguendæ ſunt perſonæ. Nam cum eiuſmodi aduerſariis negotium poterit habere Catholicus, vt non tantum vtiles ſint, ſed etiam neceſſariæ probationes non ſcriptæ Nam ſi Scripturas prorſus reijciant, tũ ſane fruſtra videaris è Scripturarum autoritate diſputaturus: niſi prius de ipſis diſputaueris: ac proinde nemo negat alia quærenda eſſe argumenta: ſiue illa ſint ab autoritate miraculorum, & Eccleſiæ, ſiue rationes naturales, ſiue quid aliud. Τοῖς τὰ ἔγγραφα μὴ παραδεχομένοις, (inquit Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 9.) ἀγράφοις μάχου τοῖς ὅπλοις, ἐκ λογισμῶν μόνον καὶ ἀποδείξεων. *Contra eos qui ſcripta non admittunt, pugnato armis non ſcriptis, ex ſolis ratiocinationibus, & demonſtrationibus.*

VII. Sed vel ex his maxime apparet, quam infirmum ſit hoc argumentum ad Traditiones non ſcriptas confirmandas, eas ſcilicet, de quib. contendunt Papiſtæ, Diuinas, Apoſtolicas, Eccleſiaſticas. Nam qui reijciunt Scripturam, ſiue Ethnici ſiue hæretici, hi ne Traditionibus quidem illis quicquam deferunt. De Ethnicis res eſt per ſe perſpicua, ex Porphyrij, Celſi Iuliani etiam blaſphemijs. Et Papiſtæ experti ſunt in orbe illo nouo, plus profuiſſe cædes, ac tormenta, quam vllam Traditionum autoritatem. Irenæus lib. 3. capitib. 1. & 2. hæreticos deſcribit, primum Scripturas reijcientes, ijſdem argumentis, quibus hodie Papiſtas experimur: ſed Traditiones etiam flocci facientes. *Euenit* (inquit) *neq; Scripturis iam, neq; Traditioni conſentire eos.* Itaque hos neceſſe eſt, aut ἀνηττήτους abire, aut conuinci, neque Traditionibus, neq; Scripturis, ſed alijs argumentis. Quod ſi ab hac praxi infertur neceſſitas Traditionum, id eſt, imperfectio Scripturæ, infertur etiam neceſſitas aliorum argumentorum, id eſt, imperfectio Traditionum.

VIII. Hactenus de Conſequentia. In Antecedentis autem probatione, Tranſyluani ſtrenue Ieſuitas egerunt, hoc eſt, non ſincere, non vere. Primum eſt Irenæi exemplum. At Valentinianos Irenæus, itidem vt cæteros hæreticos, ipſe ſe teſtatur confutaſſe ex Scripturis. Verba diſerta ſunt præfatione in 3 lib. *In hoc autem tertio ex Scripturis inferemus offenſiones, vt nihil tibi ex his quæ præceperas, deſit à nobis.* Et paulo poſt, *Memento igitur eorum quæ diximus in prioribus duobus libris, & hæc illis adiungens pleniſſimam habebis à nobis aduerſus omnes hæreticos contradictionem.* Quis igitur hunc neget è Scripturis Valentinianos refutaſſe? Nihil igitur ad rem, ſi etiam ex Traditione. Sufficit enim ad Scripturæ perfectionem, ſi ex ea poſſunt hæreſes omnes confutari, quamuis aliunde etiam.

IX. Secundum exemplum erat Marcioniſtarum, quos ex Traditione Tertullianus refutarit. Vbi vero? Imo legantur quatuor libri eius contra Marcionem: & ſi vnquam alibi tam fuit Scripturarum, vt ita dicam, prodigus, vincant ſane Ieſuitæ. Fateor eundem non Marcionitas tantum, ſed etiam omnes ſui temporis hæreticos oppoſita Traditione cohibuiſſe. Sed præſcribendo, non autem refutando, aut ipſa dogmata retractando, vt eius vtar verbo.

X. Tertium exemplum Nazianzeni, Macedonianos confutantis, mẽdacium eſt. Exſtat oratio quarta Theologica aduerſus eos qui Spiritum Sanctum negabant eſſe Deum. Atque hos quidem ille inducit exprobrantes Catholicis diſceſſionem à Scriptura. Πάλιν, inquit, ὃ πολλάκις ἀνακυκλεῖς ἡμῖν τὸ ἄγραφον: quæ verba ſignificant inſtantiam hæreticorum ſubinde inculcantium in Scripturis Spiritum non appellari Deum. Reſpondet. Οὐ μὲν οὐ ξένον τοῦτο, οὐδὲ παρείσακτον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πάλαι καὶ τοῖς νῦν γνωριζόμενον καὶ παραγυμνούμενον, δέδεικται μὲν ἤδη πολλοῖς τῶν περὶ τούτου διαλαβόντων ὅσοι μὴ λίαν ῥᾴθυμοι μηδὲ παρέργως ταῖς θείαις γραφαῖς ἐντυγχάνουσιν: ἀλλὰ διασχόντες τὸ γράμμα καὶ εἴσω παρακύψαντες τὸ ἀπόθεν κάλλος ἰδεῖν ἠξιώθησαν. *Hoc vero non eſſe peregrinum, neq; recens inductum, ſed antiquis etiam, ijſq; qui adhuc ſunt ſuperſtites, & cognitum, & explicatum, demonſtratum iam eſt à multis qui hac de re diſſeruerunt, qui quidem neq; negligenter, neq; tanquam aliud agentes in diuinis Scripturis verſati ſunt: ſed diducta litera introſpicientes, interiorem pulchritudinem videre meruerunt.* Hæc quidem verba ſatis diſerte ſignificant demonſtrari è Scripturis Spiritum eſſe Deum: id eſt, confutare Macedonianos.

XI. Sed & reliquum diſputationis ita contexitur: vt primum oppugnentur ij, qui per illud ἄγραφον ipſas voces reijciebant, quas totidem ſyllabis non legebant in Scriptura. Hîc docet Nazianzenus rerum alias dici, nec eſſe: alias eſſe, nec dici: alias non eſſe, & dici tamen: alias denique nec eſſe nec dici: & in ſecundo ordine hanc quæſtionem eſſe. Atque hanc diſputationis partem ſic claudit: ταῦτα μὲν οὖν εἴποι τις ἂν τὸ ἄγραφον ὑποθέμενος, hæc dixerit aliquis ſupponens verum eſſe id quod obiectum eſt, non legi in Scripturis Spiritum eſſe Deum. Sed ſtatim ſecundam diſputationis partem aggrediens: ἤδη δὲ (inquit) ἥξει σοι καὶ ὁ τῶν μαρτυριῶν ἑσμὸς ἐξ ὧν ὅτι καὶ λίαν ἔγγραφος ἡ τοῦ πνεύματος θεότης ἀποδειχθήσεται τοῖς μὴ λίαν σκαιοῖς. *Iam vero irruet in te teſtimoniorum examen, quibus demonſtrabitur ijs quibus non eſt ſiniſtrum ingenium, maxime in Scripturis doceri Spiritus Deitatem.* Atque ad hunc locum Billius notat, *Spiritus Sancti Diuinitas ex Scripturis probatur*: id eſt, inquam ego, Macedoniani confutantur à Nazianzeno non ex Traditione, ſed è Scripturis: quod Tranſyluani negabant.

XII. Quartum exemplum Baſilij Eunomianos, Sabellianos, Arianos confutantis. Audiamus vero Baſilium lib. 2. contra Eunomium. Τίς ἂν οὖν τρόπος τῆς ἐξετάσεως δικαιότερος γένοιτο ἢ τοῖς διδάγμασι τοῖς παρὰ τοῦ πνεύματος ἡμῖν δεδομένοις τὸν ὅρον συγκρίνοντας, ὃ μὲν ἂν ἐκείνοις σύμφωνον εὕρωμεν καταδέχεσθαι, τὸ δὲ ἐναντίως ἔχον ἀπωσεῖν, καὶ ὡς ἐχθρὸν ἀποφεύγειν? *Quæ fuerit autem iuſtior inquirendi ratio, quam ſi comparata iſtius oratione, cum ijs quæ nos Spiritus Sanctus docuit, quicquid eis conſentaneum inueniemus admittamus contrarijs vero fidem nullam adhibeamus, atq; adeo illa vt inimica fugiamus.* Eſſe a. illa à Spiritu Sancto tradita dogmata de Scripturis intelligenda apparet ex ijs quæ ſtatim ſubijciuntur, cum quærit, ποίας ἔχει φωνὰς τῶν γραφῶν εἰς ἀπόδειξιν: quas habeat Scripturarum voces ad demonſtrationem. Contra Arianos autem celebris locus eſt, ex Epiſtola 80. ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή: *Iudicet nos Scriptura*: de quo actum eſt ſuperioris lib. capite decimo tertio.

XIII. Quintum exemplum erat Epiphanij contra Melchiſedecianos, Apoſtolicos, Arianos. Inconſiderate. Nam Traditionem Melchiſedecianis obijcit Epiphanius, non eorum dogmata refutans, aut aliquod fidei Catholicæ caput tractans, ſed aliud quod pertinet ad hiſtoriam, ſcilicet qui fuiſſent Melchiſedeci parentes, Καὶ γὰρ παρά τισι τοῦ Μελχισεδὲκ ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ ἐμφέρεται, οὐκ ἔχει δὲ κατὰ τὰς ὄντως γραφὰς καὶ ἐνδιαθέτους, ἔφασαν δέ τινες Ἡρακλᾶν καλεῖσθαι αὐτοῦ πατέρα, μητέρα δὲ Ἀσταρὼθ, τὴν καὶ Ἀστερίαν. *Apud quoſdam Melchiſedeci pater ac mater habentur, quos tamen non habet iuxta indubitatas & Canonicas Scripturas. Dixerunt autem quidam patrem vocari Eraclam, matrem Aſtaroth, vel Aſteriam.* En tibi magnum illud myſterium, cui Epiphanius Traditionem teſtem adhibet Et paulo poſt, cum obſeruaſſet in Scripturis æque non legi parentes, Danielis, Sidrac, Miſac, Abdenago, & Eliæ Theſbitæ, tum infert: ἵνα δὲ μὴ κατὰ τὸ τοιοῦτον ζήτηται, οὐδὲν λυπήσει ἃ ἐν παραδόσει κατειλήφαμεν λέγειν. *Ne vero quid inde erroris accidat, nihil nocebit, ea quæ in Traditionibus deprehendimus, dicere.* Tum ſubdit ſe Danielis, & Eliæ parentes, genealogiamque alicubi comperiſſe. En tibi cauſam, quæ Ieſuitas mouit, vt Melchiſedechianos dicerent ab Epiphanio refutatos, ex Traditione.

XIV. Contra Apoſtolicos: agit de Virginitate ſeruanda: ex occaſione tamen: non enim ille eorum error, qui nuptias potius deteſtabantur: ſed quia inciderat in Apoſtoli locum, negantis eum peccare, qui Virginem ſuam viro elocat. Hac igitur occaſione multa dicit de virginitate ſeruanda: Et cum ſibi non ſatisfacit in explicandis Scripturis; quadam quaſi deſperatione confugit ad Traditiones: qua de re alias prolixius. Interea obſeruemus, non opponi hæreticis hoc loco Traditionem, ſed ipſi Scripturæ. Ita enim ſolet accidere: vt qui non ſcriptis Traditionibus animum appulerũt, eo tantum deueniant, vt iuxta earum placitum Scripturas ſacras inflectant vt hoc ſaltem incommodo diſcamus quanti ſit periculi in Eccleſia Traditionum introductio.

XV. Contra Aerianos agit de Diſtinctione Epiſcopi & Presbyteri, de Paſcha celebrando, de recitandis defunctorum nominibus, de ſtatis ieiuniorum diebus. Atque hæc capita non confirmat niſi ex Traditione. Non enim poterat è Scripturis. Nam primum in ijs nullum eſt fidei dogma. Deinde de Epiſcopis ac presbyteris, malam tuetur cauſam. Hieronymus enim & Ambroſius, & alij (quod alias Deo dante docebimus) ex Scriptura probant, non diſtingui, id eſt, Aerium recte ſentire. Quod rurſus detegit Traditionum male certam fidem. Recitabantur initio defunctorum nomina non omnium, aut quorumlibet, ſed quorum memoriam intererat conſeruari, poſtea additæ ſunt preces: ita paulatim conſuetudine, id eſt, Traditione in peius ruente, Paſcha & ieiunia mere ad diſciplinam pertinent: in qua nos ipſi non contemnimus autoritatem Eccleſiæ, dum modo legitimam.

XVI. Sextum exemplum erat Hieronymi contra Vigilantium, Iouinianum, Heluidium. Sed cum Heluidio quæſtio erat de perpetua Mariæ virginitate. At hæc, vt ante docuimus ex Baſilio, pie creditur, non pertinet tamẽ ad articulos fidei Et nihilominus eam non probat Hieronymus ex Traditione: ſed hoc potius contra Traditiones axiomate. *Vt hæc, quæ ſcripta ſunt, non negamus, ita ea quæ non ſcripta, renuimus.* Cui vtinam ſtare vellent aduerſarij. Cũ Iouiniano agitur de differentia Virginitatis & matrimonij, vtrum baptizati poſſint peccare: de ieiunio, de æqualitate peccatorum ac meritorum. In primo cauſam Hieronymus tuetur non bonam, quam etiã ex mala deteriorem diſputando facit, pro innata vehementia, & victoriæ cupiditate: tertium caput non ad fidem, ſed pertinebat ad ritus. Reliqua ad doctrinam pertinebant. Porro percurrantur quæ ſcripta ſunt contra Iouinianum, conſtabit ipſis teſtibus oculis Hieronymum nunquam pro argumento illi Traditionum obijcere. Vigilantius negabat honorandas eſſe reliquias Sanctorum, damnabat vigilias: nunquam niſi in Paſcha cantandũ volebat Alleluja: continentiam hæreſin, pudicitiam libidinis ſeminarium appellabat. Quorum capitum duo poſtrema abſurdiſſima ſunt: & tamen de ijs non diſputat Hieronymus. Reliqua non ſunt fidei dogmata. Nam honorandas reliquias, intellige ciuiliter tantum: non religioſe, vt fit apud Papiſtas: Vigiliæ & Alleluja, omnino ad politiam Eccleſiaſticam pertinent, itaque potuerunt ex Traditione diſputari, abſque vllo Scripturæ diſpendio.

XVII. Septimum exemplum Auguſtini contra Donatiſtas. Et tamen plurimis locis ſe teſtatur Auguſtinus totam cum illis cauſam velle ex Scripturis decidere. Epiſt. 163. cum de diſputatione cum illis ineunda loqueretur, cum alias, tum hanc legem poni volebat. *Faciamus* (inquit) *Codices Canonicos præſto eſſe, & ſi quæ proferri potuerint ex vtraq; parte documenta, vt poſt poſitis cæteris* (en tibi Traditionis autoritatem) *rem tantam & bono animo cœptam ad inquiſitionis terminum perducamus.* Rurſus de Vnitate Eccleſiæ c. 3. *Sunt certe libri Dominici, quorum autoritati vtriq; conſentimus, vtriq; credimus, vtriq; ſeruimus, vbi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtrã.* Mitto alia. Ergo Auguſtinus paratus fuit cum Donatiſtis diſputare è Scripturis. Itaque ſi quando Traditiones in auxilium aduocauit, nihil præiudicauit perfectioni Scripturarum.

XVIII. Octauum Exemplum, Stephani & Cornelij reſiſtentium Cypriano in quæſtione de iterando Baptiſmo. Hic vero cur Cornelius nominetur non video. Stephanum ſcio improbaſſe & merito Cypriani ſententiam, cõtraque ſcripſiſſe atque præcepiſſe: ſed eius ſcripta nulla exſtant, vt de ijs iudicare poſſimus. Tantum in Cypriani Epiſtola 74. hæc habentur illius verba Nihil innouetur, niſi quod traditum eſt. Hæc vero nihil habent certi quod definiri poſſit. Primum enim traditio ambigua eſt, & Scripturas etiam comprehendit, æque ac viuam vocem. Vnde Cypriano data eſt occaſio interrogandi, vnde illa eſſet, vtrumne de Dominica & Euangelica autoritate deſcẽdens, an de Apoſtolorum mandatis atq; epiſtolis veniens. Secundo, ſi intelligitur non ſcripta Traditio, tamen ex ea ſemel nominata nõ conficitur, Stephanum nullo è Scripturis argumento vſum eſſe: tertio, ſi nullo vſus eſt, tamen non conficitur, dogma de non iterando baptiſmo non educi ex Scripturis.

XIX. Nonum exemplum erat Conciliorum Niceni, Epheſini, Gangrenſis. Ex quibus Nicenum quidem Arium damnauit. Sed, an ex Traditione non ſcripta? Minime vero. Agebatur enim de maximo myſterio, id eſt, Trinitatis, quod ſi nullum haberet fundamentum præter Traditionem nõ ſcriptam, non tam alias radices egiſſet in Eccleſia. Et ſane, cur ad Traditionem confugiſſent Patres, cum, teſte Bellarmino de Verbo Dei lib 4. c. 11. reſpondens ad ſibi obiectum Conſtantinum, fateatur eorum omnium dogmatum, quæ ad naturam Dei pertinent, exſtare in Scripturis teſtimonia, & poſſe nos circa ea dogmata plene & plane inſtitui ex ſcripturis? Et rurſus, ad

ſus, ad

ſus, ad Auguſtinum in illis quæſtionibus quæ tunc erant, exſtare in Scriptura clariſſima teſtimonia? Sed non opus eſt coniecturis, cum teſtes ſuppetant. Apud Socratem libr.1.c.5. iuxta editionem Chriſtophorſoni, ita legas ex Euſebij literis, καὶ τὸν ἀναθεματισμὸν τὸν μετὰ τὴν πίστιν πρὸς αὐτῶν ἐκτεθέντα, ἄλυπον εἶναι ἡγησάμεθα, διὰ τὸ ἀπείργειν ἀγράφοις χρήσασθαι φωναῖς. διὸ σχεδὸν ἡ πᾶσα γέγονε σύγχυσις καὶ ἀκαταστασία τῶν ἐκκλησιῶν. μηδεμιᾶς γοῦν θεοπνεύστου γραφῆς τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ ἦν ποτε ὅτε μὴ ἦν, καὶ τοῖς ἑξῆς ἐπιλεγομένοις, οὐκ εὔλογον ἐφάνη ταῦτα λέγειν καὶ διδάσκειν, *Sed & Anathematiſmum qui poſt fidem ab illis propoſitus eſt, cenſemus neminem offendere poſſe, quia vetet vocibus non ſcriptis, quarum occaſione omnis ferme in Eccleſias confuſio & perturbatio inuecta eſt. Cum igitur nulla diuina Scriptura his vocibus vſa ſit ex non exſtantib. & tempus erat quando non erat, & quæ iſtis conſequentia dicuntur, minime conſentaneum viſum eſt has dicere & docere.* Vnde manifeſtum fit: tantum abeſſe, vt Concilium pro fundamento Traditiones habuerit non ſcriptas in refutandis Arianis, vt potius hoc argumento Arianorum blaſphemias reiecerit & damnarit, quod non eſſent in Scripturis. Mitto teſtimonium Athanaſij, de quo agemus poſtea teſtantis Arianos ἐξ ἐγγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων καταχελασθῆναι, *ex iis quæ ſcripta ſunt pie intellectis condemnatos eſſe*: quem locum miſere Chriſtophorſonus corrupit. Mitto Imperatoris exhortationem ab initio Concilij, vniuerſo Patrũ conſenſu approbatam, de qua prolixe egimus libro præced. cap.10. Contra hæc argumenta: contra hos teſtes, quis Ieſuitis fidem habeat?

XX. Concilium Gangrenſe damnauit Euſtathianos, quorum errores, ſi erant iſti, Damnandas nuptias cum in clero tum in plebe: veſtimentis vtendum inſolitis: reditus Eccleſiæ aſſignatos ſibi arrogare: ieiunia contemnere: & nonnulla præterea his ſimilia. In his ſane condemnandis, etſi poterat Traditionis autoritas aſſumi, cum magnam partem pertineant ad diſciplinam, non ad fidem: tamen nullo loco vſurpatam legi in actis eius Concilij. Niſi quod ſub finem hæc habentur: ἀποδεχόμεθα καὶ τὰς καθ' ὑπερβολὴν διακονίας τῶν ἀδελφῶν, τὰς κατὰ τὰς παραδόσεις διὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς τοὺς πτωχοὺς γινομένας μακαρίζομεν, καὶ πάντα συνελόντας εἰπεῖν, τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῶν ἀποστολικῶν παραδόσεων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γίνεσθαι εὐχόμεθα. *Recipimus, & bona opera quæ ſupra vires in fratres pauperes exercentur, ſecundum Eccleſiaſticas Traditiones beatificamus: & omnia quæ per ſanctas Scripturas & per Apoſtolos ſunt tradita, in Eccleſia celebrari optamus.* Quæ verba nihil habent ex quo inferri queat Scripturarum imperfectio: quandoquidem de rebus fidei, dogmatibuſque neceſſariis in hoc Concilio nullus ſermo fuit. Nuptiarũ autem damnationem, & ieiuniorum, nemo neſcit è Scripturis conuinci.

XXI. Epheſinum Concilium damnauit Neſtorium: Ex Traditione, ſi Ieſuitis credimus: ſed poſt tot experimenta fallaciarum, quis illis vel iuratis fidem habeat? Certe Neſtorianæ hæreſis dogmata ex Scripturis conuinci nemo iam ignorare poteſt, poſt tot cum aliorum, tũ Alexandrini Cyrilli labores laudatiſſimos. Imo Epiſtola eius Concilij nomine ad Neſtorium ſcripta poſt longam ex Scripturis diſputationem, his verbis clauditur, *Hæc ſæpe edocti ſumus, tam à ſanctis Apoſtolis, quam Euangeliſtis, & ab omni Scriptura diuinitus inſpirata, nec non & à beatis patrum confeſſionibus veritate ſubnixis.* Non igitur ex Traditione non ſcripta. Nam ea ipſa quæ diſcuntur à Patribus hoc nomine cenſeri non poſſunt, ſi diſcuntur etiam à Scriptura: niſi forte ſuas ipſorum definitiones aduerſarij retractent.

CAP. XIII.

An hæretici contemnant Traditiones.

I. Bellarminus ab hæreticorum conſenſu in Traditionibus contemnendis argumentum ducit. Nam ſicut ex communi conſenſu Sanctorum Patrum omnium ætatum recipientium Traditiones, collegit eas eſſe recipiendas: ita ex communi conſenſu hæreticorum omnium ætatum reiicientium Traditiones colligit eſſe reiiciendas. Quaſi in hunc modum diſpoſitio ſyllogiſmo: Quæcunque ab omnibus hæreticis ſemper reiecta ſunt, ea ſunt à Catholicis recipienda. At Traditiones non ſcriptæ ab omnibus ſemper hæreticis ſunt reiectæ: Ergo Traditiones non ſcriptæ ſunt à Catholicis recipiendæ.

II. Aſſumptionem probat inductione. Valentiniani & Marcionitæ Traditiones Eccleſiæ non ſcriptas reiiciebant: teſtibus Irenæo lib.3.c.2. & Tertulliano de Præſcriptionibus. Cyprianus, Epiſtola ad Pompeium, a Traditione prouocauit ad Scripturam in quæſtione de Anabaptiſmo. Donatiſtæ ſemper Scripturas vrgebant, & Auguſtinus eis Traditiones obiiciebat, de Vnitate Eccleſiæ cap.19. Arianos nullo modo quidquam præter Scripturas admiſiſſe teſtatur Hilarius libro contra Conſtantium: & Auguſtinus lib.1. contra Maximinum in princip. & Epiphanius hæreſi 69. & 73. Arianos Traditiones reieciſſe ſcribit Epiphanius hæreſi 75. Idem de Eunomianis patet ex Baſilio libro de Spiritu Sancto c.27 & 29. Idem de Neſtorio, Eutychete, Dioſcoro refert Baſilius Ancyranus in 7. Synodo act.1. De Apoſtolicis Bernardus hom.66. in Cantica: De Ioanne Wiclefo, Thomas Waldenſis lib.2. doctrinalis fidei antiquæ c.19.

III. Sed Syllogiſmi maior eſt falſa. Nam neque omnia reiicienda ſunt, quæ hæretici recipiunt, ſiue ſinguli ſiue omnes, vtpote Deum eſſe, & quidẽ colendum, eſſe aliquam Scripturam Sanctam, & ſi qua ſunt ſimilia: neque omnia recipienda quæ illi reiiciunt, vt Ethnicorum Idololatria, Sacrificia Iudæorum, & alia nonnulla. Nec valet confirmatio ab exemplo & conſenſu omnium Patrum: nam etiamſi daretur, Patres omnes vno & communi conſenſu nihil recipere niſi pium: tamen non ſequeretur hæretico nihil admittere non impium. Nullus enim fuit vnquam adeo deſperatus hæreticus, vt non haberet aliquid commune cum Catholicis.

IV. Atque adeo, cum ad Scripturas prouocarunt hæretici in diſputationib. de dogmatib. Chriſtianis, nunquam à Sanctis Patrib. reiecti ſunt, quin potius approbati, obuiis vlnis prouocationem amplectentibus ſerioque laudantibus. Hilarius de Trinitate lib.3. *Bene habet, vt iis quæ ſcripta ſunt contentus ſis.* Baſilius Epiſtola 80. cum ab Arianis prouocaretur ad Traditionẽ, id eſt, conſuetudinem, & ad Scripturas: traditionem recuſauit iudicem, Scripturas adoptauit, vt vidimus alias. Auguſtinus lib.5. de Baptiſmo contra Donatiſtas, 26. de Cypriano iterationem Baptiſmi aſſerente, *Quod autem nos admonet, vt ad fontem recurramus, id eſt, Apoſtolicam traditionem* (id eſt Scripturam, vt patet ex Cypriano) *& inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum.* Epiſt.222. *Omnes hæretici, qui Scripturas in autoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cum ſuos potius ſectentur errores. Ac per hoc non quod eas contemnant* (ferri poteſt hæc lectio: ſed videant docti an non melior, *non quod eas non contemnant*) *ſed quod eas non intelligant, hæretici ſunt.* Ipſe Bernardus, etſi valde inclinata ætate Eccleſiæ, & iam traditionibus infecta, tamen in Cantica, ſerm.65. cum hæreticus diceret, *Quo mihi Euangelij loco monſtras prohibitum iſtud:* hanc inſtantiam non reiicit, non eſt abominatus, vt hæreticam, ſed: *Euangelium* (inquit) *appellaſti, ad Euangelium ibis.*

V. Quid? quod hæreticis Catholici viam præiuerunt? Auguſtinus remoueri voluit Conciliorum nomina, & Scripturarum autoritatibus diſputari cum Arianis. Conſtantinus in Concilio Niceno, voluit literarum diuinitus inſpiratarum teſtimoniis res in quæſtionem deductas diſſolui. Ad cuius exemplum vt videtur, Probus ille moderator diſputationis Athanaſij cum Ario ſtatim initio hanc quaſi legẽ poſuit, *Dignamini euidentioribus Scripturæ diuinæ teſtimoniis aſſertionum veſtrarum ſententias communire,* cui non tantũ non hæreticus, ſed ne Athanaſius quidem intercedit. Theodoretus Dialogo 1.c.6. aduerſarium obteſtatur ne ratiocinationes proferat humanas, addita cauſa, ἐγὼ γὰρ μόνῃ πείθομαι τῇ θείᾳ γραφῇ, *Ego me ſola diuina Scriptura perſuaderi patiar.* Adeo fuerunt hac quidem in parte, Catholicorum vel diſcipuli, vel ſimiæ hæretici.

VI. Eſt igitur falſa maior. Sed non minus Aſſumptio. Quid enim? Nonne, ſi omnes reiecerunt Traditiones, ſequitur omnes ſolam Scripturam iactaſſe ad eamque prouocaſſe: At hoc poſterius eſt falſum. Irenæus libri 3. c. 2. dixit hæreticos ſui temporis, cum ex Scripturis arguebantur, ſolere conuerti in accuſationem ipſarum Scripturarum, *quaſi* (inquit) *non recte habeant, neque ſint ex autoritate. Et quia variæ ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inueniri veritas ab his qui neſciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed per viuam vocem.* Audin' tu Gnoſticos, Bellarmine? Imo vero audin' tu tuos Papiſtas? Papiſtæ enim totidem, vt ita dicam, verbis iiſdem certe argumentis, Scripturas impugnant. Auguſtinus dixit, omnes inſipientiſſimos hæreticos audacias figmentorum ſuorum colorare, occaſione eius ſententiæ, vbi Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo:* Qua eadem Papiſtæ abutuntur hodie, ad Traditiones ſtabiliendas. Arianos etiam ἐκ τῶν ἀγράφων ἀσεβήσαντας docet Athanaſius apud Theodoretum hiſtoriæ lib.1.c.8.

VII. Quanquam, quid opus eſt, aut argumentis, aut teſtibus? Nam ipſa Bellarmini inductio ſatis teſtatur non poſſe Aſſumptionem eſſe verã. Quid enim habebat Aſſumptio? Traditiones communi conſenſu hæreticorum omnium ætatum fuiſſe reiectas. Quantum igitur putes numerum fuiſſe debere nominatorum? Nam immenſam hæreticorum quantitatem à Chriſto, ad nos vſque quis neſcit? Epiphanius numerauit circiter octoginta, Auguſtinus nonaginta: atque ex eo tempore multæ ſunt additæ. Bellarminus tamen omnino duodecim tantum nominauit. Et hi ſunt illi pro omnium ætatum hæreticis. Satin' ſane?

VIII. Et tamen ipſam enumerationem conſideremus Valentinianos & Marcionitas Irenæus, primo aduerſari dici Scripturæ in eiuſque accuſationẽ conuerti, vt diximus. Secundo, nego dixiſſe eos reiicere traditiones in vniuerſũ: ſed tantũ certas Traditiones. Dicam manifeſtius. Hoc notat Irenæus, eos hæreticos, cũ à Catholicis audirent Scripturas ſibi obiici, eis oppoſuiſſe traditionem viuæ vocis: non enim per literas traditã fuiſſe veritatẽ: Quis ergo iã non videt omnino hoc genus hominũ eximendũ eſſe ab eorũ numero, qui Traditiones improbant: Hoc cum Catholici viderent, ſcilicet ita Scripturas reiici, tum traditionem, quæ erat ab Apoſtolis, obiiciebant: tum illi ſe iactabant indubitate, incontaminate, & ſincere abſconditũ ſcire myſterium. Id autem ſignificat illos non traditionem in vniuerſum repudiaſſe, ſed illam tantum qua vrgebantur, obiicientes ſuã. Quemadmodum, vt exemplo rẽ illuſtrem, cũ diſſenſio erat de Paſchate, Quartadecimani nolebant deferri traditioni reliquarum Eccleſiarum, ſed ſuæ, quam ſe habere iactabant à Ioanne. Itaque etſi illam non admitterent, tamen non poterant dici traditionem in vniuerſum reſpuere: ſed tantum traditionẽ traditioni anteferre. Nam ne nos quidem aduerſarij numerabunt inter hoſtes Scripturarum, etſi repudiantes è Canone Machabæos, reliquoſque eius ordinis.

IX. Tertullianus etiam nuſquam, quod ſciam, eos hæreticos notauit tanquam hoſtes Traditionum. Contra potius. Nam hæc eius verba ſunt, ex eodem libro de Præſcript. c.17. *Iſta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas: & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit: & ſi recipit, non recipit integras: & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit.* Hic quid appellamus, quæſo additiones? Doctrinamne Scripturis Sacris comprehenſam? an, quid extrinſecus aſcitum, id eſt, traditionem non ſcriptam? Certe expoſitionem Scripturarum, Papiſtæ volunt eſſe Traditionem. Sed hæc paulo ſunt obſcuriora. Iſta vero, quo fuco eludentur? Cap.22. ſolent dicere, *Omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe, quædam enim palam* (ca.25.) *& vniuerſis, quædam ſecreto, & paucis demandaſſe.* En, non audis Traditionarios? Et quidem depoſitum, ſapientiamque inter perfectos, iactantes ſe apud Apoſtolum legiſſe. En igitur Papiſtas. Cur negat Bellarminus? Nam quod eis traditionem Tertullianus opponit Eccleſiarum Apoſtolicarũ non efficit eos non eſſe vſos Traditione: ſed tantum, aut non bene vſos, aut non bona.

X. Cyprianum certe fateor errorẽ ſuũ de iteratione Baptiſmi defendere voluiſſe, autoritate Scripturæ. Nimirum Catholicus erat, etſi hac parte aliquid humanum paſſus. Inter Catholicos autem id axioma didicerat, quo alias Aquarios oppugnabat. Et quidem oſtendat Bellarminus, ſi poteſt, ex iis omnibus qui Cypriano reſtiterunt, vnũ aliquem, à quo hæc Cypriani prouocatione à traditio ad Scripturam ſit traducta tanquam erronea: & vicerit. Imo vero vide Papiſtarum ingenium: hanc prouocationem nunc damnant: Et tamen eius prouocationis verba inter Canones olim retulerunt: extant enim apud Gratianum diſt.8. vt mittam quod antea dixi, laudari ab Auguſtino. Vt facile ſit cuilibet æquo lectori iudicare, Cyprianum

eo peccasse,non quod ad Scripturam prouocaret, sed quod eadem abuteretur.

XI. Donatistis nullum antiquitas errorem vnquam obiecit,præter vnicũ de Baptismo à sceleratis accepto iterando: vnde constat in reliquis capitib. sensisse cum Catholicis. Et sane nunquam inuenias Augustinum, aut aliquem ex Patribus,illis vitio vertisse,quod è Scripturis disputarent.Imo huc ipsos sæpe Augustinus prouocat. Rursus itaque fidenter dico, id quod illis hodie à Iesuitis pro crimine obiicitur,eos didicisse ab Ecclesia Catholica,retinuisseque,vt dogmata de Trinitate, & reliqua,etiam in schismate.Fateor illis oppositas fuisse Traditiones, id est consuetudinem siue praxim Ecclesiæ.Sed hoc nihil ad rem:vt sæpe diximus. Quid enim obstat,quominus ea etiam,quæ constant autoritate Scripturæ, confirmemus etiam per Traditionem?

XII. De Arianis sæpius diximus;& illos importunos fuisse in expofcendis Scripturis,non quo ad dogmatum confirmationem,sed quoad vsum vocabulorum:eisque traditionem à Catholicis oppositam fuisse,non dogmatũ, non scriptorum,sed vocabulorum. Itaque nihil hoc exemplo conficitur pro traditionibus iis de quibus disputamus.Præterea vlos esse traditione nõ scriptorum dogmatum apparet,tum ex eo quod ante citauimus ex Eusebio ἐκ τῶν ἀγράφων ἀσεβῆσαι, tum ex Auxentio Mediolanensi, Epistola ad Valentinianum & Valentẽ,quæ est in operibus Hilarij,*Ex infantia quemadmodum doctus sum,sicut accepi de Sanctis Scripturis credidi.* Quibus verbis Scripturæ connectitur,imo præponitur Traditio.Denique ex Basilij Epistol.14. τοῦτο γὰρ αὐτοῖς ἀεί ἐστιν ἐπιμελὲς μὴ ἐκ τῶν θείων γραφῶν διδάσκειν τὰς ἀκεραιοτέρας ψυχάς, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἔξωθεν σοφίας παραχαράσσειν τὴν ἀλήθειαν, *Hoc enim illis perpetuo studio agitur, ne ex diuinis Scripturis simpliciorum animi rite doceantur, sed vt per extraneam philosophiam veritas refellatur.*

XIII. De Arianis,& Eunomianis noui nihil est quod respondeam,præter ea quæ superiori capite.De Nestorio,Eutychete,& Dioscoro,egregium sane testem laudauit Bellarminus Basilium Ancyranum,non tantum Iconolatram,quorum hominum nullum fuit,nisi in traditionibus perfugium,sed etiam ab iis hęreticis,longe dissitum interuallo.At cur non potius ex iis athletis aliquem, quos eis Dominus opposuit? Nam hi, ex re præsenti testes aduocati, multo essent certiores:vt qui eorum causam ad vnguem tenebãt. Enimuero,si eorum nemo vel Nestorium, vel Eutychetem,vel Dioscorum accusauit eo nomine,quod soli Scripturæ adhærere vellet,quo Spiritu hunc oportet agitatum, cui tam sero hæc calumnia in mentem venerit? Certe Iconolatrico.

XIV. De Apostolicis respondemus Bernardi tempora iam inclinatiora fuisse in superstitionẽ,eamq; ob causam traditionib. etiam addictiora.Itaque non esse eorũ legitimum in hac causa testimonium. Et tamen nõ video quid Bernardus de Apostolicis dicat,quod valde faueat Traditionariis.Lego,*pro libitu quisq; suo sacramenta Ecclesiæ tanquam matris viscera dente Viperæ certatim inter se dilacerare contendunt.* Et rursus, *Qui Ecclesiam non agnoscunt,non est mirum si ordinibus Ecclesiæ detrahunt,si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt,si mandatis non obediunt.* At hæc quid quæso ad traditiones non scriptas? An vero nulli sunt Ecclesiæ ordines,nulla instituta, nulla sacramenta,nulla mandata, nisi præter Scripturam? Imo quicunque ordinibus eis,qui in Scriptura describuntur,detrahunt,is detrahere merito dicitur ordinibus Ecclesiæ: quia eos ordines Ecclesia suscepit, quos Scriptura describit: similiter instituta, similiter sacramenta, similiter mandata.

XV. Wiclefus apud Thomam Valdensem,Doctrinalis lib.2.c.19 ita loquitur,*Videtur inferri,quod nulli fratres,vel prælati quicquam debeant in materia fidei definire,nisi ad hoc habuerint Scripturæ autoritatem,vel reuelationem à Spiritu Sancto specialem.* Istud opinor Bellarminum male habet. Sed quid tum? An propterea hæreticum est? Imo nunquam aliter in Ecclesia factum, quam Wiclefus designauit. Prophetæ, Apostoli,reuelatione speciali nixi, definierunt articulos fidei.Post Prophetas& Apostolos,nemo omnino,nisi ex Scripturę testimoniis.Itaque ne Valdensis quidem Wiclefum audet improbare,aut impugnare:sed fingit sibi nescio quos dolos, quę incommoda *Nõ vitupero* (inquit) *viam datam:sed latentem damno proteruiam & astutiam versipellem.* Enimuero nos Valdensem sinamus esse cautum. Sed Wiclefum intempestiuus timor,non debuit,imo non potuit hæreticum facere. Si qui sunt Arij,Sabellij,Manichæi,Pepuziani,qui Scripturarum,& Spiritus prætextu monstra inuehant in Ecclesiam, hos sane communibus animis impugnemus:sed vt propter illos,viam illam deseramus, quæ improbari nequeat,Iesuita dignius est,quam Christiano.

XVI. Est igitur inutilis argumentatio Bellarmini.Sed Transyluani,thesi 28.seuerius multo hoc ipsum tractant argumentum. Non enim tantum asserunt omnes hæreticos reiecisse traditiones: sed fortius, non minus pro hæretico semper habitum fuisse,qui Ecclesiasticas traditiones reiecit, quã qui Sacris literis fidem non habuit. Et probant autoritate Origenis in explanatione 1.c.Epistolæ ad Titum,*Hæreticus* (inquit) *nobis habendus est, omnis ille, qui Christo se credere profitetur, & aliud de veritate fidei Christianæ credit,quam quod habet traditio Ecclesiastica.* Ignatium addunt Epistola ad Hieronem,*Omnis qui dixerit præter illa,quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit,tametsi virginitatem seruet,tametsi signa faciat,tametsi prophetet,lupus tibi appareat in grege,ouium corruptionem operans.*

XVII. Sed Catholici agnoscunt hæreseos nomen varie fuisse vsurpatum, adeoque late à nonnullis prolatum,vt quicquid,vel incommode fuerit aliquando dictum,vel aliter quam præiudicata ferebat opinio, id inter hæreses ab iis fuerit numeratum.Sic Philastrius hæreticos non dubitauit appellare eos,qui vnicam terrã esse assererent,qui stellis nomina ab Ethnicis imposita retinerent, qui incertum dicerent numerum annorum ab exordio mundi,qui totum Psalterium negarent esse compositum à Dauide, qui docerent stellas firmamento esse affixas: & infinita huiusmodi. Vt iam minus mirum sit,Quartadecimanos in eundem Catalogum relatos,& Iouinianũ, & Aerium,& similes.Hos vero necesse fuit,hæresin tam prolixa amplaque significatione,definire ex Ecclesiæ traditione. Nam & ille Alesanus Episcopus, qui Laurentio Vallæ negotiũ facessebat de prædicamentis Aristotelis, quasi ad fidem spectantibus (ipso teste Valla Antidoto quarto in Pogium) sine dubio hæresin ita definisset, vt eos etiam comprehenderet, qui contra Aristotelem sentirent.

XVIII. Sed qui distinctius loquuntur, & hæresin sciunt esse opinionem contra fidem Christianam,hanc illi circumscribunt ex Scripturis,hoc est,ita coercent,vt non pertineat, nisi ad dogmata scripta, & ad articulos fidei. Augustinus de Genesi ad literam lib.7.c.9. *Nec enim non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt:nec ob aliud sunt hæretici,nisi quod eas non intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem peruicaciter asserunt.* Chrysostomus in Act.hom.33. εἴ τις ταῖς γραφαῖς συμφωνεῖ, οὗτος Χριστιανός. εἴ τις μάχεται, οὗτος πόῤῥω τοῦ κανόνος τούτου, *Si quis Scripturis consentit,ille Christianus est. Si quis autem aduersatur, ille procul est ab hoc ordine*, Anastasius Nicenus in quæstionibus in Scripturam, Herueto interprete, quæst.78. *Magnum est malum ignorare Scripturas,& sicut bruta animantia circumferri: Etenim oriuntur mala innumerabilia ex ignoratione Scripturarum: hinc germinauit magna pestis hæresium.* Quæ, opinor,mutuo sunt à Chrysostomo sumpta, præfatione in Epistolam ad Romanos, ἐντεῦθεν τὰ μυρία ἔφυ κακά, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας, ἐντεῦθεν ἡ πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐβλάστησε λύμη, *Hinc infinita nata sunt mala,nempe ex Scripturarum ignoratione: hinc magna illa pullulauit hæreseon pestis.*

XIX. Nec contra quicquam probant Iesuitæ. Origenis explanationem in Epistolam ad Titum, nondum vidi: sed ne locum ab ea excerptum formido.Quid enim? An quia Traditionem Ecclesiasticam nominat,propterea hæreses dicit metiendas traditionibus non scriptis? Minime vero. Nam traditio Ecclesiastica ipsam Scripturam comprehendit. Imo vero Origenes hoc nomine solet appellare,dogmata scripta,quorum perpetua est in Ecclesia continuatio,vt videre est in procemio περὶ ἀρχῶν,de quo postea,& alibi. Quia igitur Ecclesiæ traditio,quæ fit viua voce, dogmata debet scripta docere,tum sane is qui contradicit traditioni Ecclesiæ, etiam Scripturæ contradicet:& contra, quicunque Scripturæ contradicet, is discedet à Traditione. Non obtinent ergo Iesuitæ ex hoc loco quod volebant, nisi prius probent,nullam esse aliam Ecclesiæ traditionem, quam non dico non scriptam,sed non scriptorum dogmatum.

XX. Qui citatur locus ex Ignatio,sic habet Græce, πᾶς ὁ λέγων παρὰ τὰ διατεταγμένα, κἂν ἀξιόπιστος ᾖ, κἂν νηστεύῃ, κἂν παρθενεύῃ, κἂν σημεῖα ποιῇ, κἂν προφητεύῃ, λύκος σοι φαινέσθω ἐν προβάτου δορᾷ προβάτων φθορὰν κατεργαζόμενος. In his verbis,τὰ διατεταγμένα,vetus interpres Ignatij reddidit,*illa quæ tradita sunt.* Et hanc ansam libenter arripuerunt Iesuitæ suo more. Sed Brunnerus *constitutam confirmatamque doctrinam*: Vairlemius (quem Billius c.vlt.2.libri Obseruationum Sacrarum,trium Ignatij interpretum, sine controuersia diligentissimum vocat) *ea quæ constituta sunt*:quam vim esse Græcæ vocis sciunt omnes.Itaque nihil Ignatius agit de traditionib.non scriptis, specialiter.Quid enim? An neget aliquis,ea quæ in Scripturis posita sunt,esse διατεταγμένα, hoc est constituta,confirmataque? Omnino nihil verius,quam quod dixit Ignatius,*eum qui docet præter eam doctrinam,quæ iam tum erat,hoc est,eo seculo,constituta,habendũ esse pro lupo,id est hæretico.* Vtinã imis omniũ Christianorum medullis hoc hæreret Axioma. Tum nobis profecto Iesuitæ negotium non facesserent: tum non esset Christianitati Papismus importunus.

CAP. XIV.

De mysteriis silentio tegendis.

I. QVæ silentium requirunt,nec oportet à toto mundo legi, ea non debent in libris sacris scribi. At multa sunt Christianæ fidei mysteria quæ non oportet à toto mundo legi. Ergo multa sunt Christianæ fidei mysteria,quæ non debent in sacris libris scribi. Argumentum est Bellarmini c. 8.Probat minorem,quia ad videnda tremenda mysteria Missæ,non licet admittere vllos non baptizatos: & Dominus seorsim discipulis interpretabatur parabolas,quas populo loquutus erat,Lucæ 8 Paulus 2.prioris ad Corinthios,*Sapientiam loquimur* (inquit) *inter perfectos.* Et passim veteres, cum de Sacramento Eucharistiæ loquuntur,dicere solent, *Norunt fideles initiati.*

II. Canus eandem assumptionem sic probat,*Quod si Apostoli,quibus formis Sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda,aliaq; id genus religionis secreta, passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quam aduersus Christi legem,sanctum dare canibus, & inter porcos spargere margaritas? imo vero quid esset aliud quam omnia mysteria Christianæ religionis abolere? Nec enim mysterium est,quod ad populares aures effertur.* Duo sunt argumẽta. Prius: Quicquid passim vulgo docetur,porcis obiicitur & canibus: At Sacra Christiana non sunt porcis & canibus obiicienda: Ergo non sunt passim docenda. Alterum: Nulla mysteria sunt ad populares aures efferenda: At Sacra Christiana sunt mysteria: Ergo non sunt ad populares aures efferenda. Addit postea tertium,his verbis inuolutum. *Ex quo magis emergit,per huiusmodi traditiones, Ecclesiasticos ordines suo quemq; loco contineri: dum & maiores,qui regni cœlorum claues habent Sacrosancta Scripturæ Sacra mysteria, quibus quoq; & tempore & loco dignum visum fuerit, aperiunt: & minores ab Ecclesiæ magistris libri clausi Sacramenta percipiunt. Alioqui nulli essent Ecclesiæ doctores: sed quiuis, quamlibet plebeius & rudis, earum per se rerum sine præceptore quæreret intelligentiam, quas Apostolorum interpretatione & literis obuias expositasque haberet.* Euoluo distinctis partibus. Si omnia Christianæ fidei dogmata essent scripta,abolentur ordines Ecclesiastici. At hi non sunt abolendi. Ergo illa non sunt omnia scripta.Probatur consequentia. Si nulli sunt doctores, abolentur ordines Ecclesiastici. At si quilibet plebeius ex Scripturis petat dogmatum fidei intelligentiam,tum nulli erunt doctores: Ergo, si quilibet plebeius è Scripturis petere possit dogmatum fidei intelligentiam,tum abolentur ordines Ecclesiastici.

III. Respondeo,primo negari maiorem præcipui syllogismi.Quia silentium non magis repugnat scripto,quam viuæ voci:imo vero proprie & per se viuæ voci,scripto autem per accidens,quatenus viuæ vocis signum est.Et apud Ethnicos mysteria quæ in populum non erant proferenda, non tantũ non scribebantur,sed ne prædicabantur quidem. Quare ita potius concipienda esset maior: Quæ silentium requirunt, ea nec scribenda sunt, nec prædicanda.At hanc quis ferat Christianus? Sciunt enim à Christo dictum esse Apostolis,vt quæ ad aurem erant dicta,publice & omnib. prædicarent.

IV. Præ-

IV. Præterea nulla est causa, cur Maior sit particularis libris sacris, & non generalis cuilibet scriptioni: vt sic concipiatur, Quæ silentium requirunt, ea non debent vllo modo scribi. Vt Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Ἐγὼ δὲ ὅσα μὲν ὁρᾶν ἅπασιν οὐ θέμις, οὔτε παρὰ τῶν ὁρώντων ἀκούειν, οὐδ᾽ ἂν ἐπιγράφειν οἴομαι δεῖν. *Ego quæ videre non est fas omnibus, neque audire ab his qui viderunt licet; ea nec scripto prodenda censeo.* Non enim libris sacris magis quam aliis scriptis id accidit, vt omnibus communicent ea quæ continent, sed tantum vt authentice communicent. Itaque aduersariis, aut concludendum fuit vniuersaliter sua illa arcana non esse scribenda: ac proinde damnandos hos libros, qui continent Traditiones non scriptas in libris sacris: eas ipsas (inquam) hîc postea enumeratas: quales sunt, Ordo Romanus, Missalia, Breuiaria, Rationalia & infinita eiusmodi. Aut si hanc improbant conclusionem generalem, renuncient omnino huic argumento: & patiantur in libris sacris ea extare omnia, quæ sunt necessaria. Maxime cum in religione longe consultius sit mysteria authentice tradi, quod fit à sola Scriptura Sancta, quam incerte, & humana tantum autoritate. Imo vide & mirare immanem ἀκρισίαν. Nolunt omnia mysteria commendari libris sacris: & eadem tamen patiuntur commendata libris non sacris. Tum a. à librorum sacrorũ lectione plebem arcent seuerissime: non sacros autem liberalissime permittunt. Neque n. in regulis Indicis librorum prohibitorum, cauetur de Missalibus aut Breuiariis, aut Ritualibus, vt de Bibliis. Cur ergo nunc clamant non fuisse libris sacris mandanda, vt ne plebi publicarentur? Imo si vos ipsi vobis constaretis, deberetis prohibere ne vsquam scriberentur, nisi in libris sacris. Nam si libri sacri non sunt à plebe legendi: tum hæc commodissima ratio erat, ne eiusmodi mysteria plebi publicarentur.

V. Secundo, negatur etiam Minor. Re vera enim nullum est in Christiana religione mysterium, quod silentium requirat, & non sit potius publice prædicandũ, tum Christianis, quia Christiani sunt, tum non Christianis, vt Christiani fiant. Propterea enim Christus iussit doceri omnes gentes: proponique publice, &, vt loquebatur, prædicari de tectis, ea quæ in aurẽ id est, creto tradita erant. Et Paulus primo ad Romanos, se debitorem agnouit tam Græcis quam Barbaris: additque promptum esse iis quoque, qui Romæ erant, euangelizare.

VI. Nec contrarium probant aduersarij. Nam quod de mysteriis Missæ Bellarminus loquitur, ad quæ spectanda non liceat admittere non baptizatos. Respondeo, hoc esse valde incertum, quia ex sola traditione non scripta, neque vllo, quod sciam Canone etiam Ecclesiastico definitum: sed tantum communi quodam errore ne dicam, an iure? obseruatum. Et quidem adeo superstitiose, vt aduersariis Athanasij, pro crimine magno obiectũ sit, quod de calice confracto contenderint coram Ethnico, καὶ οὐκ αἰσχύνονται (inquit) Synodus Alexandrina apud Athanasium Apolog. 2. παρὰ ἐπὶ κατηχουμένων, καὶ τό γε χεῖρον, ἐπὶ Ἑλλήνων τραγῳδοῦντες τὰ μυστήρια. *Nec pudet eos coram catechumenis, &, quod peius est, coram Ethnicis ita de mysteriis tragicari:* οὐ χρὴ γὰρ τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ Ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι, κατηχούμενοι δὲ περίεργοι γενόμενοι, σκανδαλίζωνται, *Non enim fas est non initiatis mysteria prodere, vt ne Græci quidem ea ignorantes, derideant, Catechumeni autem facti curiosi scandalum patiantur.* Et tamen olim aliter actum. Iustinus enim Martyr ad Imperatores Ethnicos secundam scribens Apologiam, de mysteriis Eucharistiæ non veretur profiteri, quid sentiret Ecclesia.

VII. Et sane, cũ in Eucharistiæ doctrina, quædam sint essentialia, siue de natura eius: quædam accidentalia, vt ritus celebrationis: quæro, quid comprehendant hoc tremendorum mysteriorum nomine? An illa substantialia? At ea necesse est comprehendi in Institutione: & si non omnia, vt ne nunc nimis vrgeam, tamen potissima: consecrationem signorum, rei significatæ cũ ijs coniunctionem, signorum distributionem, & perceptionem. Quid igitur dicemus? Hæccine non publicanda, ideoque non scribenda? Scelerati igitur Matthæus, Marcus, Lucas, Paulus, qui iam institutionem scripserunt, id est, publicarunt. Quod si est absurdum, cur ergo negant hæc mysteria, non tam publicanda, quam scribenda fuisse? Sin autem accidentalia intelligunt, mirum erit horum hominum ingenium, qui cum præcipua mysteria libere sint publicata, minutiuscula velint abscondi: & tanquam hominem quidem nudum ostentari, vestitum vero subduci à spectantium oculis. Mitto alterum genus mysteriorum, quæ impia sunt & sacrilega videlicet Papistica: nam hęc concedo omnino nec publicari debere, nec scribi: sed perpetuo silentio obrui, imo anathemate damnari.

VIII. Denique dico distinguendam esse mysteriorum celebrationem, ab eorundem doctrina. Ad celebrationem quod attinet, à communione quidẽ omnino arcendos esse τοὺς ἀμυήτους, siue Gentiles, siue Catechumenos: aspectum autem corporeum indifferentem esse, nec in alterutram partem de eo contendendum: Nam quod dicunt Ethnicos irrisuros, nihil necessario concludit: Quia totum Euangelium illis est stultitia: & tamen non est eis abscõdendum. Nam & Paulus prædicauit Atheniensibus Philosophis, à quibus σπερμολόγος appellabatur. Act. 17. Si tamen placet etiam ab aspectu corporeo arceri non initiatos, non sequitur non esse scribenda ea mysteria: aliud est enim scribere, aliud celebrare.

IX. Dominum fateor seorsim interpretatum esse discipulis parabolas aliquot: sed quorsum hoc, vt probetur mysteria non fuisse scribenda? Nam ipsæ parabolæ scriptæ sunt, ipsæque etiam earum interpretationes. Adeo etiã mysteria Spiritus Sanctus voluit publicari. Tum Apostoli præceptum acceperunt à Magistro, vt publice nunciarent, quod eis seorsim creditum erat. De Sapientia inter perfectos prolixe disputatum est c. 3. Quod antiqui dicere solebant, *Norunt fideles, norunt initiati,* id pertinet ad eum morem, de quo iam diximus, celandi mysteria Eucharistiæ non baptizatis: itaque nullam habet nouam vim argumenti.

X. Hîc vero temperare ipse mihi non possum, vt non traducam insignem Pamelij imposturam in Tertulliano, in cuius præscriptionibus, c. 23. argumentum ita proposuit, *Persequitur hoc capite dictæ Scripturæ Pauli interpretationem, & docet, Cauendum semper fuisse ne religionis mysteria propalarentur.* Atqui hoc est directe contra mentem Tertulliani, qui docet potius omnia mysteria Christianæ religionis propalanda. Vide quanta sit hæc hominis vel stupiditas, vel impudentia. Capite vigesimo quinto, dementiam hæreticorum (Papistarum diceret, si nunc viueret) traducebat, confitentium Apostolos nihil ignorasse, nec diuersa inter se prædicasse: sed non omnia omnibus reuelasse. Et ad id probandum, abutentium his verbis posterioris ad Timoth. 1. *Depositum custodi.* Hoc ille argumentum vt refuteret idem id depositum esse docet, quod Timotheus audiuerat coram multis testibus: & committere iubebatur fidelibus hominibus, capite secundo. Itaque non esse aliquid tacitum. Erat tamen parata exceptio: multis quidem: at non omnibus. Hanc ergo examinat c. 26. Et primo proponit: *Porro consequens erat, vt cui demandabat Euangelij administrationem, non passim, nec inconsiderate administrandam adijceret, secundum Dominicam vocem, ne margaritam porcis, & sanctum canibus iactaret.* Sed hanc exceptionem facile explodit toto reliquo capite, *Dominus* (inquit) *palam edixit sine vlla significatione alicuius taciti sacramenti.* Et id exemplum est Christi prædicantis: nunc statim præceptum. *Ipse præceperat, si quid in tenebris & abscondito audissent, in luce & in tectis prædicarent. Ipse per similitudinem præfigurauerat, ne vnam mnam, id est, vnum verbum eius sine fructu in abdito reseruarent. Ipse docebat lucernam non sub modio abstrui licere, sed in candelabrum constitui, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Sequitur applicatio, *Hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minime intellexerunt, si non adimplerunt, abscondentes aliquid de lumine, id est, de Dei verbo, & Christi Sacramento. Neminem, quod scio, verebantur, non Iudæorum vim, non Ethnicorum. Quo magis vtique in Ecclesia libere prædicabant, qui in Synagogis, & in locis publicis non tacebant Imo neq; Iudæos conuertere, neq; Ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab iis volebant, ordine exponerent. Multo magis iam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsim demandarent.* Quibus perlectis, quis non statim videat hæc argumenta hanc habere conclusionem, Nihil Apostolos occultasse? At inde, quomodo conficiet Pamelius occultanda esse religionis mysteria? Imo nos multo confidentius, non esse occultanda.

XI. Nunc ad Cani argumenta. In primo negatur maior. Nam si esset vera, vt quicquid scriberetur porcis obijceretur, tum necesse esset nihil scribi de Christianis dogmatibus. Non enim magis, opinor, obijcienda porcis capita illa de Trinitate, de Incarnatione, de Cruce, quam quæ Papistæ magis amant, quia non sunt scripta. Quadragesimam dico, Purgatorium, imagines, aquam lustralem, & reliqua. Alioqui peccassent & quidem grauissime Apostoli: imo vero peccasset ipse Deus, qui non tantum Mosen iussit multa scribere, sed etiam Decalogum propriis digitis exarauit: & postea omnes sacros autores inspirauit ad scribendum. Sed illud videlicet Papisticum axioma falsum est: Nam nulla dogmata Christiana sunt porcis & canibus obijcienda. At plurima (ne dicã omnia) dogmata Christiana sunt scripta. Ergo, non omnia scripta porcis obijciuntur & canibus. Et rursus: Non omnia scripta porcis & canibus obijciuntur: at omnia scripta passim docentur, vt placet aduersariis. Ergo, non omnia, quæ passim docentur, porcis & canibus obijciuntur.

XII. In secundo argumento negatur maior: Nã Paulus contra testatur 3. c. prior. ad Timoth. *Sine controuersia, magnum est pietatis mysterium, Deus conspicuus factus est in carne, iustificatus est in Spiritu, conspectus est ab Angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo.* Vbi habemus Christi incarnatione prædicatã esse, hoc est, publice annuntiatam quibuslibet ex Gentib. & tamen esse non tantum mysterium: sed etiam magnum mysterium. Similiter ad Rom. 11. *Nolim vos ignorare, fratres mysteriũ hoc.* Ergo erat mysterium, etiamsi veniret in cognitionẽ Romanorum. Et Paulus nõ credidit mysteria nõ esse propalanda Imo vero nõ negent, opinor, aduersarij, omnia dogmata Christiana esse mysteria. Nõ negent ẽt, si non omnia, saltẽ plurima dogmata Christiana, esse ad aures populares efferenda. Quid igitur opponere possũt, vt ne cõcludamus, plurima mysteria esse ad populares aures efferẽda?

XIII. Recte Chrysost. hom. 7. in 1. ad Cor. explicans illa Pauli verba, *Loquimur Dei sapientiã in mysterio. Quonã* (inquit) *mysterio? Atqui dicit Christus, quod in aure audiuistis, prædicate super tecta. Quomodo ergo eam vocat mysteriũ? Quoniã neq; Angelus, neque Archangelus, neque vlla alia potestas creata id nouerat, priusquam factum esset.* Qua ratione quis neget esse mysticam illã Petri confessionẽ *Tu es Christus, Filius Dei viui?* Nam statim à Christo audiuit, non fuisse reuelatam à carne & sanguine, sed à Patre cœlesti. Quare distinguenda sunt prophana Ethnicorum mysteria, à Christianis: nam illa sic vocabantur, quia paucis quibusdam, quos initiatos & μεμυημένους appellabant, intimabantur, reliquis omnib. denegabantur, non tantum, vt ne viderent, sed vt ne scirent quidem. At ista, eo tantum mystica sunt, quia nisi reuelentur, à nemine omnino sciri possunt: & cum sunt reuelata, tum comperiuntur excedere captum humani ingenij.

XIV. In argumenti tertij syllogismo, primo negatur maior: quia in Scripturis, hoc vnum timetur, ne omnibus mysteria publicentur. Atqui ordines in Ecclesia, in hunc ipsum finẽ, instituti sunt, vt eadẽ ipsa mysteria publicentur, ea (inquã quæ scripta sunt. Nã & Lectori ordinando corã plebe Episcopus tradit codicẽ apicum diuinorum, ad Dei verbum annunciandum (inquit) Isidorus de Ecclesiasticis officiis lib. 2. c. 11. Et Paulus Timotheo Episcopo præcipit: *Hæc denuncia & doce,* 4. prior. Quam igitur absurdi sunt illi qui, si omnia scripta essent, negant distincta futura officia, cum eorum officiorum munus versetur circa ea quæ scripta sunt.

XV. In secundo syllogismo negatur minor: primo, quia nunquam deerunt multi non satis periti puta infantes, & omnium ætatum Catechumeni, ac Competentes, sed & infirmi: qui omnes docendi sunt paulatim. Ergo, semper necessarij erunt doctores. Secundo, quia etiã ipsi qui Scripturas didicerunt, confirmandi sunt, & hortandi, & consolandi. Tertio, quia Doctorum in Ecclesia non sunt eæ tantum partes vt doceant, sed etiam vt peccantes corrigant: aduersarios arguant, & contradicentes conuincant: tum Sacramenta distribuant: preces totius plebis nomine concipiant: denique cẽsuras Ecclesiasticas dispensent. Quarto, quia ne ipsæ quidem Scripturæ omnibus sunt obuiæ: vt quæcunque in iis sunt, sine interprete à quouis intelligi possint: Quare non sequitur, si scripta sint omnia dogmata, abolendos esse ordines Ecclesiasticos.

CAP. XV.

Argutiolæ quædam Papisticæ.

I. HActenus præcipua fuerunt Papistarum argumenta. Sequuntur argutiolæ quędam leuioresque captiunculæ, & coniecturæ, quas omnes

omnes hoc capite comprehendimus, quia non sunt prolixæ refutationis.

II. Bellarminus: Necesse est non solum Scripturam posse legere, sed etiã intelligere. At sæpissime Scriptura ambigua & perplexa est, vt nisi ab aliquo qui errare non possit, explicetur, non possit intelligi. Igitur sola non sufficit. Puteanus paulo aliter, in eundem sensum tamen: Quod scriptum est, oportet bene intelligi: necessaria est igitur interpretatio. Interpretatio autem est traditio. Probatur, quia Scriptura nõ potest seipsã semper interpretari: ergo aliunde nempe ab Ecclesia, id est, à Traditione, interpretatio petenda est.

III. Respondeo, si per hæc verba, Sola Scriptura sufficit, intelligat Bellarminus excludi media per quæ doceantur ea quæ sunt in Scriptura, tũ concedi à Catholicis totum argumentum. Norunt enim constitutum esse eum ordinem in Ecclesia, vt sint qui Scripturam interpretentur populo, quos Pastores & Doctores Paulus appellat. Sic Act. 18. narratur Apostolos ostendisse per Scripturas Iesum esse Christum. Sic Augustinus initio libri de bono Viduitatis. *Non sit mihi aliud te docere, nisi verba Doctoris exponere, & de iis quod Dominus dederit disputare.* Sic apud Catholicos etiamnum hodie Pastores sunt, quibus hoc ipsum onus incumbit.

IV. Illud tamen quod addidit, de eo qui errare non possit, Papisticum est. Negant enim Catholici, excepta sola Scriptura, & extraordinariis reuelationibus Spiritus Sancti, vllum dari posse Scripturarum interpretem, qui falli nequeat. Itaque impossibilem conditionem Bellarminus assuerit argumento suo; non n. intellexit, aut Scripturam, aut extraordinarias reuelationes: sed traditionem, quam ordinarie vult vigere in Ecclesia.

V. Sin autem ita solam intelligat sufficere Scripturam, vt ij Pastores, siue Doctores aliquid proponant quod non sit scriptum, hoc sensu negatur argumenti consequentia: id est, necessarium esse hoc interpretum genus, quia Scriptura sit sæpissime ambigua & perplexa. Ratio est, quia infinite differunt, Interpretatio & Additio. Hæc supplet ea quæ desunt. Illa vero, quæ insunt, eruit, & ostendit. Sic exẽpli gratia, Candalla quindecim libros Elementorũ Euclidis interpretatus est: addidit autẽ decimũ sextum, septimum, & octauũ, de Solidorũ comparatione, quã intactam Euclides reliquerat. Quod cũ ita sit, conficitur egere imperfecta quidem additione, obscura autẽ interpretatione. Non vero imperfecta, quatenus talia interpretatione: aut obscura quatenus talia, Additione. Sophistice igitur interpretationis nomine Bellarminus additiones honestarit: & ab obscuritate argumentatus erit ad additiones.

VI. Esto igitur Scripturæ interpretatio, cum aliquis locus ita exponitur, vt inde sensus eruatur non alienus, sed intrinsecus: hoc est, is ipse, quem habebat in animo is cuius ea verba sunt. Recte enim apud Gratianum dist. 37. Canone *Relatum. Sunt* (inquit) *multa verba in Scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpserit. Sed non oportet: Non enim sensum extrinsecus alienum & extraneum debetis quærere, vt quoquomodo ipsum ex Scripturarum autoritate confirmetis: sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis oportet.*

VII. Hinc Puteanus confutatur: qui interpretationem esse pronunciat Traditionem, scilicet nõ scriptam: sic enim intelligit. At hoc falsum est, nisi forte Traditionem intelligat pro ratione docendi: quod ineptum esset, & alienum à controuersia hac. Negant igitur Catholici, interpretationem esse traditionẽ non scriptã, id est, continere dogmata, quæ non insint Scripturæ, siue, quæ non constent ex autoritate Scripturæ. Nec contra valet argumentum. Nam primo falsum est, Scripturam nõ posse seipsam interpretari, in omnibus dogmatib. ad fidem necessariis. Deinde etiam si verum esset, tamen inde non sequitur, interpretationem esse dogma aliquod non scriptum. Nã si is sensus quem interpretatio elicit, est in ipsa Scriptura, tum ex constitutis in statu quæstionis, non potest esse Traditio non scripta. Itaque non efficiet Scripturam imperfectam. Sed de interpretatione, alias plura.

VIII. Rursus sic arguit Bellarminus: Omnes prophanæ respublicæ, magna ex parte legibus non scriptis reguntur. Probatur ex Pericle, qui apud Thucydidem partitur ius Athenarum in scriptum & non scriptum. Ex Aristotele libr. 3. Politicorum c. 11. qui partim optimis legibus partim arbitrio optimi viri ciuitatem regendam esse statuit. Et li. 5. de Moribus c. 4. iudicem, siue arbitrum, ius animatum vocat, quod videlicet, aliud præterea exstet ius scriptum veluti mortuum. Lacedæmoniis Lycurgus nullam legem scriptam dare voluit, vt ait Plutarchus, sed solis traditionibus viuere quo essent in agendo, quam in legendo diligentiores. Ciceroni idem placuisse apparet ex 1. de Legibus. Idem de sapientibus Gallorum scribit Cæsar lib. 6. de bello Gallico. Nobilissimi Philosophorum Pythagoras, & Socrates nihil scripserunt, teste Augustino lib. 1. de Consensu Euangelistarum c. 7. Denique in iure ciuili l. *Diuturna*, ff. *de Ll.* & in iure Canonico dist. 1. Canone *Consuetudo*, eadem tribuitur autoritas legi scriptæ, & consuetudini non scriptæ. Itaque natura ipsa clamare videtur traditiones non scriptas, vel necessarias, vel certe vtilissimas esse.

IX. Respondeo. Primum non esse consequentiam legitimam à prophanarum Rerumpublicarum legibus, ad Ecclesiæ dogmata. Dissimilitudo n. magna est. Humanæ leges aut nullæ, aut paucissimæ sunt perpetuæ: sed pleræque omnes temporales, & mutandæ pro annorum & personarum variis circunstantiis. Vt in Republica Romana, primo ea lex erat, vt vnus Rex esset quæ tamen abolita est exactis regibus, institutisque Consulibus. Lex erat ẽt, vt debitores satisfacerent creditoribus: Et tamen aliquando necessariæ fuerunt nouæ tabulæ. Sæpe etiam accidit vis maior, quæ quo iure, quaue iniuria, leges abrogat, mutat, sancit. At vero doctrina fidei est, certissima & perpetua, atque adeo æterna, nullaque vi, nulla autoritate mutanda. Non dico tantum non abolenda, sed ne relaxanda quidem. Nunquam enim vllo tempore, vlli personæ permissum est, aut contra credere, aut eam non credere. Itaque non poterant omnes leges scribi aut sanciri in perpetuum: sed Doctrina fidei facile potuit.

X. Ad hæc, leges sunt ab hominibus autoribus, quorum nunquam tanta fuit prudentia, vt omnibus incommodis ab initio in perpetuum cauere potuerint. Itaque fit, vt tum pleræque leges ab initio sancitæ pro bonis, tantũ processu temporis compertæ sint non commodæ, ideoque abrogatæ. Multa etiam incommoda de nouo emergunt, quæ nec viderat, nec præuidere poterat Legislator: Itaque nouis legibus locus datur. At doctrina fidei, est ab autore Deo: quem nihil fugere potest aut præteritum, aut præsens, aut futurum. Itaque non vt apud homines Ciuilis prudentia quotidie expolitur ratioque regendæ Reipub. paulatim perficitur: sic in Ecclesia paulatim & succedentibus annis doctrina fidei vel augetur, vel in melius proficit. Nunquam enim tam bene constituta fuit Ecclesia, quam ab ipso statim initio. Propterea iubentur Christiani eam tenere doctrinam, quam ab initio fuerunt edocti, Nouitatemque vt semper habeant suspectam.

XI. Hæ atque aliæ colligi possunt dissimilitudines inter leges politicas & doctrinam Ecclesiæ. Quare Sophistam mire hac parte Bellarminus egit qui in antecedente probando diligenter immoratus, consequentiam astutissime occultauit: ne verbo quidem indicans, tantum abfuit vt argumentis confirmaret. Quanquam in ea sit proprie τὸ κεχειρόμενον. Nam quod ad finem clamat ipsam Naturam clamare Traditiones esse necessarias, quid ad rem facit? Probarit ille sane in profanis rebuspublicis, in philosophia etiam necessarias esse: Enimuero quando id Catholicos audiit negantes? Aut quæ hæc argumentationis dementia est? Quasi aliquis diceret, Scortationes & adulteria, permiserunt Rerumpublicarum pleræque omnes, vt Lacedæmoniorum, Atheniensium, Corinthiorum. Romanorum, Persarum, Turcarũ. Ergo natura clamat necessarias, aut certe vtiles esse scortationes: Ergo retinendæ sunt in Ecclesia. At hoc scelus abhorrent Catholici: quantumuis sciant, lupanaria nonnullos haud indiligenter fouere.

XII. Quid? quod quæ vel in politia, vel in Philosophia olim scripta non fuerunt, omnia perierunt, atque ea duntaxat hodie sciuntur, quæ literis fuerunt mandata? Sic Druidarum hodie ne nomẽ quidem vllus haberet cognitũ, nisi eos Cæsar Commentariis suis inseruisset, pauculaque eorum instituta annotasset. Lycurgi Socratisve, quid habemus, nisi quantũ Plato, Xenophon, Plutarchus, alij eos sequuti, nobis tradiderunt? Quib. exemplis magnifice docemur, quam sit infirma conseruandæ alicuius doctrinæ ratio per traditionem non scriptam. At fidei doctrina eiusmodi est, vt nunquam debeat intercidere. Quare necesse fuit eandem scribi.

XIII. Addo optime constitutas Respublicas eas esse, quæ quam minimũ vtuntur consuetudinibus, sed maxime legibus. Sic enim Aristoteles c. 1. lib. 1. de Rhetorica. Μάλιστα μὲν οὖν προσήκει τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους ὅσα ἐνδέχεται πάντα διορίζειν αὐτοὺς, καὶ ὅτι ἐλάχιστα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνουσι. *Maxime decet, recte constitutas leges ipsas omnia definire, quantum fieri potest, quam paucissima autem permittere iudicum arbitrio.* Quis autem neget, aut Ecclesiam esse debere optime constitutã rempublicam, aut leges diuinas ὀρθῶς τὰ κειμένας? Ne vero quis per calumniam, legis illud nomen etiã ad consuetudines producat, sciat Aristotelem leges intelligere non alias quam scriptas, Νόμος (inquit Rhetoricorũ ad Alexandrum c. 2.) ἐστὶν ὁμολόγημα πόλεως κοινὸν, διὰ γραμμάτων προστάττον πῶς χρὴ πράττειν ἕκαστα. *Lex est communis ciuitatis consensus per literas præcipiens quomodo quidque sit agendum.* Quam definitionem repetit capite tertio.

XIV. Tertio, Bellarminus arguit ab Ecclesiæ Catholicæ dignitate: Si omnia essent scripta, nullũ esset Ecclesiæ priuilegium. Probatur consequentia: quia nihil minus scirent hæretici, Pagani, & Iudæi de mysteriis fidei, quam antistites Catholici. Sed consequens probatur esse falsũ: quia vt olim Iudæi excellebant omnib. nationibus, quia credita illis erant eloquia Dei, ad Roman. 3. ita nunc præstat Ecclesia Christi omnibus sectis, quod ipsa sola, quippe quæ sit sponsa Christi nouerit omnia mysteria veræ religionis, & conscia sit secretorum sponsi, & propterea appelletur columna & firmamentum veritatis. Irenæus etiam dixit in solam Ecclesiam tanquam in depositorium diues, repositam ab Apostolis scientiam rerum diuinarum lib. 3. c. 4.

XV. Respondeo, Consequentiam esse falsam, pluribus de causis. Primo, quia scientia mysteriorũ fidei, non est vnicum Ecclesiæ priuilegium: sed præter eam, alia sunt quæ omnino communia esse nequeunt iis qui sunt extra eam: vt fides: quæ non tantum nouit ea mysteria, sed etiã amplectitur toto corde, inque iis acquiescit: quod neque hæreticus facit, neque Ethnicus, neque Iudæus. Sed & spes nonne peculiaris est Ecclesiæ? Nam illa promissiones Dei sic habet cognitas, vt etiam in se complendas exspectet: quod illi non possunt.

XVI. Secundo in ipsa scientia magnum est Ecclesiæ priuilegiũ. Est enim duplex scientia: altera historica, altera inspirata. Illa, qua sciuntur quæ continentur in Scripturis, eadẽ prorsus ratione, qua omnia quæ leguntur apud quoslibet autores, etiam profanos, Thucydidem, Herodotum, Liuiũ. Hæc efficaciam habet Spiritus Sancti, cooperantis lectioni Scripturarum. Luc. 24. *Tunc aperuit eorum mentem vt intelligerent Scripturas.* Illam scientiã duntaxat habere possunt hæretici, Ethnici, Iudæi: vt Iulianus, Prophyrius, Celsus: ipse Diabolus. Sed Ecclesia habet coniunctim vtramque, vnde fideles appellantur θεοδίδακτοι.

XVII. Tertio, in illa ipsa Scientia historica, priuilegium est Ecclesiæ non contemnendum, quod ea ipsa mysteria ei sunt commendata, non Iudæis non hæreticis: quantumlibet hæretici, Iudæi Ethnici, eorum mysteriorũ libros legant ab iisque ea mysteria hauriant, quemadmodũ fontis est proprius riuus ab eo decurrens etsi latissime patentib. agris aquæ communicentur. Propterea, etsi Scriptura Veteris Testamenti, Græcis, id est, omnibus Gentibus esset communicata, non tantum per Apostolos post aduentũ Christi, sed etiam longe prius per Ptolomæum & Septuaginta Interpretes nõ tamen veritus est Paulus profiteri πολὺ εἶναι κατὰ πάντα τρόπον τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου, magnum esse omnibus modis Iudæi priuilegium: atque eius primum omnino caput, quod ei credita essent eloquia Dei, id est, Scripta mysteria religionis. Et ratio est in promptu. Quia multum interest, quomodo quacunque re vtaris, an sicut tua, an vero tanquam aliena. Mysteria Scripturarũ tractat Ecclesia, vt sua: Ethnici vero vt aliena, quomodo si quis barbarus iura censeat Ciuitatis Romanæ, aut priuatus aliquis regũ magnificẽtiã.

XVIII. Nec facile crediderim sui compotem fuisse Bellarminum, cum consequentis absurditatem probare aggressus est. Quid n. prodest exẽplum Iudæorũ? Commendata sunt illis eloquia Dei? Ita sane: sed quænam? Scripta-ne, an vero non scripta? Imo sciunt omnes legem fuisse scriptam. Et præcedenti libro ostendimus eam Ecclesiam non fuisse traditionibus assuetã, nisi postquam pessum ire cœpit. Irenæo autem, etsi de suo Bellarminus *solã* addit, tamen aliud est reponere in depositorium diues veritatem, aliud non communicare eandem Ethnicis, Iudæis, hæreticis. Nec sese hæc duo mutuo perimunt. Quæ enim in depositorium reponuntur, vt nunquam educãtur, sed potius, vt inde educat quicunque opus habet. Itaque magnum Ecclesiæ priuilegium, quod apud eam ita deposita est salutaris

taris doctrina, vt ab ea, non aliunde necesse sit ipsum mutuari, qui sibi volunt cognitam: etsi alioquin libenter omnibus cœmunicet: imo etiam sponte offerat.

XIX. Porro Bellarminus non meminit, nobis eam non esse propositam quæstionem, vtrum omnia dogmata Ecclesiæ scripta sint: sed an scripta sint in libris Canonicis. Credo autem illud non negari à Papistis: certe nullum possunt vllius traditionis exemplum proferre, quod non ostendatur alicubi scriptum, si non in Canonicis, certe in aliis libris. Et habent ipsi sua Pontificalia, Rationalia, Legendas, Breuiaria, Missalia, Vitas Sanctorum, & infinita huiusmodi. At hæc omnia scripta, quis neget communicari posse Ethnicis, Iudæis, hæreticis, æque ac libros Canonicos? Imo vero facilius, propter infinitam copiam? Et ex iis posse illos Ethnicos, Iudæos, hæreticos, scientiam percipere earum traditionum, æque ac Papistas? Quid si igitur clamem nullam à Papistis Ecclesiæ (si quidem illæ sunt Ecclesiæ, quod nunc non disputo) relinqui prærogatiuam? vt mihi satisfaciant, quis eos speret concessuros non debuisse scribi eos libros, aut nunc aboleri? Quod si ipsi sibi, si suis tantam libertatem concedunt, communicandi omnibus hominibus sua mysteria, illa, inquam, mysteria, quibus suam Ecclesiam præcipue commendari volunt, quid inuidi sunt, imo quid maligni sunt in Spiritum Sanctum?

XX. Hactenus Bellarminus. Canus. Hæc prima est ratio, cur Apostoli quædam sine scripto tradiderunt: nempe ne aut ab Ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum. Secunda est, quoniam habet nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de autoris ore transfusa fortius sonat, quemadmodum Hieronymus ad Paulinum ait: Argumenta sunt huiusmodi: Primum, Quæcunque scriptis mandantur, ea exponuntur & Ethnicis irridenda, & vulgo fidelium contemnenda. At sacra Christiana non debent exponi, aut Ethnicis irridenda, aut vulgo fidelium contemnenda. Ergo sacra Christiana non debent scriptis mandari. Alterum, Quæcunque viua voce efficacius docentur, nulla sunt scriptis mandanda. At sacra Christiana efficacius docentur viua voce. Ergo non sunt scriptis mandanda.

XXI. In priori argumento nego maiorem. Alias necesse esset Apostolos, imo vero Spiritum Sanctum, quo mouebantur Apostoli, sacrilegij participem facere. Ij enim si non omnia, vt nos contendimus, saltem, quod aduersarij negare non possunt, præcipua Religionis Christianæ sacra scriptis mãdarunt, de Deo vno & trino, de Filio incarnato: de Deo crucifixo: de Remissione peccatorum: de Vita æterna: de Baptismo, de Eucharistia. Si quis ergo ita disputet: Quicunque scriptis mandat Sacra Christiana, is ea exponit & irridenda, & contemnenda. At Apostoli dictante Spiritu Sacra Christiana scriptis mandarunt: Ergo Apostoli dictante Spiritu, exposuerũt Sacra Christiana & irridenda, & contemnenda. Si quis, inquam, sic disputet, quid respondeat Canus? Nam maior propositio est ab ipso: minor tam est certa, quã meridie solem lucere. Constat tamen conclusionem esse blasphemam: itaq, maiorem necesse est esse falsam.

XXII. Et tamen, certum est ab Ethnicis irrideri Sacra Christiana. At non tantum cum scribuntur: sed etiam cum docentur. Sic Paulus Athenis appellatus est σπερμολόγος: qui tamen non scribebat: sed viua voce docebat. Sic Apostoli loquebantur πρὸς μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, & dicebantur musto pleni. Sic iterum Paulus Actorum 26. cum coram Festo disseruisset, audiit, *Insanis Paule: multæ literæ te ad insaniam adigunt.* Si igitur omnino cauendum est, ne ab Ethnicis irrideantur Christianorum sacra: non tantum scribenda non sunt, quod solum vrgent aduersarij: sed ne docenda quidem viua voce: quod est absurdum. *Nos enim* (inquit) Paulus, 1. prioris ad Cor *prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum: Græcis vero stultitiam.* Quid igitur? Nẽpe nulla est aut docentium, aut scribentium culpa: sed irridentium propria desperataque malitia, Deo iudici committenda. Christianos autẽ sacra sua irridere, monstrum est. Athei potius nominandi, si qui sunt eiusmodi.

XXIII. In altero argumento, rursus nego maiorẽ. Quia, primo quæ scripta sunt, ea doceri queunt viua voce: Itaq; nihil eis propterea decedet energiæ. Sic Paulus, cum coram Agrippa recitasset multa quæ scripta legimus, ita commouit hominem, vt diceret, se propemodum persuaderi, Actor. 26. Imo scripta sunt in Canone mysteria fidei, vt habeant Pastores, quod quotidie suę plebi viua voce proponant. Secundo hæc ratio non est peculiaris quibusdam Ecclesiæ sacris, sed generalis omnibus. Itaque nulla omnino oporteret fidei mysteria, scripta esse. Quod cum contra factum sit, quis non videt argutiolæ ineptiam?

XXIV. Præterea ad minorem, dico maiorem efficaciam viuę vocis sic intelligendam, vt viua vox comparetur scriptis eiusdem, non autem alterius: quia non est semper verum, viuam vnius vocem, efficacius docere quam alterius scripta. Sic viuam vocem Demosthenis maiores motus effecisse in animis audientium, quam eiusdem scriptam orationem, facile assentior dicenti Æschini apud Plutarchum. Sed viuam vocem Cani, melius docere posse fidei mysteria, quam doceant libri Athanasij, Basilij, Chrysostomi nunquã concesserim. Sic Hieronymus in 4. caput Epistolæ ad Galatas, non simpliciter dixit viuam vocem magnam vim habere, sed vocem autoris sui. *Magnã siquidem vim habet vox viua, vox de autoris sui ore resonans: quæ ea pronunciatione profertur atque distinguitur, qua in hominis sui corde generatur.* Crediderim ergo Apostolum Paulum multo mihi efficacius, disertius etiam, & vehementius explicaturũ mysteria fidei, si ipse reuiuisceret, & sua voce doceret, quam nunc facit per Epistolam ad Romanos, ad Corinthios, & Galatas, & Ephesios, & alios. Sed nunquam crediderim eos doctores qui nunc in toto orbe supersunt, vel comparandos Epistolis Pauli, quantumlibet viuam vocem exerceant.

XXV. Rursus Canus arguit: Seruorum & rudium est omnia ex præscripto agere. Iudæorum ergo sit scripta hæc lex, qua vniuersa etiam minima præfiniantur. At filij perfecti iam viri, & in libertatem gratiæ vocati, habeant legem insculptam in cordibus. Quamobrem, qui Euangelium omni ex parte in characterib. & membranis includunt, nihil illius verbo, nihil cordib. relinquentes, hi Euangelio multum adimunt & dignitatis & virium.

XXVI. En tibi igitur Papistarum ingenium! En tibi causam, cur Scripturas imperfectas contendant, Traditiones tanto studio commendent! Scilicet, quia nolunt omnia ex præscripto agere. Nolunt sibi nihil licere de suo addere. Sic sunt Christiani: Ita demum se filios interpretantur, & seruos negant: Et viros perfectos appellant: Et libertatem gratiæ iactant. Nec saluté, credo, acceptent oblatam, nisi hac conditione. At Catholicis hoc vnum est maxime in votis, vt se seruos Dei probent liberos quidem à peccato, sed seruos Iustitiæ. Sic enim eos Paulus vult esse ad Romanos 12. *feruentes Spiritu, Domino seruientes.* Itaque non indignantur sibi omnia esse præscripta, & præfinita.

XXVII. Cæterum inepte opponuntur à Cano omnia esse præscripta, & legem habere in cordibus. Non sunt enim contraria, nec sese mutuo tollunt. Quid enim obstat, quominus eadem ipsa præcepta quis habeat in corde sculpta, quæ sunt in Scripturis Sanctis præfinita? Aut quorsum præfinita sunt, nisi vt credantur? Quid est autem credere, nisi aliquid habere in corde scriptum? Nam *corde creditur*, inquit Paulus decimo ad Romanos. Luc. 24. *O tardi corde ad credendum omnib. quæ loquuti sunt Prophetæ.* Ioannis 2. *Crediderunt Scripturæ.* Et vigesimo, *Hæc scripta sunt, vt credatis.* Act. 24. *Credens omnibus quæ in Lege & in Prophetis scripta sunt.* Patet ergo eadem quæ scribuntur, etiam cordibus insculpi. Ideo calumniatur Catholicos Canus, quũ eos notat Euangelium omni ex parte in characteribus & membranis sic includere, vt nihil illius verbo, nihil cordibus relinquant. Nam illi contra totam vim Euangelij viuificam esse credunt in cordibus, dum creduntur eadẽ quæ scripta sunt. Credunt infinitam esse vim Verbe Euangelij, dummodo nihil verbo doceatur, quod non sit scriptum. Proinde nihil Euangelio adimunt aut dignitatis aut virium. Imo huic vere suas seruant vires, suamque dignitatem, cum id purum conseruant ab audacibus hominum, quibus sua plus placent, quam diuina, commentis. Quemadmodum enim vinum etiam optimum aqua dilutum suam vim amittit: ita Verbum Dei, si admisceantur hominum placita, paulatim corrumpitur.

CAP. XVI.

De autoritatibus Romanorum Pontificum pro Traditionibus.

I. SVperest prolixum Argumentum ab autoritatibus Patrum, quas Bellarminus persequitur capitibus 6. & 7. lib. 4. de Verbo Dei, distributas in quatuor ordines: vt primus sit Pontificum Romanorum: secundus Conciliorum, tertius Patrum Græcorum: quartus Patrum Latinorum. Adulatur ille quidem Romanis Episcopis, primo illis loco assignato, ex stulta illa opinionis præoccupatione, qua eos Iesuitæ non tantum supra reliquos Episcopos, sed etiam supra ipsa euehunt Concilia. Ego tamen ordinem non immutabo, nullum interim præiudicium faciens quæstioni de Primatu Episcopi Romani, quæ Deo dante disputabitur in proximo loco communi. Colligam autem autoritates, non eas tantum quas Bellarminus enumerauit, sed etiam quas apud reliquos eiusdem causæ patronos videre licuit.

II. Porro omnibus hoc est substernendum fundamentum: Quicquid Episcopi Romani, & Concilia, & Patres Græci, Latinique docent, id in Ecclesia certum est. At Patres vsum traditionum docent: Ergo vsus traditionum certus est in Ecclesia. Sed Maior non est necessario, aut vniuersaliter vera. Quia ipsa autoritas siue Episcoporum, siue Conciliorum, non est necessariũ veritatis argumentum, teste Augustino, qui se profitebatur solis Scripturis Canonicis certo assentiri, vtpote nunquam mendacibus, cæteris autẽ quibuscunque, tantum fidei habere, quantum illis aut Scriptura Canonica tribuet, aut ratio vindicabit. Quî potest autem id esse necessario verum, quod nullum habeat fundamentum, præter eorum autoritatem, qui ipsi non sunt necessario veraces? Hactenus enim vidimus neq; Scripturas, neque tationes Traditionibus non scriptorum dogmarum fauere. Itaq; hæc erit prima nostra ad Patrum quaslibet autoritates exceptio, vt si quid dicant siue de Traditionibus, siue de vllo alio capite, nulla tultum aut Scriptura, aut ratione, sed solo autoris nomine, id tam facile contemnatur, quam obiiciatur.

III. Deinde distinguenda erit Traditionis homonymia, vt semper. Nam quæ Patrum authoritates traditionem commendabunt, quatenus significat rationem tradendorum dogmatum, ea nihil ad hanc controuersiã pertinebunt quæ tota est de ipsis rebus traditis. Nam sæpe fit, vt hac ratione Traditionem Veteres appellent etiam dogmata scripta: vt recte Antonius Sadeel obseruauit in disp. de verbo Dei, c. 5. reg. 2. Atque huius consuetudinis exemplis plena sunt Veterum scripta: Certe Irenæus lib. 3. c. 4. Barbaros dicit traditionem diligenter custodire, credentes in vnum Deum, & in Christum qui natus est ex Virgine.

IV. Rursus, quia aliæ sunt dogmatum, aliæ rituũ, &, vt Tertullianus loquitur disciplinæ traditiones: vt Catholicis illas tantum seuere exigant ad Canonem sacratũ literarũ, has vero non itẽ, in iisq; magnã agnoscant autoritatem Ecclesiæ; tertia cautio erit, vt in examinandis singulorum Patrum autoritatibus distinguamus risus à dogmatibus siue disciplinam à regula fidei. Nec, si quando Traditiones nominatas inuenerimus, statim Papistis permittamus concludere aduersus Scripturarum perfectionem.

V. Quarto, erunt ipsa scripta vnde autoritates desumentur, examinanda: genuinane sint, an supposititia. Nam infinita esse, quæ nescio quo malo fato insinuauerunt se in alienam familiam, nemo iam bene doctus dubitat, siue errore factum sit, eorum qui primi libros in publicum ediderunt, vt pro autoribus autores substituerint, quod euenisse credo in Eusebio Emisseno, pro Euchario, in Ambrosio pro Prospero, in Cyrillo pro Origene, in Augustino pro Fulgentio, in Athanasio pro Theodoreto. Et infinitis huiusmodi: siue dolo malo, cum recentiores iudignati suarum opinionum nulla esse in Antiquitate fundamenta, ipsi monstra finxerunt quæ Veteribus imputarent. Sic Constantino Donationẽ affinxerunt impudentissimi homines: Sic primis Pontificibus Romanis, Epistolas Decretales, Sic Augustino, sermones ad fratres in Eremo: Sic Petro, & Marco Liturgias: Sic aliis alia plurima. Ergo hęc, quantũ fieri poterit, accurate distinguenda sunt. Nã quia sola nominũ autoritate nunc pugnatur, non est autem omnium eadem autoritas, sed vetustissimorum maxima, ideo necesse est, non omnibus testibus eandẽ esse vim testimonij, sed recentissimorum.

VI. Ad extremum cauendi sunt etiam particulares authorum næui. Nemo enim nescit non paucos, etiam ab vltima vetustate, suis vitiis laborasse, quæ non oportet in præiudicium trahi veritatis, sed cum bona venia dissimulari. Vt neque superstitiose imitari velimus, quæ humanam infirmitatẽ redolent,

redolent, in quo est κακοζηλία: neque maligne exagitare Patrum infirmitates, in quo est crudelitatis quædam species. Sic in aliis Controuersiarum capitibus, si quæ Cyprianus inconsiderate sensit de Baptismo, aut Hilarius de Christi corpore, aut Irenæus de mille annis, id omne Catholici, nec imitantur, quia est contra fidem, nec insectantur: quia ortum habet ab infirmitate. Quidni igitur nos, ad eundem modum, si quid aliquibus Antiquis durius contigit vel dicere, vel scribere de Traditionibus, condonemus potius, quam adoremus?

VII. His ita constitutis, videamus primæ aciei pompam, id est, Pontificũ Romanorũ. Ac primum (inquit Bellarminus) S. Fabianus Epist. 2. ad Episcopos Orientis, postquam docuerat singulis annis sacrum chrisma reuocandum esse, ita subiunxit. *Ista à sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus, vobisq; tenenda mandamus.* S. Innocent. I. Epist ad Decentium. *Si instituta Ecclesiastica, vt sunt à beatis Apostolis tradita, integra velint seruare Domini sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur.* Hęc ille: vbi de Traditionibus non scriptis agit, ac præsertim c. 3. cum docet Cõfirmationem etiam paruulis conferendam: & à solo Episcopo, & sub certa forma verborum. Atque adeo non scriptas eiusmodi Apostolicas traditiones esse testatur, vt nec in ea Epistola formam illam verborum adscribere voluerit, *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationẽ respondere.* S. Leo primus serm. 6. de Quadragesima. *Apostolica* (inquit) *institutio, quadraginta dierum ieiuniis impleatur* Et serm. 2. de ieiunio Pentecostes. *Dubitandum non est, dilectissimi, omnem obseruantiam Christianam, eruditionis esse diuinæ, & quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est deuotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina.*

VIII. Baronius Annalium tomo I. ad annum quinquagesimum tertium, nominat Stephanum, cuius contra Cyprianum fuerit illud solenne apophthegma *Nihil innouetur, nisi quod traditum est.* Puteanus addit Clementem primum traditionẽ appellasse Clauẽ verbi Dei, hoc est Scripturæ, libro decimo Recognitionum. Turrianus, quũ legisset Constitut. lib. 7. cap 47. *Hi sunt quos parœcis Domini præfecimus, quorum doctrinæ semper memores, seruate sermones nostros*: sic annotauit *En Apostolica doctrina, quæ testimonium tribuit traditioni doctrinæ Catholicæ per successionẽ Episcoporum in Ecclesia Dei relictæ.*

IX. Respondeo prius de autoribus. Fabiani, Innocentij primi, Clementis testimonia non esse legitima: quia supposititia. Nã Decretalium farraginẽ quis nescit iampridem ab omnibus doctis viris notatam esse grauissima cẽsura? Complectitur Epistolas eorum saltem Pontificum, qui intra quatuor prima secula vixerunt, cum stylo ineptissimas, tum reb. absurdissimas, quãtumlibet eas obnixe Turrianus tuendas susceperit. Probatio fieret prolixa admodum si quis omnia colligeret. Nos pauca delibabimus, exempli gratia potius, quam accuratę demonstrationis.

X. Nam de stylo quid dicam? Quo vix alium inuenias magis spurcũ, sordidum & barbarum? Cuiusmodi profecto non erat eorum seculorum, cum lingua Latina erat adhuc vulgaris. Et quanquam discedebat in dies magis ac magis ab ea puritate, aut elegantia potius, quam docti admirantur in Cicerone, Terentio, Cæsare, reliquis: tamen non abiit repente in tantã barbariẽ, quod satis constat, non tantum ex autoribus Ethnicis, Seneca, Suetonio, Tacito, Liuio, aliis, sed etiam è Christianis, quorum vix vnquam tanta fuit poliendi sermonis cura: & in quibus facile animaduertas inclinantis Latinæ puritatis progressus Hilariũ dico, (vt antiquiores prætereãm) Augustinũ, Prosperũ, Cassiodorũ, Apollinarẽ, Claudianum, atque alios. Ipsos etiam Romanos Pontifices posteriores, à quibus aliquid habemus certius: Leonẽ, Gregoriũ, alios. At Lucius tertius, longe postea, ẽt cũ barbaries inualuisset, definiuit ob manifestum in Constructione peccatum fidem non adhibendam literis Apostolicis: vnde glossa elicit vitium Latinitatis vitiare rescriptum: in Decretalibus de Rescriptis. *Ad audientiam.* Et quidem hoc argumento eo fortius est, quod omnium vnus idemque stylus est, quamuis longo annorum interuallo dissitis autoribus.

XI. Excusat Turrianus exemplo Apostolorum, qui fuerint simplicitatis magistri, & Scriptorũ noui Testamenti, in quib. solœcismos & verba rudia legere licet. Sed incõsiderate. Quis n. nescit longe aliud esse barbariẽ, aliud simplicitatẽ? Quis non distinguat solœcismos aliquando, atq; id quidẽ raro occurrentes à perpetua spurcitie, cõtinuisq; sordib. Certe quicunq; Græce nouit, & comparat Apostolorũ scripta cũ scriptis Græcorum eiusdem seculi, facile videt viros illos Spiritu plenos styli genus elegisse, quod ἰωτελὲς vocant, & vt Hermogenes nominat, ἐυζωνότερον. Sed vsos tamen sermone à suis temporibus non abhorrente: imo ne rustico quidem, sed politiore, nec destituto sua quadam honesta modestaque elegantia. At istos impostores affectasse omnes cognoscant non obesissimæ naris, sermonis si non granditatẽ, certe limatulum nescio quid & concinnum, quod tamen assequi non potuerunt: eoq; ridiculi facti sunt, sicut pumiliones, qui se in articulos erigunt, vt corporis breuitatem dissimulent.

XII. Adde aliud vitiũ, quod nõ iã barbariem redolet, sed infantiam olet. Videlicet male cõsutorũ centonũ rhapsodiã. Ita est: pleræq; Epistolæ variis hinc illinc comportatis partibus conterruminantur. Alexandri primi prima Epistola longam habet disputationem de Trinitate, transcriptam κατὰ πόδας, ex Idacio Claro contra Varimadũ. Felicis primi tertia, dimidium sui mutuata est, à Lucio. Fabiani tertiæ magnam partem sui debet Epistola Sixti tertij. In Epistola Vrbani primi aliquot lineæ de Spiritu Sancto totidem verbis exstant in Epistola Melchiadis, Soteri ad Campanos tota constat ex Scripturæ locis nudis fortuito congestis in vnum. Eusebij tres Epistolæ vix quicquã habent præter continuum contextum Scripturæ, modo noui Testamenti, modo veteris. In Sixti primi Epistola, hæc legas, *Patrem igitur, vt superius comprehensum est, in diuinis literis genitum proprie positum nec legere possunt penitus, nec probare.* Diceres longam ea de re disputationem præcessisse: cum tamen ne verbum quidem. Victoris ad Aphricanos, sic orditur, *Semper enim in æterno consilio Dei.* An non præclare, & oratorie?

XIII. Vin' nunc experimentum acuminis, imo religionis in interpretandis Scripturis? Anacletus scribens ad Episcopos Italiæ, concludit summos sacerdotes, id est, Episcopos à Deo esse iudicandos, nõ ab humanis, aut prauæ vitæ hominibus lacerandos, quia Christus per se, non per alios, vendentes & ementes eiecit de templo: quia *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos decernit*, Quia, *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes* Quia per Prophetam dictum sit, *Deus vltionum Dominus, Deus libere eget.* Quia Paulus inquit, *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum*? Rursus de detractoribus Episcoporum Dominum ait dixisse, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius a. hominis non habet vbi caput suũ reclinet*: id est, inquit, in talibus non habitat Dominus, nec ipsi manent in eo. Eucharistus probat non debere aut ab Episcopo suam Ecclesiam deseri, aut ab Ecclesia Episcopum dimitti, quia Christus dixit, *Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Possum eiusmodi sexcenta colligere, in quibus merito religionem quilibet pie Christianus desideret.

XIV. Iã ἀνισορησία, Deus bone quanta! Primo notantur ad finẽ Epistolarũ Consules, falso vt plurimum, quod quilibet deprehendat, comparans cum Annalibus Baronij. Exempli gratia: in Euaristi secunda Gallus & Bardua: in Alexandri priore, Traianus & Helianus: posteriore Helianus & Verus. In Sixti vtraque Hadrianus, & Verus. In Higini vtraque Magnus & Camerinus. In Pij vtraque Clarus & Seuerinus. In Fabiani prima Maximus & Africanus: in tertia Africanus & Denus. Hi tamen aut omnino nõ fuerunt: aut nõ fuerunt sic coniuncti: aut non fuerunt eorum Pontificum temporibus.

XV. Secundo: Clemens scribit ad Iacobum fratrem Domini de morte Petri, quem tamen Iacobo fuisse constat superstitem: vel teste Baronio, qui Iacobum referat occisum anno 63. Christi, Neronis septimo: Petrum vero anno Christi 69. Neronis 13. Sed & se Clemens præsentem fuisse asserit, cum offerebantur pretia possessionum ad pedes Apostolorum, cumque Ananias & Sapphira morte multati sunt. At Baronius horum mortem refert ad annũ trigesimum quartum: & anno quadragesimo quarto primum asserit Gentilem à Petro baptizatum fuisse Cornelium. Præterea citantur à Clemente nonnulla ex Euangelio, & Epistolis Ioannis, quæ nõdum exstabant. Scripsit enim Ioannes circa annum nonagesimum nonum, annis plus minus triginta post mortuum Petrum.

XVI. Tertio in iis Epistolis, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Primatum, Metropolitanorum, nomina frequentissima sunt, quæ certum est, inualuisse post concilium Nicenum: nec ea vsquam legi in vllo autore non suspecto, qui ante id concilium vixerit: Ne Eusebio quidẽ. Antherus meminit Alexandrinorum Episcopi, & Felicis Ephesini, qui tamen eo tempore nulli erant. Fabianus loquitur de Nouato, qui Romam venisset, quem tamen cõstat sub Cornelio Fabiani successore, eo se contulisse. Zephrynus asserit statuta Apostolorum, præcepta Imperatorum, constitutionesq; legum prohibere Episcopos ab Ecclesiis propriis expelli, & sic ad iudicia vocari: Cũ tamẽ eo tẽpore nulli fuissent Imperatores Christiani, nullæ leges pro Episcopis.

XVII. Non est necesse omnia colligere Non possum tamen mihi temperare, quo minus Marcelli Epistolam nominem ad Maxentium: qua si quid vnquam fuit scriptum, excogitatumve ineptius, stolidius, amentius, nihil est quod deprecer. Erat Maxentius Ethnicus, infensissimusque hostis religionis Christianæ. Hũc tamen autoritate Episcopali (si superis placet) increpat, Et apud eũ cõcionatur de charitate Christiana, nõ aliter ac Paulus apud sãctos. Et docet ab Apostolis, eorũq; successorib. cõstitutũ fuisse sub diuina contestatione, non debere fieri persecutiones: Episcopos ad Synodos vocari, & iudicari. Non posse à Maxentio Synodum congregari absque autoritate Episcoporũ Romanorũ, sed tãtũ aliquos Episcopos. A Clemẽte cõstitutũ esse, ne laici aut suspecti Episcopos accusent. His scilicet grauissime expositis canonũ mysteriis, insectatur tyrannidẽ: ac demũ desinit φλυαρῶν.

XVIII. Quis nunc dubitet, hanc Epistolarum farraginem esse stolidissimum Impostoris alicuius commentum? Quod si est, non debent aduersarij earum autoritati insistere: nec nos eis quicquam deferre: quãtumlibet illas exaltent βαλανηφάγοι ἄνδρες: imo indignentur, quod frugib. vesci malimus.

XIX. De Clementis Constitutionibus actũ est quinto libr. Recognitiones in Apocryphis numerantur à Gelasio apud Gratianum: Reiiciuntur etiã à Baronio tomo primo Annalium, ad annum quadragesimum quartum Et quæ statim initio dicuntur de Barnaba, tanquam mendacia repudiantur ab eodẽ ad annũ quinquagesimũ primũ, quia contradicant historiæ Actorum. Sed hæc quantula pars est ineptiarum, vt mollissime loquar?

XX. Primo in iis Christus vix aliter appellatur, quã verus Propheta, quod nomen etiam retinetur in Epistolis. At nouum est, incognitumque Ecclesię: nec satis augustum ad insinuandam Domini nostri dignitatem. Et quid opus erat, nouo peregrino, improprio nomine eum designare, qui ab ipso Deo nomen habuit augustissimum, atque adeo vsitatissimum, cognitissimumq; Eadem absurditas, idem affectationis pruritus in Trinitate, quam nunquã appellat nisi Trinam beatitudinem. Libro etiam primo Filium & Spiritum Voluntates appellat *Erat* (inquit) *semper & est & erit, illud à quo prima volũtas genita sempiternitate constat, & ex prima voluntate iterum voluntas.*

XXI. Sed illa, etsi parum digna sint tantis mysteriis, etsi sint ἀξιόλογα, tamen fidem non violant Ista vero violant, & quidem diserte, quæ de libero arbitrio dicuntur. Nã id vbiq; sic commendatur, vt vix potuerit magis à Pelagio. Præueniri n. ab eo gratia significatur. Nam & seipsum Clemens statim initio ita constitutum fuisse dicit, vt multa inquireret de Deo & anima: Et libr. 2. Aquila & Nicetas sibi innatum quendam erga Deum affectum qui scelera quidem Simonis exosa, cultum vero Dei amabilem faceret. Sed & libr. 4. Petrus ita loquens inducitur, *Debet autem is, qui ex gentibus est, & ex Deo habet, vt diligat Iesum, proprij habere propositi, vt credat & Moysi: & rursus Hebræus, qui ex Deo habet, vt credat Moysi, habere debet & ex proposito suo, vt credat in Iesum: vt vnusquisque eorum habens in se aliud diuini muneris, aliud propriæ industriæ, sit ex vtroque perfectus.* Quibus verbis vix adducar, vt credam impuriora vnquam viri Pelagiano excidisse.

XXII. Quid? quod Mosen dicit, cum videret ex Ægyptiorum consortio altius inoleuisse vitium immolandi Idolis, nec posse radicem mali huius excidi, immolare quidem permisisse populo Israelitico, sed Deo soli, vt mediã quodammodo partem vitij altius inoliti resecaret: aliam vero mediam per aliud & aliud tempus reseruaret emendandam: Hoc, inquam, quid est aliud, quam vitiosum pronunciare morem sacrificandi Deo? Et tamen constat ex libris Mosis non permissum tantum fuisse, sed etiam præceptum. Neque ab Ægyptiis fluxisse, sciant omnes, qui Abelem, Noachum, Abrahamum legerunt sacrificantes.

XXIII. Petrus inducitur perpetuo cibum sumens seorsim ab Ethnicis, etiam iis qui se discipulos profitebantur ante baptismum. Imo vero incogitãtiam vide autoris, quicunque tandem ille sit. Libro secundo fingitur idẽ Petrus Clementem non admisisse ad preces, & tamen lib. 3. orasse cum lachrymis

mis coram tota multitudine eorum, quos auertisset à Simone; destinareq; baptizare post tres menses.

XXIV. Sed iam fabulas consideremus, contradicentes historicæ veritati. Libro 2. Petrus interrogat de Simone Mago, quasi viro nunquam antea sibi cognito: & quærit, quibus esset moribus, quibus-ve actibus. At quæcunque tum fiebant (si fiebant & non fingebantur) necesse est, nisi mentiatur liber, gesta esse annis minimum septem post mortem Christi. Sunt enim hæc Petri verba libr. 1. testantis Apostolos sæpe à Pontificibus rogatos, vt de Iesu differerent. *Verum cum frequenter super hoc rogarent, nos autem opportunum tempus requireremus, septimana iam vna ex passione Domini complebatur annorum.* At vero Baronius tomo 1. historiam illam de Simone, quæ habetur in Actis, refert ad annum Christi trigesimum quintum, hoc est, à passione secundum. Quis igitur credat, quinto post id tempus anno Petrum ignarum fuisse Simonis? adeo vt debuerit doceri, cuias esset, quibus parentibus; quam profiteretur artem, quibus viueret moribus. Nam hæc illi omnia aperiuntur ab Aquila.

XXV. In ficta illa disputatione, quæ narratur ad finem libri 1. excusantur Iacobus & Ioannes, quod cum Samaritanis duobus disputarent, habentes mandatum ne ingrederentur ciuitates eorum, neque verbum eis prædicationis inferrent: quasi res gesta fuisset ante Christi passionem. Nam id mandatum Apostolis datum omnes sciunt, cum primo mitterentur ad Iudæos duntaxat: postea vero abrogatum, generali mandato post Christi resurrectionem, docendi omnes gentes. Imo etiam disertis verbis Actor. 1. *Eritis mihi testes & in Hierusalem, & in tota Iudæa, Samariaque, & vsque ad vltimas terras.* Vnde 8. c. Philippus narratur prædicasse Christum in Samaria, eoque missum fuisse Petrum.

XXVI. Rursus, cum, teste Baronio, Paulus conuersus sit ad fidem anno à Christi resurrectione secundo, consentientibus omnibus Chronologis, tamen ab hoc Clemente Petrus inducitur post annum septimum, id est, post septem dies ab ea disputatione, significans sibi à quibusdam fratribus occultos nuntios delatos, *quod inimicus ille homo legationem suscepisset à Caipha pontifice, vt omnes, qui crederent in Iesum, persequeretur, & Damascum pergeret, cum epistolis eius, vt etiam inibi auxilio vsus infidelium, fidelibus inferret exitium: idcirco autem præcipue Damascum festinaret, quod & illuc confugisse crederet Petrum.* En tibi igitur Christianos persequentem, qui iam quinque annos Christum prædicabat.

XXVII. Eiusdem audaciæ est, quod Abrahamum nugatur libr. 1. Creatorem cognouisse ex ratione & ordine stellarum, vtpote Astrologum. Et ante Isaacum duos suscepisse filios, quorum alter esset Ismael, alter Heliesdros. Atque id quidem cum adhuc versaretur in ignorantia. Porro ex alio Barbaras gentes, ex alio Persarum populos descendisse. Cum tamen constet, & ante Isaacum solum natum esse Ismaelem: Et Ismaelem hunc etiam natum, postquam vocatus à Domino Abraham egressus esset ex patria. Et Barbaras gentes opponi Persis, sit ineptum, cum etiam Persæ essent barbari.

XXVIII. Denique cuiusmodi hoc est, quod dissimulatæ fidei autores facit Apostolos? Nam Gamalielem dicit remansisse inter Iudæos ex eorum consilio, &, vt loquitur, dispensatione: eam ob causam, *vt si quando iniquum aliquid aduersum nos* (inquit Petrus) *aut impium molirentur, vel ipsos consilio reprimeret prudenter aptato: vel nos commoneret, vt aut curare, aut declinare possemus.* Eaque dissimulatione vtens fingitur disputasse aduersus Apostolos publice. Satis caute, & politice: sed non satis pie. Rursus libro 10. cum Faustinum Simon immutasset imposito suo vultu; autor est illi Petrus, vt abeat Antiochiam, seque Simonem mentiatur ad pœnitentiam conuersum. Atque inibi multa mentiens inducitur Petrus in Colloquio cum Anubione. Nunquam id certe Augustinus probaret, qui mendacia officiosa ferre non potuit.

XXIX. Sunt ergo Epistolæ Decretales, sunt etiam Clementis fine Constitutiones siue Recognitiones, nullius pretii. Nunc singulos locos videamus. Fabianus agit de Chrismate; vel potius non in vniuersum de Chrismate; sed de Chrismatis consecratione, an sit singulis annis repetenda, an vero vtendum eo quod supererit ex anno precedente: definiens vetus Chrisma esse cremandum, qui autem contradicant, eos vesana sentire non sana. Atque id quidem tam serio, vt addiderit, *Si quis his obuiare tentauerit, omnem sibi per nos, & per omnes recte intelligentes, indulgentiæ aditum intelligat obseratum.* Papæ! tantam seueritatem! Dicas agi de præcipuo, imo summo articulo fidei. Agnoscite spiritum autorem eius Epistolæ: qui cum agat de sola temporis circumstantia, qua nihil potest esse leuius, adeo tragice concludat. Fateor ergo de Chrismate nihil esse scriptum in Canone: at nego eam esse vllam traditionem Apostolicam: superstitiosum commentum fuit potius eorum, qui se prudentiores esse putauerunt ipsis Apostolis.

XXX. Innocentius agit de ritibus quibusdam: scilicet de pace danda ante vel post confecta mysteria: de nominibus recitandis ante quam preces sacerdos faciat: de consignandis infantibus: de ieiunio Sabbathi: de fermento per parochias mittendo die dominica: de energumenis, an possint à presbytero vel Diacono consignari: de pœnitentibus quinta feria ante Pascha recipiendis: de vngendis ægrotis. Hæc nulla sunt fidei dogmata: Imo quædam etiam expleta: & in nullo vsu, ne apud Papistas quidem. Nomina enim nulla recitantur eorum, qui oblationes obtulerunt: sed sacerdos apud se tacitus recolit, si quidem recolit. Imo non tantum hic mos exoleuit, sed illud etiam de oblationibus. Solebant enim fidelium singuli offerre panem & vinum, ex quibus Eucharistia conficiebatur; vnde easdem oblationes, idem Innocentius hostiam appellat Deo offerendam. Nec Pax datur, porrecto osculo mutuo inter fideles: sed pro eo patinam sacerdos porrigit osculandam; cui pacis nomen ridicule inditum fuit. Fermentati, id est, panis benedicti nonnullus remansit vsus; imo tenuissima tantum vestigia: sed is neque mittitur ad diuersas Parochias; neque indicium est communionis cum Episcopo. Denique vnctionem extremam soli administrant Presbyteri; cum tamen Innocentius etiam laicis permittat. *Quo* (inquit) *ab Episcopo confecto* (id est sancto oleo,) *non solum sacerdotibus,) sed & omnibus vti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate, inungendo.* Obiter autem obseruandum, hanc vnctionem appellari non Sacramentum, sed genus Sacramenti. Sed ad rem; quid opus fuit, cum de perpetuis fidei dogmatibus disputatur, obiicere temp orarios ritus, vt nihil dicam præterea?

XXXI. Clementis locus ex Constitutionum libro 7. nihil habet de dogmatibus non scriptis: sed tantum de ratione continuandæ doctrinæ. Itaque non pertinet ad hanc controuersiam. Scimus enim eandem doctrinam, quæ primo ab Apostolis viua voce tradebatur, postea scriptis mandabatur, ab Episcopis perpetua successione prædicandam fuisse. In 10. Recognitionum, traditionem à Petro appellari clauem verbi, non potui legere: tantum in primo obseruaui Verbum veritatis appellari Clauem regni cœlorum. In secundo etiam Clauem scientiæ fuisse à Mose traditam Scribis & Pharisæis. In Epistola tamen Felicis de oppressione Arianorum comperi, *non semper tacebimus, aperiente nobis Domino claues verbi:* phrasi putida: quis enim vidit vnquam claues aperiri? At tamen nihil ad traditiones non scriptas: significat enim, tandem sibi concedendam à Deo libertatem loquendi.

XXXII. Ne Leo quidem de vllo agit dogmate: sed priore loco de Quadragesima: quam in ritibus numerandam vel inde constat, quod olim varia esset eius ratio inter Catholicos. Testatur Irenæus, apud Eusebium historiæ libr. 5. cap. 24. suo tempore quosdam vnum diem duntaxat ieiunare: quosdam duos: aliquos etiam plures: multos quadraginta, seruato nihilominus vinculo pacis. Augustinus contra Faustum lib. 30. cap. 5. non omnes, sed fere omnes certis diebus atque temporibus, abstinere a carnibus, & quibusdam terræ fructibus. Idem Epist. 118. significat à nonnullis Quadragesimæ ieiunium solui quinta feria, ab aliis non item: negatque definiri id posse, aut ex Scriptura, aut voce totius Ecclesiæ Catholicæ, aut ostendi contra fidem fieri, aut mores: suadetque seruandam singulorum locorum consuetudinem. Epist. 86. pronunciat, se non inuenire ab Apostolis definitum, quibus diebus oporteat ieiunare, quibus, non. Ergo hoc totum de Quadragesima inter ritus est computandum, non vero importune ingerendum tum cum de dogmatibus serio disputatur.

XXXIII. Alter locus Leonis loquitur de ieiunio celebrando quarta & sexta feria post Pentecosten. Et hoc rursus inter ritus computandum: imo nec perpetuos, nec vniuersales: nam ne hodie quidem obseruatur à Papistis. Præterea si vniuersaliter, vt sonant Leonis verba, intelliguntur, vt significent omnia capita consuetudinum, quæ inter Christianos obseruantur, esse traditionem Apostolicam, omnino à mendacio excusari non possunt. Quis enim nescit, multa procedente tempore instituta? Imo negabat Augustinus se reperisse ab Apostolis vllos definitos esse ieiuniorum dies. Et festa sunt infinita, quæ recentia sunt, vt alia multa prætermittam. Denique ipsi Papistæ distinguunt traditiones Apostolicas ab Ecclesiasticis.

CAP XVII.

De Conciliorum autoritatibus pro Traditionibus.

I. HI erant Pontifices Romani. Sequuntur Concilia. Concilium (inquit) Bellarminus antiquissimum & celeberrimum Nicænum primum ex doctrina non scripta damnauit hæresin Arij, vt diserte testatur Theodoretus libr. 1. historiæ cap. 8. Etsi enim quædam Scripturæ poterant adferri contra Arium: tamen, quia Arius etiam proferebat Scripturas, ex doctrina non scripta, sed tradita, per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium, eum damnauerunt. Nicænum secundum actione 6. tom. 4 *Quod autem*, inquit, *cum multis aliis, quæ in Ecclesia obseruantur sine Scriptura, nobis imaginum veneratio tradita sit, ab Apostolorum temporibus late per historias traditum est.* Et Action. 7. in fine sic habet, *Si quis traditionem Ecclesiæ, siue scripto, siue consuetudine, valentem non curauerit, anathema sit.* Idem repetitur in Concilio octauo generali actione octaua: & post actione vltima, canone 1. profitentur Patres se seruaturos omnes Traditiones, non solum Apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas. Tria igitur vniuersalia Concilia Bellarminus nominat; primum, septimum, & octauum E quibus septimum etiam Hosius, & Iesuitæ in disputatione Ratisbonensi.

II. Ex his Conciliis duo postrema frustra nominantur. Sunt enim Idololatrica: nec magis digna quæ à Christianis nominentur, quam Ariminense, aut Ephesinum ληστρικὸν, & similia. Enimuero illos Episcopos oportuit omnino ad traditionem confugere: quomodo enim ex Scripturis suam illam siue εἰδωλολατρείαν stabiliant, siue εἰκονολατρείαν? Sed non sequitur, si non sit Imaginum veneratio inter dogmata scripta, ideo Scripturas non continere totam salutis doctrinam.

III. De Nicæno primo, respondeo, falso citari: neque verum esse in eo Arium esse siue refutatum, siue damnatum ex non scripta doctrina. Et sane quid opus erat sanctis illis Patribus Traditionum subsidio, cum abundarent præsidia Scripturarum? Nam ne ipsi quidem hodie Papistæ ad Traditiones confugiunt, nisi cum desunt Scripturæ: Et abundasse testimoniis scriptis Catholicos contra Arianos ipsi Iesuitæ non negant, vt obseruauimus capite duodecimo huius libri. Sed proferebat etiam Arius Scripturas; Ita sane. Sed quid tum? Ergo-ne non potuit è Scripturis damnari? Imo diabolum Dominus noster non aliis armis fregit; qui tamen Scripturas impudentissime torquebat non minus quam Arius.

IV. Sed tamen ex doctrina non scripta damnatum fuisse Arium, diserte testatur Theodoretus. Imo nusquam Theodoretus. Quis igitur? Christophorsonus; qui cum suæ Criticæ nimis indulget: imo vero suam Criticam inflectit in Papismi gratiam, Theodoretum nobis hoc loco & corrupit Græce, & peruertit Latine: vt haberent nostri Iesuitæ quo sibi delicias facerent. Placet autem inquirere paulo diligentius.

V. Theodoretus partem recitat Epistolæ Athanasii ad Afros: in qua hæc verba, διὰ τοῦτο ἐξ ἐγγράφων μετ' εὐσεβείας συνοχμένων λέξεων κατηκρίθησαν. Christophorsonus vertit. *Quapropter ex non scriptis vocibus pie tamen excogitatis condemnati sunt.* In quo duplex est error: Nam & συνοχμένων, non excogitatas significat; sed intellectas: & ἐγγράφων, satis audacter mutauit in ἀγράφων, scriptas in non scriptas.

VI. Est tamen, fateor, in editis operibus Athanasij vox ἀγράφων: sed totus etiam locus aliter legitur: debuit autem Christophorsonus, si vo-

 luit,

luit, sincere emendare; non vnam duntaxat voculam arripere reliquis omnino neglectis. Sic ergo legitur: καὶ ὁ γογγυσμὸς αὐτῶν, ὅτι ἄγραφοι εἰσὶν αἱ λέξεις, ἐλέγχεται παρ' αὐτῶν μάταιος. ἐξ ἀγράφων ἀσεβήσαντες (ἄγραφα δὲ τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν) αἰτιῶνται, ὅτι ἐξ ἀγράφων μετ' εὐσεβείας νοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν. Hæc ego sic interpretor: Nannius enim non satisfacit. *Eorum autem obmurmuratio, quod eæ voces non sint scriptæ, ab ipsis etiam arguitur esse vana: Cum enim ex non scriptis impietatem suam instruant (sunt enim non scripta, & illud ex non existentibus: Et hoc erat tempus quando non erat) tamen conqueruntur, se ex non scriptis vocibus pie intellectis damnari.*

VII. Apud Eusebium vero paulo aliter: καὶ ὁ γογγυσμὸς αὐτῶν ὅτι ἄγραφοι εἰσὶν αἱ λέξεις, ἐλέγχεται παρ' αὐτῶν μάταιος, ἐξ ἀγράφων ἀσεβήσαντες (ἄγραφα δὲ τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν) αἰτιῶνται. διὰ τοῦτο ἐξ ἐγγράφων μετ' εὐσεβείας ἐννοουμένων λέξεων κατεκρίθησαν. *Eorum autem obmurmuratio quod eæ voces non sunt scriptæ, ab ipsis etiam arguitur esse vana. Ex non scriptis impietatem suam instrui accusantur, sunt enim non scripta, & illud ex non existentibus, & hoc erat tempus quando non erat. Propterea ex scriptis pie intellectis vocibus condemnati sunt.*

VIII. Harum lectionum vtram vtri præferam, non facile dixerim. Sed certe correctio est inepta Christophorsoni: quæ significat ideo ad non scripta confugisse Patres Nicænos, quia Ariani etiam non scriptis pugnarent. Quæ ratio absurdissima est; & contradicit Bellarmino, qui propterea Synodũ vsam esse asserit Traditione, quod Arius Scripturas etiã ꝑferebat. Sed & reliqua epistola contrarium docet. Nam primo Synodum Nicænam cum Ariminensi comparans: οἱ μὲν ἐν Νικαίᾳ τῶν γραφῶν πνέουσι (inquit:) *Qui Nicææ fuerunt, Scripturas spirant.* Deinde sic describitur sanctorum Patrum sedulitas, vt hæreticorum versutiæ ludentium in amphibolia vocum opponerent alias voces scriptas, priorum interpretes. Nam primo, cum pro eorum vocibus non scriptis, scilicet *ex non exstantibus*, atque aliis, Patres substituerent scriptas, filium esse ex Deo, vnigenitum, Verbum, Potentiam, reliquas, hæretici consentiebant: quod eas creaturis etiam tribui viderent: Exposuerunt igitur Patres illud ex Deo, ex essentia Dei. Rursus, cum interrogarentur hæretici, an Filium dicerent, Potentiam, Sapientiam, & Imaginem æternam, inuariatamque, & Deum verum, illique deprehenderentur annuere, quod putarent, etiam hominibus competere: tum οἱ ἐπίσκοποι θεωρήσαντες ἐκείνων τὸ δόλιον, συνήγαγον ἐκ τῶν γραφῶν τὸ ἀπαύγασμα, τήν τε πηγὴν καὶ ποταμὸν, καὶ χαρακτῆρα πρὸς τὴν ὑπόστασιν, καὶ τὸ ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς, καὶ ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, καὶ λευκότερον λοιπὸν καὶ συντόμως ἔγραψαν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱόν. *Episcopi deprehensa eorum versutia, collegerunt è Scripturis, splendorem, & fontem, & fluuium, & characterem relate ad hypostasin: & in lumine tuo videbimus lumen: &, ego, & pater vnum sumus: dilucidiusque deinceps ac breuius scripserunt consubstantialem Patri filium.* τὰ γὰρ προειρημένα πάντα, ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν. *Nam ista sic dicta, eam significationem habent.* Non est igitur verum fuisse Arianos ex non scriptis damnatos; quod Christophorsonus videri voluit dictum: non satis sincerum agens interpretem.

IX. Et tamen verum erat, Arianos conqueri Voces illas, quibus concepta erat in eos lata sententia, non esse scriptas: atque adeo id impense calumniabantur. Proinde nihil est absurdi in priori lectione, quæ hanc ipsam Arianorũ querelã, significat; & retundit per ἀντικατηγορίαν, videlicet, quod ne ipsi quidẽ abstinerent à non scriptis vocibus. Sed quid hoc ad rem? Nam etsi vocibus nonnullis vsi sunt Patres non scriptis: non tamen vllis dogmatibus. Imo diserte testatur Athanasius, has voces non scriptas idipsum significare, quod colligebatur è Scriptis. Non potuit igitur hic sensus, esse Traditio non scripta.

Cap. XVIII.

De Græcorum autoritatibus pro Traditionibus, sub Ethnicis Imperatoribus.

I. SEquuntur tertio loco Patres Græci. IGNATIVS apud Eusebium libro 3. historiæ c. 36. hortabatur omnes Apostolorum Traditionibus tenacius inhærere; quas Traditiones (inquit Eusebius) cautelæ gratia etiam scriptas se asserit reliquisse. Ex quo sequitur eas ab Apostolis scriptas non fuisse. Sic Bellarminus: Et citat eundem locum Baronius ad annum Christi quinquagesimum tertium: censetque non significari priuatum aliquem commentarium de Traditionibus, sed vndecim Epistolas ad diuersas Ecclesias.

II. Respondeo, locum in Græco contextu ad hunc modum se habere. Τὰς κατὰ πόλιν αἷς ἐπεδήμει παροικίας ταῖς διὰ λόγων ὁμιλίαις καὶ προτροπαῖς ἐπιρρωννὺς, ἐν πρώτοις μάλιστα προφυλάττεσθαι τὰς αἱρέσεις ἄρτι τότε πρῶτον ἀναφυείσας καὶ ἐπιπολαζούσας παρῄνει, προύτρεπέ τε ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, ἣν ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως ἤδη μαρτυρούμενος, διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο. Ea verba Bellarminus recitat è Ruffini versione. *Singulas quasque digrediens Ciuitates, Ecclesiæ populos Euangelicis cohortationibus edocebat in fide persistere, & obseruare se ab hæreticorum contagiis, qui tunc primum copiosius cœperant pullulare, &, vt diligentius ac tenacius Apostolorum Traditionibus inhærerent, quas Traditiones cautelæ gratia, & ne quid apud posteros remaneret incerti, etiam scriptas se asserit reliquisse.* Baronius vero Christophorsonum maluit: qui sic expressit, *Ecclesias cuiusque ciuitatis, ad quam forte proficisceretur, familiaribus colloquiis piisque hortatibus confirmauit: ac primum vt hæreses, quæ iam tum primo nasci & emergere cœperunt, maxime præcauerent, sedulo admonuit: deinde hortatus est, vt Apostolorum traditioni mordicus adhærescerent. Quam quidem asseueranter testificatus, quo tutius posteritati reseruarentur, necessario scriptis mandandam existimauit.*

III. Sed vterque male locum vertit: Rufinus quidem suo more liberius, quam verius: Christophorsonus nescio quam ob causam: nisi forte, quia erat Papista. Mitto alios errores leuiusculos: sed hi non sunt prætereundi. Primum, traditiones Rufinus reddidit; cum tamen Græce sit παραδόσεως numero singulari. Hæc autem non leuiter differunt: quia pluralis numerus, multa capita comprehendit, ac proinde res ipsas significat: singularis autem referri potest ad rationem siue modum tradendi res ipsas. Secundo; posteros Rufinus nominauit, postque eum Christophorsonus posteritatem, quorum tamen neutrum Græce legitur; & est præter Eusebii Ignatiique mentem. Tertio Rufinus testatum dicit Ignatium, se eas Traditiones scriptas reliquisse: Christophorsonus autem, existimasse scriptis mandandam: At vtrumque falsum est. Neque enim vel de se loquutus est Ignatius: vel διατυποῦσθαι significat scriptis mandare. Quarto vterque Interpres peruertit seriem syntaxinque verborum: Nam cum scripserit Eusebius, ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως ἤδη μαρτυρούμενος, διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο: isti sic interpretantur, ac si legissent ἤδη μαρτυρούμενος ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο.

IV. Ego sic verto, *Ecclesias quas per singulas ciuitates inuisebat, viuæ vocis homiliis & adhortationibus confirmans, ante omnia & maxime admonebat cauendas hæreses, quæ tum primum orirentur & pullularent: atque hortabatur ad mordicus retinendam Apostolorum Traditionem, quam, cautelæ gratia, etiam scriptis obtestatus, exprimi necesse putaret.* Τὸ διατυποῦσθαι, quia nunquam legi pro scriptis mandare, ita sum interpretatus, vt significet opere ipso exprimere Traditionem, vt ne sit in sola prædicatione & voce: quomodo, ni fallor, cognato verbo ἐκτυποῦν Clemens Alexandrinus vsus est Stromateon 7. cum dixit ἐκτυποῦν τὸ βέλτιον, exprimere id quod optimum est. Sequutus etiam sum ordinem verborum; vt ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως μαρτυρούμενος, significet, Ignatium non tantum viua voce hortatum Ecclesias, vt adhærerent traditioni Apostolorum; sed etiam scriptis viua voce certioribus esse contestatum.

V. Itaque nihil est incommodi in hoc Ignatii apophthegmate. Nam & nos consultissimum putamus, reipsa exprimi Traditionem Apostolorum, nec ab ea vel latum vnguem discedere. Sed eam Traditionem in non scriptis esse dogmatibus absit, vt vllus dicat Catholicus. Et sane, quandoquidem illam Traditionem Ignatius opponat hæresibus; iis inquam hæresibus, quæ tum temporis inuehebantur; facile est coniicere, quam Traditionem intelligat. Nemo enim, tum temporis hæreticus, quæstionem mouebat de Quadragesima, de ordinibus minoribus, de die Dominica, quas in Ignatii Epistolis Traditiones Bellarminus obseruauit: sed de præcipuis articulis fidei, contendebant Simon, Cerinthus, Menander.

VI. Ignatium PAPIAS sequitur à Cano productus testis ex eodem libro 3. Eusebianæ historiæ c. 33. Is Græce sic loquitur: οὐ γὰρ τοῖς τὰ πολλὰ λέγουσιν ἔχαιρον ὥσπερ οἱ πολλοὶ, ἀλλὰ τοῖς τἀληθῆ διδάσκουσιν, οὐδὲ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας ἐντολὰς μνημονεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς τὰς παρὰ τοῦ Κυρίου τῇ πίστει δεδομένας, καὶ ἀπ' αὐτῆς παραγινομένας τῆς ἀληθείας· εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους, τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, ἢ τί Φίλιππος, ἢ τί Θωμᾶς, ἢ Ἰάκωβος, ἢ τί Ἰωάννης, ἢ Ματθαῖος, ἤ τις ἕτερος, τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν, ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταὶ λέγουσιν, οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ὑπελάμβανον ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης. Christophorsonus reddidit: *Non enim (vt vulgus hominum solet) iis qui multa dicunt, sed qui vera docent oblector: neque ex illis qui aliena & noua mandata commemorant: sed ex his qui recordatione renouant ea quæ sunt per fidem tradita, & ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio. Si quis presbyter mihi forte occurrebat, qui cum Apostolis versatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitabar: nempe quid Andreas dixisset, quidve Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes aut Matthæus, aut quis alius Domini Discipulus: quæ denique Ariston, & Ioannes presbyter, qui in numero discipulorum Domini habebantur, loquuti fuissent. Neque enim ea quæ ex libris petebantur, tantum mihi subsidii allaturum existimaui, quantum ea quæ acceperam ex hominum voce, & sermone qui adhuc in vita manebant.*

VII. Mitto interpretationis σφάλματα: vt quod aliena & noua mandata dixit, pro ἀλλοτρίοις: & per fidem tradita; pro fidei tradita τῇ πίστει δεδομένας: & quod pro εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις, correxit, vt obseruat Leouardiensis, εἰ δέ που καί τις τῶν πρεσβυτέρων παρηκολουθηκὼς τοῖς Ἀποστόλοις, nulla necessitate, nisi forte vetera exemplaria proferat: & quod presbyterum dixit, pro seniore: vix enim videtur officii nomen esse, sed ætatis potius: sic enim solent præterita repeti ab ætate prouectioribus: & denique quod pro viua & manente voce, substituit, sed sermonem eorum qui adhuc in vita manebant: quia vidit inepte viuam vocem appellari manentem, qua tamen nihil sit fugacius. Hæc, inquam, non vrgeo: obiter tantum annotari volo, vt hoc experimento admoneam, quantum huic Interpreti deferendum sit, quem supra cœlos Leouardiensis extollit. Atque id quidem non, vt eius laudibus iustis quicquam detraham; sed vt videant omnes, si quando à me in rebus grauioribus (vt accidit iam aliquoties) eius fides suggilletur, non esse vitio imputandum.

VIII. Respondeo, hoc loco Papiam comparare non dogmata dogmatibus, diuersa diuersis; vt alia se ex Scripturis didicisse testetur, alia tantum viua voce: sed duntaxat traditionem traditioni, hoc est, varias docendi rationes. Posse autem eadem dogmata vtroque modo tradi, nemo nescit. Papias igitur existimabat quidem viuam vocem sibi esse vtiliorem: quod & hodie quoque nonnullis contingit: imo vero pene omnibus; qui cum in Scripturarum lectione sint aut segniores, aut tardiores, opus habent viuæ vocis aculeis. Sed vtrum ex iis quos interrogabat, alia quædam disceret dogmata fidei, quæ non tradatur in Scripturis, hoc vero si dixisset, potuisset videri Papista.

IX. Quanquam eius in Traditiones tantam propensionem merito suspectam nobis ipse reddidit Eusebius, eodem capite, vt alias obseruauimus. Scilicet, quum nonnulla eum testatur, quasi Traditione non scripta ad se peruenisse dicere, quæ peregrinas quasdam Seruatoris parabolas, & nouas doctrinas, commentitiasque fabulas redolebant. Quare si quid ille ardentius sensit, duriusque scripsit de Traditionibus, numeretur inter eos næuos, quos in veteribus dissimulare debemus, non imitari.

HEGESIPPVM Bellarminus profert, qui (vt est apud Eusebium libro 4. Historiæ c. 8.) Apostolicas Traditiones quinque libris comprehendit, qui, etsi modo non exstent, tamen satis indicat hoc testimonium, Apostolos non omnia scripsisse quæ docuerant.

X. Sed Bellarminus nihil legitime concludit. Quæ enim ratio cordatis viris persuadebit, si quinque libros Egesippus scripserit de Traditionibus

Apostolicis,

Apostolicis, ideò non omnia dogmata Apostolos scripsisse? Nihil enim prohibet, quominus de iisdem scriberet: cum hodie tot librorum myriades prodierint Scripturas exponentium, illustrantium, confirmantium. Cæterum nihil aut Eusebius aut Egesippus vel cogitarunt vel dixerunt, de Traditionibus non scriptis: sed de continuata successione eiusdem doctrinæ, quæ ab initio tradita fuit ab Apostolis. Nam Eusebius cum dixit, ἐν πέντε συγγράμμασι τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ Ἀποστολικοῦ κηρύγματος, ἁπλουστάτῃ συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος. In quinque libris erroris nesciam traditionem Apostolicæ prædicationis simplicissimo stylo commemorasse. Non erat autem farrago variarum traditionum, vt sunt hodie apud Papistas, Rationalia, Pontificalia, & similia: sed erat historica narratio continuatæ Ecclesiæ à Christo ad autoris tempora.

XI. Id patet ex Hieronymo in Catalogo *Hegesippus* (inquit) *vicinus Apostolicorum temporum, omnes à passione Domini, vsque ad suam ætatem, Ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad vtilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinque libros composuit.* Patet rursus ab ipso Eusebio, qui hoc eodem loco vsum se dicit Hegesippi testimoniis: & sane nominatum inuenias libro 2. cap. 22. & libro 3. cap. 12. & 15. sed semper in rebus historicis. Itaque nihil iam mirum, si multa complexus est, quæ nusquam scripta sunt in sacris libris: sed nobis sufficit Iesuitæ fraudem detexisse: qui traditionis nomine abutitur, tanquam significaret aliquid dogmaticum, quæ tamen nihil pollicetur nisi historicum.

XII. Interim obseruemus, ex Bellarmini confessione quinque illius Hegesippi libros, qui proxime vixit post Apostolos, non exstare. Ne quis fraudem faciat deinceps nominatis illis quinque Hegesippi libris, qui hodie circumferuntur de Excidio Hierosolymitano. Non esse enim hos eosdem cum illis, patet, quia non continent historiam à Christo ad Antonini Pij tempora; sed à Maccabæis ad Hierosolymorum destructionem sub Tito. Nec in iis reperias τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν Ἀποστολικοῦ κηρύγματος, quam Eusebius nominauit, quocunque tandem modo eam interpreteris. Denique tum alia collegit argumenta Laurentius Renatus præfatione sua in eos libros; tum hoc, quod iste quisquis est Hegesippus meminit Constantinopoleos, siue nouæ Romæ veteri exæquatæ: quo euincitur eum vixisse post tempora Constantini Magni.

XIII. POLYCARPVS apud Eusebium libr. 5. historiæ cap. 20. referebat verba, quæ dicta à Domino ab Apostolis ipse audierat, & de virtutibus eius ac doctrina: & Irenæus, quæ Polycarpus tradebat, describebat, non in charta, sed in corde suo. Hic igitur, ait Bellarminus, certum est agi de Traditionibus non scriptis.

XIV. Locus sic habet. Asserit Irenæus sibi adeo recentem esse memoriam, vt de Polycarpo multa narrare possit tanquam præsentia, καὶ τὰς διαλέξεις ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος, καὶ τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν ὡς ἀπήγγελλε, καὶ τὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν Κύριον, καὶ ὡς ἀπεμνημόνευε τοὺς λόγους αὐτῶν, καὶ περὶ τοῦ Κυρίου τινὰ ἦν ἃ παρ' ἐκείνων ἀκηκόει, καὶ περὶ τῶν δυνάμεων αὐτοῦ, καὶ περὶ τῆς διδασκαλίας, ὡς παρὰ τῶν αὐτοπτῶν τῆς ζωῆς τοῦ λόγου παρειληφὼς ὁ Πολύκαρπος ἀπήγγελλε πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς. *Disceptationes ac colloquia, quæ habebat apud multitudinem: necessitudinem etiam quam se cum Ioanne, reliquisque qui Dominum viderant, habuisse narrabat: & quo pacto memoria repeteret sermones eorum, quæque de Domino audierat tum quæ ad miracula spectabant, tum quæ ad doctrinam, ab iis, ea inquam narrabat Polycarpus, tanquam quæ ab oculatis testibus Vitæ verbi, accepisset, omnia Scripturis consona.*

XV. Respondeo igitur, hæc verba non scriptis dogmatibus non fauere. Ratio est gemina. Prior, quia aliud sunt διαλέξεις, aliud dogmata: illæ enim pertinent ad docendi rationem, hæc vero ad ea ipsa quæ docentur. Recitabat ergo Irenæus, quomodo viua voce Polycarpus tum doctus esset ab Apostolis, tum alios doceret: sed non confi itur inde, ea quæ siue ab Apostolis didicerat, siue ipse alios docebat, non fuisse dogmata scripta.

XVI. Bellarminus instat, si de scriptis ageretur, nihil singulare dici de Polycarpo: nam quilibet potest referre dicta à Domino, quæ in Apostolis legit. Imo, inquam, hoc singulare dicitur, quod ipse suis auribus Apostolos audisset; quod paucis eius temporis acciderat; imo nullis qui eo tempore viuerent, cum Irenæus scribebat. Noluit igitur Irenæus Polycarpum laudare, tanquam qui singularem aliquam doctrinam didicisset ab Apostolis, quæ siue scripta non esset, siue aliis non communicata: sed qui ipsos Apostolos vidisset, atque audisset.

XVII. Altera ratio est, quia subiicit Irenæus diserte ea quæ Polycarpus sic narrabat, fuisse πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, consona Scripturis omnia. Ergo inquam, ea dogmata, quæ iis Polycarpi verbis non scriptis, sed viua voce expressis, haustisque non à Scriptura, sed ab Apostolorum viua voce, ea inquam, dogmata, quæ iis verbis significabantur, iisque concionibus ad multitudinem explicabantur, non erant non scripta.

XVIII. Bellarminus tamen negat hanc consequentiam: aliud enim esse consonum Scripturæ, aliud posse probari ex Scriptura. Omnem veram traditionem; imo omnem veritatem esse consonam Scripturæ, cum verum à vero dissonare non possit, nec tamen omnem veritatem probari posse ex Scriptura.

XIX. Sed hanc instantiam eleganter soluit VVhitakerus & apposite: distinguens, τὰ σύμφωνα ἀπὸ τῶν μὴ ἀσυμφώνων. Et omnem quidem veritatem esse Scripturæ οὐκ ἀσύμφωνον: at non esse tamen omnem veritatem Scripturæ σύμφωνον. Exempli gratia, esse in Nouis Indiis aurifodinas, non esse quidem ἀσύμφωνον, hoc est, dissentiens, siue contrarium Scripturæ: alioquin alterutrum oporteret esse falsum: sed ne consentiens quidem. Cum igitur Irenæus non dixerit, ea quæ Polycarpus narrabat non fuisse dissona; sed diserte dixerit fuisse consona Scripturis, ἀπροσδιόνυσον & inutile est illud Bellarmini κρησφύγετον.

XX. Et sane non solet tam late produci συμφωνία, vt, quæ commune subiectum non habent, & non de eodem idem pronunciant, ea σύμφωνα, dicantur. Quis enim non rideat eum, qui asserat Ptolomæi Almagestum consentire Vitruuii libris de Architectura? Aut Euclidis Elementa, Hippocratis Alphorismis? aut Aristotelis Organum, Theophrasti historiæ plantarum? Quamuis ea esse possint non dissona? Sed συμφωνεῖν, recte dixeris Plutarchum & Suetonium, cum de Cæsare eadem narrant, etsi aliis verbis. Thucydidem & Diodorum Siculum; quorum vterque de bello Peloponnesiaco eadem scripsit.

XXI. Nec alio sensu vsi sunt hac voce Veteres. Irenæus ipse libr. 2. cap. 47. *Si ergo secundum hunc modum quem diximus, quædam quidem quæstionum Deo commiserimus, & fidem nostram seruabimus, & sine periculo perseuerabimus, & omnis Scriptura à Deo nobis data consonans nobis inuenietur: & parabolæ his quæ manifeste dicta sunt consonabunt, & manifeste dicta absoluent parabolas.* Sensus est: Nos, cum loquemur de rebus fidei, idem docebimus quod Scripturæ docent: Item parabolæ, id est, obscuriores loci; non aliud significabunt, quam manifesti: imo manifesti absoluent, id est, interpretabuntur obscuros. Sic Tertullianus in libro aduersus Iudæos Consonantiam Scripturarum bis nominauit, hoc est diuersorum locorum de Christo venturo consensum.

XXII. Athanasius in libello de Decretis Synodi Nicænæ, cum dixisset veræ disciplinæ & magisterii argumentum esse, τὸ τὰ αὐτὰ ἀλλήλοις ὁμολογεῖν, paulo post subiicit: οἱ δὲ ἅγιοι, καὶ τῷ ὄντι τῆς ἀληθείας κήρυκες ἀλλήλοις συμφωνοῦσι, καὶ οὐ διαφέρονται πρὸς ἑαυτούς· εἰ γὰρ καὶ διαφόροις χρόνοις γεγόνασιν, ἀλλ' εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις ὁρμῶσιν, ἑνὸς ὄντες τοῦ Θεοῦ Προφῆται, καὶ τὸν αὐτὸν συμφώνως εὐαγγελιζόμενοι λόγον. *Sancti, & rei sa veritatis præcones, alii aliis consonant: nec discrepant inuicem. Etsi enim diuersis temporibus exstiterint, tamen in idem vicissim conspirant, & cum sint vnius Dei Prophetæ, eundem consonanter sermonem euangelizant.* Ergo Athanasio τὸ συμφωνεῖν est non tantum οὐ διαφέρεσθαι non discrepare, sed τὰ αὐτὰ ἀλλήλοις ὁμολογεῖν, cum vtrique eadem profitentur: εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις ὁρμᾶν, in idem tendere, τὸν αὐτὸν εὐαγγελίζεσθαι λόγον, eundem sermonem annunciare. Basilius Epistola 53. συμφώνως δὲ πάντες φθεγγόμενοι; *omnes consone loquentes*, de pluribus vnam eandemque rem referentibus. Et Epistola 74. ἐὰν δὲ καὶ συμφώνως, πλείονες ὑμεῖς τὰ αὐτὰ δογματίσητε; *quãuis consone plures simul eadem doceatis.* Theodoretus Dialogo 1. cap. 17. Ἄγαμαι τῆς συμφωνίας τοὺς ἄνδρας, *Gaudeo sic hos viros consonare.* Et exponens hanc consonantiam: ἅπαντες γὰρ τὴν αὐτὴν ἑρμηνείαν τῶν εὐαγγελικῶν ῥητῶν ἐποιήσαντο, ὥσπερ εἰς ταυτὸν συνελθόντες, καὶ τῇ κοινῇ δόξαν συγγράψαντες; *Omnes enim eandem interpretationem Euangelicorum verborum protulerunt: quasi si in idem loci conuenientes communibus suffragiis decretum conscripsissent.* Et Latini. Hieronymus in Genesin, quæst. 45. *Zeda, quod hic omnes ore consono* ἐπισιτισμὸν, *id est, cibaria, vel sitarcia interpretati sunt.* Gaudentius homilia in ordinatione sua. *Sicut illos tres in camino fideles pueros, ita in hoc examine omnes Apostolos consona voce debuisse eadem profiteri.*

XXIII. Ex hoc igitur perpetuo vsu, quis iam non videt Irenæi mentem esse, vt diceret Polycarpum, cum eas Apostolorum διαλέξεις recitaret; etsi omnino aliis verbis vteretur, tamen de iisdem capitibus eadem definisse, quæ iam ante scripta erant? Exempli gratia; si in sermonem incidit aliquando Lazari suscitati, tum ille potuit dicere, se eam historiam audisse à Ioanne; & vel suis vel Ioannis verbis auditoribus exponere, sed eadem narrans quæ nunc legimus c. 11. Euangelii secundum Ioannem. Ac proinde, etsi narrabat historiam viua voce, quam itidem non ex scriptis didicerat, sed ex viua voce Ioannis, tamen nihil narrabat non scriptum. Quare hic locus Traditionariis non prodest.

XXIV. IVSTINVS in fine secundæ Apologiæ, posteaquam exposuit multa de Christianis, & inter alia quædam non scripta, vt quod conueniant singulis Dominicis, & post lectionem Scripturarum & concionem offeratur & consecretur panis & vinum aqua temperatum, & quod non liceat vllo modo participare de Eucharistia, nisi post Baptismum, & alia, subiungit statim, *Postridie Saturni, qui dies Solis est, cum Apostolis discipulisque suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ vobis quoque consideranda permittimus.* Hæc Bellarminus. Baronius ex libro Quæstionum & Responsionum: quæst. 118. recitat. *Porro à quibus orationem Ecclesia accepit, ab eisdem quoque vbi orare solerent, consuetudinem accepit, à sanctis nimirum Apostolis:* agit autem de Christianis, qui ad Orientem versi precabantur.

XXV. Respondeo, hæc esse extra rem. Nos enim non negare vllas esse omnino Traditiones non scriptas: sed tantum vlla esse fidei dogmata non scripta. Ceremoniarum autem minimam partem scire contineri in libris Canonicis. Itaque etsi consultissimum credamus, si paucissimæ congerantur, tamen experientia docuit, harum instituendarum, antiquandarumque penes Ecclesiam esse. Itaque conuentus diei Dominicæ, ordo celebrandæ Eucharistiæ: aquæ infusio, conuersio ad Orientem: cum nihil aliud sint quam ritus, potuerunt omitti, in disputatione de dogmatibus. Quamuis ille Quæstionum liber, in quo de Oriente definitur, non potest esse Iustini: cum in eo nominentur Irenæus, Origenes, & Manichæi, qui Iustino cogniti esse non potuerunt.

XXVI. Et tamen conuentus solitos fieri die Dominica, alias docuimus elici è Scriptura: Offerri Eucharistiam post lectiones & concionem, puto probari posse ex vsu veteris Ecclesiæ, quem Lucas describit Actor. 2. *Erant perdurantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus.* Sane preces in Institutione præcesserunt communionem. Nam Christus εὐχαριστήσας ἔκλασε, postquam gratias egisset, fregit panem. Non debere autem offerri nisi baptizatis, concluditur è Scripturis. Non est enim offerenda nisi fidelibus, atque iis quidem qui possunt se ipsos probare, teste Paulo: At ex vsu Apostolorum, apparet fideles statim atque crediderunt, baptizatos esse. Sed & Paulus prioris ad Corinthios 12. nos omnes in vnum corpus baptizatos esse dicit, & vna potione potatos: prius, inquam, baptizatos, tum secundo loco potatos. Quod ad ordinem accipiendorum Sacramentorum cur non referam?

XXVII. Sed IRENÆO valde se iactat tota Papistarum cohors. *Multa* (inquit Bellarminus) *præclara de Traditionibus dicit.* Recte inquam: sed cuiusmodi Traditionibus; Scriptisne, an non scriptis? Deinde, dogmatumne an rituum? Nam ea si non distinctæ considerantur, sophistice, vt iam sæpe monui, disputatur. Ergo cuiusmodi sint ea præclara videamus. Is igitur libri 3. cap. 2. dixerat, hæreticos non posse conuinci ex Scripturis, postea capite tertio enumerauerat Romanos Pontifices à Petro vsque ad Eleutherium, vt ostenderet esse in Ecclesia continuatam successionem Episcoporum conseruantium Traditionem Apostolicam. Post hæc omnia capite quarto, tandem sic scribit: *Tantæ ostensiones cum sint hæc,*

non

non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia quæ sunt veritatis, vt omnis quicunque velit sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim, etsi de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli Scripturas quidē reliquissent nobis, nonne oporteret ordinem sequi Traditionis, quam tradiderant iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Christum credunt sine charactere vel atramento scriptam harum eorum, qui in Christum credunt sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes. His verbis addit Bellarminus hæc ex libri 4. c. 43. *Qui successionem habent ab Apostolis, cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, id est, veram Scripturarum intelligentiam, & vniuersam doctrinam Euangelicam.* Hæc Bellarminus recitauit magnificentius, quam fortius.

XXVII. Primo, non posse ex Scripturis conuinci hæreticos, non Irenæi dictum est, sed Bellarmini figmentum. Tantum dixit, *Cum ex Scripturis arguantur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum.* Quod si Bellarminus, quo est ingenio, intelligit non posse conuinci è Scripturis: quid causæ dicet, quominus & Catholici negent hæreticos conuinci posse ex Traditione? Nam legimus eodem capite, *Cum autem ad eam iterum Traditionem quæ est ab Apostolis, aduersantur Traditioni.* Et paulo post: *Euenit itaque neque Scripturis iam, neque Traditioni consentire eos.* Quod si hoc est absurdum, cur speret se nobis sua somnia probaturū? Maxime cum ipsius Irenæi contra laborem habeamus præ oculis, qui in eiusdem libri præfatione profitetur se illaturum è Scripturis ostensiones: & cap. 5. post absolutum ad Traditione sermonem, quem inchoauerat capite tertio, significat se aggredi disputationem ex Scripturis. *Traditione igitur* (inquit) *quæ est ab Apostolis sic se habente in Ecclesia, & permanente apud nos, reuertamur ad eam quæ est ex Scripturis ostensionem.* Atque ab eo loco ad finem vsque totius operis disputare pergit ex solis Scripturis: hoc est, tribus integris libris, cū quartum. Quæ causa satis iusta potuit Erasmo videri, vt diceret, solis Scripturarum præsidiis pugnasse Irenæum aduersus cateruam hæreticorum; in Epistola ad Tridentinum Episcopum Irenæo præfixa.

XXIX. Secundo, ab Irenæo Traditionem appellatam dico, continuationem scriptorum dogmatum: non vero quorundam non scriptorum adinuentionem. Et probo his argumentis. Primo, quia Traditionem opponit hæreticis sui temporis; At ij errabant in capitibus dogmatum scriptorum, de Deo, de Christo, de Creatione, & similibus. Secundo, quia omnem horum hæreticorum impietatem prolixe refutat ex Scripturis, tribus vt dixi libris integris: Cum tamen ne vnum quidē caput sigillatim ac nominatim ex Traditione examinarit. Tertio, quia, vt alias dixi, cum de Barbaris loquitur, qui sine Scriptura didicerant Euangelium, ex sola Traditione, tum exponens eorum fidei articulos, non alios nominat, quam quos Catholici omnes credunt, haustos ex Scriptura. *In vnum Deum credentes* (inquit) *fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christū Iesum Dei Filium. Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionē, eam quæ esset ex virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloria, venturus Saluator eorum qui saluantur, & iudex eorum, qui iudicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemptores Patris sui, & aduentus eius.* Similiter, c. 3. Clementem Romanum Corinthiis dicit annunciasse, Traditionem ab Apostolis receptam, & statim addit capita, vnū Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, & aduocauerit Abraham, qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui colloquutus sit Moysi, qui legem disposuerit, & Prophetas miserit, qui ignem præparauerit Diabolo & Angelis eius. Erant igitur hæc capita Traditionis eius de qua Irenæus loquitur: atqui ea omnia capita sunt scripta: Ergo non intellexit aliud per Traditionem, quam quod dixi. Quarto quia idem dixit, *Quid autem? si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis?* Nam ea verba significant eadem disci tum a Scripturis tum ab ordine illo Traditionis: Restat ergo, vt Traditionem non scriptam dixerit dogmatum scriptorum, non vero Traditionum non scriptarum.

XXX. Reluctatur tamen Bellarminus, falsum asserens Traditionem intelligendam eorum dogmatum tantum, quæ in Scripturis inueniuntur. Et habet hæc argumenta. Quia c. 2. 3. & 4. docet Irenæus non esse aliam viam perueniendi ad veritatem, quam consulendo Ecclesias, in quibus est successio Episcoporum ab Apostolis, & considerando quid ibi doceatur, & quam dicant illæ Ecclesiæ esse Apostolicam Traditionem. Vult igitur Irenæus Traditionem latius patere, quam Scripturas, & sensum Scripturarum difficilium, non ex Scriptura, sed ex Traditione haberi, ita vt Traditio sola sufficiat, Scripturæ autem non sufficiant. At falsum esset hoc totum, si nihil aliud Traditio contineret, quam id quod euidenter colligitur ex Scripturis.

XXXI. Enimuero, quid mentiri aut iuuat, aut prodest? Siccine disputandum de religione, Papistis est solenne? Nimirum, non potest mendacium veritate stabiliri: itaque à mendacio mendicat auxilium. Esto id sane: vt qui sordescit, sordescat adhuc. Irenæus tamen nunquam aut dixit, aut scripsit non esse aliam viam inueniendę veritatis, quam consulendo Ecclesias Apostolicas. Imo potius hæreticis imputat hoc apophthegma, quod hodie mere Papisticum est. Non posse ex Scripturis veritatem inueniri ab his, qui nesciant Traditionem: Rursus, neque dixit, neque dictum voluit sensum Scripturarum difficilium, non ex Scriptura, sed ex Traditione haberi. Hæc antecedentia cum sint falsa, consequens quale esse potest?

XXXII. Est autem obseruandum de Traditione Irenæum agere non ex professo, sed obiter tantum, & sumpta occasione ex aduersariorum impudentia. Cum enim vrgebantur Scripturis, tum Traditionem, prætendebant. Et cum Traditione etiam impugnarentur, tum excipiebant, apud se esse veram Traditionem, non apud Catholicos. Vtrumque impudentię caput, Irenæus putauit sibi reprimendum esse: &, vt ipse loquitur, vndique resistendum esse. Itaque Traditionem docet non aliunde petendam quam ab Ecclesia, in qua sit perpetua successio. Ecclesiam dico, non Romanam solam. Nam etsi eius solius Episcopos numeret: tamen id factum est exempli gratia, quia longum esset ire per singulas. Sed, vt dicebā, astruxit Irenæus Traditionem veritatis ab Ecclesia sola petendam esse. Sola inquam, Ecclesia, comparate non ad Scripturas: sed ad hæreses: ne mihi Iesuitæ syllabas aucupentur suo more.

XXXIII. Itaque iam nihil est in Irenæo, quod non admittant, & quidem libentissime Catholici. Dixit, non esse apud alios veritatem quærendam, quam ab Ecclesia facile sit sumere. Enimuero, quis sanus eam dicat accipiendam à Marcionitis, Valentinianis, Gnosticis? Sed non sequitur, non esse ergo quærendam in Scripturis: non enim quæritur extra Ecclesiam, cum quæritur in Scripturis: nam Scripturæ non tantum sunt in Ecclesia, sed etiam sunt Ecclesiæ. Dixit Apostolos Veritatem in Ecclesiam tanquam in depositorium dives plenissime contulisse. Nec potest quisquam qui hoc neget esse Catholicus. Sed quid ad Traditiones? Nā duobus id modis factum est: per viuam vocem plenissime: & per Scripturas plenissime: ac proin le nulla sunt dogmata non scripta. Dixit, si de aliqua modica quæstione disceptatio sit, recurrendum esse ad antiquissimas Ecclesias. Quis neget? Nam & Catholici sic præter Scripturam colligunt religiosæ antiquitatis testimonia; nec tantum in modicis, sed in maximis etiam controuersiis. At ea testimonia, nulla dogmata confirmare debent, præter scripta. Dixit denique, si Apostoli Scripturas non tradidissent, tum sequendum fuisse ordinem traditionis. Quod & nos fatemur: quamuis non libenter audiamus illos, qui dicunt, quid, si cœlum ruat? Est enim ridiculum in disputando, ea supponere, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec futura sunt. Et quid si nos vicissim interrogemus? Quid si nulla esset traditio? Sed nostrorum Papistarum absurdissima est cōclusio, qui, quia audiunt recurrendum fuisse ad traditionem, si nulla esset Scriptura, nunc cum esse Scripturam etiam inuiti fatentur, inferunt, esse igitur multa dogmata non scripta.

XXXIV. Ex Alexandrino Clemente varia congerunt testimonia. E libro de Paschate Bellarminus, apud Eusebium lib. 6. hist. c. 11. iuxta Rufini editionem. Is igitur dixit extorqueri sibi à fratribus, vt ea quæ à Presbyteris, Apostolorum successoribus, voce sibi sola tradita essent, describeret in libris, ac posteris traderet. His recitatis exsultat Iesuita, & *Nescio*, ait, *quid clarius pro traditionibus dici possit*: quasi id reperisset, quod pueri clamitant in faba se reperisse.

XXXV. Sed de Paschate dupliciter quæri potest. Vel enim de Iudaica Paschatis obseruatione: vel de ea, quæ apud Christianos inualuit. In primo capite quid sit tenendum aperte docent nos Scripturæ. Ergo, si hac de re Clemens scripsit, traditionem non significauit omnino non scriptam, sed tantum eorum quos laudabat Presbyterorum doctrinam, quæ sic viua voce sibi tradita esset, vt tamen Scripturis consonaret. Atque adeo notandum in Eusebio non legi, *Sola voce*, vt Bellarminus expressit è Ruffino: Græce enim esse, ὡς ἔτυχε παρὰ τῶν ἀρχαίων πρεσβυτέρων ἀκηκοὼς παραδότης, hoc est, Christophorsono interprete, *traditiones quas à veteribus presbyteris accepisset*: quæ verba non magis pertinent ad viuam vocem, quam ad Scripturam: certe Scripturam non excludunt.

XXXV. Sin vero disputauit de Paschate Christianorum, hoc est, de anniuersaria commemoratione resurrectionis Domini nostri, quod est verisimilius, propter schisma, quo tum temporis distrahebantur Ecclesiæ, vsque ad Nicenam Synodum: potuerunt sane esse extra Scripturam traditiones illæ. Sunt enim non dogmata, sed ritus duntaxat. Quæstio enim erat de tempore, esset ne ea solennitas assignanda decimæ quartæ lunæ, an paulo serius, id est, die Dominica proxime sequente. Eiusmodi vero ritus nos prolixe fatemur, non esse omnes scriptos. Itaque hic locus οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.

XXXVII. Hayus è 1. Stromat. hæc recitat, *Non est hoc opus Scripturæ artificiose comparata ad ostentationem, sed mihi ad senectutem reconduntur monimenta, obliuionis medicamentum: vere imago, & adumbratio euidentium, & animatarum illarum orationum, quas dignus habitus sum qui audirem, & virorum beatorum, quique re vera erant maximi pretii, & æstimationis.* Et paucis interiectis, *Qui veram beatæ doctrinæ seruabant traditionem, statim à Petro & Iacobo & Ioanne, & Paulo sanctis Apostolis, Filius à Patre accipiens (pauci autem sunt patrilus similes) ad nos quoque Deo volente peruenerunt, illa à maioribus data & Apostolica deposituri semina.* Atque hunc posteriorem locum citat etiam Baronius. Hayus autem concludit in hunc modum: Si omnia fuissent literis sacris comprehensa, quæ ad Christianorum animos fide & pietate informandos momentum aliquod habuissent, inanem suscepisset Clemens laborem in commendandis denuo, quæ à viris sanctissimis acceperat, literarum monumentis.

XXXVIII. Respondeo, hunc esse perpetuum Iesuitarum errorem, vt nunquam audiant traditionem nominatam, quin calumniam faciant Scripturæ: Clementem vero nihil minus cogitare. Quid enim? an quicunque commentarios sibi conficit ad iuuandam memoriam, is statim significat Scripturam esse imperfectam? Quid rursus? An quicunque magnorum virorum sermones scriptis mandat, is negat Scripturæ dogmata sufficere ad salutem? aut negat eos sermones fuisse de dogmatibus scriptis? Nam hæc omnia sic oportet concludi, antequā Traditionatiis hic locus sit vtilis.

XXXIX. Nam quod Hayus timet, ne frustra sudarit, frustra timet. Quid enim? Annon debent sæpius inculcari dogmata diuina? Quasi non eadem scripserint Euuangelistæ: quasi non de iisdem rebus Paulus ad Titum & Timotheum: quasi non etiam quotidie plurimi scribantur libri de iisdem rebus, in omni scientiarum genere, in Theologia maxime? Denique quasi non sit notum illud Augustini de vnico Baptismo, vtiliter scribi à variis, de iisdē rebus, *& propter eorū ingenia tardiora, qui putant aliud dici, cum aliter legitur: & propter ipsam disputationum copiam, vt non solum ad diligentiores res rara perueniat, sed quolibet modo ex multis in manus etiam negligentiores incurrat.* Et 1. de Trinitate c. 3. *Vtile est plures libros à pluribus fieri diuerso stylo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic.*

XL. Quanquam vitiose conceptum est antecedens, dissimulato aut corrupto statu quæstionis. Neque enim vllus sanus asseruit, omnia in Scripturis contineri, quæ momentum aliquod habent ad fide & pietate animos

mos informandos: sed duntaxat omnia dogmata fidei & pietatis. Præter hæc autem plurima sunt, in quibus non est nullum eiusmodi momentum: vt multa naturalia, in quibus autorem mundi licet agnoscere: In Ecclesia etiam ritus & ceremoniæ.

XLI. Cæterum non negamus Clementem plurimam Stromatibus complexum, quæ frustra quæras in libris Canonicis. Apparet cum ex ipsorum librorum lectione, tum ex Eusebii testimonio, libro 6. histor. cap. 11. ἐν μὲν τοῖς στρωματεῦσιν οὐ μόνον τῆς θείας κατέστρωσεν πεποίηται γραφῆς, ἀλλὰ καὶ τῶν παρ' Ἕλλησιν. εἴ τι ἄρα ὠφέλιμον ἐδόκει αὐτοῖς εἰρῆσθαι, μνημονεύει, τά τε παρὰ τοῖς πολλοῖς δογμάτων τῶν Ἑλλήνων ὁμοῦ καὶ τῶν Βαρβάρων ἀναπτύσσων. *In libris Stromateon non modo sententias ex sacra Scriptura collectas disperse intexit: sed etiam ex Gentilium scriptorum libris, si quid ab illis commode dictum videatur, sumi, cum Græcorum simul & Barbarorum opiniones, quæ apud multos iactatæ sunt, aperiendo.* Sed quid tum? Nam Gentilia dogmata non pertinent ad fidem.

XLII. Transyluani Iesuitæ, sed & Feuardentius in Irenæi ca. 3. lib. 3. citant ex eodem Stromateon 1. quod etiam Antonius Sadeel, vir maximus, iudiciique exactissimi non omisit, *Operarius qui in messem Domini emittitur, duplicem habet agriculturam, vnam quæ scriptis, alteram quæ non scriptis continetur.*

XLIII. Respondeo fœde detorqueri Clementis verba in alienum sensum: occasione sumpta ex peruersa Gentiani Herueti versione. Clemens dixit, ἡ γεωργία δὲ διττή. ἡ μὲν γὰρ ἄγραφος, ἡ δ' ἔγγραφος, *Est autem duplex* (inquit Heruetus) *agricultura: vna quidem quæ Scripturis non continetur, altera vero quæ continetur.* Cum sic debuerit potius, *Duplex est agricultura: vna per Scripturam, altera sine Scriptura.* Nam illud *Contineri*, non potest commode intelligi, nisi de rebus ipsis, quæ per scripta docentur, aut per viuam vocem. Itaque somniarunt Iesuitæ, & Feuardentius, agriculturam Clementi esse ipsa fidei capita, quæ distinguantur in duos ordines, vt alia contineantur in Scripturis, alia petantur aliunde.

XLIV. Præter mentem autoris, qui agriculturam intelligit, non ipsum semen quod in terram iacitur, sed sementis potius faciendæ rationem, vt ita loquar, hoc est, colendæ Ecclesiæ: quæ cum sit duplex (alias enim docetur per scripta, alias per viuam vocē) habet tamen vnum idemque dogmatum genus pro subiecto. Exempli gratia, Eucharistiæ institutionem Paulus Corinthiis proposuit, primo, per agriculturam ἄγραφον, cum præsens præsentes doceret: sed postea rursus per agriculturam ἔγγραφον, cum ad eos absens scripsit primam Epistolam. Sic Petrus Iudæos ἀγράφως ἐγεώργησε, accepto Spiritu Sancto, & iterum sanato claudo: sed postea Lucas scriptis mandauit easdem conciones, & tum ἐγγράφως ἐγεώργησε.

XLV. Hanc esse Clementis mentem facile constat ex serie contextus. Nam statim ab initio disputat, vtrum prorsus omnibus interdictum sit scribere, an vero non sit. Vnde constat, non comparari Scripturas Sanctas cum traditione cōtinua, in qua etiam scripta doctorum Papistæ comprehendunt: sed potius ipsam singulorum doctorum scriptionem, cum viua voce: quasi diceret de seipso: Permissum mihi esse religionem Christianam docere viua voce, nemo dubitat: at vero quæritur, vtrum mihi de eadem liceat scribere. Hoc vero quid ad præsentem controuersiam? Deinde infert, εἰ πίνω ἄμφω κηρύττουσι τὸν λόγον, ὁ μὲν τῇ γραφῇ, ὁ δὲ τῇ φωνῇ, πῶς οὐκ ἄμφω ἀποδεκτέοι, ἐνεργὸν τὴν πίστιν διὰ τῆς ἀγάπης πεποιημένοι, *Si ergo ambo verbum prædicant hic quidem scripto, ille vero voce, quomodo non sunt ambo admittendi, qui efficiunt vt fides operetur per dilectionem?* Et paucis verbis interiectis, ἡ μὲν κηρυκικὴ ἐπιστήμη ἤδη πως ἀγγελική, ὁποτέρως ἂν ἐνεργῇ, διά τε τῆς χειρὸς διά τε τῆς γλώττης ὠφελοῦσα. *Prædicandi quidem scientia quodammodo est Angelica, vtrouis modo iuuans, seu per manum, seu per linguam operetur.* In his vides non dogmata dogmatibus opposita, sed prædicatorem prædicatori, manum linguæ. Ergo, non diuersas Traditiones, sed diuersam tradendi rationem: nam vtrique ὁ λόγος est subiectum.

XLVI. Hæc præcedebant locum nobis obiectum: Ista iam sequuntur, eodem pertinentia, ὁποτέρως δ' αὖ ὁ τοῦ κυρίου ἐργάτης σπείρῃ τοὺς εὐγενεῖς πυρούς, καὶ τοὺς στάχυς αὐξήσῃ τε καὶ θερίσῃ, θεῖος ὄντως ἀναφαίνεται γεωργός, *Vtrouis autem modo Domini operarius præclarum frumentum seminauerit, & spicas auxerit, & messuerit, vere diuinus apparuerit agricola.* Rursus igitur audimus modum modo oppositum, & vtrique modo, τοὺς πυροὺς frumentum assignatum. Denique, non ita multo post, eum qui ad præsentes dicit, opponi ei qui per literarum monimenta loquitur, τὸν πρὸς παρόντας λέγοντα, τῷ διὰ ὑπομνημάτων λαλοῦντι. Hæc cum ita sint, nihil est, quod hoc loco exultent Papistæ. Nam si quis dixerit, quia dupliciter veritas est docenda, ergo non totam contineri in Scriptura; quid aliud, quam ad Hippocratem relegandus sit?

XLVII. Canus citauit quintum librum, nec Sadeel prætermisit. Sed nihil mihi occurrit quod ad Traditiones accommodari queat. Nam quod ex 1. ad Corinthios sæpiuscule legitur, *Sapientiam loquimur inter perfectos,* non ad Traditiones pertinet, sed ad docendi rationem, quam ille vult obscuriorem esse quum de Deo agitur, quemadmodum censebant etiā Philosophi. Audiamus ipsum loquentem, ἀντικρυς γοῦν περὶ πάσης γραφῆς τῆς καθ' ἡμᾶς, ἐν τοῖς ψαλμοῖς γέγραπται ὡς ἐν παραβολῇ εἰρημένης, ἀκούσατε λαός μου τὸν νόμον μου. κλίνατε τὸ οὖς ὑμῶν εἰς τὰ ῥήματα τοῦ στόματός μου. ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, φθέγξομαι προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς. καὶ ὁ γενναῖος ἀπόστολος, τὰ ὅμοια ὧδέ πως λέγει, σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, *Aperte itaque de tota nostra Scriptura in Psalmis scriptum est, vt quæ dicta sit in parabola: Audite populus meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Præclarus quoque Apostolus sic dicit quodammodo similia. Loquimur autem sapientiā inter perfectos.*

XLVIII. Loquitur ergo de tota Scriptura: non vero de Scriptura & traditionibus. Non potest igitur ad imperfectionem Scripturæ trahi, nisi per vim. Vtilis sit fortasse iis qui Scripturam contendunt esse obscuram: quæ nunc quæstio non est præ manibus: sed imperfectam certe nullo verbo significat. Quod si concludant ab obscuritate ad imperfectionem, tum ego helleborum propinem potius, quam ἔλεγχον opponam. Nullo enim syllogismo medio connecti potest hoc antecedens, Scriptura non est omnibus peruia, cum hoc consequente, Ergo, omnia dogmata non sunt scripta. Quanquam obscuritatem, non simpliciter Clementi concedimus: & putamus Paulum violentius detorqueri. Sed hac de re suo loco.

XLIX. Baronius addit e libro 5. Καθάπερ οὖν εἴ τις ἐξ ἀνθρώπων θηρίον γένοιτο παραπλησίως τοῖς ὑπὸ τῆς Κίρκης φαρμαχθεῖσιν, οὕτως ἄνθρωπος εἶναι τοῦ Θεοῦ καὶ πιστὸς τῷ Κυρίῳ διαμένειν ἀπολώλεκεν ὁ ἀνακλακτίσας τὴν Ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν, καὶ ἀποσκιρτήσας εἰς δόξας αἱρέσεων ἀνθρωπίνως, *Quomodo ergo si quis bestia fiat ex homine, similiter atque ii qui fuerant infecti venenis Circes, ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauit traditionem, & in humanarum hæreseon desiluit opiniones.*

L. Respondeo, Traditionem Ecclesiasticam Clementis nihil aliud comprehendere, quam dogmata scripta, quorum perpetua est docendi ratio in Ecclesia, vt alias sæpissime. Quis enim nescit scriptam doctrinam esse in Ecclesia perpetuandam? Propterea statim Clemens addidit; ὁ δὲ ἐκ τῆς ἀπάτης παλινδρομήσας, κατακούσας τῶν γραφῶν, καὶ τὸν ἑαυτοῦ βίον ἐπιτρέψας (sic enim legendum non ἐπιστρέψας) τῇ ἀληθείᾳ, οἷον ἐξ ἀνθρώπου Θεὸς ἀποτελεῖται, *Qui autem ex errore reuertitur Scripturis morem gerens, vitamque suam permittens veritati, Deus quodammodo ex homine perficitur.* Notanda est quadrimembris oppositio. In prima parte, ii nominantur qui recedunt à traditione Ecclesiastica, & explicantur, qui desiliunt in opiniones hominum: In altera autem, ii qui ab errore reuertuntur, describuntur per obedientiam delatam Scripturæ. Hereseon igitur opinionibus opponuntur Scripturæ: itaque Ecclesiastica traditio Clementi idem est cum Scripturis: videlicet re ipsa, etsi ratione differat. Præterea hæc particula est longi sermonis, quo Clemens reuocat fidem Christianorum ad Scripturas.

LI. ORIGENES præceptorem proxime sequitur, Homiliam 5. in Numeros Baronius citat, in qua obseruantias quasdam à nobis dicit custodiri, quarum ratio non intelligitur: vt cum orant conuersi ad Orientem, & flexis genibus, Eucharistiæ ritus, & Baptismi, quæ (inquit) *ita implemus & exsequimur, vt à magno Pontifice atque eius filiis tradita & commendata suscepimus.* Item octauam in Leuiticum: vbi, *secundum Ecclesiæ obseruantiam, etiam paruulis baptismum dari,* ait, & declarat eam obseruantiam esse Apostolicam Traditionem, dicens, *Pro hoc & Ecclesia ab Apostolis Traditionem suscepit, etiam paruulis baptismum dare*: in Epistolæ ad Romanos c. 6.

LII. Respondeo de priore loco nonnulla dicta esse cap. 3. huius libri. Addo, per obseruantias nulla dogmata intelligi, sed duntaxat varios ritus, quorum exempla quædam subnectit, genuflexionem, conuersionem ad Orientem, ritus sumendæ Eucharistiæ, & celebrandi baptismi. Atqui illa omnia Catholici libere permittunt traditioni, quia nec dogmata sunt, nec perpetua: sed appendices, mutationibus obnoxiæ. Sic orari posse erecto corpore, nemo dubitat, & testantur antiquæ stationes appellatæ: Basilius de Spiritu Sancto cap. 27. Ritus etiam Eucharistiæ celebrandæ, non semper eosdem fuisse apparet, ex variis etiamnum hodie extantibus Liturgiis: sciunt etiam Papistæ, qui Canonem suum norunt à variis compilatum, siue interpolatum potius, quod & Durandus in Rationali variis locis indicat: cap. etiam 35. asserit à Gelasio Papa fuisse principaliter ordinatum. Exstat liber rituum Seueri Patriarchæ Alexandrini, in quo celebratio baptismi describitur, non parum diuersa à Latina. Cum igitur hi ritus non sint vniuersales, non sint perpetui, quis miretur non esse scriptos à Spiritu Sancto? Imo vero, quis miretur distingui à dogmatibus fidei, quæ & perpetua sunt, & fuit Catholica?

LIII. Ad alterum locum dico, traditionem appellari generali nomine quicquid non exstat diserte scriptum, & totidem verbis conceptum, etsi ex iis quæ diserte scripta sunt, certa & necessaria conclusione educatur: cuiusmodi nos esse fatemur puerorum baptismum, de quo egimus cap. 10. Nihil ergo iuuat Papistarum causam, qui sua mysteria volunt haberi ex nuda traditione non scripta: nihil etiam nostram lædit, qui habemus pro scriptis, quæcunque è Scriptura necessario concluduntur. Sane ipsas singulas & indiuiduas dogmatum applicationes, non inuenias in Scripturis. Exempli gratia: nemo mihi leget orandum esse Gallico idiomate: quia tamen lego, *Omnis lingua laudet Dominum,* & in omnibus linguis scio esse Gallicam, ideo ex traditione facile mihi patiar persuaderi orandum Gallice: ac traditionem illam nunquam simpliciter appellem non scriptam. Similiter nunquam legi in Scripturis mulierem baptizandam, aut etiam baptizatam. Esto igitur traditio, quod mulieres baptizentur: sed nudam traditionem, hoc est, quæ nulla constet Scripturæ autoritate, nunquam concedam. Denique nemo mihi leget in Scripturis Sanctis docendum esse Euangelium in Anglia. Quid ergo? non docetur Euangelium in Anglia ex præscripto Scripturæ? Esto igitur traditio, id est, praxis Ecclesiæ, quod iam diu, à temporibus ipsius Irenæi, prædicata est salutis doctrina apud Anglos; quorum ne nomen quidem scriptum inuenio: sed esto traditio tamen descendens de autoritate Euangelii. Nullum est aliud iudicium de Baptismo infantium.

LIV. Albertus Pighius controu. 3. citat librum primum περὶ ἀρχῶν, *Sicut multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, desueuimus apud eos omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postquam credidimus Filium Dei esse Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus, Ita cum multi sint, qui se putant scire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur vero Ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens, in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat.*

LV. Sed Pighius, quid hoc loco Ecclesiasticæ prædicationis, siue traditionis nomine intelligat, non considerauit: cum tamen non longe abeundum fuerit, vt disceret: nam quæ paulo post subiiciuntur, poterant docere, eam traditionem nihil aliud esse, quam perpetuam dogmatum scriptorum docendorum diligentiam, quæ in Ecclesia viget. *Species* (inquit) *eorum quæ per prædicationem Apostolicam manifeste traduntur, ista sunt*: tum enumerat articulos de vno Deo creatore vniuersi: de Domino nostro Iesu Christo, qui ab æterno natus est ex Patre, tandemque incarnatus, natus, & passus, ac reliqua. Ergo traditionis non scriptæ intelligit capita scripta. Et ne quis sibi plaudat Ecclesiasticam prædicationem distinguens ab Apostolica, subiicit Origenes, *Sane quod iste Spiritus Sanctus vnumquenque Sanctorum vel Prophetarum, vel Apostolorum inspirauit, & non alius Spiritus in Veteribus, alius in his qui in aduentu Christi inspirati sunt, manifestissime in*

Ecclesiis

Ecclesiis prædicatur. Et rursus, *Est & illud definitum in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam esse rationabilem, liberi arbitrii & voluntatis: esse quoque ei certamen aduersus Diabolum & Angelos eius,* Paulo post, *De Diabolo & Angelis eius contrariisque virtutibus, Ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sunt.* Denique, *Est præterea illud Ecclesiastica prædicatione definitum, quod mundus iste factus sit, & à certo tempore cœperit, & pro ipsa sui corruptione soluendus.* Sunt & alia eiusmodi nonnulla in eodem contextu, ex quibus apparet Ecclesiasticæ prædicationis nomine intelligendam esse continuam traditionem eorum dogmatum quæ sunt in Scriptura Sancta: non vero ἄῤῥητα nescio quæ, quæ nunquam Spiritus Sanctus scripta voluerit.

CAP. XIX.

De Græcorum autoritatibus post Imperatores Christianos.

I. QVi hactenus enumerati sunt Patres, ii vixerunt sub Imperatoribus Ethnicis: nunc alteram ingredimur ætatem eorum qui tum vixerunt, cum sub Christianis Imperatoribus Ecclesia in lucem emersit, initio sumpto ab Imperatore Constantino magno. Et nobis esto primus Athanasius ille etiam magnus. Nam de Eusebio Cæsariensi, cuius locum ex capite octauo libri primi de Demonstratione Euangelica recitant, egimus supra cap. 3.

II. ATHANASIVS ergo libro de Decretis Nicenæ Synodi, citatur à Bellarmino & Baronio, *Quod maioris admirationis est, Eusebius ex Cæsarea Palæstinæ cum pridie abnegasset, in eandem sententiam postridie subscripsit, quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem* Post multa, *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem, ô noui Iudæi & Caiphæ filii quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores.* Et contra Paulum Samosatensem de Incarnatione Verbi, *Qui ea, quæ vltra vires suas sunt, indagat, in præcipiti consistit: qui vero traditionibus inhæret, extra periculum versatur. Suademus igitur vobis, quod & nobis ipsis suademus, vt traditam fidem retineatis, & auersemini profana nouitatis verba, & idem reliquis præcipiatis.*

III. Respondeo iterum, quod sæpius est dicendum, eandem doctrinam, quæ scripta sit in libris sacris, esse & appellari Traditionem, quia viua voce docetur in Ecclesia. Et sic Athanasium intellexisse in primo & tertio loco. Nam & Synodi Nicenæ definitionem, nihil aliud esse, quam quod in Scripturis continetur dogma de Consubstantialitate, sæpe probauimus: Et contra Paulum Samosatenum Athanasius, eandem fidem, quam traditam appellat, nullo argumento probat, nisi è Scripturis Sanctis. Potuit ergo merito pronunciare, illum in præcipiti consistere, qui non inhæret traditionibus, quamuis ille potius dicat, rebus traditis τοῖς παραδοθεῖσιν. Quis enim neget ea esse tradita, quæ sunt scripta?

IV. In secundo loco, agitur de iis vocibus, quibus Niceni Patres vsi sunt ad Arianorum impietatem conuincendam: Atque hanc causam sic tractat Athanasius, vt fateatur ipsas quidem syllabas non legi in Scripturis: sed eorum nominum sententiam totam ex iis esse: tantum sic esse luculentius explicatam. Verba sunt Athanasii diserta, Γινωσκέτω δὲ ὅμως εἴ τις ἐστὶ φιλομαθὴς, ὅτι εἰ καὶ μὴ οὕτως ἐν ταῖς γραφαῖς εἰσὶν αἱ λέξεις, ἀλλὰ καθάπερ εἴρηται πρότερον, τὴν ἐκ τῶν γραφῶν διάνοιαν ἔχουσι, *Nouerit studiosus quilibet, has voces, tametsi in Scripturis sic non reperiantur, habere tamen sensum ex Scripturis* Sunt igitur duo distincte consideranda. Quamuis piget toties repetere: sed quando non desinunt aduersarii idem obiicere, ne nobis quidem necesse est nouas solutiones anquirere. Duo (inquam) consideranda: Dictiones ipsæ, hoc est, totidem literarum, syllabarumque sitius & sonus; & dictionum ipsarum διάνοια siue sententia. Dictiones in Scripturis extare, nihil est necesse: primo, quia non sunt dogmata; sed tantum dogmatum signa: secundo, quia non sunt catholicæ: nam aliis vocibus Græca vtitur Ecclesia, aliis Latina: Cum enim illa ὁμοούσιον dicat, ista consubstantiale pronunciat: Syra neutrum. Tertio, quia non perpetuæ, sed variabiles: quia in eadem lingua, variis phrasibus, idem significari potest. Et olim impune Catholici dicebant hominem adunatum Deo: & separari in Christo naturas. At hodie, id est, post compertam hæreticorum versutiam, humanitatem potius dicunt à Deitate assumptam: & naturas distingui.

V. At dogmata, quæ necessaria sunt, ideoque Catholica, id est, apud omnes eadem, tum Græcos, tum Latinos, tum Syros: & perpetua ab initio vsque ad finem Ecclesiæ: ne ipse quidem Athanasius negat in Scripturis contineri. Quod si vero perpetua sunt; quis non videt necesse, (quod Athanasius dicebat) ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβαίνειν, à partibus ad patres transire? Alioquin si subsisterent in ipsis initiis, nec vltra procederent, omnes vident non fore perpetua. Sic negamus perpetuam fuisse (vt hanc exempli gratia nominem) lactis & mellis in Baptismo prægustationem; quamuis eam traditionem Tertullianus, postque eum Hieronymus, appellarit. Sic haberi concedimus Scripturas ex perpetua traditione: quia nullum est Ecclesiæ seculum, à quo non sint in sequens seculum propagatæ. Quod si volunt Papistæ, quæcunque habentur ex traditione, ea nulla esse scripta: necesse est nobis hoc tādem monstrum pariant, vt ne ipsæ quidem Scripturæ sint scriptæ.

VI. Hosius in Confessione citat, ex Athanasii libro de Synodis Arimini & Seleuciæ, in Synodo Ariminensi congregatos Patres ad Constantium Imperatorem scribentes, his verbis vsos, *Supplicamus tuæ humanitati, vt benignis auribus, & sereno vultu nostros legatos intuearis, neque ad contumeliam mortuorum aliquid noui induci permittas, sed nos sinas in institutis decretisque maiorum permanere. Certe res nouæ, quas isti moliuntur, credentibus incredulitatem inducunt.* Athanasium autem hos ita laudasse, *Quis non approbauerit piam prudentiam horum Episcoporum, qui tātum itineris laborem, tantaque maris pericula sustinuerunt, vt patrum Traditiones integras conseruarent? Quisque enim eorum sibi persuadebat, si solueret aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris, vt quod egissent, ipsi rescinderent.*

VII. Respondeo, ista plus pompæ, quam virium habere. Primo non quæritur vtrum sit à maiorum doctrina recedendum: sed an sint aliqua fidei dogmata legitima extra Scripturam. Nam si maiores Veritatem professi sunt, quicunque ab eorum traditione discedat, eum necesse est esse sceleratum. Itaque Patres illi, quicunque erant, recte protestabantur nolle à Nicenorum decretis discedere: atque vtinam inde se dimoueri nunquam essent passi. Secundo, vt prius, dico agi de traditione dogmatum scriptorum: nempe de Decretis Synodi Nicenæ, quæ Ariani labefactare conabantur. Hæc autem nos iam ostendimus sæpius, non docere aliquid non scriptum: nec iam opus est eandem telam retexere. Ergo Athanasius Traditionarios non iuuat.

VIII. BASILIVM magnifice venditat quanta quanta est Traditionariorum cohors: tanquam Traditionum patronum certissimum: Et non nisi vnicum locum indicant, qui sit instar omnium: ex libri de Spiritu Sancto cap. 27. *Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habeat.* His dictis enumerat continuo plurimas traditiones non scriptas: & similia habet c. 29.

IX. Respondeo, Basilio disputanti aduersus hæreticos improbantes Ecclesiasticam δοξολογίαν, qua laus Patri dicebatur, & Filio cum Spiritu Sancto, necessarium fuisse, vt eius phrasis, tum sensum explicaret, tum vsum confirmaret. Sensus pertinebat ad dogmata: nimirum, quia inferebat Spiritum Sanctum esse Deum, æque glorificandum cum Patre, & Filio, quod hæretici nolebant. Hunc sensum Basilius è Scripturis serio confirmat. Vnde sunt hæc eius verba, c. 25 ἥ τις τὴν δύναμιν τῶν γραφῶν παραπλήσιον ἔχουσα, *quæ vim habent, vicinam iis quæ scripta sunt*: Et paulo post, εἰ τοίνυν τοῦ Κυρίου εἰπόντος πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, αὐτὸς εἴποιμι, πατέρα καὶ υἱὸν σὺν ἁγίῳ πνεύματι, οὐκ ἄλλο τι εἰρηκὼς κατὰ τὴν διάνοιαν ἔσομαι. *Ergo, si cum Dominus dixerit Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ego dicam, Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, nihil aliud dixero quoad sensum.* Itaque qui ad nostram controuersiam pertinet maxime, sensus verborum, id est, dogma, nec erat non scriptum, nec a Basilio probatur è non scriptis Traditionibus.

X. Explicata sententia, supererat vsus vocis confirmandus. Aduersarii subinde ingeminabant τὸ ἀμάρτυρον καὶ τὸ ἄγραφον, quasi alta voce clamantes, non legitime Catholicos vti hac laudationis formula, *Patri & Filio cum Spiritu Sancto*, quia non esset scripta in libris Canonicis. Hic pius ille vir, contra argumentum ducit ab aliis multis, quæ inualuerunt in Ecclesia ex traditione non scripta: vt quandoquidem illa non repudiabantur hanc solam ob causam, etiam istud toleraretur. At hoc Catholicorum nemo, aut miratur, aut insectatur: nam quæ non sunt dogmata, ea peti posse sciunt aliunde, quam à Scriptura, hoc est, ab Ecclesiæ consuetudine.

XI. Iam vero textus Basilii ita habet, τῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα. Hæc verba dico non bona fide fuisse Latine reddita ab interprete, quo Bellarminus vsus est: offudisseque eius siue incogitantiam, siue quod aliud vitium, tenebras huic loco, vt audacius abuterentur eo Traditionarii. Sic enim vertit, quasi Basilius τὰ δόγματα, καὶ τὰ κηρύγματα pro iisdem accipiens, vtraque diuideret in duas species, siue membra, siue partes, vt alia essent scripta, alia minime. Quod est omnino contra Basilii mentem: vt mirer nondum à quoquā fraudem esse animaduersum. Certe paulo post, διαιρεῖ δὴ σοφῶς Basilius, ἄλλο γὰρ τὸ δόγμα καὶ ἄλλο τὸ κήρυγμα. Aliud est dogma, aliud κήρυγμα; prædicatio, si ita placet, etsi fatear non satis κυρίως. Itaque sic reddo potius, *Quæ in Ecclesia conseruantur dogmata & prædicationes, has quidem* (videlicet prædicationes) *ex scripta doctrina habemus: illa vero* (scilicet dogmata) *ex Apostolorum traditione in mysterio disseminata suscepimus.* Τὰ μὲν γὰρ δόγματα (inquit) σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. *Dogmata tacentur: prædicationes vero publicantur.*

XII. Quæret aliquis: quæ igitur sunt δόγματα, quæ vero κηρύγματα? Atque hic nodus est totius loci. Respondeo κηρυγμάτων nomine intelligi, quæ nos tota hac controuersia, dogmata appellauimus, hoc est, doctrinam fidei, siue capita illa, articulosve Christianæ religionis Catholicos, perpetuosque. Δόγματα autem nouo quodam stylo, esse ceremonias & ritus, quorum non constet omnibus ratio. Et addo Basilium dicere τὰ δόγματα, id est, inquam, ritus & ceremonias haberi ex non scripta traditione, τὰ δὲ κηρύγματα, id est, doctrinam fidei, è Scripturis: quæ nostra est Catholicorum pura puta sententia, non vero τῶν παραδοσιομανῶν παραφρόνημα.

XIII. Probatur distinctio: primo, quia statim Basilius addit, εἰ γὰρ ἐπιχειροῖμεν τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν, ὡς οὐ μεγάλην ἔχοντα δύναμιν παραιτεῖσθαι, λάθοιμεν ἂν εἰς αὐτὰ τὰ καίρια ζημιοῦντες τὸ Εὐαγγέλιον, μᾶλλον δὲ εἰς ὄνομα ψιλὸν περιϊστῶντες τὸ κήρυγμα. *Nam si tentemus consuetudines non scriptas amoliri, quasi parum habentes virium, imprudentes ipsum Euangelium lethaliter vulnerabimus: vel potius ad nudum nomen prædicationem reuocabimus.* Vbi non tantum consuetudini tribuuntur τὰ ἄγραφα, sunt autem consuetudines diuersum quid à doctrina fidei: sed etiam eadem τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν opponuntur τῷ Εὐαγγελίῳ καὶ τῷ κηρύγματι, Euangelio, & prædicationi.

XIV. Secundo, quia capite vigesimo nono, ita legitur, τὰ πλεῖστα τῶν μυστικῶν ἀγράφως ἡμῖν ἐμπολιτεύεται, *Eorum quæ mystica sunt, plurima in vsu sunt recepta sine scripto.* Vbi & τὰ μυστικὰ notanda sunt, quæ non solent dici de articulis fidei, significant enim ea quorum vsus differt à ratione, quod postea exemplis illustratur: & τὸ ἐμπολιτεύεσθαι ad disciplinam pertinet, non ad articulos fidei.

XV. Tertio, quia in enumerandis δογμάτων exemplis, nulla sunt nisi quæ ad ritus pertinent: signum crucis, conuersio ad Orientem, inuocationis formula in Eucharistia: benedictio aquæ baptismatis, & olei, trina immersio, abrenunciatio, genuflexio, & statio: confessionis formula. Nam hæc recensentur. Nunquam autem aliquod doctrinæ caput: limbi, purgatorium, merita, transubstantiatio, cultus imaginum, inuocatio Sanctorum, & similia.

XVI. Quarto, quia in regulis breuioribus Canone primo, cum dixisset esse

ſet eſſe τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ γραφῇ ἀπειρημένα, τινὰ δὲ σεσιωπημένα, *quædam in Scripturis comprehenſa, quædam vero tacita*: ſtatim ea quæ ſunt ſecundi generis definit eſſe liberæ obſeruationis, περὶ τῶν σεσιωπημένων (inquit) κανόνα ἡμῖν ἐξέθετο ὁ ἀπόστολος Παῦλος εἰπών· πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα συμφέρει, πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα οἰκοδομεῖ, *De iis quæ in Scripturis tacentur, regulam nobis dedit Apoſtolus Paulus: omnia mihi licent, ſed non omnia conducunt: omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Quod de rebus credendis nemo vnquam dixerit Chriſtianus.

XVII. His conſtitutis, tantum ſupereſt explicandum, quomodo aut quo ſenſu dictum ſit, τὰ δόγματα καὶ τὰ κηρύγματα, eandem ad pietatem vim habere, τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχειν πρὸς τὴν εὐσέβειαν. At hoc ego certe non video quomodo excuſari poſſit, quin ſit ἀκύρως dictum & durius. Nam ſi eſt verum, ergo ad omnes æque ritus pertinet. Quis autem ferat, exempli gratia, eum morem precandi conuerſo ad Orientem corpore, æque ad pietatem valere, ac quoslibet fidei articulos? Trinam etiam immerſionem, quam ipſi Papiſtæ fatentur eſſe ἀδιάφορον, tantum in religione poſſe, quantum Baptiſmi formam, In Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti? Condonemus igitur hunc Baſilio næuum, & imputemus diſputationis feruori: ſic enim ſolent aliquando etiam magnis viris intentioribus ad victoriam nonnihil excidere; quod ὑπερβολικῶς dictum, modeſtum interpretem poſtulet.

XVIII. Quod vero ſequitur, ſi dogmata illa contemnamus, redigi Euangelium ad ſolum nomen, non eſt adeo, aut incommodum, aut difficile. Quia enim eiuſmodi ritus omnes pertinent ad externam politiam, id eſt, vt nos hodie loquimur, ad exercitia pietatis; qui ritus tollat omnes, is profecto abolebit exercitia, quibus noſtram pietatem teſtemur: atque ita ſolo nomine conſtabit Euangelium: imo non tam Euangelium, quam profeſſio Euangelii, vt nemo agnoſcat nos eſſe Chriſtianos, niſi quatenus nos ſic audiet appellari. Intelligendum eſt autem non de ſingulis ritibus, quaſi diceret Baſilius abſque iis ritibus, quos enumerauit, nomine tantum conſtare Euangelium: ſed in genere de ritibus: vt qui nolit vllos admitti, Euangelio ſic noceat. Omnino enim verum eſt, in nullam religionis ſocietatem homines conuenire poſſe, abſque ritibus quibuſdam.

XIX. Iam vero Bellarminus obſeruat, primo, Baſilium audacter enumerare plurimos ritus ab Apoſtolis inſtitutos: cum tamen Chemnitius neget, poſſe oſtendi vllum ab Apoſtolis inſtitutum. Secundo, etſi non ſit neceſſaria ad ſalutem obſeruatio aliquorum ex his ritibus, tamen neceſſarium eſſe ad ſalutem credere eſſe bene inſtitutos, & eos non contemnere: quemadmodum multa ſunt in Scripturis non neceſſaria ad ſalutem, vt quod vir capite oret aperto, mulier velato, & tamen neceſſe eſt ad ſalutem iſta credere & non contemnere. Tertio, Baſilium non ſolum ritus quoſdam referre, ſed & quædam eſſentialia, vt confeſſionem fidei, id eſt, ſymbolum Apoſtolicum, & olei vnctionem in Sacramento Confirmationis: commemorare etiam alia, quæ etſi non ſint ex ſe neceſſaria, tamen poſtquam præcepta ſunt, ita ſunt neceſſaria, vt ſi de induſtria amittantur, grauiter peccetur: vt ſignum crucis in conſecratione aquæ, Euchariſtiæ, Chriſmatis, necnon abrenunciatio Sathanæ & pompis eius in Baptiſmo. Dixit enim Auguſtinus in Ioannem tract. 118. ſine ſigno crucis nulla Sacramenta rite peragi: quod idem Chryſoſtomus docet in Matthæum homil. 55.

XX. Reſpondeo, ad primum: audacter quidem à Baſilio eos ritus enumerari tanquam Apoſtolicos, ſed non tamen demonſtrari. Itaque Chemnitium non eſſe mendacii conuictum. Et ſane cum multa legamus exempla baptiſmi ab Apoſtolis celebrati; tamen facile apparet, non quæſitam eſſe aquam benedictam, non poſtulatum fuiſſe oleum. Nam puto, cum Eunuchus baptizaretur, aut Cornelius, aut cuſtos carceris, de his omnibus ſolliciti non erant Apoſtoli. Non neſciuit autem Chemnitius multa ſic iampridem oſtentata eſſe tanquam Apoſtolica, in quæ ſi inquiras paulo diligentius, nullum inuenias fundamentum præter vulgo diſſipatum rumorem. Deinde hæc inſtantia, quid ad rem pertineat non video. Nam, qui concedunt ritus poſſe eſſe non ſcriptos: ii non negant, quædam ab Apoſtolis potuiſſe conſtitui, quæ, quia non eſſent de eſſentia & natura fidei, minus curarint ſcriptis referre.

XXI. Ad ſecundum: primo, contradicitur Baſilio: Nam is vtriſque, id eſt, tum ſcriptis, tum non ſcriptis, eandem vim aſſerit eſſe ad pietatem. At Bellarminus diſtinguit, vt quædam tantum obſeruationem poſtulent ad ſalutem neceſſariam: ſignificans quædam non eſſe huiuſmodi. At quis non videt eorum, quæ non ſunt ad ſalutem neceſſaria, non eſſe eandem vim ad ſalutem, cum iis quæ neceſſaria ſunt: etiamſi illa neceſſe eſſet credere bene inſtituta? Nam cum vtriſque hoc ipſum ſit commune, tum hæc peculiarem vim illam habent, vt neceſſaria ſint ad ſalutem.

XXII. Deinde Bellarminus ſatis confidenter loquitur: ſed nihil probat: Nos negamus neceſſe eſſe credere omnes ritus eſſe bene inſtitutos. Alioquin nulli eſſent indifferentes: nulli etiam correctioni obnoxii. At iam olim ab initio Eccleſiæ contra definitum eſt. Tertullianus de Velandis Virginibus c. 1. *Regula quidem fidei vna omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis. Hac lege fidei manente, cætera iam diſciplinæ & conuerſationis admittunt nouitatem correctionis.* Quid igitur? Nempe de iis tribus, quorum inſtitutionem & vſum in Scripturis legimus dubitare non licet: quia certum eſt Scripturarum autorem eſſe Spiritum Sanctum. De reliquis vero libere iudicemus, neque humano ſpiritui nimium deferentes, neque Eccleſiaſticam εὐταξίαν contemnentes: & in ſumma id ſeruantes quod Auguſtinus monet Epiſt. 118. ad Ianuarium.

XXIII. Ad tertii membrum primum, nego à Baſilio quicquam referri eſſentiale. Nam quæ Bellarminus hoc nomine dignatur, non ſic Baſilius intelligit. Confeſſio enim fidei nihil aliud eſt, quam verborum contextus. Nam rem ipſam, quis tam impudens eſt, vt neget è Scripturis haberi? Scilicet, fidem eam quæ eſt in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, habeat Eccleſia tantum ex conſuetudine. Imo hoc tantum Baſilius voluit, in tota Scriptura non extare, hunc dictionum complexum, Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vt ne hæretici δοξολογίαν illam reſpuerent, quæ dicebat cum Spiritu Sancto; hanc tantum ob cauſam, quod totidem vel literis vel ſyllabis in Canone non legeretur. Quare cum neque literæ, neque ſyllabæ, neque etiam dictionis, aut earum σύνταξις ſit de eſſentia fidei; falſo Bellarminus hanc confeſſionem in exemplum adduxit. Idem iudicium de olei vnctione, quam accipit pro Sacramento quæ Confirmationis, erat baptiſmo addita ceremonia à Papiſtis etiam obſeruata, ſic tamen, vt fateantur non eſſe de eſſentia baptiſmi.

XXIV. Ad alterum membrum, quod aſſerit eſſe quædam ita non neceſſaria ex ſe, vt tamen poſtquam præcepta ſunt, non omittantur ſine peccato: Reſpondeo Eccleſiaſticam εὐταξίαν non poſſe violari ſine peccato: quia violatur ædificatio; charitas negligitur: ſæpe etiam vnitas ſcinditur. Sic olim qui conſignabant presbyteri præſente Epiſcopo, peccabant: non certe aduerſus aliquem fidei articulum: ſed contra εὐταξίαν illam, quæ ad honorem ſummi ſacerdotii ſolos volebat Pontifices conſignare. Et Romæ peccatum erat non ieiunare Sabbatho: at non Mediolani. Ita patet quędam eſſe non fidei dogmata, quę tamen ſine peccato violari nequeant. Sic Scholaſtici definiebant, non poſſe abſque peccato confici in fermentato in Eccleſia Latina: in Græca autem ſecus: Scotus in quartum Sententiarum, diſtinctione vndecima, quæſtione ſexta: Similiter in Baptiſmo, Sacerdotem Latinum peccare ſi non dicat, Ego te baptizo: non vero Græcum: Scotus eodem libro, diſt. 3. q. 2. multaque adeo ſimilia colligere licet. Itaque nihil iam eſt, quod nobis Baſilium obiiciant in quæſtione de Imperfectione Scripturæ.

XXV. Gregorius Nazianzenus Oratione prima in Iulianum, poſtquam dixiſſet propter dogmata Teſtamenti Veteris & Noui doctrinam Eccleſiæ viſam fuiſſe Iuliano mirabilem, addidit continuo, *Cæterum maiorem atque inſigniorem ob eas Eccleſiæ figuras, quas traditione acceptas in hunc vſque diem ſeruamus.* Explicat autem poſtea, ſe figuras Eccleſiæ vocaſſe diſciplinam, politiam, ordinem Eccleſiæ, rationem pſallendi, modum pœnitentiæ imponendæ, ſacraria in templis, monachatum, virginum cœnobia, & alia permulta, quæ ex ſola traditione habentur.

XXVI. Reſpondeo, per τύπους τῆς Ἐκκλησίας, quos non ſatis apte Billius, figuras reddidit, Nazianzeno ſignificari ſtatum exteriorem, ſiue formam Eccleſiæ, in ritibus, variiſque obſeruationibus; quas Ethnici cogebantur admirari, cum doctrinam varie calumniarentur. Et quidem eiuſmodi ritus enumerat poſtea, quorum doctrina generalis fundamentum habet diſertum in Scriptura; quanquam ſingulares circumſtantiæ eſſent ex arbitrio Eccleſiarum. Atque adeo vt res tota magis pateat, operæpretium fuerit, enumerationem huc referre earum obſeruationum, quas à Chriſtianis Iulianus habebat in animo transferre ad Ethniciſmum.

XXVII. Διδασκαλεῖα μὲν ἱδρύσασθαι κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐπενόει, βήματά τε καὶ προεδρίας καὶ ὑφεδρίας, ἑλληνικῶν δογμάτων ἀναγνώσεις καὶ ἀναπτύξεις, ὅσαι τε ἤθος ῥυθμίζουσι, καὶ ὅσαι τῆς ἐπικρύψεως. εὐχῶν τε τύπον ἐν μέρει, καὶ τῶν ἁμαρτανόντων κατὰ μέτρον ἐπιτιμήσεως. προτελείων τε καὶ τελειώσεως, καὶ ὅσα τῆς ἡμετέρας σαφῶς ἐστὶν εὐταξίας. ἔτι δὲ καταγώγια πήξασθαι καὶ ξενῶνας ἁγνευτήριά τε καὶ παρθενῶνας, καὶ φροντιστήρια, καὶ τὴν εἰς τοὺς δεομένους φιλανθρωπίαν, τήν τε ἄλλην, ὁπόση ἐστὶ (ſic enim legendum puto) καὶ τὴν ἐν τοῖς ἐπιστολιμαίοις συνθήμασιν, οἷς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρήζοντας παραπέμπομεν. Hæc ego ſic verto: Billius enim non ſatisfecit. *Iam accingebat ſe ad ſcholas erigendas per ſingulas ciuitates, & ſuggeſtus, & ſedes tum ſublimiores, tum inferiores: Græcorum dogmatum lectiones, & explicationes, tum eorum quibus mores informantur: tum quæ abſtruſiora eſſent: ſed & precum formam ex parte: moderatæ peccantium increpationis: inſtitutioniſque, & imitationis denique omnia quæ manifeſtum eſt pertinere ad ordinem noſtrum: Inſuper & diuerſoria ædificare domoſque ad excipiendos hoſpites, item puritati, virginitatique dicatas, ac piis meditationibus: humanitatem etiam in egenos, cum aliam, tum eam quæ eſt in epiſtolaribus teſſeris, quibus eos quorũ intereſt, à gente ad gentem dimittimus.* Billius εὐχῶν τύπον vertebat, *precationum alternatim canendarum formam:* qua ratione motus non facile dixerim: certe longe à verbis diſceſſiſſe negari non poteſt. Omiſerat autem hæc verba, τῶν προτελείων καὶ τελειώσεως: quibus exiſtimo ſignificari ceremonias, quarum vſus erat circa baptizandos: vt τὰ προτέλεια ſint ea omnia quæ fiebant ad Catechumenos præparandos ad baptiſmum accipiendum: τελειώσεις autem quæ circa competentes.

XXVIII. Enimuero hæc omnia, aut fere omnia, pendent à Scriptura: in qua iuberi ſcimus: vt inſtruantur omnes, quo pertinent ſcholæ, & ſuggeſtus, & lectiones, & explicationes: & τὰ προτέλεια καὶ τελειώσεις: & variorum graduum officia Eccleſiaſtica, quo referendæ ſunt προεδρίαι καὶ ὑφεδρίαι: Et peccantium cenſuras: Nam de precibus quid opus eſt dicere? Iuberi etiam hoſpitalitatem & eleemoſynam, quibus inſeruiunt καταγώγια, ξενῶνες, & humanitas in egenos. Literas etiam commendatorias Paulus nominat, id eſt, ἐπιστολιμαῖα συνθήματα, quæ poſtea formatarum nomen obtinuerunt. Reſtant ἁγνευτήρια, παρθενῶνες, φροντιστήρια, quibus exiſtimo ſignificari varia monaſteriorum genera: quæ fateor non haberi in Scripturis: & eſſe ex ſola inuentione humana.

XXIX. Cæterum, fateor certa quædam ratione eadem non haberi in Scripturis: nempe quatenus ſunt ſpeciales & particulares generalium præceptorum πράξεις: At has quis neget, & varias fuiſſe pro variis locis & non perpetuas? Certe τὰ διδασκαλεῖα, & καταγώγια, & ἁγνευτήρια, & παρθενῶνες, & φροντιστήρια, quatenus ædificia ſignificant, ſpecialiter iis rebus deſtinata, perſpicuum eſt ab initio Eccleſiæ nulla fuiſſe, ſed procedente tempore inſtituta. Imo monachorum ne nomen cognitum ante Antonium: Virgines autem quaſque ſuis domibus habitare ſolitas ſatis patet ex omnibus ferme dicam Veteribus. Certe in Eccleſia Latina primus eſt Hieronymus, quem legamus eiuſmodi aliquid inſtituiſſe, cuius inuentum (vt ſolet accidere nouis rebus) multi non probabant. Precum formulas ſemper varias fuiſſe, & ad libitum quorumque ſacerdotum quis neſcit? Chryſoſtomo ſua fuit Liturgia: Ambroſio ſua: Seuero Alexandrino ſua: Baſilio ſua. Etſi veræ ſunt quæ hodie exſtant; Petro ſua, Iacobo ſua, Clementi ſua. Hæc igitur & locis & temporibus, & perſonis etiam obnoxia: vt non oportuit in Scripturis contineri, ſic inepte proferri conſtat ad arguendam Scripturæ imperfectionem.

XXX. Chrysostomvs in 2. c. poſt. ad Theſſal. *Patet,* inquit, *quod non omnia per epiſtolam tradiderunt Apoſtoli, ſed multa ſine literis. Eadem vero fide digna ſunt tam iſta quam illa. Quamobrem Eccleſiæ quoque Traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt traditio, nihil quæras amplius.* Et idem habent

bent Theophylactus & Oecumenius. Itaque non reprehendendum est Concilium Tridentinum, quum Traditiones æquauit Scripturis. Rursus Chrysostomus homilia 69. ad populum Antiochenum, & 3. in Epist. ad Philipp. *Non frustra* (inquit) *ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis.*

XXXI. Respondeo: ad primum, certum esse non omnia Apostolos tradidisse scriptis: sed illa tantum quæ ad essentiam fidei pertinent: amplius dico: non tantum non omnia scriptis tradidisse: sed etiam, neque scriptis neque viua voce. Nam eorum quæ non sunt de essentia fidei, multa post Apostolos instituta fuerunt: & quotidie institui possunt quædam, si sic res ferat. Itaque, etsi id non recte inferatur ex Pauli verbis, vt disputamus c. 1. tamen non est mentitus Chrysostomus, nec iuuat nostros Traditionarios: quibus non satisfacimus, cum ritus & ceremonias permittimus Ecclesiæ: nisi etiam dogmata fidei concedamus. Quod autem vtraque ait, eandem fidem mereri, respondeo, vt prius ad Basilium, non esse verum. Neque illud, si sit Traditio, nihil esse quærendum aliud: maxime cum loquatur de Traditione non Apostolica, sed Ecclesiastica, in quam multa cadere non satis exacta, vt mitissime loquar, iampridem docuit experientia, & nos ostendimus in secundo libro.

XXXII. In altero loco, manifestus est Chrysostomi næuus: asserentis eas preces pro mortuis, quarum vsum haberi dicit ex Traditione, prodesse etiam mortuis in infidelitate. Nam postquam lugendos dixit τοὺς ἀπίστους, τοὺς οὐδὲν ἐκείνων ἀπέχοντας, τοὺς χωρὶς φωτίσματος ἀπερχομένους, τοὺς χωρὶς σφραγῖδος, τοὺς ἐν πλούτῳ τελευτήσαντας, καὶ μηδεμίαν ἀπὸ τοῦ πλούτου παραμυθίαν ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς ἐπινοήσαντας, τοὺς λαβόντας ἐξουσίαν ἀπολούσασθαι αὐτῶν τὰ ἁμαρτήματα, καὶ μὴ βουληθέντας; *Infideles, eosque qui ab iis nihil differunt, scilicet eos qui sine illuminatione excedunt, sine signatura* (hoc est non baptizati: baptisma enim solebant & φωτισμὸν & σφραγῖδα appellare) *eos etiam qui in diuitiis moriuntur, neque vllum animæ solatium ex iis compararunt: eos, quibus licuit abluere sua peccata, nec voluerunt tamen:* tandem insertis nonnullis de moderato planctu, κλαίωμεν (inquit) τούτους. βοηθῶμεν αὐτοῖς κατὰ δύναμιν, ἐπινοήσωμεν αὐτοῖς τινὰ βοήθειαν, μικρὰν μὲν, βοηθεῖν δὲ ὅμως. πῶς δὲ καὶ τίνι τρόπῳ, εὐχόμενοι καὶ ἑτέρους παρακαλοῦντες εὐχὰς ὑπὲρ αὐτῶν ποιεῖσθαι, πένησιν ὑπὲρ αὐτῶν διδόντες συνεχῶς. ἔχει τινὰ τὸ πρᾶγμα παραμυθίαν. *Lugeamus istos: adiuuemus eos pro viribus: excogitemus eis aliquod auxilium: paruum illud quidem, sed tamen adiuuemus. Quomodo autem, quaue ratione? Orantes, aliosque excitantes ad orationes pro eis concipiendas: pauperibus etiam largientes pro eis absque intermissione. Nam hæc res nonnullum habet leuamentum.* Censet igitur Chrysostomus orandum esse pro mortuis, ex Traditione; mortuis inquam, non fidelibus tantum, sed etiam infidelibus: atque iis qui infidelibus non sunt multo meliores: pro non baptizatis: imo pro iis qui baptizari noluerunt. Excusent eum Iesuitæ si possint ab errore. Interea nos sciant libenter eas Traditiones sibi relinquere, quæ in errorem inducant: & sinant credere, tum omnino securos fore nos ab omni non tantum errore, sed etiam allucinatione, cum Scripturæ adhærebimus.

XXXIII. Alium ex Chrysostomo locum obiicit Petrinius ministris Gratianopolitanis, ex hom. 1. in Acta. τὰ μείζονα αὐτῷ τετήρηται τῆς διδασκαλίας, ἵνα μὴ ἔλαττον αὐτὸ νομίζωσι. *Ideo Spiritui seruata est maior doctrinæ portio, ne putarent illum minorem.* Negat autem posse probari, hoc totum verbum, atque doctrinam Spiritus Sancti, fuisse scriptam.

XXXIV. Imo ἡ διδασκαλία Chrysostomo non significat doctrinam, quæ docetur: sed disciplinam quæ docet; id est, ipsam in erudiendo operam, &, vt ita dicam, laborem. Ipsa verba ita volunt. Nam quam Erasmus Latine dixit *maiorē doctrinæ portionē*, Greçe habes τὰ μείζονα τῆς διδασκαλίας, id est, ea quæ sunt in disciplina maiora, siue maioris momēti. Atqui ita foret manifeste mentitus Chrysostomus. Nam profecto, quæ habentur ex ipsius Christi disciplina, sunt eiusmodi, vt non tantum non sint inferiora reliquis; sed etiam in articulorum fidei censu primas teneant: puta, Trinitatis mysterium; Incarnationis arcanum, peccatorum remissio, Iustificatio per fidem: spes Resurrectionis. Quibus sane nulla sunt omnino comparanda eorum, quæ iactantur accepta ex non scripta institutione. Verum si laborem docendi attendas, omnino vere dictum longe potissimam, longiusque ac latius prolatam docendi prouinciam fuisse Spiritus Sancti per Apostolos: qui & in omnes gentes abierunt, & in multos annos: cum Christus continuerit se intra Iudæam, & paucos annos.

XXXV. THEOPHILVS Alexandrinus; diserte docet primo & tertio Paschali, legem ieiuniorum Apostolicam esse traditionem.

XXXVI. Respondeo: primo de ieiunio in genere leges esse satis disertas in Scriptura: de circumstantiis vero ieiunii non esse necesse vllas esse scriptas, quia variæ sint, pro variis & locis & personis, & temporibus: itaque posse facile referri ad Traditiones absque vllo Scripturæ præiudicio.

XXXVII. Secundo illud, *diserte docet*, non aliud esse quam disertum Bellarmini mendacium. Nam libro quidem 3. etsi multa habet de ieiunio Paschali Theophilus, tamen nusquam significat ab Apostolis institutum: tantum varia colligit è Scripturis testimonia, quibus sobrietas commendatur. At hæc neque multum faciunt ad ieiunia: potest enim sobrietas coli, vt non ieiunemus tamen: & multo minus ad ieiunium Quadragesimæ: tum neque fauent Traditioni non scriptæ. Nam si ex Scripturis concluditur, siue ieiunium in genere, quod nos vltro profitemur, siue in specie ieiunium Quadragesimæ, vt videtur Theophilo placuisse, tum necesse est eam Traditionem non esse non scriptam, licet totidem eius syllabæ non legantur.

XXXVIII. In primo autem libro, locus est huiusmodi, *Et sic poterimus imminentium ieiuniorum iter carpere, incipientes Quadragesimam à tricesima die mensis Mechir, & hebdomadam salutaris Paschæ, quinta die mensis Pharmuti: finientesque ieiunia secundum Euangelicas Traditiones vespere Sabbathi decima die Pharmuti: vt illucescente statim Dominica, festa celebremus, vndecima die eiusdem mensis.* Hic videmus Traditionem nominari non Apostolicam, vt voluit Bellarminus, sed Euangelicam. Ea nimirum distinctione, qua vsus olim Cyprianus, quæsiuit vnde esset Traditio, vtrum de Euangelica auctoritate descenderis, an de Apostolorum Epistolis: scribens ad Pompeium. Significauit enim traditionem illam de qua loquitur Theophilus, originem suam trahere ab historia Euangelica, quæ est in Canone, imo obseruandum, hanc traditionem pertinere non ad legem, sed ad finem ieiunii: vt sensus sit ex traditione Euangelica, hoc est, ex historia Euangeliorum colligi tempus illud, quo ex vsu Ecclesiæ ieiunium Paschatis soluebatur: nimirum quia constet ex Euangelio, Christum surrexisse à mortuis die Dominica post quartam decimam lunam: non solere autem Christianos ea die ieiunare, quum Christi resurrectionem celebrabant. Itaque necessario confici, pridie eius diei, id est, Sabbatho, soluendum esse ieiunium.

XXXIX. CYRILLVS Hierosolymitanus in Catechesibus mystagogicis, nihil fere explicat aliud, quam Traditiones non scriptas de Baptismo, & aliis Sacramentis: Sic Bellarminus, Baronius, cum de sacris mysteriis (inquit) quinque orationes mystagogicas habuisset, hoc ait in fine, *Retinete has Traditiones, & sine vllius offendiculo vosmet seruate.* Sed à quo traditas? Legat qui originem earum scire cupit, & inueniet eas acceptas esse maiori ex parte, ex Missa Iacobi Apostoli eiusdem Ciuitatis olim Episcopi.

XL. Respondeo, Cyrillum in explicando Baptismate & Eucharistia, (nam alia nulla Sacramenta agnouit, ne erret Bellarminus) enumerare nonnulla ritualia, quæ fatemur non haberi è Scripturis. In Baptismo quod baptizandi starent versus occidentem: vestem exuerent: vngerentur oleo à vertice ad imum, vngerentur chrismate. In Eucharistia, abluerentur manus, daretur osculum pacis, commemorarentur Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, oraretur pro defunctis: Inuitarentur omnes ad communionem mysteriorum: acciperetur corpus concaua manu dextra, cui supposita esset sinistra: tum eius contactu oculi sanctificarentur.

XLI. At hæc omnia nulla esse fidei dogmata, quis non videt? Itaque potuerunt peti aliunde quam à Scriptura: Et si nihil habuerunt superstitiosi, potuerunt tolerari. Sed non fuisse perpetua, aut Catholica, constat ex vsu aliarum Ecclesiarum. Neque enim per omnia consentiunt Liturgiæ reliquæ ei, quam Iacobi dicunt. Certe in Romana neque baptizandi stant versus occidentem: sunt enim infantes: neque vnguntur à capite ad imum. In Eucharistia nullum datur osculum: non inuitantur omnes ad communionem vtriusque speciei: non accipiunt laici corpus in manus: non eo tanguntur oculi. Quid ergo mirantur, si quæ nec Catholica sunt, nec perpetua in Scripturis non leguntur. Imo qua fronte hæc obiiciunt in quæstione de fidei dogmatibus? Nam quoties diximus, ista ritualia, ista mobilia, non pertinere ad perfectionem Scripturæ?

XLII. Superest ex omnibus Græcis EPIPHANIVS. Nam Damasceni ὥσπερ Αἰγιέων ἢ Μεγαρέων ἀριθμὸς οὐδείς, οὐδὲ λόγος. Apertum enim Idololatram, cur ægre feramus in Scripturæ autoritatem insurgere? Cur miremur amare non scripta? Epiphanius igitur, hæresi 55. quæ est Melchisedechianorum: *Termini* (inquit) *nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum Traditiones, & Scripturæ sacræ, & successiones doctrinæ: & vndequaque veritas Dei munita est: & nemo decipiatur nouis fabulis.* Et hæresi 61. quæ est Apostolicorum. *Oportet & Traditione vti: non enim omnia à Diuina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt.* Baronius & Iesuitæ Ratisbonenses addunt, ex hæresi 75. longiusculum sermonem de Ieiuniis quartæ feriæ, ac pro Sabbathi, & festo Paschatis, prolata autoritate Apostolicæ Traditionis, & increpito Aerio, quem verisimile non sit hęc adeo cognita habere, ac Patres, qui à maioribus illa acceperant. Denique Baronius, ex eiusdem compendiaria doctrina recitat. *At vero de statutis ipsis & Traditionibus eiusdem Ecclesiæ, rursus necessarium est me breuibus apponere earundem Traditionum formam ex parte.*

XLIII. Respondeo, Epiphanium sæpiuscule quidem ad Traditionem confugere: at nunquam, vt articulos fidei confirmet aliquos non scriptos, sed tantum quædam quæ vel historica sunt, vel ritualia. In quo vtroque genere, quis tam expers est sensus communis, quis adeo rerum tum humanarum, tum Ecclesiasticarum inexpertus, qui neget Traditionis non scriptæ in libris sacris, suas esse partes? Sed illud euidenter colligitur ex ipsis Epiphanii locis.

XLIV. Nam in Melchisedecianis, cum duo reprobet capita, vnum, Christo maiorem esse Melchisedec regem: alterum, fuisse eundem re vera sine patre, & sine matre: tum prius, quod sine dubio ad fidei doctrinam pertinet, refellit, ne nominata quidem Traditione: sed ex Scripturis: ἐξ αὐτῶν (inquit) δὴ τῶν ῥητῶν ἡ αὐτῶν ἀνατροπὴ γίνεται. Quæ verba insulse Cornarius transtulit. *Ex ipsorum dictis subuersio ipsorum contingit:* pueriliter recedens à sensu satis perspicuo. Debuit autem sic vertere, *Ex ipsis disertis verbis eorum euersio nascitur.* Significat autem ipsa eiusdem loci verba, quem hæretici proferebant à Scripturis, vt probarent Christum esse minorem: quia esset ex ordine Melchisedec. Nam contra, quia statim subditur, *Similis factus est filio Dei*: si similis (inquit) ergo non æqualis, εἰ δὲ ἀφομοιοῦται τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, οὐκ ἴσος τυγχάνει τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ. Hoc igitur caput concluditur è Scriptura: & quidem, vt hoc repetam, nunquam in subsidium vocata Traditione.

XLV. At in altero ad Traditionem confugit: καὶ γὰρ παρά τισι τοῦ Μελχισέδεκ ὁ πατήρ τε καὶ ἡ μήτηρ ἐμφέρεται. *Etenim apud quosdam Melchisedecis pater & mater infertur.* Et subiectis exemplis, Danielis, eiusque sociorum trium, & Eliæ, ἵνα δὲ (inquit) μὴ κατὰ τοῦτο πλάνη τις γένηται, οὐδὲν λυπήσει δὲ καὶ ἐν παραδόσεσι κατειλήφαμεν λέγειν. *Vt ne in hoc error contingat, nihil nocebit quæ in Traditionibus accepimus, narrare.* Enimuero facile vident etiam cęci, non multum interesse fidei, siue norimus, siue ignoremus nomina Patrum illorum. Quin etiam considerandum est Traditionem illam de parentibus Melchisedeci designari non vniuersalem, sed particularem, ἐμφέρεται inquit) non παρὰ τῇ ἐκκλησίᾳ, sed tantum παρά τισι. Quinetiam, ne reliquam quidem de Danielis, Elięve parentibus, opinor suo vnquam calculo confirmauit Ecclesia.

XLVI. Porro hoc Epiphanii, vt ita dicam, ἐπινίκιον, quod Bellarminus recitauit, sic intelligendum est, vt hęreticos refutari profiteatur

vtrinque,

vtrinque, id est, & ex Scripturis & ex Traditionibus, sed & veritatem Dei confirmari. Non autem eam Dei Veritatem partim quidem à Scripturis sumi, partim à Traditionibus nusquam scriptis. Quis autem negat, etiam dogmatibus scriptis confirmandis vtilia esse ea, quæ nec scripta sunt, nec omnino fidei dogmata? Hic igitur locus omnino nihil concludit contra Scripturarum perfectionem.

XLVII. In hæresi Apostolicorum agitur de statu virginitatis: in Aerianis deieiuniis, & festis. Non potest autem melius responderi, quam ex ipso Epiphanio: addo ex eo ipso loco quem Baronius ex compendiaria doctrina citauit, sed non citauit integrum. Nam eo loci ista omnia, aliaque multa, id est, vno nomine ritus omnes (θεσμοὺς appellat, quos Cornarius duobus nominibus reddidit, statuta & Traditiones) non tantum distinguuntur, sed etiam separantur à dogmatibus fidei. Nam longum catalogum rerum credendarum, atque earum quidem omnium è Scripturis desumptarũ, his verbis concludit, καὶ ἃ μὲν περὶ πίστεως ἔχει αὕτη ἡ μόνη καθολικὴ ἐκκλησία, ἡ περιστερὰ ἄκακος, μία οὖσα τῷ αὐδρὶ αὐτῆς, ὡς λέγει μία ἐστὶ περιστερά μου, καὶ ὁμοίως περὶ τῶν ἀμυθήτων νεανίδων, ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμὸς, συντόμως εἴρηται. περὶ τε πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ὁμοουσιότητος, καὶ περὶ τῆς ἐνσάρκου Χριστοῦ καὶ τελείας παρουσίας, καὶ ἄλλων μερῶν τῆς πίστεως. *Et quidem quæ de fide tenet illa vna Catholica Ecclesia, & columba innocua, vnica viro suo, prout ipse dixit, Vnica est columba mea: similiter & de ineffabilibus iuuenculis, quorum non est numerus* (hæreses intelligit) *compendiose diximus: Ac de Patris, Filiique, & Spiritus sancti consubstantialitate, de incarnata perfectaque Christi præsentia: atque aliis partibus fidei.* Tum sequuntur illa ab aduersariis recitata. περὶ θεσμῶν δὲ τῶν αὐτῆς ἐν ὀλίγῳ μέν μοι ἐστὶ πάλιν ἀνάγκη τοῦ παραθέσθαι τῶν αὐτῶν θεσμῶν ἀπὸ μέρους τὸ εἶδος. ὅσα περ φύσει πεφύλακται ἐν αὐτῇ, καὶ φυλάσσεται, τὰ μὲν ἐκ προστάγματος, τὰ δὲ κατὰ ἀποδοχὴν προαιρέσεως. *De institutis vero eiusdem breuiter rursus mihi necessitas incumbit exponere eorundem institutorum formam ex parte: scilicet quæcunque solita sunt obseruanturque tum ex præcepto, tum vltro.* Quo loco obiter moneo φύσει πεφύλακται, male à Cornario verti *ex natura seruantur*, quid enim illud esse potest? Sed vtitur Epiphanius sæpissime voce illa φύσει aduerbialiter, pro consuetudine. Quod cum Cornarius non obseruasset, sæpissime vt superfluam omisit.

XLVIII. Sed ad rem, post hæc verba longam nectit enumerationem eorum institutorum, siue rituum. Nominat igitur ordine, Virginitatem, Monachatum, Continentiam, Viduitatem, Coniugium, Sacerdotium, Lectores, Diaconissas, Exorcistas, Laboratores, Ianitores, Synaxes, Ieiunia, Pentecosten, Natale Domini, Quadragesimam, Defunctorum nomina, Hymnos, & similia plurima. Hæc omnia, inquam, seorsim ab iis quæ ad fidem pertinent, prolixe recitat. Magno nostro commodo: qui fatemur istiusmodi omnia non contineri in Scripturis, quarum perfectionem defendimus tantum in iis quæ sunt de fide. Itaque subscribo ego quidem Epiphanio dicenti: οὐ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι. *Non omnia possunt sumi à Scriptura.* Tantum moneo Traditionibus non abutendum ad stabilienda fidei dogmata, quod aduersarii faciunt: Et rursus ne rituum quidem Traditiones opponendas Scripturis: his saluis, salua res est. Nec Epiphanius nobis aduersatur.

XLIX. Præter hos locos Puteanus, Epiphanium asserebat dicere, Traditionem esse necessariam ad salutem, atque ad intelligendam Scripturam: & notabat hæresin 6. sed hoc mendacium est Puteani, non testimonium Epiphanii.

CAP. XX.

De variorum Patrum Latinorum autoritatibus ad confirmandas Traditiones.

I. VEniendum ad Patres Latinos. A Tertulliano primum varios emendicant locos. Atqui is nec iudex est legitimus, nec testis locuples. *De Tertulliano* (inquit Hieronymus obiicienti Heluidio) *nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* Adeo indignum iudicauit, quem vel responsionis verbulo dignaretur. Quidni nos etiam? Nam reuera multa scripsit aduersus Ecclesiam, eodem teste Hieronymo in Catalogo. Et quamuis initio fuerit Catholicus, atque adeo nonnulla pro veritate scripserit, tamẽ *consequens error* (inquit Hilarius Canone 5. in Matthæum) *detraxit scriptis probabilibus autoritatem.* Et quod ad hanc nostram controuersiam multum interest, in eam hæresin prolapsus est, quæ non scriptis obseruationibus admodum delectabatur. Montanus enim plurima eiusmodi inuexit; certe stata ieiunia primus assignauit, teste Eusebio historiæ li. 1. c. 18. Vnde Tertullianus librum de ieiuniis scripsit aduersus Psychicos, id est, Catholicos (sic enim appellabant Montanistæ) &, *Arguunt nos* (inquit) *quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus, quod etiam xerophagias obseruemus.* Videlicet iam tum dolebant Catholici, his oneribus libertatem Christianam grauari.

II. Ad hanc exceptionem Raimundus, (is qui librum de Corona militis edidit Gallice cum annotationibus, vnam hanc ob caussam, quod egregie patrocinatur Traditionibus) respondet, Tertullianum, si nõ vt Theologum, saltem admittendum vt historicum non indignum fide, iis in rebus quas se vidisse testetur suo tempore obseruatas in Ecclesia.

III. Imo imponit nobis legem, quam ne sui quidem seruant. Nam quum Eusebium accusant Arianismi, aut Sozomenum Nouatianismi, id eo faciunt, vt fidem detrahant eorum historiæ. Deinde meminisse debuit, non contendi à nobis de facto, vtrum aliquando fuerint aliquæ Traditiones: sed de iure, vtrum esse debuerint, saltem in dogmatibus. Quid enim? An si constet multa ἄγραφα fuisse obseruata, ideo sequitur Scripturam esse imperfectam? Minime vero: sed hoc tantum, multa sibi homines permittere præter Scripturam. Porro non proferri duntaxat Tertullianum tanquam historicum, sed etiam tanquam Theologum, ipsi probabunt loci ex eius scriptis excerpti.

IV. Pamelius negat eum à Montano imbibisse Traditiones. *Patet* (inquit annotatione 27. in librum de Corona) *non aliud esse quam calumniam, qua Magdeburgenses volunt hanc suam de Traditionibus non scriptis sententiam habuisse Tertullianum à Montano.* Et habet argumenta tria. Primum, quod è contrario primus Montanus legatur noua quædam ingessisse Traditioni contraria, apud Eusebium historiæ Ecclesiasticæ libr. 5. c. 15. Secundum, quod etiam libro de Præscriptionibus aduersus hæreticos, Traditionum præscriptione vtatur Tertullianus, idque ante hæresin. Tertium, quod postquam cœpit declinare in hæresin ipse etiam, sicuti Montanus, consuetudines antiquas minoris cœpit æstimare, vt patet libro de Velandis Virginibus.

V. At hæc argumenta nihil probant. Ad primum respondeo, Eusebium asserere Montanũ, ἄρξασθαι λαλεῖν καὶ ξενοφωνεῖν, παρὰ τὸ κατὰ τὴν παράδοσιν, καὶ κατὰ διαδοχὴν ἄνωθεν τῆς ἐκκλησίας ἔθος, *cœpisse loqui, & peregrinas voces fundere, præter eum morem Ecclesiæ, qui erat secundum Traditionem, & doctrinam antiquam.* Quæ verba non significant Montanum Traditiones vniuersaliter oppugnasse, quasi nullas omnino vellet esse: sed specialiter eas Traditiones, quæ tum erant in vsu. Itaque hoc perinde esse, ac si, quia negat Baronius magos, quorum nomine illustratur Epiphaniæ festum, fuisse tres Reges: dicat aliquis eum Traditionem illam oppugnare, hoc est, id quod ex Traditione iampridem Papistæ tenebant pro certo, & quibusdam Scripturæ detortis locis probare conabantur. Atque adeo τὸ ξενοφωνεῖν, non potest aliud significare quam Montanum induxisse multa ἄγραφα.

VI. Ad secundum: Fateor Tertullianum in libro de Præscriptionibus vsum esse Traditionis autoritate aduersus hæreticos. Sed ea Traditio significabat, continuam in Ecclesia scriptæ doctrinæ docendæ rationem: non autem capita nescio quæ nunquam scripta, sed auribus paucorum insusurrata. Itaque sentiebat & loquebatur Catholice. Sed quum ad Montanum defecit tum cœpit nimium amare rerum Traditiones non scriptarum.

VII. In tertio, miror tam supine sui oblitum Pamelium. Nam qui hic iam Montanismo tribuit, quæ initio libri de Velandis Virginibus Tertullianus scripsit, cum ipsum eum librum interpretatur, multo aliter considerat. Nam & argumentum eius capitis in hæc concepit verba: *Quod consuetudo veritati contraria non præscribat.* Et in generali argumento, dixit eas taxari, quæ prætextu contrariæ consuetudinis, contra quam Apostolus præceperat, caput non velarent. Vnde patet eo loco nihil non recte dici. Nam quis Catholicus velit contrariam veritati consuetudinem in Ecclesia vigere? Quis contra Apostoli diserta monita, consuetudini deferat? Cur ergo Montano imputatur bona piaque sententia? Tertio notauit idem Pamelius, à Cypriano fuisse hunc ipsum locum diligenti imitatione ad verbum fere expressum epistolis, 73. & 74. Ergo, inquam, necesse est Tertulliani sententiam à Cypriano fuisse approbatam. At Cypriano nihil fuit commune cum Montano: Ergo, eam sententiam oportet non fuisse ex erroribus Montani.

VIII. Hæc de autore: iam de testimoniis. Celeberrimus est apud Papistas libellus de Corona militis: quem tamen Baronius omisit citare: quod equidem miror. Sed non Bellarminus: non Iesuitæ in Colloquio Ratisbonensi: non alii plurimi. *Habentes obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit. Hanc si nulla Scriptura determinauit, certe consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in Traditionis obtentu exigenda est, (inquis) autoritas scripta. Ergo quæramus an & Traditio non scripta, non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique, vt à Baptismo ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Euangelio determinauit: inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus: ex quo ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate à die Paschæ ad Pentecosten vsque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & cæterarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Et paulo post. *His igitur exemplis renunciatum erit, posse etiam non scriptam Traditionem in obseruatione defendi confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc Traditionis ex perseuerantia obseruationis. Consuetudo autem etiam in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Longiusculum locum, quia ab aduersariis non sine fastu iactatum, nihil nocuerit totum descripsisse.

IX. Respondeo, primo librum esse à Tertulliano compositum, iam hæretico, atque aduersus Catholicos. Nam Montanum pleno ore redolent hæc verba. *Plane superest, vt etiam martyria recusare meditentur, qui Prophetias eiusdem Spiritus Sancti respuerunt*: quod obseruauit Pamelius: obseruauit Raimundus. Simile est istud in Catholicos scomma. *Noui & pastores eorum in pace leones, in prœlio ceruos*: quia docerent martyria, etsi non recusanda, tamen legitime declinanda, quod Montanistæ negabant. Atque adeo in Tertulliani vita Pamelius diserte notat hunc librum scriptum, postquam in hæresin lapsus esset. Quare non tantum ex præiudicio generali ipsius autoris eleuatur autoritas huius libri: sed etiam proprio vitio, quia hæreticus, & contra Ecclesiam compositus deprehenditur. Adeo necesse est Papistas vel è flamma victum petere.

X. Secundo, noto statum quæstionis, quam Tertullianus tractat. Miles quidam in donatiuo accedit ad prætorem, lauream manu gestans, nõ capite, vt reliqui. Interrogatus caussam, respondet esse Christianũ: Christiano non licere coronam capite gestare: inde ad pœnam rapitur. Hoc factum reliqui non probabant Catholici: Tertullianus vero tuetur. Ergo quæ-

ſtio ſit: vtrum Chriſtiano liceat capite coronam geſtare. Oſtendit hic ipſe ſtatus, à Tertulliano Montaniſta aduerſus Catholicos inſtitutam eſſe diſputationem

XI. Procedit autem diſputatio in huunc modum Catholici negabant prohibitum eſſe coronari; quia Scriptura non prohiberet. Tertullianus reſpondebat dupliciter. Primum regerebat viciſſim, non ſcriptum eſſe, vt coronemur. *Nam ſi* (inquiebat) *ideo dicitur coronari licere, quia non prohibeat ſcriptura, atque retorquebitur coronari non licere, quia ſcriptura non iubeat.* At hoc argumentum eſt ineptum: neque enim eadem ratio eſt iubendi & prohibendi. Certe enim verum eſt, permiſſum eſſe quicquid non prohibetur, quod pro ſe Catholici afferebant. Sed quod Tertullianus regerebat, *Imo prohibetur, quod non vltro eſt permiſſum*, omnino falſum eſt. Exempli gratia, Grammaticam, Logicam, Mathemata profiteri, nuſquam vltro Scriptura permittit: Et tamen nemo prohibitum dicat. Et ne longius abeam: potuit à ſuis ipſis Traditionibus doceri Tertullianus: quas nulla ſcriptura vltro permittebat: ipſe tamen obſeruari volebat.

XII. Deinde, confugiebat ad Traditiones, cum videret ſe ex Scripturis pugnare non poſſe. Rurſus vero, audito Traditionum nomine, Catholici nihilominus exigebant Scripturæ autoritatem. Tertullianus reſpondebat ſufficere Traditionem non ſcriptam. Ex eo apparet tum temporis ita fuiſſe Catholicos inſtitutos, vt ex Scripturis vellent etiam agendorum regulam deſumi: hæreticos autem Catholicis negotium facceſſere ſolitos ex Traditione non ſcripta. Mirum ni ſe hic lector putet videre noſtrorum temporum effigiem: &, vt ita dicam, Tertullianum à nobis defeciſſe ad Papiſtas, id eſt, à Catholicis ad Montanum. Porro non ſequitur, ſi Tertullianus Catholicos oppugnauit è Traditione, ideo Scripturam eſſe imperfectam.

XIII. Atque hic mihi rurſus vide, quam abſurde, *Conſuetudo* (inquit) *ſine dubio de Traditione manauit: quomodo enim vſurpari poteſt, ſi traditum prius non eſt:* Itane? Ergo quicquid vſurpatur, id neceſſe eſt eſſe traditum? Quaſi nihil ex ſe inueniant hæretici: nihil inuehant nouatores: nihil ſibi permittant homines. Deinde, quid tum, ſi traditum eſt? Quaſi non multum interſit, & quomodo, & quando, & à quo ſit traditum. Denique docet experientia multa obſeruari etiam ex Traditione, quæ falſa ſunt.

XIV. Tertio, patet ex ſtatu quæſtionis Tertullianum de nullo agere fidei dogmate. Nam coronæ, ſiue ſerti è floribus contexti geſtatio, res eſt externa, & inter τα ἀδιάφορα. Nam quod tam ſeuere tum ille prohibebat, hodie Chriſtiani impune vſurpant. Ergo etiam ſi legitime & Catholice diſputaſſet, poterat tamen Traditionem proferre abſque vllo Scripturarum præiudicio.

XV. Atque adeo, ea ipſa exempla tam multa, non in dogmatibus numerat, ſed in diſciplinis. *Harum* (inquit) *& aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem ſcriptam expoſtules, nullam inuenies.* Solet autem diſciplinæ nomine ſignificare ea omnia quæ poſita ſunt in conſuetudine, vt ritus varios, variaſque obſeruationes. Certe in libro de Velandis Virginibus, manifeſte diſtinguit à regula fidei: & docet admittere nouitatem correctionis: hoc eſt, vt nos hodie loquimur, eſſe mobilia. Sic capite præcedenti ſeparabat b piphanius διαφωνίας ab iis quæ ſunt fidei.

XVI. Idem conſtat ex ipſa traditionum enumeratione: quarum vix vlla eſt, non vel prorſus antiquata: vel ſaltem magna ex parte mutata, vel denique particularis. Vnde Beatus Rhenanus in hunc locum: *Baptizandi* (inquit) *ritum oſtendit, qui in vſu veterum fuit, de quo conſuetudo quædam mutauit.* Et rurſus, *ſuas conſuetudines habuit Oriens, ſuas habuit & Occident, nam Ceremoniæ ſecundum Eccleſiarum & regionum diuerſitatem variam.* Et ſane iampridem non ipſi baptizati conteſtantur (qui primus eſt apud Tertullianum ritus) non etiam poſſunt, cum ſint infantes: ſed pro iis adulti, iam à temporibus Auguſtini; hodie etiam apud Papiſtas. Tertia immerſio, iampridem mutata eſt in aſperſionem poſt tempora Gregorii primi, teſte Pamelio, annotationibus in librum de Baptiſmo. Lactis vero & mellis præguſtationem, Africæ peculiarem fuiſſe Pamelius obſeruat. Certe præter Tertullianum non eſt eius qui meminerit, excepto ſemel Hieronymo in libello aduerſus Luciferianos. Sed eorum, qui nobis expoſitiones reliquerunt rituum baptiſmi, vt apud Græcos Dionyſius Areopagita, & Cyrillus Hieroſolymitanus: apud Latinos Ambroſius, nemo. Imo Hieronymus ipſe alibi pro melle vinum ſubſtituit: atque hunc morem Occidenti peculiariter Pamelius tribuit. Apud Papiſtas autem nullum reliquit ſui veſtigium.

XVII. Iam in altero Sacramento, *Euchariſtiam* (inquit) *antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præſidentium ſumimus.* Atqui, quod de præſidentium manu dixit, non fuit vniuerſale: teſtatur enim Iuſtinus, poſt præſidentis preces Diaconos diſtribuiſſe Euchariſtiam. Nam quod Pamelius videtur exiſtimare præſidentium voce à Tertulliano ſignificatos non ſolum Epiſcopos, ſed & presbyteros, ac diaconos, eſt præter antiquorum morem. Deinde non in cœtibus antelucanis tantum diſtribuitur Euchariſtia, ſed etiam plena luce, ex quo prodiit Eccleſia à cryptis in templa, & liberata eſt perſecutionum metu. Imo apud Papiſtas, in cœtibus ſiue antelucanis, ſiue aliis, nemo Euchariſtiam ſumit de manu Epiſcopi, aut presbyteri: ſed ſolus ſacerdos communicat, niſi forte ſemel in anno.

XVIII. Oblationes pro defunctis pro natalitiis (id eſt, vt ego quidem cenſeo, ὑπὲρ τῶν γενεθλίων, vt ſenſus ſit, fieri oblationes pro defunctis, pro eo quod Ethnici faciebant, pro natalitiis) annuas, Papiſtæ non faciunt. Nam quod Pamelius eiuſdem rationis eſſe dicit, commemorationem in Miſſa, facit audacius, quam verius. Nam hanc commemorationem ſolus ſacerdos facit, & non tantum annuatim, ſed etiam quotidie: at hanc oblationem faciebant ſinguli, & tantum annuis diebus. Die Dominico ieiunium nefas ducebatur, & de geniculis adorare. An vero toto Quadrageſimæ tempore etiam diebus Dominicis non abſtinent à carnibus Papiſtæ? Nam hoc illis eſt ieiunare. Vtrum vero preces non fundant de geniculis, ipſi norunt, & quotidie vident omnes. A Paſcha ad Pentecoſten certe ieiunant ſexta feria & Sabbatho. Calicis & panis aliquid in terram decuti anxie patiebantur: quod intelligendum eſt de conuiuio communi, non de Euchariſtia, nam propterea additum *etiam noſtri*. Ego vero Papiſtas ſæpe exclamantes vidi, ſi ſalinum euertatur, ſi cultri in crucem componantur, nunquam autem ſi vel panis vel vinum in terram cadat. In Crucis ſignaculo, negare non poſſum Papiſtas eſſe vehementiſſimos. Sed illi profecto, maximam partem eius vſus, quem Tertullianus adeo minutim proſequitur, valere iubentes, idololatria compenſarunt, ei ſigno latria delata, quam veteres ſoli Deo eximiam reſeruabant.

XIX. Hoſius, in Confeſſionis capite de Humanis Traditionibus, citat librum de Virginibus Velandis, quem Bellarminus duntaxat indicabat. Et tamen hoc libro Pamelius dicebat Tertullianum Montaniſtam non ſatis bene Traditiones tractare. Illi viderint. Sed Hoſius tamen, *Cum primis* (inquit) *abſurdum eſſe Tertullianus exiſtimabat vt diabolo ſemper operante, & adiiciente quotidie ad iniquitatis opera, opus Dei aut ceſſauerit, aut proficere deſiterit: cum propterea paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas, omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina, ab illo vicario Domini Spiritu Sancto.*

XX. Egregie vero: vt non tantum Tertulliano vtantur Papiſtæ ſub extremum vitæ hæreticho: ſed etiam eius libris in hæreſi ſcriptis: ac quidem, quod peius eſt, ex iiſdem libris hæreticis, in quibus quædam poſſunt eſſe non mala, ea ipſa excerpant, quæ puram putam hæreſin ſpirant. Nam locus iſte omnino eſt huiuſmodi, teſte ipſo Pamelio, qui ad eum ſic adnotauit. *Pertinent hæc & ſequentia ad finem huius capitis vſque, ad hæreſin Tertulliani & Montaniſtarum, qui Montanum Paracletum faciebant, contra quam latius in noſtris prolegomenis: hoc hic dixiſſe ſufficiat, quod ineptiſſime, quæ de Spiritu Sancto prædixit Chriſtus, ipſe ſuo Paracleto adſcribat.* Et neget aliquis eſſe Traditionarios hæreticis affines?

XXI. Tamen tolerabilior erat Tertulliani Montaniſtarumque ſententia. Nam Papiſtæ, ne ipſam quidem fidei doctrinam excipiunt, cum Traditiones iactant, imo diſerte multa dicunt eſſe credenda, quæ in Scripturis non habentur. At illi Traditionum non ſcriptarum ius nullum eſſe volebant in regulam fidei. Nam id initio huius ipſius libri Tertullianus proteſtatur, diſtinguens, vt alias notaui, regulam à diſciplina: illam dicens irreformabilem, & immobilem, atque omnino vnam diſciplinam vero, & commutationem admittere nouitatem correctionis.

XXII. Prorſus Catholice Lyrinenſis Vincentius, *Dicet aliquis, Nullusne erge in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis?* Aliquis, puta, Marcioniſta, vt Tertullianus olim: hodie etiam aliquis Papiſta, vt Hoſius. Quid reſpondet Catholicus? Non negat profectum: ſed non patitur eſſe mutationem. *Creſcat igitur oportet* (inquit) *& multum vehementerque proficiat tam ſingulorum, quam omnium, tam vnius hominis, quam totius Eccleſiæ ætatum, ac ſeculorum graduibus intelligentia, ſcientia, ſapientia. Sed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant, & explicent, eadem tamen quæ erant permanent.*

XXIII. Baronius, ſed & Pamelius, qui, quo iure, quave iniuria Papiſticos errores antiquitatis nomine ſibi honeſtandos propoſuerunt, neque ob aliam cauſam, aut ille Annalibus, aut iſte edendis Tertulliani, Cypriaque operibus manum admouit, alios ex eodem Tertulliano locos colligunt. Ex libro de Præſcriptionibus. *Nunc ſolum diſputandum eſt, quibus competat fides ipſa, cuius ſint Scripturæ, à quo, per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium Traditionum Chriſtianarum.* Et poſtea, *Quid Apoſtoli prædicauerint, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viua voce, quam per Epiſtolas poſtea: omnemque doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis conſtiret veritati eſſe deputandam, reliquam omnem doctrinam de mendacio præiudicandam.* Contra Marcionem libro quarto, capite quinto. *His fere compendiis vtimur, cum de Euangelii fide aduerſus hæreticos expedimur* (melius Iunius experimur) *defendentibus temporum ordinem poſteritati falſariorum præſcribentem, & autoritatem Eccleſiarum Traditioni Apoſtolorum patrocinantem: quia veritas falſum præcedat neceſſe eſt, & ab eis procedat à quibus tradita eſt.* Ex Apologetico, *Expedite autem præſcribimus adulteris noſtris, illam eſſe regulam veritatis, quæ veniat à Chriſto, tranſmiſſa per comites ipſius.* Ex libro de Carne Chriſti. *Si tantummodo Chriſtianus es, crede quod traditum eſt.* Contra Marcionem lib. 1. *Non alia erit agnoſcenda Traditio Apoſtolorum, quam quæ hodie apud Eccleſias ipſorum editur.*

XXIV. Sed hæc non ſunt difficilia. Intelligit enim Tertullianus omnibus iis locis Traditionem non ſcriptam dogmatum ſcriptorum. Id patet, primo ex Apologetico, vbi regulam veritatis nominat: at ſic ille ſolet appellare ſymbolum, quo continentur fidei capita: vt libro de Virginibus Velandis capite primo: & de Præſcriptionibus decimo tertio, & aduerſus Praxeam ſecundo, & alias. Deinde, quia ex ea traditione refutat hæreticos ſui temporis: oportet ergo ea traditione contineri dogmata Catholica contraria dogmatibus eorum hæreticorum. At illi hæretici controuerſiam mouerant, non de quibuſdam non ſcriptis; ſed de iis, quæ continentur in libris Canonicis; vt alias obſeruaui. Intellexit igitur rationem tradendorum dogmatum, quam nos ſæpe profeſſi ſumus eſſe duplicem, ſcriptam & non ſcriptam. Itaque merito potuit dicere, *Teneo quod traditum eſt*: non enim licet cuiquam recedere ab eo quod acceptum ab Apoſtolis & Chriſto ad nos vſque deductum eſt.

XXV. Porro quod dixit, quid Apoſtoli prædicauerint, non aliter probari debere, niſi per Eccleſias, quas Apoſtoli docuerint: ſic intelligendum eſt, non vt Scripturas comparet Eccleſiis, pronuncietque non per Scripturas debere probari, ſed per Eccleſias. Imo potius, quia hæretici ſuarum Eccleſiarum autoritatem ſiue traditionem obtrudebant, iis Apoſtolicas obiiciat; vt doceat non à quibuslibet Eccleſiis, ſed tantum ab Apoſtolicis quærendam veritatis probationem, vt ſenſus idem ſit cum Irenæo cap. 4. lib. 3. *Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt in Eccleſia ſumere.*

XXVI. Cy-

XXVI. Cyprianvs Epist. 70. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit.* Constat autem (inquit Bellarminus) nihil de chrismate in Scripturis haberi, sed tantum in traditione. Idem Epistola 63. *Admonitos nos scias, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, mistus vino offeratur.*

XXVII. Respondeo; primo loco agi de ritu, non vero de essentia baptismi. Nam ne ipsi quidem aduersarii nostri hodie chrisma contendunt esse de necessitate eius Sacramenti. Lombardus lib. 4. dist. 3. dicit de essentia baptismi esse Elementum & Verbum: cætera pertinere ad decorem & solemnitatē. Et, si absint non minus esse Sacramentum. Et sane constat ab initio celebratum absque hoc ritu, tum à Ioanne, tum posteà ab Apostolis & Apostolicis viris, vt à Philippo, a Petro, à Paulo, in libro Actorum. Scimus tamen olim apud Christianos eum morem inualuisse: quam bono consilio, successus indicauit. Certe nulla satis firma ratione. Nam quod Cyprianus addit, faciendum id esse, *vt accepto chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit* baptizatus, quis non videt esse futile? Quid enim? An Christus? imo mitto Christum, ne forte non-nihil excipiant aduersarii de persona, & baptismo Ioannis: Sed an Eunuchus ille nec vnctus fuit Dei, nec habuit gratiam Christi, quia aqua sola lotus est? An Carcerarium Paulus voluit eo priuilegio carere? Minime vero: Imo Paulus dixit, *quicunque baptizati estis in Christo, Christum induistis*, tertio ad Galatas. Et ille non habeat Christi gratiam, id est, non sit vnctus gratia Christi, qui ipsum Christum induerit! Sed non est nunc necesse hæc inquiri diligentius. Quocunque tandem iure hic ritus institutus sit, tamen certum est esse ritum, nec essentialem siue necessarium baptismo. Itaque ἀναφορικῶς affertur in exemplum earum traditionum, quæ ad fidei doctrinam pertinent.

XXVIII. Ad alterum locum, respondebat Chemnitius agere Cyprianum de scripta traditione: quod Bellarminus negat; quia aquæ non meminerint Euangelistæ. Sed Chemnitius totum disputationis Cyprianicæ corpus considerabat, quæ aduersus Aquarios probabat calici Eucharistico infundendum esse vinum, quod illi non faciebant. Itaque multi citantur loci ex Scriptura, qui de vino tantum loquuntur: propterea etiam Cyprianus dixit mixtum vino, non vero mixtum aqua, vt obseruauit Pamelius. Ergo verum est, quod dixit Chemnitius, eam quæstionem, quæ tractatur tota illa Epistola, quæque concipitur iis verbis, *calix mistus vino offeratur*, esse scriptam: scilicet in Euangelio, vbi narratur Eucharistiæ institutio.

XXIX. Sed Bellarminus particulam tantum considerauit eius disputationis, quæ obiter duntaxat, pauciscque verbis delibatur, de aqua vino miscenda. Hoc certe nos fatemur non haberi è Scriptura: & credimus ab initio vsurpatum bona fide, ex vsu communi, quo vix bibitur vinum temetum, sed aqua dilutum: maxime cum est generosum. Neque nos sane multum pugnemus: etsi malimus adhærere Scripturæ; quæ solius vini meminit: ac propterea merum libenter & consecramus & sumimus. Scholastici autem fatentur hanc mistionem non esse de necessitate Sacramenti: vt Thomas p. 3. q. 74. art. 7.

XXX. Itaque Cyprianum probare non possumus, qui huic mistioni tantum tribuit, vt dicat, *Si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis.* Quod est absurdum: tum, quia infert eius necessitatem: tum, quia discedit à natura eius Sacramenti. Non enim institutum est, vt sanguis Christi non sit sine nobis, sed vt sit potius in nobis, quod nunquam aqua efficiet, aut eius mistio: sed tantum vini sumptio cum fide. Hoc Bellarminus excusat; quia non loquatur de reali coniunctione, vel separatione Christi & Ecclesiæ, sed tantum de significatiua. Erit igitur, inquam hic sensus: Si vinum tantum quis offerat, significari sanguinem Christi esse sine Ecclesia. At hoc ipsum est ineptum: quia ne in eum quidem finem instituta est Eucharistia: tum si sanguis sumitur, non potest non significari esse siue nobiscum, siue potius in nobis.

XXXI. Canus, Hosius, Iesuitæ in Colloquio Ratisbonensi, sermonem citant de ablutione pedum: qui, etsi Cypriani non sit, tamen consideratione dignus est. *Sicut par est Spiritui Sancto, & Christo diuinitas, ita in suis institutis, aqua est autoritas & potestas: nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, & vniformis suo genere stat actio omnium: nihil addi, nihil subtrahi, nihil potest corrigi, vel mutari.*

XXXII. At hæc quid faciunt ad non scriptas traditiones? Non enim opponuntur scriptis non scripta, vt vtraque dicantur eandem autoritatem habere: sed instituta Christi, institutis Spiritus Sancti: id est, ea quæ per se ipsum Christus sanxit, iis quæ posteà instituerunt Apostoli, acti à Spiritu Sancto. Nec nos sane aliter Epistolas Pauli legimus, & Petri, & Ioannis, & alias: non aliter etiā Actus Apostolorum, quam ipsa quatuor Euangelia. Hinc autem non sequitur Scripturas esse imperfectas: nisi prius dogmata aliqua fidei demonstrentur ab Apostolis instituta esse, quæ omnino scripta non sint.

XXXIII. Hilarivs libro contra Constantium Imperatorem, obiicienti Ariano Principi: *Nolo verba, quæ non scripta sunt, legi*; respondet, *Hoc tandem rogo, quis Episcopus iubeat? quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas, nolo aduersus noua venena, nouas medicamentorum comparationes.* Quibus verbis (inquit Bellarminus) duo indicat Hilarius, vnum prædicationem consubstantialitatis esse Apostolicæ prædicationis, licet expresse non sit scriptum, Filium esse Patri consubstantialem: Alterum, nomen ipsum ὁμοούσιον esse quidem nouum, sed tamen retinendum, licet non sit scriptum, quia conforme est prædicationi Apostolicæ.

XXXIV. Respondeo; Hilarius & credidit, & diserte scripsit consubstantialitatem esse dogma scriptum. Hinc sunt ista ex libro ad Constantium. *Fidem Imperator quæris, audi eam non de nouis chartulis, sed de Dei libris.* Et paulo post: *Audi, rogo, ea quæ de Christo sunt scripta, ne sub eis ea quæ non scripta sunt prædicentur.* Et libro de Synodis ad finem. *Mihi homousij, & homœusij intelligentiam Euangelia & Apostoli intimauerunt.* Senserit ergo bonus ille eximiusque Pater, consubstantialitatem Patris & Filii, quam Ariani impie oppugnabant, Constantius etiam in Catholicis persequebatur, esse traditionem Apostolicam; sed scriptam. Sed quia id dogma significabatur nomine Ὁμοούσιος, non scripto in Canone; imo etiam nouo, propterea, vt sæpe obseruauimus, importuni exsultabant Ariani, qui tamen ipsi aliis vocibus vtebantur à se ipsis excogitatis. At hanc importunitatē merito compescit Hilarius. Et nemo est nostrūm, qui neget voces, quibus fidem explicamus, esse in potestate traditionis: non sunt enim dogmata, sed solum dogmatum signa: & quidem varia, pro variis nationibus, quarum etiam varia sunt idiomata. Nam exempli gratia, quod Græci ὁμοούσιος dixerunt, Latini mutarunt in consubstantiale; quæ vox eadem dici non potest. Sic τὴν θεοτόκον posteà dixit contra Nestorium Ecclesia Græca. At Latina vocum compositione infelicior, dixit matrem Dei duobus vocabulis. Sed hoc totum paucis ille verbis expediuit. *Scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo.* Vnde necessario sequitur: ibi esse Scripturas, hoc est, dogmata scripta, vbi sensus est Scripturarum: quantumuis alia verba legantur.

XXXV. Baronius libellum citat de Synodis contra Arianos in hæc verba: *O vos beatos & glorioſos, qui perfectam atque Apostolicam fidem conscientia & professione retinentes, conscriptas fides huc vsque nescitis. Non enim equistis litera, qui spiritu abundatis: neque officium manus ad scribendum desideraſtis, qui quod corde à vobis credebatur, ore ad salutem profitebamini. Nec necessarium habuistis Episcopi legere, quod regenerati neophyti tenebatis. Sed necessitas consuetudinem intulit, exponi fides, & expositus subscribi. Vbi enim sensus conscientia periclitatur, illic litera postulatur.*

XXXVI. Hæc Baronius, sed quorsum? Non enim significauit, quid aut quomodo inferat. Intelligo Hilarium Gallos nostros laudare; quod repetitis confessionibus opus non haberent, vt Orientales, apud quos crebræ hæreses postulabant, vt sæpius fidei formulæ conciperentur. Quid hoc ad imperfectionem Scripturarum? Non enim opponitur Traditio Scripturæ: sed repetitis confessionibus. Nihil autem obstat, quominus idipsum quod Galli & corde credebant, & ore profitebantur, haberent è Scripturis. Imo vero necesse est: tum quia agit de fide opposita hæresibus variis, quæ Orientem infestabant, ab Ario oriundæ, quæ omnes erant, non de non scriptis capitibus, sed de Trinitate: tum quia Baronius ipse agnoscit Hilarium significare simplex Apostolicum Symbolum traditum Competentibus. Nam quid tum, si non scripto tradebatur: dum nihil continuerit præter scripta dogmata?

XXXVII. Ambrosivs libro de iis qui initiantur mysteriis cap. 2. & 6. & libro 1. de Sacramentis cap. 1. & 2. explicat ritus, qui ab vniuersa Ecclesia seruantur in baptismo, qui nusquam scripti inueniuntur in diuinis literis, & quos cæteri constanter referunt in Apostolos autores. Rursus Serm. 25. 34. & 36. docet Quadragesimam à Christo præceptam. Tertio: Epistola 81. & serm. 38. docet Symbolum Apostolorum, Apostolicam esse traditionem non scriptam. Quarto, Baronius addit ex Epistola 83. de celebritate Paschali; *Scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorum.*

XXXVIII. Respondeo in genere, nullo istorum loco agi de fidei doctrina. Tum distincte ad primum, ipse Bellarminus profitetur agi de ritibus. Ergo, inquam, non necesse est eos exstare in Scripturis: quia ii non pertinent ad earum perfectionem, sed & falsum est quod Bellarminus dixit, eos ritus obseruari ab vniuersa Ecclesia. Nam Apertionis ritum (Ambrosius ita vocat) id est, *Effeta*, apud Græcos non reperitur. Et baptizandum conuerti ad Orientem, cum renunciaturus est, erat contra Græcorum morem: nam Cyrillus Hierosolymitanus eosdem dixit stare occidentem versus. Et de Sacramentis libro 3. c. 1. baptizato lauari pedes notat; simulque negat obseruari Romæ. Vestes albas etiam non omittit, quas tamen Cyrillus nullas habet. Denique trinam mersionem exponit, quam ne Papistæ quidem retinuerunt. Ritus ergo numerauit Ambrosius, non vniuersales, non necessarios, non perpetuos. Itaque non pertinentes ad nostram controuersiam.

XXXIX. Ad secundum: primum sermones illos esse negant Ambrosii, Erasmus & Costerius. Deinde, sæpius negauimus Quadragesimam pertinere ad doctrinam: sed tantum ad ritus. Tertio, eorum sermonum author Quadragesimam vrget, non vt præceptum aliquod non scriptum, sed potius vt erutum è Scriptura: tum ob generalem doctrinam de ieiuniis, quam persequitur serm. 25. tum ob Christi exemplum. *Hanc enim* (inquit) *Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit*, serm. 35. cui addit & alia: vnde serm. 36. *Sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum: nec terrena cogitatione inuentum, sed cœlesti maiestate præceptum.* Non pugno quam bene, quam iudicioſe Scripturam tractarit: sed hoc dico, imperite eum adoptari traditionum non scriptarum patronum, ob Quadragesimam, qui tamen Quadragesimam contendat fluere è Scripturis.

XL. Ad tertium de Symbolo, respondeo, Epistola 81. tantum haberi, *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & seruat.* Hinc autem quidnam conficere possit Bellarminus, videat, qui poterit: Ego certe non intelligo. In Sermone 38. *Duodecim Apostolorum symbolo fides Sancta concepta est qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauem suo consilio conflauerunt.* Hinc probare aliquis possit, symbolum à duodecim Apostolis sic συνθετικῶς compositum: sed imperfectam esse Scripturam? minime, nisi prius doceat articulos eius symboli non contineri in Scripturis: quod, quis aggrediatur Christianorum? Et si tam sit aliquis impudens, vt aggrediatur, cui persuadebit Christiano, qui & symbolum norit & Scripturas?

XLI. In quarto locus est integer hunc in modum, *Non mediocris esse sapientia diem celebritatis definire Paschalis, & Scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorum: qui conuenientes ad Synodum Nicenam, inter illa fidei, vt vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & nouem annorum collegere rationem, & quasi quendam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur.* Ex his patet, & quatenus de Pascha agatur, & quo sensu traditio nominetur. Nam de Paschate duo tractat: alterum de tempore festi, alterum de

eius temporis calculatione. Illud ex Scripturis definit, cum Veteris, tum Noui Testamenti. Hoc vero, ex Nicænorum patrum traditione. Itaque nihil hæc traditio pertinere potest ad præsentem controuersiam. Nam & Paschatis celebritas ritus est: & calculatio, multo etiam minus aliquid: quare neutrum necesse est in Scripturis Canonicis reperiri: Etsi crediderit Ambrosius non haberi ex traditione caput prius, sed tantum posterius.

XLII. Puteanus addebat, è Commentariis in prioris ad Corinthios cap. 12. per Doctores, eos intelligi ab Ambrosio, qui in Ecclesia iuuentutem docerent, literas & traditiones, sed hoc mendacium est Puteani. Longe enim aliter Ambrosius, *Illos dicit doctores, qui in Ecclesia literis & lectionibus retinendis pueros imbuebant, more Synagogæ, quia traditio illorum ad nos transitum fecit.* Vbi quis non videt traditionem nominari; non quæ in Ecclesia esset non scripta; sed quæ apud Iudæos? Ergo, vt apertius loquar, quod Doctores sint iuuentutis quidam, id in Synagoga per traditionem erat non scriptam. Ea traditio, hoc est, is mos transiit ad Christianos: sed iam per Scripturas: quandoquidem eos Paulus semel bisve nominauit. At Puteanus volebat sibi credi, Doctores esse institutos docendarum traditionum gratia.

XLIII. Hieronymvs in Epistola ad Marcellam de erroribus Montani, *Nos,* (inquit) *vnam Quadragesimam ex Apostolica traditione, tempore nobis congruo ieiunamus.* Item in Dialogo aduersus Luciferianos, *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus Sanctus? Exigis vbi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, autoritatem legis scriptæ vsurpauerunt: velut in lauacro ter caput mergitare: deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem: die Dominico & per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, & ieiunium soluere: multaque alia scripta non sunt, quæ rationabilis sibi obseruatio vindicauit.* Hæc hæreticus: cui respondens Orthodoxus, *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos qui longe in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem Sancti Spiritus, manum impositurus excurrat. Sed quale est, vt leges Ecclesiæ ad hæresin transferas?* Baronius addit ex Epist. 28. quæ est ad Lucinium, *Ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus tradita sunt: nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti.*

XLIV. Enimuero (inquam) quandiu per eandem lineam ferram reciprocabimus? vt semper necesse sit distinguere ritus à dogmatibus? necessaria à mediis? perpetua à mobilibus? Atque istos admonere, vt aduertant statum huius controuersiæ? Nam certe pudendum est, viros, & suo iudicio magnos, & Papistarum applausu maximos, tam portentose negligentes esse, vt quid ii doceant, contra quos disputationem ineunt, nondum sciant. Nam profecto, si scirent, non ita agerent, si tamen vel micam habent bonæ mentis. Hieronymus nullis his locis tractat dogmata. Primo agit de Quadragesima: at hæc ad ritus pertinet: quod quoties diximus? Sed Hieronymus Apostolicam vocat traditionem. At hoc non quæritur; vtrum sint aliquæ Apostolorum traditiones: sed omnino vtrum aliquæ dogmatum. De Quadragesima autem, suo loco, Deo dante, & probabimus non esse Apostolicam: hoc est, ab ipsis Apostolis autoribus.

XLV. De secundo loco, quis non videt idem esse iudicium? Nam de iis ritibus qui repetuntur à Tertulliano (vt notauit etiam Marius Victorinus) nihil necesse est, quæ hoc ipso capite diximus, repetere Impositionem manuum, quam Papistæ transformarunt in Sacramentum confirmationis; aduerte ab Hieronymo proponi tanquam non necessariam, institutamque ὀνάξιας gratia. Nam primum imponi manus significat iis tantum, qui essent baptizati, non ab Episcopo, sed à Presbytero, aut Diacono. Secundo *id fieri ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem:* nempe, vt summo Sacerdoti, id est, Episcopo, à cuius dignitate pendet Ecclesiæ salus, *exsors quadam & ab omnibus* (sic enim legendum cum Erasmo, non hominibus cum Victorio) *eminens detur potestas.* Ergo ritus est, non dogma, non Sacramentum: potuit ergo traditione niti. Habeant illa sane vim legis scriptæ: dum non diuinæ; dum non æqualem autoritati dogmatum. Etsi hoc neque dicat, neque suo calculo confirmet orthodoxus.

XLVI. Tertius locus est etiam facilior: loquitur enim non tantum de ritibus: sed etiam de eiusmodi ritibus, qui particulares sunt, & pro variis locis varii: Atque adeo integer ita habet, *De Sabbatho quod quæris, vtrum ieiunandum sit, & de Eucharistia an accipienda quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ & Hispaniæ obseruare perhibentur, scripsit quidem & Hippolytus vir disertissimus, & carptim diuersi Scriptores è variis autoribus edidere: sed ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus tradita sunt: nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti.* Denique post pauca sermonem concludens: *vnaquæque prouincia* (inquit) *abundet in sensu suo.* Iudicet nunc æquus lector; quo iure hic locus obiiciatur à Baronio. Nam & occasio est de ieiunio Sabbathi, accipiendaque quotidie Eucharistia: quod vtrunque varie obseruatum & indicat Hieronymus, & manifestius docet Augustinus Epist 118. *Aliæ vero* (inquit) *per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii ieiunant sabbatho, alii vero non: Alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alii Sabbatho tantum & Dominico: alibi tantum Dominico.*

XLVII. Tum solutio quæstionis, non est prætermittenda, nihil enim aliud Hieronymus respondet, quam sequendum esse singulorum locorum morem: quomodo etiam Augustinus: *totum hoc genus liberas habet obseruationes: nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque forte deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur societate seruandum est.* At de fidei dogmatibus, quis est vnquam sic loquutus, vt si Occidente prædicatur τὸ ὁμοούσιον ad Orientem cum progressus sit, liceat ὁμοιούσιον profiteri? Obseruandum non tantum diuersos mores, sed etiam contrarios ab Hieronymo nominari: cum tamen in iisdem capitibus doctrinæ nulli Ecclesiæ permissum sit non tantum contrariam, sed ne diuersam quidem profiteri fidem. Est enim vbique Christianitatis illud solenne: *Vna fides,* at non vnus ritus.

CAP. XXI.

De Augustini locis ad confirmandas Traditiones.

I. VEnio ad Avgvstinvm, ex quo longe plures, quam ex alio quoquam locos colligunt; cum alii, tum præcipue Iesuitæ in Colloquio Ratisbonensi. Eorum locorum satis confusam molem, digeram in locos communes, perspicuitatis, breuitatisque gratia. Primo igitur enumerabuntur ii, qui generaliter agunt de Traditionibus: tum speciales sequentur de quibusdam.

II. Augustinus igitur libr. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 26. *Quod autem nos admonet* (Cyprianus videlicet) *vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* Idem serm. 191. de Tempore. *Ecclesiæ regula, sanctaque Patrum traditio, atque iudicia in perpetuum firma solidaque permaneant.*

III. Respondeo; primo non satis constare vtrum posterioris loci autor sit Augustinus. Nam congeriem sermonum de Tempore, non esse eius Patris, & multa arguunt, etiam inepta, & consentiunt omnes docti. Tamen non vtar nunc hac exceptione, Nam hi sermones, inter quos iste tertius est, etsi stylum habent ab Augustini sermonibus longe diuersum, nihilominus docti sunt & pii, Augustinoque non indigni: atque vtinam in tota illa farragine nulli essent, de quibus iustius conqueri possimus.

IV. Secundo, in vtroque loco dico agi de doctrina scripta in libris Canonicis. In priore igitur Apostolica traditio significat, Scripturam Apostolorum, per quam id primo traditum sit, de quo tunc agebatur. Quod probatur ex loco Cypriani. Nam quia dixit Augustinus, id optimum esse, quod faciendum Cyprianus monebat: si Cyprianus intellexit recurrendum ad Scripturam; tum necesse erit etiam Augustinum id sensisse. Cypriani locus est, Epist. 74. *Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta diuina seruantes, vt si in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam & Euangelicam, & Apostolicam traditionem reuertamur; & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit.*

V. In his verbis intelligi Scripturas probo duplici argumento. Primo, quia paulo ante sic distinxerat traditionem: Vnde est ista traditio? *vtrum ne de Dominica & Euangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda quæ scripta sunt, Deus testatur.* Nam hoc loco Cyprianum de Scripturis loqui; tum postrema verba ostendunt; tum non dubitant; Bellarminus de Verbo Dei lib. 4. cap. 8. & Pamelius annotat. 7. in eandem Epistolam: ac ne Baronius quidem ad annum quinquagesimum tertium §. 21. Patet igitur sic traditionem Dominicam, & Euangelicam, distinxisse ab Apostolorum mandatis & Epistolis; vt sensus sit, eam dici Dominicam, quæ in quatuor Euangeliis legitur, Apostolicam autem, quæ in reliquis Noui Testamenti partibus.

VI. Alterum argumentum est; quia statim Cyprianus subiicit, *Traditum est enim nobis, quod sit vnus Deus, & Christus vnus, & vna spes, & fides vna, & vna Ecclesia, & baptisma vnum.* Quæ verba sic Augustinus repetit, & approbat. *Traditum est ergo nobis, sicut ipse commemorat, ab Apostolis, quod sit vnus Deus, & vnus Christus, & vna spes, & vna fides, & vna Ecclesia, & baptisma vnum.* Atqui hæc capita constant ex disertis Scripturæ verbis. Itaque neque Cyprianus, neque post eum Augustinus, intellexit mysteria quædam non scripta, id est, quæ non magis in Scripturis legantur, quam poetarum fabulæ.

VII. In altero loco, Ecclesiæ regula significat articulos fidei scriptos in libris Canonicis. Nam statim expositio sequitur. Est autem Patrum nostrorum fides hæc, *Credimus in Deum Patrem Omnipotentem, cunctorum visibilium & inuisibilium conditorem. Credimus & in Dominum Iesum Christum, per quem creata sunt omnia, verum Deum, vnigenitum, verum Dei Filium:* Et cætera plurima, quæ aduersus hæreticos definiuntur toto illo sermone: in quibus nihil est, quod non constet è Scripturis. Itaque *Patrum traditio & Iudicia,* referuntur ad rationem eiusdem regulæ perpetuandæ: vt traditio significet, quotidianam prædicationem: iudicia autem, Conciliorum definitiones eandem regulam per singula capita sancientes, aduersus emergentes singulis diebus hæreticos.

VIII. Gratianus distinctione vndecima duos Canones inseruit Augustini nomine, vtrumque à Iesuitis citatum. Vnum ex libro contra Manichæos, alterum è libro ex dictis Basilii. Sed non satis constat posteriorem Canonem esse Augustini. Neque enim vllus est index librorum eius viri qui illius libri meminerit: nec Gratianus satis fuit emunctæ naris, vt supposititios fœtus discerneret à legitimis. Non est autem verisimile tantum virum tempus lusisse in colligendis sententiolis ex aliis autoribus, indeque librum composuisse. Præterea locus ipse cum sit desumptus è Basilii libro de Spiritu Sancto, de quo prolixe egimus capite decimo nono; nullam hic nouam operam desiderat.

IX. Alterum locum, sic Iesuitæ recitant, *Palam est, quod in re dubia ad fidem, valet autoritas Ecclesiæ Catholicæ, ab ipsis fundatis Apostolorum sedibus vsque in hodiernum diem, succedentibus sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmata.* Sed falsarii sunt. Nam Gratianus multo aliter habet. Non enim, *in re dubia ad fidem,* vt illi legunt: sed *in re dubia, ad fidem & certitudinem valeat autoritas Ecclesiæ:* vt non res in fide dubia dicatur, sed autoritas Ecclesiæ valere ad fidem & certitudinem rei dubiæ faciendam.

faciendam: quod quidem nemo sanus sit, qui neget. Et nos non Ecclesiæ tantum totius, sed etiam singulorum doctorum autoritatem admittimus. Porro comparandus est hic locus cum altero ex Epistola ad Casulanum in in cap. dist. vt probe intelligamus, quas Augustinus nominauerit res dubias, *In his rebus* (inquit) *de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Vnde patet facilis solutio. Primũ, quia nullus sermo est de Doctrinæ capitibus, sed de iis duntaxat rebus, de quibus nihil certi possit haberi è Scripturis: cuiusmodi sunt ritus, mores, consuetudines, multaque rerum per se ἀδιαφόρων vsurpatio. Secundo, quia non valet consequentia: Autoritas Ecclesiæ valet ad fidem & certitudinem: ergo non sunt omnia scripta: Quid enim nocet, quominus etiam scripta dogmata confirmentur cum aliunde, tum ab autoritate Ecclesiæ?

X. Ex Epist 118. ad Ianuarium Bellarminus recitat. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atq; statuta retineri: sicut quod Domini passio & resurrectio & ascensio in cœlũ, & aduentus de cœlo Spiritus Sancti anniuersaria solennitate celebratur.*

XI. Respondeo, ne hîc quidem Augustinum agere nisi de ritibus. Nam & hæc festa Epiphanius in compendiaria doctrina, diserte, numerauit inter θεσμὰς seorsim ab iis quæ sunt fidei: nos autem inter ritus facile agnoscimus alios particulares, alios vniuersales: imo vero si fieri posset, consultissimum putemus, vt nulli essent particulares, omnes vero potius vniuersales. Sed quia non sint vniuersales ritus omnes scripti, ideo ne omnia quidem dogmata, hoc vero negamus sequi. Nam etiam hæc ipsa dogmata, quibus celebrãdis illa festa sunt instituta, nulla sunt non scripta: Passionem dico, resurrectionem, ascensionem Christi, Spiritusque aduentum.

XII. Iam vero, quia non scripti sunt ij ritus, ideo negamus, non tantum esse de fide, sed etiam ad fidem necessarios: ab Apostolis etiam institutos nõ credimus omnes, festorum præcipue, quia Paulus damnet 4. ad Galatas, qui dies obseruarent & tempora. Imo nec a Conciliis quidem vniuersalibus: sed inualuisse potius, per imitationem quandam: vt cum Occidentales Orientalium tandem Psalmodiam affectarunt: aliquando per propagationem: Nam qui ad nouas Ecclesias instituendas mittebantur, non tantum doctrinam prædicabant, sed etiam ritus tradebant earum Ecclesiarum in quibus ipsi prius vixissent: denique tyrannis non parum potuit: vt cum Episcopus Romanus Galliis, Germanis, Angliæ cœlibatum obtrusit, & suam Psalmodiam, quantumuis renitentibus.

XIII. Sed contra Bellarminus, pugnat ab Augustino ritus intelligi necessarios: sed & Apostolicos. Necessarios quidem, quia subdit statim, *Alia vero quæ per loca terrarum regionumque variantur, liberas habent obseruationes*: distinguens inter illas necessarias, & obseruationes liberas. Apostolicos autem, negans euinci contrarium ex loco Pauli: quem Augustinus Epistola 119. dicat reprehendere eos qui secundum Astrologorum regulas obseruabant tempora: vel loqui de festis Iudæorum, contra Adimantum c. 16. vt & Hieronymus, ac Chrysostomus Ambrosio vtrumque coniungente.

XIV. Sed de necessitate, respondeo, Augustinus nullas omnino traditiones appellat necessarias: vel vt disertius loquar, non distinguit traditiones in liberas, & necessarias: tantum in vniuersales & particulares, illas, quæ toto terrarum orbe obseruantur: ac proinde, quæ non labores vtrum hinc proficiscens, alibi quærendum sit facias ne, an non facias: quia ex eadem regula, quam præscribit, vt vbicumque sis, ibi id facias quod Ecclesia, vbique ea obseruare debeas: quia nullibi non obseruentur. Has autem, quæ per singula loca (vt ita dicam) variantur ac proinde si Roma discedens Mediolanum peruenias tum tibi scias liberum esse Mediolani non ieiunare Sabbatho, non vero Romæ. At non sequitur, si per totum orbem obseruentur, ideo esse ad fidem necessarias, sed tantum ad politiam vtiles: & à singulis non temere violandas.

XV. Quod vero attinet ad alterum caput: primum non probat Bellarminus esse Apostolicas: sed tantum (vt illi plurimum concedamus) non esse contrarias ei quod Apostolus illo loco scripsit. Itaque solum, si forte, nostrã obiectionem infirmat. Deinde, ne infirmat quidem. Nam quid mirum, si qui eos dies obseruabant, ita locum inflectebant, ne sibi præscriberet? Atqui non est verisimile Apostolum adeo incaute locutum, vt generaliter obseruationem videretur damnare, si aliquam excipiebat: quomodo nunquam hodie a Papistis extorqueas, vt non addant cautionem. Iam de Astrologica obseruatione, quid iuuat excipere? Cum hodie eorum festorum saltem Paschalis, ac proinde Pentecostes, sed & Natalium inquisitio, fere dixerim, operæ pretium sit Astrologorum? Quid enim? annon eorũ vel maxime hodie propria sunt cycli lunares, cycli Paschales, cycli Epactarum, cycli Dominicales? Quid? quorum opera vsus est Episcopus Romanus in restituendo, siue reformando Calendario? Theologorum-ne, an potius Mathematicorũ? Et quibus fundamentis? Euangeliis-ne & Epistolis, an Ptolomæi Almagesto, & Tabulis Alphonsi? Res est manifesta. Certe totam rei laudem defert Antonio Lilio artium & Medicinæ Doctori, id est, doctiori Mathematico, quam altiori Theologo, Gregorius XIII. in literis præfixis Calendario Gregoriano perpetuo. Enimuero credat aliquis Paulum non putasse religionẽ Christianam suis numeris absolutam, nisi quo die fieret solstitium vernum Ecclesia exacte teneret: & actum esse de fide, si bruma accidat Idibus Decembribus, potius quam decimo Calendas Ianuarij? Aut magnum aliquid Gregorium illum decimumtertium, dignumque Apostolico culmine, præstitisse, cum anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, qui dies erat decimus tertius Octobris, eum iussit appellari vigesimam tertium. Exemplo Alexandri, potius quam Christi. Ista vero ἀνεμώλια sunt vere Papistica. Sed interim, si verum est a Paulo improbari Astrologicas dierum obseruationes: quid de his festis iudicemus, quorum tam exacta ratio est, vt nisi Ptolomæum ipsum vincas Astronomiæ peritia, periculum immineat, ne inter hæreticos nomineris? Miratusque adeo sit orbis Christianus se inscium recessisse à Decretis Synodi Nicænæ, quia scrupula aliquot Astrologica nõ haberet in numerato, quæ paulatim decem dies produxissent vltra Astrologochristianam fidem, vt iam possit accusari Synodi Tridentinæ improuidentia, quæ non statuerit singulis Christianis vna cum Symbolo tradi Sphæram, & Astrolabium.

XVI. Redeo ad Augustinum, locosque ex eo ab aduersariis decerptos. Illi faciles sunt, quorum iam aliquoties meminimus: Epist. 118. de particularibus regionum obseruationibus: & octogesima sexta, ad Casulanum, de rebus iis de quib. nihil certi statuit Scriptura: nec egent repetitione. Putearius citat ex libro de Natura & gratia, vbi cum hæreticus dixisset ca. 37. *Credamus quod legimus: & quod non legimus, nefas credamus astruere*: Augustinus 39. respondet: *Contra ego dico, nec omne quod legimus credere nos debere: & astruere aliquid etiam, quod non legimus, nefas non esse.*

XVII. Imo ô Sophista, cur non integrum locum describis? cohibebo me, ne dicam quod mereris: Sic Augustinus. *Contra ego dico, nec omne quod legimus credere nos debere, propter illud quod Apostolus ait, Omnia legito, quæ bona sunt tenete: & astruere aliquid etiam quod non legimus, nefas non esse. Possumus n. aliquid bona fide testibus astruere quod experti sumus, etiam si forte non legimus. Hic fortasse respondet: Ego, cum hoc dicerem, de Scripturis sanctis agebam. Ovtinã non dicat aliud, quam in illis* (sic legendum) *literis legit: verum si* (nam hanc particulam addo) *contra id quod legit, nihil vellet astruere, fideliter & obedienter audiret, quod scriptum est, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors.* Hinc vident iam, cum dixit Augustinus, aliquid astruere nos posse, quod non legimus, cogitasse non de rebus fidei: sed de iis quæ in facto (vt dicunt) consistunt, & testibus probari possunt. Nam hoc merebatur aduersariorum impudentia: qui quosdam conficiebant omnino nunquam peccasse, quia in Scripturis nullum eorum peccatum legerent, vt Abelis. At de ipso dogmate, vtrum omnes peccatores sint, optare, vt nihil dicatur extra Scripturas. Quid ergo illud ad hanc Controuersiam? Sed hoc plurimum: & quidem contra Papistas.

XVIII. Atque hi sunt vniuersales loci: sequuntur speciales: è quibus eos sibi Bellarminus selegit, qui tractant quæstionem de Iteratione Baptismi contra Donatistas. Augustinus ergo lib. 1. de Baptismo c. 7. *Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum: & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Similia docet lib. 4. c. 24. & lib. 5. c. 23. & de Vnitate Ecclesiæ c. 19. Iesuitæ Ratisbonenses addunt pro Baptismo infantium, de Genesi ad literam lib. 10. cap. 23. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis, nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi esset Apostolica traditio.* Quibus non dissimilia legas lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap 23.

XIX. Respondeo distinguendam esse Sacramentorum doctrinã κατ' ὅλον, ab ipsa eorũ πράξει per singulos quibus applicantur. Doctrinã ipsam in genere non tantum celebrandi baptismi, sed etiam baptizandorum infantiũ, & baptismi hæreticorum non iterandi, Augustinus & diserte agnoscit esse ex Scriptura, & prolixe probat variis testimoniis. Ipsius a. praxis singulas circũstantias non inueniri scriptas certum est. Et quid erat necesse? Non legimus omnes Apostolos baptizatos: non omnes mercatores: non omnes diuites: non omnes mulieres: & rursus in mulierib. non viduas, non coniugatas, nõ virgines. Quid ita? quia sufficiebat generale præceptum Importune igitur tu quisquis es, hoc vnum desideras, vt pueri dicantur baptizati. Similiter, quid doles, non legi non rebaptizatos hæreticos? Quasi rebaptizatos legas scortatores, homicidas, incestos blasphemos, reliquos. Et Augustinus hoc ipsum habebat in animo iis locis. Diserta sunt verba c. 6. lib. 4. de Baptismo. *Non inuenimus ab Apostolis aliquem, cum apud hæreticos baptizatus esset, i. eodem baptismo admissum esse, & communicasse.*

XX. At Bellarminus in iteratione baptismi negat, primum tantum de praxi siue exemplis Augustinũ agere: deinde credere eam praxim sufficienter probari ex Scripturis. Vtrunque non satis considerate. Nam, quod ad prius attinet, præter locũ iam citatum, sic legas lib. 1. contra Cresconium c. 33. *Quamuis huius rei certum de Scripturis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur autoritas, cum hoc facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesia.* Sed & in ipsis à Bellarmino prolatis locis consuetudo nominatur. Nunquam autem ipsa doctrina solet appellari consuetudo: sed duntaxat eius vsus, quod vel ex his eiusdem Patris verbis intelligere licet. *Nec Petri Apostoli meritis quisquam tam insanus est, vt se præponat, quia Pauli Apostoli eductus literis, & ipsius iam Ecclesiæ consuetudine roboratus, non cogit gentes iudaizare.* Verba sunt cap tis 6. è li. 4. de Baptismo contra Donatistas. Nam cum distinguatur consuetudo à literis Pauli, satis constat ea voce intelligi continuatã praxin eius doctrinæ, quã docent Pauli literæ. Addo de vnitate Ecclesiæ c. 19. *Nunc vero cum in Scripturis non inueniamus aliquos ad Ecclesiam transisse ab hæreticis, & sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos.*

XXI. Hîc Bellarminus instat, respondens duntaxat ad locum ex 1. libro contra Cresconium: idque dupliciter. Primo etsi Augustinus in illo vno loco de exemplis agit, tamen in aliis locis citatis minime, sed de præceptis, siue de documentis Scripturæ, præsertim lib. 5 contra Donatistas c. 23. Deinde, in eo etiam loco quæstionem præcipuam non esse de exemplo siue de facto, sed de iure.

XXII. At in primo supponit falsum: non enim vno illo loco de exemplis Augustinus agit, sed etiam aliis pluribus, secundum quos æquum est illum vnum ex lib. 5. interpretari. Nempe cum dixit, *Apostoli nihil quidem exinde præceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est*: sensus idem est, vt eum c. 19. de Vnitate Ecclesiæ, hæreticus dicit, *Lege mihi quemadmodum Christus suscipi iusserit eos qui ab hæreticis transire ad Ecclesiam volunt.* Nam hîc, vt ex Augustini responsione constat, magis quærebantur exempla, quam vniuersale præceptum.

XXIII. In altero, quid intelligit per eum locum? totamne disputationem contra Cresconium? Nam si sic, fateor quæstionem præcipuam esse de iure, non vero de facto, siue Exemplo. At nos non totam disputationem recitauimus: sed eius particulam, hunc scilicet locum indiuiduum: Et in eo dico non præcipuam, sed totam quæstionem esse de facto siue exemplo. Quid tum enim, si tractat quæstionem de Anabaptismo, quæ erat inter Catholicos & Donatistas? & Donatistæ non certarent de exemplis, sed de iure? Quasi non possit, imo vero quasi non soleat ad generalem quæstionem de iure, adferri pro argumento instantia de facto.

XXIV. Bellarminus Augustinum ait respondere, exempla in Scripturis nulla esse, nec pro vna parte, nec pro alia: & inde concludit, cum non sint vlla in Scripturis non solum præcepta, sed nec exempla, standum esse consuetudini Ecclesiæ. Non male, si per præcepta intelligantur loci diserti, in

quibus totidemverbis præceptum sit non rebaptizandos hæreticos. Nam id certe negare potuit Augustinus. Sed aliud est disertum præceptum, aliud doctrina. Disertum præceptum nos etiam cum Augustino fatemur nullum esse: sed doctrinam ipsam in genere baptismi non iterandi, esse è Scriptura, & nos asserimus, & Augustinus constanter credidit & docuit. Hoc autem sufficit ad Scripturæ perfectionem hac quidem parte.

XXV. Sic disputabat Bellarminus. Andradius vero: Sitita, (inquit) annon vides quantum traditionum dignitatem augeas & amplifices? Nam si totã de facto quæstionem, diuinis Scripturis minime explicatam, in Ecclesiæ iudicio Augustinus collocat, si summam in ea traditioni fidem habendam esse cõtendit, quomodo plurimum traditionibus, quæ nullis possunt literarum monumentis confirmari, Augustinum tribuisse negas?

XXVI. Respondeo, primo non quæri quantum sit traditionibus deferẽdum: nos enim concedere plurimum Ecclesiæ consuetudini in iis rebus, de quibus in alterutram partem nihil Scriptura definiuisse comperitur. Sed agi, vtrum sint in dogmatibus Christianis aliquæ traditiones non scriptæ, hoc est, aliqua capita de quibus in alterutram partem Scriptura nihil definierit. Non sequi autem, si cum de facto agitur, deferendum sit traditionibus non scriptis, dogmata non esse omnia scripta.

XXVII. Secundo, nego dixisse Augustinum, totam de facto quæstionem illam quam habebat præ manib. in Scripturis minime fuisse explicatam: sed tantũ de facto nihil legi in Scripturis. Hoc est, non legi specialiter hoc mandatum, vt hæretici suscipiantur absque iteratione baptismi: nullum etiam exemplum legi: sed explicari tamen ipsam quæstionem à Scripturis ipse agnouit, cum tot argumenta collegit, quibus sententiam Catholicam confirmaret.

XXVIII. Tertio: non satis percipio quid Andradius intelligat, his verbis: *totam de facto quæstionem in Ecclesia iudicio Augustinus collocat*, facti enim proprie testimonium est: iudicium vero iuris.

XXIX. Quarto: nunquam Augustinus dixit, *summam traditioni fidem esse habendam*. Nam hæc verba *recte ab Apostolis credita traditur*, non summam fidem significant, hoc est, illam quæ debetur articulis fidei Christianæ qui habentur è Scriptura: sed assensionem communem ex argumento magis probabili quam necessario.

XXX. Iam vero, qui negat Bellarminus Augustinum credere sufficienter probari è Scripturis non esse iterandum baptismum hæreticorum: probemus ita esse. Ergo libri primi de Baptismo contra Donatistas c. 7. *Iam ne videar humanis argumentis id agere, quoniam quæstionis huius obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna charitate præditos, patres Episcopos ita inter se compulit, salua pace, disceptare atq; fluctuare, vt diu Conciliorum in suis quibusq; regionibus diuersa statuta manuerint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur: ex Euangelio profero certa documenta, quibus, Domino adiuuante, demonstro, quam recte placuerit, & vere secundum Deum, vt hoc in quo quam schismatico vel hæretico Ecclesiastica medicina curaret, in quo vulnere separabatur: illud autem quod sanum maneret, agnitum potius approbaretur quam improbatum vulneraretur.* Nota Augustinum nolle videri agere humanis argumentis. Atqui ad eum vsque locum disputauerat ab autoritate Ecclesiæ Catholicæ. Ergo, ne posthac dubitemus quæstiones quæ nullis aliis rationibus concluduntur, sed sola autoritate Ecclesiæ Catholicæ, eas concludi argumentis humanis. Nota rursus Augustinum profiteri se in quæstione de baptismo non iterando proferre certa Scripturæ documenta. At hoc quî potuit, si credidit, nulla esse?

XXXI. Rursus lib. 2. cap. 14. *Quid sit perniciosius, vtrum omnino non baptizari, an rebaptizari, iudicare difficile est. Video quidem quid amplius homines testentur atq; horreant: veruntamen recurrens ad illam stateram Dominicam, vbi non ex humano sensu, sed autoritate diuina rerum momenta pensantur, inuenio de vtraque re Domini sententiam.* Lib. 4. c. 7. *Huc accedit, quia bene perspectis ex vtroque latere disputationis rationibus, & Scripturarum testimoniis, potest etiam dici, quod veritas declarauit, hoc sequimur.* Adde lib. 5. c. 4. & sexti 1. Libro autem 5. c. 23. disertum est *Scripturarum Sanctarum testimoniis non solum ostenditur, sed plane ostenditur multos Pseudochristianos, quamuis non habeant eandẽ charitatem cum sanctis, sine qua nihil prosunt quacunque sancta habere potuerint, baptismum tamen communem habere cum sanctis.* Denique eiusdem libr. c. 26. laudat Cyprianum, qui in eadem quæstione admonuerit ad fontem recurrendum, id est Apostolicam traditionem, significans Scripturas. Ex his omnibus locis manifestum est Augustino persuasissimum fuisse, eam quæstionem ex Scripturis disputandam, definiendam, demonstrandam esse.

XXXII. Ad hos locos Bellarminus habere se putauit quod exciperet. Ad primum, Augustinum dixisse non potuisse finiri quæstionem illam ante Concilium Ecclesiæ plenarium: sed postquam Concilium explicauit dubitationem, & quæstionem totam, iam adferri posse certa documenta Scripturæ. Scripturas enim explicatas à Concilio, firmiter & certo probare id, quod antea non firmiter probabant. Id patere ex sequentibus, vbi citatur locus ex 9. Lucæ. *Nolite prohibere: qui enim non est contra nos, pro nobis est.* Quo ostenditur extra Ecclesiam posse esse aliqua dona Dei, an autem inter illa Baptismus numerandus esset, non potest ex eo solo colligi.

XXXIII. Sed Bellarminus suo more sciens volens multipliciter peccat. Primũ mendax est: quia non dixit Augustinus, non potuisse finiri quæstionem ante Concilium: sed tantum ante id cõcilium magnos viros dissensisse. Et si a quodam sensu verum sit non potuisse finiri, scilicet, ex postfacto, vt loquuntur, tamen non debuit Bellarminus ambigua sua verba pro perspicuis Augustini substituere. Videtur enim significari, non sufficientes fuisse Scripturas ad eam finiendam quæstionem, donec accederet definitio Concilij, quod Augustino in mentem nunquã venit. Et sane, quamuis dissenserint ad id vsque tempus magni illi viri, tamen non sequitur eam quæstionẽ non potuisse definiri è Scripturis.

XXXIV. Secundo, absurde dixit post Concilium Scripturas firmiter id probare, quod ante non firmiter probabant. Nam si est ita, tum alterutrum necesse est: Scripturis à concilio, vel collatum sensum, quem antea non habebant, vel additam autoritatem, qua prius destituebantur. At vtrumq; impium est. Nam nec locorum, quos Augustinus profert, alius vnquam sensus fuit, nec Scripturarum fuit vnquam non Canonica, hoc est, summa autoritas. Quod si idem manet sensus, eademque autoritas, tum necesse est iisdem locis, eandem quæstionem semper definiri potuisse.

XXXV. Tertio, dissimulat se scire duas esse disputandi partes, vnam infirmando, alteram confirmando. Prolato autem Euangelij loco illo, voluisse Augustinum infirmare hoc fundamentum quo maxime pugnabant Donatistæ: Eaquæ Christi sunt, non haberi extra Ecclesiã. Infringi vero generale axioma, etiam particulari instantia, vel pueri norunt.

XXXVI. Denique, quid tum, si non potuit ex eo solo loco colligi Baptismum esse etiam inter hæreticos? An propterea falsum erit id ex Scripturis demonstrari? Minime vero. Nam siue ex vno, siue ex pluribus inter se collatis id eliciatur, semper demonstratio est è Scripturis. Et sane Augustinus non vtitur eo solo loco, sed alios plurimos tota disputatione congerit: & libr. 5. c. 23. testatur plane ostendi multos habere Baptismum, qui non habeant caritatem.

XXXVII. Secundum locum, ex lib. 2. cap. 14. negat esse ad propositum. Quamobrem vero? Scilicet, quia ibi Augustinus probat ex Scripturis, non licere rebaptizare, quando quis verũ baptismum semel in Ecclesia Catholica suscepit: at non probat baptismum hæreticorum esse verum baptismum. Docere enim volebat, posse admitti ad Ecclesiam per pœnitentiam eos, qui agnoscebant se male fecisse rebaptizando Catholicos. Et confirmat, quia nullum aliud Scripturæ testimonium tum proferat, nisi illud Ioannis 13. *Qui lotus est, non indiget vt iterum lauetur.* Ex quo nemo colligeret, baptismum hæreticorum esse ratum: sed tantum, non esse post verum baptismum, aliũ addendum, quod etiam Augustinus colligit, nec Donatistæ negassent.

XXXVIII. Imo Augustinum infelicissime Bellarminus legit: adeo quid, aut quomodo disputet, ignorat. Nam certe Augustinus, non agit de iterum baptizandis iis, qui in Ecclesia essent baptizati: sed generaliter vtrum potius sit, non baptizari, an secundo baptizari. Nec rursus agit de iis recipiendis qui Catholicos secundo baptizassent: sed de iis potius qui secundo erant baptizati. Interrogabant enim Donatistæ: *Quid ergo faciemus de his quos rebaptizauimus?* Et rebaptizauimus? Non vero, quid de nobis fiet, qui iam rebaptizauimus? Et respondebat Augustinus, *Redite cum eis ad Ecclesiam: medicamento pacis offerte curandos quos vulnerastis: vitæ charitatis offerte suscitandos quos occidistis.* De loco Ioannis, respondeo, primum non quæri, quo argumento Augustinus vtatur eo loco: sed vtrum crediderit è Scripturis rebaptizationem impugnari: hoc disertè probant verba à nobis recitata: illud nihil ad nos. Secundo, etsi ex eo solo loco non concludatur tota Controuersia, non sequitur tamen non concludi è Scriptura. Nam contrarium testatur Augustinus, cum aliis locis, tum 23. c. lib. 5. de quo statim.

XXXIX. Ad tertium, quartum & quintum, vna eademque opera respõdet, Augustinum ibi adferre coniecturas ex Scripturis, quæ post definitionẽ concilij, & exploratam traditionem non scriptam, aliquid valeant ad veritatem confirmandam, per se autem non sufficiant. Id patere ex verbis Augustini, vbi semper ponit Scripturas, post consuetudinem, & concilium: vtiturque illis verbis: *Accedit huc: coniicere possumus: additis etiam Scripturis.*

XL. Imo circumstantia illa temporis ante vel post concilium, est, vt dixi, ridicula. Nudas autem Coniecturas appellari, quæ aliis locis Augustinus nominat certa documenta, ingenium est nimis Iesuiticum. Certe hoc ipso loco tertio Augustinus dicit id teneri quod veritas declarauit: sed & in primo loco demonstrandi vocabulo vsus erat: quo quis dubitet aliquid amplius significari, quam coniecturas? Iesuiticum etiam illud, locos illos aliquid valere ad veritatem confirmandam: quo non ipsæ sane Scripturæ leguntur, sed ostenditur quam ægre eis aliquid Papistæ deferant. Hæc vero, *accedit huc, & additis Scripturis*, exspecto sane quonam sit artificio tractaturus, vt efficiat significare, non magnum esse in hac quæstione Scripturarum momentum. Nam sane eorum is vsus est, vt indicent alia aliis argumenta superaddi: Et quidẽ sæpe fortiora leuioribus. Illud *coniici potest*, non in quæstione de iterando Baptismo, sed in altera dixit, de pueris baptizandis: & quidem non de Scriptura in vniuersum, sed tantum de Analogia circumcisionis. Itaque nec ad rem facit: nec quicquam pro Bellarmino concludit.

XLI. In sexto, ex 23. c lib. 5. illa verba, *Scripturarum Sanctarum testimoniis plane ostenditur*, non referri dicit ad superiora, esse contra Dei mandatum, quod venientes ab hæreticis baptizentur, si iam baptismum Christi acceperunt: sed ad sequentia. In quibus Augustinus dicit certum esse ex Scripturis, multos baptizatos in Ecclesia perdere charitatem, & tamen non perdere baptismum: non autem baptismum ab hæreticis datum esse ratum. Sed ne in superioribus quidem Augustinum dicere, baptismum hæreticorum esse ratum, sed eum qui verum baptismum Christi acceperit, non debere rebaptizari, quod etiam Donatistæ concedebant: sed postea supererat quæstio, an baptismus hæreticorum esset verus Christi baptismus necne. Sic Bellarminus. Andradius vero lib. 2. defensionis Tridentinæ, *Non quidem* (inquit) *de baptismo ab hæreticis, sed à flagitiosis hominib. collato, Augustinus disserit.*

XLII. Respondeo, primum non esse Iesuitas concordes: Pseudochristianos enim à Bellarmino intelligi eos qui baptizati sunt: ab Andradio autem qui baptizarunt. Vterque male, etsi hic propius accessit ad mentẽ Augustini: Non enim intelligi baptizatos, patet ex statu controuersiæ. Nam Donatistæ non contendebant eos rebaptizandos, qui cum baptizantur sunt flagitiosi: sed eos qui à flagitiosis baptismum accipiunt. Sed & Andradius non bene excludit hæreticos: cum eos in pseudochristianis vel præcipue Augustinus comprehendi velit: Nam propterea nominauit eos in præcedentibus.

XLIII. Secundo, fateor ea verba non referri ad præcedentia: sed tamen vicissim Bellarminus debet concedere, hæc sequentia proferri ad præcedentium confirmationem. Sic enim se habet contextus. *Contra mandatum Dei esse, quod venientes ab hæreticis, si iam illic baptismum Christi acceperunt, baptizantur: quia Scripturarum Sanctarum testimoniis non solum ostenditur, sed plane ostenditur multos Pseudochristianos, quamuis non habeant eandem charitatẽ cum sanctis, sine qua nihil prosunt, quæcunque sancta habere potuerint, baptismum tamen habere communem cum sanctis: quod iam satis atq; vberrime demonstratum est.* Disputatio in membra sic resoluitur: Baptismus Christi non est iterandus: at baptismus datus ab hæreticis est baptismus Christi: ergo baptismus datus ab hæreticis non est iterandus. Maiorem, teste Bellarmino, concedebant Donatistæ: erat ergo vice principij ab vtrisque concessi: restabat minor probanda: hoc Augustinus inde vult confici, quia ex Scripturis plane ostenditur, etiam Pseudochristianos habere baptismum communem cum sanctis

ſanctis. Concluſio igitur neceſſaria eſt. Et quia medium confirmatum eſt è Scripturis, nemo negare poteſt quin vere dici queat quæſtionem illam (quam omnes ſciunt in concluſione contineri) probatam è Scripturis.

XLIV. Hinc alia deprehenduntur Bellarmini mendacia. Primum, in illis ſequentibus Auguſtinum dicere multos baptizatos in Eccleſia perdere charitatem, non tamen Baptiſmum. Nugas egiſſet, aeremque verberaſſet, ſi id dixiſſet, nullus enim Donatiſta contradicebat. Deinde quomodo ex his probabantur præcedentia, quæ de hæreticis loquuntur, & iis qui illic bapti-ſmum Chriſti acceperunt: Nam illic ſignificare in hæreſi, vident quicunque oculis non carent. Secundum mendacium eadem opera patet, Auguſtinum non dicere baptiſmum datum ab hæreticis eſſe ratum. Tertium, Auguſtinũ ſic dicere, Baptiſmum Chriſti non eſſe repetendum, vt tamen ſuperſit quæſtio, vtrum baptiſmus hæreticorum ſit verus baptiſmus. Nam hanc quæſtionem non diſputat Auguſtinus, ſed ſupponit tanquam perſpicuam, cum dixit: *ſi illic* (in hæreſi) *baptiſmum Chriſti acceperunt*. Quæ cautio ideo eſt addita, quia ſciebat quoſdam eſſe qui non baptizarent baptiſmo Chriſti: videlicet eos qui non in Nomine Trinitatis: volebat autem huiuſmodi homines excipi. Adeo rurſus infeliciter Auguſtinum legit Bellarminus.

XLV. Ad ſeptimum locum ex c.26. eiuſdem libri, dicit Auguſtinum non probare ex Scripturis ſententiam ſuam: ſed referre qua ſcriptura conabantur aduerſarij probare contrariam ſuam. Nugæ. Nam primo, quid ille poſt ea verba agat necne nihil intereſt, dum conſtet his verbis Auguſtino placuiſſe prouocationem illam Cypriani ad Scripturas, vt ex iis de tota cauſa iudicaretur. Sunt autem in hunc ſenſum verba perſpicua: quæ alibi à nobis recitata, hîc nihilominus repetere non piget. *Quod autem nos admonet, vt ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum.* Audin', Bellarmine? recurramus? dirigamus optimum eſt, faciendum eſt. Audin', inquam iſta? Aut, poteſne dicere iis verbis ſignificari tantum, quomodo ſuam cauſã tutari conatus ſit Cyprianus? & non præterea, quid Catholicis faciendum eſſet? Cenſuit igitur Auguſtinus, æquam à Cypriano conditionem ferri, vt diſputatio tractaretur Scripturarum autoritate, non ſola conſuetudine. Longe aliter quam noſtri ſolent Papiſtæ: qui nos & ſubinde à Scripturis abducere conantur: & prouocantes à traditionibus, tanquam hæreticos infamant.

XLVI. Secundo, Auguſtinum duntaxat referre locos Scripturarum ab aduerſariis citatos, falſum eſt: nam prætered, eoſdem explicat, & oſtendit ſibi non nocere: idque comportatis & comparatis aliis. Sic ex priore ad Corinthios docet habere vnum baptiſma, etiam eos qui non habent vnam Eccleſiam, ſpemque vnam. Et tamen ſi id ipſum concederemus, quid officeret? Nempe id tantum Bellarminus obtineret, non diſputare eo loco Auguſtinum ex Scripturis: ſed nihilominus firmum maneret axioma, optimum eſſe Cypriani conſilium: & nos oſtenderemus alibi ſaltem Auguſtinum eandem cauſam diſputare ex Scriptura.

XLVII. His igitur locis euincimus crediſſe Auguſtinum, etſi de facto non conſtet ab Apoſtolis ſuſceptos hæreticos abſque iteratione baptiſmi: tamen ex Scripturis certiſſime demonſtrari non eſſe rebaptizandos, cum recipiuntur in Eccleſiam: ac proinde non fauere eos locos, quibus iteratio baptiſmi oppugnatur ex conſuetudine, Traditionibus non ſcriptis, quas Papiſtæ tuentur. Supereſt adhuc ſophiſma vnũ Bellarmini. *Dico* (inquit) *nos nõ adferre illa loca Auguſtini præcipue propter id, quod ipſe ait, conſuetudinem non rebaptizandi, eſſe ex Apoſtolica traditione, ſed propter id quod ipſe ſubiungit, pluri ma ſeruari ex traditione Apoſtolica, quæ ſcripta non ſunt. Hoc enim principium tam certum erat apud Auguſtinum, vt inde probare vellet, etiam conſuetudinem non rebaptizandi eſſe ab Apoſtolis traditam.*

XLVIII. Ergo (inquam) propter id etiam: quamuis non præcipue. At nos id oſtendimus nobis nihil nocere, id eſt, Traditionariis nihil prodeſſe. Et tamen ea potiſſima vis eſt eorum locorum. Itaque reliqua non eſt quod formidemus. Et Papiſtæ ita ſe comparatos oſtendunt, vt τὰ πάρεργα τοῖς ἔργοις præferant. Deinde ſi nihil aliud volunt, niſi hoc vnum probare, multa ſeruari quæ ſcripta non ſunt, fruſtra ſudant: & poterant à nobis gratis habere, neque enim adeo ſumus hoſpites in Eccleſia, vt nullas in ea conſuetudines eſſe dicamus: Sed meminerit, eas conſuetudines, quæ vel afferuntur ad probanda ſcripta dogmata: vel omnina non ſunt dogmata, perfectionem Scripturarum non imminuere.

XLIX. Superſunt ex Auguſtino quatuor loci relati à Ieſuitis in diſputatione Ratisbonenſi. Primus ex lib. 28. contra Fauſtum c.2. de Euangelio, quod eſſe Matthæi credi vult Auguſtinus ex Eccleſiæ ſucceſſione. Secundus ex c.69. de Eccleſiaſticis dogmatibus, de perpetua Mariæ Virginitate. Tertius ex epiſt. 108. ad Seleucianam, de baptiſmo Apoſtolorum atque gentiũ: Quartus è 118. ad Ianuarium, de Euchariſtia ſumenda ante cibum, & duplici oblatione quintæ feriæ vltimæ hebdomadis Paſchæ.

L. Hæc vero leuiſſima ſunt. Euangelium creditur eſſe Matthæi ex traditione Eccleſiæ: eſto ſane: at non ſequitur, Euangelium Matthæi eſſe traditionem non ſcriptam: ſed tantum traditionem non ſcriptam confirmare traditiones ſcriptas, quemadmodum ex traditione Eccleſiæ quotidie fideles diſcunt Chriſtum eſſe incarnatum, & mortuum, & rediuiuum, & alia plurima. Perpetuam Mariæ virginitatem pie credimus, ſed non eſt articulus fidei, vt prolixius docuimus c.9. De baptiſmo Apoſtolorum, & gentium, ridicula eſt Ieſuitarum obiectio. Auguſtinus enim diſputat non propterea non credendũ eſſe Petrum baptizatum, quia id in Euangelio non legimus: neque enim omnia ſcripta eſſe quæ facta ſunt: Quod quis ſanus neget? aut quis adeo ſtupidus eſt, vt non diſtinguat ea quæ facta ſunt à dogmatibus? Et tamen hoc ipſum eſſe factum, nuſquam Auguſtinus probat è Traditione ſed è Scriptura, ſcilicet per conſequentiam. *Facta* (inquit) *eſſe, ex cæteris documentis probantur.* Porro hæc quæſtio eſt non dogmatis, ſed facti: æque ac de vniuſcuiuſque noſtrûm baptiſmo, quem nemo in Scripturis quærat. Euchariſtiæ ſumendæ tempus omnino ad ritus pertinet. Non eſſe enim neceſſe ante cibũ communionem ſumere, patet tum ex inſtitutione: nam Chriſtus cœnatus conſecrauit, cœnatiſque diſtribuit: tum ex ipſa eadem Epiſtola Auguſtini, qui non improbat eos qui quinta feria vltimæ hebdomadis Paſchæ mane celebrant, & iterũm poſt cœnam. Sed rationabilis tamen Eccleſiæ conſuetudo obtinuit, vt nonniſi à ieiunis communicetur huic Sacramento: ſaluã tamen Scripturæ perfectione.

CAP. XXII.

De Vincentio Lyrinenſi, & Caſsiano.

I. SVperſunt ex Veteribus tantum duo. VINCENTIVM Lyrinenſem Puteanus citat ex c 1. *Siue ego, ſiue quis alius vellet exſurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino adiuuante deberet: primo ſcilicet diuinæ legis autoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.* Sed Vincentius traditionis nomine intellexit, non doctrinæ vlla capita diuerſã ab iis capitibus quæ ſunt ſcripta, ſed eorundem continuam in Eccleſia prædicationem, ex qua nemini dubium eſt, non parum confirmari cuiuſque fidem. Exempli gratia, contra Arianos ita ſe quilibet munire debebat, vt primum à Scripturis diſceret, quid ſit credendum de myſterio ſacroſanctæ Trinitatis: deinde etiam inquireret, quid eſſet ab Eccleſia continuo prædicatũ. Cuius hæc ratio eſt, quia in Eccleſia id prædicatur, quod ſcriptum eſt. Alias fruſtra Vincentius dixiſſet duplici modo muniendam eſſe fidem. Nam ſi eã prædicantur, quæ non ſunt ſcripta, tum nõ poterit niſi vno modo fides muniri, nempe traditione. Et quod maius eſt, fruſtra perfectionem Scripturæ vindicaſſet, his verbis, quæ libro præcedenti recitauimus. *Perfectus eſt Scripturarum Canon, ſibiq; ad omnia ſatis ſuperq; ſufficit.*

II. Baronius ex eiuſdem c.32. hæc profert, *Denique quid vnquam Eccleſia aliud Conciliorum decretis enixa eſt, niſi vt quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur? quod antea ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſolicitius excoleretur? Hoc, inquam, ſemper, nec quicquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi vt, quod prius à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc inde poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret: magnam rerum ſummam paucis literis cõprehendo: & plerunque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum nouo appellationis proprietate ſignando.*

III. Hæc ille. Sed velim Baronium non recitaſſe locum nudum: indicaſſe potius, quam in eo vim argumenti deprehenderit. Nam ego quidem præter has duas voces, *ſola traditione*, nihil obſeruare poſſum. Reliqua enim cur nõ pertineant ad ſcripta dogmata? Ergo Vincentius dixit nihil aliud vnquam egiſſe Concilia, niſi, vt quæ ſola traditione acceperant, ſcriptis conſignarent. At id falſum teſtabitur experientia. Et ne longe abeam, in Nicæno Concilio, & primo, & celeberrimo, & auguſtiſſimo, conſcriptum Symbolum fuit. Prodeat Vincentius, prodeat pro Vincentio Baronius, & dicat, ſi auſit, nihil in eo ſymbolo contineri, præter ea quæ Patres illi accepiſſent ex ſola Traditione, abſque vllis Scripturis Sanctis. Dicat vnum Deum non doceri in Canone: Omnipotentiæ in eo nulla eſſe veſtigia, creationis nulla: nulla æternæ Chriſti natiuitatis: nulla incarnationis: nulla mortis, nulla reſurrectionis: nulla reliquorum. Quod ſi hæc falſa ſunt omnia, aut mentitum neceſſe eſt eſſe Vincentium: aut aliqua molli interpretatione excuſandum. Excuſent illi, ſi poſſunt: ſed nobis ne ſe ſperent ita fucum facere poſſe vt contra luculentam omnium ſaniorum ſeculorum experientiam, non ob aliud credamus coacta Concilia, niſi vt ἄγραφα vndique conquiſita poſteris commendarent.

IV. IOANNES CASSIANVS agmen claudet nominatus à Ioanne Roffenſi, ex Collat. 16. c.12. *Oportet nos autoritati patrum, conſuetudiniq; maiorum, vſque ad noſtrum tempus per tantam annorum ſeriem protelatæ, etiam nõ percepta ratione credere, eamque vt antiquitus tradita eſt, iugi obſeruantia, ac reuerentia cuſtodire.*

V. Reſpondeo, quæſiſſe Ioannem à Theona Abbate, cur in eius Monaſterio tanta obſeruantia caueretur, ne quis penitus totis quinquageſimæ diebus vel genua in oratione curuaret, vel vſque ad horam nonam ieiunare præſumeret, ad hanc vero interrogationem illud reſponſum fuiſſe de conſuetudine, & traditione. Ergo, inquam de ritibus interrogatus non male reſpondebat: quod vtique non æque bene ſi de dogmatibus. Ritus autem non fuiſſe vniuerſales, tum alias oſtendimus, tum ipſa interrogatio indicat: non enim interrogaſſet Caſſianus, ſi eis apud ſuos inſueuiſſet. Quanquam quid coniecturas quæro? Quaſi non eſſent diſerta verba. *Eoque id diligentius ſcrutabamur, quod nequaquam hoc tanta cautione ſeruari in Syriæ monaſteriis videbamus.* Et hinc illud etiam obſeruari debet, hos ipſos ritus, qui olim publici erant, & à totis Eccleſiis obſeruati: Caſſiani tempore, hoc eſt, paulo poſt Auguſtinum relegatos fuiſſe ad Monaſteria: & quidem non omnia. In hæc vero adeo mutationi obnoxia, nemo miretur traditioni non ſcriptæ ſuum ius eſſe.

VI. Poſſumus vero iam tandem bonis auibus, imo vero propitio Deo totam Controuerſiam concludere: vt quoniam nullo exemplo, vllius ſeculi, nullo teſtimonio Patrum conſtet aliquid eſſe in Eccleſia Chriſtiana admittendum, tanquam de fide, quod non aliunde conſtet quam ex traditione non ſcripta: contra vero & frequentibus diuini verbi oraculis, & infinitis Veterum Patrum teſtimoniis probatum eſt Scripturam continere omnia neceſſaria ad eam fidem, per quam ſperamus nos ſalutem æternam adeptuiros. Quoniam (inquam) hæc hoc libro, & præcedenti abunde demonſtrata ſunt, certo iam tandem ſciamus abominandam eorum eſſe blaſphemiam, qui Sanctum Scripturarum Canonem arguunt imperfectionis. Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER

LIBER DECIMVS.

DE CANONE.

QVI

DE LEGENDIS SCRIPTVRIS.

Caput Primum.

DE LEGENDIS SCRIPTVRIS STATVS CONTROVERSIÆ.

HActenus prima pars laboris est exacta in Canone per seipsum considerato. Sequitur, vt, quis sit eius inter Christianos vsus, inquiramus. Hunc ponimus consistere primo in legendis, deinde intelligendis Scripturis. De lectione agendum prius. Vbi quæritur, an sit librorum sacrorum lectio omnibus permittenda.

II. Huic disputationi, hactenus, quod viderim, idem locus assignatus fuit, qui alteri de vertendis. Sed nobis vtilior visa separatio: quandoquidem sua isthæc habeat propria rationum momenta: tum autem altera isti innitatur. Disputarunt Papistæ: Bellarminus de Verbo Dei lib. 2. capitib. postremis duobus. Hosius Cardinalis Dialogo de Communione sub vtraque specie, Coniugio Sacerdotum: & Sacro in vulgari celebrando. Petrus Lizetus Dialogo de Sactis libris in vulgare eloquium minime vertendis. Petrus Sutor de Tralatione Bibliæ, capite vltimo, Ioannes Arboreus, Theosophiæ lib. 8. c. 11. Stapletonus in Relectione Controuers. 5. q. 3. art. 4. Costerus Apologia 2. contra Gomarum. Ioannes à Bononia extremo libro de Æterna Dei prædestinatione. Salmero in 1. ad Corinth. disp. 30. Andradius Defensionis Tridentinæ libro 4.

III. Catholici vero, Guillelmus Withakerus Disp. de Sacra Scriptura, q. 2, p. 2. Sibrandus Lubbertus de Principiis lib. 3. c. 5. & seq. Ægidius Hunnius, Franciscus Iunius, Lambertus Danæus contra Bellarminum. Kimedontius lib. 6. de Verbo scripto. Ioannes Vrbanus contra postrema duo capita Bellarmini lib. 2. de Verbo Dei.

IV. Costerus quæri ait, sit-ne omnibus passim doctis pariter & indoctis hac ratione permittenda Scripturarum lectio, vt se iudices earũ constituant, hoc est, vt eas pro suo quisque iudicio interpretetur, atque ex eis, quæ suo sensui sapiunt, dogmata colligant. At nos potius, Apage, inquimus, tã sceleratam audaciam. Nam, hanc quis vel audiens non horreat? Certe Catholici facile respondebunt vno omnes ore, nulli neque docto, neque imperito, neque laico, neque clerico, id vllo vnquam modo concedendum: eos potius, quouis supplicio dignos, qui sibi quicquam huiusmodi vel tantillũ arrogarint. Quos si vllos Costerus nouit, nobis certe volentibus faciet, si cõstanter impugnet, si fortiter debellet: ne nostras quidẽ operas recusaturis, si non pro fastu Iesuitico dedigneturin partẽ tã vtilis laboris socios admittere. Sed nõ videtur in quenquã tam male lymphatum incurrisse: imo potius fœdissime peccare, & quidem de industria in constituendo statu: vlus Sophistarum artificio, qui solent suam malam causam declinantes, ad vicinam aliquam diuertere gratiorem, in qua cum omnium plausu triumphent, referentes, vt est in Prouerbio, Salmacida spolia, sine sudore & sanguine.

V. At nos duplicem quæstionem distinguimus, vnã de lectione Scripturæ, alteram de eiusdem interpretatione: quarum illam nunc suscipimus explicandam: hanc vero suum in locum differri iubemus: quo cum deuentum fuerit, si quicquam cuiquam, siue docto, siue imperito concedimus, quod non multis parasangis recedat ab hac insana licentia, poterat suo iure Costerus impugnare.

VI Stapletonus enumerat opiniones quinque: quarum quatuor reiectis, in quinta acquieuit: Eas operæ pretium sit considerare, non enim de nihilo est tam curiosa diligentia. Prima est eorum, qui existimarunt Sanctarũ Scripturarum in vulgari lingua lectionem populo fideli, esse prorsus & semper concedendam: idque promiscue absque vlla exceptione, tanquam rem simpliciter saluti necessariam. Secundo, dicentiũ Scripturas sacras si non ex necessitate finis, saltem ex diuina ordinatione, & ex præcepti necessitate, populo fideli communes esse debere: fuisse enim à Spiritu Sancto datas, nõ solis Ecclesiasticis, aut doctis viris, sed etiam quibusuis fidelibus, ideoque sine graui iniuria illis non posse denegari. Tertia eorum, qui iudicarunt saltẽ per se & communiter expedire, tanquam diuino honori, & fidelium saluti simpliciter cõuenientius, vt in vulgari lingua Scripturæ fidelibus tradantur: etsi secundum quid, & in casu, illarum lectio possit esse noxia: neque enim propter seu paucos seu multos, vel indoctos vel instabiles, tot bonos & pios fideles saluberrima illa lectione fraudandos esse. Quarta rigidorũ quorundã fuit, qui ex zelo magis quam scientia, lectionem Scripturarum in vulgari laicis prorsus & omnino interdicendam existimarunt, quia plerique ea, magna cum sua & aliorum pernicie, abusi sint. Quinta eorum est, qui nec in vniuersum prohibent, nec in vniuersum probant: sed aliquando vel in pace Ecclesiæ, quoad certas partes morales & historicas: vel grassantibus hæresibus, etiam quoad totam Scripturam: sed propter corruptas hæreticorum translationes in vulgare, non nisi quibusdam tantũ, id est, certa regula præscripta, vt quibus ordinarij Pastores id expedire iudicabunt, non autem promiscue omnibus vulgarem aliquã Scripturæ editionẽ pie & vtiliter concedi posse existimarunt. *Et hac est*, inquit Stapletonus, *vera & sana sententia.*

VII. Videtur habuisse præ oculis Regulam quartam Indicis librorũ prohibitorum, editi primum autoritate Pij quarti, post à Sixto quinto aucti, ac demum à Clemente octauo recogniti: quæ etsi non scinditur in tam varias distinctionum ambages, tamen postremam sententiam firmat. *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam vtilitatis oriri, hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, vt cum consilio Parochi, vel Confessarij Bibliorum à Catholicis autoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem recipere non possit.*

VIII. Sed Stapletoni tamen diligentiæ, est quod gratias agamus, quæ interiora Papisticæ seueritatis arcana recluserit. Et docuit apud id genus homines quæcunque tandem prætendatur verborum clementia, tamen nullo num quæcunque tandem prætendatur verborum clementia, tamen nullo vnquam tempore totas Scripturas permitti omnibus laicis. Nam &, cum tempus videntur permittere, distingui mandant non solum tempora, sed etiam personas. Tempora, vt permittantur grassantibus quibusdam hæresibus: alias minime: Personas, vt ex iudicio Ordinarij & Confessoris. Quare, neq; tum cum nullæ grassantur hæreses, censent totas cuiquam permittendas: neque alias, nisi paucis. Cum vero omnibus spem faciunt permissionis, tum non tempora solum distinguunt, sed & Scripturæ membra distrahunt: vt cũ pax est ab hæresibus alta, laicos Scripturas degustare pati possint, at non integris satiari: sed de ea tantum parte, quæ mores solos, historiasve recitat, delibare nonnihil: at formas, quæ fidei mysteria proponit, & explicat, hãc partem seponi volunt: aliisque temporibus reponi, & personis. Vt merito mirari quis possit, qua fronte dixerit noster Apostata Ferrarius Antichristi c. 18. suos iam Catholicos scire, posse abs se legi Scripturam, quoties libet: nisi forte, ex quo factus est Apostata, nouum quoddam finxerit Catholicorum genus.

IX. Vide quid superstitio faciat in Ecclesia. Idẽ certe, quod in Republica tyrannis. Hæc n. adeo suspicax est omniũ, suique ipsius diffidens, vt à suis ciuib. semper timeat. Itaque arma non patitur cuilibet esse in vsu: ne in altissima quidem tranquillitate: sed eximia suis satellitibus: nisi forte in solemni pompa & ostentationis solius causa: neque ea quidem omnis generis, sed selecta abs se: vt quæ fastus aliquid habere possint, timoris minimũ adferre.

X. Quin vt & illud non dissimulanter prætereundum: hanc ipsam tam timidam, tam cautam, tam tenuem permissionem, non esse de omnium consensu: sed mitissimorum quorundam, atque adeo eorum è clero, qui, suo magno beneficio, plebem paulatim suam conatur facere. Nã qui rigidi sunt, & antiquæ seueritatis Catones, haud aliter putent consultum Papisticæ fidei, nisi interdicta prorsus lectione, vt ille olim Capitolium non seruarit securum, nisi funditus deleta Carthagine æmula.

XI. Non defuit tamen (vt nihil dissimulem) qui liberalior videri voluerit. Is est Andreas Vermadius Iesuita, scriptis ad Iustum Baronium, nondum tamen Baronium, sed adhuc Caluinum, id est, nondum eiurato familiæ nomine bene Apostatam: sed tantum apostaturientem. Locum describo ex Epist. 2. lib. 1. Epistolarum sacrarum *Duplex esse genus hominum Christianorum: alterum quod præiudicato iam errore occupatum, eo sua legenda Scriptura studia refert, vt erroris quo imbutum est, fulcimenta corrodat: & non tam ex communi Ecclesiæ consensu, quam suopte iudicio per affectum corrupto sententiam sibi Scriptura confingat: Alterum vero, quod mente sincera, ac humili, trium Ecclesiæ, quæ proprio iudicio confidens, eo sedula lectione progreditur, vt signatam ante à Patrib. Scripturæ sententiam firmiter insistat. Atque hoc ipsum esse genus hominum dicimus, quod secure simul ac vtiliter sacram paginam poteſt euoluere.*

XII. Huius, quisquis ille tandem sit, neque enim aliunde mihi quam ab hac Epistola cognitus, videtur mihi sententia longe alia esse, ab iis quas audiuimus: si tamen is suam totam sententiam dixerit. Primum enim non agit de inhibenda, permittenda ve lectione, sed tantum de vtilitate, deinde, neq; tempora distinguit, neque particulas discerpit: sed personas tantum disparat, ex variis affectibus. Et vero, nihil in eo est quod reprehendi possit. Res n. ipsa testatur abuti non paucos illo tanto beneficio: & abuti sua propria culpa: & vt plurimum ex præiudicio insidentis animo opinionis, quæ ad se cũcta rapere satagit: & quæ non potest, respuit. Quare isto cum Iesuita si mihi res fit, vix verbum opposuerim, nisi, si pauca excipias, quæ de Ecclesia balbutiit: pertinentia tamen potius ad controuersiam de Interpretatione, suo loco non omittendam.

XIII. Porro ex eo sententiarũ numero viderit Stapletonus, vtrum primã alicunde bona fide desumpserit, an suo potius commodo finxerit: quomodo solent Sophistæ aduersus sententias verbis incommodissimis asperare, vt nulla eis superſit boni & æqui facies. Nos certe ab ea longissimo separati sumus interuallo. Illud enim de absoluta & simplici necessitate lectionis, quã possumus agnoscere, qui scimus, & aliquando nullas fuisse Scripturas quæ legi

legi possent, cum tamen essent fideles: & infinitos mori filios fidelium, qui extantes Scripturas ne nosse quidem possint? Qui credimus Irenæo affirmanti, Barbaros olim quosdam in Christum credidisse ex sola Traditione sine scriptis: imo in nostris Ecclesiis plurimos nouimus, quibus nec alpha fuit cognitum: nec eo minus admittimus ad integram fidei mysteriorumq; communionem, eiusdem salutis spem? Nimirum existimamus alienam hāc esse & importunam necessitatis absolutæ commemorationem: qui scimus non solum necessaria permittenda, sed etiam, quæ tantum vtilia sunt, non prohibenda.

XIV. Itaque secundam ac tertiam sententiam amplectimur re non diuersas: sed verbis tantum distinctas, nec bono consilio. Nempe, vt non paucis quibusdam doctis, siue de Clero, sed omnibus fidelibus: imo non iis tantũ qui actu fideles sint, sed etiam, qui potentia, id est, qui fideles esse aut volunt, aut etiam debent, breuiter, quibus est curæ salus æterna, traditas asseramus Scripturas. Itaque nemini denegandas, qui aut per se legere potuerit, aut ab aliis legentib. audire voluerit: quantumlibet experientia testetur non paucos ea lectione abuti sceleratissime. Neque enim æquum esse, aut expeditam rationem salutis Ecclesiæ, vt propter siue paucos siue multos malos, suo bono omnes pij priuentur, aut saltem piorum pars potior. Itaque quouis tempore, siue grassante hæresi, siue cum alta pax est, promiscue omnib. permittendum hunc Scripturarum vsum, nec per particulas, sed integro corpore, hoc demum & serio tenemus, & accurate defendimus.

XV. Quod si quædam sit adhibenda discretio, ea particularis esto, pro captu singulorum: quomodo, cum permissus est omnibus vsus vini, tum peculiari cura, vel Medicus febricitanti inhibeat, vel Magistratus ebrioso. Tametsi nullum vnquam putamus casum dari posse, vt sit lectio cuiquam in solidum inhibenda: sed tantum aliquarum partium: sicut olim arcebantur à nonnullis ij, quibus præter ætatem nondum esset satis confirmatum iudicium. Nam hæc non tam interdictio est, quam methodus discendi, necessaria omnib. incipientibus: neque enim quisquam prohiberi dixerit Metaphysica, quia pueri quo primum die in scholam admittuntur, non introducuntur in ea spatia.

XVI. Possunt ergo hodie fidelibus Pastores boni, consilium dare, vt lectionem ne incipiant à Veteri Testamento, figuris multis inuoluto, & Ceremoniis obsoletis referto, quæ infirmum cerebrum nimium fatigent: sed à Nouo cuius expeditior facilitas. Et vsus in promptu: in quo cũ satis fuerint exercitati, tum secure transferant se ad Vetus. Possunt & infirmiores moneri, ne suis fidant viribus, sed prouectiores consulant: crebro etiam Pastores adeant suos. Possunt denique aliquæ adhiberi cautelæ: sed nullæ vnquam, vt defodiatur tantus tantorum bonorum thesaurus: verum, vt ab omnibus ad eum fruendum via & ostendatur, & complanetur: atque ita tandem fiat, vt, qui imperiti sunt euadant docti, & possint ipsi, vt dicitur, in tanto mari sine cortice nare.

CAP. II.

An Iudæi promiscue legerint Scripturas.

I. Certissima habemus argumenta nostræ sententiæ, primo ex Scriptura, deinde ex Patribus. Primum hoc esto: Si Iudæis olim promiscue permissa, imo mandata est lectio, & meditatio Scripturæ sacræ: Ergo Christianis interdici non debuit. At prius verum, ergo & posterius.

II Consequentia patet: quia Ecclesia Christiana, non minoribus priuilegiis gaudet, quā Iudaica. Imo vero, quia Scripturæ proprie in intelligendo consistunt, multo probabilius est, eis permitti Scripturam, à quibus melius aut intelligitur, aut certe intelligi potest. At Christianis cognitiora esse mysteria verbi diuini, quam olim Iudæis, nemo est qui inficiari possit: aut certe magis debere esse cognita: Alias, quorsum disertius, magisque perspicuum esset Euangelium? cur velum amotum à facie Mosis? Quod si magis debent à Christianis cognosci mysteria fidei: ergo ea etiam magis docendi sunt: & si fuit Iudæis docendis accommodata ratio ex Scripturarum lectione, multo magis Christianis.

III. Antecedens autem non minus certo constat. Deuteron. 6. *Erunt verba hæc, quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis: & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos: scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Et c. 11. *Docete filios vestros, vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris, atq; surrexeris.* Hi loci manifeste loquuntur de perpetua continuaque legis meditatione: ergo etiam lectione: erat enim scripta, saltē post Mosis tēpora. Meditatione autem, non quorundam, aut paucorum Sacerdotũ Prophetarumve: sed omnium omnino, id est, cuiuslibet conditionis aut sexus.

IV. Psalm. 1. inter qualitates, siue proprietates, siue notas mauis eorum, quibus beatitas merito adscribitur, hæc vna est, eaque instar omnium, *In lege Dei voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Est autem meditatio (inquit autor commentariorum, qui tribuuntur Hieronymo) & in legendis Scripturis, & in faciendis iis quæ scripta sunt. Pertinere autem hoc ad omnes promiscue, satis patet ex toto Psalmo, in quo prædicantur ij qui merito beati dici possunt: quæ quidē, siue laus, siue spes potius, non pertinebat ad solos Sacerdotes & Doctores. Nisi forte quis velit prima tria capita, non abire in concilia impiorũ, non stare in via peccatorum, non sedere in cathedra irrisorũ, non esse omnibus fidelibus communia. Quanquā Basilius iam sua autoritate præscripsit: Διὰ τί ὁ προφήτης τὸν ἄνδρα μόνον ἐκλεξάμενος μακαρίζει. ἆρα μὴ τὰς γυναῖκας ἀπέκλεισε; μὴ γένοιτο. μία γὰρ ἀρετὴ ἀνδρὸς καὶ γυναικός. ἐπειδὴ καὶ ἡ κτίσις ἀμφοτέροις ὁμότιμος. ὥστε καὶ ὁ μισθὸς ὁ αὐτὸς ἀμφοτέροις. ὧν γὰρ ἡ φύσις μία, τούτων ἐνέργειαι αἱ αὐταί. ὧν δὲ τὸ ἔργον ἴσον, τούτων καὶ ὁ μισθὸς ὁ αὐτός. *Cur Propheta virum solum prædicat beatum? An à beatitudine mulieres exclusit? Absit. Eadem n. virtus est viri & mulieris: quandoquidem & creatio vtriq; æqualis: proinde & merces vtrisque eadem. Iam quorum natura est eadem, sunt etiam iidem effectus: & quorum opus idem, eadem quoque merces.* Credidit ergo Basilius, ea, quæ hoc Psalmo prædicantur tum de beatitudine, tum de eius causis, æque pertinere ad viros & mulieres.

V Ioannis 5. Christus Iudæos ablegat ad Scripturas, vt inde certo discerent quid de eius persona credendum esset. Ἐρευνᾶτε (inquit) τὰς γραφάς, *Scrutamini Scripturas.* Locus potentissimus quo vel indicatur, quid moris esset Iudæis, vel etiam imperatur quod facere debebant: quorum vtrumuis admittatur, nostrum conficitur argumentum.

VI. At Stapletonus excipit, hæc Christi verba, non esse ad turbas & populum dicta, sed ad Pharisæos, & Principes: idque patere ex eo, cum dicitur, *Vos misistis ad Ioannem.* Illi enim erant Sacerdotes & Pharisæi, vt patet ex primo capite. Deinde, non constituere generale præceptum, aut necessariũ, atque perpetuum, quod & omnes tangat, & semper obliget: sed illis solis dictum esse per modum veniæ & indulgentiæ propter incredulitatem illorum.

VII. Nihilominus id potius verum est: Christum esse loquutum generaliter ad Iudæos. Nam & ita semper nominantur in toto capite, nunquam autem aut Pharisæi, aut Sacerdotes, aut quid eiusmodi. Sed & pugnant inter se Stapletoni solutiones. Nam si Christus loquutus est tantum ad Pharisæos & Principes, quomodo per modum veniæ & indulgentiæ? Nam ex officio suo non minus tenebantur Pharisæi & Sacerdotes Scripturas olim legere, quam hodie Episcopi & Presbyteri. Itaque nihil potuit dici insulsius, quam iis specialiter indulgeri lectionem Scripturarum. Certe Cyrillus τῶν γλαφυρῶν primo, Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, τοῖς Ἰουδαίων δήμοις προσαπειλῶν ὁ Χριστός. *Scrutamini Scripturas, Iudaico populo Christus inclamauit.* Chrysostomus in Ioannem homil. 14. Ὁ Κύριος τοῖς Ἰουδαίοις παραπέμπων τὰς γραφὰς ἐρευνᾶν, ἐπὶ πλεῖον ἡμᾶς εἰς ζήτησιν ἐνάγει. *Dominus Iudæos ad Scripturas scrutandas hortatus, multo magis nos ad inquisitionem inducit.*

VIII. Non valet prioris solutionis ratio. Quia dixerit Christus, *Vos misistis ad Ioannem*, ergo ad solos Pharisæos & Principes hunc habitum fuisse sermonem. Primo, quia falso Stapletonus dicit ex 1. Euangelij c. constare, Pharisæos & Sacerdotes, eos fuisse qui misisse dicantur ad Ioannem. Nam Euangelista, eos quidem qui missi sunt, Sacerdotes appellat & Leuitas: at eos, qui miserunt, tantum Iudæos. Diserta verba. *Hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum.*

IX. Deinde, etiam si soli misissent Sacerdotes & Principes, tamen non minus sic poterat Christus ad turbas loqui. Ratio est, quia toti populo tribui solet id, quod factum est principum consilio & auctoritate. Sic Romani leges olim dederunt orbi victo, hoc est, Romanorum Senatus. Sic Hierusalem dicitur occidere Prophetas, Matthæi vigesimo tertio. Sic Iudæi constituisse, vt si quis confiteretur Christum, Synagoga moueretur, Ioannis 9. Et ne longius abeam, sic Iudæi misisse ad Baptistam.

X. In secunda solutione, miretur aliquis non immerito, quæ Stapletono causa fuit, vt tam seuere nominaret, non præceptum simpliciter, sed præceptum generale, necessarium, perpetuum, quod omnes tangat, & semper obliget. Quid tum enim, si non est hoc loco significatum huiusmodi præceptum? Imo quid tum, si ne præceptum quidem vllum? Non propterea minus apte hunc locum iis obiicimus, qui immanem Papistarum tyrannidem tuentur, quæ Scripturæ lectionem tam seuere prohibet? Enimuero sufficit, dum ostendamus, lectionem non pertinere ad solos in Ecclesia clericos, sed toti populo Christiano, liberam esse, hoc est, licere cuilibet fidem suam cōfirmare ex priuata Scripturæ meditatione.

XI. Quod ne nobis primis in mentem quis venisse calumnietur, Origenes homilia 2. in Ecclesiam, *Vtinam* (inquit) *omnes faceremus illud quod scriptum est, Scrutamini Scripturas.* Basilius 2. Baptismo c. 4. πειθαρχῶμεν τοῦ Κυρίου λέγοντος, ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. *Obediamus Domino dicenti, Scrutamini Scripturas.* Augustinus de verbis Domini sermon. 45. Donatistas ex hoc loco similiter hortatur assumpta Ecclesiæ persona. *Voce Ecclesiæ loquor,* inquit: *ô fratres, filij dispersi, oues errantes, rami præcisi, quid mihi calumniamini? quid me non agnoscitis? Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere, ipsæ testimonium perhibet de me. Iudæis dicit caput nostrum, quod vobis corpus dicit. Quæritis me, & me non inuenitis. Quare? Quia non scrutamini Scripturas, quæ testimonium perhibent de me.* Ergo ex mente Augustini, Ecclesia solet etiam aduersarios suos hortari ad diligenter voluendam Scripturam: & id suis inuideat? & inde suos arceat? Quasi non audierit à capite suo, Non esse bonum accipere panem liberorum, & obiicere catellis: Matthæi 15. Maldonatus: *Melius Chrysostomus, Theophylactus, Augustinus, & omnes, opinor, præter Cyrillum autores graues imperantis modo dictum putant.*

XII Quod de venia dicit & indulgentia, meræ sunt nugæ: nisi prius doceat prohibitionem præcessisse. Ea enim est natura veniæ, & indulgentiæ, vt non aliter intelligantur, quam cum permittuntur extra ordinem ea, quæ certa lege prohibita sunt, Augustinus contra Faustum lib. 59 c. 1. *Neq; enim conceditur secundum veniam, nisi peccatum.* Ast aduersarij nullo teste probare possunt aliquando prohibitam fuisse Scripturarum lectionem: sed tantum ratiunculas colligunt verisimiles, quibus docere se putant non esse permittendam, vt suo loco videbimus.

XIII. Paulus poster, ad Timoth. c. 3. *At tu* (Timotheum autem alloquitur) *permane in iis quæ didicisti, & quæ tibi credita sunt, sciens à quo didiceris: teque à puero sacras literas nouisse, quæ te possunt sapientem reddere in salute.* Hinc patet adeo certum fuisse apud priscos Iudæos Scripturæ vsum non pertinere ad solos Clericos, vt eam ipsis etiam pueris communicarẽt. Vsus enim est Apostolus ea voce, quæ infimam ætatem significat, ἀπὸ βρέφους, quasi ab ipsis cunis. Chrysostomus, πῶς; ἐκ πρώτης ἡλικίας τὰ ἱερὰ γράμματα ἔμαθες, τί ἐστιν ἱερὰ γράμματα, τὰς θείας γραφάς, οὐ ταύταις ἐνετράφης. *Hoc est, à prima ætate sacras literas didicisti. Quid est, sacras literas? Diuinas Scripturas: His innutritus es.* At Papistæ ita sunt peruersi, vt ne adultioribus quidem hanc velint esse lectionem liberam.

XIV. Sed legi solitos libros sacros à Iudæis disertissime docet Arias Mōtanus præfatione in Massoreth, de varia in Hebraicis libris lectione. *Quanquam diu ne legis sacri libri à Mose conscripti in tabernaculi interioris arca religiosissime seruādi depositi fuerint, multa tamē illorũ exēplaria sacerdotum, quib. id munus creditum est, manu, aut aliorum opera descripta à sacerdotib. collata & probata, ad lectionis, doctrinæ, & explicationis, atq; omnē publicarũ & priuatarum vsum rerum, multis ex Israelitico populo fuere. Illi enim libri omnib. & pueris, & senibus, viris & fœminis legendi propositi sunt, ad quorũ normā omnes singulorum vitæ rationes institui debuere.* Tum paulo post, diuinæ legis exemplaria testatur Iosiæ regis optimi iussu sacerdotũ & scribarũ procuratione descripta esse, & non studiosis modo, sed etiam omni populo fuisse tradita. Quid iam superest, quod aliquis possit excipere? aut non sunt hæc illustria exēpla

primo

primio conditæ legis,deinde inſtauratæ. Certum eſt ergo omnes Iudæos promiſcue, id eſt, cuiuslibet ætatis,ſexus,aut conditionis,potuiſſe ſacros libros priuatim legere:proinde conſtat argumentum.

CAP. III.

An olim ab omnibus lectæ ſint Scripturæ, ex locis Scripturæ.

I. NEc diſcrepat primorum Eccleſiæ temporum conſuetudo,quibus cõſtat Chriſtianis commendatos eſſe libros ſacros, eorumque vſum in iis laudatum. Actorum decimo ſeptimo,cum Paulus & Barnabas veniſſent Berœam, prædicaſſentque Euangelium Iudæis in Synagoga, ὅτι (inquit Lucas) ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, οἵτινες ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. *Hi fuerunt generoſiores iis qui erant Theſſalonicæ, vt qui receperunt ſermonem cum omni alacritate quotidie ſcrutantes Scripturas, an hæc ita ſe haberent.* His verbis laudantur à Luca Berœenſes, quod priuatim, atque apud ſe ſcrutarentur Scripturas,in iiſque inquirerent,quæ à Paulo audierant. At quis credat Lucam laudaturum, ſi credidiſſet prohibitam eſſe laicis Scripturæ lectionem?

II. Stapletonus in Antidotis Apoſtolicis, negat hoc exemplo omnes ad legendam Scripturam vocari: duplicem ob cauſſam. Primo, quia hi homines ſic a Luca deſcribuntur, vt non è vulgo credentium fuiſſe videantur, ſed εὐγενέστεροι, quod etiã ſuperlatiue acceptum, primarios & excellentes viros notat, non tam nobilitate generis, quam morum probitate, & animi virtute ac pietate. Cuiuſmodi hominibus tametſi Scripturarum lectio vtilis ſit, non tamen propterea ſine diſcrimine omnes idiotæ, rudes, ſuperbi, ad eam vocantur. Deinde libertas illa in Eccleſiæ primordiis, paucis fidelib. conceſſa, conſtitutæ iam, & per totum orbem propagatæ Eccleſiæ non conuenit.

III. Sed hæc fruſtra ſunt. Nam, quod ad prius attinet, hæc verba εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, cõparant nõ Theſſalonicenſes Iudæos inter ſe, vt comparatiuus ſit loco ſuperlatiui εὐγενέστεροι αὐτὶ τῶν εὐγενεστάτων. Etenim Lucas cũ narraſſet ſucceſſũ prædicati Euangelij apud Theſſalonicenſes, à quib. Paulus male acceptus fuerat, nũc ſtylũ vertit ad Berœẽſes, quo Paulũ emiſerant fratres Theſſalonicẽſes: atq; ab iis Euangeliũ alacrius ſuſceptũ narrat. Itaq; cõparantur Iudæi Berœenſes Iudæis Theſſalonicenſib. vt diſertius explicauit Syrus interpres. *Nobiliores erant illi Iudæi qui illic erant, quam Iudæi illi, qui erant Theſſalonicæ.* Et cõparationis ratio hæc ipſa eſt, nimirum, quod alacrius excepiſſent prædicationẽ. Propterea Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius dicũt illud εὐγενέστεροι eſſe pro ἐπιεικέστεροι. Vnde apparet, quãtopere Stapletonus fallatur. Si n. eſt, nõ quorundã ſupra reliquos eminentiũ ſed τῶν ἐπιεικεστέρων, Scripturas legere certe erit, non tam infirmorum, quam eorũ qui barbari ſint, & quodammodo inhumani, ab iis abſtinere. Caietanus etiam, *Senſus eſt* (inquit) *quod iſti Iudæi Berœenſes erant nobiliores aliis Iudæis, qui erant Theſſalonicæ.* Itaque intempeſtiua corrigi debet in Latino interprete Græciſmi affectatio, *Hi autem nobiliores erant eorum qui ſunt Theſſalonicæ*: quæ cauſam dedit ambiguitati. Manifeſtus etiam præuaricator eſt Salmero, qui rem in medio relinquit, quaſi nihil intereſſet.

IV. Alterum ſolutionis caput longe ineptius. Quæ n. quæſo, aſſignari poteſt diſſimilitudinis ratio, inter initia & progreſſum Eccleſiæ. Imo vero abſurdum eſt aſſerere, eo ſeuerius occulenda ſalutis inſtrumenta, quo latius ipſa ſalus porrigitur: contra quam ſolent omnium ſcientiarum libri, eo pluribus communicari, quo pluribus ipſæ traduntur. Quid? quod non tantum, in his initiis Eccleſiæ, hic vſus obſeruatur Scripturarum, ſed etiam longe poſt, hoc eſt, tum cum longe lateque totum orbem fides occupabat, nimirũ Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi ſeculo, quod nos poſtea videbimus? Ad hæc, quæcunque rationes ab aduerſariis proferuntur, eæ ſunt, non quorundam ſeculorum, aut ætatum propriæ, ſed communes omnium. Itaque aut renunciandum eſt iis rationibus, aut fatendum etiam initio Eccleſiæ non debuiſſe manibus fidelium Scripturas teri: quod cum contra conſtet: ergo eas potius rationes oportet inanes eſſe. Sed tamen, ſi eædem rationes vbique valent, tum profecto inepte Stapletonus conſequentiam negauit ab initio ad progreſſum Eccleſiæ.

V. Rurſum Paulus 3. ad Coloſſenſes. *Sermo Chriſti habitet in vobis copioſe cum omnia ſapientia, docendo, & commonefaciendo vos mutuo, Pſalmis hymnis, & cantionibus ſpiritualib. cum gratia canentes in corde veſtro Domino.* Volebat ergo Paulus ſuos Colloſſenſes non imperitos eſſe ſermonis Chriſti, hoc eſt, Verbi Dei, ſed in eo abunde doctos. Quis credat abegiſſe à Scripturarũ lectione? Intellexit Pauli mentem Chryſoſtomus ſuis Conſtantinopolitanis hunc locũ exponens, & exclamans, Ἀκούσατε ὅσοι ἐστὲ, καὶ γυναικὸς καὶ παιδῶν προεστῶτες, πῶς καὶ ὑμῖν ἐπιτρέπει μάλιστα τὰς γραφὰς ἀναγινώσκειν, καὶ οὐχ ἁπλῶς, οὐδ' ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς. *Audite quotquot eſtis, & præeſtis vxori, ac filiis, quomodo etiam vobis præcipit, vt legatis Scripturas: & quidem non ſimpliciter, & perfunctorie, ſed magno cum ſtudio.* Et nonnullis interiectis, Ἀκούσατε, παρακαλῶ πάντες οἱ βιωτικοὶ, καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς. εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε. τὸν Ἀπόστολον, τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια, διδασκάλους διηνεκεῖς. *Audite quæſo, ô omnes ſeculares: comparate vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, ſaltem Nouum Teſtamentum: Apoſtolorum actus, Euangelia, magiſtros perpetuos.* Deus bone! quo tandem rediit res apud Chriſtianos! quam immutata ſecula! Quantum poterat, voce Chryſoſtomus contendebat, hortando ſuos auditores, vt ſacros libros diligentiſſime volutarent: ſuos, inquam, non Epiſcopos, non Presbyteros, non Monachos, ſed ſeculares, τοὺς βιωτικοὺς, eos inquam, quibus vxor erat, erant liberi. Et hodie, qui ſe Chriſtianos dicunt, qui ſe ſolos pro Catholicis iactant, quantum voce, quantumque viribus poſſunt, ab his animæ medicamentis ſuos auertunt, imo abſterrent: boni illi Romani Epiſcopi, Pius quartus, Sixtus quintus, Clemens octauus, negant ſe cuiquam remiſſuros peccata, imo prohibent Parochis, Confeſſariis, Ordinariis, ne cuiquam remittant, niſi prius redditis codicibus ſacris. O Paſtores! O dignos Petri & Pauli ſucceſſores! O dignos cui ſe tota credat Eccleſia! Enimuero, ſic ouem lupo. Autor commentariorum, qui modo Hieronymo, modo Primaſio tribuuntur. *Hic oſtenditur verbum Chriſti non ſolum ſufficienter, ſed etiam abundanter habere debere etiam laicos, & inuicem ſemetipſos monere & docere.*

VI. Stapletonus reſpondet Apoſtolũ diſerte loqui non de legendis Scripturis, ſed de recognoſcenda & ruminanda prædicatione verbi illis facta, docendo & commonendo ſe inuicem in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualib. *cantantes in cordibus Deo*: quod totum ad ſpirituales, vel collationes mutuas cum fratribus, vel meditationes priuatas aperte refertur. Chryſoſtomum vero moraliter non dogmatice, hæc verba ad lectionem Scripturarũ trahere. Commentarios illos Hieronymo tribui falſo.

VII. Contra: duo ſunt diſtincta in textu Apoſtoli, quę diſerte etiam Thomas Aquinas diſcreuit, his verbis, *Cum dicit verbum Chriſti, monet ad ſapientiam: & primo docet ſapientiæ originem, ſecundo ſapientiæ vſum, ibi docentes.* At Stapletonus confundit, quaſi idem eſſet Verbum Dei, cũ docendo & cõmonefaciendo: quæ tamen differunt tanquam cauſa & effectum: Nam ex eo quod quis abundanter habet inhabitans verbum, fit, vt alios & docere poſſit, & commonefacere. Porro verbum Dei non poteſt hauriri locupletius aliunde, quam ex Scripturis. Vnde non tantum Caietanus interpretatus eſt Euangelium: ſed etiam longe ante eum Lombardus, Scripturas, vt & Chryſoſtomus. *Verbum Chriſti* (inquit) *habitet in vobis abundanter, ſcilicet vt omnium Scripturarum intellectum habeatis.* Loquatur ergo Paulus de meditationibus priuatis, vt vult Stapletonus, dum eæ ſint Scripturarum: nam id ſufficit ad argumentum.

VIII. De Chryſoſtomo, quid dici potuit magis ridicule? Non dogmatice, ſed moraliter. Quid hoc eſt? An ea ſola eſſe vera, atque in Eccleſia admittenda, quæ dogmatice dicuntur, non autem moraliter? Nouum ſane Theologi acumen: imo nouum Theologiæ genus. Atqui pendent à doctrina morales exhortationes. Quod ſi non eſſet legitima doctrina hæc, vt omnes laici exercerent ſeipſos meditandis Scripturis, nunquam debuit Chryſoſtomus, plebem ſuã ad idipſum moraliter exhortari. Quod ſi & fecit, & bona conſcientia potuit, ergo non eſt illa doctrina non legitima. Noſtri vero Papiſtæ, tã ſunt in melius, ſcilicet immutati, vt neque dogmatice, neque moraliter ad hoc ipſum ſuos exhortentur: imo contra & dogmatice & moraliter quantũ poſſunt abſterreant, etiam comminata omnium peccatorum retentione. O pietatem!

IX. De autore commentariorum illorum in Epiſtolas Pauli, nõ eſt quod contendam. Negantur eſſe Hieronymi. Nec, opinor, ſine cauſa. Editi ſunt etiam nomine Primaſij, & iterum Sedulij nonnullis immutatis. Bellarminus controu. 1. lib. 4 c. 5. cenſet eſſe Pelagij: & forte non immerito. Sed cuiuſcunque tandem illi ſint, hæc ſententia eſt pia: neque vnquam de ea Pelagio litem mouerunt Catholici, etſi in argumento de Libero arbitrio damnarunt impietatis. Atq; hîc mihi tu quiſquis es, ingenium conſidera Papiſtarũ. Hi Pelagio non ita ſeuere aduerſantur in doctrina de Libero arbitrio, quam omnium maxime veteres improbabant: in hoc tamen capite ab eo diſſentiunt, quod Veteres nunquam vel leuiter accuſarint. Iam agnoſce ſophiſticen: Si Pelagium proferemus, calumniantur hæreſin: ſi Chryſoſtomũ, cauillantur aliud neſcio quid de dogmatibus & moribus. Adeo illis perinde eſt, ſiue hæreticos cites, ſiue Catholicos obiicias: vna eſt in ſua tyrannide pertinacia, quam habent pro regula.

X. Iuſtinianus Ieſuita. *Ne quis putet (quod temere Nouatores confingunt) ſacras literas, quippe faciles, & cuiuis peruias, omnium manibus paſſim eſſe tractãdas, ne cerdonibus quidem, ac cæmentariis excluſis, aut etiam ſi Deo placet mulierculis, recte ſubdit, docentes & commonentes voſmetipſos: quaſi dicat alij alios erudite. Quos autem noſter interpres dixit voſmetipſos: Græce dixit Apoſtolus, ἑαυτοὺς, id eſt, vos Inuicem, vt videlicet peritiores, minus eruditos inſtituant.*

XI. Quod hoc ratiocinationis monſtrum eſt? Alij alios erudite: Ergo Scripturæ non ſunt omnium paſſim manibus tractandæ. Nam contra potius: Ergo omnium manibus tractandas ſanus quis concluſerit. Nam manifeſtũ eſt, neceſſariã: mitto iam neceſſariam: certe vtilem eſſe Scripturã eo, vt Chriſtiani alij alios erudiant. Cui effectum imperatur, quis cauſam prohibeat, niſi Veterator, qui idipſum velit prohibere, quod ſe fingit imperare? Alioquin manifeſtum argumentum. Quicunque debent alij alios erudire, iis permittenda Scripturarũ lectio. At cerdones, cœmentarij, mulieres, debent alij alios erudire: ergo iiſdem permittenda Scripturæ lectio.

XII. Sed illud quorſum, Peritiores, minus eruditos inſtituant? aut quam vim habet, vt ne omnibus permittantur Scripturæ? An quia in cerdonibus, cœmentariis, mulieribus, non poſſunt eſſe alij aliis peritiores? Et non potuit Eunice Timotheum erudire? Quanquam aduertere debuit Paulo dictum, *Docendo, & commonefaciendo*: at ſi docere non poſſunt niſi peritiores: ſaltem commonefacere, non tantum periti, æque peritos, vt Petrum Paulus: ſed etiam imperitiores peritos: cum & nemo ſit adeo peritus, vt nunquam labatur. *Nec raro eſt olitor verba opportuna loquutus.*

XIII. Secundæ ad Corinthios 1. *Non alia ſcribimus vobis, quam quæ legitis & cognoſcitis.* Et 3. ad Epheſ. *Poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti.* Sciebat ergo Paulus, & conſentiebat, imo volebat etiam ſua ſcripta (erant autem ſancta) legi à Corinthiis, atque ab Epheſiis. Cur non etiam à nobis hodie? id eſt cur non ab omnibus Chriſtianis? Nam Corinthij, Epheſiique non erant omnes clerici.

XIV. Petrus Epiſtolæ 2. cap. 1. *Habemus firmiſſimum ſermonem Propheticum, cui recte facitis, quod attendatis.* Laudat igitur Petrus fideles, ad quos ſcribebat, hanc ob cauſam, quod Scripturæ Propheticæ ipſi attenderent, non vero totam relinquerent clericis. Cur hodie tam ſunt à Petro diuerſij, qui ſe Petri ſucceſſores vocant, vt quod ille laudabat, iſti vituperent? Cur tam iniqui, vt quam ille gratulationis cauſam iuſtam eſſe putabat, hi credant legitimam eſſe retinendorum peccatorum? Deus bone, inter veterum Chriſtianorum laudes Petrus numerabat attentam Scripturarum lectionem. At Pius quartus, Sixtus quintus, Clemens octauus, qui nullo alio titulo ſuperbiunt, quam ſucceſſorum Petri, idipſum numerant inter Chriſtianorum peccata: & quidem eiuſmodi peccata, quæ reliquorum peccatorum abſolutionẽ non tam remorentur, quam impediant. En ſucceſſionem! Nimirum vt ſanitatis & morbi.

XV. Audite Stapletoni σοφὸν φάρμακον, Petri verba (inquit) iubent attendere Scripturis: ſed hoc fit, non ſolum, quando leguntur Scripturæ, ſed multo magis, & tutius, quando per vocem prædicantis Eccleſiæ exponuntur.

XVI. Egregium Sophiſtam! Quid ſi ego contra. Id fit non ſolum, quando per vocem prædicantis Eccleſiæ exponuntur Scripturæ, ſed etiam quando leguntur? Quid obiiciet, quominus legitime concludam, vtrumque eſſe permiſſum? Non enim ſolet affirmato genere, negari ſpecies. Sed loqui Petrum de ipſius ſacri textus lectione, patet ex ſequentibus. *Si illud primum noueritis, nullam prophetiam Scripturæ, eſſe propriæ explicationis.* Quæ verba de interpre-

interpretatione legentis intellexit glossa ordinaria: *Sicut ergo* (inquit) *Prophetæ non sua, sed Dei verba scribebant, ita lector non sua interpretatione vti debet, ne à fide exorbitet: sed laboret attendere, quomodo verba sua voluerit intelligi ille, qui scripsit.* Lorinus in posterioris Petri c.1. ad versum vicesimum. *Vtilis Propheticarũ lectio propter firmissimã grauissimãq; autoritatẽ.* Et sane id postulat oppositio, προφητείας καὶ ἐπιλύσεως. Omnino enim Petrus monet eos qui attendunt sermoni Prophetico, vt caueant ne malè interpretentur. Ergo, inquam, necesse est non loqui de prædicatione Ecclesiæ audita. Nam hæc non est προφητεία, sed τῆς προφητείας ἐπίλυσις. Deinde eos qui attendunt Ecclesiæ prædicationi, non opus erat moneri, vt cauerent à priuata interpretatione. Nã Ecclesiæ prædicatio non potest esse priuata. Denique προφητεία textus est, ἐπίλυσις autem eius textus interpretatio. Iubet autem Petrus instare sermoni Prophetico, id est, Prophetiæ, non autem interpretationi: Ergo inquam, ipsi textui; ac proinde eius lectioni.

XVII. Præterea, comparat Petrus suam prædicationem sermoni Prophetico: Ergo, inquam, viuam vocem Scripturæ. Non autem voci prædicantis Ecclesiæ. Nam vox Petri non alia erat (opinor,) quam vox prædicantis Ecclesiæ, itaque idem per idem probasset. Et quomodo intelligat aliquis Ecclesiæ prædicantis vocem, esse firmiorem vocem ipsius Petri? Nam hanc comparationem interpretes intelligunt habita Iudæorum ratione, quibus Prophetæ, quos nouerant à pueris, erant familiariores. At non erat tamen notior Iudæis vox Ecclesiæ. Itaque non potest is esse Petri sensus, quem commentus est Stapletonus.

XVIII. Propterea Claudus Guillaudus Sorbonicus ita locum exponit, *Vt lucerna posita in obscuro loco viam aperit transeuntibus ne impingant, & tenebræ euadant: ita Scriptura attenta & fideli mente lecta, lectoribus ne vsquam offendant, quod à veritate abducat, viam veritatis aperit, & è senticosis hæreticorum diuerticulis auertit.* Est igitur, hoc teste, vt volebam, illud Petri προσέχειν, nihil aliud, quam legere, atque legendo attente meditari Scripturam sanctam, quod ille tantus Apostolus bene fieri asserit. Cuiusmodi ergo illos esse oportet, qui prohibent.

XIX. Apocalypsis 1. *Beatus qui legit, & audit verba Prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt.* Ad quæ verba Rupertus ita commentatus est, *Exclamat ore grandi, atque intentione vehementi, beatum illum esse veraciter dicens, quæ ea quæ hic scripta sunt, verbi gratia, septem tubas admirabiles, in hac prophetia contonantes audiens, aut si literas nouit, illa legens, obseruauerit.* Quid iam de reliquis libris omnino facilioribus iudicandum est, cum ipsam Apocalypsin, librum totius Scripturæ obscurissimum, voluerit Spiritus Sanctus ab iis legi, qui literas nouerint? Nam ita Rupertus multo melius exposuit, quam Haimo, & Anselmus, qui legere ad clericos, audire referunt ad laicos, nullo argumento, nulla causa.

Cap. IV.

Patrum testimonia de legendis Scripturis.

I. SEd amplissimam victoriæ materiam præbet nobis perpetua Christianorum praxis, quæ lucentissima apparet in Veterum monumentis, quorum vix vllus est, qui diligentem Scripturæ meditationem non vrgeat: ad eamque totis viribus laicos excitet. Enim vero si laicos, si coniugatos, si mulieres, si pueros, si pauperes comperimus libere vsos Scriptura Sacra: & in eo negotio segnes, acribus verbis increpatos ab Episcopis, diligentes autem apprime laudatos: facile quiuis iudicium per se faciat, quo sint hodie loco habendi Papistæ, qui hanc sacrorum librorum meditationem oderunt cane peius & angue.

II. Clemens vulgo Romanus Constitutionum lib. 1. qui inscribitur de Laicis, eo quod eis specialiter præcepta dentur, c.4. Τὰ τοῦ Χριστοῦ λόγια ἀναμιμνησκόμενος διηνεκῶς μελέτα, λέγει γὰρ ἡ γραφή σοι· ὅτι ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ μελετήσεις ἡμέρας καὶ νυκτὸς, περιπατῶν ἐν ἀγρῷ, καὶ ἐν οἴκῳ καθήμενος, καὶ κοιταζόμενος, καὶ διανιστάμενος, ἵνα συνίῃς ἐν πᾶσι. Id est, *Scripturas Sanctas* (nam sic etiam Turrianus vertit) *assidua memoria meditare: dicit enim tibi Scriptura, Tibi in lege eius meditandum die ac nocte, ambulanti in agro, & sedenti in ædibus, & cubitũ eunti, & surgenti, vt in omnibus sis intelligens.* Et paucis interiectis: εἴτε προσέρχῃ τοῖς πιστοῖς τε καὶ ὁμοδόξοις συμβάλλων τὰ ζωοποιὰ προσομιλεῖ ῥήματα, εἰ δὲ μὴ, καθεζόμενος ἔνδον ἀναγίνωσκε τὸν νόμον, τὰς βασιλείας, τοὺς προφήτας. ψάλλε τοὺς ὕμνους Δαβίδ. διέρχου ἐπιμελῶς τὸ εὐαγγέλιον τὸ τούτων συμπλήρωμα. *Si adis fideles qui tecum sentiunt, colloquere sermones salutares conferendo. Sin minus, intus sedens lege legem, Regum libros, Prophetas: cane Psalmos Dauid: euolue diligenter Euangeliũ quo cõplentur hæc omnia.* Postea c.10. vxores dehortatur à rixis, maxime erga viros; hac ratione εἰ δὲ πιστὸς ὑπάρχει σου ὁ ἀνὴρ ἀναγκασθήσεται ὡς εἰδὼς τὰς γραφὰς εἰπεῖν τὸ ῥῆμα τὸ γεγραμμένον ἐν τῇ σοφίᾳ. κρεῖσσον οἰκεῖν ἐν ἐρήμῳ ἢ μετὰ γυναικὸς γλωσσώδους καὶ μαχίμης. *Si fidelis sit vir tuus, cogetur, vtpote qui Scripturas nouerit, illud scriptum in Sapientia dicere: Melius est habitare in deserto, quam cum muliere loquaci, & rixosa.* Adeo solenne erat iis temporibus Scripturam legi etiam à laicis vt pro eodem vsurparetur ὁ πιστὸς, καὶ ὁ εἰδὼς τὰς γραφάς. Vnde & Polycarpus ad Philippenses scribens, *Confido vos* (inquit) *bene exercitatos esse in sacris literis.* Ignatius ad Philippenses. οἱ πατέρες ἐκτρέφετε τοὺς ἑαυτῶν παῖδας ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου. καὶ διδάσκετε αὐτοὺς τὰ ἱερὰ γράμματα. *Parentes educate liberos vestros in disciplina, institutioneque Domini: atque edocete sacras literas.*

III. Cyprianus in libello de Spectaculis, *Scripturis Sacris incumbat Christianus fidelis, ibi inueniet condigna fidei spectacula.* Optime: voluit bonus ille pater suum gregem auertere à vanitate spectaculorum: nec putauit recte posse, nisi legendas obiiceret Scripturas. Quis neget, potuisse reliqua omnia nominare, quo Papistæ suos amandant hodie: missam, si tamen tum missam norat Ecclesia; sed hoc nihil ad rem: missam igitur, sermones, preces publicas, reliqua? At his omnibus prætermissis, maluit Scripturas commendare. Non sic Iesuitæ: non sic Papistæ.

IV. Origenes in Leuiticum homil. 9. *Optamus, vt operam detis, non solum in Ecclesia audire verba Dei, sed & in domibus vestris exerceri, & meditari in Lege Domini die ac nocte.* Et paulo post, ne quis calumnietur meditationem illam non intelligi lectionem: *Si habeas tecum parati hominis manum, hoc est, si lectio diuina sit in manibus tuis, & præcepta Dei ante oculos habeantur, tunc vere inuenieris paratus ad abiicienda & repellenda ea quæ sunt sortis alienæ.* Et iterũ, *Nutrimenta igitur Spiritus sunt, diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis.* Idem in 12. caput Epistolæ ad Rom. *Renouatur sensus noster per exercitia sapientiæ, & meditationem verbi Dei, & legis eius intelligentiam spiritalem: & quantum quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, quanto altius intellectus incedit, tanto semper nouus magis, & quotidie nouior efficitur. Nescio autem, si potest renouari sensus qui piger est erga Scripturas diuinas & intelligentiæ spiritalis exercitia.* In Esaiam homil. 2. *Vtinam omnes faceremus illud quod scriptum est: Scrutamini Scripturas.*

V. Eusebius Cæsariensis de Præparatione Euangelica lib. 12. statim initio, duo constituit in Ecclesia hominum genera: vnum eorum, qui sunt infirmiores, alterum, qui prouectiores: vtrisque autem permittit lectionem Scripturarum. Sed pro captu. Παρ' ἡμῖν τοῖς μὲν ἄρτι εἰσαγομένοις, καὶ τὴν ἕξιν ἀτελέσιν ὡς ἂν τὰς ψυχὰς νηπίοις, ἁπλούστερον ἡ ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς ἀνάγνωσις παραδίδοται μετὰ τοῦ δεῖν πιστεύειν ὡς Θεοῦ λόγοις τοῖς ἐμφερομένοις παρακελεύεσθαι· τοῖς δὲ τὴν ἕξιν προβεβηκόσι, καὶ πολιοῖς τὸ φρόνημα ἐμβαθύνειν καὶ δοκιμάζειν τὸν νοῦν τῶν λεγομένων ἐπιτέτραπται. *Apud nos iis quidem qui tum primum introducuntur, habitu nondum perfecto, animoque ipso quasi dum pueris traditur lectio diuinarum Scripturarum simplicius & facilius; iussis prius iis omnibus credere quæ occurrent, tanquam Dei verbis: Iis vero quorum est habitus prouectior, canumque iudiciũ permittitur altius inquirere ac diiudicare quis sit eorum sensus quæ dicuntur.* Idẽ in vita Pamphili, recitante Hieronymo, in Apologia contra Rufinũ ad Pammachium & Marcellinum. *Quis studiosorum non fuit amicus Pamphili? Si quos videbat ad victum necessariis indigere, præbebat large quæ poterat. Scripturas quoque sanctas non ad legendum tantum, sed & ad habendum tribuebat promptissime, non solum viris, sed & fœminis, quas vidisset lectioni deditas: vnde & multos codices præparabat, vt cum necessitas poposcisset, volentibus largiretur.* Exemplum renouauit multis post annis Valdo ille, à quo Valdenses, tam nõ gratum Romanensibus. Sed ô Pamphile, Pamphile: quis tibi vultus esset, si videres Paulum IV. Sixtum V. Clementem VIII. non tantum de suo non largientes fidelibus codices sacros, vt legant, sed etiam à singulis suos eripiẽtes, ne legere possent? Et nisi reddant, minantes peccatorum retentionem? Nimirum exclamares, illud Satyricum ô tempora! ô mores! vel hoc potius Theologicum: ὢ τοῦ μυστηρίου! ὢ τῆς ἀνομίας!

VI. Basilius in Psalmum 1. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵν' ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, ἅπαντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἐκλεγώμεθα. Scripturam esse dicit tanquam commune medicamentorum emptorium, vnde quotquot sumus homines, singuli eligamus medicamenta apta accommodataque propriis morbis, eãque ipsam ob caussam, esse à Spiritu Sancto conscriptam. Ergo, inquam, vt legatur à singulis: non enim dixit Basilius, vt inde alii nobis applicent pharmaca, sed potius ἕκαστοι ἐκλεγώμεθα, singuli ipsi nobis eligamus. Eandem repetit sententiam (ne temere quis excidisse putet) Epist. 1. καὶ τοίνυν ὅπερ ἂν ἕκαστος ἐνδεῶς ἔχοντος ἑαυτοῦ αἰσθάνηται, ἐκεῖνο περιδρατεῖσθαι οἷον ἀπό τινος κοινοῦ ἰατρείου τὸ πρόσφορον εὑρίσκει τῷ ἀρρωστήματι τὸ φάρμακον. *Proinde quandocunque se quis aliquo indigere senserit, ei assidue incumbens, tanquam à publica medicamentorum officina aptum suæ infirmitati remedium inuenit.* Non erat Iesuita: imo non erat Papista Basilius: nam hæc hominum genera eo maxime deterrent homines à Scripturis, quod ex ea nihil non mali, nullam animarum pestem, non oriri asseuerent: vt postea videbimus.

VII. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri Gorgoniam sororem laudat à meditatione Scripturæ. τίς ἔγνω τὰ περὶ τοῦ Θεοῦ πλέον ἐκ τε τῶν θείων λογίων, καὶ τῆς οἰκείας συνέσεως; *Quis magis nouit, quæ ad Deum pertinent, quam illa tum ex sacris oraculis, tũ ex proprio ingenio?* Vixit tamẽ in cõiugio Gorgonia.

VIII. Ephram, homilia de Patientia & consummatione huius seculi, multa habet præclara: è quibus ista, *Operam da semper, vt lectioni diuinarum scripturarum adhæreas, quæ te doceant, quomodo effugere oporteat laqueos inimici, & vitam æternam assequi. Nam sacrarum scripturarum lectio, mentem vagabundam contrahit, & colligit, donatque in Deum cognitionem.* Et post pauca, *Idcirco mi frater, vide ne negligas animam tuam, sed lectioni ac precibus sedulo incumbe, vt mens tua illuminetur, fiasque perfectus & integer, in nullo deficiens. Glorientur alii de magnatum, principumque, ac regum familiaritate atque colloquio: at tu coram Angelis Dei gloriare, colloquens, & cum Spiritu Sancto per sacras literas conferens: nam Spiritus Sanctus est, qui loquitur per eas. Da operam igitur, vt diuinarũ scripturarũ lectionẽ familiarẽ tibi reddas.* Nec multis interpositis, *Quod si legere forte nescias, adhibe eũ à quo audire queas, atq; proficere.*

IX. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. φιλομαθῶς ἐπίγνωθι παρὰ τῆς ἐκκλησίας, ποῖαι μέν εἰσιν αἱ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βίβλοι, ποῖαι δὲ τῆς καινῆς. καί μοι μηδὲν τῶν ἀποκρύφων ἀναγίνωσκε, ὁ γὰρ τὰ παρὰ πᾶσιν ὁμολογούμενα μὴ εἰδὼς, τί περὶ τὰ ἀμφιβαλλόμενα ταλαιπωρεῖς μάτην; Ἀναγίνωσκε τὰς θείας γραφὰς, τὰς εἴκοσι δύο βίβλους τῆς παλαιᾶς διαθήκης. Et post, ταύτας τὰς εἴκοσι δύο βίβλους ἀναγίνωσκε, πρὸς δὲ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν. ταύτας μόνας μελέτα σπουδαίως. *Studiose disce ab Ecclesia, qui sint veteris Testamenti libri, quique Noui: nec mihi quicquam Apocryphorum lege. Cum enim eos nescias qui apud omnes sunt in confesso, quid frustra labores in dubiis? Lege diuinas scripturas; viginti libros veteris Testamenti: Hos igitur viginti duos libros lege, cum Apocryphis caue habeas quicquam negotii: illos solos studiose meditare.* Et hæc quidẽ, apud illuminatos; hoc est, recens baptizatos declamabantur. Huic συνώνυμος, Alexandrinus τῶν γλαφυρῶν primo ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, τοῖς Ἰουδαίων δήμοις προσπεφώνηκεν ὁ Χριστός. οὐχ ἑτέρως ἂν ἰσχύσαι τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐφικέσθαι τινὰς ἐναργέστατα λέγων. εἰ μὴ καθάπερ τινὰ θησαυρὸν ἀνορύττοντες τὸ νομικὸν τὸ ἐν αὐτῷ κεκρυμμένον περιεργάζοιντο μαργαρίτην, τοῦτ' ἔστι, Χριστόν. *Scrutamini Scripturas, Iudaico populo, Christus inclamauit: non alia ratione ad vitam pertingere posse, quosdam,* (male Schottus: debuit enim *vllos*: nam græce οὔτινες nullos signat) *manifeste dicens: nisi veluti thesaurum quendam effodientes legalem literam, abditam in ea margaritam, hoc est, Christum, peruestigent.*

X. Ambrosius libri de Paradiso c. 12. *Gentilis quidam est, ad fidem tendit, Catechumenus est, maiorem vult accipere doctrinæ & fidei plenitudinẽ. Caueat, ne dum vult discere, male discat: & discat à Fotino, discat ab Ario, discat à Sabellio.* Et paulo post: *Prius igitur oculis mentis perspiciat quid sequatur, videat vbi vita sit. Tangat denique diuinarum vitalia lectionum, vt nullo prauo offendatur interprete.* Credidit ergo Ambrosius non tantum Catechumeno cupienti in fide proficere, sed etiam Gentili ad fidem aspiranti legendas esse Scripturas: Ipsum, inquã, Scripturarũ textũ, et sine cõmentariis. O peruersos Papistas! ô Iesuitarũ corruptissimũ ingeniũ! qui non tã gentiles arcent à Scripturis, quã Catechumenos: imo non Catechumenos, quos nullos habent, sed fideles, cuiuscunque ætatis, nisi ex clero: fortasse etiam ex clero non paucos.

XI Eusebius Emissenus, seu quis alius autor est, (nã huic certe non recte tribuũtur) earũ homiliarũ quę cunctis diebus Dominicis totius anni, ac feriis Quadragesimalibus legi solẽt, in ea homilia, quę habetur Dominica quarta post Ephiphaniã, ita habet, *Hãc cõsuetudinẽ Christiani habere debẽt, vt quotidie ad Ecclesiã veniãt: quotidie legãt ipsi, vel, si hoc nõ valẽt, alios legẽtes audiãt.* Cęsarius Arelatẽsis homil. 12. *Lectiones siue Propheticas, siue Apostolicas, siue Euangelicas, ẽt in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legẽtes audire potestis.* Rursus homil. 20. tota prolixe ac seuere fideles ad idipsum hortatur variis argumentis. Sed diserte. *Vos ergo fratres, rogo, vt quicunq; literas scitis, scripturã diuinã frequẽtius relegatis, qui vero nõ scitis, quãdo alii legũt, intẽtis auribus audiatis.* Theophylactus in 6. c. ad Ephes. *Si vis,* inquit, *tibi vt liberi obsequãtur, diuinis hos adde, & assuesce sermonibus. Nec dixeris monachorum esse sacris literis intendere animum: quinpotius Christiani cuiusuis hominis id sane officiũ est, & eius pracipue, qui in huius seculi rebus versatur.*

XII. Augustinus de Consensu Euangelistarũ lib. 1. c. 10. *Etiã à pueris, qui adhuc pueriliter in gradu lectorũ Christianas literas norunt; merito rideantur.* Confessionũ lib. 6. c. 5. eo sibi venerabiliorem, & Sacrosancta fide digniorem Scripturarũ autoritatẽ visam esse asserit, *quo & omnibus ad legendũ esset in prõptu, & secreti sui dignitatẽ in intellectu profundiore seruaret.* Valde dissentiens à Papistis, qui profunditatẽ illã identidẽ ingeminant, vt ne ab omnibus legatur: cũ tamen vtrũq; hic coniunctũ videamus. Nempe vt sciamus, nõ propterea nõ ab omnibus legendã, quia secretorũ suorũ dignitatẽ profundiore intellectu cõseruat. Idẽ Epist. 1. ad Volusianum. *Hortor, vt valeo, vt literarũ vere certeque sanctarũ studio te curã nõ pigeat impendere.* De Doctrina Christiana lib. 1. c. 40. *Cũ quisque cognouerit finẽ pracepti esse charitatẽ de corde puro, & cõscientia bona & fide nõ ficta, omne intellectũ diuinarũ scripturarũ ad ista tria relaturus, ad tractationẽ illorũ librorũ, securus accedit.* In Ps. 33. *Legite scripturas: ideo voluit Deus scriberẽtur, vt nos cõsolaremur.* Sermone 55. de Tempore. *Si Scripturas diuinas aut ipsi nõ legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipsa nobis medicamenta cõuertũtur in vulnera.* Et post, *Nec solũ vobis sufficiat, quod in Ecclesia diuinas lectiones auditis: sed et in domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite.*

XIII. Theodoretus Sermone 8. θεραπευτικῶν, rationẽ reddens, quare non sint eloquenter scripti libri sacri. οὐκ ἐβούλετο ὀλίγοις ἢ δέκα, ἢ πεντεκαίδεκα, ἢ ἑκατὸν, ἢ δὶς τοσούτοις τῶν σωτηρίων ἀπολαῦσαι ναμάτων, ἀλλὰ πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις, καὶ Ἕλλησι, καὶ βαρβάροις, καὶ τοῖς λόγοις ἐντεθραμμένοις, καὶ τοῖς λόγων οὐ γεγευμένοις, καὶ σκυτεῦσι, καὶ ὑφάνταις, καὶ χαλκοτύποις, καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι τὰς τέχνας μεταχειρίζονται, καὶ προσέτι τοῖς οἰκέταις, καὶ προσαίταις, καὶ γηπόνοις, καὶ ὑλοτόμοις, καὶ γυναιξὶν, ὡσαύτως ταῖς τε πλούτῳ περιρρεομέναις, καὶ ταῖς πενίᾳ συνεζυγμέναις, καὶ ἐκ χειρῶν βιοτεύειν ἠναγκασμέναις. Hoc est, interprete Acciaolo. *Locuples illa liberalissimaque diuinitas, noluit quinque solum decemue, aut quindecim, centumue aut ducentos homines aquis salutaribus recreari, sed cunctas affatim tũ Gracas tũ barbaras nationes. Neque solũ homines literarũ studiis innutritos, sed sutores iuxta textoresque, fabros itẽ ferrarios, cateros que manuales artifices: praterque hos ipsos, ẽt mendicos, agricolas, lignatores, fœminas quoque, tũ diuitiis affluentes, tũ manuũ suarũ studio parce ac duriter victitantes.* Idẽ in iis tractatibus aduersus varia hęreticorũ pronunciata, qui editi sunt secundo tomo operũ Athanasii, tract. 2. παθητικῶς refutans eos, qui negarent cõfugiendũ ad Scripturas. Ἀμελήσω γραφῶν; πόθεν ἡ γνῶσις; καταλείψω γνῶσιν, πόθεν ἡ πίστις; Παῦλος βοᾷ, πῶς πιστεύσουσιν, ἐὰν μὴ ἀκούσωσι, καὶ πάλιν, ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ. ὁ τοίνυν τὸ ῥῆμα χωλύων, τὴν ἀκοὴν ἐμφράττει, τὴν πίστιν ἐκβάλλει. καὶ ὅμως μὲν Ῥωμαίων ἀγνοεῖν ἀκίνδυνον οὐδείς. τὰ δὲ μεγάλα θεσπίσματα τοῦ βασιλέως τῶν οὐρανῶν οἱ κωλύοντες μελετᾶν καὶ μανθάνειν, ποίαν ἐπιβουλὴν οὐκ ἐργάζονται; Τροφὴ ψυχῆς ἡ γραφή· πῶς οὖν λιμοκτονεῖν τὴν ἔσω ἄνθρωπον, ἄνθρωπε, καὶ λιμὸν ἄγριον ἐπισπᾷ ... ... ὕδατος. ἀλλὰ τοῦ ἀκοῦσαι λόγον Κυρίου. Ἄλλος ἐπιφέρει τὰ τραύματα, καὶ σὺ κωλύεις ὑπάγειν τὰ φάρμακα, πᾶσαν ματαίαν ἀποφαίνων τὴν ποικίλην τῶν ἰατρικῶν βιβλίων σοφίαν. αἰδέσθητι τὸν φιλόλογον ἐκεῖνον εὐνοῦχον, ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης τῆς βασιλίδος, καὶ οὐδ᾽ ἐν ὁδῷ καταλιμπάνοντα τὴν ἀνάγνωσιν. *Vin-tu me scripturas negligere? vnde ergo cognitio? an cognitionẽ relinquere? Vnde fides? Clamat Paulus: Quomodo credent, si non audiant? Et rursus, Ergo fides ex auditu: auditus vero per verbum Dei. Quicunque igitur verbo obsistit, is auditũ obstruit, fidem expellit. Sed n. Romanas leges nemo ignorat impune. Eos ergo qui magni calorũ regis edicta nolunt quenquã meditari, & discere, quas nõ insidias instruere dicamus anima? Alimentũ est Scriptura. Quin igitur desistis, ô homo, hominem interiorẽ fame conficere? & fame quidẽ crudeli, non à pane & vino, sed ab auditu Dei. Non deest qui infligat vulnera, & tu prohibeas inferre remedia? Quin desinis variã medicinaliũ librorũ sapientiam, quasi frustraneã traducere? Incutiat tibi pudorẽ, ille saltẽ Eunuchus qui regina gazis prafectus ne in itinere quidẽ cessauit à legẽdo.* Dial 2. c. 11 Οὐ χρὴ τῶν θείων λογίων ὀλιγωρεῖν ἀναγνώσεως *Nõ est negligẽda diuinorũ oraculorũ lectio.* Orthodoxi verba sunt, quibus Eranistes succinẽs Καὶ τίς οὕτω τρισάθλιος, ὡς τῆς οἰκείας ἀμελεῖν σωτηρίας. *Quis est adeo infelix vt propriam negligat salutem.*

XIV. Apollinaris epist. 9. lib. 4. Vectii viri illustris actiones cottidianas describens, sacrorũ voluminũ lectionẽ frequentẽ noluit omissam, per quã inter edẽdũ sæpius sumebat animę cibũ, psalmos, crebro lectitans, crebrius cantans, vt nouo genere viuendi, monachũ cõpleret. Basilius Imperator in exhortationibus ad filiũ Leonẽ, ipsum ẽt post Imperatorẽ, c. 1. *Bona cũ primis, atque ad vitã recte instituendã perutilis res est literarũ cognitio, nõ solum regibus, sed ẽt priuatis hominibus: illis n. qui eã sibi acquisiuerunt, magnas adfert conmoditates & ad corpus, & animũ excolendũ: hunc quidẽ studio sacrarũ literarũ, illud vero exercitatione bonorũ operũ.* Rursus c. 17. *O fili, quẽadmodũ tenera planta fontibus irrigata virescunt, floresq; & fructus ferunt: ita mens tua sacrarũ literarũ studiis irrigata, magis ac magis augescet, ac pro fructib. egregias virtutes proferet.*

XV. Cæsarius Arelatensis homil. 20. *Nemo se excusare conetur, vt dicat: Nõ mihi vacat legere: & ideo non possum Dei pracepta vel agnoscere vel implere. Nec dicat aliquis vestrũ, Nõ noui literas, ideo mihi nõ imputabitur, quicquid minus de Dei praceptis impleuero. Inanis est, & inutilis excusatio ista, fratres charissimi. Primũ est. quod lectionẽ diuinã, ẽt si aliquis nesciens literas nõ potest legere, potest tamẽ legentẽ libenter audire. Qui vero literas nouit: nunquid potest fieri, quod nõ inueniat libros, quibus possit Scripturã diuinã legere? Tollamus à nobis fabulas vanas, mordaces iocos, sermones ociosos ac luxuriosos, quantum possumus respuamus & videamus, si nobis nõ remanet tempus, in quo lectioni diuina vacare non possimus.* Et paulo post. *Quando noctes longiores sunt, quis erit, qui tantũ possit dormire, vt lectionẽ diuinã vel tribus horis nõ possit aut ipse legere, aut alios legẽtes audire?* Rursus, *Nouimus aliquos negotiatores, qui cũ literas nõ nouerint, requirũt sibi mercenarios literatos: & cum ipsi literas nesciant, aliis scribentibus ratione sua* (an potius rationes suas) *ingentia lucra cõquirunt. Et si illi, qui literas nesciunt, cõducunt sibi mercenarios literatos, vt acquirant terrenã pecuniã: tu quicũque es qui literas non nosti: quare ẽt nõ cũ pretio & mercede rogas, qui tibi debeat scripturas diuinas relegere, vt ex illis possis premia aterna coquirere:* Post pauca. *Vos ergo fratres, rogo & admoneo, vt quicunque literas scitis, scripturã diuinã frequentius relegatis. Qui vero non scitis, quando alii legunt, intentius auribus audiatis. Lumen anima, & cibus aternus, nõ est aliud, nisi verbũ Dei: sine quo anima nõ viuere potest, nec videre.* Gregorius IX. ad Archiepisc. Græcor. apud Matth. Paris in Henrico III. *Cũ iuxta testimoniũ veritatis, occasio fit erroris ignorantia Scripturarum, cunctis expedit illas legere vel audire.*

XVI. Possunt alii plurimi huc adduci. Sed Hieronymo & Chrysostomo, nemo est qui diligentius hoc inculcet studiũ, à quo tantopere Papistæ abhorrent. Hieronymus. e. epist. ad Lætã de institut. filię, primo Hunnos laudat, quod Psalterium discerẽt. Deinde ipsã Lætę filiã ita vult institui, vt cõtinuo Scripturas legat. *Quærant eã* (inquit) *in itinere seculi inter turbas & frequentiã propinquorũ, & nusquã alibi reperiant, nisi in adyto scripturarũ Prophetas, & Apostolos de spiritualibus nuptiis sciscitãtẽ.* Et rursus. *Pro gemmis & serico diuinos codices amet: in quibus nõ auri & pellis Babylonica vermiculata pictura, sed ad fidẽ placeat emẽdata, & erudita distinctio. Discat primo psalteriũ, his se canticis auocet, & in Prouerbiis Salomonis erudiatur ad vitã. In Ecclesiaste cõsuescat qua mũdi sunt calcare: In Iob, virtutis & patientia exẽplar sectetur. Ad Euangelia transeat; nũquã ea positura de manibus. Apostolorũ acta & Epistolas tota cordis imbibat volũtate. Cũque pectoris sui collariũ his opibus locupletauerit, mãdet memoria Prophetas, Heptateuchũ, & Regũ, & Paralipomenõ libros, Esdra quoq; & Ester volumina. Ad vltimũ sine periculo discat Canticum Canticorum.*

XVII. Audin-tu Iesuita: audin-tu Papista, totũ Bibliorũ corpus puellæ propositũ quod euolueret? Nõ particulã dũtaxat aliquã; qua vos, cũ videri vultis liberalissimi, plebẽ vestrã deuincire vultis? Et quidẽ nõ addidit pręsentẽ aliquẽ doctorẽ è clero, Episcopũ, aut presbyterũ, aut saltẽ annosũ Monachũ. Sed matrẽ ipsã Lætã, indicauit magistrã: mulierẽ, & secularẽ, aut si illa minus posset ob negotia secularia, auiã & amitã: quas proinde cõcludimus iã fuisse in iisdẽ literis doctas: vt vna eadẽq; opera, quatuor nobis muliercularũ exẽpla proponãtur. Quis vero vnquã è sanctissimis Papistis, tanta diligẽtia, nõ dicã Monachũ, sed vel presbyterũ, vel Episcopũ monuit? vt pudẽdũ sit in medio Christianorũ, atq; eorũ quidẽ qui se solos vẽditãt pro Catholicis, nõ modo arceri plebẽ à lectione Scripturarũ: sed ne ab Episcopis quidem tantam desiderari in eo opere curam & diligentiam, quantum olim Hieronymus in puella volebat inueniri.

XVIII. Idẽ rursus ad Demetriad. de virg. seru. *Vnũ illud tibi nata Deo, praq; omnibus vnũ, pradicã, & repetens iterũq; iterũq; monebo, vt animũ tuũ sacra lectionis amore occupes.* Et iterũ. *Ama Scripturas sanctas, & amabit te sapiẽtia.* Rursus ad Saluiã de seru. vid. *Semper in manibus tuis sit diuina lectio.* Et, *de Scripturis sanctis habeto fixũ versuũ numerũ,* Et, *post Scripturas sanctas doctorũ hominũ tractatus lege.* Ad Celant. de instit. matrisfam. *Pracipua tibi cura sit legẽ nosse diuinã, per quã possis quasi prasentia cernere exẽpla Sanctorũ, & quid faciendũ sit, quidue vitandũ, illius cõsilio discere. Maximũ n. ad iustitia auxiliũ est, implere diuinis eloquiis animũ.* Et post. *Sint e. diuina Scriptura semper in manibus tuis, & iugiter in mente voluantur.* Idẽ in Marcella laudat diuinarũ Scripturarũ ardorẽ incredibilẽ, quo fieret, vt ipsũ Hieronymũ nũquã cõueniret, quin de Scripturis aliquid interrogaret: tantãq; sibi eruditionẽ cõpararet, vt si in aliquo testimonio Scripturarũ esset oborta cõtentio, ad illã iudicẽ pergeretur! Itane? mulierẽ iudicare de Scripturis? ô scelus! ô audaciã! Sed apud Papistas: apud Catholicos, mera pietas. Epist. ad eãdẽ Marcellã, vt cõmigret Bethlehem. *Quocũque te verteris, arator stiuã tenens, alleluia decantat: sudans messor Psalmis se auocat, & curua attondens vitẽ falce vinitor, aliquid Dauidicũ canit.* Nũ illi erant Caluinistæ? Nã hodie id quidẽ signũ eorũ, quos hoc nomine plebis odio Iesuitæ exponunt. Adeo quidẽ, vt pręstaret hominẽ in foro occidere, quã è Psalmis versiculum aliquẽ domi decantare: adeo priscos mores referunt Papistæ. Paulã in Epita. laudat, quod *Scripturas Sanctas tenebat memoriter* En tibi octo mulierculas, Lætã, Lætæ filiã, Paulã huius filiæ amitam, Demetriadem, Saluiam, Celantiam, Marcellam, in iisque commendatam serio Scripturarum lectionem.

XIX. Addo nonam, Eustochiũ, quam præfatione in Esaiæ commentaria testatur diebus ac noctibus in lege Dei meditari. Et decimam Blœsillam, à qua se rogatum refert præfatione in Ecclesiasten, vt in morem commentarioli obscura quæque eius libri dissereret, vt ipsa posset intelligere, quæ legebat. Et vndecimã Principiã, ex Epist. 140 *Habes ibi in studio Scripturarũ, & in sanctimonia mentis & corporis Marcellam & Asellam, quarũ altera te per prata virentia, & varios diuinorum voluminum flores ducat ad eum qui dicit in cantica, Ego flos campi.* Duodecimam, ex Epist. 151. Nam, cum Algasiæ quæstiunculas videret de Euangelio tantum & Apostolo propositas, indicium se inde ait sumere, veterem Scripturam ab ea non satis legi, aut intelligi. Vnde quis non percipiat, non placuisse Hieronymo, vel in fœmina, negligentiorem ẽt veteris Testamenti lectionem?

XX. Hæc exempla fuerunt particularia: sed hi iam loci generales. In c. 11. Esaiæ. *Frequenter euenit, vt homines seculi mysteria nescientes, simplici Scripturarum lectione pascantur.* Disertius præfatione comment. in Epist. ad Ephes. *Si quid quam est, quod in hac vita sapientem virum teneat, & inter pressuras & turbines mundi aquo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor, meditationẽ & scientiã scripturarũ. Cũ n. à cateris animantibus hoc vel maxime differamus, quod rationale animal sumus, & loqui possumus: ratio autem omnis & sermo diuinis libris contineantur, per quos & Deum discimus, & quare creati sumus non ignoramus, miror quosdam extitisse, qui, aut ipsi se inertia & somno dantes nolint qua praclara sunt discere, aut cateros, qui id studii habent, reprehendendos putent.* Aufer nomen Hieronymi: quis non iuret, hæc à Caluino scripta, aduersus Papistas? scripta in odium Iesuitarum? Sed multis est ergo Hieronymus in commendanda Scripturarum sedula, etsi priuata, lectione.

XXI. Venio ad Chrysost. In Gen. Hom. 6. *Librũ diuinũ accipiat aliquis in manus, conuocatisque proximis per diuina eloquia riget, & suã & cõuenientiũ mentem, vt sic Diabolicas insidias effugere valeamus.* Homil. 10. *Poterimus & domi versantes ante & post conuiuiũ acceptis in manus diuinis libris, vtilitatẽ inde capere, & spiritualẽ cibũ anima prabere.* Et paulo post. *Hac nostra salus est, ha spirituales diuitia, hac securitas, si sic nos ipsos quotidie munimus, & per lectionẽ, & per auditum, & per spirituale verbum.* Et 29. *Vidisti quomodo quacunque calamitate humanam naturam premente, conueniens ex Scripturis antidotum accipere liceat, & omnis vita huius repellatur cura, neque ab vllo quod accidit grauemur? Propterea obsecro, vt subinde huc veniatis, & diuina scriptura lectionem subinde auscultetis. Non solum, cum huc venitis, sed & domi diuina Biblia*

in manus

in manus sumite, & vtilitatem in illis positam magno studio suscipite: Inde enim plurimum lucri nascitur: primum quidem, vt lectione lingua reformetur: deinde anima pennas assumit, & eleuatur, iubareque solis iustitiæ illustratur: perque tempus illud ab immundarum cogitationum illecebris liberatur, multa quiete ac tranquillitate fruens. Insuper, quod ad augendas vires corporis sensibilis ille cibus facit, id animæ lectio præstat. Spirituale enim alimentum est, & fortem reddit animam, & constantiorem, & magis philosophicam, non permittens, vt à cogitationibus absurdis capiatur, sed leuem & alatam faciens in cœlum ipsum, vt dicitur, transfert. Tantum igitur lucrum, oro, ne per negligentiam amittamus, sed etiam domi vacemus diuinarum Scripturarum lectioni. Admiremur hoc loco, quantopere spiritus distet Papistarum, à Chrysostomi spiritu. Iste vix potest sibi satisfacere in enumerandis commodis lectionis sacræ, per omnes Christianæ vitæ partes: illi contra hoc sibi pensum assumpserunt, vt hanc eandem lectionem incommodis obruant. Adeo vt quemadmodum hic vix quicquam illa vtilius animæ proponit: ita illi nihil non modo inutilius, sed ne damnosius quidem possint pingere, vt paulo post videbimus.

XXII. In Matthæum homilia 1. hortatur plebem, vt prius legat, quæ erant à se publice explicanda: ὥστε δὲ εὐμαθέστερον γενέσθαι τὸν λόγον, δεόμεθα καὶ παρακαλοῦμεν, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων γραφῶν πεποιήκαμεν, προλαμβάνειν τὴν περικοπὴν τῆς γραφῆς, ἣν ἂν μέλλωμεν ἐξηγεῖσθαι. ἵνα τῇ ἀναγνώσει ἡ ἀνάγνωσις προοδοποιηθῇ. ὃ καὶ ἐπὶ τοῦ εὐνούχου γέγονε. καὶ πολλὴν παρέξει τὴν εὐκολίαν ἡμῖν. *Vt autem sit facilior tractatus, rogamus & hortamur (quod & in aliis scripturis fecimus) vt & præoccupantes legatis eã sectionem scripturæ, quæ nobis erit explicanda; vt lectioni lectio viam struat, quod in Eunucho illo factum est, & nobis minuatur labor.* Homilia 2. illi vehementer increpantur, qui in ediscendis sacris literis se præbent socordes: Et, ἀλλὰ τίς ἡ ἀπολογία τῶν ἐγκλημάτων, οὐκ εἰμι, φησί, τῶν μοναχῶν· ἀλλὰ καὶ γυναῖκα ἔχω, καὶ παιδία, καὶ οἰκίας ἐπιμελοῦμαι. Τοῦτο γάρ ἐστιν ὃ πάντα λυμαίνεται. ὅτι ἐκείνοις μόνοις νομίζετε προσήκειν τὴν ἀνάγνωσιν τῶν θείων γραφῶν, πολλῷ πλέον ἐκείνων ὑμεῖς δεόμενοι. τοῖς γὰρ ἐν μέσῳ στρεφομένοις, καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τραύματα δεχομένοις, τούτοις μάλιστα δεῖ φαρμάκων. *Quænam vero est horum criminum excusatio? Non sum* (inquit) *monachus: sed & vxorem habeo, & filios, & domum curare oportet. Enimuero hoc illud est, quod omnia quasi quadam peste corrumpit: quod illis solis existimetis conuenire lectionem diuinarum Scripturarum, cum sit vobis multo magis necessaria. Iis enim, qui versantur in medio: quique vulnera quotidie excipiunt, maxime opus est medicamentis.* Et paulo post, οὐκ ἔστιν οὐκ ἔστιν ἀλόγων πλεονεκτοῦμεν, ὡς τῶν γε ἄλλων ἐνεκεν καὶ σφόδρα αὐτῶν ἐλαττούμεθα. τοῦτό ἐστι τροφὴ ψυχῆς, τοῦτο κόσμος, τοῦτο ἀσφάλεια. ὥσπερ οὖν τὸ μὴ ἀκούειν λιμὸς καὶ φθορά. δώσω γάρ φησιν αὐτοῖς οὐ λιμὸν ἄρτου, οὐδὲ δίψαν ὕδατος, ἀλλὰ λιμὸν τοῦ ἀκοῦσαι λόγον Κυρίου. Τί γένοιτ' ἂν οὖν ἀθλιώτερον, ὅτι ἂν ὁ Θεὸς ὅπερ ἐν τάξει κολάσεως ἀπειλῇ, τοῦτο αὐτομάτως σὺ κατὰ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ἕλκῃ τὸ κακόν. *Hoc illud est, quo belluis præstamus, quo magis iisdem, quod ad reliqua pertinet, cedimus. Hic est animæ cibus, hoc ornamentum, hoc tutamen. Quemadmodum id non audire, fames est, & pestis, Dabo enim illis, inquit, nõ famem panis, aut sitim aquæ, sed famem audiendi verbi Dei. Quid miserius iam esse potest, quam, si quod Deus minatur pro vltione, id tu sponte tua in caput tuum trahas.* Homilia quinta. οὐ γὰρ ἔχρῆν ἀπὸ τῆς συνάξεως ἀναχωροῦντας, εἰς τὰ μὴ προσήκοντα τῇ συνάξει ἐμβάλλειν ἑαυτοὺς πράγματα. ἀλλ' οἴκαδε ἐλθόντας τὸ βιβλίον μετὰ χεῖρας λαβεῖν, καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ παιδία πρὸς τὴν κοινωνίαν τῶν εἰρημένων καλεῖν συγκροτῆς. *Enimuero non oportebat ab Ecclesiastico cœtu discedentes, in ea vos negotia coniicere, quibus cum hoc cœtu non bene conuenit: sed domum profectos, Biblia in manus sumere, & coniugem liberosque ad eorum, quæ dicta sunt, communionem vocare.*

XXIII. Ioannem homil. 32. Αἰσχυνθῶμεν τοίνυν, καὶ ἐρυθριάσωμεν λοιπόν. γυνὴ πέντε ἄνδρας ἐσχηκυῖα, καὶ Σαμαρεῖτις οὖσα, τοσαύτην περὶ δογμάτων ποιεῖται σπουδήν· καὶ οὔτε ὁ καιρὸς τῆς ἡμέρας, οὔτε τὸ ἐφ' ἑτέρῳ τι παραγενέσθαι, οὐκ ἄλλο οὐδὲν αὐτὴν ἀπήγαγε τῆς περὶ τοιαῦτα ζητήσεως ἡμεῖς δὲ οὐ μόνον περὶ τῶν δογμάτων οὐ ζητοῦμεν, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε διακείμεθα, διὰ τοῦτο τὰ πάντα ἠμέληται. τίς γὰρ ὑμῶν, εἰπέ μοι, ἐν οἰκίᾳ γενόμενος, πυκτίον ἔλαβε χριστιανικὸν μετὰ χεῖρας, καὶ τὰ ἐγκείμενα ἐπῆλθε, καὶ ἠρεύνησε τὴν γραφήν, οὐδεὶς ἂν ἔχοι ταῦτα εἰπεῖν, ἀλλὰ πεττοὺς μὲν καὶ κύβους παρὰ τοῖς πλείοσιν εὑρήσομεν ὄντας. βιβλία δὲ οὐδαμοῦ, ἀλλὰ καὶ παρ' ὀλίγοις. καίτοι δὲ οὗτοι οὐκ ἔχουσιν ὁμοίως διάκεινται. δήσαντες αὐτὰ καὶ ἀποθέμενοι διαπαντὸς ἐν κιβωτίοις. καὶ ἡ πᾶσα αὐτῶν σπουδὴ περὶ τῶν ὑμένων τῆς λεπτότητος, καὶ τῶν γραμμάτων τοῦ κάλλους, οὐ περὶ τὴν ἀνάγνωσιν. Et post, οὐδὲ γὰρ διὰ ταῦτα ἐδόθησαν αἱ γραφαί, ἵνα ἐν βιβλίοις αὐτὰς ἔχωμεν μόνον. ἀλλ' ἵνα καὶ ἐν καρδίαις αὐτὰς ἐγκολαψώμεθα. Et tandem. καὶ ταῦτα λέγω, οὐ κωλύων βιβλία κεκτῆσθαι. ἀλλὰ καὶ παραινῶ τοῦτο, καὶ σφόδρα εὔχομαι, βούλομαι δὲ ἐξ ἐκείνων καὶ τὰ γράμματα, καὶ τὰ νοήματα εἰς τὴν διάνοιαν περιφέρεσθαι τὴν ἡμετέραν. *Pudeat nos porro, & erubescamus. Mulier quæ quinque viros habuerat, & erat Samaritana, tanto studio ferebatur circa dogmata, vt eam neque diei tempus, neque quod ad aliud venisset, neque quicquam aliud, abducere potuerit ab eorum inquisitione. Nos vero, non tantum dogmata non inquirimus, sed in omnibus pariter remissi sumus & segnes. Propterea pessum eunt omnia. Quis enim nostrum domum redux codicem in manus sumit Christianum? quis ea, quæ insunt percurrit? quis scrutatur scripturas? Nemo id de se profiteri audeat. Alueolos quidem, talosque apud quam plurimos inueniamus. Biblia vero nusquam: saltem apud paucos. Atque hi quidem ipsi, perinde sunt quasi non haberent ita complicant, & componunt in scriniis. Horum studium est, vt sint tenuissimæ membranæ, literæ elegantes: non vt diligenter legant. Atqui non eo datæ scripturæ, vt in foliis habeantur tantum, sed vt cordibus insculpantur. Nec tamen hæc dico, quod nolim comparari codices: quin potius valde hortor, & cupio: sed volo ab iis & literas, & sensus animis nostris repetamus.*

XXIV. Præfatione in Epistolam ad Romanos valde conqueritur, quod Paulum non omnes ita nouerint, vt nosse oportuit. τοῦτο δὲ γίνεται (inquit) οὐ παρὰ ἀμάθειαν. ἀλλὰ παρὰ τὸ μὴ βούλεσθαι συνεχῶς ὁμιλεῖν τῷ μακαρίῳ. *Hoc fit nõ propter ignorantiam, sed propterea quod nolunt assidue hunc Sanctum versare.* Et paulo post, cum negasset proprii ingenii viribus se ea didicisse quæ sciret: ὥστε καὶ ὑμεῖς εἰ θέλετε μετὰ προθυμίας προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, οὐδενὸς ἑτέρου δεηθήσεσθε. ἀψευδὴς γὰρ ὁ τοῦ Χριστοῦ λόγος εἰπών, ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε. κρούετε καὶ ἀνοιγήσεται. *Quare & vobis, si vultis alacriter incumbere lectioni, nihil erit præterea necesse. Non mentitur enim Christus, qui dixit, Quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur.* Nec multis interiectis, καὶ γὰρ ἐντεῦθεν τὰ μυρία ἔφυ κακά, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας. ἐντεῦθεν ἡ πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐβλάστησε λύμη. ἐντεῦθεν οἱ ἠμελημένοι βίοι. ἐντεῦθεν οἱ ἀκερδεῖς πόνοι. ὥσπερ γὰρ οἱ τοῦ φωτὸς ἀπεστερημένοι τούτου, οὐκ ἂν ὀρθὰ βαδίσειαν. οὕτως οἱ πρὸς τὴν ἀκτῖνα τῶν θείων μὴ βλέποντες γραφῶν, πολλὰ ἀναγκάζονται, καὶ συνεχῶς ἁμαρτάνειν. ἅτε ἐν σκότῳ χαλεπωτάτῳ βαδίζοντες. *Hinc infinita oriuntur mala, scilicet, ab ignorantia Scripturarum. Hinc pullulauit vt plurimum hereseon pestis: hinc vita negligenter acta: hinc inutiles labores. Quemadmodum enim, qui hac luce destituuntur, recta incedere nequeunt: sic, qui ad radios diuinarum Scripturarum oculos non intendunt, eos necesse est multa subinde peccare, tanquam in tenebris densissimis ambulantes.*

XXIV. Sed nusquam aut copiosius, aut vehementius hoc egit negotium Chrysostomus, quam concione 3. de Lazaro. Primo monet plebem, vt textum, quem esset interpretaturus præueniens legat apud se. *Crebro* (inquit) *vobis prædicimus multis ante diebus argumentum, de quo sumus loquuturi, vt his in medio diebus sumpto libro, perpensaque rei summa tota, postea quam intellexeritis, quid dictum sit, quid restet dicendum, mentem vestram instructiorem reddatis ad audienda quæ post differentur.*

XXV. Tum, sumpta inde occasione, longius progressus in ea lectione commendenda. *Itaque semper hortor* (inquit) *& hortari non desinam, vt non hic tantum attendatis iis quæ dicuntur, verum etiam, cum domi fueritis, assidue diuinarũ Scripturarum lectioni vacetis. Quod quidem & iis, qui priuatim mecum congressi sunt, non destiti inculcare.* His subnectit increpationem eorum, qui varias suæ in hoc studio negligentiæ causas prætexebant, forenses occupationes, vxorem, libros, familiam, vitæ genus mundanum: auderentque asserere, non pertinere ad se eam lectionem, sed ad Monachos, & Eremitas. Quæ omnia sunt Papistarum totidem verba, tum laicorum excusantium se, tum Iesuitarum eos deterrentium. Quid hic autem Chrysostomus? Elata voce, vt indignationem facile agnoscas: *Quid ais homo? Non est tui negotii Scripturas euoluere, quoniam innumeris curis distraheris? Imo tuum est magis quam illorum: Neque enim illi perinde Scripturarum egent præsidio, atque vos in mediis negotiorum vndis iactati.* Et exaggerat hunc locum ex diligenti comparatione Monachorum, & eorum, qui se mundanos vocitabant: enumeratisque multis peccati laqueis, in quos facile seculares induuntur, exclamat ad extremum, *Neq; nunc fieri non potest, inquam, fieri vt quisquam salutem assequatur, in perpetuo versetur in lectione spiritali.* O Iesuitis ingratissimam vocem! Nam Ioannes Hayus in quæstionibus Gallicis pro magno scelere obiiciebat, Bezam dixisse in Confessione: Quisquis Sacrorum librorum lectione hominibus interdicit, eum omnem spem certæ consolationis ac salutis adimere.

XXVI. Inde Chrysostomus docet, quemadmodum artifices aut operarii nunquam patiuntur suis se instrumentis destitui, sic ne Christianum quidem debere Scripturarum libris vacuam habere domum. Tum ad eos conuersus, qui se negant intelligere quæ scripta sunt, (quo se argumento præcipue iactant Iesuitæ, quasi mera demonstratione) varie respondet: primo, ne non intellectæ quidem Scripturæ nullam esse vtilitatem: secundo, fieri non posse, vt omnia ex æquo ignorentur, ita, siquidem à Spiritu Sancto dispensatam esse Scripturam, vt publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, & Apostoli, idiotæ, illiterati, per hos libros salui fiant: nec quis idiotarum ad hanc difficultatis excusationem confugere possit: vt omnibus facilia conspectu essent, quæ dicuntur, & opifex, famulus, vidua mulier, atque etiam omnium hominum indoctissimus, ex audita lectione, aliquid lucri, vtilitatisque reportet. Multisque in eam sententiam expositis, exclamat: *Prætextus iste est, & excusatio, pigritiæque velamentum. Non intelligis quæ insunt: quomodo possis aliquando intelligere, quæ ne leuiter quidem inspicere velis?* Tertio, eorum ipsorum, quæ non intelliguntur, inuestigandorum rationem docet; assiduam lectionem atque iteratam doctiorum interrogationem, diuinam reuelationem.

XXVII. Denique totum hunc sermonem claudit in hæc verba, *Magna aduersus peccatum munitio est Scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio: magna salutis perditio, nihil scire ex diuinis legibus. Ea res & hæreses peperit, ea vitam corruptam inuexit, hæc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, vt quis sine fructu discedat, qui assidua attentaque Scripturarum lectione fruatur.* Notatu dignum epiphonema. Iesuitæ omnium malorum fontem imputant lectioni Scripturarum: Chrysostomus ignorationi. Illi hæreses inde maxime oriri clamitant, quum à quolibet sacri libri voluuntur: hic vero eas ipsas asserit inde potius generari, quum Scripturæ non euoluuntur. Deus bone! tantumne immutatam Christianitatem! Lepide ad huius loci marginem Erasmus annotauit, eaque verba, quæ ignorationi Scripturarum hæreses imputant: *At nunc* (inquit) *excludit hæreses.* Non insulso sarcasmo Papistis insultans: nunc noua fraude opponentibus Indices expurgatorios: vt Tyrannide vincant, quando ratione non possunt.

CAP. V.

Aduersariorum exceptiones aduersus superiora Patrum testimonia.

I. DIssimulant aduersarii hanc tantam antiquorum testimoniorum & copiam & vehementiam: vt solent à Solis radiis oculos auertere, quibus lippitudo est incommoda. Nam Bellarminus & Stapletonus solum respondent ad Chrysostomum. Non excusanda vafritie. Bellarminus enim in magno illo Controuersiarum corpore, videri vult nihil omisisse è nostris argumentis non refutatum. Stapletonus parcior ille quidem; sed hic tamen sibi non vnum Chrysostomum, imo Patres obiecerat indefinite: neuter particularem alicuius è nostris refutationem assumebat; sed controuersias eligebat tractandas libero campo. Quæ igitur hæc, quantaque ineptia? ex tota antiquitate vnicum vel locum, vel certe auctorem nominare, cui respondeant? Eligant alterutrum, necesse est. Vel enim ignorarunt, quæ nos ex aliis Patribus obiicimus: vel dissimularunt. Si ignorarunt, ostendunt se negligentius in hoc negotio esse versatos, quam viros deceat publicæ, ne dicam suæ, vtilitatis studiosos: sin dissimularunt, produnt se non bonos viros.

II. Bellarminus ergo respondet, verba Chrysostomi, quæ in concionibus proferebat, semper accipienda iuxta mentem ipsius, & occasiones, quibus ad ea dicenda adducebatur. Quia igitur sui temporis homines adeo erant Theatris dediti: vt Scripturas nunquam legerent, ne ii quidem, qui capaces erant, propterea hortatum esse Chrysostomum omnes ad earum lectionem: non quod vellet omnes omnino etiam rudissimos id facere, sed eos saltem qui cum fructu poterant. Solere autem amplificationibus vti, probat quibusdam exemplis. Atque hoc sophisma Stapletonus confirmat suo calculo, explicatque in hunc modum: quæ à Patribus pro concione ad populum dicuntur, non ita presse, & proprie & iuxta dogmaticam veritatem accurate dici solere, sicut a-

alia quæ diſputando & commentando ſcribunt, adeo vt ad regulam ſcholaſticam exacta, minus ſolida, & firma inueniantur. Didicerat vterque à Sixto Senenſi, annotat. 152. lib. 6.

III. Sed addit Stapletonus aliam ſolutionem: Chryſoſtomum videlicet nuſquam hortari populum ad Scripturas legendas, tanquam ad rem plane neceſſariam: ſed tanquam ad rem illis vtilem & oportunam, quibus hoc dicebat. Denique opponit Baſilium in regulis breuioribus ad interrogationē 235. Nam interrogatus, an expediat multa ex Scripturis ediſcere, reſpondet cū hac diſtinctione, ꝙ rectoribus populi neceſſarium hoc ſit, priuatos autē debere, quæ officii ſui ſunt, ſtudioſe exſequi, neque curioſe vlterius quicquam inquirere, nec ſapere plus quam oportet.

IV. Sed hæc huiuſmodi ſunt, vt numerari debeant, inter illa excogitata commenta, quibus auctores Indicis expurgatorii Belgici, profitentur ſe ſolere commodum ſenſum Patribus affingere, dum ſibi opponuntur in diſputando. Quod, quicunque locos à nobis enumeratos diligenter conſiderauerit, facile comperiat. Et primum, etiamſi hæc vera eſſent in Chryſoſtomo, cuius prę ter homilias, pauca habemus opera, quid ad reliquos reſpōſuri ſunt? Reliquos inquam, qui non verſantur in concionibus ad populum, ſed in operibus otioſe compoſitis, & meditatione ſeria exactis? Nam Clemens ille Apoſtolorū διατάξας vel vere colligebat, vt Papiſtæ volunt, vel videri volebat colligere. Et quidem διαταγὰς eſſe hyperbolicas, non eſſe ad regulam ſcholaſticam exactas, eſſe minus ſolidas & firmas, quis audeat dicere; maxime Apoſtolicas? Baſilius Imperator ſimili labore præcepta dabat nato ſuo. Nazianzenus, non quid faciendum cenſeat, exponit, ſed quid in ſorore factum ſit, oſtendit: Ne Auguſtinus quidem concionabatur: ſed ſuā ipſius conſcientiam aperiebat in cōfeſſionibus, quibus vix quicquā legi poteſt humilius, facilius lenius. Quid Hieronymum dicam? Nam, ne ille quidem δημηγορεῖ: à quo homilias, quod ſciam, prorſus nullas habemus: ſed tantū opera ad lucernam elaborata. Quid Theodoretus? Hic certe non declamabat ad populum, ſed otioſe, apud ſe domi commentabatur, diſputans, tum aduerſus Ethnicos, tum contra Hæreticos. Ergo hi omnes atque alii nobis ſuperſunt omni exceptione maiores.

V. Secundo, illud de Theatris nihil ad rem, varias ob cauſas: primo, quia non eſt perpetuum, ſed vni tantum aut alteri loco proprium: nam alibi alias occaſiones habet: aliquando, vt attentam efficiat plebem ſuis explicationibus homil. 1. in Matthæum, & concione 3. de Lazaro: alias exemplum mulieris Samaritanæ, vt homilia in Ioannem 31. alias ignorationem Scripturarum, vt præfatione ad Romanos: alibi alias. Secundo, quia eæ rationes quibus innititur, pleræque nihil pertinent ad Theatra, ſed omnes Chriſtianæ vitæ partes, quæ certe eſſent, quamuis nunquam vlla Theatra fuiſſent in rerum natura. Tertio, Papiſtæ, etſi ſuos habeant hodie furioſe deditos, non Theatris quidē quæ nulla habent, ſed Bacchanalibus, quæ curioſe celebrantur, à Natalibus ad Quadrageſimam vſque: tamen, vt eos inde abſtrahant (nam cœperunt nō ita pridem Ieſuitæ aliquantulum in ea crimina declamare) nunquam laicos hortantur ad hanc Scripturarum lectionem: ſed nō confeſſiones ingeminānt aut geniculationes, aut ξηροφαγίας, & ſimilia. Quid ni poterat ſimiliter Chryſoſtomus ingerere plebi quæcunque tum erant diſciplinæ Chriſtianæ partes? cur hanc potius vrgebat lectionem? Niſi cupide omnes occaſiones amplexaretur, vt eo populum ſuum abduceret? Denique non tantum iubet abſtinere à Theatris, ſed etiam ab aliis negotiis huius vitæ non malis, imo neceſſariis, vt interea locus detur huic lectioni. Sic enim homilia in Matthæum 5. prohibet auditores poſt concionem, ἅπτεσθαι τῶν βιωτικῶν πραγμάτων, h.e. interprete Aniano, transferre ſe ad ea negotia, quæ huic vitæ ſunt neceſſaria.

VI. Tertio: fateor equidem apud Chryſoſtomum non pauca occurrere hyperbolica, atque hoc vtinam ii ipſi diligenter obſeruarent, qui nunc, cùm ſibi commodum videtur hoc ſe clypeo defendunt: & non vrgerent illa in myſterio Euchariſtiæ ὑπερβολικώτατα; Ipſum vides, ipſum tangis. Sed primum ſi hyperbolice loquutus eſt, ergo rem ipſam valde voluit auditoribus cōmendatam, & quaſi intimatam. Nam is mos eſt hyperbolarum. Exempli gratia id ipſum erit ꝙ iam attigi. Voluit Chryſoſtomus valde ſuis auditoribus perſuaſum, in myſteriis offerri Chriſtianis ipſum corpus, ipſum ſanguinem Chriſti, ne quid alias animo conciperent minus dignum tanto munere: propterea vocibus indulſit omnem fidem ſuperantibus, ipſum vides, ipſum tangis, labra rubent ſanguine, dentes infiguntur carni eius, & ſimilibus. Eadem ergo ratione dico, ſi in hoc argumento modum Chryſoſtomus exceſſit, certe voluiſſe hoc ipſum valde ſuis auditoribus perſuaſum, nimirum, vt Scripturas legerent.

VII. Quarto, hoc ipſum, vt Scripturas omnes legerent, nego eſſe hyperbolice dictum: ſed ſerio, præſentique animo. Rationes hæ ſunt. Prima: Quod non vno loco aut altero, nec perfunctorie hoc agat Chryſoſtomus, ſed pluribus, hoc eſt, quoties ſe illi commoda occaſio præbuit, ſiue applicandi alicuius loci, qui erat prę manibus: ſiue reprehēdendorū vitiorum: ſiue excitandorum auditorum ad aſſequendum doctorem. Secunda, quod non tantum publice in concionibus, ſed etiam ſeorſim in priuatis colloquiis idem ſingulis inculcabat, vt ipſe teſtatus eſt. Tertia: quod rationibus idipſum confirmet: ꝙ nunquam fit in hyperbolis, vtpote quæ veritatem excedant, ac proinde confirmari non poſſint vlla ratione. Chryſoſtomus autem hic multus eſt, enumeratque commoda quæ oriuntur ex ſedula lectione, contra vero incommoda, quæ eadem neglecta parit. Quarta: ꝙ eas quæ in oppoſitum afferuntur, ſiue rationes, ſiue excuſationes, refutet: atque eas, has ipſas, quibus Papiſtæ freti hodie contrahunt ad paucos facultatem eius lectionis: puta, obſcuritatē Scripturæ, & occupationes ſeculares. Quod ſi eaſdem rationes refutet, ergo idipſum damnat, quod hodie Papiſtæ probant: at Papiſtæ, non hyperbolice, ſed valde ſerio prohibent vulgo legi Scripturam: Ergo Chryſoſtomus eos impugnat, qui ſerio negant vulgo legi debere Scripturā. Quinta, quia in eos inuehatur, qui cum haberent apud ſe codices, non tamen legerent: quo ſignificatur, iam ante has eius Conciones perſuaſum fuiſſe Chriſtianis haberi debere à ſingulis ſacros codices: vnde paulatim factum vt à nonnullis inutiliter haberentur. Sexta, ꝙ & probaret, & hortaretur ſuos ad emendos codices: cū tamen hodie Ieſuitæ non tantum non hortentur ad acquirendos, ſed potius acquiſitos extorqueant à poſſeſſoribus, & acceptos flammis mādent, ꝙ in his regionibus ſæpe factitatum eſt. Quod ſi Ieſuitæ hos codices & extorquentes, & comburentes, non hyperbolice, ſed ſerio, nolunt legi: certe Chryſoſtomus eoſdem & acquirendos docens, & de acquiſitis gaudens, ſatis ſignificauit, ſe non hyperbolice, ſed ſerio eoſdem legi voluiſſe.

VIII. Denique, ſi hyperbolice loquutus ſit, neceſſe id eſt quod ipſe hyperbolice faciendum docet, nunquam eſſe in Eccleſia factitatum. Nam hyperbolicum id eſt, ꝙ non eſt verum: at ſi factitatum, etiam verum. Fuiſſe a. re vera, non a. hyperbolice lectas Scripturas in Eccleſia, certum eſt. In ea n. nullum eſt hominum genus, ꝙ non oſtendamus libere verſatum in Scripturæ lectione: ſenes pueros, eruditos, imperitos, mulieres, eaſque coniugatas, viduas, virgines, maritos, pauperes, diuites, clericos, monachos, laicos: atq; in laicis etiam opifices: nam Chryſoſtomus homilia 5. in Matthæum, Ioſephum fabrum lignarium Virginis maritum dicit συνανατετράφθαι ταῖς Προφήταις innutritum eſſe Prophetarum libris. Denique etiam catechumenos, hæreticos, Ethnicos. Quibus omnibus ſi conueniat Scripturarum lectio, ꝙ mihi Ieſuitæ proferent hominum genus, cui ſit interdicta? Et nobis iſti fingant hyperbolen contra experientiam? hi mentitum dicant Chryſoſtomum?

IX. Non cōmendari a. eam lectionem tanquam neceſſariam, ſed duntaxat vtilem, primo quid ad rem? An minus Papiſtas Chryſoſtomus damnat? At Papiſtæ non tantum non neceſſariam, ſed ne vtilem quidem eſſe volunt: imo vero etiam noxiam: ergo hoc ſaltem capite contradicunt Chryſoſtomo. Secundo, id Stapletoni mendacium eſt. Contra n. eo tendit Chryſoſtomus, vt doceat eam lectionem, eſſe non aliquid ἀδιάφορον, ꝙ ſiue adſit, ſiue abſit, perinde eſt: ſed eiuſmodi vt ea vix ac ne vix quidem carere poſſit Chriſtianus. Mitto, ꝙ vrgere poſſum, nullum alias ei ius fuiſſe populi, non ſimpliciter adhortandi, ſed ſeuere increpandi. Hæc a. verba, cur non legerunt, cur neglexerunt? cur aure ſurda, imo mente obſtipa prætererunt, hæc, inquam, verba, quæ libens repeto? *Non poteſt fieri, non poteſt, inquam, fieri, vt quiſquam ſalutem aſſequatur, ni perpetuo verſetur in lectione ſpiritale.*

X. De Baſilio facile negotium. Duo ille diſtinguit hominum genera, vt alii ſint præpoſiti, alii ſubiecti: illos aſſerit oportere noſſe quæcunque ad omnes pertinent: hos vero ea quę ſui ſunt officii, eaq; mente vtriſq; verſandū eſſe in Scripturis. Optime ſane: ſed arcendū tamen à Scripturis quenquā non dixit Baſilius. Imo potius admittendū: quomodo n. poſſent alias quilibet quęrere quę ad ſe pertinent? Ergo nō eſt Chryſoſtomo cōtrarius Baſilius. Et fruſtra ſe è Chryſoſtomi locis extricare conantur Bellarminus, Stapletonusq;.

XI. Non debeo Frontonem Ducæum Burdigalenſem Ieſuitā prętermittere, qui ad locum Baſilii in Pſalmum 1. ab illuſtri viro Philippo Morneo citatum, reſpondebat, Etſi ſit Scriptura medicamentorum officina communis, non ſequi tamen ab omnibus eſſe legendam: quia quicunque medicamentū inuenit accommodatum ſuo morbo, non tamen ſibi ipſe applicat, ſed ex medicorum conſilio: multo autem magis debere nos vti eorum ſententia in animæ negotio, qui nos docent.

XII. Ridicule inquam. Primum enim, non ſolus nobis nominatus eſt Baſilius: alii autem de legendis Scripturis multo diſertius loquuntur, quam vt vlla Sophiſtice fucum facere poſſit. Inter quos Chryſoſtomus homil. 9. in Geneſin, cum dixiſſet cuicunque calamitati conueniens antidotum è Scripturis accipere licere, hoc argumento ſuos hortabatur; vt non tantum lectiones publicas auſcultarent, ſed etiam priuatis attenderent. Ergo quod diſerte concludendo non inſerebat Baſilius, infert Chryſoſtomus.

XIII. Secundo, hoc à Frontone quæro: an diſtinguat inter medicamentum eligere, & medicamentum ſibi applicare, an vero confundat vtrumque tanquam vnum idemque. Nam ſi diſtinguit, vt aliud ſit medicamentum eligere, quam applicare: quid nobis nocet? Non enim Baſilius loquitur de applicatione, ſed de electione. Quemadmodum autem nō poteſt quis ex pharmacopolarum taberna ſibi medicamentum eligere, qui non ipſe vtitur ea taberna: ſic neceſſe erit vti Scripturis, hoc eſt, legere. Nos autem non negamus ab imperitioribus conſulendos peritos, à laicis, doctores. Sin autem confundit, & æque non debere à ſingulis eligi, ac applicari, hæc non iam ſolutio erit, ſed Baſilii directa refutatio, cuius hæc verba ſunt, *vt inde ſinguli eligamus pharmaca conuenientia.* Audin-tu Fronto: nō vt alii nobis eligant, ſed vt ipſi nobis eligamus. Itaque non eſt appoſita medicorum ſimilitudo. Nam corporalium medicamentorum officinæ non ſunt huiuſmodi, vt inde ſibi quilibet eligat pharmaca: quod in Scripturis fieri vult Baſilius, cuius inducta ſimilitudo mentem non illuſtrat, ſed euertit.

CAP. VI.

An ſit neceſſarium Scripturas legi.

I. THomas Hardingus Scripturas lingua vernacula proponēdas nō eſſe, vt totę ab omni hominum genere legantur, ſine vlla temporis, loci, perſonę reſtrictione, his conſiderationibus ſuadet. Primo id parū eſſe neceſſariū: deinde minus conſentaneū: tertio nō vtile: quarto periculoſum & noxiū. Placet horū capitū diſtributio: itaque ſequar: eoq; quantū fieri poterit, aliorū argumenta reuocabo.

II. Ergo neceſſariū non eſſe docet, primo, quia id hactenus nunquam in Scripturis ſacris reperiri potuerit. Secundo, quia gentes barbaræ, & indoctæ, fidē conſeruarint ſine literis & ſcriptis, quorū erant imperitę, per Traditionē ac prædicationem, non minus quam cæteræ gentes, quæ doctarū linguarū Hebraicę, Græcę & Latinę adiumentis vterentur. Hoc a. probatur, ex Irenæo c. 4. lib. 3. aſſerente, Apoſtolos barbaris nationibus fidem prædicaſſe, illaſque Traditionum rationem ſeruantes, ſalutem ac fidem ſuam in cordibus ſcriptam habuiſſe ſine ſtylo aut calamo, & atramento, & omnibus omnino literis. Deinde ex Hilarii prologo in explanationem Pſalmorū: qui etſi oſtendat diuinę volūtatis myſteriū tribus linguis præcipue annunciari: tamen fatetur, multas barbaras nationes veram Dei cognitionem adeptas eſſe per Apoſtolorū prædicationem, & fidem Eccleſiarum.

III. Reſpondeo, primo, nullam eſſe vim argumenti, aut eius partium cōſequentiam. Non eſt neceſſarium Scripturas ab omnibus legi: Ergo nō permittendæ ſunt omnibus. Multa n. omnibus permittuntur, quæ non ſunt neceſſaria: dum aliquid habeant vtilitatis. Sic nō erat neceſſe Pſalmos cani ab aratore, aut vinitore, dum operi ſuo inſtat. & tamen teſtatus eſt Hieronymus libere factum, i. e. permiſſum. Nā ſi fuiſſet prohibitū, tū ſane aut illi nō feciſſent, aut Hieronymus nō probaſſet. Sic apud Papiſtas, nō exiſtimantur, opinor, neceſſariæ peregrinationes ad Compoſtellanū, aut Lauretanum idolum & tamen omnibus abſque diſcrimine permittuntur. Denique, ne longum faciam, neminem, opinor, mentis ſanæ conceſſurum hoc axioma, Nihil permittendum eſt, niſi quod ſit neceſſarium. At hoc ſi falſum eſt, ruit totum argumentum, euerſo fundamento.

IV. Secundo, necessarium dicitur vel ἁπλῶς, vel κατά τι. Primo necessitati ordini nullum hic esse fatemur locum: quia potest Deus alio modo saluti nostræ prouidere, vt factum est apud Barbaras illas nationes, quas Irenæus, & Hilarius nominarunt. Et nos cap. 1. constituentes statum controuersiæ hanc sententiam primo loco numeratam à Stapletono explosimus, non minus quam ille.

V. Sed hac profligata necessitate, superest alia κατά τι. Cuius prima ratio est, ipsa Scripturæ natura, quæ eo tantum inuenta est vt legatur. Vnde Chrysostomus dicebat, οὐ διὰ τοῦτο ἐδόθησαν αἱ γραφαί, ἵνα ἐν βιβλίοις αὐτὰς ἔχωμεν μόνον ἀλλ' ἵνα ἐν καρδίαις αὐτὰς ἐγκολάψωμεν. *Non datæ sunt in eum finem Scripturæ, vt habeantur in codicibus duntaxat: sed vt cordibus insculpantur.* Itaque quicunque Scripturarum lectionem prohibet, easdem inutiles efficit, & Dei donum summouet, quantum in eo est. Proinde vere possumus dicere, ex parte Scripturarum, necessariam esse lectionem: quemadmodum ex parte Sacramentorum necessaria est communio: quia instituta sunt Sacramenta, in eũ ipsum finem, vt iis fideles communicent, adeo vt aliter Sacramenta esse non possint.

VI. Rursus κατά τι necessariæ sunt Scripturæ, quatenus necesse est doctrinam iis contentam à singulis sciri, qui quidem fideles esse volunt. Non enim aliunde hauriuntur fidei dogmata, vt alias prolixe disputauimus. Itaque Chrysostomus non veritus est asserere, fieri non posse, vt quisquam salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali, videlicet sacrorum librorum. Nimirum Scripturæ sunt non ipsæ literarum picturæ, aut eas continentes membranæ, sed quæ iis literis significantur mysteria: propterea quicunque ea mysteria recolit, is Scripturas meditari dicendus est. Nec enim ita lectionem vrgemus; vt aduersarii aut putant, aut putare videntur, vt quisque suis oculis eos characteres percurrat: quod scimus ab ἀναλφαβήτοις fieri non posse: sed vt olim veteres solebant dicere: vel legant, vel audiant legentes. Absurdum autem censemus, & amentiæ proximum, si ipsa quidem mysteria permittantur, mysteriorum autem notæ, id est, scriptæ literæ, picti characteres, prohibeantur.

VII. Ad hæc, necessaria dici potest lectio: quia debet in singulis esse μετὰ τῆς πληροφορίας, cum certa & indubitata assensione: quæ nusquam melius habetur, quam ex Scripturis. Itaque debent fideles Scripturarum ipsissimum textum, vel legere vel audire, vt certum habeant suæ fidei fundamentum, & sint quasi αὐτόπται veritatis, nimirum quatenus, quæ alias habent tantum ex hominum auditu, quorum non est indubitata, aut ἀναμφήριστος auctoritas, ea iam ipsi suis oculis legunt in Scripturis Sacris, ad quas ne vmbra quidem erroris accedere potest.

VIII. Itaque Hardingi rationes nihil conficiunt. Negat prima inueniri in Scripturis necessitatem Scripturarum. Si absolutam intelligit, nec nos eũ vrgemus. Sin alteram: negatur. Nam, quia hæc pendet à Dei institutione, huc referendus est locus ille ex Deuteron. 6. quem explicauimus cap. 2. Sic enim censet Clemens Constitutionum 1. nam eo alludi nemo dubitabit qui verba expendet. Repeto igitur locum, *Scripturas sanctas assidua memoria meditare. Scriptum est enim, in lege eius meditaberis die & nocte, deambulans in agro, & domi sedens, cubans, & experrectus, vt in omnibus sis intelligens.* Quis neget sensum esse, diligenter meditandas Scripturas, quia sic præceperit Deus? Quod si præcepit, ergo catenus necessarium est: & necessitas probatur ex Scriptura: quod Hardingus non putabat: tam Scripturarum erat vel diligens lector, vel peritus interpres.

IX. Altera ratio barbaros nominat sine Scripturis credentes. At hoc nihil ad rem. Id enim eo fit, quod non sunt Scripturæ absolute necessariæ. Nec nos ignoramus etiam in mediis Ecclesiis non paucos esse, qui credant ex sola traditione, id est, instructione, quæ fit per viuam vocem. Sed non sequitur, vt, si qui Scripturam, quam non habent, non legunt, ideo qui habent, legere non debeant: vel, vt nullis non habentibus sit tradenda vt legant. Alias quis excusabit eos, qui & Vetus Testamentum Græcis tradiderunt, quod non habeant: & vtrumque Latinis?

X. Huc refero, quæ Cordubensis in hunc scripsit modum, vt probet fidei Doctrinam plebi, non Scriptura, sed viua voce tradendam esse, articulo primo, c. 8. Diuina Scriptura Dominum nostrum Iesum Christum, viua voce docuisse Apostolos fidei doctrinam, atque præcepisse, quod illi eandem simili modo cæteros docerent, expresse exponit. Euntes (inquit) in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

XI. Atqui primo, non valet consequentia, iussit Christus plebem doceri viua voce: ergo plebi Scripturæ non sunt permittendæ. Ratio est: quia non iussit tantum doceri viua voce. Secundo, quia prædicare, comprehendit non tantum viuam vocem, sed etiam Scripturam: vt illa verba, Prædicate Euangelium, intelligenda sint, Euangeliũ gentibus intimate, quocunq; modo recte intimari poterit, siue viua voce, siue scriptis. Tertio, quia Christus Apostolos docuit, non tantum viua voce, sed etiam per Scripturas. Nam & eo amandabat, cum diceret, *Scrutamini Scripturas.* Et ipse Scripturarum locis sæpissime vtebatur. Itaque, si verum est, quod Cordubensis asserit, iussos esse Apostolos similiter docere, vt ipsi didicerant, tum necesse est concludi, eos & per Scripturas docuisse, & per viuam vocem: quod est certissimum, vt patet ex frequentibus citationibus: patet etiam exemplo Berœensium: patet ex Petro, qui fideles laudabat, quod attenderent sermoni prophetico: patet denique ex Paulo, qui noluit quenquam sapere supra id quod scriptum est.

CAP. VII.

An sit consentaneum & decorum Scripturas legi.

I. NON esse consentaneum & decorum, Scripturam plebi legendam obiici Hardingus probat quatuor argumentis: quorum primum est, quia nonnulla capita atque historias veteris Testamenti eam materiam continent, quæ malarum cogitationum occasionem præbitura videantur, si mulieres, virgines, adolescentes ea legere sinantur. Quid idiota dicet, inquit Bulengerus contra Plessæi caput 6. lib. 2. de Eucharistia: quid igitur idiota dicet, cum Saram leget viro permittere, vt ad ancillam eat: aut vxores Iacob, certatim suas obtrudentes: quid de Thamar, eiusque viris, ac socero? De Dina, de cæde Sichemitarum, de Bersabea, de concubinis Dauid, & Salomonis?

II. Respondeo: hæc omnia non esse in sacros libros intrusa à paucis diebus, hoc est, paulo ante quam Papistæ sua tyrannide consultum velle inciperent auribus, castitatique fidelium: sed ipso potius initio inserta. Et tamen libere ab omnibus lecta, vt paulo ante docuimus. Respondeat Hardingus, respondeat Bulengerus, vtrum censeat: anne iis temporibus satis consultum fuisse castitati aurium fidelium, an contra. Nam si hoc, ergo Deum oportet accusari imprudentiæ, qui eam lectionem sanciuit. Sin alterum, qui fit, vt immutata sit ratio? Aut cur non hodie Christiani secure ea ipsa possunt percurrere, æque ac olim puella illa, Lætæ filia illa, inquam, & inter idiotas computanda, & mulier, & virgo, & quod tenerrimum nomen est, puella: quam Hieronymus volebat exerceri in Psalterio, in Prouerbiis, in Ecclesiaste, in Iob, in Euangeliis: indeque totum Pentateuchum memoriæ mandare, & Regum, & Chronicorum, & Esdræ libros, Prophetas, & Canticum Canticorum. O improuidum Hieronymum: qui tradens Lætæ rationem instituendæ filiæ, pignoris charissimi, vasis tenerrimi, non aduertit se ei obiicere libros malarum cogitationum occasionibus refertos.

III. Imo vero inconsideratos potius Papistas: qui non cogitant, si nonnulla reperiuntur in Scripturis exempla non satis casta, minusque honesta, easdem scatere honestissimis, sanctissimis, diuinissimis præceptis; quæ exemplis illis opposita, non secus malas cogitationes discutiunt, ac sol nubes solet. Nec cogitant, esse hanc κοινὴν ἔννοιαν, omnium hominum cordibus natura insculptam, exempla ex præceptis examinanda; non vero præcepta exemplis corrumpenda. Vnde fit vt quæ mulieres, quæue virgines diligenter Scripturam legent, facile ex præceptis exempla non honesta damnare discant, suasque, si quæ suboriuntur, cogitationes comprimere.

IV. Rursus non cogitant, ita inculcari liberam Scripturarum lectionem, vt tamen aliæ rationes nec negligantur, nec omittantur: in quibus est, cum publica Pastorum Ecclesiæ prædicatio, tum priuata eorum qui prouectiores sunt, admonitio: sicut Hieronymus illi puellæ, præficiebat matrem Lætam, auiam, atque amitam. Quod si igitur nonnihil occurrat difficilius, quodque non satis concoquere possit infirmior aliquis, poterit aliis rationibus adiuuari.

V. Imo vide ineptiam. Cur enim mulieres tantum, & virgines, nominant atque adolescentes? Quasi vero nulli præterea obnoxii sint malis cogitationibus: quasi non omnes sint homines: aut qui homines sunt, humani à se quicquam alienum putare possint: & non in cunctis caro sit infirma. Est autem argumentum huiusmodi, vt necessario præsupponat hoc fundamentum: Quibuscunque oriri possunt cogitationes malæ, iis interdicendum est Scripturarum lectione. Vnde, si assumam, non laicis tantum, sed etiam Clericis, & Monachis eiusmodi cogitationes suboriri: quis non videat confici, æque Clericis & Monachis denegandum? Quod si excipiant Clericos & Monachos, posse eas cogitationes comprimere, respondebo, de quibusdam verum esse: de omnibus falsum. Et vicissim obiiciam, laicos si non omnes, tamen quosdam, idipsum posse. Quare, si similium similis est ratio: vel omnibus Clericis & Monachis commune esse interdictum, ob eos qui non possunt: vel omnibus etiam laicis liberam lectionem, ob eos qui possunt.

VI. Secundum argumentum, ab autoritate Nazianzeni: negantis omniũ hominum esse de Deo rebusque sacris disputare: neque id omnibus temporibus, atque locis faciendum: nec res omnes ad Deum pertinentes discutiendas: locus est libro primo de Theologia. Addo Basilium à Bellarmino nominatum, & Hieronymum, ab eodem atque à Sutore. Basilius in historia Theodoreti lib. 4. c. 17. præfectum culinæ Imperatoris, cum nescio quid de Scriptura protulisset, reprehendit, &, *Tuum est,* (inquiebat) *de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere.* Hieronymus in Epistola ad Paulinum. *Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti, doctique poemata passim: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.*

VII. Respondeo, hos locos de Scripturarum lectione omnino non loqui. Nazianzeni locus præclarus est: atque ita habet, οὐ παντὸς τὸ περὶ Θεοῦ φιλοσοφεῖν, οὐ παντός. οὐχ οὕτω τὸ πρᾶγμα εὔωνον, καὶ τῶν χαμαὶ ἐρχομένων. προσθήσω δὲ οὐδὲ πάντοτε, οὐδὲ πᾶσιν, οὐδὲ πάντα. ἀλλ' ἔστιν ὅτε, καὶ οἷς, καὶ ἐφ' ὅσον. οὐ πάντων μὲν, ὅτι τῶν ἐξητασμένων, καὶ διαβεβηκότων ἐν θεωρίᾳ, καὶ πρὸ τούτων καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα κεκαθαρμένων, ἢ καθαιρομένων τὸ μετριώτατον. μὴ καθαρῷ γὰρ ἅπτεσθαι καθαροῦ, τάχα οὐδ' ἀσφαλές. ὥσπερ οὐδὲ ὄψει σαθρᾷ ἡλιακῆς ἀκτῖνος. ὅτε δὲ, ὅταν σχολὴν ἄγωμεν ἀπὸ τῆς ἔξωθεν ἰλύος καὶ ταραχῆς. Et paulo post. τίσι δὲ; οἷς τὸ πρᾶγμα διὰ σπουδῆς, καὶ οὐχ ὡς ἕν τι τῶν ἄλλων, καὶ τοῦτο φλυαρεῖται ἡδέως μετὰ τοὺς ἵππους, καὶ θέατρα, καὶ τὰ ᾄσματα, καὶ τὴν γαστέρα, καὶ τὰ ὑπὸ γαστέρα. οἷς καὶ τοῦτο μέρος τρυφῆς, ἡ περὶ ταῦτα ἐρεσχελία καὶ κομψεία τῶν ἀντιθέσεων. Τίνα δὲ φιλοσοφητέον, καὶ ἐπὶ πόσον, ὅσα μὲν ἐφικτὰ, καὶ ἐφ' ὅσον ἡ τοῦ ἀκούοντος ἕξις ἐφικνεῖται, καὶ δυνάμις. *Nunc cuiuslibet est de Deo philosophari: non sane cuiuslibet. Neque enim res est adeo vilis, aut ex iis quæ humi serpunt. Addam, neque semper, neque apud omnes, neque omnia: sed esse delectum temporis, & rerum, & modi. Non omnium quidem: sed exercitatorum, contemplationeque prouectiorum: Inprimis autem, quorum iam purgata mens est, purgatum etiam corpus: aut vt minimum, iam purgantur. Non purgato enim haud tutum est purgatum attingere: vt nec oculo corrupto solares radios. Tempus autem: quando feriamur ab externo cœno & tempestate. Iam si quæras apud quos: nimirum apud eos, quibus negotium hoc est cordi: non vero vt de aliis fieri solet, placet lepide garrire post equos, post Theatra, post cantiones, post ventrem, post ea quæ infra ventrem sunt: quibus denique est in deliciarum parte, tum de his rebus sophisticari, tum contradictiones affectare: Denique, si quæritur de quibus philosophandum sit, & quo vsque: videlicet, quæcunque non excedunt captum nostrum, & quantum auditoris mens atque ingenium contendere potest.*

VIII. Hic vero, quid habet Hardingus vnde suam conclusionem eliciat? An quia non omnibus sit philosophandum? Optime, si laicos Nazianzenus exciperet. At ille non laicos, sed duo tantum genera hominum; primum non exercitatos in ea contemplatione: deinde non purgatos. At hæc genera, primum laicos omnes non comprehendunt, in quibus sunt non pauci prouecti: nonnulli purgati, omnes certe purgantur, si sunt fideles: deinde etiam ad Clericos extenduntur, in quibus sunt non pauci, neq; exercitati, neque valde purgati. Itaque, si quid inde concluderetur, æque valeret ad clericos arcendos à Scripturis.

IX. An vero, quia non semper? Egregie! non semper, ergo nunquam?

quis acumen non miretur? Quaſi vero à ſordibus nunquam vacent fideles laici:& non ad eos pertineat illud ex Ioannis 1. c.3. *Quiſquis habet hanc ſpem in eo poſitam, purificat ſe ſicut & ille purus eſt.* An quia non apud omnes, neq; de omnibus? Hoc ſcilicet Hardingus expectabat. Sed explicat Nazianzenus:vt vetet de diuinis rebus philoſophari apud eos, quibus Scriptura ſacra ludus eſt,&myſteriorum ſacrorum minor eſt cura,quam ventris & Veneris. At huiuſmodi quis omnes dixerit eſſe laicos? Imo potius, quis dixerit vllos eſſe fideles? Illos igitur ſecuri arceant Papiſtæ:ſed fideles ne fraudent ſuo bono,ſuis ſanctis deliciis. Quin potius,ſi quando nonnulli fideles licentius indulgent theatris,ſpectaculis,aliiſque nugis, imitentur Chryſoſtomum, qui teſte Bellarmino,omnes perpetuo hortabatur ad Scripturarum lectionem.

X. Debere autem ſui quemque moduli rationem habere,id vero manifeſtius eſt,quam vt negari poſſit: ſed non eſſe igitur legendam Scripturam, male concludunt Papiſtæ:quod nunquam fecit aut Nazianzenus, aut Patrũ quiſquam. Nam etiam in legenda Scriptura, ſui quiſque moduli memor eſſe & poteſt & debet:cuius ſtylum, ita dicunt Patres eſſe attemperatum, vt nec ſine fructu in ea verſentur rudiores, nec prouectiores abſque profectu.

XI. Dicam aliquid amplius. Hæc Nazianzeni verba non ſunt ad literam vrgenda,tanquam abſque vlla exceptione vera: neque vllum eſt eorum caput,ad quod non poſſimus legitimas inſtantias proferre in contrariam partem. Primum caput eſt, ne philoſophentur de Deo, niſi prouectiores & purgati. Atqui Hieronymus non mulieres tantũ,ſed & puellas ad id hortatur. Euſebius eorum qui in Scripturis verſantur,duo genera faciebat, τοὺς ἄρτι ἐξαρχομένους, καὶ τὴν ἕξιν ἀτελεῖς τὰς τε ψυχὰς νηπίους: deinde τοὺς τὴν ἕξιν πρεσβιβασμένους,quos ſolos Nazianzenus nominat. Ambroſius eodem admittebat & Catechumenos & Gentiles. Ergo cenſebant illi & purgatis, & non purgatis, & prouectioribus,& incipientibus verſandum in Scripturis.

XII. Secundum caput eis permittit, qui vacant à ſordibus & perturbationibus externis. At Baſilius vult è Scripturis ſingulos eligere τὸ ἰαμα τῆς οἰκείας ψυχῆς ἀρρωστήματος. Theophylactus, & ante eum Chryſoſtomus, eis qui in ſecularibus negotiis verſantur, multo magis volunt eſſe neceſſariam lectionem,quam Monachis,nimirum τοῖς ἐν μέσῳ στρεφομένοις, καὶ τραύματα δεχομένοις

XIII. Tertium caput eos arcet,qui ab equis à Theatris veniunt. Atqui Apollinaris Vectium laudabat,ab eadem lectione, qui tamen in equis,canibus,accipitribus inſtituendis, ſpectandis, circumferendis, nulli erat ſecundus. Et Chryſoſtomus eos ipſos, quos videbat inſanire poſt theatra, eo magis ad eam hortabatur.

XIV. Iam ad Baſilium reſpondeo, primo non ſatis ſincere locum eſſe recitatum. Sic enim Theodoretus ſcripſit, σὸν ἐστὶν ἔφη, ὁ μέγας Βασίλειος, τῶν ζωμῶν προνοίας φροντίζειν, δογμάτων γὰρ θείων ἐπαΐειν οὐ δύνασαι, βεβυσμένα ἔχων ὦτα: *Tuum eſt* (vertit Chriſtophorſonus) *iuſculorum curare condimenta. Nam cum aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſancta dogmata audire non potes.* Hinc apparet Baſilium non reprehendiſſe Demoſthenem illum (ſic enim appellabatur) quod legeret Scripturas;ſed quod non poſſet audire dogmata diuina propter aures obturatas. Atqui audiuntur dogmata magis cum narrantur ex viua voce. Quid igitur? An concludent Papiſtæ, etiam prohibendum ne plebs audiat verbum Dei? Enimuero hoc illis reſtat,ad ſummum audaciæ & Tyrannidis culmen.

XV. Secundo, non ſignificat Theodoretus Demoſthenem quicquam protuliſſe de Scripturis:ſed reſtitiſſe Baſilio, περὶ τῶν θείων δογμάτων ποιησάμενον τοὺς λόγους, cum verba faceret de diuinis dogmatibus, quomodo autem reſtiterit, ſiue ex Scriptura, ſiue ex Traditione, ſiue ſola pertinacia, incertum eſt. Bis igitur locum Bellarminus falſauit.

XVI. Tertio, reſpondeo, Demoſthenem merito à Baſilio durius fuiſſe tractatũ, hominẽ imperitũ, nec tantũ imperitũ, ſed ẽt audaciſſimũ, qui doctoré gentium (ſic enim Baſilium Theodoretus appellat) reprehenderet, & quidem recta docentem. Enimuero ſic tractandus fuiſſet quilibet è clero, etiam Epiſcopus. Conueniet igitur eadem increpatio, non omnibus diuinos libros tractantibus:ſed omnibus male tractantibus, ſiue illi plebei ſint,ſiue clerici, ſiue oues,ſiue paſtores.

XVII. Iam Hieronymi mens erat, nõ vt ne prorſus legerentur Scripturæ:ſed vt in iis & legendis,& maxime tractandis,modeſtiam omnes ſeruent, neque ſe ea ſcire præſumant, quæ nondum didicerunt. Quod quidem perpetuum eſſe debet: nec laicis magis proprium, quam omnibus clericis commune:quorum quis neget,& eſſe hodie,& iam olim fuiſſe multos imperitiſſimos? Maxime ex quo non tam diſcreta,quam ſeparata eſt clauis ſcientiæ,à claue poteſtatis? Quemadmodum ergo omnes imperiti cauere debent à Scripturis male tractandis, non autem omnes omnino clerici ab iis arceri, ſic & laici. Nec enim propterea Hieronymus, aut auocatus eſt à vertendis libris ſacris,aut deterritus ab hortandis mulierculis, ad eas diligenter legendas. Denique abuſum ſemper damnare licuit, at vſum rei bonæ, nemo vnquam ſanus aboleuit.

XVIII. Tertium argumentum: quia Chriſtus Lucæ 8. dixit, *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum: reliquis autem per parabolas, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* At ii quibus datum eſt hæc myſteria noſſe, nulli ſunt alii, niſi Apoſtoli, eorumque ſucceſſores ſeu diſcipuli:ii vero quibus hoc minime datum eſt, & quos parabolas diſcere oportet, ſunt eiuſmodi, quibus potius ſit, non noſſe iſta myſteria, quam noſſe, ne forte iis abutantur, & grauius condemnentur, ſi ea parui faciant, quod hominibus plebeiis vſu venire anim aduertimus.

XIX. Reſpondeo, abſurdiſſime citari hunc locum. Primo, quia Chriſtus non dixit,non omnium eſſe ſiue legere, ſiue audire myſteria: tum enim debuiſſet inferre, vt non videntes non videant, & non audientes non audiant: At quia dixit, vt videntes non videant, & audientes non audiant: ergo ſupponit videntes,& audientes:non autem,non videntes,& non audientes,id eſt, in hac noſtra quæſtione ſupponit legentes, non vero non legentes. Concludit ergo Hardingus contra Chriſti non tantum certam mentem, ſed etiam diſerta verba. Debuit potius diſtinguere lectionem à cognitione,de qua Chriſtus loquitur. *Vobis datum eſt*, inquit, *noſſe*, non vero legere. Certum eſt enim etiam non omnibus legentibus datum eſſe, vt ea ipſa quæ legunt myſteria noſcant.

XX. Secundo, ſi ex his verbis recte elicitur, non eſſe legenda myſteria ab vllis laicis:certe pari ratione inferendum erit, ne audienda quidem eſſe. Nam Chriſtus vtrumque comprehendit, & viſum, id eſt, lectionem, & auditionem. Atqui hoc ne fando quidem auditum eſt vnquam, vt prohibeatur plebs audire fidei myſteria, dum prædicantur:imo ne ipſi quidem Papiſtæ ita cenſent. Non eſt igitur quod putent, ſe hac autoritate aliquid confecturos in hac controuerſia.

XXI. Tertio, Chriſtus eo ſermone nõ opponit diſcipulos diſcipulis, ſiue laicos clericis:ſed diſcipulos, non diſcipulis, i. e. turbis nõ credentibus. Argumento eſt illud, *vt videntes non videant, & audientes non audiant*: quod in Scriptura vſurpari ſolet de iis qui cum alieni ſint à fide, in craſſiſſimis verſantur animæ tenebris, vt Ezechielis duodecimo, Eſaiæ ſexto, & alias. Atque adeo hunc ipſum Lucæ locum illuſtrat Matthæus c.13. *Vobis datum eſt noſſe arcana regni cœlorum, illis a. non eſt datũ:quiſquis enim habet, dabitur ei, & reddetur abundantior:quiſquis a. nõ habet, ẽt quod habet, tolletur ab eo: Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt. Itaque completur in ipſis prophetia Eſaiæ, quæ dicit, auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis. Pinguefactum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculis ſuis conniuerunt, ne quando cernant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & ſanem eos.* En tibi Hardingue, quinam illi ſunt, quibus negabat Chriſtus datum eſſe, vt noſſent myſteria regni cœlorum. Non ii ſunt diſcipuli, non fideles, non peruenturi ad vitam per Chriſtum: ſed pingues corde, auribus graues, oculis cæci, denique non conuertendi, non ſanandi: Chryſoſtomus in Matthæum homil 46. οὐ μόνον ἠπίστουν, ἀλλὰ καὶ ἐπετίμων, καὶ κατηγόρουν καὶ ἐπεβούλευον: *non tantum incredulitatis crimine tenebantur, verum etiam increpabant accuſabant, inſidiabantur.* Negent ſuis ſane Ieſuitæ cognitionem myſteriorũ ſacrorum, ſi ſuos eiuſmodi volunt eſſe: at fideles, id eſt, noſtram plebem, nam eam volumus eſſe Iudæis quam diſſimilem, patiantur ſuis bonis frui, noſſe myſteria, legere Scripturas.

XXI. Itaque cum dixit Hardingus nullos alios eſſe quibus ea myſteria noſſe datum eſt, niſi Apoſtolos, eorumque ſucceſſores: ſi intellexit Doctores, Epiſcopos, totum clerum, vt facile apparet, ex eo quod in altero membro homines plebeios nominauit: næ ille monſtra loquitur mere papiſtica. Multo altero olim. Nam Theophylactus, illud ὑμῖν *vobis* exponit τοῖς ζητοῦσι μαθεῖν. πᾶς ὁ γὰρ αἰτῶν λαμβάνει: *quærentibus diſcere: nam omnis qui poſtulat, accipit.* Si igitur, qui petunt, ii accipiunt myſteriorum ſenſum: tum alterutrum neceſſe eſt, vel nullum è plebe petere, vel non ſolum clerum accipere, è quibus illud ſane ſibi Pontificii retineant: nobis poſterius erit gratius. Euthymius: *Vobis*, inquit, *recte videntibus, & audientibus, ideoque credentibus: illis vero doloſe videntibus, & audientibus, & ita non credentibus.* Quid ſingulos percurram? Nec enim opus eſt: cum nullus ſit, cui hoc loco venerit in mentem diſtinctio clericorum à laicis.

XXII. Quartum argumentum. A multis antiquis, & fide digniſſimis autoribus proditum eſt, in gente Iſraelitica, ſeptuaginta Seniores duntaxat, legere ac intelligere potuiſſe myſteria ſacrorum librorum. Nimirum, quia cũ literæ Hebraicæ vocalibus careant, illi ſoli conſonantes legere potuerunt: eoque modo vulgus ab eiuſdem lectione excluſum fuit, Dei quadam ſpeciali prouidentia, ne margaritæ proiicerentur ante porcos, hoc eſt, eos quibus id muneris non ſit commiſſum, vtpote propter immodeſtam curioſitatem, & vitam impuram indignis.

XXIII. Audite ridiculum Sophiſtam. Multis (inquit) & fide dignis autoribus. Diceres magnam ei teſtimoniorum cateruam eſſe ad manum: cum tamen vix vnum annotauerit ex Hilario in ſecundum Pſalmũ. En tibi Ieſuitarum multitudinem. Et tamen hoc ipſum falſo. Nam Hilarius de facilitate, aut difficultate lectionis Hebraicæ, omnino ne γρῦ quidem, *Moſes*, (inquit) *quamuis Veteris Teſtamenti verba in literis condidiſſet: tamen ſeparatim quædam ex occultis legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta Senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimauerat.* En tibi Hardingianum teſtimonium: En tibi Ieſuiticam conſcientiam.

XXIV. De Hebraicarum vocalium origine variæ ſunt ſententiæ, quas nihil neceſſe eſt, aut enumerare, aut examinare. Sed falſum eſſe Hebraica nõ potuiſſe legi vulgo, facile euincimus. Primo ex Scripturæ ſacræ variis locis. Deuteronomii vndecimo præcipit Moſes toti populo, vt doceret filios ſuos quiſque, vt in lege meditarentur: ſed &, vt verba Legis ſcriberet ſuper poſtes & ianuas domuum. At hoc quî fieri potuit, ſi ne legere quidem plebs poterat? Hieremiæ 36. non ſolum Baruch, qui ſcripſerat, ſed etiam Iudith legit epiſtolam Hieremiæ. Habacuc 2. *Scribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, vt percurrat, qui legerit eũ*: i.e. lucide & intelligibiliter deſcribe, (inquit) Lyranus.

XXV. Deinde, ſi verum eſt, ob defectum vocalium non potuiſſe legi Hebraica, niſi ab illis ſeptuaginta: & circa Hieronymi ætatem duntaxat aut paulo poſt vocales eſſe inuentas: tum omnino neceſſe erit ante eam ætatem nihil Hebraice aut lectum, aut etiam ſcriptum ab vllo, qui non eſſet ex eo numero. At id quis credat ſanus? Quid enim dicamus de libello diuortii, quod Moſes Deuter. 24. ſcribi volebat à marito, & dari in manus vxoris? Quid de Epiſtolis vltro citroque miſſitatis? Vt 2. Samuelis 11. Et prioris Regum 21. & poſterioris 10. & 2. Chronicorum 21. & 30. & 32. vt eas taceam quarum fit mentio in Machabæorum libris? Niſi forte aliquis dicat, fuiſſe illos Septuaginta quoſdam velut omnium hominũ ſecretarios, vt nihil ſcriberetur, nihil omnino legeretur niſi eorũ opera. Sed hoc fortaſſe nõ debet accurate refutari.

CAP. VIII.

Vtrum Scriptura prophanetur legendo.

I. PEtrus Lizetus valde vrget prophanationem Scripturæ: quam ego ad hoc ἀπρεπείας caput pertinere cenſeo. Si igitur (inquit) ea in vernaculum diuinorum librorum verſio paſſim omnibus ſine delectu, inuulgetur, haud difficile continget, vt ad vilioris vitæ homines, & mulierculas ſacræ Scripturæ perueniens lectio, plerumque in locis minus honeſtis ac inter epulas tractata maxime prophanetur, & vileſcat.

II. Confirmat argumentum, ex Cypriano de Singularitate Clericorum, qui liber eſt potius Origenis, *Non bene ſuccedit, quicquid paſſim agitur, & ſanctum non eſt, quod geritur, niſi ſancte, quod ſanctum eſt, peragatur: ſicut Salomon aſſerit, dicens, Qui enim cuſtodiuerint iuſte ſancta, iuſtificabuntur:* Et ad Quirinum lib. 3. c. 50. *Sacramentum fidei non eſſe prophanandum, apud Salomonem in Parœmiis. In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne quando audierit, ſubſannet ſenſatos ſermones tuos. De hoc ipſo in Euangelio κατὰ Matthæum. Ne dederis ſan-*

ris sanctum canibus, neq; miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte inculcent ea pedibus suis, & conuersi elidant vos. Ex Hieronymo in Nahum c.3. *Dicemus ideo Scripturam sanctam esse difficultatibus contextam, vt difficultatem sensuum, difficultas quoq; sermonis inuoluat: vt non facile pateat sanctum canib. & margarita porcis, & prophanis sancta sanctorum.* Ex Chrysostomo in Genesin homil.16. de Eua loquente, *Quia seipsam non attendebat, non solum non est eum auersata, sed omne mandatum detexit ei & margaritas porcis obiecit.* Et paulo post, *Audiant, qui sine discrimine simpliciter omnibus colloquuntur. Neque enim ibi Christus de porcis præcepit, sed homines porcinis moribus denotat, qui sicut bruta illa in peccati luto inuoluuntur: docens vos, vt personarum diuersitate, & vitæ rationes inquiramus, quando aliquid diuinorum eloquiorum exponere opus fuerit, ne & illos, & nosmet ipsos lædamus.* Hæc Lizetus. Quæ omnia, aut hanc argumenti vim habent, aut nullam habent: vt quia porcis & canibus sancta non sint obiicienda: & Scriptura sit sancta; laici autem canes & porci, ideo non sit laicis communicanda Scriptura.

III. Respondeo; primo per laicos intelligi vel infideles, vel Christianos. Si Christianos, quanta hæc quæso blasphemia est, vt quos filios Deus appellat, eos quis canes nominet & porcos? Quorsum igitur credimus Ecclesiam sanctam, si eius longe maxima pars canum est & porcorum? O Papisticam pietatem! quæ totam Ecclesiam diuidit in clerum & canes! Nam id quidem ita necesse est, quandoquidem Clero duntaxat permittit mysteria; plebem vero ab ijs arcet tanquam canes & porcos. At nos longe aliter docti à Deo per Petrum, Actor. 10. ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου, *quæ Deus purgauit, tu ne polluta dixeris*: scimus etiam laicos esse templum Dei: 1. ad Corinth.3. *Templum Dei sanctum est quod estis vos.* Fatemur tamen inter Christianos esse non paucos, qui vitam agunt nimis deprauatam: sed negamus vllos esse eorum, qui sunt in Ecclesia censendi in canum & porcorum hoc loco significatorum numero: etiamsi scelerate viuant. Chrysostomus in Matthæum homilia 24. Κύνας δὲ ἐνταῦθα τοὺς ἐν ἀσεβείᾳ ζῶντας αἰνίττεται καὶ μεταβολῆς τῆς ἐπὶ τὸ κρεῖττον οὐκ ἔχοντας ἐλπίδα ᾐνίξατο. καὶ χοίρους τοὺς ἐν ἀκολάστῳ βίῳ διατρίβοντας διὰ παντός: *Canes significauit eos qui in impietate viuunt, nullam sanitatis, & conuersionis in melius spem habentes: porcos vero, eos qui vsque ad finem vitam ducunt luxuriosam.* Et similiter Euthymius in Matthæi 7. *Canes & porcos nominauit eos, qui immedicabili tenentur impietate, canes quidem tanquam Christo oblatrantes: porcos vero, quasi perturbationum luto obuolutos.*

IV. Iam vero si infideles; primum, quanta hæc siue temeritas est, siue incogitantia eorum, qui propterea, quod non sunt infidelibus prodenda arcana fidei, concludunt ne Christianis quidem esse proponenda? Quasi non multum distent fideles ab infidelibus. Quasi filios Christus non discreuerit à canibus. Marci 7. *Non est bonum accipere panem liberorum, & dare canibus.* Quanquam vidimus, etiam Gentili, id est, nondum Christiano, Scripturas permittentem.

V. Secundo, tum Dominus noster illo loco prohibens magaritas obijci porcis, tum ij Patres hoc vtentes, locis à Lizeto citatis, de Scripturæ lectione specialiter non loquuntur, sed generaliter de mysteriorum propositione, quę non minus, imo vero sæpius fit per viuam vocem. Vnde illo loco Matthæi, veteres negant porcos & canes dignos esse qui audiant, ὥσπερ ἅπαντας ἀναξίους ἔφησεν εἶναι τῆς τοιαύτης ἀκροάσεως, *quos omnes indignos esse dixit, hac auditione.* Euthymius, *Indigni sunt, qui talia audiant.* Theophilactus, δεῖ τοίνυν τὰ μυστήρια μὴ λέγειν τοῖς ἀπίστοις, μηδὲ τοὺς λαμπροὺς καὶ μεγαλοπρεπεῖς λόγους τοὺς περὶ θεολογίας τοῖς ἀκαθάρτοις, *Oportet igitur mysteria non eloqui apud infideles, neque præclaros pretiososque sermones de Theologia, apud impuros.* Ergo, si porcorum & canum loco habendi sunt laici, tum non modo interdicendi sunt lectione Scripturarum, sed etiam omnium Christianorum mysteriorum, ipsorumque fidei articulorum lectione: quod vtrum velint, viderint Papistæ. Nos scimus à Domino dictum, Matthæi 10. *Quod in aurem auditis, prædicate supra domos.*

VI. Tertio, ne ipsis quidem infidelibus, id est, canib. & porcis, aut nullis, aut nunquam communicanda esse dico fidei mysteria. Esse enim contra disertum Dei mandatum, & contra praxim Spiritus sancti. Christus Apostolis hoc dedit mandatum, *Profecti docete omnes gentes*, Matth.28. & disertius, *profecti in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marci 18. Quæ verba iubebant eos proficisci ad gentes, tum temporis infideles, id est, canes, atque ijs Euangelium, id est, salutis mysteria prædicare. Apostoli autē idipsum compleuerunt. Nam Actor.2. & 3. prædicant omnibus promiscue Iudæis: & quidem non aliquid de triuio, sed pręcipua mysteria, de effusione Spiritus sancti, de Christi morte, resurrectione, ascensu, de salute per eum sperāda, & similia. Atq; audientium nonnulli, ita canes erant, vt Apostolos ebrios appellarent. Stephanus Act.7. Iudæis prolixe concionatur, à quib. tantum lapidibus obruitur. Philippus Act. 8. cum alijs, tum Simoni Mago Euangelium communicat, imo etiam Baptismum: annon porco & cani? Paulus 17. Athenis disseruisse dicitur in foro, cum quibusvis obuijs, etiam Epicureis, & Stoicis, à quibus id retulit gratiæ, vt σπερμολόγος appellaretur. Longo post tempore Gregentius ad Iudæum, οὐ μεμπτέον (inquit) εἰ τὰς γραφὰς τῶν Χριστιανῶν ἀναγινώσκεις, καὶ γὰρ ἡμεῖς τοῦτο ἀποδεχόμεθα· εἴ περ τις τῶν ἀπίστων ἀναγινώσκων καὶ συνιεὶς ἴσως παρ' αὐτῆς ὠφεληθήσεται. *Non es culpandus si Christianorum Scripturas legis. Nam & id nos probamus: si forte quis infidelium, legens & intelligens, proficiat.*

VII. Habet igitur suas, vel exceptiones, vel interpretationes, id præceptū de non proijciendis margaritis coram porcis. Primum, vt ne prodige effundantur infidelibus omnia etiam altissima mysteria, sed pedetentim instillentur, accommodato ad docendum ordine: ac prout, vel tempus vel personæ postulare videbuntur. Reuera n. sæpissime accidit, vt quæ illorum mentē infinito spatio superant, absterreant potius, quam alliciant. Sic Paulus apud Athenienses cœpit ab vnius Dei prædicatione: & quidem occasione sumpta ab eorum superstitione.

VIII. Secundo, vt ne statim & primo intuitu etiam indignis operam nostram denegemus, aut etiam indignos existimemus, qui salutarem doctrinā audiant, sed tum demum, cum se prodiderit desperata nequitia obfirmātium se contra manifestam veritatem: tum enim frustra laterem lauaremus. Sic Actorum. 13. cum Iudæi repletos se ostenderent inuidia, & contradicerent, etiam blasphemantes, tum Paulus παῤῥησιασάμενος, *Vobis* (inquit) *necesse fuit primum exponi sermonem Dei: postquam autem repellitis illum, & indignos vos ipsos decernitis æterna vita ecce conuertimur ad Gentes.* Sic Isidorus Pelusiota, Chæremoni insanienti hunc locum obiecit, epist.304. lib.1. καὶ γράφειν πολλάκις αἰσχύνομαι. καὶ πρᾶξαι τοῦτο οὐ καλῶς ἀποστρέφομαι, καὶ ἀπορῶ τί σοι ἀποκρίνωμαι, οὐχ ὡς λειπόμενος σαφηνείας, ἀλλὰ φειδόμενος τῆς ἀκοῆς σου ὡς ἀναξίας, οὐ γὰρ κυσὶ δίδοσθαι τὰ ἅγια ἐπιτέτραπται. *Pudet me tui sæpius scribentis, & non recte agentem auersor. Sed & incertus sum quid rescribam: non quod explanare nequeā, sed quod tuis parcam auribus tanquam indignis: neq; enim canib. sancta dare nobis permittitur.*

IX. Quod si ne ipsi quidem, aperte profitentes infidelitatem, arcendi sunt ab audiendis fidei mysterijs, & quidem ita audiendis; vt non tantum verborum sonum aurib. capiant, sed etiam & quidem præcipue, verborum mētem intellectu assequantur, donec seipsos prodiderint esse canes, contradicendo; & blasphemando: quanto minus ij sunt arcendi, qui eo ipso, quod se Ecclesiæ membra esse profitentur, eo ipso quod in cœtum fidelium accurrunt, testantur se non esse canes? quorum proinde, si in vitijs hactenus vixerint, non est desperata pœnitentia.

X. Nec mihi aut mulierculas, aut vilioris vitæ homines Lizetus obiiciat. Neque enim pro viris tantum, aut pro magnatibus mortuus Christus: imo gratias egit Patri, quod, quæ absconderat à prudentibus seculi, paruis reuelasset. Matthæi 11. Et Paulus in Corinthijs testatur non fuisse multos sapientes, aut potentes, aut nobiles: Ergone significare voluit, tum prophanatum esse verbum Dei? Quod si fides non prophanatur in vilissimo hominum genere, cur magis Scriptura, quæ nihil aliud est, quam liber fidei? Sed & Nehemiæ 8. *Attulit Esdras Sacerdos Legem coram multitudine virorum & mulierū, cunctisq;, qui poterant intelligere, & legit in eo aperte in platea de mane vsque ad mediam diem, in conspectu virorum, & mulierum, & sapientium, & aures omnis populi erant erectæ ad librum.* Nō censuit igitur Esdras prophanari Scripturam, cum ita proponeretur, vt ipsæ etiam mulierculæ, audirent, aut vilioris vitæ homines, cuiusmodi quis dubitet fuisse plurimos in vniuerso Iudæorū populo? Quin & Christus prædicabat, non tantum Apostolis, sed etiam turbis, etiam mulieribus, etiam publicanis.

XI. Restat loci circumstantia. Nam id Lizetus veretur, ne plurumq; in locis minus honestis, & inter epulas tractetur Scriptura. Sed enim, quod tandem hoc est hominum genus? Non timent ne ipsissimum Christi corpus prophanetur, si in ebriosorum stomachum ingeratur: Imo ne quidem si in canum murium, & porcorum ventrem transmittatur, quod ne ipsi quidem negare possunt consequi ex Transubstantiationi monstro: & sacrilegium exclamant si inter epulas tractetur verbum Dei! Quid si nos regeramus id, quod illi in ore habent perpetuo, Solem non inquinari, etiam cum in latrinas mittat radios?

XII. Sed respondeo, epulas vel modestas esse, vel immodestas. Si modestas, nullum esse periculum. Nam & Appollinarem hoc nomine Vectium laudasse. Sin autem immodestas: primo, vix fieri, vt qui ijs delectantur, adhibeāt Scripturam, à qua tam seuere castigantur. Secundo, si fit, per accidens fieri, nō ex ipsa lectionis natura. Quemadmodum igitur non est penitus tollendus vini vsus, quia multi vino abutuntur ad ebrietatem, sed seuere compescendi ebriosi: sic non debet interdici lectio, quia nonnulli eam detorquent in vsus parum dignos; sed horum sacrilegium serio vlciscendum. Quis enim non rideat ita argumentantes? Non debet Scriptura legi in locis inhonestis, ergo nusquam. Non debet Scriptura tractari inter epulas, ergo ne in conclaui quidem.

CAP. IX.

Vtrum sit vtile Scripturas legi.

I. NOn esse vtile Scripturas à plebe lectitari, contendit Hardingus ex multiplici sacrarum literarum difficultate, quæ lectionem imperitorum & rudium (quorum ingenia, nullo literarum genere exculta, mentes mundanis curis occupatæ, corda rerum quas expetunt, desiderio abducta sunt) minime fructuosam reddunt. Quemadmodum autem (ait Bernardus super cantica) lumen cæcis oculis frustra illucet: sic hominis animalis superuacaneus & inutilis labor, est, in rebus spiritualibus assequendis consumptus.

II. Bellarminus hoc ipsum argumentum adfert, lib.2. de Verbo Dei, c.15. argum.5. Si vlla ratio esset cur Scripturæ lingua vulgari in cœtu fidelium legi deberent, ea certe esset potissima, vt omnes intelligerent. At certe populus nō intelligeret Prophetas, & Psalmos, & alia, etiamsi lingua materna legerentur. Nos n. (inquit) qui Latine scimus, non propterea continuo intelligimus Scripturas, nisi expositores legamus, vel audiamus. Quomodo igitur intelligerent homines imperiti?

III. Respondeo. dupliciter posse non intelligi Scripturas, vel prorsus, vel tantum ex parte. Si prorsus non intelligerentur, aut potius intelligi possent, valeret argumentum: & nos ipsi concederemus longissime arcendos esse à Scripturis laicos: vt ne inutiliter tempus luderent. Sed illud prorsus est falsum. Nam in Scriptura sunt, vt quædam mysteria, sic multa aperta: & hæc quidem ita explicata, vt quibuslibet obuia sint. Augustinus Epist. 3. *Modus ipse dicendi, quo Sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamuis paucissimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum.* Et quanquā de Scripturæ facilitate vel obscuritate, alias sit disputandi locus, tamen hîc obiter admonitum oportet, alibi docere Augustinum omnia quæ fidem continent & mores, in Scripturis aperte esse posita. Quis igitur iam ausit dicere inutiliter legendam à laicis Scripturam propter obscuritatem, cum ex ea percepturi sint omnia necessaria ad pietatem? Propterea Chrysostomus homilia 3. de Lazaro, hoc ipsum pro excusatione proferentes laicos increpans, *fieri non potest* (inquit) *vt omnia ex æquo ignores Propterea siquidem Spiritus gratia dispensauit illa, temperauitque, quo publicani piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, & Apostoli, idiotæ, illiterati per hos libros salui fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem, vt omnibus facilia conspectu essent, quæ dicuntur, vt & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus, ex audita lectione aliquid lucri vtilitatisque*

reportaret. Et paulo post, *Cui enim non sunt manifesta, quæcunque in Euangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundicordes, cæteraque huiusmodi, desiderabit præceptorem, vt aliquid eorum discat quæ dicuntur? Quinetiam signa, miracula, historiæ, nonne cuiuis nota, manifestaque sunt? Prætextus iste est, & causatio, pigritiæque velamentum.* Vide mihi boni patris ingenium. Vt suos alliceret ad Scripturas habendas, legendas, meditandas, extenuabat earum difficultatem, quam illi animo conceperant. At nostri Iesuitæ exagitant, & amplificant certatim; vtunturq; tanquam μορμωλυκεῖ ad absterrendos, etiam promptissimos. Quis in eadem schola credat edoctos? Erat autem Chrysostomi schola; schola Spiritus: quæ nam igitur Iesuitarum camera meditationum? Illi viderint: nos sane facile diuinamus.

IV. Restat ergo, vt ex parte tantum Scriptura non intelligatur. Et sane nemo neget in ijs non paucos exstare difficiles locos. Sed nego inde sequi non esse vtilem laicis Scripturarum lectionem. Primo, quia non laicis tantum difficiles sunt, sed etiam clericis. Sic Augustinus dicebat paucissimis Scriptutas esse penetrabiles: & annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi, hoc contingere, quod Scriptura quodam loco habet, cum cõsummauerit homo tunc incipit. Itaq; hæc difficultas, aut valet ad clericos & in ijs acutissimos, deterrendos, aut non valet ad arcendos laicos.

V. Secundo, quia non debent perspicuis obscura præiudicare: hoc est, etsi quædam sint difficilia, tamen non propterea etiam reliqua abijcienda. Et hęc mens erat Chrysostomi, cum negaret fieri posse, vt omnia ex æquo ignorarẽtur. Quinetiam Augustinus de Doctrina Christiana lib. 2. c. 6. ita Scripturas dicit esse à Deo temperatas, vt locis apertioribus fami occurreretur, obscurioribus fastidia detergerentur. Quasi diceret, si omnia essent difficilia, futurum vt anima fidelis fame enecaretur, quæ non inueniret quo pasceretur, id est, quod intelligeret: Sin autem omnia facillima, tum vero fastidium generaretur, atq; ita deferuesceret paulatim diligentia. Vt ne igitur desperabundus quisquam codicem abijciat, obijcit ei Deus locos multos intellectu faciles, vt autem irritetur appetitus, difficiles offeruntur. Atq; ita vult Augustinus, plus animi sumendum ex ijs quæ intelligimus, quam desperationis ex ijs quę restant incognita.

VI. Tertio, quia etiam ipsa, quæ incognita sunt, legi debent: non quia intelliguntur, sed vt intelligantur, quomodo Eunuchus legebat Esaiam, nõ reprehensus à Philippo. Et Augustinus libri iam ante citati c. 9. primam considerationem in legenda Scriptura hanc esse vult, vt noscantur libri sacri, etsi nondum ad intellectum, tamen vt omnino incogniti non habeantur. *In his omnibus libris* (inquit) *timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Cuius operis & laboris prima obseruatio est, nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos nõ habere.* Quis non videt, velle Augustinum legi libros sacros etiam ab ijs à quib. nondum intelliguntur?

VII. Et sane, solebant antiqui negare ipsos difficiliores locos legi absq; pręsenti vtilitate; vel tum cum non intelliguntur. Origenes in Iosue hom. 20. multo maiorem asserit inesse vim verbis Scripturæ obscuris, quam carminib. gẽtilium. Sed Chrysostomus homil. 3. de Lazaro, magis pie, qui cũ prolixe hortatus esset ad Scripturarum lectionem, *Quid igitur* (addit) *inquiunt, si non intelligamus ea quæ continentur in libris? Maxime quidem etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.* Nimirum, quia ne ipsa quidem obscurissima, eiusmodi sunt, vt prorsus ita maneant incognita, quemadmodũ ea quæ cõcepta sunt lingua prorsus peregrina. Nam in his, nõ tantum res, sed ẽt rerum signa sunt incognita, at illic res tantum, non autẽ signa. Et quidem Augustinus epist. 3. *Ea* (inquit) *quæ in mysteriis occultat Scriptura, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone.* En tibi rursus Augustinum, vt prius Chrysostomum, extenuantem Scripturarum difficultatem: proindeq; minime Iesuitam.

VIII. Quarto, quia nihil est, quo vel laici desperent se assequuturos locorum etiam difficiliorum intelligentiam. Proinde illis Patres indicant rationem assequendi, quam Iesuitæ sibi suisque occultam custodiunt, ne qua ad laicos perfluat. Loci sunt notatu dignissimi apud Augustinum, & Chrysostomum, quos non pigebit exscribere, etsi alias plenius tractandos. Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. c. 9. *Facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda & discutienda pergẽdum est, vt ad obscuriores locutiones, illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant.* Chrysostomus homilia prima in Epistolam ad Romanos, τοῦτο δὲ γίνεται, οὐ παρὰ ἀμαθίαν, ἀλλὰ παρὰ τὸ μὴ βούλεσθαι συνεχῶς ὁμιλεῖν τῷ μακαρίῳ τούτῳ. οὐ γὰρ ἡμεῖς ὅσαπερ ἴσμεν δι' εὐφυΐαν καὶ ὀξύτητα διανοίας ἐπιστάμεθα, ἀλλὰ διὰ τὸ συνεχῶς ἔχεσθαι τοῦ ἀνδρὸς, καὶ σφόδρα διακεῖσθαι περὶ αὐτόν, τὰ γὰρ τῶν φιλουμένων παρὰ τῶν ἄλλων ἁπάντων οἱ φιλοῦντες ἴσασιν, ἅτε δὴ μεριμνῶντες αὐτούς. Et paulo post, ὥστε καὶ ὑμεῖς εἰ θέλετε μετὰ προθυμίας προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, οὐδενὸς ἑτέρου δεηθήσεσθε, *Hoc fit*, id est, ignoratur Paulus, *non propter imperitiam, sed quod nolint in beati huius viri scriptis assidui totique esse. Nam ne nos quidem ipsi, quæ nouimus, per ingenij naturalem bonitatem, aut acumen didicimus, sed quia in eo fuimus assidui, toto animo in eum affecti. Si quidem ita solent amantes ea quæ sunt amatorum ante omnes nosse, nimirum, quia de iis solliciti sunt. Quare vos si vultis in lectione alacres esse & continui, nihil præterea desiderabitis.* Idem homil. 3. de Lazaro, longe disertius, *Non intelligis quæ insunt: quomodo possit aliquando intelligere, quæ ne leuiter quidem inspicere velis: Sume librum in manus: lege historiam omnem, & quæ nota sunt, memoriæ tenens, ea quæ obscura sunt, parumque manifesta frequenter percurre. Quid si nõ poteris assiduitate lectionis inuenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorẽ, communica cum his ea quæ scripta sunt, declara vehemens studium. Et si viderit te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam ac sollicitudinem. Verum etiam si nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio referabit.*

IX. Habemus ab his Patribus, primo τὴν προθυμίαν, deinde τὴν συνέχειαν animi affectum, & assiduitatem: secundo familiaritatem cum lingua Scripturarum: tertio iteratam difficilium locorum lectionem: quarto locorum comparationem perspicuorum cum obscuris: quinto peritiorum & doctiorum auxilium: sexto ipsam Spiritus Sancti operam. Et hæc quidem omnia, non Episcopis, non Presbyteris, non Doctoribus, non Monachis propria: sed infimis etiam laicis æque communia. Sunt tamen eiusmodi, vt absque ijs, ne acutissimi quidem quicquam proficiant; imo prorsus oleum perdant atque operam. Itaque sic concludo: Si hæc non sufficiunt ad intelligentiam Scripturarum; & propter harum obscuritatem abijcienda sit earum lectio, tum non tantum laici, sed etiam omnes omnino Christiani ab ea erunt arcendi, nullo excepto, non Monacho, non Episcopo, non ipso Papa, quia ne hi quidem plura adiumenta habere possunt: Sin autem ista sufficiunt ad intelligenda difficiliora; tum vero æque permittendam lectionem esse laicis, ac Monachis, Episcopis, Papæ: quia vtrisque illa sunt communia.

X. Ad Bernardum ab Hardingo productum testem, facilis responsio: optime pieque dictum esse, non minus frustra animalem hominem in rebus spiritualibus laborare, quam cæco lumen solis lucere. Sed animalem hominem non esse, Christianum idiotam, siue laicum: eum potius qui ita mundo hæret, vt Deo non subijciatur, vacuusque sit Spiritu diuino: at fidelium conuersatio in cœlis est, tertio ad Philippenses: & qui non habet Spiritum Christi, is non est eius, ad Roman. 8. Itaq; Bernardum non obstare, quominus vtiliter laici legant Scripturas.

CAP. X.

An plebi periculosum sit Scripturas legi.

I. SEd plebi periculosam & noxiam esse sacrorum librorum lectionem, longe curiosius aduersarij contendunt: in eo toti, vt diligenter omnia congerant. Pericula (inquit Hardingus) & incommoda, quæ vulgaris & vernacula Scripturarum lectio secum adfert, iuxta eorum iudicium qui eam improbant, magna, varia, multaque sunt. Ex his verbis primo ingenium Papistarum agnoscamus, ex comparatione cum antiquis Patribus. Nam hi, vt vidimus, toti erant, in congerendis inculcandisque populo vtilitatibus, quæ procedunt ex Scripturarum lectione: illi autem contrarium sibi pensum assumpsere: annon germani Patrum filij? Imo heroum filij noxæ.

II. Sed hæc tot tantaque pericula, quænam esse possunt? Bellarminus ca. 15. libr. 2. de Verbo Dei, reuocat ad duo capita, fidei videlicet, & morum. Plebs, inquit, acciperet facillime occasionem errandi, tum in doctrina fidei, tum in præceptis vitæ ac morum. Rursus, ingenium obseruo Papisticum. Chrysostomus præfatione in Epistolam ad Romanos, cum increparet suorum in legendis Scripturis segnitiem, tandem exclamat, ἐντεῦθεν τὰ μυρία ἐφύη κακά, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας. ἐντεῦθεν ἡ πολλὴ τῶν αἱρέσεων ἐβλάστησε λύμη. ἐντεῦθεν οἱ ἠμελημένοι βίοι, *Hinc* (inquit) *infinita germinarunt mala, videlicet ab ignorantia Scripturarum*: nimirum hoc ꝓ cõperto habebat necessario ignorari Scripturas, cum non leguntur: ac proinde hæc omnia quæ ex ignoratione oriuntur mala, ipsi lectionis neglectui volebat imputari. Sed pergit, & ea mala, itidem vt Bellarminus, dupliciter diuidit in fidem & mores: de fide, *Hinc* (inquit) *magna hæreseon pestis exorta est.* De moribus, *Hinc vita negligẽter acta.* Quæso, attendite, auditores. Bellarminus vult & fidem & mores corrumpi ex Scripturæ lectione: Chrysostomus vult & fidem & mores corrumpi ex Scripturæ neglectu. O iterum germanos Patrum filios! Sed examinemus singula capita.

III. De hæresi Hardingus. Primum, cum hæreticorum venenum plebem in primis inficiat, omnesque hæretici ex Biblijs venenum suum prætextu Verbi Dei hauriant; minime consentaneum videtur, vt quisque curiosus & putidus idiota Biblia suo sermone legat, atque excutiat. Deinde, si hæresis à peruersa intelligentia, non è Scriptura oriatur, quinam in hæresin procliuius incident, quam homines plebeij, qui intelligere quæ legunt minime possunt? Incredibile vero videatur, vt plebs indocta ea percipiat, quæ doctissimus quisque diuturno studio, summoque labore vix tandem assequi potest?

IV. Bellarminus idem probat experimento. Cassianus collatione decima Anthropomorphitarum absurdissimos errores ex sola imperitia esse natos refert. Æneas Syluius in libro de Origine Bohemorum, refert errores crassissimos Thaboritarum, Orebitarum, & aliorum, qui Scripturas materna lingua legebant, & non intelligebant. Idem accidit Dauidi Georgio, omniũ hæreticorum pestilẽtissimo, qui nullam linguam nouerat, nisi suam maternam, id est, Batauorum.

V. Respondeo, argumentum oportere confici in hunc modum: Nulli, qui possunt in hæresin incidere, debent Scripturas legere lingua sibi cognita. At omnes laici possunt in hæresin incidere. Ergo nulli laici debent Scripturas legere lingua sibi cognita. Nego maiorem; & contra: Omnes clerici debẽt Scripturas legere: At omnes clerici possunt in hęresin incidere. Ergo quidã qui incidere possunt in hæresin, debent Scripturas legere. Maior conceditur ab ipsis aduersarijs: & facile confirmatur: nam si neq; laicis, neq; clericis liceret, ergo omnino frustra datæ illæ essent: negauit autem Chrysostomus in eum finem esse datas, vt in membranis tantum habeantur.

VI. Minor probatur, primo, ex Pauli vaticinio Actor. 20. qui congregatis Mileti presbyteris Ephesinis, *Scio* (inquit) *ex vobis ipsis exorituros, qui loquantur peruersa, vt discipulos post se abstrahant.* Deinde experimento, quo id vaticinium pulcre confirmatum est: vix enim quisquam fuit hæresiarcha, aut inter hæreticos paulo illustrior, qui non ex clero prodierit. Presbyteri fuerũt Marcion, Aerius, Alexander Baucalensis primus author Arianæ dissensionis, Arius ipse, Origenes, Tertullianus, Anastasius primus Nestorianismi prædicator, atq; alij plurimi. Episcopi vero, infinito numero sunt in Ecclesiastica historia obseruati propter gradus dignitatem. Auxentius Mediolanensis, Vrsatius Syngidonensis, Valens Mursorum, Acacius Cæsariensis, Achillas Alexandrinus, Agrippinus Carthaginensis, Macedonius, Nestorius & Sergius, Constantinopolitani, Dioscorus Alexandrinus. Quanquam, quid singulos percurro, cum integra Concilia nominare possim? Mediolanense Episcoporum trecentorum septuaginta trium: Ariminense, sexcentorum: Ephesinum secundum, atque alia?

VII. Et quidem ab his viris eo maius est periculum, quo, siue propter doctrinam, siue propter auctoritatem illustriores sunt; & facile plurimos ad

se alli-

se alliciunt. Sic Ariana hæresis longe lateq; grassata est; sic Nestoriana, ab Eutyche Abbate. Cum laici, propter ordinis humilitatem, vt plurimum sibi solis nocere possint, etsi accidat aliquando vt alios, sed paucos, secum inuoluant.

VIII. Sic Bellarmino regerimus pro exemplis exempla: & quidem plura pro paucioribus. Nam quod ignorantiam obiiciunt laicis; velim eos explicare quamnam intelligant: Scripturæ-ne ignorantiam, an aliarum Scientiarum. Si harum, inconsiderate faciunt: quasi vero non possint Scripturæ intelligi ad salutem, absque prophana Philosophia: quasi Chrysostomus non negarit intelligi δι σοφίαν καὶ ὀξύτητα τῆς διανοίας: quasi Philosophi non sint olim appellati hæreticorum Patriarchæ. Quasi denique, non olim dictum, ignorantiam Scripturarum, non vero humanarum doctrinarum caussam esse hæreseon.

IX. Quod si ignorantiam Scripturarum intelligant: meminisse debent, omnia ab ijs ignorari à quibus nullum adhibetur studium: nihilque disci absque vsu & labore. Itaq; si nunquam laici student Scripturis, profecto erunt illis Scripturæ semper incognitæ: quare si Scripturarum ignoratio causa est hæreseon, habebunt ij qui nunquam Scripturas legunt, semper in seipsis hæreseon causam, quam Iesuitæ fingunt vitare velle. Iam hæc est ὀρθὴ ἔννοια, vt qui effectum sublatum velit, causam ipsam auferat: est autem ignorationis Scripturæ causa, neglectus iste; vt Chrysostomus exclamabat, *quomodo possis aliquando intelligere, quæ ne leuiter quidem inspicere velis.* Ergo conficitur hunc ipsum castigãdum neglectum: vt eo ablato, auferatur ignoratio, atq; hæc ipsa ablegata, suffocentur pullulantes hæreses. Papistæ cum illud nolint, ostẽdunt se ne hoc quidem cupere. Præclare Theodoretus, Οἱ βουλόμενοι τὰ ἑαυτῶν κρίνειν ἀπείργουσι τῶν γραφῶν, προφάσει μὲν τοῦ μὴ καταπολμᾶν ὡς ἀπροσίτων. τῇ δ᾽ ἀληθείᾳ, ὑπὲρ τοῦ φεύγειν τὸν ἐξ ἑαυτῶν ἔλεγχον τῆς οἰκείας κακοδοξίας, *Qui ipsi de suis dogmatibus pronunciare volunt, à Scripturis deterrent: hoc quidem nomine, ne temere ad inaccessa videantur velle penetrare: re autem vera, ne hæretica sua dogmata, falsitatis ex iisdem conuincantur.*

X. Rursus, adeo falsa est maior syllogismi aduersarij, vt contra potius verũ sit, ões qui incidere possunt in hæresin, debere Scripturas legere: quemadmodũ qui facile morbos cõtrahunt, præmuniendi sunt salubri medicamentorũ vsu. Sic Theodoretus, παῦσαι ματαίαν ἀποφαίνων τὴν ποικίλην τῶν ἰατρικῶν βιβλίων σοφίαν, *Desine variam medicinalium librorum sapientiam quasi frustraneam traducere*: Hieron. initio lib. 3. in Epistolam ad Ephesios, *Omni studio legendæ nobis Scripturæ sunt, & in lege Domini meditandum die ac nocte, vt probati trapezitæ, sciamus quis nummus probus sit, quis adulter.* Chrysostomus in Epistolam ad Hebræos homil. 8 cum dixisset tam Manichæos, quam alios hæreticos, Christiani nomine tanquam larua abuti, πρὸς τὸ ὄντως ἀπατᾶν τοὺς ἀφελεστέρους, vt decipiant simpliciores, ἀλλ᾽ ἐὰν ἔχωμεν (inquit) τὰ αἰσθητήρια τῆς ψυχῆς γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, δυνάμεθα τοὺς τοιούτους διακρίνειν. πῶς δὲ γεγυμνασμένα γίνεται ἡμῶν τὰ αἰσθητήρια, ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἀκροάσεως, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἐμπειρίας. *Sed si habeamus animæ sensus exercitatos ad discretionem boni & mali, possumus eos discernere. Quomodo autem fiunt sensus nostri exercitati? A continua auditione, à Scripturarum peritia.* Et paulo post οὐδεὶς βούλεται ταῖς γραφαῖς προσέχειν, εἰ γὰρ προσείχομεν ἡμεῖς οὐκ ἂν προσείχομεν τῇ ἀπάτῃ, ἀλλὰ καὶ ἑτέρους ἂν τῆς πλάνης ἀπαλλάξομεν ἂν. καὶ τῶν κινδύνων ἐξειλκύσαμεν, *Nemo vult attendere Scripturis. Nam si attenderemus, non tãtum non attenderemus errori, sed etiam alios ab errore liberaremus, & ex periculis educeremus.*

XI. Sed ad mores veniamus. Bellarminus opponit nobis adulterium Dauidis, incestum Thamar, mẽdacia Iudith, ancillas Saræ, Liæ, & Rachelis, atq; alia, quæ in Scripturis magna cum laude commemorantur, vnde populus rudis prouocaretur, vel ad huiusmodi imitanda, vel ad Patriarchas contemnẽdos: vt rursus, si audiate Cãtico, *Osculetur me osculo oris sui*: &, *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabatur me.* Et illud Oseæ, *Vade & fac tibi filios fornicationum.* Præterea, cum tam multas apparentes contradictiones in Scripturas esse videret, & soluere non posset, periculum esset, ne tandem nihil crederet.

XII. Respondeo, vt alias, mala exempla ex bonis legib. esse iudicanda: quas quicunq; ex Scriptura discet, is profecto exemplis non facile dimouebitur à recto statu. Et Patriarchas nõ contemnet ille quidẽ, sed tamen homines fuisse cognoscet. Nam excepto Iudith mendacio, reliqua laudari falsum est in Scriptura Sancta. Et de Iudith libro nihil mirum, qui non sit compositus à Spiritu Sancto, propterea neq; canonicus: vt nec Maccabæorum ille, qui Raziam αὐθέντην non potest satis extollere.

XIII. Iam Cantici Canticorum verba à Bellarmino recitata, nihil habẽt indignum Spiritu sancto. Non in re ipsa, amorib. (inquam) Christi & Ecclesiæ, siue animæ fidelis: neque in modo dicendi; qui allegoricus est; sumpta metaphora à castis sponsæ sponsiq; ardoribus, quos illi soli exsecrabuntur, qui norunt matrimonium appellare κοίτας καὶ ἀσελγείας, cubilia & impudicitias: eiq; in clero scortationem præferre.

XIV. Cæterum hæc ita Bellarminus confidenter profert, quasi vel particulas dũtaxat quasdam, vt laceri corporis dissipata membra, atq; has etiam vel solas, vel præcipue legẽdas offeramus plebi; & non potius totum σύστημα Scripturarum. Deinde, quasi obtrudamus codicem nudum, in quo per se, si velit, versetur, nulla præeunte institutione: tertio quasi etiam in legendo reliqua omnia remoueamus auxilia. At non est ita. Nam & Veteres, & nos, ita dicimus concedendam cuiq; lectionem, vt tamẽ omnia conferamus auxilia, quæ etiam obscurissimis intelligendis sufficere possunt: tum præcedentem catechesin, vt ne quisquam imparatus accedat: tum ordinem librorum, vt à facilioribus initium fiat, videlicet à Nouo Testamento: tum peritiorum consilium; rectorumq; Ecclesiæ iudicium, & si quæ sunt alia. Quib. obseruatis, nihil est periculi, ne vlli pauca quædam imponant.

XV. Sed Petrus Sutor ex librorum sacrorum inuulgatione nihil posse asserit contingere præter curiositatem, incuriam & arrogantiam. Grauissima sane vitia. Sed quomodo? De curiositate primum. Nonne igitur, inquit, curiosum est, ea, quæ supra vires sunt, & ad proprium statum non pertinent, lectitare? Et quid opus est simplici populo cognoscere quamplurima, quibus referta est Scriptura diuina, quibus Ecclesiæ prælati, ac reipublicæ rectores passim arguuntur? Nonne ex huiusmodi cognitione ad murmurandum, despiciendumq; leuiter impellentur? Sed cum multa palam tradantur obseruãda, quæ sacris in literis expresse non habentur, nonne idiotæ hæc animaduertentes facile murmurabũt, cõquerentes, cur tantæ sibi imponantur sarcinæ, quibus & libertas Euangelica ita grauiter eleuatur? Nonne & facile retrahentur ab obseruantia institutionum Ecclesiasticarum, quando eas in lege Christi animaduertent non contineri? Cuiusmodi sunt ieiunium Quadragesimæ, Confessio Sacramentalis, obseruatio Dominicæ loco Sabbati, & alia id genus.

XVI. Respondeo, primum definiendam esse curiositatem: aliquando enim laudari; nimirum; cum significat rerum vel vtilium, vel necessariarum inquisitionem, non quamlibet, sed diligentem, & cum cura: qualem intelligi necesse est, cum dixit Dominus, *Scrutamini Scripturas.* Atq; à Scriptura curiositatẽ oriri, facile concedimus, quæ in eo tota est, vt in animis hominum affectum ingeneret ardentem quærendi ea omnia, quæ vel necessaria sunt, vel saltem vtilia ad salutem nostram.

XVII. Sæpius tamen curiositatis nomen significat non laudabilem pruritum inuestigandi ea quæ nescire præstat. Hanc à Scriptura oriri blasphemia est; sed comprimi potius, & coerceri verum est, vt cum prohibemur sapere vltra quam scriptum est, prioris ad Corinthios quarto: & non sapere supra quam oportet, sed ad sobrietatem, ad Romanos 12. Proinde Actorum 19. qui ad prædicationem Pauli ad Christum conuersi erant, ἱκανοὶ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, multi ex ijs qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt. Adeo Verbum Dei loquitur potenter in animis hominum.

XVIII. Nec valent Sutoris sutulæ. Curiosum est, (inquit) ea lectitare quæ supra vires sunt. Respondeo, vires intelligi, vel naturales, vel infusas ex gratia. Si illas; pleraq; omnia esse in Scriptura Sancta, superantia vires omnium hominum. Vniuersaliter enim verum est, quod Petro singulariter applicatũ est, *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, Matth. 16. & *homo ψυχικὸς, animalis, non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei*, prioris ad Cor. 2. Itaque, si curiositas esset hæc inquirere, tum nemini prorsus hominum legendæ forent Scripturæ sacræ.

XIX. Sin autem vires intelligimus infusas, distinguo, vtrum illa intelligantur omnino superare omnes vires infusas, ita vt nunquam à fidelibus intelligi possint, quantumlibet illustratis à Spiritu Sancto: an tantum præsentes, vt quæ tum ignorentur, alias intelligi possint. Et priori modo, dico nihil esse in Scriptura, quod superet vires fidelium: ne quidem laicorũ: quibus quid obstat, quominus Spiritus Sanctus possit aperire omnia? Nam Lydiæ dicitur aperuisse cor, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo: Actorum 16. Et Chrysostomus, si nullus homo te docuerit quod quæris, Deus ipse sine dubio tibi reserabit.

XX. Sin autem intelligit Sutor esse in Scripturis, quæ superent præsentes vires fidelium: nego curiositatis esse non laudabilis ea legere, quæ potius sola negligat portentosa stupiditas, seuere castiganda: quemadmodum Paulus non leuiter Hebræos taxat, quod cum eos pro tempore doctores esse oporteret, rursus elementis opus haberent, ad Hebræos quinto: quod si omnes similiter facerent, tum profecto pauciores haberet Ecclesia imperitos. Sed nimirum delectantur Papistici doctores plebis ignorantia, vt eam possint διὰ ῥινὸς ἕλκειν. Itaque non est expectandum, vt eius segnitiem aculeis excitent.

XXI. Saltem (inquit) curiosum est, quæ ad proprium statum non pertinent: lectitare. Non pertinet autem ad statum laicorum cognoscere plurima, quibus Ecclesiæ prælati, ac Reipublicæ rectores arguuntur. Respondeo, primo Scripturam ita esse temperatam, vt præcepta tradat, quædam generalia atque omnibus hominum gradibus accomodanda: quædam particularia singulis accommodata. Illa constituere multo maximam partem Scripturæ, ista minimam. Non esse autem sanæ mentis, propter pauca particularia, prohibere in vniuersum totius Scripturæ meditationem.

XXII. Deinde ipsa etiam quibus rectores cum Ecclesiæ, tum Reipublicæ arguuntur, oportet esse cognita toti Ecclesiæ, id est, etiam ijs qui sunt è plebe. Probatur, primum exemplo. Nam Prophetæ inspirati à Deo, eadem proposuerunt non seorsim & in aurem quibusdam, sed publice & omnibus fidelibus: & Christus turbis præsentibus Scribas & Pharisæos increpuit, Matthæi vigesimo tertio, imo vero etiam alloquens turbas: hoc enim diserte expressum est, ἐλάλησε τοῖς ὄχλοις καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, loquutus est ad turbas & discipulos suos. Deinde ratione: quia plebis interest verũ pastorem à falso distinguere, vt hunc caueat, illum sequatur. Sed nimirum hæc illis querela erat necessaria, qui etiam malos pastores tolerandos asserunt, non reprehendendos, quamuis populos cateruatim ducant secum in gehennam. At hanc tam immanem tyrannidem gladio verbi sui percutit Deus.

XXIII. Sed facile plebs (inquit Sutor) murmurabit, cum sibi tot onera imponi comperiet, præter Scripturam. At at, hoc illud est, hinc illæ lacrymæ. Hæc vera, imo hæc sola caussa est interdictæ in Papatu Scripturarum lectionis. Quia qui male agit, odit lucem. Nimirum veriti sunt homines vaferrimi, ne imposturam plebs olfaceret, & à tot tantisque superstitionibus ad antiquam puritatem reuocari vellet Ecclesiæ statum. Nec de nihilo timor erat: quod experientia docet: nam id ipsum tandem factum est, frustra ringente Satana, frustra iratis Romanis Pontificibus. At quanto præstaret, nullam huiusmodi caussam murmurandi præbuisse? Cæterum veri pastores, nihil est, quod hac parte metuant. Nam ij & paucissima plebi suæ obseruanda tradiderunt præter Scripturam: & ea ipsa quæ aliquando paucissima tradere fuit necesse εὐταξίας σώζειν, ita sunt moderati, vt auctoritate Scripturæ docerent, quid sibi in mediis rebus liceret, quid ipsi plebi expediret: vnde ea sic auctoritate Dei confirmata, nunquam plebs fidelis recusauit. Itaque hoc incommodum nihil attinet ad veram Ecclesiam, sed totum est Papisticum.

XXIV. Iam vero incuriam in mulierculis ac opificibus valde timet Sutor, optimus scilicet œconomus, & veretur ne; quas horas oportebat impendere rei familiari, eæ consumantur legendis Scripturis. Nam inde proficisci incuriam eorum quæ necessaria sunt, facile est (inquit) animaduertere. Etenim mulierculæ in lectione Bibliæ versantes curam rei domesticæ negligent. Similiter idiotæ huic negotio dediti, non curabunt, vt par esset, suis artibus incumbere, & quæ ad familiam alendam exiguntur, suo labore satis parare.

XXV. Sci-

XXV. Scilicet, tam facile homines abducuntur à terrenis ad cœlestia, à carnalibus ad spiritualia! Scilicet adeo immutata est hominum natura, vt quos olim necesse erat increpari, quod essent carnales, tertio capite prioris ad Corinthios, & quod post multum tempus hærerent ipsis elementis, & lacte egerent, ad Hebr. 5. ijs, si vel digito Biblia indices, si vel verbo legenda significes; imo vero nisi seuere prohibeas, periculum sit ne toti subito spirituales fiant, & vim faciant cœlorum regno. Denique timet Sutor, & merito quidem timet, vtpote Papista, ne non plures sint, quæ sua sunt quærentes, quam quæ sunt Christi.

XXVI. Quanto aliter Dauid? *Beatus* (inquit) *vir cuius in lege Domini voluntas, quique in ea meditatur dies ac noctes*: Psalmo 1. id est, interprete Arnobio, qui *memor legis Dei, ibi suam occupat voluntatem, & diurnam ac nocturnam actionem suam in meditatione diuinæ legis exercet, vt hoc quod Adam perdidit contemnendo iste custodiendo inueniat.* Quanto aliter Moses, *Meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere & dormiens, atque consurgens*: Deuteronom. 6. Origenes in Exodum homilia 12. *Omnis, qui, cum legitur Moyses, de negotiis seculi, de pecunia, de lucris sollicitudinem gerit, auersus est. Omnis, qui possessionum curis stringitur, & diuitiarum cupiditate distenditur, qui gloriæ seculi, & mundi honoribus studet, auersus est.* Et paucis interpositis *Quid ergo est conuerti? Si his omnibus terga vertamus, & studio, actibus, mente, sollicitudine, verbo Dei operam demus, & in lege eius die ac nocte meditemur, omissis omnibus Deo vacemus, exerceamur in testimoniis eius, hoc est, conuersum esse ad Dominum.*

XXVII. Nullum tamen est periculum. Nam qui Scripturam & leget diligenter, & animo fideli, inueniet sibi necessitatem impositam edendi panis in sudore vultus sui, statim ab initio Scripturæ, id est, Geneseos tertio. Et à Paulo audiet, posterioris ad Thessalonicenses tertio, *Cum essemus apud vos, denunciabamus vobis, quod si quis nolit operari, etiam non edito. Audimus enim quosdam versari inter vos inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agentes. Iis autem qui sunt istiusmodi, denuntiamus, & eos obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, vt cum quiete operantes suo pane vescantur.* Deinde quinto capite prioris ad Timotheum leget, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Comperiet denique præceptum, *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.* Exodi vigesimo. Et hæ denuntiationes, obtestationes, obsecrationes, & mandata; imo vero hæc fulgura sufficient excutiendæ incuriæ. Nec sane cognitum fuit vllum periculum eiusmodi Chrysostomo, qui clamabat præferendam Scripturarum lectionem curæ domesticæ, in Matthæum homilia 5. οὐ γὰρ ἔχρῆν ἀπὸ τῆς συνάξεως ἀναχωρήσαντας εἰς τὰ μὴ προσήκοντα τῇ συνάξει ἐμβάλλειν ἑαυτοὺς πράγματα, ἀλλ' εὐθέως οἴκαδε ἐλθόντας τὸ βιβλίον μεταχειρίζεσθαι, καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τὰ παιδία πρὸς τὴν κοινωνίαν τῆς τῶν εἰρημένων καλεῖν συλλογῆς, καὶ τότε, καὶ τοῖς τοῦ βιωτικοῦ ἅπτεσθαι πραγμάτων, *Non oportebat à cœtu Ecclesiæ recedentes, contrariis huic studio negotiis implicari: sed domum reuersos continuo librum assumere: ac vxorem, liberosque ad dictorum communionem accersere: atque ita demum huius vitæ negotia attingere.*

XXVII. Superest arrogantia. Est enim (inquit) præsumptio insignis rudib. hominibus tractare velle ardua Scripturæ diuinæ mysteria, quæ docta sublimiaque ingenia vix penetrare queunt, Velle (inquam) in eorum lectione versari quæ obscura sunt ac recondita. Sed & maioris arrogantiæ fuerit, si eam excutere, & de sensibus eius disceptare præsumpserit.

XXVIII. Respondeo, nescire Sutorem, quid sit arrogantia: negari autem eum esse huius criminis reum, qui difficilia inquirit, sed tantum qui, à quib. adhuc longe abest, ad ea se peruenisse putat. Hunc, siue legat, siue non legat Scripturam, nos etiam detestabimur: sed & videmus in Scriptura coercitum, μὴ τὰ ὑψηλὰ φρονοῦντας, *non elate de vobis ipsis sentientes*, 12. ad Roman. Et παράγγελλε μὴ ὑψηλοφρονεῖν, *denuntia, ne efferantur animo*, 1. ad Timoth. 6. Atillum non veremur, ne quis merito damnet: quia, etsi difficilia sint quędam, tamen ea ad nos omnes pertinent; proinde sunt diligenter inquirenda, id est, (vt iussit Christus) scrutanda.

FINIS LIBRI DECIMI.

LIBER VNDECIMVS,

De

CANONIS INTELLECTV.

Capvt Primum.

De Scripturis vertendis, Status Controuersiæ.

DE Scripturæ lectione hactenus. Eiusdem Intellectus, in verbis est, vel sententijs. De illis nunc, postea de istis: quia verba sententiarum signa sunt: primumq; est sententiarum intelligendarum impedimentum, signorum ignoratio: Itaq; hac non remota, fieri non potest, vt ad sententiarum mysteria deueniamus.

II. Verba, quibus à Spiritu Sancto concepti sunt & editi libri sacri, vel Hebræa sunt, vel Græca, illa pertinent ad Vetus Testamentum, hæc ad Nouum. Et vtraq; quidem tantum ijs per se cognita, qui natura Hebræi olim erant, vel Gręci, quemadmodum hodie, Italica Italis, Germanica Germanis, Hispanica Hispanis, Gallica Gallis. Similiter, vt Italica Germanis, Hispanis, & Gallis. Germanica, Italis, Hispanis & Gallis incognita sunt: Hebraica etiam & Græca omnino barbara sunt, non Hebræis & Græcis: nisi vel ipsa doceantur: vel certe, quod proximum est adiumentum, transferantur: quorum duorum prius nullam habet controuersiam inter Catholicos & Papistas: at secundum habet.

III. Sic nobis quæstio nascitur deinceps agitanda de Translationib. Scripturæ Sacræ. Eiusq; duo sunt capita. Prius, an ius fasq; sit Scripturæ sacræ libros in quamlibet linguam vulgo cognitam, captuiq; plebis accommodatā transferre. Alterum, quanta sit, aut esse debeat Translationum auctoritas in Ecclesia.

IV. De primo cap. scripserunt ijdem qui sunt enumerati in pręced. Controu. Porro Catholici vno verbo respondent, & posse, & debere totam Scripturam sanctam plebi communicari, eo idiomate quod ipsa intelligat: laudabilemque esse eorum operam, qui in id opus incumbunt. Neque hoc tantum verbo docuimus, sed etiam reapse compleuimus. Nam ex quo tempore Deus hominum misertus instaurauit puram Euangelij prędicationem, Scripturam habemus non tantum Hebraice, Græce & Latine, vt prius: sed etiam Gallice, Italice, Hispanice, Germanice, Anglice, Bohemice, & aliter: sic, vt omnis iam lingua laudet Dominum, & salutem suam quilibet haurire possit è fontibus.

V. At Papistæ aliter sentiunt: sed & ipsi inter se varie. Nam initio grauiter, & in vniuersum inuehebantur in omnes versiones vulgares, easq; seuere damnabant. Petrus Sutor Carthusianus, vernaculam & maternam (sic enim appellat) Biblię versionem non improbat tantum, sed etiam pollicetur ostensurum, esse ineptam, temerariam, periculosam. Petrus Lizetus testatur Ecclesiam Catholicam compertum habere, hanc vulgarem translationem, Christianismo potius erroris circumuentionem, & hæreseos perniciem, quam adiumentum attulisse. Franciscus Cordubensis, non tantum inde contendit fieri Scripturam obscuriorem, sed eos etiam qui eam transferunt in linguā vulgarem, male mereri de fide Christiana. Ioannes Arboreus Theosophiæ lib. 8. c. 11. *Hæresum* (inquit) *vna origo est, sacras literas in vulgarem linguam transferre.* Alphonsus de Castro, hoc nomine reges Hispaniæ valde laudat, quod vernaculas versiones prohibuissent. Locus, est 13. c. lib. 1. contra hęreses, *Laudandum merito venit edictum illustrissimorum Catholicorumque Hispaniæ Regū, Ferdinandi videlicet, eiusq; coniugis Elizabetæ, quo sub grauissimis pœnis prohibuerunt, ne quis sacras literas in linguam vulgarem transferret, aut ab alio translatas quoquo pacto retineret.*

VI. Deinceps vero inflexerunt se, & molliores facti, ipsam quidem versionem desierunt omnino funditusq; impugnare: sed vt tolerandam potius, quā aut pręcipiendam, aut diserte permittendam. Itaq; cœperunt illi quidē à paucis annis nostrorum diligentiam in hac parte imitari. Louanienses n. Gallice nobis ediderunt libros sacros: Rhemenses Anglice, vt comperi ex Whitakero. Vsum tamen varijs cautionibus compescuerunt: vnde natum est Concilij Tridentini edictum, in Iudice librorum prohibitorum, quod iam recitatum est superioris lib. c. 1.

VII. Ex his duab. sententijs; prior sine dubio erat secundum carnem prudētior; quę id, vnde sibi malum Papismus metuit, prorsus vetare maluit, quā laborare in cautelis excogitandis: cōsilio, si non honesto, certe securo, & minus molesto. Posterior vero, plus habet astutię, quę, quod videbat verecunde nō posse prohiberi, tot cautionib. cohibet, vt non magis valeat permissum quā prohibitum: consilio etsi paulo magis laborioso, tamen in speciem honestiore.

VIII. Sed, vt intelligamus harum sententiarum authores, siue mauis, hos duos Papistarum ordines, verbis potius quam re ipsa discrepare, obseruandū est, primo ijsdem vtrosq; argumentis vti; ab ijsdem incommodis: quidni igitur censeamus in eundem finem conspirare? Secundo, posteriores ita suā sententiam temperare, vt diserte significent singulis impetrandam esse facultatē, & quidem scriptam, vtendi vulgata editione aliqua. At hoc quis non videt supponere generalem prohibitionem? Nam alias, quid opus esset speciali indulgentia?

IX. Et tamen Bellarminus, idemque Salmero putauit occasionem sibi luculentam præberi insurgēdi in Martinum Chemnitium, quasi Papistas calumniantem, quod prohiberent omnino vulgares translationes, qui tamen nihil dixit huiusmodi: nihil etiam, quod non vere potuerit. Nam cum examinaret Decretum Concilij Tridentini sessione 4. de editione & vsu sacrorum librorum, obseruat agi eo Canone tantum de Latinis editionibus, quod negare nemo potest, qui locum legerit; quem ipse totidem verbis transcriptū recitat. Et, *oblique igitur*, (inquit) *quod alius aperte faciunt, damnant, si in alias vernaculas, & populares linguas Scriptura transferatur.* Et multo post, *Quæstio est, an liceat Sacram Scripturam transferre ex suis fontibus in illas linguas, quæ hoc tempore in nostris regionibus vsitatæ sunt, & late patent. Hoc institutum Pontificij non tantum damnant, sed ferro & flamma persequuntur, dimicantes tantum pro Latina versione.*

X. Hæc Chemnitius libere & vere, vt debuit: quibus cum opponit Bellarminus regulam quartam Indicis librorum prohibitorum, nihil aliud

quam

quam augatur. Agit enim ille de Canone Tridentino, vbi de vulgatæ versionis Latinæ autoritate feuere præcipitur, de alijs in alias linguas, merum est silentium. Index autem ille non est in Concilio editus, sed à Pio quarto; anno demum sexagesimo quarto, cum præcedenti, id est, sexagesimo quarto dimissum esset Concilium.

XI. Deinde Chemnitius loquitur de versionibus in vulgares linguas, non quibuscunque, sed quæ essent ex ipsis fontibus: nimirum ex Hebræo Veteris Testamenti, & Græco Noui. At non tantum Concilium de ijs non loquitur, sed ne illa quidem Indicis regula. Imo improbantur à Iesuitis. Nam Louanienses Gallice, & Rhemenses Anglice expresserunt Latinam vulgatam editionem, non ipsos fontes. Et Concilium nullam aliam vult editionem edisseri aut explicari.

XII. Tertio, non tantum in Concilio, merum videbat silentium Chemnitius de translationibus in omnes linguas, sed etiam legerat alios autores eas diserte impugnantes. Audierat Hispanica edicta; quæ grauissimas pœnas minarentur. Viderat immanem, & plusquam barbaram Pontificiæ lanienæ crudelitatem, quæ harum versionum distractionem flammis vlciscebatur.

CAP. II.

An Scripturam Ecclesia proposuerit lingua vulgari.

I. Confectum videri possit negotium, tractata præcedenti Controuersia. Nam si certum est, quodlibet Christianorum genus posse libere, imo vero debere Scripturã vel legere per se, vel ab alijs lectam audire: Si certũ est etiam non omnes fideles, aut scire, aut teneri linguam Hebræam & Græcam discere: Ergo hoc tandem necessario conficitur, debere in omnes linguas, libros sanctos multiplicari: alias, nec legi, nec audiri possent à laicis. Sed pergimus ad alia argumenta.

II. Quicquid in Ecclesia primum est, id est verissimum. At in Ecclesia vsus linguæ cognitæ, & vulgaris in Scripturis proponendis, primus est. Ergo & verissimus. Maior probatur exemplo Christi; qui volens errorem diuortiorum corrigere dixit à principio non ita fuisse, ἀπ' ἀρχῆς οὐ γέγονεν οὕτω. Matthæi 19. quasi diceret, omnium quæ obseruantur ab Ecclesia rationem reducendam ad initia. Hanc ipsam ob causam Tertullianus hæreticos reuocat ad id, quod à Christo, & Apostolis erat institutum, libri de Præscriptionibus capit. 31. *Ita ex ipso ordine manifestatur* (inquit) *id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.*

III. Minor probatur ex ipso vsu primorum Ecclesiæ temporum, tam sub Veteri, quam sub Nouo Testamento. Moses primus inter Prophetas scriptor sanctorum librorum, vsus est idiomate Hebraico, non tantum communi, sed etiam vulgari ei populo, cui scripta sua & ipse legebat, Exodi 24. & post se legenda relinquebat, Deuteron. 31. Iosue 8. Deinceps etiam reliqui Prophetæ omnes vsi sunt eadem lingua. Prophetæ (inquam) quorum plerunque munus erat populum increpare ob vitia: quod frustra fecissent, si barbaro idiomate vsi fuissent.

IV. In Nouo Testamento Christus etiam omnia sua mysteria sic proposuit, vt ab auditoribus intelligerentur. Deinde non tantum Paulus ad Corinthios, Philippenses, Thessalonicenses, Colossenses, Galatas, atque alios scripsit Græce, hoc est, idiomate illis cognito, sed etiam, saltem si antiquis credimus, Matthæus Hebræis Hebraice: &, si Bellarmino atque Baronio, Marcus Latinis Latine. Et quidem notanda ratio. Nam quamdiu mansit Ecclesia in Iudæis tantum, scripti sunt libri Hebraice tantum: at cum à Iudæis ad Græcos (sic enim Paulus totum orbem distinguit in Iudæos & Græcos) tum qui facti sunt libri, Græce scripti sunt: imo etiam paulo ante id tempus, singulari Dei prouidentia, illi ipsi Hebræi, in Græcum translati. Vnde, quis non videt Deum velle suos libros hominibus communicare idiomate cognito?

V. Aduersariorum variæ sunt ad hoc argumentum strophæ. Andradius necessitate factum, vt Scriptura primo concepta fuerit vulgari lingua, cũ nulla esset doctorib. peculiaris: itaq;, aut vulgari lingua aliqua vtendum fuisse, aut prorsus sacra mysteria scriptis non mandanda. Sed tandem euenisse linguis Hebrææ, Græcæ, & Latinæ, vt paulatim antiquarentur, earumq; vsus atque cognitio apud doctos remaneret: itaq; consultissime fuisse institutum, vt his linguis scripti libri sacri libere à doctioribus legantur, si qui autem in vulgares transferantur, ij paucis permittantur.

VII. Atqui primum hæc responsio alteram tantum argumenti partem attingit, nimirum de libris Veteris Testamenti. Nam in Nouo Testamento, cur non potuisset Spiritus sanctus vti lingua sancta? Nã illa eo ipso facta esset peculiaris, doctis nimirum ijs qui reb. Theologicis studerent. Secundo, si hoc certum est, quod omnes fatebuntur, nullam vnquam fuisse linguam doctis propriam per se, sed tantum per accidens: videlicet cum à vulgo non intellecta, à doctiorib. id est, politiorib. magno labore discitur, fit autẽ hoc ipsum varijs occasionibus, vel ob alicuius gentis autoritatem, vt lingua Latina propter Imperium longe lateq; patuit: vel ob varias vtilesq; scientias, ea lingua explicatas; vnde factum, vt linguam scholæ, tum Græcam, tum Latinam hodie celebrent: vel ob religionem, vt Hebrææ nunc temporis Theologi operam dant: quis neget potuisse Deum quamlibet ex toto orbe linguam eligere; qua Prophetæ vterentur? Nam etsi alicubi fuisset vulgaris, tamen in Iudæa fuisset tantum doctis cognita.

VII. Ad hæc, non accidisse, vt libri sacri scriberentur primo idiomate cognito, ob eam necessitatem, quam Andradius comminiscitur, facile patet hoc argumento, ꝙ, qui libri scribuntur linguis vulgo incognitis, hi scribuntur tantũ doctis. Probatur tum ex ipso vsu omnium disciplinarum, tum ex ipsa Andradij confessione, qui, ex quo linguæ Hebræa, Græca & Latina antiquatæ sunt, libros sacros à doctorib. tantum legi dicit. At vero libri sacri scripti sunt non in gratiam quorundam doctiorum, sed omnium Iudæorum, vt in præc. Controu. probatum est, & facile apparet ex ipso librorum genio. Nam in ijs etsi Sacerdotes, principesq; populi sæpe reprehendantur, tamen sæpius Prophetarum sermo est ad plebem.

VIII. Lizetus, linguam Hebræam obseruat fuisse opulentissimam, & pene diuinam, quæ sua proprietate diuina arcana contegere, & sanctissimam legem cum maiestate referre posset. Nimirum innuens reliquas linguas, quia non essent opulentissimæ tantæq; maiestatis, ideo indignas esse, quibus lex communicetur.

IX. Sed de ille de opulentia disserit, vt cæcus de coloribus. Nam sciunt docti, vix vllam esse linguam non opulentiorem Hebraica. Siquidem linguarum opulentia in eo consistit, vt vocibus abundet omnis generis; maxime verò κυρίως, id est, quæ propriæ sint cuilibet rei significandæ, non autem πολύσημοι, & ambiguæ. At hoc Hebræis deerat, apud quos voces sunt paucissimæ vt necesse sit in alias, atque alias significationes transferri: quod etsi alijs accidat, tamen rarius. Denique, si Græcam Hebraicæ quis comparet, tum facile quid sit pronunciandum sciet: Et, si opulentia fuit spectanda, concludet ex omnibus quas nouimus linguis, nullam fuisse potius Prophetis eligendam, quam Græcam.

X. Diuinam esse, velim exposuisset quam ob causam dixit: nam ego quidẽ quid sit in aliquo idiomate diuinitatis nomine appellandum, nondum didici. Certe õia scio in vsum hominum instituta, non Dei: itaq; existimo humana esse potius dicenda, atq; accommodanda eorum vsui. Diuinam appellari Hebraicam, nõ inficior, sed inde factum; quod ex ea petũtur fontes pietatis: qui vsus si reliquis esset adhibitus, tam diuinæ essent, quam illa.

XI. Quod vero obtegi mysteria, & cum maiestate referri dixit, friuolum est. Primo mysteria pietatis non proponuntur, vt obtegantur: sic n. omnino scribenda non erant, sed potius vt significentur, id est, declarentur, & retegantur. Deinde, si illa sola potuit obtegere, cur Græca vsus est Spiritus sanctus in Nouo Testamento? An hæc mysteria non fuerunt obtegenda? Cur ergo ne hanc quidem partem Papistæ communicari volunt omnibus linguis? Imo vero, cur agnoscunt ões Patres, diuino consilio effectum, vt illa ipsa mysteria vetera transferrentur in linguam Græcam? An quia mutauit consilium Deus & quæ Iudæis occultare volebat, Græcis vulganda censuit? Tertio, nulla est lingua tam communis, vulgarisve, cui non possint obduci tenebræ. Sic Democritus σκοτεινὸς dicebatur, non quod Hebraice scriberet, sed quod Græcum suum stylum ita temperabat, vt vix intelligi posset: & scribebat tamen, non cum ad paucos deuolui cœpit eius linguæ studium, sed tum cum maxime erat vulgaris.

XII. Maiestas non pendet à vocabulis, sed à reb. ipsis. Nihil n. sanctum est, ꝙ non habeat suam maiestatem, nõ aduentitiam, & accidẽtariam, sed sibi insitam. Itaque, quamcunq; in linguam transferantur, ab ea destitui non possunt. Sic Longinus περὶ ὕψους, quanquam Mosen Hebraice non legisset, tamen obseruauit in Greco idiomate, eius styli maiestatem: vsusq; est tanquam illustri granditatis exemplo, ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης (inquit) οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, εἶπεν ὁ Θεός, φησί, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο, γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο, *Iudæorum legislator, non quiuis homo, cum Numinis vim pro dignitate cognoscendam tradidisset, & illustrasset, statim in legum exordio, Dixit Deus, inquit, quid? Fiat lux, & facta est: fiat terra, & facta est.*

XIII. Sed longe maiori conatu Lizetus contendit, linguas Hebræam, Græcam, & Latinam, non fuisse vulgares: adeo verum est prouerbium, ἀμαθία θράσος φέρει. Argumenta hæc habet. In Hebræa quidem: quia Nehemiæ 8. ita habetur, *Et legerunt in libro Legis distincte & aperte ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur.* Ergo, dum legeretur minime ab omnibus percepta fuisset, nisi aperte & distincte ad intelligendum lecta. Irenæus lib. 3. c. 8. *Mammona autem est secundum Iudaicam loquelam, qua & Samaritæ vtuntur, cupidus, & plusquam habere oportet, volens. Secundum autem Hebraicã adiunctiue dicitur Mamuel, & significat gulosum, hoc est, qui non possit se à gula continere.* Quib. verbis duplicem apud Iudæos loquelam Irenæus fuisse asserit, Iudaicam, & Hebraicam.

XIV. Græcum sermonem, tum cum Euangelia & reliquum Nouum Testamentum conscriberetur, fuisse duplicem, alterum vulgarem, omnib. communem, alterum peculiarem, atq; artificiosum indocto vulgo neutiquam communem, atq; hoc diuinos libros conscriptos, probat, quia teste Augustino, Apostoli etiam eloquentiæ regulas obseruarunt.

XV. Latinum rursus Grammatica arte compositum neutiquam indocto vulgo notum fuisse, inde conficit, quia circa initia ortus Christianismi tempora Grammaticum artificium fuisse sit certum ex lege *Duo societatem*, in Digestis lib. 7. tit. *Pro socio*, vnde lib. 27. tit. 2. lege; *Qui filium*, Paulus Iurisconsultus, à tutorib. impensas eruditionis pupillarum in Grammatica arte repetendas censuit. Sed & quia Liuius de bello Punico li. 4. narrat aput Marrucinos infantem in vtero matris acclamasse, Io triumphe, quæ verba Italo sermoni qui nunc est, perquam similia sunt.

XVI. At hæc inepta sunt. Primo, vt maxime, quod contendit, obtineret: tamen nõ soluit argumẽtum, cuius in eo tota vis est, ꝙ cõstat eas linguas, quib. primo conscriptæ sunt Scripturæ Sanctę, vulgo fuisse cognitas, & quidẽ non olim, sed tum temporis cum sunt conscriptę. Ille aũt tantũ negat fuisse vulgares, hoc est, à singulis, ẽt rusticanis vsurpatas. At hoc quid ad nos? Nã nec nos singulis idiomatib. singulas versiones imperamus in Gallia, vt hanc, exempli gratia, nominẽ: vt Franciã habeamus, & Britannicã, & Limouicensem, & Delphinatem, & Occitanã, & Vasconicã, & alias, sed vna communi vtimur per totum regnum, nõ vulgari quidẽ illa: nã quis nescit hæc idiomata longe inter se distare, sed tamen cognita. Nam & Occitani, & Prouinciales, & Delphinates, & Vascones, facile omnes Francicum idioma intelligunt, etsi eo in colloquijs non vtantur. Dum ergo singuli intelligant ea, quę singulis proponuntur, salua res est. Atq; id si Latinæ linguæ contigisset, non essemus in hoc articulo Papistis importuni.

XVII. Secundo, tota ipsa disputatio est falsa: teste Andradio Iesuita; qui eas ipsas linguas, quib. scriptum est Verbum Dei, non tantum non incognitas, non tantum communes, sed etiam populares fuisse agnoscit, libr. 4. Defensionis Tridentinę, *Cum in principio generis humani* (inquit) *vnica Hebræa extiterit omnibus mortalibus communis, atque naturæ ipsi à Deo indita, postea vero quam mortalium scelere tanta hæc linguarum dissimilitudo per omnes nationes peruasit, nulla potuerit reperiri, quæ alicui genti domestica atque vernacula, non fuerit, aut certe sacra mysteria literis commendari nullo modo poterant, aut popularibus linguis erant consignanda.* Hæc ille, totam Lizeti disputationem vno verbo conuellens, imo vero conficiens; cum agnoscat, non

tantum

tantum eas linguas aliquando fuisse vulgares, sed etiam tum temporis, cum ijs commendata sunt oracula diuina.

XVIII. Sed agam ordine de singulis. Hebraicam cõstat, primo fuisse cognitam plebi: quia cum præcepit Sacerdotib. Moses, vt legerent populo legem, his verbis vtitur, Deuter. 31. *Leges verba legis huius, coram omni Israel, audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, paruulis, & aduenis, qui sunt intra portas tuas, vt audientes discant, & timeant Dominũ Deum vestrum.* At non poterant, quicquam audiendo discere, nisi quæ audirent, intelligerent, id est, nisi eis cognita esset lingua.

XIX. Secundo, fuisse non tantum cognitam, sed etiam vulgarem, probatur tum ex ipso nomine: Nam quemadmodum lingua Latina ea est, quæ Latinis vulgaris est, vt Græca Græcis, Gallica Gallis, Hispanica Hispanis; & generaliter omnes linguæ denominantur ab ijs populis, apud quos in vsu sunt vulgari. Ita omnino conse ataneum est, vt apud Hebræos, Hebraica fuerit vulgaris. Deinde ex dialectis. Nam Iudicum 12. Galaaditæ Ephraimitas sic dignoscebant. Die ergo Schibbolet? At illi respondebant, Sibbolet. Tertio, ex nominum proprium etymologia & analogia. Vix n. vllum est, aut hominum, aut locorum, aut fluminum nomen, quod non sit pure Hebraicum, præter pauca vel Ægyptiaca, vel Babylonica, rerum non Iudaicarum. Et quidem pueris impositæ appellationes, non à viris doctis, sed à mulierculis: nec id etiã tantum ex imitatione; vt hodie in omnibus linguis Christiani, Ioannem, & Iacobum, & Iosephum peregrina vocabula vsurpant, sed ex re præsenti plerunque: quo magis constat, ipsas mulierculas ita sciuisse Hebraice, vt quę occurrebant, singula exprimere possent: atque etiam inde nomina variare; quod in linguis peregrinis vix audent docti. Sic Eua Genes. 4. non tantum sciuit Hebraice eloqui, *acquisiui hominem à Iehoua*, sed etiam ab acquisitione formauit nomen Cain. Et postea Seth, à reponendo: siue substituendo, quia substituebat ei Deus hunc pro occiso Abel. Infinita sunt huiusmodi exempla. Et post legem latam Samuel lib. 1. c. 1. Anna pariens filium nominat Samuel, eo quod à Domino postulasset eum.

XX. Est autem in contrarium ridicula sophisticatio, ex eo quod apud Nehemiam libri sancti legebantur distincte, & aperte ad intelligendum. Quasi vero nihil in legendo officiat, præter incognitum idioma. Atqui ipsi etiam eruditi, nedum plebs vniuersa, vix capiunt, si quid perurbate legitur, & non distincte, aut concitationi linguæ celeritate. Sed nihil est necesse coniecturas sectari. Constat enim textum loqui de explanatione locorum paulo difficiliorum. Lyranus. *Legit aperte, id est, intelligibiliter declarando ea quæ videbantur obscura.*

XXI. Irenæi autem nullius momenti authoritas est hac saltem in re. Quid enim ille aut scire potuit, aut solidum pronunciare qui adeo se prodidit esse imperitum linguæ Sanctæ eo ipso loco? Nam Mammon vox est mere Syriaca: vt annotauit ad hunc locum Feuardentius ex Hieronymo, Tertulliano, & Origene: nec significat cupidum, sed ipsas diuitias, siue vtilitatem. Mamuel vero quid est? aut cur adiunctiue dicitur? Explicet Oedipus.

XXII. De Græco, & Latino sermone pudet aliquid dicere. Vnde enim orationes ad populum, si non erant cogniti? Vnde tot Epistolæ? vnde Poetarum versus in scenis recitati? vulgo etiam decantati? Et si nõ fuit vulgaris Græca vnde idiomata? Nam Attice scripsit Thucydides: Ionice Herodotus, Dorice Plato Timæum, alij aliter: quas dialectos videmus non tota essentia, sed duntaxat flexionum analogia differre. Rursus, vnde tot virorum, mulierum, vrbium, fluminum, arborum, lapidum, nomina? Nonne à vulgo? Imo vero, vnde tot in Grammatica anomaliæ? Nisi forte doctos, ita ludere quis velle putauerit, vt cum alibi omnia artificiose faciant, in solis linguis sibi ipsis dissimiles fuerint?

XXIII. Rursus, vnde earum linguarum mutatio? Nam si Ennium, Virgilio conferamus, aut Plautum Terentio, aut vtrosque etiam posteriorib̃ ad Apollinarem vsque: facile apparebit, non paucorum esse doctorum vsum illum, quem penes arbitrium & vis, & norma loquendi. Nam, cur potius intra annos tam paucos docti linguam immutassent, quam hodie tam multis intercedentibus seculis tam sollicite reuocant? Nimirum, quia illi in medio versantes populi Latini, accommodabant se ad vsum præsentem: quomodo hodie nemo veterum scriptorum Gallicorum stylum imitatur. Non quod illi non eleganter, saltem non pure, sed quia hodie aliter loqui vsus est.

XXIV. Fateor tamen alium esse vulgarem, alium artificiosum sermonem, &, vt Quintilianus loquebatur, alium Latinum, alium Grãmaticum. At hæc distinctio, non linguas diuidit, sed tantum styli in eadem lingua diuersitatem notat, quæ omnib. linguis accidit. Aliter enim videas etiam hodie in Gallia, Italia, atq; alibi, rusticos inter se colloquentes, aliter honestos viros. Aliter inquam, non toto genere: quasi vulgus, exempli gratia, Hispanice loqueretur, honestiores vero Germanice, sed tantum secũdum maiorem, minoremve elegantiam: quod discrimen esto, si placet, inter Rufinum, & Hieronymum: vel maiorem minoremve eloquentiam: vt inter Hortensium & Ciceronem.

XXV. Non obstabat autem hæc diuersitas, quominus lingua ipsa communis & esset, & haberetur. Nam Quintilianus, cum Oratoris institutionem inchoaret ab ipsis cunis, ac proinde à Grammatica: vult initium fieri à Græco sermone, *Quia* (inquit libri primi Institutionum capite primo) *Latinus, qui pluribus in vsu est vel nobis nolentibus se perhibet.* Etsi Grammaticum artificium recentius est, ac tum primum introductum, cum vel barbaræ nationes cogerentur Latinam linguam addiscere, vel ipsa lingua cœpit corrumpi. Indeque sunt illa omnia, quæ ex Codice Lizetus citabat.

CAP. III.

An docenda sint lingua vulgari ea, quæ continentur in Scriptura.

I. QVæcunque prædicanda sunt linguis omnibus, vulgoque cognitis, ea nihil prohibet, totidem linguis scribi. At quæcunque continentur in Scriptura Sancta, ea prædicanda sunt omnibus linguis etiam vulgo cognitis. Ergo quæcunque continentur in Scriptura, nihil prohibet scribi omnibus linguis vulgo cognitis. Maior patet, quia neque verba, neque literæ propter se vsurpantur, sed tantum propter res quæ ijs significantur. Quare si res oporteat omnes sciri, certe earum signa non esse incognita oportet.

II. Minor probatur, cum præceptis, tum praxi. Præcepta hæc sunt, Matthæi decimo. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lucem: & quod in aurem auditis, prædicate super domos:* quib. verbis significatur libera & publica prædicatio, vt omnes exaudire possint. Auctor imperfecti, quod Chrysostomo tribuitur. *Quod auditis in secreto soli, prædicate coram omnibus, nulli abscondentes verbum, quasi qui stet supra tecta, & clamet.* Hieronymus. *Quod auditis in mysterio apertius prædicate: quod discitis absconditè, publice loquimini: quod vt eruditi in paruo Iudææ loco, in vniuersis vrbibus, & in toto mundo audacter dicite.*

III. Matth. 24. *Prædicabitur istud Euangelium regni in vniuersa terra: vt sit testimonio omnibus gentibus.* Marci 16. *Profecti in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Est autem prædicare, nihil aliud quam publice enunciare id quod omnium interest, vt sciant, ac proinde intelligant. Sed optimus interpres est Matth. c. 28. *Profecti docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis* Græce duo verba sunt μαθητεύσατε, & διδάσκοντες. Quid est τὸ μαθητεύειν, Nimirum sic instruere, vt οἱ μαθηταὶ solent instrui. Nunquam autem quisquam discipulum docuit, qui vsus sit lingua incognita. Imo eam vnam ob causam tantum temporis insumitur in docenda Grammatica; non tanquam per seipsam aliquid eximium; sed quia necessaria sit discendis scientijs. Ergo, cum præcepit Christus Apostolis, vt omnes gentes docerent Euangelium; illud etiam voluit, vt lingua vterentur singulis gentibus commoda.

IV. Respondet exitus. Nam priusquam quicquam Apostoli prædicarent, distributum est eis donum linguarum: quo accepto, continue ad opus accinguntur: & cum conuenissent Hierosolyma viri ex omni natione eorum qui sub cœlo sunt; audiuit eos vnusquisque propria sua lingua loquentes τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ; Act. 2. Atque inde captata occasione Petrus omnia salutis mysteria diserte explicat; vt & sequenti capite, citatis non paucis testimonijs ex Veteri Testamento. Quibus auditis compuncti sunt adstantes: nimirum, quia liquido perceperant loquentis verba, verborumque mentem erant assequuti. Sic postea Stephanus, c. 7. Paulus 22. 23. 24. & 26. Deniq, nulla pars est Scripturæ, siue Veteris, siue Nouæ, quam non Christiano populo pro cõcione Veteres Episcopi proposuerint, & explicarint. Constant igitur omnes argumenti partes.

V. Bellarminus maiorem impugnat: Si bona est consequentia à prædicatione ad Scripturam, cur Apostoli solum scripserunt Græce, cum prædicauerint tum multis linguis? Igitur verbum Dei recte prædicatur lingua vulgari, quia prædicatio explicationem continet, quam omnes facile capiunt: at cum scribitur, nudum scribitur, nec ab omnibus capitur. Itaq;, quemadmodum non licet sic argumẽtari, matres dant infantib. panem dissectum in particulas, vel etiam præmansum, possent igitur dare etiam integrum & solidum, nam est idem panis: ita non licet argumentari, ministratur populis Verbum Dei explicatum à Concionatore, igitur ministrari etiam debet sine explicatione, & lingua vulgari scriptum.

VI. Respondeo: Primo, tam Bellarminum, quam Baronium contendere, Apostolos non scripsisse tantum Græce, sed Matthæum Hebraice, vel Syriace, Marcum Latine. Et quanquam de Marco non videatur verum, tamen de Matthæo verisimile est, ex testimonio veterum. Contradicit ergo sibi Bellarminus, cum asserit, nulla alia quam Græca lingua Euangeliũ fuisse scriptum.

VII. Secundo: cum sic texitur argumentum: Si Apostoli non scripserunt multis linguis: Ergo non valet conclusio à prædicatione ad Euangelium: negatur consequentia. Non enim propterea diuersa ratio est rerum scriptarum, & viua voce prædicatarum. Quid tum autem, si non scripserunt varijs linguis, dum scripserint lingua cognita? Nam quemadmodum in prædicando ea vtebantur, quæ cognita ijs esset, quibus pro tempore & loco prædicabant: sic scribendo eam adhibuerunt, quam ij optime nossent, ad quos scribebant. Quare idem in scribendo obseruarunt, quod in prædicando, vt nos faciendum contendimus. Promouisset aliquid Bellarminus, si potuisset ostendere, aliquem ex Apostolis, qui, cum viua voce docens, vteretur idiomate cognito, scribens vsus esset eo sermone, quem illi non nossent, in quorum vsum scribebat. Sed id nunquam ostendet.

VIII. Tertio, non semper prædicatio viuæ vocis continet explicationem. Nam & initio non possunt dici ea explicata, quæ tum primum proponebantur: & in ijs concionibus, quas descripsit Lucas, nuda proponuntur dogmata fidei: eaque ipsa de quibus hodie tanta contentio est, & cum tunc, tum deinceps sæpissime nude recitantur multa ex vtroque Testamento: & quidem multo concisius, quam scripta sunt, vt patet ex Concione Stephani non explicantis, sed percurrentis Testamenti Veteris historiam. Nam si singula explicarentur, nihil aliud essent Conciones, quam perpetuæ digressiones, cum necesse sit plerumque locos alios super alios congerere.

IX. Quarto, falsum est in Scriptura nude scribi omnia. Nam sæpissime, id est, quoties opus erat, auctores sacri exposuerunt ea ipsa quæ docuerunt. Sic Paulus in Epistola ad Romanos, non nude proposuit, Hominem fide iustificari, sed fusissime tractauit multis capitibus, seriaque & solida disputatione tum ἀναστευαστικῇ, tum κατασκευαστικῇ confirmauit iustificationẽ gratuitam aduersus merita operum: Et postea doctrinam de Prædestinatione. In priore ad Corinthios, Eucharistiæ institutionem, vsum matrimonij & linguarum, resurrectionem carnis. Epistola ad Galatas, abrogationem Ceremoniarum Iudaicarum: ad Hebræos Sacerdotium Christi, & sic de reliquis.

X. Quinto, non est verum, nulla nude concepta proponenda esse Ecclesiæ. Nam Symbolum fidei multo nudius est conceptum, quam vlla pars Scripturæ sacræ: & tamen non tantum prouectioribus Christianis proponitur, sed etiam Catechumenis præscribitur. Et ipsa Scriptura, quam adeo nude scriptam Bellarminus putat, ex vsu Veteris Ecclesiæ propone-

ponebatur toti populo à lectoribus, eam ipsam ob causam institutis, vt postea videbimus.

X I. Sexto, non omnes fideles in plebe sunt infantes, vt nunquam cibo vtantur nisi præmanso. Imo vero ideo vocati sunt in Ecclesiam, vt adolescant, id est, iuxta Apostolum quarto ad Ephesios, *vt euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ad mensurā staturæ adulti Christi: vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis vento doctrinæ*: vnde idem Hebræos increpat, quod prima elementa non essent prętergressi. Quare si prouectiores debent ali cibo solido, & Scriptura est cibus solidus, ergo ipsi plebi prouectiori tradenda est Scriptura, quam legat. Et, quia non omnes in Ecclesia prouectiores tenentur linguis studere: necesse est Scripturam verti in quaslibet linguas plebi cognitas: alias detinebunt Pastores plebem suam semper in infantia, vt non vescatur nisi cibo pręmāso, quod est absurdissimum.

CAP. V.

An Scriptura publice legenda ad instructionem plebis.

I. SI publice legenda est Scriptura in singulis Ecclesijs ad instructionem totius plebis adstantis: ergo eadem verti debet in linguas singulis populis cognitas. At verum prius, ergo & posterius. Consequentia patet, quia nemo instrui potest lingua sibi prorsus incognita. Vnde Paulus prioris ad Corinthios 14. *Si veniam ad vos linguis loquens, quid vos iuuabo? Si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Ita & vos nisi per linguam* εὔσημον *bene significantem sermonem dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aerem loquentes. Nisi sciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus.* Chrysostomus, in eum locum, ὃ δὲ λέγει τοῦτό ἐστιν, ἐὰν μή τι εἴπω δ[illegible] ἡμῖν εὔληπτον δύνασθαι, καὶ διειδὲς εἶναι σαφές, ἀλλ' ἐπιδείξωμαι μόνον, ὅτι γλωττῶν ἔχω χάρισμα, οὐδὲν κερδάναντες ἀπελεύσεσθε. *Nisi aliquid dixero, quod à vobis facile capi possit, perspicuumque esset: sed ostentauero duntaxat me habere donum linguarum, nulla percepta vtilitate discedetis.*

II. Antecedens autem probatur tum ex Scripturis ipsis, tum ex testimonijs antiquorum. Deuteronomij 31. *Præcepit eis, dicens: Post septem annos anno remissionis in solemnitate Tabernaculorum, conuenientib. cunctis ex Israel in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Israel audientibus eis: & in vnum omni populo congregato tā viris quam mulieribus, paruulis, & aduenis, qui sunt intra portas tuas: vt audiētes discant, & timeant Dominum Deum vestrū, & custodiant, impleantq; omnes sermones legis huius.* Disertus locus: nam & præceptum continet, vt ne quis putet, rem esse mediam & ad.aphoram, aut institutam bono hominum consilio ad εὐταξίαν: aut quid eiusmodi. Deinde lectio sancitur: & quidem, non in schola, non apud Scribas & Pharisæos, aut ipsos doctores, sed apud populum: eumque constantem ex viris, mulieribus, & paruulis, vt nequis exceptiones quærat à sexu, vel ætate. Sed & conuentus significatur magnus: propterea enim annus septimus nominatur: *quia tunc* (inquit Lyranus) *filij Israel liberi à debitis poterant melius ire ad templum in Hierusalem, & diligentius audire legem.* Tertio additur finis lectionis: nimirum, vt qui audiunt omnes discāt & custodiant legem: quasi diceret non posse legem custodiri ab ijs, à quibus ignoratur: itaque omnes Israelitas docendos esse: &, vt doceantur, legendam ijs illam esse.

III. Respondet huic præcepto praxis. Libro secundo Regum, cum Helcias sacerdos librum legis inuentum Regi Iosiæ indicasset, cap. 23. *ascendit Rex in templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuersique qui habitabant in Hierusalem cum eo Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus à paruo vsque ad magnum, legitq; cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus est in domo Domini.* Hoc idem factum legimus ab Esdra & Nehemia post reditum populi è captiuitate, Nehem. 8. *Congregatus est omnis populus quasi vir vnus ad plateam quæ est ante portam aquarum: & dixerunt Esdræ scribæ, vt afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli: Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi: & legit in eo aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum de mane vsque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum, & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum.* Cur his locis putamus tam diserto notatos magnos, & paruos, viros, & mulieres, & quidem sæpius, nisi vt ne quemquam excipiamus, sed omnibus potius communicandum dicamus ipsum Scripturarum textum?

IV. Hieremiæ 36. *Et præcepit Hieremias Baruc dicens, Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini. Ingredere ergo tu, & lege de volumine in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini in die ieiunij: insuper & audiente vniuerso Iuda qui veniunt de ciuitatibus suis, lege eis.* Similiter in libro Baruc, etsi apocrypho, c.1. *Legit Baruc verba libri huius, ad aures Iechoniæ filij Ioacim regis Iuda, & ad aures vniuersi populi venientis ad librum, & ad aures potentium filiorum regum, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi à minimo vsque ad maximum.* Act. 13. & 15. dicitur Moses legi apud Iudæos singulis sabbathis.

V. In Nouo Testamento, Actor. 15. de Epistola scripta à Synodo Apostolorum, & tradita Paulo, Barnabæ, Iudæ, & Silæ. *Illi ergo dimissi descenderūt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epistolam, quam cum legissent, gauisi super cōsolatione* Ad Coloss. 4. *Et sunt cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt in Laodicensium Ecclesia legatur: & ea quæ è Laodicea est, vt vobis legatur.* Prioris ad Thessal. 5. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.*

VI. Ab eo tempore illustris est Ecclesiæ Christianæ vsus. Origenes Homilia 15. in Iosue. *Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritalium gererent, nunquam, opinor, Iudaicarum historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem docere, legendi in Ecclesiis fuissent ab Apostolis traditi.* Leo Romanus de passione Domini, sermone 19. *Sacram, dilectissimi, Dominicæ passionis historiam, Euangelica, vt moris est, narratione decursam, ita omnium vestrum arbitror inhæsisse pectoribus, vt vnicuique audientium ipsi lectio quædam facta sit visio* Augustinus contra Cresconium libro 1. capite 9. *Memento Apostolicas Epistolas, non eis tantum scriptas, qui tempore illo quo scribebantur, audiebant, sed enim nobis: non etiam ob aliud in Ecclesia recitantur.* Cæsarius Arelatensis homilia 20. *Nemo dicat: Non possum aliquid de hoc quod in Ecclesia legitur, retinere. Sine dubio enim si velis poteris. Incipe velle, & statim intelliges,* Iustinus Apologia 2. Τῇ τοῦ Ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. *Die Solis (quam vocant) omnium conuentus fit in vnum locum, cum in oppidis, tum in agris degentium, leguntur que Apostolorum monumenta & Prophetarum scripta, quantum licet.*

VII. Sed quid multos locos colligo? Non enim est necesse, cum certum sit in Ecclesia institutos fuisse Lectores, nullam aliam ob causam, quam vt plebi publice legerent contextum librorum sacrorum, & ita quidem vt plebs intelligeret, id quod legebatur. Clemens Constitutionum libro 2. & capite 57. Μέσος ὁ ἀναγνώστης ἐφ' ὑψηλοῦ τινος ἑστὼς: ἀναγινωσκέτω τὰ Μωσέως καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ. *Lector in medio stans in loco edito legat libros Mosis, & Iesu Naue*, reliquosque omnes Veteris Nouique Testamenti libros nominatim enumeratos: nisi quod Euangeliorum legendorum munus diaconis vel Presbyteris commendatur: Et tum: ὅταν ἀναγινωσκόμενον, ἢ τὸ Εὐαγγέλιον πάντες οἱ Πρεσβύτεροι καὶ οἱ Διάκονοι καὶ πᾶς ὁ λαὸς στηκέτωσαν μετὰ πολλῆς ἡσυχίας. *Quum legitur Euangelium, omnes tum Presbyteri, tum Diaconi, sed & omnis populus stent magno cum silentio.* Atque id, si Rnapsodo credimus, disertum Apostolorum mandatum. Quanquam Cypriani tempore etiam Euangelia legebantur à Lectore, vt patet ex Epistol. 32. vbi ad eum gradum promouetur Aurelius in confessione victor. *Nihil* (inquit) *magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis diuinis lectionibus personare: post verba sublimia, quæ Christi martyrium proloquuta sunt, Euangelium Christi legere, vnde martyres fiunt: ad pulpitum post catastam venire: illic fuisse conspicuum gentilium multitudini; hic à fratribus conspici: illic auditum esse cum miraculo circunstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri.* Idem post, Epistola 34. Lectoris officium ita describit, vt super pulpitum, id est, tribunal Ecclesiæ impositus & loci altioris celsitate subnixus plebique vniuersæ conspicuus, legat præcepta & Euangelium Domini.

VIII. Lectori tradebatur inter ordinandum codex, de quo lecturus erat, additis his verbis: *Accipe, & esto Lector Verbi Dei*: vt constat ex Canone octauo Concilij Carthaginensis quarti; & Isidori libro secundo, de Ecclesiasticis officijs, capite vndecimo. Porro, *qui ad huiusmodi prouehitur gradum* (inquit caput tertium Aquisgranensis Concilij sub Ludouico Pio) *Iste erit doctrina & literis imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus, ita vt distinctionibus sententiarum intelligat vbi finiatur iunctura, vbi adhuc pendeat oratio, vbi sententia extrema diuidatur. Sicq; expeditus vim pronunciationis tenebit, vt ad intellectum omnium mentes sensumque promoueat.* Et paulo post. *Auribus n. & cordi consulere debet lector, non oculis, ne potius ex seipso spectatores magis quam auditores faciat.* Atque adeo in Ecclesia Romana nonnihil residui factum est eius moris in lectorib. ordinandis. Extat n. in Pontificali huiusmodi ad eos exhortatio. *Studete verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte & aperte ad intelligentiam & ædificationem fideliū absque omni mēdacio falsitatis proferre.* Quę sine dubio remanserunt in condemnationem inducti abusus, quo verum illud Lectorum officium sublatum est; nam incognitum idioma tollit omnem fidelium intelligentiam, ideoque etiam ædificationem.

IX. Hinc est tam seria huius lectionis commendatio. Rabanus de Institutione clericorum libro secundo, vult omnes lectionem audire, etiam dilatis precibus. *Est autem* (inquit) *Lectio non parua audientium ædificatio: vnde oportet, vt quando psallitur, psallatur ab omnibus: cum oratur, oretur ab omnibus: cum lectio legitur, facto silentio æque audiatur à cunctis. Nam etsi tunc superueniat quisque cum lectio celebratur, adoret tantum Deum, & præsignata fronte, aurem sollicite accommodet. Patet tempus orandi, cum omnes oramus: patet, cum voluerit orare priuatim, obtentu orationis ne perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cum orandi potestas in promptu sit. Nec putes paruam nasci vtilitatem ex lectionis auditu: siquidem oratio ipsa fit pinguior, dum mens recenti lectione saginata, per diuinarum rerum, quas nuper audiuit, imagines currit* Egregius locus. Vult enim Rabanus omnes qui ad Ecclesiam veniunt, attentas aures præbere ad lectionem, etiam dilatis precibus: quod contra fit hodie in Papatu: vix enim quisquam se putat Ecclesiam ingredi nisi orationis causa: lectionis vero nulla cura. Nimirum, quia nullus eam capit: conceptam barbaro idiomate, quod ipse lector sæpius demurmurat, quam pronunciat, cum ne ipse quidem sciat quid dicat. Vnde querimonia est Enchiridij Coloniensis in tractatu de ordinibus. *Tum*, id est olim, *recitatione verbi Dei per lectores saginabatur: nunc lectores quod recitant vix ipsi intelligunt.* Deinde vult Rabanus ex lectione recenti id effici, vt per diuinarum rerum imagines mens auditoris ad preces conuersi currat. At hoc quis fieri posse credat absq; intellectu? Nam idioma barbarum incognitumq; nullam imaginem eorum quę dicta sunt, menti imprimit.

X. Hinc grauissimæ eorum increpationes, qui non attendebant, cum à lectore Scripturæ legebantur: cum alibi, tum vehementissime apud Chrysostomum homil. 3. in posteriorem ad Thessalonic. εἰσῆλθε πλούσιος ἐνταῦθα, ἢ καὶ πλουτοῦσα γυνή, οὐ φροντίζει πῶς ἀκούσει τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ πῶς ἐπιδείξεται. *Ingreditur huc diues seu vir, seu mulier, nec curat quomodo audiat Dei eloquia, sed quomodo se ostentabit.* Νομίζουσι πρὸς ἡμᾶς εἰσιέναι, ὅταν εἰσίωσιν ἐνταῦθα, νομίζουσι παρ' ἡμῶν ἀκούειν ἅπερ ἀκούουσιν. οὐ προσέχουσιν, οὐκ ἐννοοῦσιν ὅτι πρὸς τὸν Θεὸν εἰσέρχονται, ὅτι αὐτοῖς διαλέγεται. ὅταν γὰρ ἀναστὰς ὁ ἀναγνώστης λέγει. τάδε λέγει Κύριος, καὶ διάκονος ἑστὼς ἐπιστομίζει πάντας, οὐ τὸν ἀναγνώστην τιμὴν ποιῶν τοῦτο φησιν, ἀλλὰ τῷ δι' ἐκείνου πᾶσι διαλεγομένῳ. εἰ ᾔδεσαν ὅτι Θεός ἐστιν ὁ ταῦτα λέγων διὰ τοῦ προφήτου, πάντα ἂν τὸν τῦφον ἔρριψαν. *Existimāt se ad nos ingredi, quando huc ingrediuntur, atque à nobis audire quæ audiunt. Non attendunt, non cogitant se ad Deum venire, Deumque ad ipsos loqui. Etenim cum surgens lector dicit, Hæc dicit Dominus: ac tum Diaconus stans omnibus silentium imperat, non lectori is honor defertur, sed ei qui per lectorem omnes alloquitur. Si scirent hæc à Deo dici per Prophetam, omnem vtique fastum*

ctum adijcerent. Hæc & alia non pauca in eandem sententiam Chrysostomus, vt omnino attentos auditores efficeret ad verbi diuini lectionem publicam.

XI. Quis iam neget, eam lectionem accommodatam fuisse ad captum plebis? *Nam si intellectum mentis remoueas* (inquit Augustinus libro 12. de Genesi ad literam cap. 8.) *nemo ædificatur audiendo quod non intelligit.* Quanquam argumentis aut coniecturis non est opus, cum Chrysostomi homilia 3. in posteriorem ad Corinthios habeamus diserta verba. ἐκ' σοῦ οἶδα φησι, τὰ ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς κείμενα, sic enim suam stupiditatem nonnulli excusabant; *Non intelligo quæ in Scripturis continentur.* Respondet, διὰ τί; μὴ γὰρ Ἑβραϊστί; μὴ γὰρ Ῥωμαϊστί; μὴ γὰρ ἑτερογλώσσως εἴρηται; οὐχὶ Ἑλληνιστὶ λέγεται; *Quã ob causam? Nunquid Hebraice, nũquid Latine, nunquid alia lingua dicuntur? Et non potius Græce?* Eius loci mens est ista. Græcis excusationis ansam oblatum iri, si eis Scripturæ proponantur aut Hebraice, aut Latine, aut alia aliqua lingua non cognita, vt negent se capere quæ in eis Scripturis continentur, sed ideo Græcis Græce proponi, vt ne possint tale aliquid prætexere.

XII. Iustinianus Imperator cum comperisset in duas partes Iudæos scindi, aliosque velle tantum Hebraice Scripturam legi, vt nostri hodie Papistæ tantum Latine: alios vero etiam Græce sua autoritate posteriorum sententiam probauit, edixitque vt Scripturas liceret legere non tantum Hebraice, sed etiam Græce, imo & alijs linguis pro locorum varietate. Locus est Nouella 146. Ἡμεῖς τὰ περὶ τούτου μαθόντες, καλλίους ἐκρίναμεν εἶναι τοὺς καὶ τὴν ἑλληνίδα φωνὴν πρὸς τὴν τῶν ἱερῶν βιβλίων ἀνάγνωσιν παραλαμβάνειν ἐθέλοντας, ἢ φωνὴν πάντων ἁπλῶς ἣν ὁ τόπος ἐπιτηδειοτέραν καὶ μᾶλλον γνώριμον τοῖς ἀκούουσιν εἶναι ποιεῖ. *Nos his compertis, honestiores illos iudicauimus esse, qui etiam Græcã linguã volunt adhiberi ad lectionem sacrorum librorum: & omnino quamlibet aliam, quam locus magis commmodam efficiet, cognitioremque auditoribus.* Et paulo post. Θεσπίζομεν τοίνυν ἄδειαν εἶναι τοῖς βουλομένοις ἑβραίοις κατὰ τὰς συναγωγὰς τὰς αὐτῶν, καθ' ὃν ἑβραῖοι ὅλως τόπον εἰσὶ, διὰ τῆς ἑλληνίδος φωνῆς τὰς ἱερὰς βίβλους ἀναγινώσκειν τοῖς συνιοῦσιν, ἢ καὶ τῆς πατρίου τυχὸν (τῆς Ἰταλικῆς ταύτης φαμὲν) ἢ καὶ τῶν ἄλλων ἁπλῶς τοῖς τόποις συμμεταβαλλομένης τῆς γλώττης, καὶ τῆς δι' αὐτῆς ἀναγνώσεως ἐφ' ᾧ σαφῆ τε εἶναι τὰ λεγόμενα τοῖς συνιοῦσιν ἅπασιν ἐφεξῆς καὶ κατ' αὐτὰ ζῆν καὶ πολιτεύεσθαι. *Sancimus vt liceat cum volent, Hebræis in suis Synagogis vbicunque locorum sint, Græce sacros libros legere iis qui intelligere poterunt: vel quacunque patria, exempligratia, Italica, vel qualibet alia: mutata pro varijs locis lingua simulque lectione: idque hanc ob causam vt perspicua sint quæ dicuntur æque omnibus intelligentibus, viuique possit iuxta eorum præscriptum.*

XIII. Ex his omnibus perspicuum est, quænam fuerit olim Christianorum in hoc controuersiarum articulo persuasio. Videlicet recitandam esse Scripturam. Et quidem primo, non vt solent Episcopi pro Concione suis verbis, suoque stylo, quod ex libris sacris didicerunt, referre, sed vt ipsa authentici textus verba αὐτολεξεὶ recitentur. Secundo, vt non sit Theatrica quædam oculorum oblectatio, vt in Papatu, vbi nihil idiotæ referunt domum, præter hoc vnum, quod hominem viderint, suo quodam more vestitum, pronunciantem, aut potius non pronunciantem, sed modulata voce cantitantem, sub Euangelij, Epistolæve nomine, particulas quasdam è libris sacris, quibus quid contineatur, omnes fere multo minus sciunt, quam si à comicis Italis fabulas agi videant. Sed sit diserta, articulata, distincta, perspicua recitatio eorum verborum, quorum certum sensum plebs percipiat, cum instructione, & sancto gaudio. Nam etiam Rupertus de diuinis officijs libri 3. cap. 8. rationem reddens cur Sabbatho ieiunij aduentus duodecim lectiones dicantur, quæ sex sunt, *Quia*, inquit, *cum Romana Ecclesia de Latinis & Græcis esset permixta, singulæ lectiones in vtraque lingua recitabantur: nam in vna lingua recitatæ, ab vtriusq; linguæ populis intelligi non poterunt.*

XIV. Quæ quidem pendent ex illo Apostoli axiomate, *Omnia ad ædificationem fiant*: 14. prioris ad Corinthios. Nam quod Bellarminus hoc ita eludit, vt dicam Scripturas sacras magnam adferre fidelibus consolationem, sed doctis quidem tum leguntur, indoctis autem dum à Concionatoribus explicantur, futile est. Quos enim ille doctos appellat? An eos, qui multo tempore multum laborem scholis impenderunt, vt varias linguas discerent, aut humaniores scientias? An vero potius doctos in ipsis Scripturis siue in Christianæ pietatis mysterijs, quos προβεβηκότας Veteres appellabant? Atqui vtroque modo nihil promouet. Nam ex his testimonijs, patet non doctos olim secretos ab indoctis, sed totam plebem admissam fuisse ad Scripturarum lectionem audiendam. Nulla autem plebs vnquam ex solis doctis constitit, sed etiam ex imperitis: quibus neque Hebraica, neque Latina lingua cognita erat, apud Græcos quidem, vt ex Chrysostomo audiuimus: quorum etiam plerique, cum negarent se capere, quæ scripta erant, nam & hoc obijciebat sibi Chrysostomus; hoc ipso ostendebant se non esse in pietate peritos, siue προβεβηκότας. Esto igitur verum, imperitos consolationem accipere è Scripturis explicatis, sed ne mihi vicissim Bellarminus neget eisdem ipsum contextum nudum legendum esse, quando ita videt olim factitatum. Hieronymus in Psalmum 66. *Scriptura populis omnibus legitur, hoc est, vt omnes intelligant.*

Cap. V.

Scriptura olim translata.

I. Si non liceret Scripturam transferri in quaslibet linguas, ergo id apud Christianos nunquam factum esset, nunquam approbatum. At vero posterius egregie falsum est: Ergo neq; prius verum. Consequentia propositionis per se patet. Assumptum est τὸ κρινόμενον.

II. Hieronymus præfatione in quatuor Euangelia ad Damasum: *Quibus nec in toto Veteri Testamento post Septuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in Nouo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata doceat falsa esse quæ addita sunt.* Augustinus cap. 5. libr. 2. de Doctrina Christia, *Ex quo factum est* (inquit, nempe ex linguarum confusione) *vt etiam Scriptura diuina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subuentur, ab vna lingua profecta, quæ oportune potuit per totum orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longe lateque diffusa innotesceret gentibus ad salutem.* In Psalmum 105. *Habemus beneficium Dei, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit.* Et Epist. 48 *Scriptura Canonica, tot linguarum literis, & ordine, & successione celebrationis Ecclesiasticæ custoditur.* Theodoretus lib. 5. de curandis Græcorum affectionibus, Ἡμεῖς δὲ τῶν ἀποστολικῶν καὶ προφητικῶν δογμάτων τὸ κράτος ἐναργῶς ἐπιδείκνυμεν. πᾶσα γὰρ ἡ ὑφ' ἥλιον τῶνδε τῶν λόγων ἀνάπλεως· αἱ δὲ Ἑβραϊκαὶ φωναὶ οὐ μόνον εἰς τὴν Ἑλλήνων μετεβλήθησαν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν τῶν Ῥωμαίων καὶ Αἰγυπτίων, καὶ Περσῶν, καὶ Ἰνδῶν, καὶ Ἀρμενίων, καὶ Σκυθῶν, καὶ Σαυροματῶν, καὶ συλλήβδην εἰς πάσας τὰς γλώττας αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ. Hoc est, Zenobio Acciaolo interprete. *Nos autem vobis Apostolicæ Propheticæque doctrinæ inexhaustum robur manifeste ostendimus. Vniuersa enim facies terræ, quantacunque soli subijcitur, eiusmodi verborum plena iam est. Hebraici vero libri, non modo in Græcum idioma conuersi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Persicam, Indicam, Armenicamque, & Scythicam, atque adeo Sauromaticam: semelque, vt dicam, in linguas omnes quibus ad hanc diem nationes vtuntur.*

III. Iam recentiores. Richardus is, qui scripsit confutationem Alcorani Mahometici, ita habet, ἐν πάσῃ γλώσσῃ καὶ ἐπαρχίᾳ ὁ νόμος καὶ τὸ εὐαγγέλιον ὁμοίως εὑρίσκονται γεγραμμένα. *In omni lingua & natione lex & Euangelium similiter inueniuntur scripta.* Et paulo post Noui Testamenti ἀντίγραφα μεμενήκασιν ἐν πάσαις ταῖς διαλέκτοις; *descripta exemplaria remanserunt in omnib. quorumque populorum propriis linguis*, sic enim necesse est circumloqui vim propriam πασῶν διαλέκτων. Augustinus Steuchus Epistola ad Maximum Grimanum præfixa recognitioni Veteris Testamenti. *Si quis diuinarum literarum quanta sit maiestas secum perpenderit, intelliget proculdubio, non iniuria accidisse, vt tot apud omnes gentes fuerint earum interpretes, apud quas primum hæ literæ florere cœperunt.*

IV. Hæc vniuersalia sunt testimonia. Iam specialiter de singulis linguis. Vetus Testamentum iam olim ante aduentum Christi translatum fuit in linguam Græcam, iussu Ptolomæi Philadelphi, atque industria Septuaginta duorum Interpretum. Idque hanc ob caussam, vt ne solis Iudæis cognitum remaneret. Sic enim apud Aristæam Demetrius, cuius studio hoc opus procuratum est, regem alloquitur, *Illa quidem Hebraicis literis & lingua conscripta est* (legem Mosis significat) *& propter hoc hactenus suis tantum cognita, ad regias manus adhuc minime peruenit. Sed digna est vt ipsa quoque inter tuos libros habeatur.* Atque inde concludit accersendos interpretes. Post Christum in eodem labore sudauit Aquila Ponticus, sed & Theodotion: denique etiam Symmachus. Quas interpretationes factas nunquam improbauit Ecclesia, quamuis Aquilas, Theodotion & Symmachus autores, essent hostes fidei, atque adeo Apostatæ. Imo ijs potius vsa est, cum priuatim, vt apparet ex virorum doctorum commentarijs, tum publice, vt ex Hieronymo scimus Danielem lectum fuisse ex Theodotionis editione.

V. De lingua Latina Augustinus 2. de Doctrina Christiana, c. 11. *Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterant linguam, numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo: vt enim cuiq; primis fidei temporib. in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusq; linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Ex ijs verbis duo obseruamus: Et ab initio statim fidei Ecclesiam esse Scripturis vsam translatis à suo idiomate in aliud populo cognitum, quod hodie ij vetant, qui se solos Ecclesiam appellari volunt: & adeo fuisse tum temporis persuasum eas versiones esse licitas, & vtiles, imo etiam necessarias, vt nemo prohiberetur ijs manum admouere: quæ licentia non solet vsurpari in ijs rebus quæ iudicantur aliquid habere periculi, minime omnium vero cum præcessit prohibitio. Sed enim ex tanto interpretum Latinorum numero duæ fuerunt editiones magni & vsus & nominis. Prior vetus & communis appellata, ab Augustino etiam Itala: altera autore Hieronymo, qui ex fontibus hausit, cum altera esset ex Græco expressa.

VI. Non negant aduersarij has Græcas & Latinas editiones. Sed reliquas impugnant. Omnino nulla causa. Nam quæ ratio effecit, vt Græce & Latine verterentur libri sacri, eadem efficiet vt in alias linguas: nimirum vt ne thesauri incogniti nullus sit vsus. Nec certe magis Græcorum aut Latinorum intererat, nosse mysteria sancta, quam Italorum, Germanorum, Hispanorum, Anglorum, Gallorum, deniq; omnium. Nec omnib. poterant, aut certe æque bene poterant, communicari eo duplici versionum idiomate, ac quorumque proprijs. Itaq; etsi hæc tantum haberemus exempla versionum, tamen sufficerent argumento confirmando.

VII. Sed habemus alia, & quidem omnium pene linguarum, nec recentia, sed à multis annis. In linguam Chaldaicam exstat Veteris Testamenti translatio, autore partim Onkelo, partim Ionathane Vzielis filio: quorum posterior vir omnium doctorum iudicio magnus, aliquot ante Christum annis vixit, & perhibetur fuisse condiscipulus Simeonis illius boni senis, cuius Canticum habemus in Euangelio Lucæ tenentis Christum in vlnis. Est autem hoc opus aggressus, quia videbat linguam pure Hebraicam, paulatim abijsse in desuetudinem: adeo vt doctis tantum familiaris esset: ille autem putauit tantum thesaurum omnibus publicandum. Exemplum valde aptum nostris téporibus. Nam Romæ olim nemo negat vtilem fuisse Latinam editionem, quam docti æque & indocti, viri & mulieres, legere poterant, aut lectam audire. Sed paulatim antiquatam eam linguam, iam à plurimis annis nemo Romanus, nisi multo tempore in scholis acto, nouit. Mirum ergo, nullum esse hodie apud eos Ionathanem: imo omnes esse iuratos hostes tam honesti operis.

VIII. Noui Testamenti Syram editionem, magni faciunt omnes docti. Et diligenter publicarunt, varijs prælorum operis: nouissime autem Arias & Fabricius, pauloque ante vtrumque Tremellius. Censetur facta paulo post Christi tempora: atque adeo Cornelius Bertramus tribuit primis Ecclesiæ Antiochenæ annis. Iodocus Coccius Thesauri Catholici libro 6. capit. 1. testatur Petrum quendam Æthiopem curasse imprimi Pauli Epistolas, in Græca, Hebraica, Chaldaica, Arabica, Indica, & Gheez linguis.

IX. Fa-

IX. Fabricius præfatione in Nouum Testamentum Syriacum ad Henricum Galliæ & Poloniæ Regem, cum meminisset Bibliorum πεντaπλάττων Antuerpiæ editorum. *Restaret nunc* (inquit) *Rex Christianissime, vt in altera editione iuberes addi eorundem Bibliorum Arabicam paraphrasin Sahadiæ Gaonis, Persicam Iacobi Tauasij Pauanisue, integram in Vetus Testamentum Syriacam, Armenicam, & Æthiopicam. In iis enim omnibus linguis, præter eas quæ sunt iam typis adumbratæ, cum veteris, tum Noui Testamenti versiones integræ reperiuntur.* Et sane Arabicam vna cum Hebræa, Græca, Latina, & Chaldaica edendam susceperat Augustinus Iustinianus Genuensis, sed solum Psalterium excusum est anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto: reliqua parata, propter autoris mortem, non sunt in lucem edita, sed manuscripta seruantur, teste eodem Coccio, & ante eum Sixto Senensi.

X. Chrysostomum transtulisse Psalmos, & Nouum Testamentum, in linguam Armenicam, Sixtus Senensis docet, & Stapletonus agnoscit ex testimonio Gregorij Patriarchæ: Hieronymum vertisse vtrumque Testamentum in Dalmaticam, etsi Bellarminus vertat in dubium, asserunt tamen Sixtus Senensis Bibliothecæ libro sexto, annotatione 152. Hosius in Dialogo de Sacro vernacule legendo: & Alphonsus de Castro contra hæreses, libro 1. cap. 13. Vlphilas apud Sozomenum, libri sexti, capite tricesimo septimo editionis Græcæ, *Primus fuit literarum* Gotticarum inuentor, καὶ εἰς τὴν οἰκείαν φωνὴν μετέφρασε τὰς ἱερὰς βίβλους, *Et in suam linguam transtulit sacros libros.* Vide Isidorum in Chronico Gottorum, qui Galphilam vocat, sed in Chronico Gilsulam, testatus vertisse vtrumque Testamentum.

XI. Iuellus contra Hardingum art. 15. & Whitakerus in hac ipsa quæstione, testantur se apud Ioannem Treuisanum legisse Bedam communicasse Anglis libros sacros propria eorum lingua. Sed & Theotisce, siue Germanice editos quondam, tradit Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis, cap. 7. *Studiosi illius gentis* (inquit) *diuinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerunt, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur.* Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ, *Michael Adam Iudæus conuersus Biblia vertit in linguam Germanicam, & in vsum Iudæorum characteribus Hebraicis expressit.* Italice edidit Iacobus Archiepiscopus Genuensis, teste Stapletono & Sixto. Polonice Hieronymus Leopolitanus, teste Sixto, Gallice Carolus quintus Rex, teste Chronico regum Gallicæ, & Carolo Molinæo annotatione prima ad edictum Caroli sexti: & Bernardo Girardo in eius regis vita: atque hanc editionem memini videre eleganter descriptam in membranis. Vel totum corpus Bibliorum, vel aliquam partem Morauice fuisse editam constat circa annum octingentesimum octogesimum; ex literis Ioannis Papæ octaui ad Sfentum Comitem de Methodio. *Nec sane* (inquit) *fidei vel doctrinæ aliquid obstat, siue Missas in eadem Sclauonica lingua canere, siue Sacrum Euangelium, vel lectiones diuinas Noui & Veteris Testamenti, bene translatas, & interpretatas legere, aut alia Horarum officia omnia psallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creauit & alias omnes ad laudem & gloriam suam.* Recitatur epistola à Baronio Annalium tomo decimo. Andreas Fricius defensionis art. 3. *Russi habent sua lingua, sacra Biblia conscripta, Bohæmorum etiam Biblia vidi ante aliquoties denos annos Venetiis typis excusa.*

XII. Sic iam olim edita fuisse Biblia probamus, non tantum Græce & Latine, sed etiam in omnes fere alias linguas: scilicet, Chaldaice, Syriace, Arabice Persice, Armenice, Æthiopice, Polonice, Morauice siue Sclauonice, Gothice Dalmatice, Germanice, Italice, Anglice, Gallice, Russe, Bohemice. Et tamen Bellarminus negabat vllum esse antiquum autorem, qui alicuius alterius translationis meminisset, præter Græcam, & Latinam.

XIII. Hardingus contra Anglicanam Apologiam; non prius in quarundam gentium vernaculis linguis haberi Scripturas omnino interdictum fuisse dicit, quam proterua hæreticorum petulantia, Ecclesiæ præsides, quo populi saluti consultum esset, aliter statuere coegisset. Ergo, inquam, olim permissum erat; deinde omnino prohibitum. Atqui in statu quæstionis constituendo, Bellarminũ audiuimus grauiter Chemnitio mendacij calumniç; notam inurentem ob hoc ipsum, quod assereret à Papistis prohiberi vulgares editiones. Ergo hoc cum ingenue confiteatur Hardingus; necesse est vafre negatum à Bellarmino.

XIV. Sed quod de hæreticorum petulantia dicit, merito examinandum est. Quando enim prohibitionem dicimus factam? Certe his demum postremis temporibus: hoc est, si non in Concilio Tridentino, saltem postea, etsi opinor in Concilio, non verbis conceptis, sed oblique, vt notabat Chemnitius. Ante id Concilium vero constat nullum fuisse interdictum. Nam & Augustinus Steuchus, non multo ante vixit, qui tamen de versionibus in omnes linguas non sine honore loquitur. Et Augustinus Iustinianus editionem adornabat Bibliorum ὀκταπλῶν anno decimo sexto superioris seculi. Deus bone! tã sero prouisum fuisse saluti populi? Atqui longe ante grassatæ fuerant hæreses. Chrysostomus vertit Armenice, Hieronymus Dalmatice: an illi nullas audierant, nullas nouerant hæreses? Imo vix vllum fuit in Ecclesia seculum, magis hoc veneno infestatum. Et tamen transtulerunt. Ergo non crediderũt Hæreseon pestem, satis legitimam causam esse subtrahendarum populo Scripturarum. Quid? quod Stapletonus hæresibus maxime grassantibus putat totum Scripturarum corpus in vulgari idiomate, saltem quibusdam è plebe permittendum? Sane hunc necesse est non credidisse omnino prohibendas versiones vulgares, propter hæreses. Nam si omnino nullæ essent, quib. communicari possent?

CAP. VI.

Quid Papistæ excipiant ad Scripturæ Translationes.

I. VArie soluunt hoc argumentum Aduersarij. Primum per partes. Bellarminus negat se certo scire vtrum Hieronymus verterit in linguam Dalmaticam. Editionem Chaldaicam esse potius paraphrasin, quam versionem: nec vnquam apud Catholicos habuisse magnam autoritatem. Porro non esse translatas Scripturas linguam Græcam, quia ea lingua esset quibusdam vulgaris, sed quia communissima. *Nam certe* (inquit) *Ptolomæo regi Ægypti, qui eas transferri curauit, non erat vulgaris.* Idemque de lingua Latina iudicium, quæ erat communis in toto Occidente, paucis vero vulgaris.

II. Nos contra. De lingua Dalmatica, Hieronymique versione litigandum esse Bellarmino cum suis, Hosio Cardinali, Alphonso de Castro & Sixto Senensi; qui asseruerunt. Et causam asserendi habuerunt ab ipso Hieronymo, qui se translationem Septuaginta diligentissime emendatam suæ linguæ hominibus dedisse asserit. Epistola 134. ad Sophronium. Erat autem ille Stridonensis; quod oppidum est in Dalmatia. Et, ne id diuinatum aliquis putet, addit Sixtus, etiam hodie in vsu esse eam versionem. Adscribam verba, è lib. 4. Bibliothecæ. *Transtulit quoque Hieronymus, vt ipsemet in Epistola ad Sophronium testatur, vniuersum totius diuinæ Scripturæ corpus in Dalmaticam linguam ad vtilitatem nationis suæ gentium: quæ vsque in hanc diem huius translationis lectione summa cũ veneratione vtitur* Nota, hunc laborem ab Hieron. susceptum, ad vtilitatem gentium suæ nationis: non eruditorum, non Episcoporum, non Cleri. Conclude persuasum fuisse Hieronymo Scripturas etiam ijs communicandas; quibus materna tantum lingua est cognita: eorumque vtilitatem promouendam: & quidem hoc modo: hoc est, non tantum publica expositione, quæ fit à concionante, sed etiam, ipsa textus sacri exhibitione.

III. De Chaldaicæ editionis autoritate, quid attinet dicere? fuit ea tanta, quanta debet esse alicuius versionis: qua de re dicendum erit paulo post. Nũc autem, non hoc agimus, quis cuique versioni locus sit tribuendus, sed vtrum aliquis omnino dandus, hoc est, vtrum aliquas extare sit vtile, vel potius permissum. Nec nos sane omnes vulgares contendimus æquo gradu admittẽdas cum contextu archetypo; vel etiam cum vetustissimis versionibus, si cætera sint paria. Imo vero alias nonnulli defectus sint veterum, tamen propter ætatem facile patimur, vt plus honoris habeant. Nam si forte aduersus eas aliquid excipimus, tum id fieri debet ex autoritate textus, non è simplici posteriorum comparatione.

IV. Fateor Paraphrastem Chaldæum liberius transtulisse: non vero verbum verbo; quam religionem nos maxime laudamus, si tamen commode fieri possit. Sed hoc quid ad rem? Non enim sequitur non esse versionem, & quidem in linguam cognitam, ex incognita, vel certe ex minus cognita. Imo hoc ipso redditur ad argumentum nostrum aptior: quia non tantum versio est in linguam vulgarem, sed etiam explicatio eorum locorũ, quorum sententia est obscurior. Vnde à Galatino serio commendatur. *Ionathas* (inquit) *Vzielis filius, Hillelisq; auditor, atq; Simeonis Iusti, qui Christum infantulum suscepit in brachiis, condiscipulus, totum vetus Instrumentum in Chaldæam vertit linguam, atque exposuit, ita sensum è sensu traducens, & ita obscurissima quæque exponens vocabula, vt quæcunque de Messia, dubia & latenter scripta erant, certa atque clarissima reddiderit: adeo vt eius editio non tam interpretatio, quam glossa atque expositio videatur, quam Hebræi* תרגום *id est translationem nuncupant.* Hinc certe colligimus, mysteria Spiritus Sancti, etiam plebi communicanda. Deinde, quia hæc siue translatio siue paraphrasis, nunquam plenius, dilucidius, maxime vero nunquam certius ea mysteria declarauit, quæ continentur in Veteri testamento, quam ipse Spiritus Sanctus in Nouo: ergo si ob facilitatem illam non fuit incommodum, imo vero fuit vtile eam paraphrasin plebi proponi: multo vtilius, imo multo tutius fuerit Nouum Testamentum ei communicari: Imo vero etiam totam Vetus: quia adiunctum habeat Nouum, tanquam siue paraphrasin, siue explicationem.

V. De Græca & Latina non est instantia difficilior. Primo, ne nos quidem pugnamus simpliciter pro linguis vulgaribus, sed impugnamus tantum linguas non cognitas ab ijs quib. Scriptura proponenda est. Itaq; sufficiunt nobis linguæ communes, sunt n. cognitæ. Atq; hæc cognitio vera est & propria causa omnium translationum; nominatim autem eius quæ facta est iussu Ptolomæi; cuius Epistolam ad Iudæorum Pontificem Epiphanius recitat, in hæc verba, libro de ponderibus & mensuris, βασιλεὺς Πτολεμαῖος τοῖς τῆς εὐσεβείας διδασκάλοις, τοῖς ἐν Ἱεροσολύμοις τὰ εἰς τὰ χαίρειν. Θησαυροῦ κεκρυμμένου, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις, οὕτω δὲ ἡ παρ' ὑμῶν ἀποσταλεῖσα ἡμῖν τῶν βιβλίων ὑπόθεσις. ἡμῶν γὰρ μὴ δυναμένων αὐτὰ γνῶναι τὰ γράμματα τούτων, οὐδὲν ὄφελος ἡμῖν γενήσεται. ἀλλὰ καταξιώσατε ἑρμηνευτὰς ἡμῖν ἀποστεῖλαι τοὺς ἀκριβῶς ἐκπεπαιδευμένους τήν τε τῶν ἑβραίων καὶ τῶν Ἑλλήνων γλῶτταν. *Thesauri absconditi, aut fontis signati, quænam vtilitas? Idem iudicium de sensu librorum, qui à vobis ad nos missi sunt. Quamdiu n. eorum literas non poterimus legere, nullum inde ad nos redibit commodum. Itaq; dignamini Interpretes mittere, exacte doctos cum Hebraice, tum Græce.*

VI. Ad hæc, quid tum si vel Ptolemæo non fuit Græca vulgaris, vel paucis Latina? Nam nec Ptolemæo soli, & paucis etiam illis Biblia communicari debebant. Certe Demetrius erat Græcus, teste ipso nomine, cuius origo Græca est. Ei autem æque ac Regi, Septuaginta sudabant: itemq; Aristæo: deniq; omnib. Græce scientibus: quod ex euentu patuit. Et Latina editio, non solis commendata est Gallis, aut Germanis, aut Hispanis, sed ipsis Romanis in manus tradita: apud quos ita erat lingua non tantum communis, sed etiã vulgaris, vt quælibet muliercula, æque se Latinam diceret, cum Cicerone, Cæsare, reliquis: non quidem eloquentia parem, sed idiomate tamen non inferiorem. Faciebat ad Papistarum Tyrannidem, si nullus vnquam vsus fuisset editionis Septuaginta Seniorum, Athenis, vbi Tyrtamos, ob Græcam eloquentiam Theophrastos appellatos aniculæ ex idiomate agnoscebant hospites, & hoc nomine resalutabant.

VII. Sixtus Senensis annotatione 152. libr. 6. Bibliothecæ. *Ad id quod hæretici contendunt* (inquit) *vertendas esse diuinas literas in maternam cuiusque nationis linguam, quia olim hoc ipsum factum sit ingenti Ecclesiæ beneficio, respõdetur, ineptum esse huiusmodi argumentum: multa enim alias instituta sunt in communem reipublicæ vtilitatem, quæ cum postea incommodum, & periculum afferrent, abrogata sunt.* Et addit exempla: Nocturna peruigilia ad martyrum sepulcra, sublata Elibertini Concilij sanctione: Eucharistiæ traditionem in manus fidelium, compertis incommodis abolitam. Porro translationum incommodum certissimo experimento compertum; videlicet plurimam simplicium turbam ea occasione in detestabiles, & irremeabiles errores corruisse.

VIII. Hæc Sixtus, vir inter Monachos eruditus: Sed hoc loco non satis prudens. Nam primo, ex euentis ea iudicanda sunt duntaxat, q non sunt simpliciter, & per se bona, sed media atq; ἀδιάφορα. Quomodo nos pleraque reformauimus cum discessimus à Papatu. Sic Commemorationem fideliũ defunctorum sustulimus: sic Martyrum natalitia: sic signum crucis illud ἐν τούτῳ νίκα; & similia plurima; quib. tamen credimus priscos non male vsos esse: quia apud Papistas iampridem in fœdissimam Idololatriam, aut certe non ferendam superstitionem degenerarunt. Bona autem illa; prorsus censemus retinẽda, purgatis errorib. qui superuenerunt. Sic nos Eucharistiam, Baptismum, preces, & reliqua in integrum restituimus, quamuis nec ab ijs quidem Papistę sacrilegas manus abstinuissent. Porro in mere adiaphoris, negamus esse numerandum vsum linguæ cognitę, sed inter necessarias ἐν τοῖς π; vt diximus pręced. li. c. 6. Quemadmodum ergo qui vsum vini propter ebrietatem, sic ne ille quidem inter sobrios computandus erit, qui propter nonnullos hæreticos prohibeat vsum linguæ cognitæ.

IX. Deinde ipsa adiaphora cum ex euentis iudicanda sunt, non incommoda sola numeranda veniunt, sed & commoda consideranda. Nam si plura sperari possunt commoda, quam incõmoda timeri, tum furiosum sit, vsum iam receptum abrogare. Est autem certum multo plus vtilitatis ad Ecclesiam redire ex Scripturæ lectione; quam incommodi: quod si quis reuocet in dubium, relegat ea quæ nos prolixe citauimus ex patribus, cum ageremus de permittendis plebi Scripturis.

X. Tertio, tum minime valet incommodorum enumeratio, ad vsum inductum tollendum; cum è re ipsa, qua pleriq; abutuntur, remedia peti possunt aduersus ea ipsa incommoda. At hoc Scripturis proprium est: à quib. suppeditantur certissimæ refutationes earum ipsarum hæreseôn, quas ab earum lectione, aut etiam aliunde nonnulli hauriunt Sic Chrysostomus. Si attenderemus Scripturis, non tantum non attenderemus errori, sed etiam alios ab erroribus liberaremus.

XI. Quarto, quod dicit Sixtus, experientia compertum esse plebem ea occasione in multos errores incidisse; falsum est, quia vix vllam possit hæresin nominare, quæ à plebe originem sumpserit: & non potius ab Episcopis, aut presbyteris: vnde conficitur, longe plus plebi nocuisse conciones, quam Scripturarum lectionem: sic enim quolibet, pro arbitrio solent Episcopi Concionantes impellere plebem ab eis pendentem: quare si valet consequentia aduersus Scripturę vsum, multo plus aduersus Conciones. Itaq; si semel propter male vtentes; omnem omnino vsum Scripturarum, id est, tam bonum quam malum; sibi Papistæ prohibendum putant: cur non etiam similem ob causam omnes omnino cum bonas tum malas conciones prohibent? Vt similes haberent labra lactucas.

XII. Quinto, cum certum sit longe maximam hæreseon colluuiem fluxisse ab Episcopis: Nam Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice c. 8. agnoscit hæresiarchas fere omnes aut Episcopos aut presbyteros fuisse. Cum, inquã, hoc certissimum sit: vel negandum est suas hęreses Episcopos haurire ex Scripturarum lectione: vel his æque ac laicis Scripturæ erunt interdicendæ: vel saltẽ alia excogitanda causa cur laicis potius. At primum illud ne aduersarij quidem dicent: negarent n. solem meridie lucere: secundum omnino esset furiosum: tertium ἀδύνατον. Ergo inepta est Sixti exceptio.

XIII. Sexto, nego vnquã interdictum fuisse, ne Scripturæ transferantur in vernaculas linguas. Nam si interdictum est, tum vel ante Cõcilium Tridentinũ, vel deinceps. At non ante; vt constat ex tot versionum exemplis iam enumeratis. E quib. Polonica facta est circa annum decimi quinti seculi sextum & trigesimũ. Non deinceps, quia nec quicquam ea de re inuenimus in eo Cõcilio: & Iesuitę recentiores, interq; eos Bellarminus, negant ea de re fuisse sancitum. Post Cõcilium autem, Papæ autores Indicis librorum prohibitorum, nõ ipsam prohibent versionem, sed tantum vsum certis terminis circunscribunt. Quanquam quid vel Concilium Tridentinum vel Papæ prohibeat, aut permittant, Catholici non curant. Non enim eis ius vllum est in Ecclesiam, quam ferro & flamma persequuntur.

XIV. Denique Sixti exempla sunt inutilia. Nam vigilias illas fœminarũ in Cœmeterijs, sublatas ab Elibertino Concilio, nunquam Ecclesia instituerat: nunquam approbarat, sed inconsiderata superstitio intruserat: ab ijsque nihil boni, incommodi vero plurimum exspectandum erat. Itaque pie & sapienter abrogatæ sunt; quia earum prætextu mulieres sæpe scelera perpetrabant. Et similiter sublatas oportuit eas, quæ retinentur apud Papistas circa Pascha: itemq; nocturnos conuentus ad Domini Natalem, si Papistis gratior esset Christiana modestia, quam fœda superstitio. Eucharistiam vero porrigi in manus fidelium communicantium, omnino est ab institutione Christi: nec quod sciam ab Ecclesia vllo vnquam decreto abrogatum. Certe tolli non debuit. Quod si superstitiosiores sunt Papistæ; an propterea Catholicos oportet pœnas dare?

XV. Stapletonus in Relectione Principiorum Controu. 5. quæst. 3. art. 4. aliam quęrit rimam. Nam cum ei obijceretur vsus iste vulgarium editionum apud veteres. *Dicendum* (inquit) *quod hoc totum factum est subinde à maioribus nostris pia & prudenti dispensatione, non autem ex generali & perpetua vel rei necessitate, vel Dei ordinatione.*

XVI. Atqui hoc multipliciter est absurdum. Primo, si fuit specialis dispensatio: ergo necesse est præcessisse vniuersalem prohibitionem. Non enim potest aliter dispensatio intelligi. Est enim dispensatio iuris relaxatio, inquit Altenstaig. Exempli gratia, ex Papæ dispensatione Philippus Hispaniarum Rex vxoris defunctę sororem duxit. Nimirum, quia iure eoq; diuino non licebat, quod æque ac humanum pro nihilo, cum libet, Romæ ducitur. At vertendarum Scripturarum nulla erat prohibitio. Alioqui proferant, si possunt, aliquem ex Scriptura locum, aliquem Ecclesiasticum Canonem, aliquod saltem alicuius Patris testimonium, vnde constet aliquando prohibitum fuisse, ne quis Scripturam verteret. Sed non poterunt. Ergo frustra dispensationem clamitant.

XVII. Secundo, qua ratione appellari potuit specialis dispensatio, is vsus quem constat esse promiscuum? Nam si vnus aut alter reperiretur interpres, verisimile id fortasse fuerit. Sed infiniti ostenduntur. Nam Augustinus negabat numerari posse Latinos: multos Græcos fuisse nemo nescit. Adde Chaldaicos, Syros, Arabas, Armenos, Dalmatas, Anglos, Gallos, reliquos, quot erunt? Et in tanta copia mihi Stapletonus occinat dispensationem? nec tãtum dispensationem, sed specialem dispensationem? Nouam sane iuris Romani formulam.

XVIII. Tertio, si est dispensatio, quæro quis dispensauit: An Cõcilium aliquod? an Episcopus Romanus? an ipsi Interpretes? Si Concilium: ergo nominent. Nos n. nondum vllum audiuimus, aut nominatum aut indicatum. Episcopus Romanus, nõ potuit: quia nõ est antiqua eius in Christianitatẽ tyrannis. Et Hieronymum scimus tantum nouo Testamento manus admouisse ad Episcopi Romani siue preces, siue mandatum. Nam Vetus Testamentum, ad preces variorum tum Episcoporum, tum etiã laicorum, atq; adeo mulierum transtulit. Deniq; nõ potuerunt ipsi Translatores dispensare: fuisset n. lex ridicula, à qua se quilibet proprio motu potuisset eximere: Quod si iam nemo inueniri potest dispensator: Ergo nulla est dispensatio.

XIX. Quarto; hoc etiam Stapletonus nobis respondere debet, vtrum credat ex speciali dispensatione factas esse versiones primas Seniorum Septuaginta in linguam Græcam, & Hieronymi in linguam Latinam. Nam si asserat tum has, non magis licitas dicet, quam alias quaslibet: Et tamen has linguas tanquam doctas omnes Papistæ è reliquarum numero eximunt, vt crucis titulo dedicatas. Sin neget: nos excipiemus non aliam earum siue causam, siue rationem: quam reliquarum, aut ab antiquis reddi, aut à recentioribus excogitari posse.

XX. Denique, cum quæstio esset Romæ in conclaui agitata de Sacris Morauice agendis, ideoque & de Scriptura vertenda in eandem linguam; essentque non pauci contradictores, Æneas Syluius testatur vocem tanquam de cœlo in hæc verba missam, *Omnis spiritus laudet Dominum: & omnis lingua confiteatur ei*: Bohemicæ historiæ cap. 13. Sed & Ioannes quartus, hac ipsa de re scribens. *Literas Sclauonicas, à Constantino quodam Philosopho repertas, quib. Deo laudes debitas resonent, iure laudamus: & vt in eadem lingua Christi Dei nostri præconia, & opera enarrentur, iubemus, neq; enim tribus tantum, sed omnibus linguis, Dominum laudare, autoritate sacra mouemur, quæ præcepit dicens, Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi: & Apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis Magnalia Dei. Hinc & Paulus cœlestis quoque tuba insonat, monens, Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. De quib. etiam in prima ad Corinthios Epistola satis & manifeste nos admonet, quatenus linguis loquentes, Ecclesiam Dei ædificemus.*

XXI. Hinc varia ducuntur argumenta. Primum: Nihil factum ex iure vniuersali, dispensatio specialis dici potest: siquidem, vt diximus, dispensatio est iuris non obseruatio, sed relaxatio. At Morauicæ linguæ vsus vsurpatus est, ex iure vniuersali: nimirum ex locis scripturæ id factum comprobantibus. Ergo non fuit specialis dispensatio. Quod si non Morauica, ergo ne aliarum quidem. II. Nullum facinus contra ius admissum, propterea q; indigens dispensatione speciali, laudatur: est enim contra æquitatem, contra bonos mores. At hoc Morauorum factum laudatur à Ioanne quarto. Ergo non erat cõtra ius admissum, nec dispensatione indigebat. Tertium: Nihil, quod contra ius dispensatur, fieri iubetur: at Morauicam linguam vsurpari iussit Ioannes quartus. Ergo non dispensauit. Quartum, Nihil omnib. permissum, dispensatur. At linguæ vulgaris vsus, omnibus permissus est: sic enim sonant loci Scripturæ inducti, qui de omnibus linguis diserte loquuntur. Ergo non fuit specialis dispensatio Morauicæ linguæ vsurpandæ. Quod si non huius: ergo ne aliarum quidem.

XXII. Atque hîc mirari libet ingenium Baronij: qui, cum sentiret hoc iudicio conuelli Tyrannidem Papisticam in retinendis linguis ignotis & barbaris; ictum putauit declinandum. *Hæc* (inquit) *Ioannes Papa, ita natam recens Ecclesiam lacte nutriens paruulorum, sperans opera eius, qui linguas infantium facit disertas, fore vt Morauensis Ecclesia, matris, ex qua genita est, lingua perfecte loquutura esset.* Itane? puerorum lacte eos nutriri ausus est dicere Cardinalis, quibus Scripturæ permittuntur lingua vernacula? Atqui reliqui omnes vel hunc prædicant esse cibum prouectiorum, vt Bellarminus de Verbo Dei libr. 2. cap. 16. ad argumentum quintum Chemnitij: vel venenum pronunciant, vnde hæreses, & omne genus malorum laici hauriant. Nimirum nihil pensi habent Papistæ, dum veritatem quoquomodo eludant: nec pudet ludificari Christianos. Et tamen, si verum est, lingua cognita propositam Scripturam, esse lac puerorum: concludimus ergo, omnibus laicis proponendam: nam hi omnes, si pueri sunt, vt Papistæ volunt lacte sunt nutriendi.

XXIII. Superest mihi Lizetus; nam & iste nescio quid seorsim meditatus est à reliquis. Primo concedit necesse fuisse; vt, quæ Gentes Hebraicæ, Græcæ, Latinæve linguę vsum nullum haberent, ijs Scripturæ proprio sermone traderentur. Sed non insulse credi posse, apud Arabas, Chaldæos, Medos, aliosque complures duplicem fuisse linguam, alteram omnibus communem, alteram viris doctis peculiarem, qua diuini libri apud eos scriberentur. Secundo, versiones Italicas & Gallicas, potuisse à quibusdam perperam, & inconsulte tentari: & voluisse interpretes quorundam magnatum desiderio facere satis. Tertio id nunquam factum in Latina Ecclesia, quæ vniuersa sola Latina translatione contenta fuit. Quarto, non fuisse eas vulgares translationes passim indoctæ rudiq; plebi permissas. Denique, si ex Deo fuisset vulgaris translatio, permansisset vtique in Ecclesia, at quum haud quaquam in ea perstiterit, argumentum maximum est, Deo eius translationis opus neutiquã fuisse gratum.

XXIV. At nos respondentes, ad primum concedimus necesse fuisse, vt qui populi neq; Hebraice scirent, neq; Græce, neque Latine, propria sua lingua Scripturas haberent: atq; eam perpetuam generalemq; necessitatem esse credimus; vt similiter Galli Gallice, Itali Italice, Germani Germanice, alij aliter Scripturas legant. Nam hodie earum nationum nulla est, quæ vsum Latinæ linguæ retinuerit, aut Hebraicæ, aut Græcæ: quæ omnes ablegatæ sunt, ab vsu olim publico, ad scholarum cancellos, vnde non exeunt.

XXV. Fuisse autem apud Chaldæos, Arabas, & Medos duplicem linguam, concedi potest; si distinguamus elegantiam honestiorum à sordib. vulgi: neq; quicquam derogat causæ. Quanquam exemplo tum Græcę, tum Latinę versionis piudicare licet, Scripturas esse vertendas in sermonem non honestioribus peculiarem, sed vulgo cõmunem. Sciunt n. docti, neq; Græce vetus Testamentum; neq; Latine tota Biblia, elegantiam redolere Demosthenis, aut Ciceronis, sed potius vulgi sermones. Sin autem somniabat Lizetus, linguam doctorum

eorum aliquam, quæ non nisi in scholis multo labore disceretur, plebi autem prorsus esset incognita; tum ille non satis alte somniauit.

XXVI. Ad secundum. Papistis solenne esse iampridem agnouimus pios Catholicorum conatus calumniari, sed apud nos nullius esse momenti, quid illi vel laudent, vel improbent. Enimvero, cur Italicis & Gallicis versionib. hæret Sophista? Quasi vero alia esset earum ratio, quam aliarum; puta Gotticæ, Dalmaticæ, Syræ, Chaldaicæ: adde, Græcæ & Latinæ. An vero temeritatis etiam accuset Hieronymum, & Bedam, & Chrysostomum? Vlphilam certe nemo antiquorum ita damnauit. Quod autem addit de magnatum desiderio, insulsum est. Nam primo, earum versionum paucæ ea occasione factæ sunt: reliquę in populorum gratiam; vt de Vlphila diserte dixit Eusebius: de Hieronymo Sixtus. Secundo; nemo hactenus illud magnatum desiderium culpauit imo nostri Historici, versionem Gallicam numerant in laudib. Caroli V. Regis. Et Hieronymus vltro profitetur, se in gratiam variorum cum virorum, tum mulierum varias partes transtulisse.

XXVII. Ad tertium, interrogamus, quamnam appellet Ecclesiam Latinam. Nam si eam, quæ lingua Latina vtebatur: quid mirum? Ne in Græca quidem, aut Syriaca, Scripturæ vnquam conuersæ sunt in linguam Latinam. Et nulla magis ratio efficit, vt quia Ecclesia Latina non est vsa Anglico idiomate, vt hoc exempli gratia nominem: ideo nunquam debere Scripturam Anglice verti: quam nunquam Latine, quia Ecclesia Græca & Syriaca, nunquam vsæ sunt lingua Latina. Sin autem intelligit totam Occidentis Ecclesiam, quæ solebat appellari Latina: mera est petitio principij. Nam Angli, Galli, Dalmatæ, Poloni, Morani, Gotti ad eam pertinebant; quibus singulis suas versiones fuisse ostendimus.

XXVIII. Ad quartum. Papistæ audacter diuinant, quicquid suis reb. commodum videtur, sed ridicule. Quî enim illi post tot secula scire possunt non fuisse quibuslibet permissos libros Sanctos vulgari lingua? Saltem testes aliquos proferrent. Nam si hodie fit apud eos, non sequitur tamē similiter olim factum fuisse. Sed n. quęro in quorum igitur gratiam factę sint illæ versiones. Nam in vsum doctorum, quid erat opus? cum illi vti possint Græcis, & Latinis. Et tamen Eusebij de Vlphila verba erant, τὰς βαρβάρους μαθήσεις τῶν θείων λόγια παρεσκεύασεν, *effecit vt barbari ediscerent oracula diuina.* Quæ significant, in eorum vsum versas esse Scripturas Gottice, qui ex ea versione, non ex Latina, aut Græca, haurirent fidem. Augustinus etiam effectum testatur, vt per varias Interpretum linguas Scriptura longe lateq; diffusa innotesceret gentibus. Deniq; contrarium probauimus libro præced.

XXIX. Ad quintum: primo inepte ex euentu iudicat, Quasi vero nihil bonum, & sanctum in desuetudinem venerit apud eos, qui se Christianos profitentur. Nō est vero è corruptionib. legitima cōclusio. Secundo sumitur falsum. Nam remansit vsus variarum versionum: etsi non omnium: videlicet Græcæ apud Græcos, Syræ apud Syros, Latinæ apud Latinos, Arabicæ apud Arabas. Illyricos etiam vti Dalmatica versione Hieronymi Stapletonus testatur, & Sixtus.

CAP. VII.

An apud Iudæos Scriptura recitata sit lingua incognita.

I. PErgo ad Argumenta Papistarum, collecta ab ijs quibus hæc controuersia tractata est. Iij sunt: Bellarminus de Verbo Dei, lib. 2. cap. 15. Petrus Sutor Carthusianus in opere de Translatione Bibliæ c. 22. Petrus Lizetus in Dialogo de Sacris libris in vulgare eloquium minime vertendis. Franciscus Coridubensis in Annotationibus Catholicis artic. 1. cap. 10. Andradius Defensionis Tridentinæ libr. 4. Stapletonus in Relectione principiorum Controuersia 5. quæstione 3. artic. 4. Thomas Hardingus contra Iuellum artic. 15. Iacobus Iedesima in libro de diuinis Scripturis, quauis passim lingua non legendis. Ioannes Arboreus Theosophiæ lib. 8. c. 11. Salmero disput. 30. in 1. ad Corinth.

II. Bellarmini primum argumentum ducitur ab exemplo Ecclesiæ Iudaicæ, quæ fuit à tempore Esdræ vsq; ad Christum. Nimirum, quia temporib. Esdræ desierit in populo Dei lingua Hebraica esse vulgaris. Argumentum ita instituendum: Quicunque vsus obtinuit in Ecclesia Iudæorum ab Esdra ad Christum; is obtinere debet in Ecclesia Christiana. At is vsus obtinuit ab Esdra ad Christum, vt Scriptura non exstaret, nisi lingua incognita. Ergo in Ecclesia is vsus obtinere debet, vt non exstet Scriptura nisi lingua plebi incognita.

III. Probatur Minor: quia non exstabat Scriptura nisi Hebraice: at linguam Hebraicam Iudæi obliti erant in captiuitate Babylonica; vt illis deinceps Chaldaica, siue Syriaca fuerit materna. Vnde Nehemiæ 8. cum legeretur liber Legis vniuerso populo, Nehemias, & Esdras & Leuitæ interpretabantur, quia alioquin nihil populus intelligebat. Probatur etiam ex multis vocibus, quæ legentur in nouo Testamento, nec sunt Hebraicæ, Marci 5. *Talitha cumi*: Et 14. *Abba*. Actorum primo, *Haceldema*, Matth. 27. *Golgotha*, Apud omnes Euangelistas, *Pascha*. Probatur rursus ex Ioannis 7. *Turba hæc quæ non nouit Legem*. Denique etiam hodie Iudæi in Synagogis Scripturas Hebraice legunt, cum tamen nulli nationi lingua Hebraica sit vulgaris.

IV. Respondeo primo, maiorem non esse vniuersaliter veram, ideoq; conclusionem non necessariam. Nam ne ipsi quidem aduersarij ausint asserere omnia sic conseruanda apud Christianos, vt instituta sunt apud Iudæos. Et tamen, quod diligenter considerandum venit, non argumentatur Bellarminus ab eo, quod inter Iudæos certo Dei præcepto institutum est, sed duntaxat ex eo, quod vitio paulatim inductum est. Alioquin, cur tam sera conquisiuit exempla? Esdræ enim tempora inciderunt in periodum Ecclesiæ Iudaicæ declinantis. Quis autem credat nobis pro exemplo constituendæ Ecclesiæ Christianæ proponendum statum inclinantis Iudaicæ? & non potius integræ?

V. Secundo, respondeo minorem esse falsam: ac ne verisimile quidem esse tempore Esdræ fuisse populo incognitam linguam Hebraicam, alioquin quomodo Haggæus, Zacharias, & Malachias ad populum concionati essent? Nam constat prophetasse post reditum ex captiuitate; & lingua pure Hebraica? quod vtrumque patet ex eorum scriptis. Etsi iam inclinante linguæ puritate. Cuius rei indicium est in mensium nominibus, non Hebræis, quæ in nullis inueniuntur libris sacris, præter eos qui in captiuitate Babylonica conscripti sunt? vt docet Elias Leuita in Tisbi. Et sane quis credat fieri potuisse, vt intra spatium annorum septuaginta, totus ille populus prorsus oblitus sit sui idiomatis? Nam corrupisse, si diceret Bellarminus, non repugnarem. Etsi ne id quidem satis explorate colligi possit, nisi diu post Esdræ tempora. Certe Nehemias c. 13. diserte meminit linguæ Iudaicæ distinctę ab alijs; cum significat filios natos ex mulieribus Asdoticis, Ammoniticis, Moabiticis non potuisse loqui Iudaice.

VI. Non sequitur autem, si corruperint suum sermonem, ideo vt omnino non intellexerint. Experientia enim docet incognita idiomata illa esse, quę toto (vt ita dicam) genere distant: vt Germanicum Gallis: Græcum Latinis: Hebraicum Græcis. Nam quæ viciniora sunt, & tantum corruptione differunt, ea videmus esse non difficilia cognitu. Sic Francicum idioma omnibus Gallis: Sic Germanicum Heluetijs, nec Hetruscum omnibus Italis. Sic Sclauonicum, teste Hosio, Boemis, Morauis, Cassubijs, Russis, Moschis, Saulis, Suetijs, Dalmatis, Boznensibus, Croatis, Bulgaris, Rascianis, Seruis, atque alijs. Sic longe tempore Latinum manſit cognitum apud Latinos paulatim in deterius flectentes, donec degenerarent omnino in Italicam. Sic nobis vetus Francicum non est difficillimum, qui Villeharduini librum etiam legimus; & Veteres Poetas, quos appellabant *Iongleurs*: à quorum tamen nonnullis maius est ad nos vsque temporis interuallum, quam à Nehemia ad Christum.

VII. In recitatione Legis populum nihil intellexisse, de suo Bellarminus dixit, à Nehemia nunquam didicit: Quin potius certa sunt in contrarium argumenta. Nam dicitur Nehemias protulisse Legem *coram congregatione tam virorum quam mulierum, & omnium aptorum ad intelligenter audiendum*; sic enim vertit noster Iunius: Et paulo post, *coram viris, mulieribusque, ac intelligentibus.* Quæ verba diserte significant ea quæ legerentur potuisse intelligi cum à viris tum etiam à mulieribus. Deinde dicitur populus attentus fuisse ad librum Legis. Ad quid attenti auribus, audiendo nihil percepturi? Tertio dicitur discessisse populus ad agitandam magnam lætitiam, *quod intellexissent verba, quæ nota fecerant illis*: Nehemias testatur hos intellexisse verba ipsa. Et mihi aliquis Iesuita contra persuadeat non intellexisse?

VIII. Nam quod Nehemias, Esdras, & Leuitæ interpretabantur, nihil ad Bellarmini sententiam: Etsi vrgeatur à Frontone contra Plessæum. Significat enim, non linguam fuisse plebi incognitam, sed vt sæpe accidit, res ipsas potius, non satis bene perceptas à singulis verba audientibus, fuisse declaratas: quo modo semper Pastores ad populum in Concionibus interpretantur dogmata fidei; quamuis contextum Scripturæ legerint Græce Græcis, Latine Latinis, hoc est, ita vt singula verba à plebe sint intellecta: Neque enim quisquam dubitat in Motis tam multis ceremonijs, non paucas fuisse paulo minus perspicue descriptas; quod etiam hodie doctissimi experiuntur quotidie: exempli gratia, in Vrim & Tummim; quæ quid fuerint, ne Rabbinorum quidem Principes iam diu scire potuerunt.

IX. Frustra autem Fronto contendit, non posse negari, verbo illo Interpretandi, quo vsus est Hieronymus, significari illud explicandi officium, quo funguntur linguarum interpretes, Gallice *Truchemans*, qui alia lingua reddunt, quod alia acceperunt.

X. Nam interpretandi vocem communem esse, cum translationi verborum, tum rerum explicationi, sciunt omnes, & probatur ex vsu ipsius Interpretis Latini, siue is Hieronymus est, siue alius. Ad verba hi loci referuntur. Iudic. 1. *In monte Hares, quod interpretatur, testaceo.* Et 12. *Schibbolet, quod interpretatur, spica.* Genes. 27. *quod per interpretem loquoretur ad eos.* Ad res vero, Genes. 40. *Somnium vidimus, & non est, qui interpretetur nobis.* Et 41. *Narrauit somnium, nec erat q interpretaretur.* Daniel. 5. *Audiui de te, quod possis obscura interpretari.* Genes. 40. *Prapositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Nō est igitur q ex vocabulo homonymo vim faciat Iesuita; quando commune sit, nobisq; æque faueat, ac ei: nisi forte alia proferat argumenta, quib. probet nominatim hoc loco verbum interpretandi, ad ipsas voces referri: non autem vt nos volumus, ad rerum elucidationem.

XI. Sed, quid prodest vocabulum Latinum vrgere? Cur non potius ad fontes recurrimus, quandoquidem ipsi fatentur aduersarij ita faciendum, ad dirimendam amphiboliam? Considerandum est igitur, vtrum vox ea, qua Nehemias Hebraice scribens vsus est, quamque Hieronymus reddidit interpretari, ad verba referatur, an potius ad res. Hebraice ergo interpres verborum dicitur מלי"ץ, vt Geneseos 42. & Esaiæ 43. At hic est מבין, quæ vox ad res ipsas potius refertur: nec vnquam vsurpatum occurrit de verborum translatione: sonat enim non aurium, sed mentis intelligentiam, vnde Græcus interpres vertit συνιέντες. Deuteronomij sexto עם-חכם ונבון *populus sapiens, & intelligens.* Exodi 36. חכמה ותבונה *sapientiam, & intellectum.* Deuteronomij 4. ת"א חכמתכם זבינתכם *hæc est sapientia vestra & intellectus.*

XII. Iam vero de Christi temporibus, ijsque vocibus, quæ reperiuntur in Nouo Testamēto facile negotium. Primo, dico nihil aliud probari, nisi pure Hebraicum sermonem non fuisse vulgarem, non vero non fuisse intellectū. Atq; adeo ex ijs ipsis vocibus à Bellarmino collectis: *Cumi* mere est Hebraica. *Abba, dema, pascha* Hebraica sunt: flexione tantum Chaldaica siue Syriaca; nam Hebraice dicuntur *Ab, dam, Pesach*: *Golgotha* corruptum à גלגלת. Ita remanent solæ, *Thalita, & Hacel*, neq; Hebraicæ, neq; ab Hebræis deductæ, sed Syriacæ.

XIII. Secundo, tum temporis exstabat iam paraphrasis Ionatæ, quę populo vulgarem redderet Scripturæ textum: adeo accedere ad linguam Syriacam, vt vtriusq; vnam eandemq; Grammaticam docti confecerint; sicut apud Græcos, idiomata siue dialecti, vna eademq; opera docentur. Vnde desumptum Marci 15. *Eloi Eloi, lamma sebacthani*: nisi quod pro מטול מה Chaldaico, conseruatum est למה Hebraicum: vt sciamus, & citatam esse à Christo Scripturam accōmodate ad vsum vulgarem: & tamen hunc ipsum vsum non omnino alienum ab Hebraico: vnde habemus, Amen, Alleluia, Hosanna, & similes doctiones.

XIV. Locus è Ioan. 7. ineptissime citatur. Quasi vero nullum sit ignoratæ legis crimen, nisi in ijs, quibus ne ipsum quidem legis idioma cognitum sit.

Quod ſi eſt, tum ne Sadducæis quidem ipſis linguam Hebraicam intellectã aſſeremus, quia eos Chriſtus in hunc increpat modum, Matth. 22. *Erratis, neſcientes Scripturas.* Enimuero hoc potius certum eſt, multos non noſſe legem, & ignorare Scripturas, quibus tamen ipſa idiomata, ſiue Hebraica, ſiue Græca, ſiue Latina, optime ſunt cognita: ſiue ob propriam negligentiam, cum ne leguntquidem libros, vt ſuis Chryſoſtomus exprobrabat, quos tamen diu noctuq; verſare debuerant: ſiue ob peruerſitatem, cum ſibi plus credunt quã Deo, ſiue ob ingenij tarditatem Sed quæcunq; cauſa ſit, tamẽ ineptiſſima eſt conſequentia; non nouit legem, ergo non intelligit Hebraice. Nam Marci 9. cum Chriſtus diſcipulis dixiſſet, Filius hominis traditur in manus hominum qui trucidabunt eum, ſed trucidatus tertio die reſurget: addit Euangeliſta, *Ipſi vero ignorabant hoc dictum* An quia barbare loquutum Chriſtum & fortaſſe Hebraice, adeo non intelligebant, vt ne verba quidem aſſequuti eſſent? Ridiculum.

XIV. *Iudæos* poſt Chriſtũ non eſt neceſſe nos curare: aut ab ijs diſcere quomodo docenda ſit Eccleſia Chriſtiana. Nam hi non emendant, ſed cumulant patrum ſuorum defectus, ne dicam blaſphemias. Atq; adeo vere illis velamẽ poſitum, cum Moſes legitur. Sed n. ſi diligenter ſuas legerent Scripturas eſſicerentq; vt vulgo eſſent & cognitæ & familiares, maior ſpes eſſet de eorum ſalute. Itaq; cauendum nobis eſt, ne Chriſtiani ſimili ignorantiæ veterno occupati, propriam ſalutẽ negligant, vt ſit inter Papiſtas: quo exemplo nos teriti, non Iudæorum recentiorem imitati ſumus ſuperſtitionem, ſed eũ vſum, qui ab initio inter Chriſtianos viguit, reſtituimus, vt omnes ſua lingua Chriſtum audiant loquentem.

CAP. VIII.

An Apoſtolorum temporibus Scriptura recitata ſit lingua incognita.

I. SVbijcit *Iudæorum* vſui Bellarminus, vſum Apoſtolorum. Si Apoſtoli nulla lingua, præter Hebræam, Græcam & Latinam, ſcripſerunt Euangelium: ne nunc quidem alijs linguis ſcribendum eſt. At verum antecedens. Ergo & conſequens.

II. Conſequentiam vel probat vel illuſtrat Ledeſima quatuor rationib. Non n. (inquit) immerito tribus his potiſſimum linguis legem ſcribi diuinam, Apoſtoli, & eorum diſcipuli voluerunt, potius quam alijs. Primo, quod eſſent vniuerſaliſſimæ, & maxime cõmunes, ſeq; per plures nationes diffunderent: vt Hebraica per totum ferme Orientem, omnes n. Chaldaice, aut Syriace, hoc eſt, Hebraice, ſed corrupte loquebantur. Græca vero per totam Græciam, & Aſiam Minorem, olim, ac varias alias prouincias, late patebat. Latina autem, per magnam Europæ partem vagabatur.

III. Præterea, quod hæ merito ſunt omnib. præferendæ: quum iſtis tribus conſcriptæ ſint omnes ſcientiæ, & omnium diſciplinarum & artium libri: tũ Theologiæ, tum Philoſophiæ, tum Dialecticæ, tum Medicinæ, tum Mathematicarum diſciplinarum, tum aliarum omnium diuinarum & humanarum rerum.

IV. Tertio: quum primum Euangelium alicui prouinciæ, vel primis alicuius populi hominibus, per quos ad alios debet deriuari, promulgatur, quod contigit Apoſtolorum tempore, merito in eorum lingua ſcribi debuit, quam ipſi intelligerent, quibus primis tradebatur: & in qua religioſe traditum conſignatumque cuſtodirent, incorruptumque & immutatum ad alios tranſmitterent.

V. Quarto: quia non carere myſterio videtur, quod his tribus potiſſimum linguis Spiritus Sanctus voluerit, Vetus & Nouum Teſtamentum conſcribi. Nam, vt diuini conſilij cauſam aliam non reperiamus, tamen quoddã hic cerni poteſt Sanctæ Trinitatis veſtigium, quod ſane non eſt omnino contemnendum.

VI. Hæc de propoſitione. Sed aſſumptionem Bellarminus probat: quia cum conſtet Apoſtolos per totum orbem terrarum Euangelium prædicaſſe, & Eccleſias conſtituiſſe, tamen non ſcripſerunt Euangelia aut Epiſtolas linguis earum gentium, quibus prædicabant, ſed tantum Hebraice, aut Græce, aut Latine. Nam Hebraice Matthæus, Græce reliqui: Latine Marcus: & de illis quidem conſtat: de Marco, probatur ex Damaſo in vita Petri, Adriano Fino libr. 6. Flagelli contra Iudæos capit. 80. & Petro Antonio Beutero annotatione 9. ad ſacram Scripturam. Baronius Annalium tom. 1. ad annum quadrageſimum quintum, addit, neſcio quos Græcos & Syros, ex notis Chronicis Genebrardi. Nazianzenum, in carmine de quatuor Euangelijs. *Μάρκος δ' Αὐσονίοισι Θεοῦ τάδε θαύματ' ἔγραψε, Πέτρῳ θαρσαλέος Χριστοῦ μεγάλῳ θεράποντι.* Quod ſi ſcripſit in gratiam Romanorum, quænam ſuberat cauſſa, vt Græce potius quam Latine ſcriberet? Pugnat autem duplici ratione. Prima eſt, quod Marcus dicatur Petri Interpres: eius autem munus ſit, ea quæ peregrina lingua dictà ſunt eorum lingua reddere, quorum gratia id munus ſubit. Altera: quia prudens lector, Græceq; doctus, facile intelliget Marcum ſcripſiſſe Latine: nam ſi Græcum textum exacte diſquirat, reperiet in eo eſſe nonnullas Græcas voces improprias ex Latino originali in Græcum ſemilatine tranſlatas: haſq; pollicetur Guillelmum Sirletum Cardinalem Bibliothecarium adnotaturum.

VII. Non ſcripſiſſe autem Apoſtolos vllis alijs linguis probatur, primo, quia nullũ exſtat veſtigium vllius ſcripti Apoſtolici, niſi Græce: nec aliud vllus Veterum teſtatus eſt, ſecundo, quia Paulus Romanis ſcripſit Græce, quibus ea lingua non erat vulgaris: Item Petrus & Iacobus Iudæis per orbem diſperſis; quib. materna erat lingua eius regionis vbi habitabant: Ioannes Parthis, teſte Higino, Auguſtino, & Ioan. 2.

VIII. Reſpondeo, vtramque partem antecedentis eſſe falſam. Primo, minorem. Nam neq; certum eſt Matthæum ſcripſiſſe Hebraice: & falſum Marcum Latine. De Matthæo defero ego quidem multum omnino Antiquis teſtibus, maxime vero Hieronymo, qui ſibi viſum aſſerit exemplar Hebraicum. At inde tamen nullum conficitur argumentum neceſſarium, ſed tantum veriſimile: Cui cur non opponam veriſimiliter; non fuiſſe tantam ſiue Eccleſiæ Vniuerſalis, ſiue etiam Hieroſolymitanæ negligentiam, vt eius editionis nullum ſit omnino veſtigium conſeruatũ, adeo vt nõ modo nunc nõ exſtet, ſed etiam ſecundo poſt Chriſtum ſeculo incognitum fuerit? Nam ſolus Pantænus, referente Euſebio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro quinto capite decimo, dicitur reperiſſe neſcio quod exemplar: & quidem non Hieroſolymis, nõ in *Iudæa*, vbi omnino aſſeruari oportuit, ſed apud *Indos*, eo delatum à Bartholomæo.

XI. Addo, ſi certum fuit id ipſum exemplar fuiſſe Matthæi autoris, cur ſaltem poſtquam eſt repertum à Pantæno, nemo prorſus vſus eſt pro authentico: non ipſe quidem Hieronymus, ſed ſoli Hæretici Nazaræi; qui illud pleniſſimum habebant, teſte Epiphanio: qui tamen non indicat vtrum *αὐτόγραφος*, an potius verſum? Et ab his quidem Hieronymum oportuit petere, qui tamen de eo non ſatis videtur eſſe certus. Nam in Matthæi cap. 12. à pleriſque id appellari dicit authenticum: indicatque nonnunquam eſſe diuerſum à noſtro.

X. De Marco nullus eſt omnino Veterum qui meminerit, vel omnino ſuſpicatus ſit ſcripſiſſe Latine. Nazianzenus enim, quem vetuſtiſſimum Baronius nominat, de lingua nihil prorſus agit: tantum aſſerit ſcripſiſſe Auſonijs id eſt, Latinis. At iiſdem Paulum ſcripſiſſe quis neſcit, & quidem Græce? Author Pontificalis, non Damaſus eſt, ſed longe recentior Anaſtaſius Bibliothecarius, ſub cuius nomine iam tandem publicatus eſt. Huius quanta eſſe debeat authoritas, non poteſt certius argumentum peti, quam ex ipſo loco. *Poſt omnem* (inquit) *quatuor Euangeliorum fontem, quæ ad interrogationem, & teſtimonium eius, hoc eſt, Petri, firmata ſunt, dum alius Latine, alius Græce, & alius Hebraice conſonant, tamen eius teſtimonio ſunt firmata.* Quis non miretur hominis infantiam? Quatuor Euangelia dicit, poſtquam confirmata ſunt à Petro, confirmata fuiſſe à Petro. Dignum virum, qui etiam ſtipites moueat! Deinde mendacium dixit luculentum: nam qui potuit quatuor Euangelia confirmare, qui tamen mortuus eſt, ante quam quartum eſſet compoſitũ? *I*taq; hic teſtis, cum propter infantiam, tum propter mendacium explodẽdus. Finus & Beuter, homines nouiſſimi temporis, & Papiſtæ, non ſunt digni qui in re tanta, tam antiqua nominentur. Genebrardus lib. 3. Chronologiæ aſſerit Syros vniuerſos in ea ſententia eſſe: de Græcis prorſus tacet. Vnde habeat non indicat: quaſi tantum poſſideret autoritatem, vt vel ſolo nomine fidem mereretur.

XI. Miram vero Latinorum negligentiam, qui tantum ſuum theſaurum, tam nihili fecerint, vt non tantum eius veſtigia nulla reliqua cõſeruarint, ſed ne quidem vnquam vel leuiſſimo indicio habuiſſe ſint teſtati. Nullo enim vnquam ſeculo, Euangelium Marci nominatum eſt Latinum, niſi tranſlatum. Quis credat Græcos, & Syros melius nouiſſe? Et quidem ſi Latini tacerent. Sed contradicunt. Hieronymus præfatione in quatuor Euangelia. *De Nouo nunc loquor Teſtamento quod Græcum eſſe, nõ dubium eſt: excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Chriſti Hebraicis literis edidit*: Auguſtin. de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. c. 2. *Horum ſane quatuor ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, cæteri Græco.*

XII. Quinetiam viderit Bellarminus, imo viderit Baronius, nam ille dubitat, iſte aſſerit, quomodo non cum antiquis tantum, ſed etiam cum ſuis cõſentiant. Sixtus Senenſis Bibliothecæ lib. 1. diſerte Marcum teſtatur ſcripſiſſe Græce. *Rogatus* (inquit) *Romæ à fratribus, iuxta id quod Petrum referentẽ audierat, breue Græco ſermone ſcripſit Euangelium: ita in omnibus conueniens cum his, quæ paulo antea ſcripſerat Matthæus, vt eius videretur eſſe pediſſequus & abbreuiator.* Iacob. Ledeſima Ieſuita. *Conſtat primo, Apoſtolos Græce tantum, aut Hebraice Euangelium conſcripſiſſe, ſed & paulo poſt eorum tempore Latine fuiſſe conuerſum.* Stapletonus in Relectione Principiorum Controu. 5. qu. 3. artic. 4. *Apoſtoli omnes non niſi Græce ſcripſerunt.* Et poſt: *Apoſtoli & Euangeliſtæ, ſolum Græce ſcripſerunt.*

XIII. Fateor vero, à Papia, Irenæo, & Hieronymo, Marcum appellari Petri *Interpretem*. Sed Reſpondeo Interpretis nomen, non accipi tantum pro eo, qui ex vna lingua transferat in aliam, ſed etiam qui ſenſum alterius exponit ſuis verbis, ſiue in eadem ſiue in alia. Illis autem verborum interpretib. Apoſtolos non indiguiſſe, quia ipſi haberent donum linguarum, vt ſingulis nationib. loquerentur magnifica Dei facta. Vtiles vero fuiſſe ſecundos interpretes; quia non poſſent Apoſtoli omnes populos, aut etiam è ſingulis populis quoslibet homines alloqui. Proinde Petri Interpretem Marcum dici potuiſſe, ob eam cauſam, quod, vt Sixtus loquitur, Euangelium ſiue prædicaret, ſiue ſcriberet, iuxta id quod Petrum referentem audierat. Qua ratione facile admiſerim etiam Titum fuiſſe Pauli interpretem.

XIV. Viderit Hieronymus, vnde didicerit, quod aſſerit Epiſtola 150. quæſtione vndecima, Paulum diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non potuiſſe Græci eloquij explicare ſermone, ideoque ei fuiſſe Titum interpretem. Nam id ego credo ne eſſe quidem veriſimile. Quis enim putet Paulum neſciſſe Græce, qui totam Græciam peragratus, tot Eccleſias conſtituerit? Quis credat auditum Athenis, barbaro ſermone orantem? Imo quo ore 14. prioris ad Corinthios gloriaretur, ſe magis quam ipſos loqui linguis? Aut quis in tot eius Epiſtolis aliquid deſideret ad Græci ſermonis ſinceritatem.

XV. Vidit Baronius: itaque fatetur Apoſtolos Græcam linguam eadem facilitate, qua Hebræam pronunciaſſe, nec ea de cauſa, quenquam eorum indiguiſſe interprete, ſed cum vel in eodem auditorio eſſent qui eundem ſermonem, quo concionantes vterentur, penitus ignorarent: vel difficilia quædam proponerentur, quæ omnes non facile conciperent. Quę ſi ſunt vera; ergo non ſequitur, ſi fuit Marcus interpres Petri, debuiſſe Latine Euangelium ſcribere.

XVI. Nam primo: ſi concionabatur Romæ Petrus; profecto Latino ſermone vtebatur: nec Baronius diffitetur. Quis ergo non inepte dicat Marcũ ideo Latine ſcripſiſſe, quia adſtarent quidam qui linguam Latinam neſcirent? Non n. eſſet interpretatus, ſed eadem potius verba retuliſſet. Debuerat ergo Græce ſcribere. Vix n. vlli tum Romæ verſabantur, qui non vel Latine, vel Græce intelligerent.

XVII. Secundo, ſi ob myſteriorum difficultatem Marcus fuit interpres Petri: ergo non ſit neceſſaria concluſio, vt Latine ſcripſerit, ſed tantum vt facilius & accommodatius ad populi captum. Deinde nego Euangelium Marci continere myſteria quædam minora aut accommodatiora ad captum vulgi, quã quæ Petrus ore prædicabat: alias oſtendant nobis Pontificij, quænam illa fuerint. Quod ſi non poſſunt, tum ne ægre ferat Baronius, ſi hoc ab Interprete argumentum reijcimus.

XVIII. Al-

XVIII. Alterum erat à vocibus corruptis & Latino idiomate. Respondeo, esse quidem voces nonnullas eiusmodi, vt δηνάριον & σπεκουλάτορα, capite quinto. Sed inde nihil concludi. Nam etiam in aliis libris, aut eædem, aut similes exstant, quas tamen nemo traductos dicat è Latino in Græcum: τῷ δηναρίῳ voce omnes vtuntur Euangelistæ: Matthæus c.18. 20. 22. Lucas 7. 10. 20. Ioannes 6. 12. & Apocal. 6. Lucas, qui omnium putatur Græce disertissimus, Actor. 19. σουδάρια καὶ σιμικίνθια dixit. Λεγεὼν legitur Matth. 26. & Apocal. 8. æque ac Marci 5. Itaque inde non conficitur Marcum Latine scripsisse. Atque adeo Iesuitam audiat Baronius, hoc ipsum argumentum siue Baronii siue Sirleti flagellantem. Is est Benedictus Iustinianus in 10. prioris ad Corinth. *Macellum, Latina vox est, quam retinuit Apostolus Græca tantum inflexione adhibita: quales multa in Nouo testamento leguntur.* κοδράντης, δηνάριος, κεντυρίων, κῆνσος, κουστωδία, λεγεὼν, λέντιον, λιβερτῖνος, μίλιον, μάκελλον, μεμβράνα, μόδιος, ξέστης, πραιτώριος, σουδάριον, σπεκουλάτωρ, ταβέρνα, φόρον, τίτλος, φραγέλλιν, φραγγέλλιον. *Vt hinc appareat, quam penitus nullo argumento nitantur ii, qui iccirco putant, Marcum Latine Euangelium scripsisse, quia voces Latinæ in illo plerunque leguntur: isto enim modo Latine scripserint Matthæus, Lucas, Ioannes, Paulus.*

XIX. Quod si ex stylo coniici aliquid posset, multo melius ex Hebræo translatum dicamus, quam ex Latino. Cum enim Latinas nullas phrases obseruare potuerim, tum infinitæ occurrunt mere Hebraicæ c. 6. ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστέλλειν δύο δύο. Cœpit eos mittere duos duos. Vt Genes. 7. שנים שנים באו δύο δύο εἰσῆλθε: sic enim editio Græca phrasin retinuit: *ingressa sunt duo duo.* At Lucas eandem phrasin magis Græce expressit, ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἀνὰ δύο: quod Latine dicitur, *misit illos binos.* Capite sexto, ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαί, *discubuerunt sigillatim per areolas.* Rursus c. 5. ἀπήντησεν αὐτῷ ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ: *occurrit ei homo in spiritu immundo*: quæ phrasis neque Latina est neque Græca: sed mere Hebraica. c. 9. ποιήσει δύναμιν: *faciet virtutem*: quis neget esse idem cum נעשה חיל quod Græce redditum est, ποιήσωμεν δύναμιν, Latine, *faciemus virtutem*, Psalmo 108. Capite 7. περιπατοῦσι κατὰ τὴν παράδοσιν *ambulant iuxta traditionem*: Est ab Hebræo הלך Nunquam enim aut Latini aut Græci vsi erant hac phrasi, quæ Ecclesiæ facta est familiaris. Quid? cum c. 5. morbus vocatur μάστιξ, *plaga*, vnde est, nisi à נגע? Denique eiusmodi sunt innumerabiles Hebraismi.

XX. Itaque merito negauimus minorem. Sed maior etiam est falsa. Etenim eam oportet niti hoc fundamento: Nulla alia lingua scribendos esse libros sacros, quam qua vsi sunt Apostoli, & Euangelistæ. At hoc fundamentum falsum est, Nam primo cum τὰ ἐν τῇ γραφῇ nihil aliud sint quam σημεῖα τῶν ἐν τῇ φωνῇ, quemadmodum τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ: sine dubio quemadmodum voce proferri possunt, quæcunque mente concipiuntur: sic omnino scribi, quæcunque proferri. Itaque si non tantum Græce & Hebraice, sed etiam Latine, Syriace, Armenice loquuti sunt Apostoli τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, imo etiam post Apostolos viri Apostolici, atque adeo quicunque Christiani: ergo & scribi eadem potuerunt iisdem linguis.

XXI. Sic, etsi Vetus Testamentum scriptum esset solum Hebraice, tamen transcriptum est, Chaldaice, Græce & Latine, & laudem meruerunt maximam, qui ei operi suos labores impenderunt. Cur non etiam Nouum? Ac sane, si in nullas linguas multiplicari debent omnes libri sacri, præter eas quibus initio scripti sunt: tum, ne quidem singuli. Nam quæ maior ratio adferri potest de omnibus, quam de singulis? Itaque, non modo omnes libri non essent vertendi in linguam Gallicam, vt hanc nominem exempli gratia, sed ne Matthæi quidem Euangelium in Græcam aut Latinam: Marci in Græcam aut Hebræam: atque ita de reliquis.

XXII. Imo vero, quia constat ex præcedentibus Matthæi editionem Hebraicam non certo asseri, Marci Latinam falso. ideo concluderemus, quando nihil in tanto momento aggrediendum sit, non tantum falso fundamento, sed ne dubio quidem, in nullam omnino linguam Euangelia fuisse communicanda, præter Græcam originariam. Quod si est absurdum: ergo maior est ἄλογος.

XXIII. Atque ad eam confirmandam rationes inepte conquisitæ sunt. In prima id quod de Hebraica dicitur, si intelligatur de Nouo Testamento, aut falsum est, aut certe incertum, vt iam docuimus. Sin autem de Veteri, tũ falsum est eam linguam fuisse vniuersalissimam: quæ non egrediebatur terminos populi Israelitici, non ita magni, etsi numerosissimi. Itaque apparet hoc sibi potius Prophetas proposuisse, vt vterentur lingua cognita ei populo, ad quem mittebantur: & idcirco non tam aliis linguis prælatam, quam necessario vsurpatam: quemadmodum in regno Galliæ, cum fiunt proclamationes Regiæ, adhibetur lingua Gallica: non quod præferatur Græcæ aut Latinæ: sed necessario: quia populus hanc solam intelligat.

XXIV. Deinde, si verum est ideo vsurpatas fuisse, quia essent vniuersalissimæ, & maxime communes: Certum est autem nullas posse dici aut vniuersales, aut communes, nisi cognitas. Nam, exempli gratia, ideo Sclauonica lingua Hosio nulla dicitur lingua latius patere, quod ea vtantur Boemi, Moraui, Cassubi, & Russi, aliique multi populi, conficientes plus quam Europæ quartam partem. Si hoc, inquam, verum est, ergo vsurpatas fuisse concedamus oportet, non quia erant Hebraica, Græca & Latina, sed quia erant cognitæ: scilicet ex ista communi notione, Euangelium populis annunciandum ea lingua, quam ipsi percipere possunt. Ac propterea, cum hodie immutata sit ratio, recedendum est procul dubio ab iis linguis, quærendæque aliæ, quæ sint cogitæ.

XXV. Secundam rationem miror cuiquam Theologo in mentem venire potuisse. Primo non quæritur, quænam linguæ sint aliis præferendæ: sed quibusnam vtendum sit in publicandis Scripturis. Non sequitur autem, vt, si quæ sint reliquis præferendæ, ideo reliquæ sint reiiciendæ, proculque ablegandæ: quod in hoc negotio Papistæ volunt. Itaque sunto sane præferendæ Hebraica, Græca, & Latina: at satisfactum erit abunde earum dignitati, hoc ipso quod delectæ fuerint ab Apostolis, hos est, à Spiritu Sancto: Neque quicquam decedet de earum gloria, si communibus vtamur. Nam etsi nulla hodie Christianarum Ecclesiarum quod sciam, vtitur lingua Hebræa, tamen illa & habetur & appellatur sancta, propter primum & antiquissimum eius in rebus sacris vsum. Sic Græca, etsi nusquam vsurparetur, eo ipso tamen suã dignitatem tueretur, quod esset ab Apostolis vsurpata.

XXVI. Secundo, falsum est tribus iis linguis omnes scientias, disciplinasque, & artes fuisse traditas: Nam Hebraice nulla ars, nulla disciplina, nulla scientia, fuit scripta, præter Theologiam. Et si tandem nonnihil simile accidit, serio factum est: ac proinde ea caussa esse non potuit, vt eam Moses, ante quem nihil fuit scriptum, vsurparet.

XXVII. Tertio, si omnes linguæ in scribendo Euangelio vsurpandæ sunt, quibus scriptis mandantur artes, scientiæ, & disciplinæ, tum profecto nos accusandi non simus, qui hoc priuilegium communicamus aliis præter tres illas. Nam Arabica lingua iampridem conceptam fuisse Philosophiam, saltem Mathemata, & medicinam, nemo est qui nesciat; Italice, & Gallice omne genus scientias hodie explicari, infinitis libris, omnes vident, qui vident meridie solem. De Germanica, Anglica, reliquis idem credo asseri posse, ab iis qui eas norunt.

XXVIII. Quarto, Hæ artes, scientiæ, disciplinæue, nullius hic momenti esse possunt: Quia Deus elegit stultitiam mundi, sapientiam autem repudiauit. Et Paulus de se loquens 1. ad Corinthios 2. *Neque* inquit, *oratio mea, & prædicatio mea versata est in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritualis potentiæ: ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei.* Sed nimirum hæc eorum ingeniis accommodata ratio est, qui sic paucorum volunt esse mysteriorum sacrorum cognitionem, quomodo pauci sunt Medici, pauci Iurisconsulti, pauci Philosophi: vt postea inflentur elati magnifico doctorum Theologiæ titulo. Omnes autem fideles pastores id suis ingerunt, quod Paulus olim: *Vos oportuit doctores esse*, ad Hebræos 5.

XXIX. Tertia ratio probat necessitatem vtendi linguis illis primis in tradendo Euangelio: sed non probat reliquas excludendas, quæ nostra est controuersia. Deinde, non illa propria & prima caussa est: sed hæc potius, quod omnino docendi erant homines: nec doceri poterant nisi lingua cognita. Nam quod primi docti sunt, id fuit aliquid accidentarium: vt etiam, quod reliqui deinceps posteriores. Tertio, quemadmodum illi priores erant mediis: sic hi priores nobis: & nos etiam priores iis qui nobis succedent. Nec magis primorum fuit religiose custodire, & ad medios incorrupta & immutata religionis monumenta transmittere: quam mediorum, ad nos: nostrum etiam ad successores. Itaque, si fuit primis illis tradendum Scripturas idiomate cognito, ergo & mediis, & nobis.

XXX. Postrema ratio est ridicula. Primum non sequitur, In trium linguarum vsu vestigium est aliquod Trinitatis: Ergo iis tantum Euangelium scribi debet: nullum enim vinculum est, quo hæ partes connectantur: Non magis certe, quam eorum, qui è septem peccatis mortalibus, concludunt esse septem Sacramenta: aut, si quis è duodecim anni mensibus, contendat debuisse mitti duodecim Apostolos. Nam hæ allegoriæ pro arbitrio cuiusque & inuestigantur, & applicantur: nihil autem habent solidi: nihil Theologici sed duntaxat grata quadam allusione animum titillant, placentque sola curiositate. Quibus ego quidem concedendam veniam putem in declamationibus ad populum, vbi non magis, τὸ διδακτικὸν attenditur, quam τὸ παθητικόν, vel potius τὸ ἡδύ: ne prorsus reiecerim à scriptis seriis, dum vsurpentur ad illustranda ea quæ vel per se nota sunt, vel iam probata. Sed in Controuersiis, nihil esse potest ineptius.

XXXI. Secundo: cur in tribus illis linguis dicatur esse vestigium Trinitatis, intelligere non possum. Nam si ipsum duntaxat numerum attendimus, quod quemadmodum tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus: ita tres linguæ Hebraica, Græca & Latina: quid hoc esse potest magis ridiculum? Non enim ipse numerus est Trinitas, hoc est, mysterium illud augustissimũ: quod solet eo nomine significari: sed in vna essentia tres personæ: quod quomodocunque sumas, nullum omnino vestigium habet in iis tribus linguis. Omnino non magis quam in Presbytero, Diacono, & Viduis, apud Clementem 2. Constitutionum. Et sane deberent hæ omnes friuolæ curiositates procul abesse à Christianitate, ne tantum mysterium paulatim corrumpant. Quemadmodum enim quia pingi solent Angeli alati, induerunt omnes rudiores eam opinionem, vt Angelis credant alas à Deo re vera datas: & quæ circumferuntur Georgii, & Christophori picturæ, omnino persuaserunt omnibus Papistis, ante hæc tempora, quibus Baronium atque alios paucos inauditæ stupiditatis puduit, ea ipsa sic accidisse in rerum natura, quæ nunc magis nasuti, clamant esse hieroglyphica: sic periculum est, ne symbolica hæc Theologia, tam exilia sectans vestigia, tam nudas vmbras venditans, nescio quid persuadeat non dignum eo mysterio, quod vix Angeli capiunt: fideles certe, tum apprime honorant, cum se longe impares fatentur.

CAP. IX.

An Catholica Ecclesia legat Scripturas lingua incognita.

I. NVnc ad vsum Catholicæ Ecclesiæ Bellarminus descendit. Contra id quod vniuersa Ecclesia facit disputare, insolentissimæ insaniæ est. At vniuersa Ecclesia semper his tantum linguis videlicet, Hebræa, Græca, & Latina, vsa est in communi & publico vsu Scripturarum, cum tamen iamdudũ desierint esse vulgares. Ergo contra eam consuetudinem non est disputandum. Maior probatur autoritate Augustini Epistola 118.

II. Minor probatur, primo ex Augustino de doctrina Christiana, lib. 2. c. 11. dicente ad intelligentiam Scripturarum, esse necessariam cognitione tantum trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ, quia in illis linguis Scriptura legeretur.

III. Secundo, quia nullus antiquus author meminerit alicuius translationis: quamuis tum sine dubio essent multæ aliæ linguæ vulgares: adeo vt annis saltem quadringentis, quibus Ecclesia maxime floruit, non legerentur Scripturæ lingua vulgari.

IV. Tertio, quia id quod in vniuersa Ecclesia seruatur, si non possit assignari eius initium, de Apostolica Traditione descendere, & sic semper fuisse merito creditur: quod probatur autoritate Augustini lib. 4. contra Donatistas, c. 24. & Leonis sermone 2. de ieiunio Pentecostes. At videmus in Italia, Germania, Gallia, Hispania, Græcia, vbicunque Catholici sunt, tantũ Grecę, & Latinę linguę esse vsum in publicã Scripturarum lectione, nec posse huius rei assignari principium: Ergo si semper fuisse merito creditur.

V. Adhæc in toto Oriente Hieronymi tempore in publico vsu erat tantũ editio Græca septuaginta interpretum, per Origenem, Hesychium, Lucianum emendata: videlicet à Constantinopoli ad Antiochiam

vsque, Lucianica. Ab Antiochia ad Ægyptum, id est, per totam Syriam, Origenica: per totam Ægyptum Hesychiana. Et tamen lingua Græca non erat vulgaris à Constantinopoli ad Antiochiam: & multo minus in Syria & Ægypto.

VI. Nam Galatarum linguam fuisse non Græcam, sed similem Treuirensium linguæ, Hieronymus testatur lib. 2. in Epistolam ad Galatas: Pontum, Cappadociam, Asiam minorem, Phrygiam, Pamphiliam, non habuisse eandem vulgarem linguam, sed diuersam, vt alii alios non intelligerent, patet ex Act. 2. In Syria non fuisse linguam Græcam, sed aliam longe diuersam, testatur Hieronymus in vita Hilarionis, dicens Hilarionem interrogasse quendam obsessum primo Syriace, tum Græce: vt intelligerent Græci qui aderant. Ægypto propriam fuisse linguam testis Athanasius in vita Antonii: quem dicit per interpretem disputasse cum Philosophis: & Hieronymus, eũ scripsisse Syriace epistolas, qua postea in linguam Græcam versæ sint.

VII. Linguæ Latinæ vsum in Africa fuisse inde constat, quod nulla vnquam mentio est vllius Translationis Punicæ: tum ex variis locis Augustini, & Cypriani. Non fuisse tamen Latinam linguam omnibus vulgarem, Augustinus testatur, qui vocem Salus Punice tria significare docet in expositione inchoata ad Romanos: & quosdam Latine, & Punice quosdam, vt omnes rusticos Punice tantum sciuisse. In Hispania patet Latinam linguam in vsu fuisse ex Isidoro: & Concilio Toletano quarto. Et tamen Latinam desiisse esse vulgarem ante annos mille centum, apparet, quia separata fuerit ab Imperio Romano, inuadentibus Gottis & Mauris, qui sine dubio nouam linguam inuexerunt. In Anglia Beda testatur Latinam fuisse communem propter Scripturas: quatuor tamen fuisse linguas vulgares. In Gallia, colligitur ex Albini Alcuini præceptoris Caroli Magni libro de Diuinis officiis, & ex Amalario Treuirensi; eodem modo celebrata fuisse diuina officia. Aut decentis ante Amalarium annis Franci Galliam occuparant, qui linguam ptiam habuerunt, vt constat ex Hieronymo in vita Hilarionis. In Germania lectas Latine Scripturas fuisse patet ex Rabano Moguntino, & Ruperto Tuitienſi. In Boemia constat Gregorium septimum noluisse permittere vt officia lingua Sclauonica celebrarentur. Denique in Italia sine controuersia vlla semper Latine lectæ sunt Scripturæ. At desiisse vsum eius linguæ esse vulgarem apparet ex Radeuico lib. 2. de gestis Friderici: & Thoma in caput 14. prioris ad Corinthios. Ergo constat in vniuersa Christi Ecclesia semper Scripturas fuisse lectas, Græca tantum & Latina lingua: atque hoc argumento nihil efficacius.

VIII. Respondeo ad Maiorem: primo reddi incertam ab ipsis aduersariis. Nam cum nos libro præcedenti argumentaremur ab vsu antiquo Ecclesiæ, Sixtus Senensis, sed & Alphonsus de Castro lib. 1. contra Hæreses c. 13. respondebant, multa instituta fuisse in communem Reipublicæ vtilitatem, quæ cum postea incommodum & periculum afferrent, abrogata fuerint: affere rebantque exempla vigiliarum in Cœmeteriis, & porrectæ in fidelium manus Eucharistiæ. Cum igitur illi nolint nobis maiorem concedere, quo iure in nos eandem torqueant? Id certe fuerit eorum, qui suo commodo omnia metiuntur: non autem veritate.

IX. Secundo, non esse vniuersaliter veram. Distinguendum enim inter instituta perpetua & temporaria. Illa, cum sit ratio per se certa, nunquam esse mutanda: Hæc autem varie vsurpari pro variis & temporibus, & locis: imo etiam posse abrogari: vt patet exemplo suffocatorum, & sanguinis quæ ab initio interdicta sunt autoritate Concilii Apostolici: & tamen deinceps libere vsurpata. Itaque si argumentum intelligitur de perpetuis, negatur minor, vt postea: sin de temporariis, negatur maior.

X. Tertio, vtuin Ecclesiæ esse vel ab institutione & præcepto, vel tantum à consuetudine. Illum esse longe sanctiorem, ac vel nunquam immutandum, vel tantum si sit in rebus mediis, ob graues necessarias que rationes. Hunc vero, cuius incognita origo est: ac propterea etiam ratio, facilius accommodari ad præsentes circumstantias. Sic cum olim ob nocturnos cœtus Ecclesia luminaribus necessario vteretur, inde paulatim etiam interdiu conseruata sunt, propterea libere irridentur ab Hieronymo. Iam si argumentum intelligitur de vsu, qui profluxerit à præcepto, negatur minor. Sin autem de consuetudine negatur maior. Nam plerumq; consuetudo vetustas est erroris.

XI. Quarto, vsus Ecclesiæ Vniuersæ intelligendus est, non qui in variis Ecclesiis varius est: sed qui in omnibus vnus idemque. Et sic Augustinus intellexit loco citato ex Epist. 118. Verba enim sunt, *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Loquebatur autem de variis ritibus. Itaque hoc voluit, vt, si vnum eundemque ritum vbique obseruatum comperiamus, de eo ne disputemus. Iam ergo si argumentum Bellarminus intelligat, de iis vsibus qui vniformes fuerint per totum orbem: negatur minor. Nam per se varietas apparet: cum negari non possint tres illæ linguæ esse variæ. Sin autem de iis, qui nonnihil in sua varietate habent conforme: vel potius, si vsum Bellarminus, vnum conflat è variis particulis, negatur maior: de qua hactenus.

XII. Ad minorem. Primum, is vsus à nullo fuit institutionis præcepto. Neque enim vnquam probabunt omnes simul Iesuitæ quantumuis suas operas conferant: aut à Christo, aut ab Apostolis institutum certo præcepto fuisse, vt iis linguis vbique gentium Scripturæ legerentur. Sed inde fluxit, quod præsentem vsum tum Christus, tum Apostoli amplexarentur: & quia non subito: sed paulatim, atque sine sensu linguæ mutatæ sunt, inde factum, vt idem vsus conseruatus sit. Sic quia ab initio adulti baptizandi varie interrogabantur, an crederent, an renunciarent Diabolo: remansit idem mos etiam tũ, cũ nõ soli infantes oblati sunt: atque inde nequeunt Papistæ dimouere: quæ est eorum κακοζηλία risu digna.

XIII. Deinde quî fit, vt tribus linguis præpositis, nominatisque & in iis prima Hebræa, tamen postea in illa ἡ κύριος ἐκκλησία, totus orbis duabus tantum tribuitur? Græcæ, videlicet, & Latinæ, Hebræa autem tanquam ἀπόκλητος omittitur. Adeo quidem, vt quæ ad eius sortem pertinere videbatur, Syria, cuius Iudæa membrum erat, Græcę cõcedatur? Et sane in ipsa vrbe Hierosolymis, Græce institutum fuisse populum constat, saltem ex Cyrilli Catechesibus: & ex Liturgia, quam Iacobi vocant, siue Hierosolymitanam. Ledesima etiam assent Hebræorum linguam non immerito iam relegatam esse ad Rabinos, & alios tantum qui literas discunt, legis peritos & Doctores. At hoc si factum, ergo argumenti propositio falsa est: patetque variari posse linguas in Ecclesia pro necessitate præsenti: nec iis necessario hærendum, quæ fuerunt ab initio vsurpatæ. Itaque quemadmodum in Iudæa nemo reprehendit mutatam esse Hebraicam linguam Græca; tum quum illa antiquata, hæc communis facta est: sic nemo iuste reprehendat eos, qui Latinæ vulgarem siue communem aliquam substituerunt, cum Latina facta est incognita.

XIV. Tertio ipsa trium linguarum diuersitas, quorsum? Nam si nihil interest Scripturam legi lingua incognita, poterat vnica satisfacere. Neque enim Græcorum magis interest Scripturam nosse, quam Gallorum, aut Germanorum aut Anglorum. Itaque omnibus nationibus sufficere potuit vnica, puta, Hebræa. Cur igitur Græca addita? cur Latina? Et quidem distinctis regionibus? nisi quia Hebrææ aut Græcæ apud Latinos nullus esset aut non eret vlus commodus? ac ne Latinæ quidem apud Hebræos, & Græcos? Nos igitur recte negamus linguam quantumuis antiquam aut primam, retinendam apud eos, quibus non est cognita.

XV. Quarto, minor est falsa. Nego enim his tantum linguis vsam olim esse Catholicam Ecclesiam. Quia constat multas fuisse Scripturæ versiones in alias linguas, vt ostendimus: & quidem non recentes, sed intra annos quadringentos à Christo: vt Syriam, Gotticam, & Dalmaticam. Itaque si primis illis seculis non est ternarius ille numerus obseruatus: cur eiiciamus hodie Christianos?

XVI. Augustinum Bellarminus citauit fide Iesuitica, quasi dicentem ad intelligentiam Scripturarum necessariam, esse cognitionem tantum trium linguarum: quia in illis Scriptura legeretur. Locus ita se habet, *Contra ignota signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio. Et Latina quidem signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio. Et Latina quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca: vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.* Tripliciter ergo Bellarminus falsauit. Primo, indefinite proferens, quod Augustinus distincte de Latinis dicit, quos instruendos susceperat: secundo exclusiuam particulam addens, quam Augustinus non habet. Tertio, pro recursu ad præcedentia exemplaria, substituunt lectionem: Nam hoc de lectione falsum, siue, quia aliis etiam linguis locus esset: siue quod, neiis quidem tribus lectio fieret publica, videtur enim desiisse lingua Hebraica. Illud vero semper verum est: nam etsi nusquam gentium Scriptura publice legeretur Hebraice, & Græce: tamen Hebraica, & Græca exemplaria erunt præcedentia: nimirum quia ab his manasse oportet alias omnes versiones.

XVII. Quod si Græcos homines instruendos suscepisset, tum ille profecto dixisset, eius linguæ hominibus necessariam esse tantum linguam Hebraicam: quia videlicet ab ea sola translatas habeant Scripturas. At hodie Iesuitæ, si de Gallica sua editione loquantur, non iam vnica, non duabus tantum suis hominibus opus esse dicerent: sed tribus. Nimirum, quia fluxit editio illa Gallica à Latina: hæc autem partim à Græca, vt in Nouo Testamento, & in Apocryphis: partim ab Hebræa in reliquo Veteri Testamento. Imo etiam in Psalmis, & Iob, & Prouerbiis, à Græca, quæ ipsa ab Hebræa. Nos vero, iisdem verbis vti possemus cum Augustino: qui editione vtimur Gallica, ex ipsis hausta fontibus, adeo vt Latina facile carere possimus. Nec tamen adeo desipimus, vt negemus aliam vllam Bibliorum editionem, exstare quam Hebræam, Græcam & Gallicam.

XVIII. Quinto, linguas distinguo, in vulgares & communes. Vulgarem intelligo, quæ alicui genti naturalis & materna, atque in vsu cuiusuis è populo, concluditur eius gentis terminis, nec vlterius porrigitur. Communes autem, quæ sic sunt vni genti vulgares, vt tamen latius pateant, porrigantur que ad diuersas prouincias, & regiones. Exempli gratia, vulgares linguę sunt, Delphinatum, Prouincialium, Occitanorum, Viuariatum, Aruernorum, Lugdunensium, Vasconum, Sabaudorum, Burgundorum, Lotharingorum Vallonum, eorum etiam, qui ditione Bernensi dicuntur Romane loqui. Sed lingua Francica, etsi paucis sit vernacula, tamẽ per eos omnes nominatos populos longe lateque vagatur, etsi non pauci omnino sint extra ditionem nostri Regis, nec numerentur inter Francos. Quæ caussa est, vt in iis omnibus, quæcunq; à Papa discesserunt Ecclesiæ, nostra Francica editione vtantur, nimirum, quia id idioma tam norunt, quam suum: etsi eodem vtantur in loquendo valde pauci: hoc est, honestiores tantum.

XIX. Hoc ita constituto, dico linguam Græcam aut Latinam nusquam gentium vsurpatam olim fuisse in legendis Scripturis, vbi non esset aut vulgaris, aut saltem communis, proindeque cognita. Postrema autem secula, non est quod valde curemus: quibus omnia paulatim in deterius verterunt: vt Lindanus agnoscit annotationibus ad Liturgiam Petri. In eo vero peccat illa αὐθάδεια, quia nobis vniuersæ Prouinciæ oculis subiiciuntur, & sumit linguã Græcã & Romanã nõ fuisse vbiq; vulgares: quod & nẽmo negat sanus & Bellarminus probando sudat satis otiosus: cum nos de ignotis contendamus, neque enim linguas odimus Græcas aut Latinas, quia Græcę sunt aut Latinæ: sed earum ab Ecclesia vsum publicum exulare volumus, postquam factæ sunt plebi incognitæ qui olim adeo erant vel vernaculę vel communes, vt Scripturas ita lectas intelligerent nõ tantũ docti: sed etiam quilibet è plebe.

XX. De Græca, habeo Papistarum testimonia: Richeomi Iesuitæ c. 32. libri 4. de Missa aduersus Plessæum, eam communem appellantis totius Orientis & Occidentis, cum propter Græcorum Imperium, quod per vniuersum orbem propemodum extendebatur, tum propter libros Philosophicos Poeticos, & Historicos. Iacobi Ledesimę etiam Iesuitę, cuius argumentum c. præcedenti relatum est asserentis Greçam linguam, per totam Greciam, & Asiam minorem olim, ac varias alias prouincias late patuisse. Deniq; Iulii Cæsaris Bulengeri contra Plessæi lib. 2. c. 5. qui eiusdem linguæ vsum in Perside fuisse agnoscit, iam Crassi tempore, teste Plutarcho: totamque Græciam, Thraciam, Syriam, Armeniam, Ægyptum, Phrygiam, Asiam minorem, Greçe locutas esse. His ergo iudicibus causam obtinemus, nec nobis posthac moleste sit Bellarminus, suorum suffragiis inferior.

XXI. Sed possumus nos etiam vti αὐθαδείᾳ, omnesque prouincias lustrare, atque oculis Bellarmini subiicere, vt voluptatem voluptate compensemus. Ergo à Constantinopoli ad Antiochiam vsque numerantur Pontus, & Bithynia, Gallatia, Asia minor, Caria, Lycia, Lydia, Pamphylia, Cappadocia, Cilicia, Phrygia. Ex his, gratis, opinor, concedit Cariam, Lyciam, Lydiam, Ciliciam: sed & insulas Rhodum, Cyprum, Lesbon, Cretam, atque alias, cum eas nullo loco nominet. De reliquis ergo dicendum.

XXII. Vtar

XXII. Vtar argumentis duobus certissimis. Prius est sumptum à nominibus propriis, quæ imposita reperiuntur tum locis, tum fluminibus, tum hominibus. Nam, si ea Græca sunt, quid causæ est, quo minus eam linguam concludamus in vsu fuisse? Non enim in Germania esse solent nomina Hispanica: aut in Hispania Germanica. Sic singulæ nationes de suo suis nomina rebus accommodant. Imo vero etiam exteri huic se consuetudini subiiciunt: sic in Gallia habemus Augustodunum, Iuliodunum, Cæsarodunum, à Romanis ducta nomina, forma tamen non Romana. Hinc factum, vt Buchananus in Annalibus Scoticis, Scotorum Gallorumque antiquam cognationem recte se probare putauerit, ex oppidorũ, fluuiorũ, regionum nominibus.

XXIII. Hæc igitur habe, non omnia, sed exempli tantum gratia, quædam nomina, ex Ptolomæo, Strabone, Solino, Mela, atque aliis selecta. Locorum. In Ponto & Bithynia, Heraclea, Nicomedia, Nicæa, Diopolis, Iuliopolis, Flauiopolis, Claudiopolis. In Asia minore, Pithyeia, Callipolis, Erythræ, Traianopolis, Philadelphia, Tripolis, Aphrodisias, Antandrus, cui *duplex* (inquit Mela) *causa nominis iactatur. Alii Ascaniam AEneæ filium, cum ibi regnaret captum à Pelasgis, ea se redemisse commemorant. Alii ab iis putant conditam, quos ex Andro insula vis & seditio exegerat. Hi Antandrum, quasi pro Andro: illi quasi pro viro accipi volunt.* In eadem regione Lampsacum; *Phocæis appellantibus, nomen ex eo traxit, quod consulentibus in quasnam terras potissimum tenderent, responsum erat, vbi primum fulsisset, ibi sedes capesserent.* In Paphlagonia & Galatia, Ægialus, Cyaneæ petræ Chœnicides, propter κοιλάδας τινὰς ὡσανεὶ βόθρυς πετρίνυς cauernas quasdam, veluti foueas saxosas. Κρῆς μέτωπον. In Cappadocia, Persasiæ Dianæ fanum, διὰ τὸ περᾶθεν κεκομίσθαι; quod ex vlterioribus locis aduecta esset. Leucosyri populi, Polemonium, Ischopolis, Sebastopolis, Neocæsarea. In Cilicia, quę proxime accedit ad Antiochiam, Petrapœcile, Epiphania, Nicopolis, Irenopolis, Sebaste, atque alia.

XXIV. Fluuiorum in Bithynia Parthenius, διὰ χλοερῶν ἀνθηρῶν φερόμενος, καὶ διὰ τοῦτο τοῦ ὀνόματος τούτου τυχών, inquit Strabo, id nominis adeptus, ex eo quod per floridos campos feratur. In Pamphylia Eurymedon, & Cataractes. *quia se præcipitat ita dictus*, inquit Mela libri 1. c. 14. In Asia Minore, *Sacrilegi certaminis factum, & audaces in Deum tibias testatur nõ procul cum fonte vallis, quæ euentum gestæ rei signat, & ab Apamæa decem millibus passuum separata, Aulocrene vsque adhuc dicitur.* Verba Solini c. 53. Et hæc *à parte qua dies medius est, amnis Pactolus, quem aurato fluore incitum, aliter χρυσορόαν vocant* In Cappadocia & Pamphylia Melas.

XXV. Viros si diligenter colligam, vix numerum assequar. Philetærus ex Teio, princeps Attalicorum regum. Cephalo Gergethius, Neoptolemus Pariensis cognomento glossographus. Lampsaceni, Charon, Adimantus, Metrodorus. Sinopenses, Diogenes, Timotheus, Diphilus. Amyseni, Demetrius, Dionysiodorus. Ex Seleucia & Pompeiopoli Ciliciæ, Athenæus, Xenarchus, Chrysippus, Philemon.

XXVI. Quæ omnia locorum, fluuiorum, virorum nomina, ipsa originis etymologia, prorsus Græca sunt. Nam ea consulto omisi, quorum flexionis analogiam constat esse Græcam: tum quod eorum iniri non possit numerus tum quod obiici possit ea Græcos autores, à quibus ad nos deuenerunt, de industria inflexisse. Et illa mihi sufficiunt.

XXVII. Secundum argumentum, est ex vsu linguæ Græcæ in docenda religione Christiana. Nam si plebem alloquentes Episcopi reliquique doctores, vsi sunt lingua mere Græca, tum necesse est ipsam plebem Græce intellexisse. Fatentur enim aduersarii, concionandum lingua vulgo cognita: nisi forte hunc morem induci etiam velint, vt spectentur conciones, æque cum Missæ Sacrificio, & theatralibus ludis. Sed & Ledesima primis saltem concessit Euangelium merito eorum lingua scriptum. Iam vero non tantum scripserunt Græce, Paulus ad Galatas, & Ephesios, Ioannes ad Smyrnenses, Sardenses, Philadelphenses, Pergamenses: Ignatius ad Magnesianos, atque alios: sed etiam concionati sunt apud Antiochenos Chrysostomus, Cæsarenses Basilius, Alexandrinos Athanasius, Seleucenses alter Basilius, Chrysostomi familiaris si Photio credimus: Hierosolymitanos Cyrillus, Alexandrinos alter Cyrillus: vt alios taceam infinitos. Constat igitur per totam Asiam, hoc est, à Constantinopoli ad Antiochiam vsque, communem fuisse linguam Græcam; id est, vulgo cognitam, etsi non vulgarem: ac proinde potuisse absque vllo plebis dispendio Sacras literas Græce legi in publicis cœtibus.

XXVIII. De lingua Latina non est difficilius negotium. Nam primo Plutarchus in quæst. Platonicis, quæst. vltima δοκεῖ μοι inquit, περὶ τῶν Ῥωμαίων λέγειν, ᾧ μὲν λόγῳ νῦν ὁμοῦ τι πάντες ἄνθρωποι χρῶνται. *Videtur de Romanis loqui, quorum sermone nunc æque omnes homines vtuntur.* Significans tam late patere Romanam linguam, quam Imperium. Quod Augustinus etiam notauit c. 7. lib. 19. de Ciuitate Dei. *Opera data est,* (inquit) *vt imperiosa ciuitas non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per speciem societatis* (hanc enim probo Lipsii emendationem) *imponeret, per quam non deesset, imo abundaret interpretum copia.*

XXIX. Sed in occidente maxime, qui tandem dictus est orbis Latinus; & ob religionem, Ecclesia Latina: Græcis pertinacius suam linguam retinentibus. Vnde Viues annotatione in eum Augustini locum. *Curabant ergo Romani, vt in Prouinciis plurimi Latine loquerentur, ita vt Hispanias, & Gallias, Latinas prorsus fecerint, veteribus illarum gentium linguis abolitis.* Sed & ante eũ Laurentius Valla præfatione in Elegantias. *Nostri* (inquit) *per totum pene Occidentem, per Septentrionis, per Africæ non exiguam partem, breui spatio linguam Romanam celebrem & quasi reginam effecerunt*, & post, *Hortabantur prouinciales omnes, vt cum Romæ, tum in Prouincia Romane loqui consuescerent.* Tandem exsultans, *Nostra est Italia: nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multæque aliæ nationes.* Deniq; Iulius Cæsar Bulengerus contra Plessæum negat Hispanis, Hungaris, Afris, Gallis aliam fuisse linguam, quam Latinam. Et sane rei plena probatio est, si quis eas linguas, quæ sunt in vsu hodierno, Gallorum, atq; Italorum comparet cum Latina, si solam flexionem excipiant. Imo vero Itala, ipsa etiam flexione non valde differunt. Sed & Hispanica, cum flexione non sit alienissima: tum etiam vocabulis crebris accedit.

XXX. Quod ad Gallias attinet. Strabo libro 4. de iis regionibus, quibus Cauarum nomen erat inditum, negat accolas esse Barbaros censendos μετακειμένους τὸ πλέον εἰς τὸν τῶν Ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ γλώττῃ καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ; *mutatos iam magnã partẽ in formã Romanã, cum lingua, tum vitæ ratione, nonnullos etiam ciuili gubernatione.* Et exstant Eucherii Homiliæ (Eucherio enim tribuit Baronius tom. 1. ad annum trigesimum primum, verisimilius mea sententia, quam Cæsario Arelatensi Bellarminus lib. 1. c. 9. de Amissione gratiæ) Eucherii, inquam, Homiliæ ad populum Lugdunensem eleganter Latinæ. Illæ videlicet, quæ hactenus lectæ sunt sub nomine Eusebii Emisseni, in lucemq; primo emissæ per Ioannem Gagnæum Parisinum Theologum, Sulpitius Seuerus in vita B. Martini, testatur lecto versu Ps. 8. clamorem populi sublatum fuisse, aduersus eos qui Martini ordinationi resistebant Nimirum populus eius loci vt auribus sonum, ita mente sensum perceperat Nam hodie certe, apud Papistas ex lectione linguæ Latinæ, nullum omnino motum videas: nimirum tuba sonum incertum emittente.

XXXI. De Hispania præter illam linguæ germanitatem, quam diximus, Strabo lib. 3. testimonium dicit illustre. Τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον καὶ τὸ πολιτικὸν συνηκολούθησε τοῖς Τουρδιτανοῖς, καὶ τοῖς Κελτικοῖς δὲ διὰ τὴν γειτνίασιν, ὡς εἴρηκε Πολύβιος διὰ τὴν συγγένειαν, ἀλλ' ἐκείνοις μὲν ἧττον. τὰ πολλὰ γὰρ κωμηδὸν ζῶσιν. Οἱ μέντοι Τουρδιτανοί, καὶ μάλιστα οἱ περὶ τὸν Βαῖτιν, τελέως εἰς τὸν Ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, οὐδὲ τῆς διαλέκτου τῆς σφετέρας ἔτι μεμνημένοι. Λατῖνοί τε οἱ πλεῖστοι γεγόνασι, καὶ ἐποίκους εἰλήφασι Ῥωμαίους· ὥστε μικρὸν ἀπέχουσι τοῦ πάντες εἶναι Ῥωμαῖοι. *Turditanis ad felicitatem regionis vitæ etiam ciuilitas, & mansuetudo accedit, quod & Celticis ob vicinitatem cognationemque contingere Polybius scribit, minus tamen his, cum fere vicatim habitet Turditani autem, maxime qui ad Batin sunt, plane Romanos mores assumserunt, ne sermones quidẽ vernaculi memores, ac plerique facti sunt Latini, & colonos acceperunt Romanos parumque abest quin omnino Romani sint facti.*

XXXII. Ex Africa, autores habemus, nobilissimos, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum: qui omnes in Africa nati, in Africa vixerunt, Afris vel scripserunt, vel concionati sunt. Tertullianus suum de Pallio librum, nonne in Africanorum gratiam, apud quos id vestimenti in scomma abierat, vt Christianos appellarent γραικοὺς ἐπιθέτας, Græcos impostores? Et quos ex eodem libello constat à Romanis togam mutuatos esse, neget aliquis linguã? Quid quod idẽ ad vxorẽ scripsit, non Africe, sed Latine? ad mulieres de habitu, ad fœminas de cultu, ad virgines de velo? Et quidem, vt notes, non quemadmodũ docti solent de quibusuis rebus in musæo cõmentari, quæ postea nõ docti legant, paucique: sed ad eas ipsas directo sermone, vt in earum gratiam scripta scias. *Ancillæ*, inquit, *Dei viui, conserua, & sorores meæ, quo iure deputor vobiscum, postremissimus omnium, qui de meo iure conseruitii & fraternitatis audeo ad vos verba ista facere, non vtique affectioni procurans in causa vestræ salutis.* Cyprianus quoties scripsit ad Clerũ, quoties ad Martyras, quoties ad plebem? Scripsit a. non Latine tantum, sed eleganter. Hæc Carthagine, Africæ Metropoli, vbi orabat etiam Apuleius Latine, quam poterat eloquentissime. Et, *Quis vestrum* (clamabat 1. Floridorum) *vnum mihi solœcismum ignouerit? Quis vel vnam syllabam barbare pronunciatam donauerit? Quis incondita, & vitiosa verba temere, quasi delirantibus oborientia, permiserit blaterare?*

XXXIII. Augustinus suos Hipponenses non docebat nisi Latine. Exstãt infiniti eius tractatus & sermones, quos ẽt ad infimorũ hominũ captũ accommodabat: quo fructu; si Latine loquentẽ, aut nemo, aut soli docti essent assequuti? Nam apud imperitos perinde est siue eloquenter dicas, siue putide. Docti autem amant eloquentiam: & sordibus offenduntur. Ille vero ita se demittebat, vt crederet doctorem pietatis imperitis loquentem debere ossum potius quam os dicere, vbi Afræ aures de correptione vocalium vel productione non iudicant. Qui locus è 4. de Doctrina Christiana notatu dignus est. Significat sic apud Afros tum fuisse vulgo cognitam linguam Latinam, vt hodie apud nostros plebeios linguam Francicam: sc. vt verborũ sensus intelligatur: at verborũ deliciæ in accentibus & temporibus nõ percipiantur. Quid a. nostros plebeios dico? Imo, quomodo apud doctos hodie lingua Latina. Nã cũ omnes facile sciant, quid distet os ossis ab ore, quis est tamen qui si pronunciet, Confregisti os mihi, vel illud Plaut. Amphitryone, Exossatum os esse oportet, vt ex ipso sono distinguat vtrum dixerit? Innuit n. Augustinus Latinas aures satis discreuisse os oris, ab os, ossis. Nimirũ quia etsi vtrinque syllaba esset longa, tamen in os, vnde ossis, vocalis erat breuis: at in altero longa, & pronuncianda quasi οος, duplici non sono, vt in ὀδός, sed tẽpore, vt ὤς. Quale discrimen Franci obseruant in *Toûche* pro luco, & *touche* pro tactione: in *gouste* gustat, & *goute* gutta in *pescheurs* piscatores, & *pecheurs* peccatores.

XXXIV. Sed non est necesse cõiecturas sectari: cum habeamus locupletissimum eiusdem testimoniũ lib. 1 Retractatio. c. 20. *Volens* (inquit) *causam Donatistarũ ad ipsius humilimi vulgi, & omnino imperitorum atq; idiotarũ notitiam peruenire, & eorum quantum fieri posset per nos inhærere memoriæ, Psalmũ qui eis caneretur per Latinas literas feci.* Et paulo post, *Ideo a. nõ aliquo carminis genere id fieri volui, ne me necessitas metrica ad aliqua verba quæ minus sunt vsitata cõpelleret.* Hic mihi tria nota. Primũ, ab Augustino Psalmũ esse cõpositũ in gratiã quorũcunq; imperitorũ: secundũ cõpositũ esse vocibus vsitatissimis vitatis minus vsitatis: tertium, Latinis literis. Hinc vero quis non concludat ipsis etiam imperitis hominibus in Africa voces literasque, id est, sermonem Latinum, fuisse vsitatum, fuisse itaque cognitum?

XXXV. Nã quod cõtra Bellarm. citat ex inchoata expositione ad Romanos, partim frustra: citat partim falso. Frustra quia nõ sequitur ignaros fuisse Latini sermonis Pœnos etsi Saulus aliud Punice significaret, aliud Latine: sed tãtũ aliã esse linguã Punicã, aliã Latinã: quod nos minime negaremus, etiãsi hoc nũquã scripsisset Augustinus. Falso: quia nunquã dixit Augustinus, omnes pene rusticos scisse tantum Punice. Contra vero serm. 24. de Verbis Apostoli, *Punicum* (inquit) *Prouerbium est antiquum, quod quidem Latine vobis dicam, quia Punice non omnes nostis.* Ex his verbis quis non eliciat Hipponensibus magis cognitam fuisse linguam Latinam, quam Punicam? Saltem hoc obtinemus: sicut, etsi Punice non omnes norant, Punica tamen lingua non erat nõ vulgaris: sic, etsi Latine nõ omnes sciret, nõ fuisse tamẽ Latinã nõ cõmunẽ.

XXXVI. Venio ad Germaniam. Hic primum falso citatur Rabanus: nam ille non agit de lingua Latina: sed tantum de nocturnis vigiliis, quas ægre ferebat, à nescio quibus, quos νυκτάγους appellat, contemni. Has ergo vigilias dicebat ab vniuersa Ecclesia seruari: quod omnino falsum est de lingua Latina, quæ apud Græcos vix audiebatur. Secundo, cognitam fuisse in Germania linguam Latinam, probo ex eodem Rabano, qui libro 1. c. 33. testatur *ad omnem sacerdotis orationem seu benedictionem populum fidelium*, respondere Amen: quod iam pridem fieri desiit, cum prorsus ignorari cœpit lingua Latina. & lib. 3. c. 30. *Quamuis in bonis doctoribus, tanta docendi, cura sit, vel esse debeat, vt verbũ quod nimis obscurum sit vel ambiguum, Latinum esse non possit,*

vulgi

vulgi autem more sic dicatur vt ambiguitas obscuritasque vitetur: non sic dicatur vt à doctis, sed potius vt ab indoctis dici solet. Quid enim potest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quæ loquimur non intelligunt, propter quos vt intelligant, loquimur? Quę ab Augustino mutuata, significant aliter quidem doctos, aliter imperitos; sed tamen vtrosque Latine esse loquutos; vel saltem Latine loquentem intellexisse: & eum qui in Ecclesia doceat, sic loqui debere, vt loquitur vulgus.

XXXVII. Restant Angli: in quibus Bedam Bellarminus corrupit, more Iesuitico, cum eum dicit testatum suo tempore illis fuisse quatuor linguas vulgares: tamen Latinam communem omnibus propter Scripturas. Ille potius ita scripsit lib. 1. historiæ c. 1. *Hæc* Anglia *in præsenti iuxta numerum quibus lex diuina scripta est, quinquegentium linguis vnam eandemque summæ veritatis & veræ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum & Latinorum, quæ meditatione Scripturarum cæteris facta est communis.* Quibus non quatuor, sed quinque vulgares linguas significat Beda: vt essent in Anglia nonnulli qui vulgo Latine loquerentur: sed hanc Latinam factam esse communem, hoc est, ab iis etiam cognitam, quibus non esset vulgaris. Porro non solam Latinam editionem Scripturarum vsurpatam fuisse, sed & alias. Nam illud Scrutari & confiteri veritatem, refertur non ad solam Latinam, sed æque ad quinque linguas; etsi communior fuerit vsus Latinæ.

CAP. X.

An lingua vulgaris præiudicet vnitati Ecclesiæ.

I. IAm vero Bellarminus argumentatur à rationibus, primumque ab vnitate Ecclesiæ, conuenire enim omnino ad vnitatem illam conseruandã, vt publicus vsus Scripturarum sit in aliqua lingua communissima: alias tolli communicationem Ecclesiarum. Sic disputo per partes: Scripturæ publice legendæ sunt in aliqua lingua communissima. At nulla lingua vulgaris est communissima, sed tantum Latina. Ergo Scripturæ publice legendæ sunt in nulla lingua vulgari, sed tantum in Latina. Maior probatur, quia nisi sic legantur, non potest vnitas Ecclesiæ conseruari. Ratio: quia tolleretur communicatio. Nempe quia primo Ecclesias nemo frequentaret, nisi in sua patria: secundo, non possent fieri vlla generalia Concilia, cum non omnes Patres habeant donum linguarum. Probatur rursus ab experientia: Nam Apostoli omnia fere Græce scripserunt, quod esset lingua Græca communissima, teste Cicerone pro Archia, post autem, quia, crescente imperio Romano, ea lingua desiit in Occidente, cœpitque Latina esse communis, saltem apud eruditos in tota Italia, Gallia, Hispania, Africa, aliisque regionibus, tum Scripturæ translatæ sunt in linguam Latinam.

II. Respondeo: & dico, primum, vsum Scripturarum in hac tota controuersia intelligi eum qui in singulis cœtibus Ecclesiasticis ad plebem docendam vigere debet. Secundo, distinguo linguam communissimam, vt intelligatur, vel vna apud omnes Christianos, vbique terrarum, vel pro variis locis varia, nimirum, vt ad hunc vsum eligantur eæ linguæ, quas experientia docebit longissime patere. Tertio, communem linguam pono appellari eam, quæ non à paucis quibusdam magno studio atque in scholis discutitur, sed eam quæ vulgo intelligitur ab iis, quorum tamen varia sunt idiomata.

III. His ita constitutis, si linguam communissimam Bellarminus intelligit secundo modo, negatur minor. Falsum est enim nullam linguam vulgarem esse communissimam. Nam & olim linguæ Græca & Latina, erant communissimæ, illa per totum Orientem, hæc per totum Occidentem, quæ tamen suis locis erant vulgares, illa in Græcia, hæc in Latio. Et deinceps Germanica, Polonica, Italica, Hispanica latissime patent. Dalmatica vtuntur Moscouitæ, Bohemi, Croati, & Sclauones, teste Ioanne Fabro Episcopo Viennensi libello de Moscouitarum Religione. Boderianus præfatione in Nouum Testamentum Syriacum ad Regem Franciæ, Arabicam dicit solam diffundi per totam Africam, demptis Nubianis, totamque fere Asiam, à maris nostri litoribus per Antipodas vsque ad plagam illam, quæ est in parte Occidentali nostri Hemisphærii: atque in Europa, Græciam, Macedoniam, Thraciam, Daciam, Zagyges, Seruiam, & Bosniam: vt nulla sit hodie lingua, nec vsquam olim fuerit, quæ in tot orbis partibus locum habuerit. Nostra Francica communicat se non tantum omnibus prouinciis pertinentibus ad Regnum Galliæ amplissimum, sed multis etiam extra eam ditionem regionibus, Sabaudiæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, non exiguæ parti agri Bernensis: Vallonibus: sic enim hodie populos quosdam vocant in Belgio: sed & insulis quibusdam ex Anglicana ditione.

IV. Deinde falsum est linguam Latinam esse communissimam. Est enim incognita in Græcia vix pauculis doctioribus exceptis, quos tamen ipsos oportuit in Italiam nauigare eam ob causam. De Asia non est, puto, necesse admonere. Est tamen tum in Græcia, tum in Asia Christianorum numerus infinitus: non satis quidem Orthodoxorum, fateor, sed Christianorum tamen, ob eamque rem non negligendorum. In Occidente, cum nullibi locorum iam pridem sit vulgaris, tum nusquam communis est. Regnat enim in scholis duntaxat inter paucissimos eruditos, quorum vix ex toto orbe numerum colligas tantum, vt æquare possis iis quos vnica complectitur è vulgaribus, vel minime omnium celebris. His autem tam paucis animabus quis credat Euangelium communicandum solis?

V. Quod si priori modo linguam communissimam Bellarminus intelligat, nego etiam maiorem. Quia si id consultissimum esset Ecclesiæ, ergo aliquando factum esset. Nunquam autem factum, vt vna communissima lingua apud omnes Christianos Scriptura legeretur: sed vel variis, vt Hebraica Græca, & Latina, cum longe lateque promulgari debuit Euangelium; vel ante id tempus vnica tantum, eaque vulgari, nempe Hebraica, tum cum sola Iudæa pertinebat ad Ecclesiam.

VI. In probationibus; primo falsum est, non posse conseruari vnitatem Ecclesiæ, linguis variis locus detur. Quid enim, nunquamne consenserunt Ecclesiæ Græca & Latina? Imo diutissime. Neque vnquam scissæ sunt ob idiomatis diuersitatem, sed ob rerum discrepantiam: maxime autem ob Episcopi Romani Tyrannidem, quæ illis omnem spem reconciliationis abscidit. Quinetiam Irenæus lib. 3. c. 4. *Hanc fidem* (inquit) *qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt: quantum autem ad sententiam, perquam sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, & castitate, & sapientia. Quibus si aliquis annunciauerit ea quæ ab hæreticis adinuenta sunt proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures longo longius fugient.* Hæc Irenæus: vnde constat Barbaros illos, etsi sua lingua didicissent, docerent etiam mysteria fidei, tamen separatos fuisse ab hæreticis: vnitos ergo Catholicis. Quis igitur asserat linguas vulgares officere vnitati Ecclesiæ?

VII. Et sane nihil est in linguarum vsu vario maioris momenti quod attinet ad Scripturæ lectionem, quam quod ad conciones. Quære enim, quæ ratio efficere possit, vt, cum conciones quotidie habeantur in Hispania Hispanice, in Gallia Gallice, in Italia Italice, in Germania Germanice; non scindatur eorum populorum vnitas: & tamen scindatur, si totidem linguis è pulpito recitetur Scripturarum contextus? Deinde in variis linguis, quod periculum maius esse potest, quam in variis ritibus? Nam varios ritus variis locis obseruari, nemo negat, nemo clamat esse incommodum. Apud Papistas alia est Liturgia siue Missa Mediolanensis, quam Ambrosianam vocant, alia Gregoriana: & multis aliis in rebus singulæ diœceses suum habent nescio quid, sua festa, suos sanctos. Infinitum sit omnia persequi.

VIII. Secundo, ex linguæ diuersitate, tolli omnem Ecclesiæ communicationem: & extra rem, & falsum est. Extra rem, quia Ecclesiarum communicatio consistit in publica lectione Scripturæ, sed tantum singularum plebium institutio. Et cum hæc controuersia agitatur; tum quæritur, non quæ ratio optima iniri possit, qua omnes totius orbis Ecclesiæ mutuo suas res, sua negotia communicent, sed quid singulis singulorum locorum Ecclesiis docendis sit consultissimum. Nec potest vtrumque hoc caput vna eademque ratione expediri: eodemne modo communicari res Gallicæ, Græcis populis, & tum Galli, tum Græci doceri. Quæ igitur sunt adeo natura distincta, imo vero separata, ea confundi non debent.

IX. Est tamen falsum: quia aliæ sunt eius communicationis rationes, quas non tollit Scripturarum lectio vernacula. Sic, quanquam Græci Græce Scripturas legerent, non Latine, res tamen suas communicabant Italis & Gallis, qui eadem Latine legebant, non Græce. Habemus enim adhuc literas, exempli gratia, Basilii ad Italos & Gallos. Et Lugdunenses Viennensesque Ecclesiæ, ad Orientales. Nimirum, quia Ecclesiarum communicatio non per ipsam plebem, sed fit per viros præcipuos, quibus linguæ sunt cognitæ.

X. At nemo (inquit Bellarminus) frequentabit Ecclesias, nisi in sua patria. Quid tum, inquam? Neque enim in eo sita est Ecclesiarum communicatio, vt dixi. Et iniquum est, si quis statuat, vt propter Latinos Latine legantur Scripturæ in Græcia: non minus sane, quam si propter Germanicos Germanice, aut Gallos Gallice. Est, inquam, iniquum propter pauculos peregrinos, vniuersos vnius prouinciæ, vnius regni, imo multarum prouinciarum, multorum regnorum fraudare intelligentia Sacræ Scripturæ. Et libenter quæram à Papistis, vtrum propter eos Alexandrinæ Ecclesię legatos, quorum fabulam (est enim vere fabula, vt docet Georgius Douza in Itinerario) tanta pompa Baronius insertam voluit annalium suorum tomo sexto, Romæ immutata sit consuetudo legendi Scripturam Latine, accommodataque ad eorum legatorum captum. Idem de Ruthenis quæro, quos idem tomo septimo narrat Romam venisse anno proxime elapsi seculi nonagesimo quinto. Idem denique de Persis, quos rumor est aduenisse anno huius seculi secundo, vel tertio. Nam si non periit, imo potius, si redintegrata est horum omnium vnio cum Episcopo Romano (quod tamen ii tantum credunt qui lolio victitant) qua fronte nobis ille nunc obiiciet, linguarum varietatem Ecclesiis dirimendis vtilem?

XI. Quanquam miror hoc argumento aliquem vti è grege Papistarum. Enimuero, quæ causa erit, vt nemo siue doctus, siue imperitus frequentet cœtus Ecclesiasticos nisi in Patria? An quia non intelliget ea quæ legentur? Atqui ipsorum Papistarum praxis contra est. Nam apud eos Ecclesias infiniti frequentant, quibus tam nota est Latina lingua, quam Armenica, aut si quæ est magis Barbara.

XII. Concilia, cœtus sunt extraordinarii, quibus non debent ordinarii accommodari. Quid n. ineptius, quam vt, quia seculis iam sexdecim elapsis coacta sunt octodecim tantum generalia (vt omnia comprehendamus, quę ipsi Papistę sic appellant quanquam ex iis multa sunt vere merica) atque ex toto orbe nouem tantum locis, ideo sint omnium annorum, omnium que locorum fideles adigendi ad vsum linguæ incognitæ? Dicam explicatius. Quæ hęc eorum insania est, qui, quia in Græcia, aut Italia, aut Gallia, aut Germania, celebrantur Synodi, ideo velit in Scotia, in Anglia, in Hispania, vbi nunquam vilę fuerunt (nam de vniuersalibus sermo est) non nisi Latine Scriptura legatur? Et in Gallia, quia anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto; vna & altera annos postea triginta Lugduni; & tertia Viennæ annis rursum quadraginta serius; ideo ab initio Ecclesiæ, ad finem vsque mundi, nec iis tantum locis, sed vbique locorum, vnquam contendat peregrino idiomate libros sanctos plebi nõ tam cõmunicandos, quã occultãdos?

XIII. Ad hæc, nego vsu linguarum singulis regionibus cognitarum impediri Conciliorum congregationem. Nam Niceno Concilio, omnium Conciliorum primo, & celeberrimo, adfuerunt non tantum Latini, Hosius, Vitus & Vincentius; sed etiam Græci, magno numero: ac præter eos, teste Eusebio de Vita Constantini lib. 3. c. 7. Phœnices, Arabes, Palæstini, Ægyptii, Persæ & Scythæ; qui omnes erant extra orbem Latinum. Non diffitetur autem Bellarminus, saltem tribus linguis lectas fuisse olim Scripturas. Multo recentius Concilium Florentinum, non constitit è solis Latinis: Nam Græci eodem accesserunt; editaque sunt eius acta vtraque Lingua. Quis autem nescit neque Græcos Latine, neque Latinos Græce facta sua peragere? Non est igitur verum, diuersitatem linguarum in legenda publice Scriptura, obstare quominus Concilia cogantur.

XIV. Atqui non omnes Patres habent donum linguarum. Est illud, inquam, verum: Sed deligendi sunt qui habeant. Quid enim? an omnes in Papatu Episcopi Latine sciunt; omnes Abbates, omnes denique quorum ius est sedere in Concilio? Non sciunt, profecto non sciunt: Nam ego eiusmodi possum ex nostra vicinia nominare. Deligendi, inquam, sunt maxime idonei, qui eo mittantur. Deinde vtendum est interpretibus. Sic in Cõcilio Ephesino

notatur

notatur in actis, literas Celestini Latine scriptas, versas fuisse Græce, vt legerentur.

XV. Translatas Scripturas fuisse in linguam Latinam, cum desineret Græca esse communis, inconsiderate Bellarminus dixit: Nam in magna Occidentis parte, Græca nunquam fuit communis: sed tantum Massiliæ, viciniisque nostris prouinciis: Latina autem nunquam in Oriente, raro etiam apud Græcos. Neque vnquam non latius patuit illa, quam hæc. Sciunt autem omnes Latinam versionem, non excessisse fines Occidentis. Itaque falsum est, in eum finem factam esse, vt succederet Græcæ: sed quia oportuit Latinos Latine audire Deum loquentem, æque ac Græcos Græce.

Cap. XI.

An singulis ætatibus mutandæ translationes.

I. Si oporteret lingua vulgari Scripturas Sacras publice legere, oporteret etiam singulis ætatibus mutare translationes. Nam linguæ vulgares singulis seculis magna ex parte mutantur, vt Horatius in arte Poetica, & experientia ipsa docet. Tot vero translationum mutationes, non sine grauissimo periculo, & incommodo fierent. Nam non semper inueniuntur idonei interpretes: atque ita multi errores committerentur, qui non possent postea facile tolli, cum neque Pontifices, neque Concilia de tot linguis iudicare possint. Sic Bellarminus.

II. Ledesima vehementius. Nam & quod ille de singulis ætatibus dixit, aut seculis, contrahit ad paucos annos: solent enim (inquit) linguæ singulis viginti annis aliqua ex parte immutari, vt quinque, sex, vel octo vocabula, aut phrases in quauis innouentur. Præterea varietates linguarum colligit. Diuersa enim regna non solum idiomate non conueniunt, sed etiam eiusdemmet regni singulæ fere prouinciæ, aliquando sic differunt, vt vel parum, vel ne verbum quidem intelligant aliarum. Eiusdem etiam prouinciæ ciuitates, ac vero etiam pagi, ita inter se distant, vt ciues difficile rusticos intelligere valeant, rusticique ipsos ciues. Tum mutatæ versionis iuxta idiomatum alterationum periculum hoc esse dicit, ne obrepat obliuio fidei antiquæ, ac eius memoria penitus deleretur: omnes etiam Traditiones Apostolicæ pereant, nec probari vllo modo possint.

III. Respondeo, falso asseri omnes linguas vulgares mutari singulis seculis: saltem sic, vt incognitæ euadant. Nam mutatiunculas quinque aut sex vocum, phrasiumue eo tantum credo Ledesimam nominasse, vt risum moueret. Quid tum n. si arbos, & rumos antiqui dixerunt Latini? aut vti aliquam rem, & frangere gutturem? An propterea ea non intelliguntur ab is qui postea dixerunt, arbor & rumor, & vti re aliqua, & frangere guttur? An vero à Cicerone frustra lectum dicamus Plautum, quia non eædem phrases occurrunt in Terentio? Imo vero scimus Cyprianum de more habuisse, vt Tertullianum magistrum appellaret, etsi immensum sit inter vtrumque sermonis discrimen. Sed, vt dixi, hæc minutula Prætor curare non solet.

IV. Totum ergo potius attendendum est linguæ corpus, & vt ita dicam, τὸ σύστημα. Hoc ego tam facile mutari quam aduersarii volunt, prorsus nego: contraque doceo ab ipsa experientia, quam mihi nominabant tantum, non etiam exemplis illustrabant Bellarminus, & Ledesima. Nam quod Latini sermonis in Italicum & Hispanicum, addo etiam Gallicum, mutationem subindicant, frustra est. Non enim accidit singulis seculis, quod illis oportebat probare, sed multis, quod mihi sufficit.

V. Porro lingua Hebraica durauit ab initio mundi, vbi Adamos videmus & Sethos, & Cainos, & Abeles, & reliquos Hebraica analogia nominatos, saltem ad captiuitatem vsque Babylonicam, per annos ter mille quadringentos, atque eo amplius. Hæccine vero sunt singula Bellarmini secula? Quid Græcam dico? Certe ab Homeri seculo ad Christum numerantur anni circiter mille: & tamen ne iste quidem Græcorum primus fuit: nam priores nominantur Linus, Philamon, Tamyras, Amphion, Orpheus, Musæus, atque alii. En tibi ergo rursus decem secula pro vno. Necdum finis linguæ Græcæ. Nam longe post Christum Athanasios, Basilios, Chrysostomos, Ephiphanios, Cyrillos nominus Græce concionatos. Possum vlterius pergere. Nam habemus Ioannis Cantacuzeni scripta vix ante annos trecentos, cum Epistola Musulmani cuiusdam Græca illa quidem, sed tamen non pura, vt facile appareat scriptam ex stylo eius temporis: vnde sunt νὰ δέξεσαι καταλάβης, νὰ γνωρίσῃς.. Et fortasse huc referri queat Francisci Philelfi testimonium, qui Saxolum Pratensem anno millesimo quadringentesimo primo, hortabatur vt Constantinopolim petat potius quam Peloponnesum, rationem addens, quia hic lingua adeo esset deprauata, vt nihil omnino saperet priscæ illius, eloquentissimæ Græciæ: Illic vero & viri essent eruditi, & culti mores, & sermo etiam nitidus. Exstat epistolarum lib. 4.

VI. Quandiu durarit lingua Latina, hinc cognosce. A Christo ad Vrbem conditam supputantur anni septingentiquinquaginta, paulo plus minusue. Post Christum, primum quidem mutationis indicium Bellarminus notauit ex Radeuico ad annum millesimum centesimum septuagesimum. Sed Lipsius, vir vtinam tam pius, quam doctus, multo altius, ex miscella historia Diaconi, & Festo: videlicet ad annum sexcentesimum, & quod excurrit. Apparet ergo rursus linguam Romanam perseuerasse vltra annos mille, vt etiam de nostro numero liberaliter decidamus.

VII. Lingua Italica eodem argumento, conficitur iam durare annos mille, diserte apud Lipsium Germanicam nonnulli antiquissimam esse volunt, nec mutatam: illi viderint. Certe Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis c. 6. aliquot dictiones recitat, quas audio etiamnũ in vsu esse. Mortuũ dicũt an. Christi octingentesimo quadragesimonono. Anglica, vt apparet ex Matthæo Paris in Guillelmo Conquestore, eadem erat ante annũ millesimũ. Habemus vero etiam nos scriptas Philippi Pulcri regis, cuius initium à Gagnino refertur ad annum millesimum ducentesimum octogesimum sextum, constitutiones, lingua Francica, qua nunc vtimur, tantum paulo elegantiori. Itaque poterat vti libris sacris translatis, iam annos, Italia mille, Germania saltem octingentos, Anglia sexcentos, Gallia quadringentos: si illis contigissent Hieronymi, vt Dalmatis qui sua versione vtuntur iam annos mille ducentos, si Sixto credimus. Atque ita apparet merum esse μορμολυκεῖον, quod aduersarii de singulis ætatibus obiiciebant.

VIII. Sed mutantur tamen linguæ aliquando, negarique non potest, innouandas esse tandem versiones, itaque respondeo pro absurdo id obiici, quod est necessarium, valde abhorrere à viris iudiciosis. Esse enim potius omnia conquirenda adiumenta, vt illud, quicquid esse potest vel incommodi, vel tanquam incommodi, superetur, & vtilitas publica non negligatur: quæ hic omnium maxima est, quandoquidem aliter aut vix potest, aut omnino non potest pietas in tuto constitui: teste experientia. Nam defosso tanto thesauro scientiæ, quis neget immanes illas ignorantiæ tenebras mundum occupasse, è quibus vix pauci emergunt, multi ne volunt quidem.

IX. Ridiculus Ledesima, nobis regna, prouincias, ciuitates, pagos denique singulos sic enumerat, quasi ille solus in mundo vixisset, nos nunc tandem cœlo delapsi nec audiuissimus, nec vidissemus quicquam: nec sciremus quid idiomata eiusdem prouinciæ differant à linguis Barbaris: tantoque spatio distare putemus Ionicam dialectum ab Attica, quando Arabicum sermonem à Gallico: aut Francicum ab Occitano, quanto Iaponicum ab Hispano. Nugæ: nec sibi tantum arrogare debent Loiolitica pecora, vt omnes possint διὰ μιᾶς ἕλκειν. Anglis & Scotis sufficit vna eademque translatio: Omnibus Gallis, vna: omnibus Germanis vna: omnibus Hispanis vna: omnibus Italis vna: si modo Italos & Hispanos tanto beneficio non priuarent Inquisitorii carnifices. Quemadmodum olim omnibus Græcis vna; omnibus Latinis vna. Nec enim hodie plus differunt in Italia Neapolitani, à Lombardis, aut Genuensibus: aut in Hispania Compostellani ab Arragonensibus quam olim Iones à Doriensibus: aut hodie in Gallia Occitani à Pictonibus.

X. Incommoda siue pericula quæ obiiciunt, dico partim esse falsa, partim non necessaria, sed tantum contingentia. Falsum est, quod de antiquæ fidei obliuione Ledesima protulit. Contra enim tantum abest, vt noceat conseruandæ fidei iterata Scripturæ translatio, vt contra nullum sit certius remedium eius conseruandæ perpetuandæque. Vere enim & pie Ioannes Cantacuzenus Apologia 1. contra Mahometum. Οἱ Χριστιανοί, ποτὲ μὲν εἰς τὰς ἐκκλησίας συναγόμενοι, ποτὲ δὲ ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ καθημέραν ἀναγινώσκουσι τὰς βίβλους· καὶ ὁ πολὺς χρόνος, καὶ ἡ συνεχὴς ἀνάγνωσις, καὶ ἡ ἀκριβὴς ἐξέτασις ἐφανέρωσε καὶ ἐδίδαξεν αὐτοὺς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. *Christiani iam in Ecclesias congregati, iam singuli domi sua, quotidie legunt Biblia. Atque tum temporis diuturnitas, tum continua lectio, tum diligens inuestigatio, manifestat, docetque omnem veritatem.* Contra vero de Musulmanis ἀπὸ τοῦ μὴ γινώσκειν τὰς γραφάς, ἐνέπεσον εἰς αὐτά, *eo quod Scripturas ignorarunt, in ea inciderunt*, dogmata.

XI. Probat experientia. Nam apud Papistas cum Scriptura non exstet nisi lingua incognita, aut certe paucis cognita, effectum inde est, vt quid Christus instituerit, tradideritque, vix quisquam sciat, ideoque à prima sinceritate discessum sit. Apud nos autem restitutis populo sacris libris, restituta simul est prima veritas, cognitaque doctis & indoctis, viris & mulieribus, magnis & paruis, denique clero & plebi.

XII. Iam quod attinet ad incommoda contingentia, primo considerandum dico, è duobus vtrum sit & incommodius & periculosius. Sic enim prudentes solent: vt quia vix quicquam magni inuenitur vacuum incommodis & periculis, id subeant quod minus habere comperitur & incommodi & periculi. At & incommodius est, & periculosius Scripturam aut prorsus publice non legi, aut, quod idem est, singulis seculis nouas prodire translationes.

XIII. Secundo hæc ipsa siue pericula siue incommoda nego esse tanta, quanta videntur Bellarmino. Quæ enim? Videlicet, quia non semper inueniuntur interpretes idonei. At hoc falsum. Contra enim docuit experientia. Cum ex Hebræo in Græcum transferendum fuit, præsto fuerunt Septuaginta: cum in Latinum, infiniti, & post alios Hieronymus: cum in Armenicum, Chrysostomus: in Chaldaicum, Ionathas: in Dalmaticum, Hieronymus: in Arabicum, Saadias: sic alias alii. Et spes est, nunquam defuturos: cum diligenter conseruatam sciamus cognitionem linguarum Hebraicæ, & Græcæ & Latinæ: vulgares autem sint in vsu continuo. Itaque si notæ sunt linguæ è quibus: & rursus notæ linguæ, in quas vertenda est Scriptura, quid obstabit quominus commode verti possit?

XIV. Sed facile (inquiunt) multi errores in vertendo committerentur. Fortasse, inquam. Sed primo, non est Bibliorum etiam non carentium vitio traslatoris, fructus nullus. Nam vix poterit posthac plus peccari, quam Græce & Latine factum est. Et tamen diutissime iis editionibus Ecclesia vsa est, magno cum successu. Cum prorsus nulla sit vtilitas linguæ incognitæ. Vt audacter dicam, præstare similes Græcis aut Latinis editiones terere, quam omnino nullas, aut quod idem est, incognitas.

XV. Secundo, errorum tollendorum non est nulla ratio. At non facilis, inquiunt. Esto, inquam: sed tamen aliqua. Sic olim Hieronymus Græcam emendauit: & Latinam Noui Testamenti, ex collatione linguarum originalium. Magno id quidem cum labore: sed successu non infelici. Et tamen cur non facilis? Scilicet, quia neque Pontifices, neque Concilia de tot linguis iudicare possunt. Respondeo, Pontifices intelligi, vel in vniuersum Episcopos, vel Papistice, Romanos solos, ad quos Iesuitæ deferunt summum in Religione iudicium, Concilia autem vel particularia vel Oecumenica: Romanos Pontifices, concedo non posse iudicare, quorum nonnulli adeo sunt imperiti, vt ne literas quidem norint. Sed nego hoc eorum ius esse. Omnes autem Episcopi, siue Concilia, & possunt & debent editiones examinare. Concilia inquam, particularia. Nam in Oecumenicis fieri potest, vt maior pars imperita sit earum linguarum, de quibus iudicium exposcetur: videlicet in quas fit translatio. Sed quid obstat, quominus omnes Episcopi Galli iudicent de Translatione Gallica? Germani de Germanica, & sic deinceps? Nam quæ singulis prouinciis occurrunt negotia, ea terminari à particularibus Synodis vetus est Christianorum politia.

CAP. XII.

An Linguæ vulgares violent maiestatem Scripturæ.

I. SI maiestas Scripturæ Sanctæ, diuinorumque mysteriorum violatur à linguis vulgaribus, ergo Scriptura non est in vulgares linguas transferenda. At prius verum. Ergo & posterius. Hoc à Bellarmino leuiter attingitur, à Lizeto diligentius tractatur, & Sutore.

II. Probatur antecedens. Primo, quia in sacris mysteriis multa sunt, quæ secreta esse debent, vt etiam veteres docent. Dionysius c. 1. & vltimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Origenes Homil. 5. in Numeros. Basilius de Spiritu S. c. 27. Chrysostomus 24. in Matthæum. Gregorius lib. 4. Dialogorum c. 56. Sic Bellarminus. Secundo, quia non poterit Scriptura decenter intelligi à multis, eamque ob rem contemnetur. Sic Iulianus Apostata dixit, Vidi, legi, contempsi. Cui Basilius, Vidisti, legisti, non intellexisti. Si intellexisses, non contempsisses. Hæc Sutor, deinceps Lizetus. Tertio, quia vulgares linguæ plane sunt Barbaræ, & viles, in comparatione trium principalium linguarum, quarum verbis diuina constant monumenta. Quarto, quia Augustinus de doctrina Christiana libro 2. c. 11. asserit quædam in Latina editione retineri Hebraica & Græca, propter sanctiorem autoritatem, seruata antiquitate.

III. Respondeo. Negatur antecedens. Nam linguæ vulgares aptæ sunt ad Deum laudandum, certe etiam ad efferenda diuina mysteria. Quid est enim in mysteriis maius laudibus Dei? Deinde violant eam maiestatem, si violant, vel simpliciter quia cognitæ sunt, vel saltem, quia omnibus cognitæ, vel denique quia verbis non satis exprimunt. At non primum. Nam sic etiam Græca & Latina violarent, quia cognitæ sunt saltem doctis. Non secundum: quia si omnes linguæ vulgo cognitæ eam maiestatem minuunt, & ea nunquam sit minuenda, tum profecto nunquam vlli linguæ vulgo cognitæ eo fuissent mysteria commendanda. Proinde Deus, qui primus exemplum dedit explicandorum sacræ religionis mysteriorum lingua vulgo cognita, tam ipse per se, quum decalogum propriis digitis scripsit, quam per Mosen & Prophetas, tandemque per Apostolos, reus esset eius imminutæ maiestatis. Quod est blasphemum.

IV. Non denique tertium: quia, cum dupliciter intelligantur mysteria non satis exprimi, vel habita ipsorum ratione, quorum tanta sit altitudo, vt longe infra subsidant verba adhibita: vel nostri, vt sensus sit, non satis apte mysteria illa proponi, vt cognoscantur, quatenus à nobis & possunt & debent prius generale est omnibus linguis siue vulgaribus siue doctis: vnde Sapientiæ 17. *Magna sunt iudicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua.* Itaque non tantum in vulgares, sed omnino in omnes linguas hoc crimen esset deriuandum. Vel certe negandum, tum violari diuinam maiestatem, cum eius altitudinem verba nostra non æquant. Posterius autē, æque falsum est de linguis vulgaribus ac de tribus doctis. Nulla est enim lingua tam inops, quæ non sufficiat exprimendis iis, quæ mente concipiuntur: illam autem maiestatem omnino necesse est mente concipi, siquidē cognosci oportet, imo potius eatenus concipi, quatenus cognosci. Accedit experientia: nihil est enim in toto Bibliorum corpore, quod non translatum sit in linguam Gallicam, vt hanc exempli gratia, nominem, mihi è vulgaribus linguis solam bene cognitam.

V. Ad hæc, valebit hoc argumentum, si quicquam valet, non solum contra Scripturarum versionem, sed etiā contra omnem vsum linguarum vulgarium in docendis Christianis. Si enim hoc illis perpetuum est, & quasi σύμφυτον, vt longe recedant à maiestate diuina: tum æque illa minuetur maiestas prædicando, ac scribendo. Nunquam autem minuendam esse constat. Ergo eodem iure non erit prædicanda Gallis Gallice, Italis Italice: quod tamen contra fit apud ipsos Papistas. Quod si negent prædicando minui: tum ego eodem iure negabo etiam scribendo. Ratio erit, quia cum verum sit τὰ ἐν τῇ γραφῇ esse σημεῖα τῶν ἐν τῷ λόγῳ, necesse est fateamur, omnia posse scribi, quæ dici. Itaque licebit Scripturas vertere.

VI. Ad primam confirmationem, nego quicquam esse in Scriptura Sancta non publicandum, hoc est, publice communicandum omnibus Christianis. Sic enim Christus imperauit Matth. 18. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate supra domos.* Atque ita censuerunt olim veteres, cum, vt alias docuimus, cuilibet hominum generi tam serio commendarunt Scripturarum lectionem. Nam si quæ essent occultanda, tū vel viris, vel mulieribus, vel prouectis, vel minoribus natu, vel doctis, vel imperitis, vel clericis, vel laicis, vel monachis, vel secularibus. At neque his, neq; illis, quia neutris interdicitur lectio. Ergo, nihil est secretum, nihil non publicandum.

VII. Quos vero ex antiquitate locos indicauit, nam certe iudicauit tantū non etiam describere ausus est Bellarminus, eos nego docere aliquid esse in Scripturis secretum, & non publicandum. Et primo ipsos recito locos. Dionysius lib. 1. Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 1. Ἀλλ' ὅρα ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. ἐκλαβηθήσῃ δὲ καὶ τὰ τοῦ κρυφίου Θεοῦ ταῖς νοεραῖς καὶ ἀοράτοις γνώσεσι τιμήσεις, ἀμέθεκτα μὲν αὐτὰ, καὶ ἄχραντα τοῖς ἀτελέσοις διατηρῶν, ἱεροῖς δὲ μόνοις τῶν ἱερῶν μεθ' ἱερᾶς ἐλλάμψεως ἱεραρχικῶς κοινωνῶν. *Vide* (inquit) *ne Sancta Sanctorum foras efferas: imo id diligenter caue: atque ea quæ absconditi Dei sunt cognitione intellectuali, & inuisibili honorato, obseruans ea ne communicentur non initiatis, ab iisque polluantur: & communicans solis Sanctis cum sancta illustratione.* Et c. postremo. Τὰς δὲ τελεστικὰς ἐπικλήσεις οὐ θέμις ἐν γραφαῖς ἀφερμηνεύειν, οὐδὲ τὸ μυστικὸν αὐτῶν, ἢ τὰς ἐπ' αὐταῖς ἐνεργουμένας ἐκ Θεοῦ δυνάμεις ἐκ τοῦ κρυφίου πρὸς τὸ κοινὸν ἐξάγειν. *Initiatorias inuocationes nefas est scriptis interpretari: neque quod mysticum habent, quæque per eas à Deo efficiuntur, virtutes è secretis in commune proferre.*

VIII. Origenes in Numeros homil 5. *In Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorū omnibus patet.* Basilius de Spiritu S. c. 27. Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα. *Dogmatū & præconiorum Ecclesiasticorum, quædam habemus ex scripta doctrina, quædam accepimus à traditione Apostolorum mystice communicata.* Chrysost. in Matth. Homil. 24. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖ πᾶσιν ἁπλῶς ἐπέταξεν εἰπεῖν, ἀλλ' οἷς δεῖ εἰπεῖν μετὰ παῤῥησίας εἰπεῖν. Κύνας δὲ ἐνταῦθα, τοὺς ἐν ἀσεβείᾳ ζῶντας, ἀνιάτως καὶ μεταβολῆς τῆς ἐπὶ τὸ κρεῖττον οὐκ ἔχοντας ἐλπίδα ᾐνίξατο. Et paulo post. διδάσκει μὴ ἀναπτύσσειν τὰς θύρας αὐτοῖς, καὶ γὰρ θρασύτεροι γίνονται μετὰ τὸ μαθεῖν. *Nec indifferenter omnibus prædicari iussit, sed his, quos doceri oportet, præcepit cum fiducia prædicari. Canes igitur significat homines in impietate viuentes, spemque omnino conuersionis in melius non habentes. Iubet igitur ne huiusmodi hominibus cuncta pandamus, fiunt quippe magis, postquam didicerunt secreta, temerarii:* Addit Bellarminus Gregorium lib. 4. Dialogorū, c. 56. vbi tamē nihil est, quod ad hanc rē faciat.

IX. His in locis hæc considero. Primo, solere à Papistis proferri, ad probandas traditiones non scriptas, id est, eas, quæ non continentur in Scriptura sancta. Et sane, Basilius eo refert diserte suum illud ἐν μυστηρίῳ. Duo enim cōstituit obseruationum genera, nempe δόγματα καὶ κηρύγματα, quorum hæc habeantur ex Scriptura, illa vero ἀπὸ τῆς σιωπωμένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως ex tacita & mystica traditione: siue ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου καὶ ἀποῤῥήτου διδασκαλίας, ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ καὶ ἀπεριεργάστῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν, καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι: ex doctrina non publicata, sed secreta, quam patres nostri silentio neque curioso, neque affectato custodiuerunt, nimirum, quia optime scirent, grauia mysteria silentio conseruanda. Hæc, inquam, ille περὶ τῶν δογμάτων. Sed ea, quæ habentur è Scripturis, κηρύγματα nominauit, innuens non silentio esse tegenda, in auremue murmuranda, sed prædicanda, publiceque enuncianda: proindeque etiam vertenda in linguas vulgares. Vsum ergo linguæ incognitæ, id est, silentium, iis rebus, quas habent ex mera Traditione non scripta, seruent Papistæ, si sapiunt: neque hoc argumento Scripturæ versiones impugnent.

X. Secundo non fidelibus: ii Patres docent tacenda, si, quæ tacenda sunt sed infidelibus: Sic enim Chrysostomus diserte designauit eos, quos nulla spes est, ad bonam frugem redituros: iisque opponit eos, quos docere oportet, atque istis libere omnia prædicanda significat. Nec aliter Dionysius τοὺς ἱεροὺς opponit τοῖς ἀτελέσοις his sua volens mysteria ἀμέθεκτα διατηρεῖν illis autem ἱεραρχικῶς κοινωνεῖν. At nobis sane, quid infidelibus fiat, aut non fiat, cura nulla est, sed fidelibus noluimus suos occultari thesauros. Porro non sequitur, si tacenda sunt infidelibus mysteria, ideo ne fidelibus quidem esse communicanda.

XI. Tertio hoc argumento non magis linguas vulgares peti dico, quam doctas. Docet enim experientia, non solos fideles esse peritos earum, sed etiam plurimos infideles. Itaque si verum est argumentum & necessarium, tū neque vulgaribus neque doctis linguis exponenda erunt mysteria: id est omnino non scribenda. Quod tamen contra faciendum docuit Spiritus Sanctus, ad quem autorem sine dubio refertur Scriptura sacra.

XII. In secunda confirmatione, syllogismus ita formandus est: Quicunque Scripturam non intelligit, contemnit. At multi eam vel legentes vel audientes in lingua cognita non intelligunt. Ergo etiam contemnunt. Respondeo, primo idem argumentum multo fortius concludere contra vsum linguæ incognitæ, in hunc modum: Quicunq; Scripturam nō intelligit, contemnit. At nemo legens, vel audiens Scripturam in lingua incognita, eam intelligit. Ergo omnes qui legunt vel audiunt Scripturam in lingua incognita, eam cōtemnunt. Quare, si propter multos vitanda est lingua cognita, multo magis propter omnes vitanda erit incognita. Minor probatur ex Augustino de Doctrina Christiana lib. 2. c. 10. asserente duabus de causis non intelligi quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis, id est, verbis, obtegantur.

XIII. Secundo, Scripturam non intelligi, dupliciter dicitur: vel, vt tota sit non intellecta: vel duntaxat quædam eius partes. Priori sensu nego vllum esse Christianum, qui Scripturam legens lingua sibi cognita, non intelligat: propterea neganda erit syllogismi propositio minor, intelliget enim quilibet fidelis procul dubio maiorem partem. At posteriori sensu, nego maiorem. Nam quæ partes à fidelibus intelligentur, eæ plus poterunt ad conseruandam maiestatem Scripturæ, quam ad imminuendam quæ remanebunt obscuræ. Sic Tertullianus, *Adoro* (inquit) *plenitudinem Scripturæ*: quis ausit tamen asserere ei totam fuisse facilem, Imo Augustinus libro paulo ante citato, c. 6. *Magnifice*, inquit, *& salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret.* Certe, quia non potest esse contemptus, absque fastidio, & fastidium obscura detergunt, tantum abest, vt, quæ obscura sunt, contemptum inducant, vt depellant potius. Et quidem omnino ita necesse est. Nam quis est hominum, qui se audeat asserere, nihil obscuri comperisse in Scriptura? Ergo nemo esset hominum siue imperitorum, siue peritorum, qui Scripturam non contemneret, quod est absurdum.

XIV. Tertio, exemplum Iuliani Apostatæ est ἀπροσδιόνυσον. Non tantū quia infidelis erat, nos autem fidelium curam gerimus: & infideles Scripturam non capiunt, quomodocunque legant, siue lingua vernacula, siue docta. Sed etiam, quia quas Scripturas ille se contemnere dicebat, legerat Græce, vel Latine. At aduersarii concedunt earum linguarum vsum. Non est autem iustum, si Iulianus Græce aut Latine legens contempsit, vt eius criminis in linguis vulgaribus faba cudatur.

XV. Tertiam confirmationem Bellarminus eneruat, lib. 2. de verbo Dei c. 15. cum negat linguam Latinam esse sanctiorem, & grauiorem, si verba spectemus, hoc est, ex ipsa sui natura, sed tantum, quia non sit vulgaris, hoc est per accidens. Itaque non est argumentum necessarium, sed duntaxat contingens. Nam certe initio Ecclesiæ vtraque lingua, & Græca & Latina, erat vulgaris: propterea si valet argumentum; illi peccabant, qui tum temporis mysteria diuina Græce aut Latine proponebant, quod est absurdum.

XVI. Addo nullam linguam esse absolute Barbaram, siue respectu sui, siue respectu earum rerum, quas tractat: sed tantum relate ad homines. Nam quibus incognita est quæcunque lingua, ea illis est Barbara: non autem illis à quibus intelligitur. Sic Germanica Germanis, Gallica Gallis, non est Barbara: sed Germanica Gallis, Gallica Germanis. Itaque hodie vere Barbaræ sunt Græca & Latina, quia non intellectæ. Si igitur Barbaræ linguæ indignæ sunt, quibus Scriptura commendetur, profecto etiam hæ ipsæ: Græca, inquam, & Latina.

XVII. Similiter vilem negamus esse vllam linguam: sed vile tantum in singulis quoddam styli genus, quod longissime recedit ab eloquentiæ fastu.

Est

Est autem duplex: alterum humile; alterum sordidum. Illud, quod ita granditatem eloquentiæ vitauit; vt tamen ab honestate non discesserit: Hoc vero non tantum non eloquens, sed ne elegans quidem; scatet vitiis, sołœcismisque & barbarismis deturpatur. Illo honesto, etsi humili genere, vt plurimum vsus est Spiritus Sanctus: Nam & Paulus ait se imperitum esse sermone: & Hieronymus in Psalm. 90. *Thesaurum* (inquit) *sensum diuinum habemus in verbis vilissimis*. At Septuaginta interpretes, & quicunque tandem autor fuit Latinæ editionis, ita verterunt Scripturas, vt vix possit eligi abiectius aliquod styli genus. Certè vtraque editio non tantum vilis est; sed etiam sordida cũ vocabulis, tum verò phrasibus barbara: vt ei non vereat nostram Gallicam longe præferre. Itaque Lizetus hoc argumento nihil concludit; quod officiat linguis vulgaribus.

XVIII. Ad quartam confirmationem, respondeo Augustini verba sic legi: *Hebræa verba non interpretata sæpe inuenimus in libris, sicut Amen, Halleluia, & racha, & osanna, & si qua sunt alia. Quorum partim propter sanctiorem autoritatẽ, quamuis interpretari potuissent; seruata est antiquitas, sicut est Amen, & halleluia: partim vero in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur.*

XIX. Primum ergo, Augustinus non loquitur de continuo stylo, sed de paucis quibusdam vocibus, quas *& notare*, inquit, *& interrogare est facilimum*: vnde fit, vt ipso vsu communes euadant & cognitæ. Sic enim Ecclesia, Baptisma, Eucharistia, ex Græca lingua iam communicata sunt omnibus, nihilque habent obscuri. Quod continuo stylo accidere non potest. Neque enim, exempli gratia, apud Papistas totam orationem Dominicam Latine millies recitatam mulierculæ intelligunt, vt postremam eius vocem *Amen*. Itaque non sequitur, si hæ paucæ voces retentæ fuerunt, vt ideo totus contextus retineri debeat.

XX. Secundo, sanctiorem autoritatem ab Augustino appellari constat; non rerum ipsarum, quæ significantur, sed verborum; quæ ex solenni vsu & quidem antiquo, vocabulis tum acquiritur, tum confirmatur. Itaque non significauit, si alia vsurparentur, tum fore; vt imminuatur dignitas earum rerum, quibus illa significandis adhibentur: sed tantum eorum verborum vsum esse retentum ad eas res significandas, quia eorum verborum esset eximia quædam autoritas. Vnde sequitur, reliqua, quorum nulla est autoritas, sed tantum promiscuus vsus, non esse similiter retinenda, sed libere immutanda.

Cap. XIII.

An Versiones Scripturam obscurent.

I. FRanciscus Cordubensis annotationum Catholicarum art. 1. c. 10. *Sectarij* (inquit) *diuinam Scripturam doctorumque commentaria transferentes in vulgarem linguam, male meriti de fidei doctrina sunt. Nam fidei mysteria, clarius in lingua Græca quam in Latina, & in Latina quam in Germanica, vel in alia lingua vulgari exponuntur. Scriptura enim quanto ex primitiua lingua in alias plures transfertur, tanto obscurior redditur, tantoque maiores difficultates circa eam insurgunt.* Argumentationis vis hæc est. Quicunque Scripturam Sanctam obscuriorem reddunt, male merentur de fidei doctrina. At quicunque Scripturam Sanctam transferunt in vulgares linguas, illi eandem obscuriorem reddunt. Ergo iidem male merentur de fidei doctrina.

II. Probatur assumptio, primo autoritate Hieronymi in præfatione in Chronicon Eusebij asserentis difficile esse alienas linguas insequentem, non alicubi impingere: & Psalmos, Canticum Deuteronomij; ac Esaiæ, librosq; Salomonis & Iob, cum Græce leguntur, aliud sonare, cum Latine, prorsus inhærere. Secundo, quia nullibi quam in Germania, & nunquam plures quã nostro seculo, circa fidei dogmata controuersiæ fuerunt. Tertio, (quæ ratio est Liceti) Augustinus, vt omnis Latinæ translationis ambiguitas explodi posset, monebat duarum priorum linguarum, è quibus translatio Latina erat facta, notionem habendam. Ergo facta translatione in vulgarem Gallicam necessarium esset linguam Latinam nosse, alioquin eam qui legent, innumeris se difficultatibus implicitos comperient.

III. Respondeo, comparari translationes, vel omnes cum textu archetypo; vt non tantum Græca, sed etiam Latina, & Gallica, & Syriaca & reliquę sint obscuriores Hebraica editione Veteris & Græca Noui Testamenti: Vel ipsas etiam inter se: vt, exempli gratia, Græca sit obscurior Hebraica, tum Latina rursus Græca: Et denique Gallica Latina: Et sic in infinitum. Vtroq; modo negatur minor.

IV. Nam etsi nonnulla sint in versionibus, quæ fiunt obscuriora: vt si quæ minus apte explicantur aut vocabulis magis ambiguis, tamen non est propterea tota versio obscurior ipso textu. Nimirum quia cum duplex sit obscuritas, altera rerum, signorum altera: in textu Hebræo vtraq; regnat; quia signa sunt incognita: his autem obscuris non possunt res fieri perspicuæ. Itaque Paulus asserit eum qui loquitur lingua incognita, prioris ad Corinthios decimo quarto, à nemine audiri: quidque ille dicat idiotam nescire: propterea iubet aut tacere, aut adhibere interpretem. Quod si efficit interpres, vt intelligantur ea quæ prorsus ignota erant, tum sane non est necesse interpretando fieri aliquid obscurius. Quanquam argumentis non est opus. Nam quis credat libros Mosis, si Athenis aut Romæ lecti olim fuissent Hebraice, minus futuros fuisse obscuros, quam Græce aut Latine?

V. Atque adeo, cur ipsi Papistæ vtuntur versione Psalmorum, Iobi & Prouerbiorum, quæ non est ex Hebræo, sed ex Græco? Et ante Hieronymum tota Biblia, non aliter Latine exstabant, quam ex editione Septuaginta? Dicant nobis ingenue aduersarij, an censeant tum in Ecclesia Latina obscuriorem fuisse eam versionem editione Hebraica aut Latina. Imo vero an censeant eius Latinæ versionis esse male meritos de Ecclesia, de doctrina fidei. Certe Augustinus gratulatur Hieronymo. Quid Apostolos dicam, & Apostolicos viros, qui (si Bellarmino credimus & reliquis) Euangelium Matthæi ex Hebræo, Marci autem è Latino verterunt in linguam Græcam?

VI. Iam ad probationes assumptionis facilis responsio. In prima, Hieronymus negat facile esse interpretem non alicubi impingere: at non ait, aut nullo modo caueri posse: aut, si caueri non possit, perpetuo fieri, siue per totum contextum; sed tantum alicubi. Non sequitur vero, vt si alicubi impegerit, ideo totum opus reddiderit obscurius ipso primo contextu. Præstat autem Biblia haberi in Ecclesia quibusdam locis obscuriora, quam omnino nulla. Verè enim tum nulla habentur, quando non habentur nisi lingua incognita. Rursus Hieronymus negat libros sacros carmine scriptos, cum vertuntur, in alias linguas, sapere poësin: quod vt verissimum est, ita nihil ad nostrum institutum.

VII. Secunda confirmatio primum est falsa: quia in Germania toto decimo sexto seculo hæ duntaxat hæreses grassatæ sunt, Papistarum, Vbiquitariorum, Anabaptistarum, Schuenc-Feldianorum. Quantumlibet Staphylus, Lindanus, Prateolus, impudenter audaces infinitas alias numerarint; non quæ veræ essent, sed quas ipsi comminiscebantur, totidem fictis nominibus; quot se viri magni opposuerunt hæresibus Papisticis, Lutherus Melanchthon, Bucerus, Zuinglius, Caluinus, Beza, OEcolampadius, reliqui. At olim vno eodemque seculo, cum aut solæ, aut certe omnium maxime vigebant editiones Græca & Latina, numerabantur multo plures, Nouatianorum, Donatistarum, Manichæorum, Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum, Anthropomorphitarum, Eutychianorum, Origenistarum, Meletianorum, atque aliorum, qui omnes vel perseuerarunt, vel emersetunt seculo quarto.

VIII. Deinde, quæ in Germania grassantur hæreses, natæ non sunt è vulgaribus versionibus sed ex peruersa interpretatione Scripturę, siue ea Hebraice legatur, siue Græce, siue Latinè. Nam quibus locis abutuntur hæretici, in iis illis nõ tam verba mutant, quam sensum corrumpunt. Sic Vbiquitarios refutans Bellarminus, aut Gregorius de Valentia, nunquam obiiciunt malam versionem, sed tantum peruersam interpretationem. Soli sunt Papistæ, quibus hoc crimen obiicitur, propter Latinam editionem, quam illi volunt non esse authenticam, cum scateat mendis, & quidem non leuissimis. Sic probant frequentes adorationem Sanctorum ex Psalm. 199. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum*: quæ verba sunt pessima fide pro aliis Hebræis supposita.

IX. Tertiæ confirmationis difficultas non est magni momenti. Primo, non est verum tres linguas esse necessarias. Nam id tum accidit duntaxat, cum versiones fiunt ex aliis versionibus, non autem ex ipso fonte, vt Papistę, qui Gallice Biblia ediderunt reddita versione Latine, si volunt hanc ipsam suam editionem diligentius examinare, eos necesse est & Latine scire, & Grece & Hebraicè. Sed nos qui ex ipsis fontibus nostram hausimus editionem, carere possumus lingua Latina, contenti Hebraica propter Vetus, Græca propter Nouum Testamentum.

X. Deinde, nego hoc esse incommodum: sed necessarium, longe autem distat vtrumque. Et quemadmodum non concludebat Augustinus, supprimendam Latinam editionem, quia duæ insuper linguæ erant necessariæ: sic ne nos quidem vulgares editiones improbare debemus, similem ob causam. Nec sequitur tamen; omnes omnino Christianos debere Hebraice, Græce, & Latine doctos esse. Non certe, inquam, magis hodie, quam olim Augustini tempore.

Cap. XIV.

An ex Versionibus oriantur Schismata.

I. LIzetus & Ledesima argumentantur à Schismatum periculo. Contendit enim Lizetus ex vernacula versione, schismatis in Ecclesia Latina euidens & summopere anteuertendum periculum imminuere. Charitatis vnionem inter fideles bona ex parte perituram Ledesima.

II. Probant primo, quia linguæ similitudo beneuolentiam conciliat, & est magnum amoris vinculum: vt perspicue liquet inter homines eiusdem patriæ. Secundo, ex historia Babel, & confusione linguarum. Tertio, quia aduениens Christus misso post ascensionem paracleto, ad instar prioris seculi, in primitiua Ecclesia vniuersitatem fidelium vnius labij esse voluerit: vt quorum erat cor vnum & anima vna, vna esset & lingua, nec posset impedire intellectum credentium aliqua diuersitas verborum, teste Cypriano in sermone de Spiritu Sancto. Propterea Sophonias ita prædixerat ca. 3. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini*: quod in hunc sensum Hieronymus explicat. Apostolus etiam ad Romanos 15. vt vnanimes vno ore honorificetis Deum. Quarto, Græci aliarumque exterarum nationum populi, hac vtentes idiomatum diuersitate in diuinis monimentis req; diuina facienda, ab Ecclesia Romana facile scissi fuerunt. Quinto, variarum linguarum proprietates, variare & scindere in sensu & intellectu Euangelicam traditionem possent. Sexto, non modo Ecclesiæ Latinæ vinculum laxari, verum & nomen ipsum funditus tolli videretur: quandoquidem complures particulares Ecclesiæ vna Latina Ecclesia vocentur, quod omnes sub Romana Ecclesia eodem Latino sermone vtantur.

III. Sed hic metus omnino superuacaneus est: alioquin Schismatum in Deum ipsum referenda esset caussa, qui in Ecclesiam Christianam ab ipso initio contulerit donum linguarum: quod quis neget esse blasphemum? Deinde multis seculis Ecclesiæ per totum orbem variæ variis linguis vtentes coniunctissimæ fuerunt: nempe Hebræa, Græca, & Latina: addo Chaldaicam, & Syram. Et quidem adeo coniunctæ, vt sese eiusdem corporis membra censerent esse. Sic enim Græci ad Latinos scribebant apud Theodoretum, ἡμᾶς ὡς οἰκεῖα μέλη προσεκαλέσατε *conuocastis nos tanquam propria membra*: historiæ lib. 5. cap. 9. Et sane Ecclesiarum concordia non in vocibus cõsistit, sed in sensu, qui dum omnibus linguis idem seruatur; tum nullum est Schismatis periculum. Sic Irenæus lib. 3. c. 4. *Hanc fidem; qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt: quantum autem ad sententiam & consuetudinem & conuersationem propter fidem, perquam sapientissimi sunt, & placent Deo.* Viden' Irenæum diligenter distinguere sermonem à sententia? Et in sermone solo barbariem constituere; id est, separationis indicium.

IV. Sic redintegratam Macedonianorum cum Catholicis coniunctionem, non in eo statuit Liberius quod omnes Latine loquerentur, sed quod idem sentirent. Verba sunt apud Socratem lib. 4. cap. 12. τὴν εὐκταιοτάτην (inquit) ἡμῖν χαρὰν τῆς εἰρήνης, καὶ τῆς ὁμονοίας, *Optatissimum nobis pacis & con-*

cordia & gaudium attulerunt literæ vestræ, ὅτι τῷ υἱῷ τέρψει γ ὑμᾶς καὶ ἐμὲ μεγα Φρ ονμενα συμφωνίαν καὶ συναδειν, ὡς τε τῷ ἐμῷ ἐλαχίστην τε, καὶ τῶν σὺν ἐμοὶ πάλαι, καὶ δυνακῶν πάντων διεβεβαιώσατο, καὶ ἀπέδειξεν. Quod vestram sententiam, vestrasque opiniones cum sententia tum mea exiguitatis, tum aliorũ qui in Italia sunt, & ad Orientem consentire & conuenire confirmarunt demonstrarintque. Audin' tu εἰρωνίαν fuisse inter Macedonianos Græcos, & Occidentales Latinos; hoc est, inter diuersarum linguarum homines?

V. Et ne vetera diligentius colligam, satis nota; hodie Scoti, Angli, Belgæ, Heluetij, Rhœti, Galli, suis vtuntur linguis singuli. Et tamen omnibus optime conuenit per eas regiones Ecclesiis reformatis. Nimirum quia apud omnes idem omnino sensus est de fide, eadem articulorum intelligentia. Nec nos à Germanis vlla separauit idiomatum diuersitas; sed sola dogmatum discrepantia; quam si Deus aliquando nostris peccatis propitius conciliet, nihil obstabit, quominus in eandem communionis pacem admittantur.

VI. Nec vere Ledesima dixit conciliari beneuolentiam à linguæ similitudine: etsi non diffitear, nonnihil esse in ea momenti. Sed id adeo exiguum esse docet experientia, vt nisi alia multa concurrant, omnino frustra sit, cum in Republica, tum in Ecclesia. Nam in Republica, quam frequentissimi sunt συμφύλιοι πόλεμοι, quam creberrimæ domesticæ seditiones? Græcorum inter se vt Athenienſium, Lacedæmoniorum, Thebanorum, atque aliorum: Romanorum tum intra eiusdem vrbis mœnia, tum per vniuersum orbem? In Ecclesia vero, nemo est qui nesciat in multis Africæ locis duplices fuisse Episcopos, Catholicum vnum, alterum Donatistam: Constantinopoli varios cœtus, imo contrarios cœtus. Quod si verum sit, & cum adest linguæ eiusdem communio, non deesse discidia, & cum abest, adesse tamen pacem; quis iam in ea magnum esse monumentum dicat?

VII. Historia confusionis Babelicæ non est exemplum satis appositum: Accidit enim illa non ex diuersitate linguarum, sed ex ignoratione: itaque aptius esset ad probandum schismata oriri ex vsu linguæ incognitæ in Ecclesia. Nam, quemadmodum discesserunt huc illuc ædificatores turris, quum cœperunt alij aliis esse Barbari, ita posset facile plebs secedere à Clero, quem non audit nisi Barbare loquentem. Adde, Ecclesias cum communicant inter se, non magis vti lingua incognita, quam quum suas plebes docent. Nec nos, si plebi restituimus Scripturas Sacras versas in suam linguam, ideo aut Latinam aut Græcam linguam abolemus. Imo vtrunque facimus; Et has conseruatas volumus, tanquam vtilissimum instrumentum communicandi cum exteris Ecclesiis: & vulgares in vsum producimus, vt necessarium medium plebi instruendæ. Isti autem adeo attenti sunt, imo vero non sunt, sed esse potius fingunt conseruandis illis linguis, & per eas communioni exterarum Ecclesiarum, vt ablegato vsu vulgarium suarum, plebium institutionem negligant.

VIII. Falsum & illud est; Christum voluisse in primitiua Ecclesia vniuersitatem fidelium esse vnius labij; hoc est, vnius linguæ: alioqui concessisset donum vnius linguæ: non donum linguarum, quo accepto statim concionati sunt Apostoli idiomate vulgari singularum gentium; Vnde astantiũ admiratio, *Quomodo nos audimus eos sua quisque lingua in qua nati sumus?* Nam re vera, *cœperunt loqui ἑτέραις γλώσσαις aliis linguis, prout Spiritus illis dabat eloqui.*

IX. Cyprianus, siue quis alius est autor eius sermonis de Spiritu Sancto: totum hoc peruertit miraculum: ita enim interpretatur, vt intelligat, non ipsos quidem Apostolos variis linguis esse loquutos, puta Parthis Parthice, Medis Medice, Iudæis Iudaice, sed omnibus vnica, videlicet sua illa, cui pridem assueuerãt: effeciſſe autem Spiritum Sanctum, vt eam vnam quicunque auribus exciperent, putarent esse suam quisque: atque eatenus, vnius fuisse labij vniuersitatem fidelium, vt ne posset impedire intelligentiam credentium aliqua diuersitas verborum.

X. At is fœde fallitur. Re vera enim donum linguarum eiusmodi erat, vt ipsi Apostoli nossent omnes linguas, & verè omnibus linguis loquerentur, ἤρξαντο (inquit Lucas) λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις. At τὸ λαλεῖν nullo modo id significat, quod fit in auditoribus, sed quod faciunt ij ipsi qui dicuntur loqui. Sed & Paulus prioris ad Corinthios decimoquarto, significat aliquos ita linguis esse loquutos, vt à plebe non intelligerentur; eosque iubet adhibere interpretem. Ipse etiam gloriatur se pluribus linguis loqui, quam Corinthios. Denique ex vi huius doni scripserunt Apostoli Græce. Nec vllus est tam audax qui asserat Nouum Testamentum scriptum esse Iudaice, à nobis autem legi Græce. Quanto igitur melius Augustinus sermone nono de Verbis Apostoli? *Signum in illis procedebat vnitatis: loquebatur enim tunc vnus homo omnibus linguis: quia locutura erat vnitas Ecclesia in omnibus linguis: Expauerunt qui audiebant. Nouerant enim homines idiotas fuisse, vnius tantum linguæ: & mirabantur ac stupebant, quod vnius lingua homines, vel vt multum duarum, linguis omnium gentium loquerentur.*

XI. Sed, quid tum, si hæc tam vera sunt, quam euicimus esse falsa? Nihil sane Lizetus promouet. Nam, si erant tum fideles vnius omnes labij; ea lingua, quæcunque erat, ab omnibus intelligebatur, etiam laicis. At earum linguarum vsus, quem impugnamus, eiusmodi est, vt sensus percipi non possit à plebe. Certè si nobis id miraculum Papistæ restituerent, vt omnes intelligerent, quæ illi Latine pronunciant, nunquam essemus importuni. Cæterum, ea fidelium vnitas non procedebat inde, quod vnica lingua Apostoli vterentur, si tamen vtebantur: sed quod eius sententiam omnes perciperent: quod hodie cum non fiat, non potest etiam vnius linguæ vsus vtilis esse vnitati conseruandæ.

XII. Sophonias nihil eiusmodi prophetauit. Significat enim tantum fore, vt omnium gentium lingua inuocetur Deus. Testis Hieronymus in eum locum. *Vt vnusquisque errore deposito ad antiquum confessionis Domini eloquium reuertatur, & in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur Dominum Iesum in gloria Dei Patris.* Non sensit ergo Hieronymus vnam certam futuram esse linguã: quod crassissimum erat Iudæorum commentum, ex hoc loco colligentium, eodem teste, temporibus Messiæ, futurum vt omnes Hebraice loquerentur: sed omnes potius linguas laudaturas Dominum: proinde labium purum appellari non propter ipsam vocem, aut sonum, qui omnibus sit idem; sed propter vocis & soni sententiam omnibus eandem.

XIII. Pauli decimoquinto ad Romanos verba hæc sunt, *Deus patientiæ & consolationis det vobis, vt eodem animo inter vos affecti sitis secundum Christum Iesum: vt concorditer vno ore glorificetis Deum.* Hæc quid ad vnius linguæ vsum in omnibus Ecclesijs? Primum satis apparet Paulum de sensu magis loqui quàm de vocibus: Nam precatur vt det illis Deus τὸ αὐτὸ φρονεῖν, quod faciunt etiam qui varijs idiomatis loquuntur. Sic vnum idemque sentiebant Græci confitentes τὸ ὁμοούσιον, & Latini exprimentes suum *Consubstantiale*, quanuis vocabulorum sonus valde sit diuersus. Secundo hæc verba scripta sunt ad Romanos, id est, vnius Ecclesiæ homines; qui non tantum idem sentire debebant, sed etiam eadem lingua vti. Non sequitur autem, si omnes Romani, vt ideo omnes omnium nationum homines debeant Romanè loqui. Tertio, hic etiam locus facit aduersus incognitæ linguæ vsum. Nam si præcipit Paulus Romanis, id est, vni Ecclesiæ, vt vno ore omnes laudent Dominum, ergo non vult, vt clerici suam habeant linguam separatam à lingua plebis, quod hodie fit apud Papistas.

XIV. Græcorum schisma non ex linguæ differentia aut ortum est, aut confirmatum: sed ortum quidem ex dogmatum discrepantia norunt omnes: confirmatum vero ex Romanorum superbia, clamant Græci. Nilus libro primo de primatu Papæ. Τί πέπων εἰ τὸ τῆς Δ[illegible]στάσεως αἴτιον, τὸ μὴ κοινῇ τῆς οἰκουμένης συνόδῳ κυρωθῆναι τὸ ζητούμενον· τὸ μὴ ἐφεῖλθαι τῷ λύσει τὸ παλαιὸν τῶν πατέρων ἐν τούτοις ἔθος· ἀλλὰ τὸν μὲν Ρωμαίους διδασκάλους ζητεῖν καθίζεσθαι· τοὺς δὲ ἄλλους ἐν μαθητῶν μέρει ὑπακούοντας ἔχειν. *Quæ igitur est dissensionis causa? Quod communi totius orbis Concilio quæstio decidatur: nec procedit solutio iuxta antiquos patrum in his rebus mores. Sed Romani volunt huius quæstionis sedere doctores, alios autem, tanquam discipulos dicto audientes esse.*

XV. Variari posse nonnihil linguarum proprietatem, concedi potest: sed nihil est necesse, id est, eiusmodi, vt vitari non possit. Quin etiam si traditionis nomen restringatur ad articulos fidei, facillimum est ita stylum temperare, ita voces deligere, vt fides maneat integra, quod experimento iampridem probatum est in versione Græca; Latina, Syriaca, atque alijs. Sin autem traditionum nomine alia Lizetus intelligat, quæ non sunt inter articulos, tum minus est periculum: nec possunt esse tanti, vt propterea retineatur lingua incognita.

XVI. Denique, quod de Latina Ecclesia obiicitur friuolum est. Non enim magis oportet extare aut nominari aliquam Ecclesiam Latinam, quam Germanicam aut Gallicam: cum sit hæc denominatio ab accidentibus, quæ & adesse & abesse possunt absq; rei interitu. Quid enim deterius esset, quã cũ nulla nominatur Ecclesia Syra? aut hodie Græca? Nam ne Papistæ quidem Græcos computant in Ecclesia. Nimirum habuit Lizetus præ oculis suam Ecclesiæ Romanæ autoritatem. At nos ideo etiam putamus deserendum vsum Romanæ linguæ, id est, incognitæ, ne eo Antichristus abutatur, quasi certo argumento suæ tyrannidis.

(o:o)

FINIS LIBRI VNDECIMI.

LIBER

LIBER DVODECIMVS.

De

AVTHORITATE PRIMÆ EDITIONIS LIBRORVM SACRORVM.

Caput Primum.

DE VARIIS BIBLIORVM EDITIONIBVS.

SAcri Libri, ex quibus tanquam partibus constat totum illud corpus, quod appellamus Scripturæ Sanctæ, siue Bibliorum nomine, variis linguis editi sunt & traditi in vsum Ecclesiæ. Sed editiones diuiduntur vniuersaliter in duo genera. Nam aliæ sunt originales & αὐτότυποι, siue ἀρχέτυποι: scilicet earum linguarum, quibus primo vsi sunt autores in iis libris scribendis. Aliæ vero secundariæ, & ἔκτυποι, quibus multiplicata sunt eorum librorum exemplaria in varias regiones variaque idiomata, vt in præcedenti controuersia factum oportuisse probauimus.

II. Originales linguæ variæ sunt. Nam libri Veteris Testamenti maximam partem scripti sunt Hebraicè, quæ lingua censetur, & merito, omnium prima ipsi Adamo vsitata, vt facile apparet ex nominibus, quæ imposuit natis. Deinde ab Adamo post Babylonicam confusionem specialiter conseruata in familia Eberi, à quo quidam putant Hebræorum nomen deductum: inde ad Abrahamum, & filios Israelis deriuata, custoditaque integra ad plurimos annos, donec tandem varie agitatus populus Dei paulatim assuesceret barbaris linguis, corrumperetque suam natiuam, quod factum est maxime in captiuitate Babylonica.

III. Inde quædam Veteris Testamenti partes Chaldaicè primo conscriptæ, sed paucæ, vt Danielis capita quædam, & Esdræ pauciora. Et quidem illa descriptionem continent rerum, quæ non pertinebant ad solam Ecclesiam, sed ad statum totius orbis: hæc vero, edicta quædam ἀνταλλάξει recitant regum: paucaque præterea. Adeo vt verius dici possit totum Vetus Testamentum Hebraice scriptum.

IV. Nouum Testamentum habemus Græce. Nam etsi quidam contendant Euangelium Matthæi scriptum Hebraice, itemque Epistolam ad Hebræos: tamen est admodum incertum: atque adeo propius falso. Caietanus initio suorum commentariorum seuere monet Euangelium non fuisse scriptum Hebraicè, argumento non inepto ab interpretatione vocum Hebraicarum: vt capite primo, *Emmanuel, quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus:* capite vicesimo septimo, *Eli, Eli, lamma sabachthani, id est, Deus mi Deus mi, cur deseruisti me?* Non poterat enim Hebraica editio sic interpretari. Nec debuit vllus interpres: vt patet exemplo aliarum vocum.

V. Scio haberi idipsum Euangelium, Epistolamque ad Hebræos, Hebraice, ex editione Sebastiani Munsteri. Item Euangelium ex editione Tilij. Sed nihil esse authenticum, pronuntiant omnes docti. Certè in editione Munsteri multa sunt, quę stylum ipsius Munsteri redolent: si quę coniectura esse potest: ex comparatione eorum quę sunt ab eodem autore. In quibus est perpetuus ferme abusus particulę אן, quasi simpliciter neget: quod contra est tum in Scriptura, tum apud Rabbinos. Tum illud statim initio התולדות ישוע & ותלדת ישוע & תלד את בן & plurima alia, barbariem plenam redolent.

VI. Alterum Tilij iudicarunt nonnulli purius Hebraicum: atque adeo inde coniecerunt non pertinere ad id temporis, cum Apostoli essent in viuis: cum videlicet degenerasset mirum in modum Hebraica dialectus: vt magis inclinaret in Syriacam. Nec male. Sed ego tamen (quod pace dictum sit aliorum) puritatem Hebraicam nullam agnosco, sed videor mihi videre recentem Christianum balbutientem, capite primo, ישן המשיח בן היה ותולדת barbarismus est cum solœcismo: capite secundo, quid est, אל ארץ ורפלו? Quid rursus ומאחד שהלבו. Et quid מי ferme semper absque interrogatione capite quinto מלה אתם|הם, & לבל שהסבבית. Et alia infinita. Viderint alij: ego credo recens opus esse, & authorem nihilo plus sciuisse Hebraice, quam quantum potuerit ex scholarum vsu comparare, Et inde contulisse se ad hanc versionem.

VII. De Euangelio Marci vix annotare debeo, quod nonnulli persuadere volunt: fuisse Latine scriptum. Est enim id adeo leue, tam paucis authoribus confirmatum, tam parum simile vero, vt prætetiri debuerit potius. Laurentius Valla initio Annotationum in Marcum. *Admoneor vt eos improbem, qui putant Marcum Latine scripsisse. Quid Græci, sat profecto Latina, sin Latini, Græca ignorare se indicant.* Caietanus ad initium eius Euangelij, scripsisse quidem in Italia Marcum, sed tamen Græce asserit. Quamquam ne illud quidem scripsisse in Italia, certum. Nam Isidorus Hispalensis in Chronico in contraria sententia fuit, *Marcus Euangelista Alexandriæ Christum prædicans Euangelium scripsit.* Itaque totius Scripturæ Sacræ duplex est idioma, Hebræum, & Græcum.

VIII. Iam translationum maxima varietas, vt & linguarum, quibus suorum mysteriorum thesauros communicare dignatus est Deus, qui cum suis Apostolis præcepit abire in totum orbem, & omnes gentes docere, eo ipso satis ostendit, nolle salutarem doctrinam in aliquo totius orbis angulo delitescere, imo potius impleri quod scriptum ad Romanos decimoquarto, *Omnis lingua confitebitur Deo.* Nunc autem de omnibus agendum nobis non est: sed tantum de præcipuis, in eas nimirum linguas, quæ in Ecclesia celeberrimæ fuerunt.

IX. Hæc trifariam diuiduntur, in Orientales, Græcas, & Latinas. Orientales appello cognatas Hebraicæ. Primum igitur totum exstat Vetus Testamentum Chaldaice translatum. Et hanc translationem Iudæi (apud quos magno est in pretio) vulgo תרגום vocant. Est autem non tam simplex translatio, &, vt aiunt, μετῳδὰς, quam liberior paraphrasis, plurimis saltem locis, maxime obscurioribus.

X. Nec est eius operis vnus author. Ionathan Vzielis filius ante Christum annis plus minus quadraginta, Simeonis eius qui Christum vlnis tenuit condiscipulus (si Galatino credimus) discipulusque Hillelis, qui eum Simeonem genuit, totum quidem vertit Veteris Testamenti corpus, teste eodem Galatino: sed exstat nonnisi in priores & posteriores Prophetas, id est, Iosue, Iudices, Samuelem, Reges, Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, & duodecim minores. Vertit autem sensum è sensu, obscurissima quæque vocabula exponens, & quæcunque de Messia dubia latenterque scripta erant, certa atque clarissima reddidit.

XI. Onkelos vixit post Christum. Hunc nonnulli, atque in iis Bellarminus, Aquilam esse existimant. Sed Galatinus distinguit: notatque Iudæos hunc asserere fuisse filium sororis Titi Imperatoris, factumque proselytum. Testatur etiam transtulisse totum Testamentum Vetus, non exstare tamen nisi Pentateuchum. Reliqua tribui tum Aquilæ, tum Iosepho cuidam cæco. Hos autem fabulis Iudaicis intentiores fuisse docti conqueruntur.

XII. Guido Fabricius Boderianus, præfatione in Nouum Testamentum Syriacum, autor est exstare vtriusque Testamenti Arabicam paraphrasin autore Saadia Gaon, & Persicam, Iacobo Tauasio Pauaniensue: item Syriacam, Armenicam, Æthiopicam. Sixtus Senensis Bibliothecæ libro quarto testatur Augustinum Nebiensem in Octaplis suis quintum locum dedisse Arabicæ: eiusque operis se vidisse duo tantum volumina, nempe Psalterium excusum, & quatuor Euangelia ipsius autoris manu descripta, atramẽtoque ac minio distincta.

XIII. Sed Nouum Testamentum exstat integrum Syriacum, præter pauculas partes, de quibus olim dubitatum, vtrum esset in Canone. Editum cum ab alijs, tum ab Immanuele Tremellio addita interpretatione Latina: à Guidone Fabricio, cum versione interlineari. Sed hi characteres Syriacos mutarunt in Hebræos: vt & Raphelengius. Arias Montanus, in magnis Bibliis Antuerpiensibus, edidit vtroque characterum genere.

XIV. Opus est antiquissimum: atque adeo Bonauentura Cornelius Bertramus, vir harum linguarum in primis peritissimus, meus in Hebraica & Arabica præceptor, audet Ecclesiæ Antiochenæ nascenti, Christianisque primum in ea appellatis, adscribere, præfatione in suam Comparationem Grãmaticæ Hebraicæ & Aramicæ. Sed vt hoc incertum sit, esse certe vtilissimum, nemo negauerit, qui eo sit vsus: etsi habere nonnulla, quæ non omnino placeant, Bellarmino facile concesserim.

XV. Græcæ editiones variæ sunt, sed Veteris Testamenti tantum. Prima facta est Ptolomæi Philadelphi iussu: qui cum vndique libros conquireret, quos in Bibliothecam suam reconderet, etiam Iudaicos transferri iussit, ante Christum annis plus minus trecentis. Fuitque ea res celeberrima apud Veteres: vt videre est apud Eusebium libro octauo Præparationis: Iustinum Martyrem Dialogo cum Tryphone: Epiphanium de ponderibus & mensuris: Clementem Stromateon primo, atque alios. Et exstat Aristeæ nomine libellus, qui se profitetur à Polomæo missum legatum ad Eleazarum Pontificem, vt & libros obtineret, & doctos Interpretes, quos & concessos ex singulis tribubus senos, adeoque vniuersos Septuaginta duos. Vnde vulgo solet appellari Editio Septuaginta. At Ludouicus Viues in caput quadragesimum secundum libri decimi octaui de Ciuitate Dei, hunc libellum Aristeę putat ab aliquo recentiori confictum. Scaliger ad Chronicon Eusebij adscribit Iudæis Helleniſtis, etiam ante Iosephum, multisque absurdis ostendit varie in ea describenda historia lusisse temerariam audaciam.

XVI. Imo non desunt, qui opinentur, non fuisse ab his Septuaginta totum Vetus Testamentum translatum: sed duntaxat libros Mosis. In his Iosephus est in procœmio Antiquitatum: sed & Talmudici, teste Genebrardo Chronologiæ libro secundo in Ptolomæo Philadelpho. At multo plures aliter, & sane verisimile est, Regem Ptolomæum, æque rescisse de reliquis libris, nec voluisse prætermissos in tanta curiositate.

XVII. Hanc omnes vetustissimam censent esse omnium translationum. Nam quod apud Clementem Alexandrinum legitur Stromateon primo, versas fuisse in Græcum Scripturas etiam ante tempora Alexandri, indeque Platonem hausisse nonnulla: vix fit verisimile. Genebrardus tamen assentitur: putatque translatum duntaxat Pentateuchum: idque imposuisse iis qui negarent totum corpus versum à Septuaginta.

XVIII. Reliquæ omnes translationes factæ sunt post Christum. Primus

mus Aquila Ponticus, Adriani Imperatoris temporibus, eique charus: primum Græcus, deinde Christianus, & quidem baptizatus, denique ad Iudæos deficiens, indignatus Christianis, qui eum ob immanem Astrologiæ iudiciariæ amorem expulissent Ecclesia; Hebraicam linguam accuratissime didicit: processitque ad Bibliorum translationem: non sano tamen iudicio, quin potius, vt peruerteret ea quæ de Christo erant prædicta, ἵς ἄλογον αὐτοῦ ἀπολογίαν, inquit Epiphanius, id est, vt aliquomodo suam apostasiam excusaret.

XIX. Secundus est Symmachus Aurelio Vero Imperante Samaritanus primum, deinde Iudæus, iterumque circuncisus: nam id moris esse Epiphanius dixit iis qui à Samaritanis ad Iudæos transirent, vt priorem circuncisionem irritam haberent; propterea arte quadam reductum præputium, secundo amputarent. Symmachus igitur Iudæus factus, πρὸς διαστροφὴν τῶν παρὰ Σαμαρείταις ἑρμηνειῶν, ad confutandas eas interpretationes, quibus vtebantur Samaritani; laborem vertendis Scripturis impendit.

XX. Tertius Theodotion: ipse etiam Ponticus, ἀπὸ τῆς διαδοχῆς Μαρκίωνος, μηνιῶν καὶ αὐτὸς τῇ αὐτοῦ αἱρέσει. Primum Marcionita, deinde ex odio eius hæreseos Iudæus circuncisusque, ipse etiam eidem labori manum admouet, in multis non discedens à Septuaginta. τριβὰς γὰρ εἶχεν τοὺς πλείστους ἀπὸ τῆς συνηθείας τῶν ἑβδομήκοντα δύο: plurima retinuit vestigia eorum quibus iam assueuerat.

XXI. Hæ fuerunt Græcæ versiones, omnino quatuor: & prima quidem à Iudæis, reliquæ ab Apostatis. Et tamen Veteres Catholici non tantum prima vsi sunt, sed etiam posteriores non sunt dedignati, quantumlibet factas scirent in odium Christianismi. Longe dissimiles hodiernis Papistis: qui, quæ prodeunt ab iis, quos non vere, sed odiose hæreticos appellant, prorsus execrantur, nec vel videre sustinent, aut etiam nominari. Sæpissimè igitur Veteres videas comparantes has versiones, ex alijsque alias illustrantes, omnesque curiose conseruantes: quod postea fieri desijt; adeo vt perierint: tres posteriores: fortasse etiam prima: non consentiunt enim docti, eam, quę Grępce extat, verè esse Septuaginta interpretum.

XXII. Deinceps, nullæ, quod sciam, versiones fuerunt: sed tantum variæ editiones. Nisi forte illam excipias, incerto auctore, quam dicunt temporibus Antonini Caracallæ, in doliis repertam, cum diu delituisset in vrbe Hiericho: & aliam rursus è doliis item erutam Nicopoli ad Septentrionem, imperante Alexandro Mammeæ, quam Athanasius in Synopsi, factam dicit παρά τινος τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις σπουδαίων à quodam studioso Hierosolymitano. Hæ versiones-ne fuerint integræ, an potius editiones antiquarum non possum dicere.

XXIII. Sed Hesychij, Luciani & Origenis emendationes tantum fuisse, facile colligitur, ex Hieronymi præfatione in Paralipomena; bivariis regionibus, varios in vsu codices fuisse asserit. *Alexandria & AEgyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis vsque Antiochiam, Luciani Martyris exemplaria probat. Media inter has prouincia Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgauerunt.*

XXIV. Et quidem Origenis in hoc labore prima laus est, ob Tetrapla, Hexapla, & Octapla. Tetrapla appellabat editionem quatuor versionum nempe Septuaginta, Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, vno volumine per columnas totidem. His postea additæ duæ columnæ continentes textum Hebræum characteribus tum Hebraicis, tum Græcis. Denique duæ illæ editiones quas in dolis diximus inuentas: vt ita fierent columnæ primum quatuor, deinde sex, tertio octo.

XXV. In his tam religiosa fuit diligentia, vt etiam verba verbis compararet, adhibitis quatuor notis, asterisco, obelo, lemnisco, & hypolemnisco. Asteriscus notula erat ex transuersis lineis inuicem se secantibus, qua significabantur ea quæ à Septuaginta Interpretibus omissa, restituta erant ab Aquila & Symmacho, raro à Theodotione. Obelus, linea erat transuersa ξίφος ἀναιρετικὸς, gladius rescindens. Si quæ enim apud interpretes erant addita, quæ non exstarent in Hebraico contextu, ea sic notabantur. Lemniscus eam lineam duobus punctis includebat vno superiore, altero inferiore. Et significabat ea, quæ diuersi interpretes eodem sensu reddiderant ex Hebræo, quanuis variis verbis. Hypolemniscus ablato superiore puncto lemnisci, eandem sententiam iisdem verbis redditam à varijs interpretibus designabat: Hunc tam religiosum, tam diligentem, tam vtilem laborem nobis tempus inuidit, magno eruditorum dolore, nec paruo Ecclesiæ damno.

XXVI. In Latinam linguam Scripturæ translatæ sunt, primo non ex fontibus: sed ex Græcis editionibus: & quidem varie, *Qui Scripturas* (inquit Augustinus secundo de Doctrina Christiana, cap. 11.) *ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam numerari possunt: Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim, cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*

XXVII. Præualebat tamen omnibus vna, cuius erat in Ecclesiis Latinis vsus tritior & communior: hanc Augustinus Italam appellat, cap. 15. lib. 2. de doctrina Christiana: *In ipsis* (inquit) *interpretationibus Itala cæteris præfe-ratur. Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.*

XXVIII. Hieronymus tandem hunc sibi laborem elegit: in eoque bis versatus est. Primo enim Vetus Testamentum Latine reddidit ex editione Græca interpretum Septuaginta. Sic enim ipse testatur lib. 2. contra Rufinum, *Ego-ne contra Septuaginta Interpretes aliquid sum loquutus, quos ante annos plurimos, diligentissime emendatos, meæ linguæ studiosis dedi?* Et idem cōfirmatur ex eiusdem epistola ad Augustinum, quæ vndecima numeratur tomo secundo Augustini. Sed & Augustinus epistola decima se testatur ex ea interpretatione vidisse librum Iob.

XXXIX. In hac autem editione vsus erat, ad exemplum Origenis, asteriscis & obelis, vt tum excessus, tum defectus Septuaginta Interpretum significarentur: quod ipse eadem ad Augustinum epistola declarauit, *Illa interpretatio Septuaginta Interpretum est: & vbicunque virgulæ, id est, obeli sunt: significatur quod Septuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebræo: vbi autem asterisci, id est, stellæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est.* Similis declaratio est in præfatione ad librum Iob.

XXX. Deinceps ex ipsis fontibus totum Vetus Testamentum transtulit. Quod ipse testatur tum in Viris Illustribus: tum aliis plurimis locis: vt præfationibus in singulos libros à se versos: & contra Rufinum, & alibi. Atque ob hunc laborem multas calumnias se passum esse, sæpissime conqueritur, maxime ab æmulo Rufino. Augustinus etiam olim dehortabatur ab eo suscipiendo, rationibus aliquot frigidioribus. Habuit tamen, si non autorem, certe approbatorem Damasum Romanum Episcopum.

XXXI. Nouum Testamentum non vertit: sed vulgatam versionem diligenter recognouit ad veritatem textus Græci, emendatis multis erroribus, qui irrepserant, vt fit, siue autoris vitio, siue librariorum culpa: idque rogatu Damasi: ad quem ita pręfatus est in Euangelia, *Nouum opus me facere cogis ex veteri: vt post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam: & quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum Græca consentiant veritate, decernam:* Et post, *Igitur hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, codicum Græcorum emendata collatione, sed & veterum, quæ nō multum à lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperauimus, vt his tantum quæ sensum videbantur mutare correctis, reliqua manere pateremur, vt fuerant.*

XXXII. Post Hieronymum multis seculis pauci sibi quicquam amplius tentandum putarunt, siue ea negligentia fuerit, siue imperitia, siue Hieronymiani nominis reuerentia. Nisi Lyranū excipias, & Paulum Burgensem, qui aliquando vulgarem versionem paucis locis emendare conati sunt, quorum iste Matthiam Thoringum habuit aduersarium, meo quidem iudicio nimis ineptum. Sed proxime elapsis seculis decimo quinto, & sexto post Christum natum, feliciter, summo Dei beneficio, restituta linguarum, quanta vix vnquam fuit cognitio, non paucis viris doctis animos addidit ad iuuandā hac in parte Ecclesiam, vario quidem successu, sed tamen non inhonesto, imo ne inutili quidem conatu.

XXXIII. Eorum duo sunt ordines. Quidam corrigendam sumpserunt eam, quæ vulgo terebatur, Latinam editionem. Primus omnium Laurentius Valla, vir magno ingenio, pectore etiam heroico, Nouum Testamentū satis feliciter recognouit. Post eum lōgo annorum interuallo, Iacobus Faber Stapulensis, vir & modestiæ singularis, & eruditionis raræ, & pietatis non contemnendæ, vt illa quidem ferebant tempora. Ioannes Gagnæus Sorbonicus id ipsum Nouum Testamentum breuissimis scholijs illustrans, sæpe cum non satis facit vulgaris translatio, suo labore capita vertit integra: cuius tamen operis mihi nondum videre contigit nisi partem alteram, qua continentur Epistolę cum Apocalypsi.

XXXIV. Thomas de Vio Cardinalis Caietanus totam Veteris ac Noui Testamenti molem ex Hebręa & Gręca veritate nudo breuique sermone exposuit, exceptis Cantico Canticorum, & Prophetis, quos moriens inchoatos reliquit: Excepta etiam Apocalypsi, quam de industria attingere noluit, vir meo iudicio, quanuis Papista, tamen candidus, plurimumque distans ab ea pertinacia, quam in reliquis deplorare cogimur. Conradus Pellicanus Commentarijs suis inseruit vulgatam editionem, sed non incuriose emendatam. Vir doctus, & Caietanum eo superans, quod agnitam veritatem amplexus strenuam operam nauarit Papisticis erroribus confutandis.

XXXV. Augustinus Steuchus, magnus laudator vulgaris versionis, Veteris Testamenti ad veritatem Hebraicam Recognitionem pollicitus est: Vtrum absoluerit mihi nondum constat: edidit certè annotationes in Pentateuchum, quibus ille pręfigitur titulus. Hic quam tantopere laudat Latinam editionem, subinde tamen cogitur emendare.

XXXVI. Benedictus Arias Montanus in Apparatu primo ab Bibliorum editionem Antuerpiensem Philippi Regis Hispanię, Noui Testamenti veterem versionem ita Greco textui inseruit inter lineas, vt multis locis à Gręco discedentem, correxerit distincto charactere, altera communiorique lectione in marginem relegata.

XXXVII. Sequuntur alij, quibus consultius visum opus de integro ordiri & perficere. Augustinus Nebiensis in Corsica insula Episcopus, linguarum omnium (inquit Sixtus Senensis) quæ toto terrarum orbe dispersæ sunt, peritissimus, vtrumque Testamentum edidit linguis quinque in octo columnas distributis, quarum secundam suę tribuit versioni, respondenti Hebraico contextui de verbo ad verbum.

XXXVIII. Sanctes Pagninus Lucensis, cū animaduertisset Hieronymi versionē temporū iniuria & hominū incuria magna ex parte vel intercidisse vel fuisse corruptā, tentauit & ipse nouā aggredi totius Scripturę translationem, hortatu, impensisque Leonis decimi Romani Pontificis. Collatis igitur inter se multis, iisdemque probatissimis Hebręorum exemplaribus, quanta maxima valuit diligentia ac fide omne Vetus Testamentum ex Hebraica veritate, latinitati donauit: itemque Nouum iuxta gręcam fidem. Hanc Robertus Stephanus edidit anno decimiquinti seculi quinquagesimo septimo, ex manuscriptis authoris ab obseruationibus correctiorem. Arias Montanus autem in Apparatu, correxit multis locis.

XXXIX. Psalterium ex Hebraico Latine expresserunt teste Sixto Senensi, Fœlix quidam Pratensis Hetruscus anno Domini vigesimo post millesimum quingentesimum: & Rudolphus Agricola, qui ab eruditis summopere commendatur.

XL. Sebastianus Munsterus vertit etiam totum Vetus Testamentum, & annotationibus illustrauit. Sixtus Senensis hunc reprehendit tanquam in affectandis Iudaicis idiotismis durum, agrestem, barbarum, ac plane Iudęum. Non satis considerate, meo iudicio. Certe non est huic stylus durior, quam vulgatę versionis Latinę, multis etiam locis lenior: certe vbique sincerior. Arias Montanus Hebraicam barbariem multo magis affectauit.

XLI. Noluit etiam non aliquid conari Sebastianus Castalio: vtinam tam sincere, quam Latine. Dolebat illi, quod non satis Ciceroniane loquerentur Moses & Christus, Prophetę & Apostoli: itaque putauit succurrendum: seque plus reliquis prę̨stiturum sperauit, qui sinceritatem (quę hîc nunquam satis magna esse potest) magis consectati sunt quā sermonis lenocinia. Hinc accidit, vt magno conatu nihil prę̨stiterit admodum vtile Christianę reipublicę: vtinam etiam non noxium.

XLII. Tigurini Theologi nullas in tam pręclaro negotio suas esse partes noluerunt: itaque ediderunt anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto collatis operis virorum doctorum Leonis Iudę, Theodori Bibliandri, Petri Cholini, & Rodolphi Gualteri. Quorum primus cum morte sibi non immatura pręuentus Hebraicos libros non potuisset absoluere, Bibliandro reliquit Danielem, Iobum, Ecclesiastem, Canticum Canticorum, postrema

Ezechielis capita, & Psalmos quadraginta duos. Cholinus in Apocryphis laborauit, idemque cum Gualtero in Nouo Testamento.

XLIII. Immanuel Tremellius ex Iudæo Christianus, & Franciscus Iunius, viri doctissimi, ille socer, hic gener, operis in vnum collatis, totum Vetus Testamentum nobis ediderunt, Latinius quam alij plerique, sed sanctius quam Castellio. Cauerunt enim sedulo, ne vocabulis Ethnicismum redolentibus res sanctas prophanarent, illud denique enixi sunt, vt Moses Latinus Christianum orbem personet, idque eodem argumento: quo ciuium suorum, & gentium aures, dum vixit, personabat.

XLIV. In Nouo Testamento laborauit Erasmus Roterodamus, non inutiliter, cum vertendo, tum paraphrasi explicando; tum annotando. Vir magnus, vulgo Germaniæ Phœnix, sed maximis negotiis occupatus: variis etiam nimiumque mundanis cogitationibus distractus: vt mirum non sit, neque satis purum fuisse Theologum, neque in hoc ipso labore, alias quanto vtiliori, tanto maiori, satisfecisse aut suo nomini, aut Ecclesiæ vsui.

XLV. Sed Theodoro Bezæ palmam omnes tradunt in hoc negotio, Noui, inquam, Testamenti versione. Nec mirum. Viro & humanioris literaturæ peritissimo, & iam tot annos in Theologia versato, acerrimisque pugnis exercito; quique maximam sui temporis partem huc contulerit: sciscitatus etiā doctorum virorum iudicia, quibus, qua est modestia multum semper detulit. Itaque fœtum sæpius lambendo, ita perfecit, vt vix quicquam addi posse videatur.

Cap. II.

Status controuersiæ de Autoritate editionum.

I. Harum omnium editionum tres tantum veniunt in Controuersiam inter Catholicos & Papistas. Nimirum Hebraica Veteris, Græcaque Noui Testamenti: vtraque ἀρχέτυπος: Græca, qualiscunque exstat, quam Septuaginta Interpretum nomine adhuc venditant: & Latina vulgaris, quæ hodie passim teritur, à Papistis non priuatis tantum studiis, sed etiam publicis suæ religionis dicam? an superstitionis? exercitijs adhibetur.

II. Nam reliquæ, etsi non sunt fortasse inutiliores; tamen sunt ignobiliores minorisque momenti, certe minus in vsu. Nam, & Papistæ suæ vulgatæ penitus addicti, reliquas partim in medio relinquunt neque probatas, neque improbatas, vt quæ factæ sunt ab autoribus suæ communionis: partim omnino reprobant: eas nimirum, quarum autores veritati deferentes, eis molesti fuerunt ob superstitiones. Itaque in Indice librorum prohibitorum regula 3. cauet, *Versiones Noui Testamenti ab autoribus primæ classis huius Indicis factæ nemini concedantur, quia vtilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.*

III. Nos vero: etsi alias aliis plus minusve probemus: tamen non negamus confectas esse omnes priuato spiritu, quantum contendere potuit cuiusque & iudicij acumen, & linguarum peritia, & cum sinceritate diligentia: quantumque siue ingenio, siue acumini, siue diligentiæ benedixit summus ille pater luminum, à quo est omne donum perfectum, quique sua χαρίσματα distribuit varia imparique mensura. Itaque nulla est, siue nostrorum, siue aliorum hominum, cui vel nos ipsos, vel alios addicere velimus.

IV. Quæritur ergo, quanta sit, cum Hebraici Græcique contextus, tum vtriusque versionis autoritas in Ecclesia, quantumque valere debeat in iudicandis controuersiis. Nam in hoc capite, vt in alijs plurimis, à Catholicis dissentiunt Papistæ.

V. Catholici sic sentiunt. Solum Hebraicum contextum esse authenticum in Veteri Testamento, in Nouo Græcum: hoc est, ad fidem faciendam in rebus controuersis per se satis habere virium: eiusque autoritatem esse omni exceptione maiorem. Quod attinet ad versiones. Eas omnes, cuiuscunque sint aut temporis, aut nominis, aut dignitatis, quantalibet diligentia, sinceritate, doctrina factæ sint, eo tantum certas esse, quod cum primo contextu conueniant, quatenus, inquam eum sensum exprimunt, quem certo constat esse Hebraicorum & Græcorum vocabulorum. Quod si inde discedant vel tantillum, tum quem ille sensum reddunt, esse non diuinum; non authenticum, non Canonicum, sed mere humanum.

VI. Nec satis esse, vt nihil habeant impium, nihil contra fidem, & bonos mores: sed præterea opus esse, vt singulis locis eum exprimant sensum, qui singulis illis locis proprius est, & genuinus. Hoc est, vt verbis vtar Ioannis Driedonis, tom. 1. lib. 2. cap. 1. Translatio seu interpretatio verax ac recta, est ex vna lingua in aliam facta conuersio, cuius sensus à suo fonte, suaque originali lingua non deuiat, sed sententias reddit easdem & æquales, nec ampliores nec restrictiores: vt eam orationem, quæ in originali lingua est certa & vnica, vertat in aliam certam & vnicam; eam vero quæ ambigua est; varias salutares continens sententias, quæ videntur à mente diuini Spiritus non abhorrere, vertat similiter in orationem quæ eas complectatur.

VII. Denique, vt vno verbo expediam: credunt Catholici autoritatem contextus originalis esse summam, & ab ipso: Versiones autem omnes omnino, nulla prorsus excepta, pendere ab eo contextu: proprieque loquendo, autoritatem nullam habere suam: nisi forte probabilem, hoc est, quantam habere potest Translatoris fides, diligentia, & eruditio.

VIII. Sed Papistæ dissentientes agunt separatim de primo contextu, tum de versione Græca, denique de vulgata Latina interpretatione, quos sequuti nos etiam totidem controuersias separabimus, vt singulæ diligentius examinentur.

IX. De primitiuo contextu, non videntur omnes idem sentire. Nam æquissimi omnium videntur Ioannes Driedo, tom. 1. lib. 2. c 5. eiusque sententiam sequutus Andradius Defensionis Tridentinæ, lib. 4. Ille negat Sacras Hebræorum historias, Prophetarumque Scripturas, esse de industria vniuersaliter corruptas ac deprauatas, siue ante Christi aduentum, siue post illum, vsque ad diuum Hieronymum, siue post Hieronymum ad hæc vsque tempora: Negat eos impie agere, qui conferentes editionem Latinam cum origine suoque fonte, conantur indagare, si forsitan aut interpres non fuerit recte assequutus mentem authoris, aut ipsi possint ex Scriptura in suo fonte melius intelligere, quod scribitur obscure in Latina editione.

X. Andradius autem, valde ait inconsiderate à quibusdam fuisse existimatum Latinæ editioni plus esse fidei, quam Hebræis voluminibus habendum, ideo quod hæc fuerint perfidia Iudæorum corrupta, & adulterata, illa vero integra & incorrupta permanserit: & Sacrarum literarum integritatem aliunde quam ex interpretum, qui ex Hebræo illas conuerterunt diligentia petendam esse.

XI. Quinetiam, quod in Synodo Tridentina dictum est sessione quarta, Latinam versionem vulgatam esse authenticam, emollire conatur commoda interpretatione, quam se habere dicit ab Andrea Vega, qui ei Synodo interfuerat: vt nihil aliud significetur, *quam nullo eam defœdatam errore existere, ex quo perniciosum dogma aliquod in fide & moribus colligi possit.* Quæ quidem laus etsi non sit vera (vt alias dicemus) tamen nihil habet eximium, tribuique potest aut Pagnino, aut Augustino Nebiensi, aut alijs, quorum tamen labores non alio loco habentur, quam quo solent doctorum virorum lucubrationes.

XII. Sed alij multo sunt iniquiores. Canus libro 2. c. 13. negat in fidei ac morum disputatione, esse nunc temporis ad Hebraica Græcave exemplaria prouocandum, aut ex iis certam controuersiarum fidem faciendam: negat etiam, in his quæ ad fidem & mores pertinent, esse Latina exemplaria, per Hebraica vel Græca corrigenda: denique asserit Hebræorum Doctores, multo studio contendisse textum Hebraicum corrumpere, vt Vetus Testamentum nostris exemplaribus facerent esse contrarium. Stapletonus in Relectione Principiorum fidei Doctrinalium, Controu. 5. quæst. 3. art. 1. hanc sententiam iactat orthodoxam, *quod Hebraici contextus, vt simpliciter nunc in Bibliis habetur, nulla hodie est certitudo.*

XIII. Bellarminus nouus arbiter, mediam quasi viam tenere voluit. Neque enim ausus est pronunciare Scripturas à Iudæis esse corruptas: imo iis occurrendum censuit, qui zelo quidem bono (inquit) sed non secundum scientiam, id est, (vt ego interpretor) magis odio nostri, quam quod ita esse pro comperto haberent, id asserebant. Vicissim tamen hæreticos huius temporis (sic enim appellat) insectatur, qui nimium tribuunt editioni Hebraicæ, nimiam huic fonti puritatem adscribentes, omniaque examinari, & emendari ad Hebræum textum iubentes. Et similiter postea differit de Nouo Testamento. Gretsero vtrum fuerit idem sensus cum Bellarmino non facile dixerim. Sed ille sane longe durius fontes Scripturæ tractat. Negat præferri aut à se, aut à Patribus vulgatam editionem fontibus, si consentiant: sed tantum æquari. *Sufficit exæquatio*, inquit, *non postulatur prælatio*. Sed in dogmatis fidei & morum, sicubi sit discrepantia, tum vero intrepide vulgatam præfert editionem, negatque vllum haberi Ecclesiæ decretum, quo constet fontes prout hodie extant, nusquam à mente Spiritus Sancti deuiare. Locus est cap. 10. lib. 2. tom. 1. Apologiæ.

XIV. Esto igitur huius controuersiæ hic status. An summa sit autoritas librorum Veteris & Noui Testamenti Hebraice & Græce editorum. Hoc nos asseramus, negent autem Canus, Stapletonus, Bellarminus, Salmero tom. 1. prolegom. 4.

Cap. III.

An editio sit antiquissima Hebræa Veteris, & Græca Noui.

I. Nostram sententiam sic probamus. Quicquid est in Religione antiquissimum, id est maxime authenticum. At editiones Hebraica Veteris, & Græca Noui Testamenti, sunt in vera Religione antiquissimæ. Ergo eædem sunt maxime authenticæ.

II. Maior, etsi est per se satis manifesta, tamen probatur, primo ex ca. 19. Matthæi. Nam Christus volens errorem corrigere Iudæorum in dimittendis vxoribus dixit, *Ab initio non erat sic:* quasi diceret, iis potius standum quæ ab initio instituta sunt. Deinde ex multis Patribus, qui antiquitatem veritati, posteritatem mendacio deputarunt. Tertio ex ipsa Papistarum confessione, qui Antiquitatem volunt esse notam Ecclesiæ.

III. Minor autem probatur primo ex tempore. Nam in Ecclesia nihil omnino habetur, cuius tanta sit antiquitas, quanta est Hebraici contextus, qui longe ante Christum natum propositus est, & Græci, qui paucis annis post eundem mortuum. Denique constat ab initio Ecclesiæ Iudaicę constitutę editos esse libros Mosis Hebraice. Ab initio etiam Ecclesiæ Christianæ per totum orbem dispersæ, edita esse Euangelistarum & Apostolorum scripta. Aut igitur in Ecclesia nihil est antiquum, aut has editiones fatendum est esse antiquissimas.

IV. Secundo probatur, quia non loquimur de iis editionibus simpliciter & absolute secundum se: sed comparate cum versionibus. At communis sensus ipse ferre non potest, vt neget aliquis contextum originalem esse antiquiorem versione sua, aut πρωτότυπον τῦ ἐκτύπυ, exemplar imagine, causam suo effecto. Quemadmodum igitur necesse est fateri libros Aristotelis Græce scriptos fuisse, antequam eos Boethius Latine verteret, & Orationes Demosthenis, antequam eos Cicero Romana ciuitate donaret: sic insanus sit, qui libros Sacros neget Hebraice exstitisse, longe antequam aut à Septuaginta transferrentur in Græcum eloquium, aut ab Hieronymo Latinis communicarentur.

V. Huic argumento ij se opponent fortasse, quos Bellarminus obseruauit, asserentes Scripturam Sacram vniuersam perijsse tempore captiuitatis Babylonicæ, quando ciuitas euersa, & templum incensum fuit, ac deinde ab Esdra fuisse rursum reparatam Spiritu Sancto suggerente, & dictante omnia, sicut ante fuerant: Basilium authorem citantes in Epistola ad Chilonem. *Hic campus in quo secessu facto, Esdras omnes diuinos libros ex mandato Dei eructauit,* ἐν τούτῳ τῷ πεδίῳ ἐν ᾧ ἀναχωρήσας Ἔσδρας πάσας τὰς θεοπνεύστους βίβλους προστάγματι Θεοῦ ἐξηρεύξατο. Sed & Esdræ librum quartum, ca. 4. vbi Esdras inducitur loquens ad Dominum, *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si enim inueni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, & scribam omne quod factum est in seculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta.* Tum illi respondens Dominus pollicetur se id effecturum. Hi ergo negabunt Syllogismi minorem, saltem quod attinet ad Vetus Testamentum.

VI. Respondeo, primo hac instantia nihil promoueri: Etsi enim concederetur, tamen non sequeretur eam ipsam editionē non esse authenticam. Tū, quia conceditur restituta auctore Spiritu Sancto: à quo pendet quicquid Scriptura authoritatis habet: quemadmodum ea, quæ sunt ab ipso Esdra re-

licta Ecclesiæ, non minus authentica sunt quam reliqua omnia. Nimirum, quia ne Moses quidem ipse suis libris dignitatem tribuit, sed is ex cuius præcepto Moses legem suam dabat.

VII. Tum, quia non noui libri dicuntur esse facti, sed restituti iidem qui prius erant. Erit igitur quasi iterata editio. Quemadmodum autem tanta erat auctoritas Bibliorum, quæ à Regibus posterioribus describebantur, quanta erat eorum quæ à Dauide, vt hunc, exempli gratia, nominem, quia solis characteribus differebant, cum res esset eadem, imo vero non tam characteribus, quam ipso codicis corpore. Et sicut non minor est auctoritas Bibliorum Antuerpiensium editorum ab Aria Montano, quam Complutensium à Francisco Ximenio Cardinali: sic non potest inferior esse Esdræ editio editione priori. Quia ad rem ipsam nihil interest, descriptane sit ex codice; an deprompta ex memoria.

VIII. Tertio non possent illi aut præferri, aut æquari Versiones de quibus agimus, quarum vtraque desumpta est ab editione illa quæ fuit post Esdram; non autem ab aliqua, quæ Esdram præcessisset. Itaque, etiamsi concederetur instantia, tamen sua vis argumento maneret integra.

IX. At ea fabula est; non autem historia: meritoque impugnatur à Bellarmino; & à nostro Whitakero. Sed & à Mariano Victorio in scholiis ad Hieronymi prologum Galeatum. Incensam quidem vna cum templo Veterem Scripturam, nemo neget: sed ita incensam, vt nulli codices reperirentur, abest à verisimili. Neque enim quemadmodum arca fœderis erat omnino vnica, vnde prorsus eo incendio periit, sic vnicus tantum erat Veteris Testamenti codex: sed plurimi per singulas domos. Nam Arias Montanus præfatione in varias lectiones Hebraicorum librorum testatur plura exemplaria fuisse iussu Regis Iosię, Sacerdotum & Scribarum procuratione descripta, & omni populo tradita.

X. Quomodo igitur fit verisimile omnes omnino codices periisse: nullumque omnino remansisse? Ne apud Prophetas quidem Ezechielem, Hieremiam, Aggæum, Zachariam, Esdram ipsum? Enimuero apud Danielem fuisse, facile colligimus, ex eius cap. 9. *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam Prophetam.* Habebat igitur saltem Hieremiæ prophetiam Daniel: sed & reliquos. Nam si vnicum, proculdubio non dixisset in libris, sed in libro. Non perierant igitur incendio vrbis. Nam Daniel notat annum primum Darij, cum hos haberet libros.

XI. Quid? quod in captiuitatem multi abierant ante templum incensum annis decem? Quis credat verisimile neminem horum secum sua Biblia abstulisse inter κειμήλια? Quid, quod etiam post id incendium multi remanserunt in Iudæa? An ne horum quidem vllum ea conseruasse credibile est?

XII. Et vt omnia omittam: Nehemiæ 8. cum populus in plateam conuenisset audiendæ legis gratia, *dixerunt Esdræ Scribæ, vt afferret librum legis Moysi.* Allatum ille perlegit. Quæ verba eiusmodi sunt, vt non codicem quędam significent nuper recens compositum, & quasi cœlo delapsum, sed cui pridem populus erat assuetus.

XIII. Ad testes contra citatos respondeo, primo, Esdræ quartum non esse Canonicum, sed fabulosum; vt obseruauit Bellarminus. Basilium autem, meo saltem iudicio, nihil huiusmodi indicare. Nam τὸ πεδίον intelligo בחרה, quod Septuaginta verterunt τὸ πλάτος, plateam quæ erat ante portam aquarum, quo populus conuenisse dicitur ad audiendam legem ab ore Ezræ. Itaq; existimo Basilium alludere ad cap. 8. Nehemiæ. Et illud ἐξηρεύξατο, cur non lectionem significet?

XIV. Scio in alteram partem testimonia proferri, Clementis Alexandrini lib. 1. Stromateon: Tertulliani de Habitu muliebri c. 3. Irenęi lib. 3. c. 5. Isidori Etymologiarum libri 6. c. 1. Sed hos Bellarminus ipse negat id aperte docere. Ego potius, non satis considerate fabulis nimium tritis nimiam fidem adhibuisse. Nam aperte asserere, non tam parum mihi Iesuitica suspecta est confidentia, vt ausim cum iis negare. Esdram vero legis instauratorē ab Hieronymo appellari potuisse puto, aliam ob causam, siue, quia legem coram populo legerit primus post reditum è captiuitate: siue, quia codices nouos, eosque authenticos confecerit: inuentis etiam nouis characteribus, quæ fortasse causa fuit, vel occasio potius eius fabulæ diuulgandæ.

CAP. IV.

An editio ἀρχέτυπος sit θεόπνευστος.

I. QVicquid est θεόπνευστον, est in Ecclesia authenticum. At Textus Veteris Testamēti Hebraicus, Noui Græcus, est θεόπνευστος. Ergo is quoque est in Ecclesia authenticus.

II. Maior apud omnes pios per se satis est certa. Sed & probatur his locis. Deuter. 12. *Facies quæcunque præcipio tibi.* Et 24. *Facies quæcunq; docuerint te Sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi iis, & imple sollicite.* Num. 14. *Cur transgredimini Verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum:* Deut. 11. *Ponite hæc verba in cordibus, & in animis vestris: & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vt illa meditentur, quando sederis in domo tua: & ambulaueris in via: & accubueris, atq; surrexeris. Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ.*

III. Est autem eadem ratio etiam Noui Testamenti: cuius summam auctoritatem in Ecclesia quis nescit fuisse? Ioann. 14. *Si quis diliget me, sermonē meum seruabit. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Et 15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petite: & fiet vobis.* Rursus, *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque ego mando vobis.* Possent alia multa colligi, si in re perspicua necessariæ essent prolixiores demonstrationes.

IV. Iam, ne minor quidem probatione egeret, saltem inter Christianos. Si quis tamen quærat, frequentissima sunt Testamenti vtriusque testimonia. Petrus posterioris Epistolæ cap. 1. ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, *Acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* At loquuti sunt illi quidem Hebraice: quare contextus Hebraicus est à Deo inspiratus. Paulus ad Rom. Iudæis testatur credita esse τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, oracula Dei: At non fuerunt credita, nisi Hebraice. Ergo, ij libri tumcum erant tantum Hebraice scripti, erant eloquia, erant oracula Dei: proindeque inspirati diuinitus.

V. Eodem refer hos locos Deuter. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius: loqueturque ad eos omnia, quæ percepero illi:* Qui locus, etsi peculiariter Christo applicetur, tamen extenditur etiam ad omnes Prophetas. Vnde sunt similes phrases in Prophetis, Esaię 51. *Posui verba mea in ore tuo.* Hiere. 1. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit, Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Ezech. 2. *Loqueris verba mea ad eos.* Et 3. *Fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.* Quę igitur verba Prophetę loquuti sunt, erant à Deo. Erant autem Hebraica, vt constat.

VI. Et ne quis id putet referendum duntaxat ad viuā vocem, hi loci probant pertinere ad scripta. Iere. 20. *Hæc dicit Dominus Deus Israel, dicens, Scribe tibi omnia verba, quæ loquutus sum ad te in libro.* Et 36. *Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba quæ loquutus sum tibi aduersus Israel, & Iudam, & aduersum omnes gentes, à die qua loquutus sum ad te, ex diebus Iosiæ vsq; ad diem hanc.* Exod. 24. *Scripsit autem Moses vniuersos sermones Domini.*

VII. Nec Noui Testamenti ratio alia, de quo illustrem habemus prophetiam Esaiæ 59. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, nō recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, à modo vsq; in sempiternum.* Vbi manifestum est Noui Testamenti doctrinam appellari, verba Dei: Erant autem ea primum Græca. Ergo verba illa Græca sunt verba Dei, id est, θεόπνευστα, quidni igitur αὐθεντικά?

VIII. Act. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, cœperuntq; loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat eis loqui.* Hinc constat Apostolos authore Spiritu Sācto loquutos esse varijs linguis. Inter has autem erat lingua Græca. Ergo cōcludimus, cum Apostoli Græce loquerentur τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ id eos fecisse ex inspiratione diuina. Quare linguam Græcam Noui Testamenti esse θεόπνευστον, ac proinde authenticam.

IX. Stapletonus respondet, textum Hebraicum tenendum esse pro textu verbi Dei, in quantum purus est & incorruptus, id est, quoad consonantes ipsas sine punctis, sicut Synagoga cum floreret, textum habuit, quem partim ex vsu loquendi, partim ex doctrina maiorum aduoculabant; teste Hieronymo in Epistola ad Euagrium: Vt etiā hodie Rabbinorum commentarij sine punctis leguntur: & in Synagogis volumen legis. Nunc autem, quia adiunctis punctis quasi determinatur ipse textus: idque à Christi hostibus, qui vel aliter legerunt quam Septuaginta interpretes, vel ab illorum in Græcum versione, prauo animo & studio recesserunt, propterea non mereri tantam fidem.

X. Hæc eo tendunt omnia; vt distinguatur textus in eum, qui constat solis consonantibus; & eum cui addita sunt puncta. De primo concedit totum argumentum Stapletonus. De secundo negat assumptionem, id est, eum textum (qui hodie habetur) determinatum (vt ipse loquitur) à vocalibus esse authenticum. Ratio est, quia vocales additæ sunt à Iudæis multis annis post Hieronymum. Iudæos autem hostes veritatis hac sua additione multis locis textum corrupisse, Itaque non esse authenticum.

XI. Sed hæc non sufficiunt refutando argumento. Primo, responsio est tantum de editione Hebraica: at inter nos controuersia est etiam de textu Græco Noui Testamenti. Itaque saltem pars altera & controuersiæ & argumenti manet intacta: editioque Græca Noui Testamenti oppugnari non potest hoc argumento, quin sit authentica: vnde sequitur Latinam versionem ab ea discrepantem non esse eiusdem auctoritatis.

XII. Secundo in textu etiam Hebræo, ij tantum codices oppugnantur, qui habent adiuncta puncta. At extant etiamnum alij, è quibus omnia puncta sunt detracta; & leguntur à doctis facillime. Ergo hæc saltem eorum codicum editio, erit per Stapletonum quidem anthentica. Illud etiam volumen legis quod apud Iudæos est in vsu, teste ipso Stapletono, & ante eum Sixto Senensi.

XIII. Tertio puncta esse addita à Iudæis post Hieronymum, non est verisimile. Sixtus Senensis lib. 3. huius sententiæ autorem facit Iacobum Christopolitanum in præfatione Psalmorum, qui vixit sub finem seculi decimi quinti: proinde recentior, quam vt ei simpliciter affirmanti in re tanta fides habeatur. Idem Senensis obseruat Eliam Leuitam asserere hanc vocaliū additionem factam esse anno post vltimam vrbis euersionem quadringentesimo trigesimo sexto. Quod Sixto tamen non admodum probatur.

XIV. Iunius vir, in his rebus, magnus, ad Bellarmini cap. 2. lib. 2. annot. tradit verum quidem esse Biblia particularia ferè omnia punctis caruisse: non tamen publica atq; authentica, quæ in Synagogis erant: illud difficultate factum esse: hoc vero religionis necessitate. De qua tamen distinctione, quid dicam non habeo: ac ne ille quidem plura, aut exposuit, aut indicauit. Tantum moneo scripsisse Hieronymum Epist. 126. *Nec refert vtrum Salem, aut Salim nominetur: cum vocalibus in medio literis perraro vtantur Hebræi: & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum diuersis sonis atq; accentibus proferantur,* Vbi vides non omnino negari vocales, sed duntaxat rarum vsum indicari: qui quidem obtinet etiam nunc apud eos homines. Vnde potest Iunij sententia firmari.

XV. Sed dico vocales nominari dupliciter, vel pro ipso sono, vel pro eius soni figura. quæ duo differre inter se non est pluribus docendum: cum ipsa constet experientia: quia cum idem sit vocalium sonus ferme apud omnes, tamen varia est pictura, Hebræorum, Syrorum, Græcorum & Latinorum. Ego de pictura nolim sane contendere, dum, quid certius in alterutram partem aut ipse inuenero, aut alii indicauerint. Cum hactenus viderim magnos viros dissentientes. Nam Martinus Nauarrus stat ab Eliæ sententia: quā impugnant Antonius Rudolphus Ceualerius: & Buxtorfius viri doctissimi. Possum igitur concedere olim fuisse codices absque punctis, hoc est, absque vocalium pictura. Sed quid hoc ad rem, si, cum legerentur, siue sono esse non poterant? Nam certe consonantium absque vocalibus vsus nullus. Itaq; etiam ab initio necesse vocales certas singulis vocibus, imo singulis syllabis esse affectas: vt eius scriptionis vsus esset aliquis.

XVI. Fuerintne aliæ ab iis, quas hodie in vsu esse videmus, controuersia est. Et qui asserunt, indicia quædam colligunt, siue coniecturas satis tenues. Vt quod Gen. 47. מטה quidam legerunt Mittah & lectulum sunt interpretati, in quibus est Hieronymus. Alij Matteh, & baculum appellarunt: & sic Septuaginta ῥάβδου dixerunt. Sic Genes. 36. ימים, alij Iemim legunt & mulos interpretantur: alij vero Iammim & aquas calidas intelligunt. Ridiculum autem exemplum adducit Senensis Rabbinorum, Saulis peccatum in conseruando Amalec, excusantium ex amphibolia vocis זכר, quæ si legatur Zacar masculum significat; memoriam vero, si Zeker. Quasi vero Samuel cum

Sauli significauit præceptum Domini, ablegauerit eum ad legẽdum scriptum aliquid, & non potius ipse viua voce exposuerit quid ab eo Deus fieri vellet: & quidem non vtens ea voce omnino, sed his והמתה מאיש עד אושה *& interficies à viro vsque ad mulierem.* Samuelis 1. cap. 15. Hæc igitur colligunt, & alia nonnulla.

XVII. At ea non concludunt: primo, quia non valde multa sunt, sed admodum pauca: non est vero æquum, vt ex paucis de toto corpore fiat iudiciũ. Deinde, quia ne in iis quidem linguis quæ constant vocalibus scriptis ęque ac consonantibus, vitari possunt variæ lectiones natæ ex vicinitate vocum. Exempli gratia. Iudith c. 9. Græce legimus ἐκ χειλέων ἀπάτης, & tamen editio Latina habet, *ex labiis charitatis*: vnde vident omnes, legisse interpretem ἀγάπης pro ἀπάτης. Et c. 10. *myrtum* legit Latinus, Græce autem est μύρον. Sic ad Rom. 12. alii τῷ κυρίῳ δουλεύοντες legunt, Seruientes Domino, vt reddidit Latinus interpres, alii vero pro Κυρίῳ habent καιρῷ tempori. Quis non sit insanus si concludat, ob istas obseruatiunculas ab initio vocalibus caruisse primam editionem Noui Testamenti?

XVIII. Sed nos contra tum plurima habemus experimenta: tum rationem. Et rationem quidem ab Analogia Grammatica; quæ maximam partem huius negotii regit. Nam, quemadmodum hodie Rabbinorum commentarios non difficile est legere, & singulis syllabis suas vocales tribuere, iis saltem quibus exacte cognita est eius linguæ analogia: quidni etiã dicamus Hebræo textui idem conuenire? Quod si est, tum oportuit eos Grammaticam totam innouare, qui totum ipsum contextum violare volent mutatis vocalibus: etsi pauculis verbis, quorum propria est & particularis ratio, id fieri fortasse potuerit. Grammaticam autem vniuersam innouari nõ posse in lingua iam pridem vsitata, imo etiam libris commendata, quorum sensus plerunque pendet à totius orationis filo, facile pronunciabunt docti iidemque sinceri.

XIX. Sed experimenta sunt luculentissima. Incipiam autem ordine retrogrado à recentioribus, quæ paulo præcesserunt ea tempora, quæ siue ab Elia Leuita, siue à Iacobo Christopolitano assignantur huic tantæ, tamque impiæ mutationi. Nam impiam fuisse, si qua fuit, omnino negari non potest. Sed si annis, imo seculis præcedentibus id tempus, inuenimus easdem vocales iisdem vocibus attributas, quas hodie legimus, eritne aliquis adhuc tergiuersandi locus?

XX. Epiphanius vixit Hieronymi seculo. In eius operibus nonnulla legimus Hebraica nomina, quorum quædam prorsus easdem habent vocales, quædam nonnihil variant. In Pharisæis, nomina recensent stellarum, τὰ Ἑλληνικὰ ὀνόματα (inquit) τὰ ἐκ τῆς τῶν πεπλανημένων ἀστρονομίας, κατὰ τὴν Ἑβραΐδα διάλεκτον ἑτέροις ὀνόμασι παρ' αὐτοῖς μετωνόμασαι, *Græca nomina astronomiæ, apud eos mutata sunt in Hebraicam linguam.* Tum subiungit enumerationem, ἥλιος ἢ χαμαί ἤπμες, σελήνη ἱερεχαιαλβανά. Sic enim in impressis codicibus, sed vitiose. sunt enim tres voces in vnam bis confusę. Legendum ἥμα καὶ σεμες. ἱερεχ καὶ λεβανά. Significat, & Soli & Lunæ duplex fuisse nomen. Soli quidem חמה & שמש, Lunæ vero ירח & לבנה. E quibus primum paulo aliter legitur non ἥμα, id est, חמה, sed חמה, Iob 30. Reliqua sunt pure Hebraica, & leguntur Ioel 2. Psalmo 8. Esaiæ 24. atque alibi sæpe. Nisi quod in ירח propter gutturalem fit patach, quod Epiphanius expressit per ε. Sed idem rursus & ταῦρον, σὼρ & παρθένον βεθουλά, & ζυγὸν μωζαίν appellari notat.

XXI. Rursus idem in Nicolaitis versum integrum è 28. recitat similiter, vt nunc legimus, nisi corruptus esset codex. Irridet autem hæreticos, qui καυλαυκαυχ vocem desumptam ex Esaia, quasi mysticam iactarent, suisq; fabulis aptarent. Obseruat igitur vocem eam in Esaia esse visione duodecima: tũ pollicitus αὐτοῖς τὰ Ἑβραϊκὰ ῥήματα πληρέστατα παραθήσεσθαι ipsa Hebraica vocabula perfecta appositurum. τὸ γὰρ (inquit) σαυλὰ σαυλαυσαῦ, (scribe σαυλαυσαυ, σαυλαυσαῦ) ἑρμηνεύεται θλίψις ἐπὶ θλῖψιν, καυλαυκαυχ, καυλαυκακ, (scribe καυλαυκαυ καυλαυκαυ) ἐλπὶς ἐπ' ἐλπίδι, ζηιρσαὶμ ζηιρσαὶμ, ἔτι μικρὸν ἔτι μικρὸν προσδέχου, Nunc autem prorsus ita legimus Esaiæ 28. זעיר שם זעור שם. צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו, Nisi quod pro Lacau legit laucau, & pro zeerzier, quorum tamen prius non potest tribui vlli punctorum vocalium mutationi: alterum excusatur, quod zeer Hebraice non habet duas vocales: nam scheua non est litera; sed indicium consonantis quæ caret vocali.

XXII. Quid de Hieronymo dicam? Certe is in prologo Galeato librorũ Canonicorum Hebræa nomina characteribus exprimit Latinis, Bereschith Elle semoth, Vaiikra, Vaidabber, Elle haddebarim, Thora Soptim, Misle, Coheleth, Sir asirim, Dibrehaiamim. In quibus quid immutatum dicet Stapletonus? Idem Epistola 125. quæ est ad Damasum, ex 4. Genes. hunc versum, ויאמר לו יהוה לכן כל הורג קין שבעתים יקם his Latinis characteribus exprimit, *Vaiomer lo adonai lachen col horeg Cain Siuhathaim Iukam*, quomodo hodie legimus, ne immutata quidem literula. Et rursus eiusdem Epistolæ 2. qu. versum hunc, המשים עלו בני ישראל מארץ מצרים ex decimo tertio Exodi, reddit in hũc sonum, *Vahamisim alubene Israel meerez Misraim.* Et דור חמשי *Dor hamisi.* Et רעים pro pastoribus *Roim*, pro amatoribus *Reim*, quæ analogia etiam hodie durat. Epistola 126. ex Genes. 14. *Vmalchisedec melech Salem hozilechem vajajm vehu cohen leel elion vaje barchehu vajomar, baruch Abrã leel elion kone Samain vaarez, vbaruchel elion escher migen zadecho bejadecho, vaiiten lo maeser michol.* In quibus nihil est quod admodum distet ab hodierna punctatione; & forte potius librariorum vitio.

XXIII. Vtinam exstarent Origenis Hexapla & Octapla: Tum sciremus, quomodo Hebraicas voces pronunciauerit. Nunc coniicimus ex eo fragmento quod exstat apud Eusebium libro 6. de enumeratione librorum Canonicorum. Vbi & βρησιθ, & οὐελλε σμωθ & οὐικρά, & ἀμμισφεκωδείμ, & πεκουδίμ, & ἐλλε ἀδδεβαρίμ & ἰωσοῦε βεν νοῦν, & σωφτίμ & οὐαμμέλεχ δαβίδ, & σφὰρ θιλλίμ, & alia legimus eadem analogia, quam seruamus etiam hodie.

XXIV. Deniq; in Nouo Testamento, nonne habemus Halleluja Apocalypseos 19. & Hosanna Matthæi 21. Marci vndecimo, Joannis 12. Et Amen Joannis 1. atque alibi sæpissime? At has voces legimus totidem sonis, id est, vocalibus in Veteri Testamento. Primam Psalmo 105. 106. 107. atque alias. Secunda paululum quidẽ deflexa est ab ea quæ legitur Psalmo 118. הושיעה-נא Hosiah-na, sed tamen Grammatica analogia ferre potest הושע-נא. Nam & Hieremiæ 31. הושע legitur.

XXV. Porro illud antiquum interrogo, Cui bono: Nam si vocales mutando corruperunt Judæi Scripturam Sacram; tum profecto id fecerint suo aliquo magno commodo; puta in odium Christianorum. At proferat nobis siue Stapletonus, siue alius aliquis, vel vnicum è Scriptura locum, vbi sola vocalium mutatio aliquid detrahat de dignitate mysteriorum Christianorum. Imo norunt omnes locum ex Esaiæ 7. *Virgo concipiet*, illis fuisse constantissime obiectum ab initio: & tamen reliquerunt intactum? Pronunciamus enim hodie Halma, vt puncta ostendunt, quomodo etiam Hieronymus pronunciabat lib. 1. contra Iouinianum; vt & Bethula, non minus quam nos.

XXVI. Denique quantum illud futurum est miraculum, si post eam vocalium mutationem, post tantam (inquam) corruptionem, tamen eadem remansisset significatio quæ prius erat? Imo vero, quis corrupta posset ea scripta dicere, quæ tamen non discesserunt à prima significatione? Non enim discessisse ipso facto constat. Exempli gratia, Hieronymus Psalmos transtulit, multo aliter, quam Septuaginta Interpretes: multo etiam aliter, quã habeat vulgata editio Latina. Et tamen multo exactius ad Hebraicum contextum, eum ipsum quem hodie additis punctis legimus. Mirum vero, si diuinare potuit, quomodo Iudæi Psalmos mutatis vocalibus erant corrupturi. Sed nimirum hæc siue fabula est, siue historia, est tamen mera Stapletoni calumnia, non legitima ad argumentum nostrum exceptio.

CAP. V.

Editioni primæ nihil addendum, ab eaque nihil auferendum.

I. QVæcunque Bibliorum editio eiusmodi est, vt ei nihil addi debeat, nihil detrahi, ea est authentica. At Bibliorum editio prima, id est, Veteris Testamenti Hebraica, & Noui Græca, eiusmodi est vt ei nihil addi, debeat nihil detrahi.] Ergo Veteris Testamenti editio Hebraica, & Noui Græca est authentica. Maior propositio per se patet.

II. Minor autem probatur ex Scriptura. Nam de Veteri Testamento legimus Deuter. 4. *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Et 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquã nec minuas.* Hæc de prima legis editione dicebantur, cum exstaret tantum Hebraica. Longe autem post, cum multiplicati quidem essent libri Canonici, necdũ tamen aliis linguis communicati, Salomon ita pronunciauit Prouerb. 30. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est omnibus sperantibus in se. Ne addas verbis illius & arguaris, inueniarisque mendax.*

III. In Nouo Testamento, cum primum edita est Apocalypsis Ioannis, statim sancita est prohibitio addendi & detrahendi. c. 22. *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.* Nemo autem negat primo editam fuisse Gręca lingua. Ergo saltem Apocalypsis constat Græcam editionem esse authenticam. Sed & reliquorum librorum nemo ostendet esse diuersam rationem.

IV. Idem probatur alio argumento, quo Whitakerus vsus est. Quæ editio ante Christum Veteris Testamenti, & post Christum Veteris & Noui, fuit authentica, eadem quoque nobis esse debet authentica. At Hebraica editio Veteris Testamenti, & Græca Noui tum temporis erat authentica. Ergo nunc quoque nobis esse debet authentica.

V. Maior probatur, quia si esset falsa, alterutrum è duobus necesse esset fateri: Vel errasse eos omnes qui primis Ecclesiæ temporibus, primam illam editionem habebant pro authentica: vel ipsam editionem amisisse pristinam suam autoritatem. At prius nemo audeat dicere. Non tantum enim errasse dicerentur ipsi de plebe Iudæi, qui tamen erant Ecclesia: sed etiam summi Pontifices, quod Papistæ nollent concedi. Quinetiam Prophetæ, puta, Daniel, Esdras reliqui: Imo vero ipsi singulorum librorum authores, qui ea tantũ lingua scribebant: nec scribebant, nisi in eum finem, vt qui acciperent, haberent pro sacris.

VI. Altero autem, possetne fieri quicquam absurdius. Nulla enim causa fingi potest, saltem verisimilis. Nec fides Christiana mutatur in singulas ætates: & nunquam vel fando auditum est, vt quod ab initio fuit dogma fidei sanctum & verum, postea ita mutaretur, vt pro communi haberetur & prophano. Nunquam liber aliquis semel in Canonem legitime assumptus, expunctus est. Quin etiam nonne apud Esaiam verba illa Domini, quæ pertinebant ad Nouum Testamentum, dicuntur permansura in sempiternum?

VII. Quid? si ab eis quæram, quod illi à nobis solent, cum Papam dicimus desiisse esse verum Episcopum & legitimum, ac degenerasse in Antichristum? Postulant sibi indicari annum, aut mensem, aut etiam diem: nominari testes: & reliqua nescio quæ curiose conquisita. Quid igitur, si quæram similiter, vt nobis designent non diem, non mensem, non annum, sed seculũ; quo desierit Hebraica & Græcæ editio haberi pro authentica? Quid si petam addi testes? Concilium aliquod, siue Oecumenicum, quod in primis oportebat, siue saltem particulare. Et si id non possunt, saltem consentientium patrum plurium assertionem. Aut si id etiam nimis graue sit, saltem paucos aliquos? Non est enim æquum, vt illi sua nobis effata proferant pro oraculis; & quidem in re tanti momenti.

VIII. Iam assumptio non est probatu difficilis. Nam ante Christum Hebraicam editionem fuisse authenticam, nec quisquam est qui neget, opinor. Et hinc apparet. Iosue 1. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Et 23. *Estote solliciti vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi, Et non declinetis ab iis neq; ad dextram, neque ad sinistram.* Ergo iam tum temporibus Iosue, authenticam fuisse Hebraicam editionem legis Mosaicæ constat.

IX. Rursus multis post Iosue annis, Rex pius Iosias inuentum librum legis, & ipse legit, ac doluit fuisse quasi sepultum; Et proposuit vniuerso populo: fœdusq; fecit coram Deo, vt *custodirent præcepta eius, & suscitarent verba fœderis eius, quæ scripta erant in libro illo.* Secundi Regum capite 22. & 23. Rursus ergo tempore Iosiæ fuit editio legis authentica Hebraico idiomate. Similiter tempore Nehemiæ eandem legem Esdras populo proposuit. Quare etiam tum erat editio authentica: Et quidem (si nonnullis credimus) tum recens restituta; formatis etiam nouis characteribus: quod postea nunquam accidit. Atque hanc Genebrardus quartam notat Iudæorum Synodum, eamque magnam, in qua primo editus sit Canon Veteris Testamenti: quod sane fieri non potuit, nisi aliqua constaret editio authentica. Quod idem

verum est in sexta Synodo, sic enim idem appellat, cum versio facta est in Græcam linguam: & in septima tempore Ioannis Hircani, Simeonis filij, annis ante Christum centum triginta quinque.

X. Post Christum, probatur primo ex enumeratione Canonicorum librorum. Certe Origenes apud Eusebium historiæ lib. 6. c. 25. ita Veteris Testamenti libros enumerat, vt eorum addat nomina Hebraica. Omnes autem Græci proculdubio, cum Noui Testamenti libros enumerant, Græcam editionem laudant: non enim Latinam, quam non nouerant.

XI. Deinde probatur ex editionibus & versionibus. Nam qui ex Hebræo vertebant in Græcum, primi omnium Septuaginta, exemplaria habebant authentica, eaque exprimere conabantur, missa Hierosolymis à summo Sacerdote. Similiter posteriores Theodotion, Aquila, Symmachus, eo ipso quod non contenti editione Septuaginta, ipsi manum operi admouerunt, ostenderunt haberi suis temporibus authentica volumina Hebraice. Ne aliud de Hieronymo iudicium. Quod quidem à seipsis possunt hodie Papistæ coniicere. Nam, quia Latinam editionem vulgatam habent pro authentica, ideo si Biblia transferunt, eius exemplaria præ oculis habent; non vero Hebraica, aut Græca. Sic Hieronymus Leopolitanus Polonice: Ioannes Dietemberg icus Teutonice: Ioannes Eckius Germanice: Louanienses Gallice, & Anglice. Itaque certum est argumentum.

Cap. VI.

Ex prima editione reliquæ omnes iudicantur.

I. QVæcunque Bibliorum editio eiusmodi est, vt ad eam reliquæ omnes comparatæ, iudicentur, & corrigantur, siue addendo, siue auferendo, siue mutando, ea est authentica. At Veteris Testamenti editio Hebræa: & Noui Græca, eiusmodi est. Ergo est authentica. Maior per se patet.

II. Minor probatur, cum authoritate, tum praxi. Augustinus refertur à Gratiano dist. 9. his verbis, *Vt veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda: ita nouorum veritas Græci sermonis normam desiderat.* Idem de Doctrina Christiana libro 2. c. 11. *Latina lingua homines, duabus aliis ad Scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca; vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.* Et cap. 15. *Libros Noui Testamenti, si quid in Latinis varietatibus tituba t, Græcis cedere oportere non dubium est.*

III. Hieronymus hac in re multus est. Hebraici contextus auctoritatem constanter vindicauit à peruersa sui seculi consuetudine, quæ tota inhærebat Latinis versionibus: primasque editiones fontibus comparauit, versiones autem riuulis. Epist. 102. quæ est ad Marcellam; cum tueretur se aduersus eos, quibus displicebat ab eo tentata Noui Testamenti emendatio; protestatur, se *ad Græcam originem, vnde & ipsi translata non denegant, voluisse reuocare Latinorum codicum vitiositatem. Quibus* (inquit) *si displicet fontis vnda purissimi, cœnosos riuulos bibant.* Et in Commentariis cap. 8. Zachariæ, referturque à Gratiano dist. 76. *Cogimur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis, quam de riuulis quærere.* Et præfatione in Pentateuchum æmulos suos hoc sarcasmo ferit, *Aliud est si emendatiora sunt exemplaria Latina quam Græca, & Græca quam Latina.* Denique, vt alia præteream, Epistola ad Vitalem, recursum ad Hebraicum contextum appellat sua solita præsidia, *Si aliter haberent Septuaginta interpretes, aliter Hebraica veritas, confugere poteramus ad solita præsidia, & arcem linguæ tenere vernaculæ.* Et ad Suniam & Fretelam, *Sicut in Nouo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis quo nouum scriptum est instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos, Latinosque diuersitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, vt quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in riuulis.*

IV. Ambrosius his accedit; de Spiritu Sancto lib. 2. c. 6. *Si quis de Latinorum codicum varietate contendit,* (id est, obiicit mihi Latinos codices non omnes ita legere) *quorum aliquos perfidi falsauerunt, Græcos inspiciant codices.* Et de Incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 8. *Ita in Græcis codicibus inuenimus, quorum potior auctoritas est.*

V. Praxis autem illustris est. Primo, Origenis Hexapla & Octapla in hunc finem erant instituta; vt varias editiones Græcas, non inter se tantum collatas exhiberent, sed præcipue cum Hebræo contextu comparatas; annotatis quæ superfluebant, aut deerant, aut deflectebant. Mitto Luciani Hesychiique editiones, quintamque & sextam: quia non certo scimus quænam fuerint: vtrumne correctiones ex Hebraico contextu, an potius emendationes ex variorum exemplarium collatione.

VI. In Ecclesia Latina res est absque controuersia. Hieronymus enim, Damasi Pontificis auctoritate coactus, Noui Testamenti correctionem instituit, cuius editio iampridem erat in vsu apud Latinos. Correctionem autem, non ex plurium exemplarium collatione, quod faciunt hodie Papistæ post Tridentinum Decretum: sed ad veritatem Græci contextus. Sic enim ipse testatur scribens ad Damasum, obtrectatores suos obiurgando, *Si Latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria pene quot codices. Sin autem veritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem reuertentes; ea quæ vel à vitiosis interpretibus male reddita: vel à præsumptoribus imperitis emendata peruersius: vel à librariis dormitantibus, aut addita sunt, aut mutata, corrigimus?* Atq; hoc se postea fecisse profitetur, *Hæc præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, codicum Græcorum emendata collatione.* Atque hunc eius laborem Augustinus maximis laudibus est prosequutus, Epistola 10. *Non paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Euangelium ex Græco interpretatus es.* Ex quibus verbis illud etiam obseruare debemus; tantam fuisse eius correctionis diuersitatem ab editione priori, ob infinitas mutationes, vt Augustinus ausus sit interpretationē appellare: quasi eodem modo laborasset in Nouo Testamento, ac in Veteri, quod tamen certum est non fecisse.

VII. In Veteri dupliciter obseruauimus laborasse; primo emendando eam quæ in vsu erat editionem, excessibus & defectibus notatis per asteriscos & obelos. Sed cum ne sic quidem satis puram videret, animum appulit ad integram versionem, quantumuis occlamantibus multis, quibus non aliter consueta sapiebant, quam nostris hodie Papistis; ita ingenium quasi vinum probantibus, vt eius vtar verbis.

VIII. Hieronymo addantur multi ex postremis temporibus viri, vt reliqua taceam, certe magni nominis, Lyranus, Burgensis, Laurentius Valla, Erasmus, Isidorus Clarius, alijq;, quos 1. c. magno numero nominauimus. Et si placet, etiam Leonis Pontificis Romani autoritas, cuius consensu Sanctes Pagninus id ausus est attentare. At hoc illos quis vnquam credat in animum induxisse, nisi id ante omnia persuasissimum haberēt, quod nos defendimus? Ergo argumentum certum est.

IX. Variæ sunt aduersariorum exceptiones. Nonnulli tēpora distinguunt. Stapletonus maiorem esse concedit puritatem fontis, quam riuuli, nempe si intelligatur de fonte puro & incorrupto: sed talem non esse nunc Hebraicum contextum: propterea q; Hieronymum tantum illi detulisse, quia eius tempore, punctis nō appositis, purior esset, & magis incorruptus. Canus idipsum respondebat: sed addebat ēt varietatem codicum Latinorum: vt omnino duplicem causam constitueret, ob quam Hieronymus ad Hebræa recurrebat: vnam, quod non tam turbidi fontes erant, nec primariæ Scripturarum scaturigines conturbatæ, alteram, quod tunc varietas Latinorum codicum, & dissonantia magna erat, *At modo* (inquit) *cum exemplarium Latinorum vna apud omnes concordia sit, potius Græca variantia, per Latinam editionem sunt limanda, saniorisque consilij est, limpidam aquam è lacunulis defæcatis, quam ex turbato fonte liquorem obscœnum bibere.*

X. Bellarminus vero respondet, quatuor temporibus licere nobis recurrere ad fontes Hebræos & Græcos, vt illi Patres monent. Primo, quando in Latinis codicibus videtur error esse librariorum: Secundo, quando Latini codices variant, vt non possit certo statui, quæ sit vera vulgata lectio: Tertio, quando verba aut sententia in Latino est anceps: Quarto, ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam. Canus addit alias, quas vocat vtilitates. Esto igitur quinta, quando differitur cum infidelibus: sexta, quando explicandæ sunt dictiones quæ magnam emphasin habent, aut aliquam innatam proprietatem apud Hebræos & Græcos, quam Latinus sermo exprimere non valet: septima, ad eruendos plures sensus Catholicos ex eadem Scriptura, præsertim cum apud Græcos & Hebræos est æquiuoca: octaua, ad quædam vocabula, vel Hebraica, vel Græca percipienda, quæ in editione Latina remanserunt.

XI. Sed hæc nihili sunt. Enimuero de codicum corruptorum calumnia nonnihil iam diximus: & possunt multo plura ex Hieronymo colligi cum cōmentariis aspersa, tum maxime tertio Epistolarum tomo identidem occurrentia. Quis enim non obseruauit eum propositas omnes quæstiones in Vetus Testamentum soluere exposito prius textu Hebraico? Imo quis non miretur horum hominum confidentiā, qui audacissime vociferantur vocalium mutatarum corruptionem, & tamen ne tenue quidem indicium proferre possunt? Corruptionis inquam, Nam vocalium varietates scimus posse colligi, vt antea diximus, vt cum in quæstionibus in Genesin obseruat Hieronymus אשה secundum varietatem accentus posse & mulierem intelligi, siue *virginem*, vt Symmachus transtulerat, seruata etymologia; siue assumptionem, vt Theodotion: & rursus חמשים Epistola 121. ad Damasum, vel quinque vel armatos. Et alia forte nonnulla. Sed quid si hæc ipsa fidem testantur eorum qui vocales apposuerunt? Nā hodie ea ipsa duo vocabula sic leguntur, quomodo Hieronymus probat, nempe vt non significent aut assumptionem, aut quinque; sed viraginem, & armatos. Præterea quid de punctis quæritur? Quum etiam nunc extent eadem Biblia sine punctis? An hæc saltem concedunt esse authentica? At ne sic quidem approbabitur Latina editio. Non est, inquam, Latina editio conformis Bibliis Hebraicis, quæ sunt absque vocalibus. Quod vel ex Hieronymo discas, cuius tempore negant vocales additas fuisse.

XII. In codicibus autem Latinis quid dicam? Arguam-ne Cani socordiam, aut increpem potius peruersitatem? Esse autem Latinorum codicum apud omnes consentientem fidem? Imo nunquam iustius Hieronymus conquestus est tot esse exemplaria, quot codices. Nā Ioannes Harlemius, præfatione in varias lectiones Latinorum Bibliorum, testatur se vsum esse quindecim manuscriptis codicibus, præter eos quibus vsus erat Hentenius. Et Fāciscus Lucas librum edidit non paruum hoc eodem argumento, cuius initio profitetur habuisse impressa exemplaria semper octo aut nouem, scripta triginta duo aut tria; vt minimum sæpe plura; & quidem præter ea quibus ante vsi essent Parisienses & Hentenius. Itaque hanc varietatem dissimulare, quid aliud est, quam negare Solem ipsum meridie lucere?

XIII. Imo ne hoc quidē excipere licet, quod subindicat Canus, antiquas illas discrepantias non potuisse tolli, nisi ad exemplaria Hebraica & Græca referrentur, has vero posse. Nam contra, tum Franciscus Lucas, tū ipse Harlemius, vt plurimū eo confugerunt. Exempli gratia, Exod. 15. *Ingressus est enim eques Pharao cū curribus, & equitibus eius in mare. Sincera est* (inquit Lucas) *aliorum codicum lectio, equus Pharao: ita enim Hebraice est, ita Græce,* סום פרעה. ἵππος Φαραώ, quanquam nihil est mutatum in Bibliis Sixti. Et Iudicum 15. cū alij *ligna* legerent, alij *lina*: *Verisimile omnino est* (inquit) *non ligna, sed lina scribendum esse: nam & Hebræi codices, & Græci, atq; Chaldæi, ita habent.* Harmelij autē hæc sunt verba, *Cum varias vulgatæ Latinæ editionis lectiones inuenimus, quanā earū ad textum Hebraum, Chaldæum, & Græcum in veteri instrumēto, aut ad Syrum & Græcum in nouo, propius accedat, indicare voluimus: tum quod hoc omnibus sacrarum literarum studiosis longe gratissimum fore putaremus: tum quod turbatis riuulis ad fontes recurrendum esse excellentes doctores, atq; Ecclesiæ Catholicæ lumina, semper iudicauerint.* Quibus verbis iste agnoscit ēt hodie Latinæ editionis riuulos esse turbatos: longe discedens à Cani supina negligentia. Sed diuinabat opinor Canus Sixtum quintum hoc sibi sua pontificia autoritate dignum opus vendicaturum, vt posthac haberemus Biblia eius nomine insignita: in quibus, quia non poterant omnes nodi facile solui, saltem eos nouus Alexander secaret. Scilicet, hoc modo (si sic fata volunt) optime consulens Christianitati, an potius importune κυρίων φώτεως? Nā alioqui Concilium Tridentinum, neq; editionis eius exemplaria erratorum expertia esse iudicauerat (vt obseruauit Franciscus Lucas in Epistola dedicatoria) neq; etiam certum aliquod editionis exemplar sequendum omnibus proposuerat: tantum editionem ipsam authenticam definiuerat: hoc est, aerem verberauerat, & Hippocentauros Tragelaphosque venandos proposuerat.

XIV. Quid? quod non tantum eiusdem editionis codices varij conferendi sunt, sed etiam variæ editiones inter se comparandæ? Ita sensit Hieronymus Epistola ad Suniam & Fretelam: recurrendum esse ad Græca exem-

exemplaria, si Noui Testamenti variant Latini codices, sed ad Hebræa, si in Veteri inter Græcos & Latinos diuersitas est. Quod autem sensit, ipse fecit, cum alibi, tum eadem ipsa Epistola ex professo. Conquerebantur enim Sunia & Fretela, quod in Psalterio Græca Latinaque exemplaria non conuenirent, his ita respondet, vt semper quod in Hebræo erat pronunciet tenendum. Græca exemplaria corrigit subinde, aliquando etiam Latina. Græcæ correctionis hæc sunto exempla. *De octauo Psalmo. Quoniam videbo cœlos tuos. Et dicitis, quod tuos in Græco non habeatur. Verum est, sed in Hebræo legitur Samecha* שמיך. Rursus, in 17. Psalm. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, pro quo in Græco vos legisse dicitis,* ἔδωκάς μοι ὑπερασπισμὸν σωτηρίας σου, *id est, & dedisti mihi protectionem salutis tuæ. Sed in Hebræo Iesacha* ישעך, *salutis tuæ, significat.* Latinæ vero emendationis ista. In 17. Psalm. *Liberator meus de gentibus iracundis. Pro quo in Græco vos inuenisse dicitis,* ὁ ῥυστής μου ἐξ ἐχθρῶν μου δυνατῶν; *id est, liberator meus ab inimicis meis fortibus, siue potentibus. Et quia semel veritati studemus, si quid vel transferentis festinatione, vel scribentium vitio deprauatum est, simpliciter confiteri, & emendare debemus. In Hebræo nihil aliud habetur nisi hoc, Liberator meus ab inimicis meis. Septuaginta autem, iracundis, addiderunt. Et pro gentibus, tam in Hebræo, quam in cunctis interpretibus, inimici positi sunt, & miror quomodo, pro inimicis gentes mutatæ sint.* Rursus: *De vicesimo primo. Tu autem Domino, ne elongaueris auxilium tuum à me. Dicitis inuenisse vos, meum, quod & verum est, & ita corrigendum. Neq; enim si quid scriptorum est errore mutatum, stulta debemus contentione defendere.* Sic Hieronymus, & verbo & exemplo.

XV. Porro hæc Græcæ Latinæq; editionis diuersitas nunquã maior fuit, quam est hodie. Nam & in Psalmis, qui Latine habentur non ex Hebræo, sed ex Græco, eædem vt plurimum supersunt diuersitates, quas ea Epistola collegit Hieronymus, paucæ enim sunt emendatæ, & in reliquis libris longe maior est discrepantia. Exempli gratia, Iobi cap. 17. Latine, *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Non peccaui, & in amaritudinib. moratur oculus meus. Libera me, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Pro his Græca editio sic habet: ὀλέκομαι πνεύματι φερόμενος, δέομαι ταφῆς καὶ οὐ τυγχάνω. Λίσσομαι κάμνων, καὶ τί ποιήσων; ἔκλεψαν δέ μου τὰ ὑπάρχοντα ἀλλότριοι. τίς ἐστιν οὗτος; τῇ χειρί μου συνδεθήτω. Deus bone! quis eundem locum putet? Non sunt enim verborum aut syllabarum leuiusculæ immutationes, quas in Psalmis notabant Sunia & Fretela, Hieronymus autem diligenter excutiebat; sed est integri sensus peruersio, & quasi δὶς διὰ πασῶν, discrepantia. Latine Græca sic reddimus. *Pereo, vento agitatus, sepulcro mihi opus est, nec vllum mihi contingit. Supplico decũbens, & quid facturus? Furati sunt mea alieni: Quis ille est? alligetur manui meæ.* Prouerb. 5. *Fili mi attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam: Vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent. Fauus enim destillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.* Υἱέ, ἐμῇ σοφίᾳ πρόσεχε, ἐμοῖς δὲ λόγοις παράβαλλε σὸν οὖς, ἵνα φυλάξῃς ἔννοιαν ἀγαθήν, αἴσθησιν δὲ ἐμῶν χειλέων ἐντέλλομαί σοι· μὴ πρόσεχε φαύλῃ γυναικί. μέλι γὰρ ἀποστάζει ἀπὸ χειλέων γυναικὸς πόρνης, ἣ πρὸς καιρὸν λιπαίνει σὸν φάρυγγα. *Fili, attende sapientiæ meæ, & intende aurem tuam ad verba mea; vt custodias bonam cogitationem, sensum autem labiorum meorum tibi mando, ne attende peruersæ mulieri, mel enim distillat à labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus inungit tuum guttur.* Geneseos vigesimo: *Hanc misericordiam facies.* ταύτην τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις ἐπ' ἐμέ. Possumus infinita colligere, & multa Steuchus obseruauit in Pentateucho. Atq; hæc quidem difficultates, eo maiores scrupulos necesse est ingerere, quo seuerius Papistæ contendunt editionem Græcam esse diuinam & authenticam.

XVI. Prior igitur exceptio erat inutilis. Altera autem quid? Prorsus non soluit, sed eludit argumentum. Imo nõ eludit, sed misere tergiuersatur. Quid enim? Certis ait temporib. licere nobis recurrere ad fontes Hebræos & Græcos. Enimuero exspectabamus, fortasse vt hanc nobis siue Pontifices, siue pontificia concilia libertatem eriperent, quæ illorum est multis aliis in rebus spectata temeritas & audacia. Aut nobis ab iis hoc maximum agnoscendum, contentaq; voce prædicandum beneficium est? Nimirum vt latrones solent, velle sibi vitam deberi, quam non auferunt. Sed enim quid fieri potest dilutius? Aut quid magni præstant, si id in fontibus tolerant, quod in quibuslibet versionib. probant? Nam Indicis librorum prohibitorum hæc verba sunt ex tertia regula. *Librorum Veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis & piis, iudicio Episcopi concedi poterunt, modo huiusmodi versionib. tanquam elucidationibus vulgatæ editionis, ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu vtantur.* En vobis Bellarmini pietatem! Quantulum enim abest, vt dicat Mosen esse Hieronymi Interpretem?

XVII. Enim vero præter eas omnes vtilitates siue à Bellarmino, siue à Cano enumeratas, vna est quã neuter ausus est nominare: Nimirum Correctio. Atq; hęc quidem non eorum tantum σφαλμάτων, quæ sunt à librariorum incuria, sed etiam ab Interpretis ipsius siue ignorantia, siue socordia, siue festinatione. Nam sic & verbo, & exemplo Hieronymus docuit, sic etiam alij. Hęc autẽ vtilitas cum dissimulatur, quę præcipua pars est argumenti, nihil agitur.

XVIII. Ad hæc multum interest, quomodo eas vtilitates colligamus: authenticene, an ex coniectura. Si ex coniectura tantum, eædem haberi possunt ex quibusuis editionibus. Nam & Augustinus hanc rationem indicauit, cum loqueretur de magno numero versionum Latinarum, lib. 2. de Doctrina Christiana. *Quæ res* (inquit cap. 12.) *plus adiuuit intelligentiæ, quam impediuit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestauit inspectio.*

XIX. Sin vero authentice, id ex solo fonte dicimus haberi posse, vt Augustinus eodem capite confitetur. *Illud,* inquit, *Esaiæ Prophetæ, Nisi credideritis non intelligetis, alius interpretatus est, Nisi credideritis, non permanebitis. Quis horum vera secutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est.* Nam quod de diuersis interpretibus dictum est, quidni nos de diuersis codicibus, aliisq; circunstantiis? Debent autem ea omnia, quæ in authenticũ textum recipiuntur, esse non incerta, aut fidei non satis exploratæ, alioquin ne authentica quidem futura. Hoc autem non posse habere nisi ex fontib. facilius apparebit, si singula Bellarmini tempora percurramus. Nam Cani vtilitates nihil est necesse.

XX. Prima igitur est, cum aliquis videtur irrepsisse librariorum error, & hæc quidem latissime patet, cum tanta sit eorum errorum seges, vt suo loco videbimus. Sed primum, horum olfaciẽdorum quis modus? Fateor aliquando ex circunstantiis, aliquando ex codicum collatione. Sed semper, nego. Nam exempli gratia, Ecclesiast. 45. obseruauit Bellarminus legi, *Dedit illi cor ad præcepta.* Hic vero nemo est, qui ex textus vllis circunstantiis possit agnoscere, legendum esse *coram*, non *cor ad*: Ergo deprehensus est ex variis codicibus. Esto, sed, an semper hæc suppetit ratio? Minime vero: Nam etsi Harlemius, qui vsus est multo paucioribus, id deprehenderit, tamen Franciscus Lucas, cui multo plures fuerunt ad manum, non potuit suspicari. Et sane, quotusquisq; est cui tanta copia codicum præsto esse possit? Quanquam hæc ratio ad sequentem articulum pertinet. Sed vt adsit, tamen non esse certam hoc exemplo agnosce. Deuter. 29. in his verbis, *Sulphure & Solis ardore comburens,* perperam est *Solis* pro *salis*: nam Hebraice st מלח Græce autem ἅλα, & hanc mendam ex vnius literulæ lapsu neq; Harlemius, neq; Lucas deprehenderunt, sed Whitakerus & Steuchus, consultis fontibus. Quod igitur hic remedium? Itane? authentica erit Latina editio, eaque constantissime *Solis* legat, nullo variante codice (nisi prodiisset his pauculis annis Sixti editio, quæ mendam sustulit,) & aliquis olfaciet? aut sibi mutandum persuadeat, nisi plus fidei tribuat fonti Hebraico? Id vero fieri nõ posse, sciunt omnes Critici, quorum hac in re iudicium appello. Itaque errorem Sixtus corrigens, non vllius exemplaris authoritate, suo exemplo docuit, quantum sit origini deferendum.

XXI. Secunda, quando Latini codices variant. At primo possunt non variare, vt tamen sit mendum, hoc iam apparuit vno exemplo, cui alia addi posse quis dubitet? Secundo, quid si ipse author vertendo errauit? Nam tum sane omnes eius versionis codices oportet consentire, aut esse falsos. Exempli gratia: Genes. 3. Hieronymus vertit, *Aspectuq; delectabile*, & consentiunt omnes codices, tamen non recte. Dicendum enim fuit, vt Græce, ὡραῖον τοῦ κατανοῆσαι, vel potius, vt Pagninus, *Concupiscibilis ad intelligendum*, vel Leo Iudæ, *iucunda ad erudiendum*, vel Iunius *desiderabilis ad habendum intelligẽtiam.* Nisi igitur Hebraici fontes sint authentici, quæ spes erit emendationis? Tertio, cum variant exemplaria, solent omnes præferre maiorem numerum minori, & merito, nisi quidam sint authentici, vel propter antiquitatem, vel aliam ob causam; quomodo Sixtus suis rebus optime consuluisse putauit: Sed alioqui, vt dixi, præualet maior numerus. At hic numerus sæpissime erroribus fauet: Vt Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum:* tam vulgata est lectio, vt ex omnibus codicibus suis, duos tantum Lucas habuerit, in quibus legeret *Ipse*: in reliquis omnibus *ipsa*: quibus addam quinque, quæ ille non habuit: vnum manuscriptum membranaceum vetustissimum, quatuor typis excusa, tria Venetiis anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono: & nonagesimo secundo, & nonagesimo quarto; quartum Lugduni anno decimi sexti seculi quinquagesimo sexto. Et tamen non dubitauit Steuchus emendare ex fontibus, *Ipsum conteret tibi caput.* Huc facit exemplum à Bellarmino indicatum ex 5. c. Iosue. *Iurauit, vt ostenderet eis terram fluentem lacte & melle:* vbi quosdam codices ait addere negationem, *vt non ostenderet*: at hi tam pauci sunt codices, vt neque Harlemius, neque Lucas vllum viderint: & tamen fatetur Bellarminus hanc veriorem esse lectionem: atque adeo eam Sixtus restituit. Quod nemini sane persuadebit vnquam, nisi cui certum erit in Hebræo exprimi veram Spiritus Sancti sententiam, quæ amplectenda sit omnino, neglecto Latinorum codicum consensu.

XXII. Tertia est, quando in Latina ambiguum est aliquid, aut in verbis aut in sententia: & illustrat exemplo, Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo:* potest intelligi de opere tuo futuro, vt sit dum coles eam: & de præterito, id est, de peccato Adæ, propter quod terra maledicta est: sed hoc verius esse docet Hebraicus contextus בעבורך *propter te:* Lucæ 2. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis:* Intelligi potest, vel hominib. in quibus est bona voluntas: vel pax bonæ voluntatis: & hoc rectius. quia Græce est ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. At hæc exempla Interpretis errores sunt potius, quam sermonis ambiguitates: sed id alio pertinet. Porro hic agitur de sensu inuestigando, quem constet esse Spiritus Sancti. Et quidem tanto diligentius, cautiusq;, quanto certius est Scripturam sanctam non in verbis consistere, sed in verborum sententia, non in cortice, sed in medulla: adeo vt qui ab ea sententia aberret, prorsus amittat verbum Dei, sequaturque verbum hominis. Itaq;, vt certo teneam è duplici sensũ alterum esse vere diuinum, oportet sine dubio id mihi persuaderi αὐθεντικῶς, alioquin ancipiti futuro, vt in priore exemplo: si Latina conferam cũ versione Pagnini, idem mihi quidẽ se sensus offeret, qui ex Hebræo: sed quid, inquam, si Pagninus errauit? Neque enim ille authenticus est: & habet dissentientes Latinam & Græcam editionem. Quid non eo potius eam, quo se præcipitem dedit Steuchus, vt in Hebraico errorem notaret? Nimirum vt solent οἱ εὐηθεῖς, non horologia, sed solem accusare.

XXIII. Quarta, ad intelligendam vocabulorum energiam. Vt Exodi. 1. *Ædificauit illi domos:* ex Hebræo scimus significari fœcunditatem liberorũq; copiam: non autem architecti alicuius opificium. Psalmo 139. *Imperfectum meum viderunt oculi tui:* ex Hebræo patet esse embryonem: item: *Mirabilis facta est scientia tua ex me:* id est, mirabiliorem esse scientiam Dei, quam vt possit eam homo capere: Sicut 3. ad Ephesios: *Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi.* Græce τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως, omni cognitione superiorem, vt vertit Beza. At hæc vtilitas incidit in præcedentem: sunt enim hæc exempla amphibola: & alias agitur de vero sensu inuestigando: itaque eadem consideranda veniunt quæ prius.

CAP. VII.

An editiones Hebraica & Græca sint mutilæ.

I. EA fuerunt argumenta nostra: sequuntur illa quæ ab Aduersariis colliguntur, maiorbus certe animis, quam viribus, Stapletono, & Bellarmino satis perfunctorie: sed Cano ardentissime, locorum Theologicorum lib. 2. c. 13. Driedo nonnulla etiam ipse excerpsit, quæ postea soluit, satis candide: tom. 1. lib. 2. c. 1.

II. Esto igitur hoc primum. Si Veteris Testamenti Hebraica editio, & Græca Noui, esset authentica, ad easque recurrendum esset, tum plures Scripturæ particulæ nobis subtraherentur, quæ in Græcis aut Hebraicis huius temporis exemplaribus non leguntur. At hoc est absurdum: ergo & illud. Argumentum est Melchioris Cani. Et probat consequentiam, ipso facto: Quia historia puerorum, & Susannæ apud Danielem: mulieris adulteræ apud Ioannem; non sunt in iis fontibus: Marcique extrema Coronis.

Imo

Imo neque illud egregium de Trinitate Testimonium; *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, cap.5. prioris Epistol. Ioannis. Neque octo versus Psalm.14. qui citantur à Paulo cap.3. ad Roman. Item, ad Hebręos 1. citatur, *Adorent eum omnes Angeli Dei*, quod in Hebręo nusquam inuenitur. Item Luc.3. *Videbit omnis caro salutare Dei.*

III. Respondeo, negari consequentiam, hac maxime ratione, quod implicet contradictionem. Nam si soli fontes sunt authentici, vt probauimus, tum nullę sunt Scripturæ partes, quæ in iis non inueniantur, & quæ non inueniuntur, profecto non suut Scripturę partes legitimę, sed supposititij quidā partus, quos humana temeritas ausa est Spiritui sancto (vt ita dicam) supponere, aliquando ex credulitate nimia, sed excusanda, aliquando vero ex scelerata audacia. Sed siue credulitas sit, siue audacia, tamen neutra aut toleranda aut dissimulanda, imo, quoties reuinci potest, corrigenda.

IV. Iam de exemplis sigillatim. Historiam Susannæ euicimus esse apocrypham, ideoque reiiciendam ex Canone, ęque cum Belis & Draconis fabula, quam miror à Cano pręter missam. Nisi forte somniculosior erat, vt apparet in historia quam nominauit, puerorum: Nam hanc in fontibus esse norunt omnes, qui Hebraice norunt, quod nondum Canus erat adeptus, inde credo, factus audacior, vt fieri solet, suspicatus enim est, quia eorum puerorum Canticum non est Canonicum, ideo totam vna historiam reiici, quod non est ita.

V. Mulieris adulteræ historiam, quæ describitur 8. Ioannis cap. scimus olim à nonnullis expunctam, nec haberi in Syriaca editione, aut in Paraphrasi Nonni. Sed non inueniri tamen in fonte Græco negamus. Imo Theodorus Beza, testatur è septendecim suis exemplaribus antiquis, vnicum ea caruisse. Impressorum autem codicum, quotcunque hodie exstant, nullus quod quidem sciam, eum locum vacuum habet. Augustinus lib.2. de adulterinis coniugiis cap.7. asserit, peruersa fraude fuisse à quibusdam hæreticis reiectam, eo quod videretur hominibus polliceri peccandi impunitatem. Sed hoc nihil ad nos, quibus sufficit fontes esse integros.

VI. De postrema parte, id est, vltimo capite secundum Marcum eadem ratio est. Discimus ex Hieronymo olim in omnibus pene Græcis libris eam partem desiderari. At nos hodie scimus omnes prorsus eam habere, imo etiam editionem Syriacam. Et sane temere à nonnullis explosam recte asseruit Beza. Quis enim credat ab Euangelista, præcipuam partem omissam historiæ Euangelicæ, resurrectionem, inquam, Saluatoris?

VII. De Versiculo ex Ioannis Epistola priore, cap.5. constat multos olim dubitasse. Aduersus eos, si placet, prolixe Canus disputet, aut etiam aduersus hodiernos Anabaptistas & Seruetanos. Contra vero Græca exemplaria, quo iure? Nam in iis omnibus reperiri testes sunt, Beza, Franciscus Lucas, & Sixtus Senensis, cuius Sixti hæc verba, lib.7. hæresi 9. *Respondemus, ea verba apud Catholicos indubitatæ semper veritatis fuisse, & in omnibus Græcis exemplarib. ab ipsis Apostolorum temporibus lecta.*

VIII. Supersunt octo versus, quos Psalmo 14. fatemur non haberi Hebraice, & tamen esse Canonicos, vtpote à Paulo citatos cap.3. Epist. ad Roman. Sed huic obiectioni satisfecit iampridem Hieronymus, præfatione in 17. librum Commentariorum in Esaiam. Nempe, verum est Apostolum varios è Scriptura locos collegisse in vnum, scilicet primum & secundum versum ex Psalm.6. tertium ex 140. quartum ex 11. quintum, sextum & septimum ex Esaiæ 59. octauum ex Psal.36.

IX. Sed instant dupliciter. Primo non esse satisfactum ab Hieronymo hac solutione, idque Ecclesiam demonstrasse, quæ vsque ad hoc temporis illos octo versus retinuerit in eo Psalmo. Secundo proferunt nonnulli codicem quendam Hebraicum ex Anglia, in quo totidem legantur hi versus, proinde ex aliis expunctos videri.

X. Bellarminus respondit ad vtrumque: Ad primum, ideo retentos fuisse, quia sunt Scripturæ partes quædam, nec sine scandalo populi poterant auferri. Sed neutra causa legitima est, etsi enim sunt Scripturæ partes, tamen alieno loco proponuntur. At non tantum singulæ sententiæ sunt diuinæ, sed etiam totus contextus authenticus. Nec vllo modo mutandus. Non potuisse autem auferri absque scandalo falsum est. Cur enim minus quam totum Veteris ante Hieronymum editionis corpus? Minus, quam multa tandem in suis Breuiariis & Missalibus Pontificij immutarunt ex decreto Concilij Tridentini? Enimuero, id plebs valde animaduerteret, scilicet, quæ tam scit Latine, quam Hebraice. Sed hoc verum est, ita seruatos esse eos versus, quemadmodum multi errores Typographorum, imo etiam ipsius interpretis, nempe ex incredibili prælatorum socordia. Nobis autem, quod ij peccabunt, pro lege non debet obiici.

XI. Ad secundum. Hos versus in codice Anglicano manifeste esse additios, neque enim aut verba aut phrasin satis esse Hebraicam. Nam & מזל sortem, Habraice non dici: Et non solere Hebræos verbum ad finem collocare, vt in horum versuum quarto, אשר פיהם אלה ומרה מלא. De voce non contradico, sed de phrasi, non videtur Bellarminus satis considerate loquutus: Possunt enim proferri exempla, nec pauca. Vt ex ipso Psalm.14. קראו יהוה לא, *Deum non inuocarunt*. Psal.10. עיניו לחלכה יצפנו: *Oculi eius in pauperem respiciunt.*

XII. Sed verum est codicem esse nullius momenti, Anglicani illius Psalterij. Laruam ei detraxit Arias Montanus, quantumuis multis laudibus prædicatus esset à Lindano in libro de Optimo genere interpretandi Scripturas, à quo valde ob hanc causam impugnabatur Hebraicorum fontium sinceritas, asserente interea hunc codicem fuisse Augustini Archiepiscopi, eius nimirum, quem Anglorum Apostolum vocant. Sed comperit Arias neque antiquiorem esse annis octoginta aut centum, neque descriptum ab aliquo cui fuerit Hebraica lingua cognita, adeo corrupte, vt vix vllum verbum integritatem suam retinere videretur, denique rem esse omnino puerilem. Ita Arias initio variarum lectionum Hebraici contextus, in Apparatu Bibliorum regiorum. Quod quum legebam, veniebat in memoriam Laurentius Valla, qui se aliquid simile comperisse testatur in oratione de Falsa donatione Constantini. *Romæ*, inquit, *ex authoritate Papæ ostenditur codex Bibliæ, tanquam reliquiæ Sanctorum, luminaribus semper accensis, quem dicunt scriptum chirographo Hieronymi. Quæres argumentum? Quia multum (vt inquit Virgilius) est pictai vestis & auri. Resque magis Hieronymi manu indicat scriptum non esse. Illum ego diligentius inspectum, comperi scriptum esse iussu regis, vt opinor, Roberti, chirographo hominis imperiti:* Nec dissimile est sine dubio, quod aliquando audiui, ad Sanctam Lupicinam in Burgundia asseruari codicem Apocalypseos, quem iactant ipsius Ioannis manu exaratum, adduntque fabulæ, deficiente attramento, calamum saliua imbutum, literas reddidisse colore ceruleo. Sic solent Papistis esse ἄνθρακες ἀντὶ θησαυρῶν.

XIII. Quod attinet ad locum è primo ad Hebræos: Si quicquam habet vitium contra textum Hebræum, habebit æque contra textum Latinum vulgatæ editionis, in qua æque desideratur, etiam in Editione Sixti V. Sed nullum est periculum. Nam locus inuenitur Psalm.97. adeo vt ipse Salmero agnoscat Tom.15. disputat.7. in Epistol. ad Hebræos, communiter dici solere inde Paulum sumpsisse.

XIV. Tamen huic contradicit ille idem Salmero sententiæ, quia locus Psalmi sic habet; *Adorate eum omnes Angeli eius*: Paulus vero pro *Adorate*, dixit, *Adorent*, & pro, *Angeli eius: Angeli Dei*. Imo vero Hebraice est, *Omnes Dij*. Sed hæc nihil obstant. Sciunt enim qui diligenter versati sunt in Pauli scriptis, solere non raro Apostolum non αὐτολεξεὶ recitare locos, aut syllabas singulas numerare, vt non sit mira mutatio *Adorate*, in *Adorent*, & *eius*, in *Dei*, quum sensus omnino sit idem. De Angelis autem facile negotium. Nam Paulus non dedignatur vti versione Septuaginta, qui אלהים Hebræum verterunt in Angelos. Neque hic tantum, sed etiam Psalm.8. ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. *Minorasti eum paulum ab Angelis.* Itaque nihil est necesse inferciri versiculum vnum cap.32. Deuteronomij. Et censendum potius, siue à Septuaginta Interpretibus, siue à scribis temerariis, nō bono consilio huc illatum. Nam nec bene fluit contextus. Cum enim antecedentia & sequentia furorem vindictæ diuinæ repræsentent, intempestiua est ad lætitiam exhortatio.

XV. Idem iudicium de Luc.3. Nam locus is ad verbum nusquam reperitur in editione Latina. Ergo vel ipsa Latina non est authentica, vel Hebraica non est corrupta. Sed potius verum est, Lucam duos locos ex eodem Propheta in vnum conglobasse. Nam hæc verba legas capite quinquagesimo secundo.

Cap. VIII.

An ex Hebraicis Græcisque fontibus contentiones oriantur.

I. Si ex Hebraicis & Græcis fontibus magnæ oriuntur contentiones, ergo non est ad eos semper recurrendum. At verum prius. Ergo & posterius. Argumentum est Sixti Senensis Bibliothecæ lib.8. hæresi 13. Probat antecedens, quia contendentium vterque in suo errore pertinax, aliter atque aliter Græcam vel Hebræam vocem vertendam esse contendet, pręcipue vero, si vox ambigua fuerit, vt sunt apud Hebræos pene innumeræ, etiam in sacris codicibus adeo incertæ, ambiguæ, atq; adeo varie à summis & clarissimis interpretibus explicatæ, vt quamuis eruditus sis & linguarum peritus, nescias tamen qua parte deflectas, ac dubius semper esse cogaris, nisi te authoritas Ecclesiæ commoueat.

II. Exempli gratia, Genes.36. cap. *Ipse est Ana, qui inuenit* הימם *in deserto cum pasceret asinos Zebeor patris sui.* De huius loci interpretatione (teste Hieronymo in quæstionib. Hebraicis) tot sunt sententiæ, quot interpretes. Quidam legunt ימים Jamim, Maria, voluntque ipsum Anam, dum pasceret asinos in deserto, aquarum congregationes reperisse, scilicet stagnum cuius in deserto difficilis sit inuentio. Nonnulli non stagnum, sed aquas calidas, inducti linguæ Punicæ vicinia, & in his vulgatus interpres Latinus. Alij legunt ימים & interpretantur nonnulli onagros, alij mulos. Græci interpretes vocem retinuerunt Hebraicam. Aquila & Symmachus plurali numero τοῖς ἰαμείμ; Septuaginta & Theodotion singulari, τὸν ἰαμείν.

III. Respondeo, negari consequentiam, alias nulla omnino esse posset editio Bibliorum authentica, id est, ad quam recurrendum esset. Nulla est enim lingua, quæ non præbeat contentiosis multam prolixe rixandi materiam. Quotusquisque enim nescit multa & Græce & Latine dici ambigua? Et quidem ita, vt nisi aliunde lucem inferas, prorsus solui non possint? Certe Donatistæ olim non recurrebant ad fontes, & tamen de loco illo Cantici Canticorum; *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*, negotium facessebant Catholicis, asserentes ad se pertinere, quia Africa sita sit ad meridiem, indeque significari, Christum deserto reliquo orbe vniuerso, ad Africam se recepisse, ibique collegisse Ecclesiam. Quid Heluidius? quam pertinaciter ludebat in primogenito Mariæ, & fratribus Christi, vt negaret perpetuam virginitatem.

IV. Quid dicam de hoc versu Psalm.68. in editione Latina? *Rex virtutum dilecti, dilecti, & speciei domus diuidere spolia?* Quidam ita intelligunt, vt Pater sit rex virtutum filij, qui diuisit spolia, scilicet homines è faucibus Diaboli ereptos, Ecclesiæ suæ, quam speciosam reddidit. Sic Augustinus, innuens etiam intelligi posse filium esse regem suarum virtutum. Augustinum Remigius est imitatus, & Lombardus. Lyranus longe aliter. Reges potentes factos esse Christo dilectos, & spoliis suis, id est, pretiosis donariis Ecclesiam ornauisse. Rursum Jacobus Perez de Valentia, aliter, hoc versu copulato cum præcedente, vt sit: Dominus Iesus Christus Rex, id est, rector virtutum, id est, gratiarum & bonorum dilecti patris sui dabit verbum euangelizantibus virtute multa, & dabit diuidere spolia specie domus dilecti, id est, omnia dona virtutum & gratiarum, quæ sunt ornamenta & pulchritudo domus Dei. Carthusianus, Reges fortes facti sunt dilecti, id est, amici dilecti, id est, Jesu Christi, qui est Dei Patris dilectus & electus, diuidere spolia, id est, secundum diuersos gradus & status distinguere homines, quos ipse de ore inimici redemit, atque de more eripuit, dando ipsis diuersa munera gratiarum. Ayguanus in reliquis Carthusiano consentit, tantum illud diuidere spolia refert ad Constantinum, & Carolum Magnum, à quibus magna dona collata sunt in Ecclesiam.

V. Sexcenta eiusmodi proferre possum, eaq; multo maioris momenti, quam illud sit ex Genesis 36. Patet igitur argumenti infirmitas, cuius hæc legitima forma esse potest: Nulla editio ambigua, est authentica: at editio Hebraica est ambigua, ergo non est authentica. Maior perspicue est falsa, ipsorum etiam Papistarum confessione, qui cum negare non possint in Latina sua, multa, singulis (vt ita dicam) paginis, ambigua & obscura deprehendi, tamen eam pro authentica obtrudunt, vt suo loco videbimus.

VI. Nec

VI. Nec est, quod mihi aliquis obiiciat authoritatem Ecclesiæ, ad quam se ij recipiant, qui ambiguitates solutas velint. Nam primo ea pertinet ad rerum potius, quam verborum interpretationem. Nos autem hic de verbis agimus, postea suoque loco de rebus acturi. Secundo, nulla autoritas Ecclesiæ has omnes soluit ambiguitates, vt patet ex propositis exemplis, ostendant enim decretum aliquod; quo sancitum sit, quænam potior sit interpretatio, Augustini-ne? an Lyrani? an Iacobi Perez? an Carthusiani? Imo neque vera Ecclesia Papistica, quæ sibi omnia vendicat, vt certos Codices, ita certa commentaria declarauit vnquã esse authentica. Deniq; quidni Hebraici contextus ambigua, hæc mihi soluet autoritas, æque ac Latini? Certe, si Latina editio quamuis multis locis ambigua, est tamen authentica, quia explicatur ab Ecclesia: eandem ob causam erunt etiam Hebræi fontes authentici, quia si qui sunt in eo ancipites sensus, illi omnes mihi possunt ab eadem Ecclesia exponi.

VII. Rursus, quæro quid sibi Sixtus velit. Hoc est censeat-ne aliquando fuisse Hebraicos fontes authenticos, an vero nunquam. Si nunquam, tum ille profecto ipsa se absurditate ridiculum præbebit. Eritque hæc magnifica veritatis victoria, cum aduersarium coget, in eos se laqueos induere. Est enim luculentissima ἔλεγχος methodus ἄγειν εἰς τὸ ἄτοπον. Sed hoc Sixtus non diceret, vir, etsi Papista, tamen doctus. Fontes autem Hebræi aduersarios nullos vnquam passi sunt, non imperitos.

VIII. Ergo alterum fatebitur, nimirum aliquando fuisse authenticos. Tum ego rursus quæram, quomodo statuat de ambiguitate, sit-ne fontibus naturalis, an vero accidentaria. Nam si sit accidentaria, vident omnes, nullum esse ipsorum fontium vitium, sed eorum qui fontibus abutuntur, quibus nimirum, non est adeo in promptu eius linguæ cognitio, vt nihil illis sit obscurum. Quod si est, tum omnes facile vident, iniquum esse, vt nullo suo merito, sed tantum hominum imperitia diuini libri sua authoritate excidant. Et idem accidere posset versionibus tum Græcæ tum Latinæ. Neutra enim hodie tam est vulgaris, vt omnibus Christianis sit facile cognita, quæ vix etiam à paucis exercetur.

IX. Sin est ambiguitas naturalis, eodem reuoluimur, quo prius. Nempe falsam esse consequentiam. Nam ita semper fuisse ambiguam necesse est. Quod si igitur aliquando fuerit authentica, ἐξ ὑποθέσεως, ergo non potest ambiguitas legitima causa esse, vt non sit authentica. Et sane concedit Bellarminus de Verbo Dei, lib. 2. cap. 10. argument. 3. saltem Hebræis authenticam fuisse Hebraicam editionem, vt Græcis Græcam, Latinis Latinam. At vero hic ipse locus à Sixto citatus ex Genesi, ipsis Hebræis fuit difficilis. Testatur Hieronymus in quæstionibus in Genesin. *Multa*, inquit, *& varia apud Hebræos de hoc capitulo disputantur, apud Græcos quippe & nostros super hoc silentium est.*

X. In quibus verbis illud specialiter obseruandum, non tantum apud Latinos, magnum fuisse de hoc loco silentium, quibus saltem cognitum erat, quid essent aquæ calidæ, quas legebant in sua editione, sed etiam apud Græcos, qui vnde scire poterant, quid esset ἰαμεὶμ? Quid autem præstat, dubitare, an prorsus nihil intelligere? Et tamen erat Græcis sua editio authentica, si Bellarmino & aliis credimus. Mirum vero, si tanta obscuritas non obstet authoritati Græcorum Codicum, & ἀμφιβολία Hebræos de suo solio deturbet. Certe nemo est sanus, qui non malit dubia esse quæ legit, quam omnino incognita.

XI. Quid? quod ad ambigua explicanda confitentur Bellarminus & Canus, plurimum valere ipsos fontes? Et sane ita est, constatque certissima experientia, locorum pene sine numero. Olim Ariani Catholicis multum negotium facessebant de hoc Prouerbiorum loco ex. 8. ca. Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua.* Vnde probabant filium Dei, esse creaturam, & sudarunt multum Patres in hoc soluendo nodo. Athanasius referebat ad humanitatem. Hilarius in libro de Synodis, dixit, *quia Dei filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est, idcirco ait creatam se esse sapientia.* Epiphanius negauit agi de sapientia quæ sit Dei filius. Alij aliter. Sed Hebraicus contextus facile nodum soluit, qui habet *Dominus possedit me.* יהוה קנני Sic etiam quotidie Papistarum retundimus audaciam consideratis fontibus, quos hanc ob causam tanto prosequuntur odio. Itaque hoc argumentum nullum est.

CAP. IX.

An qui hærent fontibus, ij sequantur Rabbinorum placita.

I. QVicunque Hebraicis exemplaribus adhærescunt, ij coguntur sequi Rabbinorum expositiones, & non Catholicorum. At Christiani non sequuntur Rabbinorum expositiones, sed Catholicorum. Ergo Christiani non adhærescunt Hebraicis exemplaribus. Argumentum est Cani, & probat maiorem, quia Catholici, vel Septuaginta Interpretum, vel Latinam editionem exposuere. Minorem autem, quia indignum est, vt nunc denuo ab Hebræis nostræ fidei oracula petantur.

II. Respondeo dupliciter intelligi Scripturarum expositionem, nempe vel rerum vel verborum. De expositione verborum negatur minor. Nam Hieronymus non est dedignatus se Iudæo committere, vt Hebraicam & Chaldaicam linguam ab eo disceret, & quidem magno pretio, neque illum ob eam causam quisquam vituperauit vnquam. Et sane non video, quid in eo sit periculi, magis quam cum ab Ethnicis quotidie linguam discimus tum Græcam, tum Latinam.

III. Et tamen negari etiam maior potest. Non enim ea sunt nostra tempora, vt nemo Christianorum Hebraice sciat, quemadmodum Hieronymi seculo. Quin potius magnus est numerus eorum virorum quibus cognita fuerunt omnia eius idiomatis mysteria, vt ausint certare cum peritissimis Iudæorum. Vatablum certe & Mercerum Lutetiæ docente, ipsi Iudęi sunt admirati. Quid Pagninum dicam & Munsterum, & Quinquarboreum, & Clenardum? Quid Ceualerium, & Cornelium Bertramum, & AriamMontanum, & Genebrardum, & Iunium, & magnum Scaligerum, & reliquos? Ex iis iam tuto possumus, absque vllo Iudaismi periculo petere quicquid necesse est ad exactam linguæ sanctæ cognitionem.

IV. Iam si Canus se loqui dicat de rerum expositione; negatur maior. Cum enim ad Hebraicum contextum confugimus, nõ à Rabbinis quicquam petimus, sed à Prophetis, super quorum fundamento Paulus dixit fideles stabiliri, quibus etiam Petrus admonuit, eos qui attendunt, bene facere. Quis autem neget facilius mentem percipi Prophetarum, si ij nos suo ore alloquantur, quam per interpretes?

V. Ad probationem respondeo, primo non disci mysteria fidei tantum ex commentariis veterum, sed etiam; & quidem potissimum è textu, vnde illos ipsos commentariorum autores didicisse oportuit. Itaq; datur tertium membrum, vt discamus vel à Rabbinis, vel à Commentariis, vel à textu. Ergo etiamsi non discam à Commentariis, non ideo necesse est à Rabbinis.

VI. Quamuis non Commentaria quidem erunt inutilia. Quia etsi Græci, Latinique Patres Hebraice nesciuerunt, tamen Christiani fuerunt, ideoq; Theologi: Hebraice autem scire ad Grammaticam spectat. Illud vero etiam sine Grammatica comparari potest. Sic plerunque videmus ex Patrib. plurimos deceptos à praua versione, optimum è singulis locis sensum eruere, etsi recedentem à mente Prophetæ. Augustinus præfatione in Psalm. 33. cum præmanibus haberet vitiosissimam versionem cap. 21. prioris libri Samuelis, & legeret, *Et ferebatur manibus suis*, pro ויתהלל בודם, Græce παρεδίδετο ἐν τοῖς χερσὶ αὐτοῦ, confugit ad Eucharistiæ mysterium, in quo se suis manib. quodammodo Christus portabat. Omnino pie, quia erat Theologus; sed ἀπροδιονύσως, quia linguæ sanctæ ignarus.

VII. Huic argumento vicinum est hoc alterum eiusdem, à Stapletono approbatum & vsurpatum agente de auctoritate Latinæ editionis. *Sane*, inquit, *dum prouidam Dei dispensationem aduertimus, facile videmus, quemadmodum cum fidei rectitudine connexa semper fuerit Scripturæ veritas, & cum illa solita sit emigrare. Donec enim apud Iudæos solos firmitas perstitit rectæ fidei, apud eos quoq; solos Scripturarum soliditatem cognoscimus latitasse. Postea verò quam veritas à Iudæis repulsa, à gentibus suscepta est, digna Ecclesia gentium est habita, quæ proprio suo idiomate, id est, Græco, quod & vulgatissimum erat inter eos qui ex gentibus crediderant, Scripturam Noui Testamenti acciperet. Porro autem, cum ad Latinos deuolui iam fidei veritas cœpit, Græcis maxima ex parte, ab Ecclesiæ corpore disiunctis, certe dignam aliquam Scripturæ stabilitatem Latinos accepisse consequens fuit.* Formabitur hoc modo: Si Scripturæ Hebraicæ sunt authenticæ: ergo apud Iudæos est Scripturarum soliditas. At posterius absurdum, ergo & prius. Probatur assumptum, quia cum fidei rectitudine connexa semper fuit Scripturæ veritas, vt patet experientia.

VIII. Respondeo, quod dicitur apud Iudæos esse Scripturarum stabilitas, intelligi vel apud solos Iudæos, vel apud eos quidem, etsi non solos. Primo modo, negatur consequentia, quia textus Hebraicus non est apud solos Iudæos, sed etiam apud Christianos, qui illum multis editionibus suum fecerunt, vt Origenes per Tetrapla, Hexapla, & Octapla, deinde Complutenses, nouissime Antuerpienses, & alij.

IX. Posteriori autem, rursus distinguo. quomodo sit Scripturarum soliditas apud Iudæos, an tantum quantum ad textum, an vero etiam quantum ad fidem. Si quantum ad fidem, vt significetur Iudæos vere & sincere amplecti Scripturam, rursus nego consequentiam: Nam Paulus contra dicit, poster. ad Corinth. 3. *Occalluerunt mentes illorum. Nam vsque ad diem hodiernum in lectione Veteris Testamenti manet non retectum velamen illud, quod per Christum tollitur. Sed ad hunc vsque diem, quum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est.* Quis non inde videt haberi posse Biblia authentica, vt tamen non habeatur fides?

X. Sin autem, quantum ad textum, nego assumptum. Reuera enim nihil est absurdi, apud Iudæos fidei hostes, exstare authenticum contextum Bibliorum. Paulus certe asserit, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, eis credita esse eloquia Dei. *Quia nos credimus* (inquit Anselmus) *veras esse Scripturas, quas illi tradiderunt nobis, & à nulla alia gente libros diuina autoritatis recepimus.* Driedo Judæos vocat capsarios Scripturarum nostrarum.

XI. Falsum est itaque, quod de prouida Dei dispensatione Canus se iactat obseruasse, delusus à suo Titelmanno, nempe Scripturarum veritatem cum fidei rectitudine, solitam emigrare. Nam contra Driedo de ipsis Iudæis ita loquitur, *Ipsi inimici fidei nostræ, habentes Scripturas nobiscum communes, dum non intelligunt earum veritatem, etiam inuiti testimonium perhibent veritati, eosdem codices habendo & seruando.*

XII. Et sane quæro, quando fidei rectitudinem amiserint Judæi. Fatebuntur, opinor, statim post Christum crucifixum, imo vero, tum cum Christum crucifixerunt, sese his diris exsecrantes, *Sanguis eius sit super nos, & super filios nostros*, Matth. 27. At longo post eum diem tempore, id est, ad annos vt minimum, quadringentos, Judæi quantumlibet infideles, habuerunt Codices authenticos. Nam Hieronymus eos fontibus comparat, & quidem purissimis, nostrique aduersarij fatentur eo tempore nondum esse corruptos.

XIII. Sed in Ecclesia Græca magna est inconsiderantia Cani. Necesse est enim vt fateatur, vel per annos minimum mille Latinam Ecclesiam caruisse illa Scripturæ stabilitate, vel multo ante id tempus Græcos rescissos esse ab Ecclesia. Atqui vtrumque falsum est. Nam apud Latinos Latine exstabant libri Sancti longe ante Hieronymum, vel saltem ab ipso Hieronymo. At longe post Hieronymum in Græcia perstitit Ecclesia.

XIV. Quid? quod hæc non bene comparantur? Nam vt concedamus à Græcis discessisse fidei veritatem: tamen ipsis iudicibus Papistis Græca translatio est diuina, eamq; hodie illi ea laude ornant. Quid ergo causæ adferre possunt, quominus dicamus, diuinos esse codices Hebræos, quantumlibet Judæi, quorum ea lingua erat, discesserint à fide?

XV. Quid rursus? si negem nos Hebræos, & Græcos codices habere ab Hebræis & Græcis infidelibus? Sed ab Hebræis potius, & Græcis fidelibus? Nemo enim dubitat, multos è Iudęis credidisse in Christum. Apostoli omnes erant Judęi: Paulus etiam Pharisęus. Quis credat horum nemini vllos fuisse Hebręos codices? Quid? ne vlli quidem ex tot millibus, qui prędicante Petro crediderunt? Vt taceam, Ecclesiã, quę Hierosolymis perdurauit ad annos plurimos. De Gręcis autem res est manifestior, quam vt sit prolixius explicanda. Si ergo apud infideles fatear non remansisse Scripturę soliditatem, satis tamen multi restant fideles, à quibus eam discessisse, nemo aufit asserere.

***

CAP. X.

De Varietate codicum Græcorum.

I. QVæcunque editio codices habet multis locis varios, ea non est authentica. At editio Græca noui Testamenti Codices habet multis locis varios. Ergo editio Græca Noui Testamenti non est authentica. Est Cani, sed fusius explicatur apud Driedonem.

II. Probatur minor, tum ipso hodierno experimento, *Magna est enim* (inquit Canus) *dissensio Græcorum codicum, qui nunc habentur in manibus*, tum veterum testimoniis. Hieronymus in 5. ad Galatas, *Sed apud Græcos exemplaria sunt diuersa.* Longeq; ante eum Origenes, tract. 8. in Matth. testatus se dissonantia Veteris Testamenti potuisse conciliare, facto iudicio è variis editionibus: at non sic in Nouo sine periculo.

III. Respondeo, negari maiorem. Alioquin, vix vlla fuisset vnquam editio authentica, aut si aliquando aliqua, certe paucis annis. Nunc sane iamdiu nulla fuisset. Nam & Hebraicos codices non omnes semper concordasse, certum est ex Massoriticis notis. Et Græcorum Latinorumq; infinitam esse lectionum varietatem, res ipsa iampridem clamat. Sic Psalm. 71. iam olim alij frumentum legebant, alij firmamentum. Iob 19. alij certe, alij celte, id est scalprum. Psalm. 119. quidam, Conuerti pedes meos in testimonia tua, quidam, auerti. Matt. 6. quidam supersubstantialem, quidam, quotidianum. Cap. 10. quidam habent, Mortuos suscitate, quidam vero non habent.

IV. Si igitur maiorem omnino volunt esse veram atque vniuersalem, iam de gradu deiiciunt Latinam suam editionem, videant isti quid agant: nam quia à Titelmanno, Cano, & Stapletono audire meminerint connexam semper fuisse cum fidei rectitudine Scripturæ veritatem, eodem iure concludent à Romanis aufugisse fidei rectitudinem, vna cum Stripturarum veritate, atque illi à Judæis Scripturarum veritatem, vna cum fidei rectitudine. Nisi forte succurrat bonus ille Pontifex Sixtus V. fausto tandem sidere natus, qui è scrinio illo sui pectoris omnium iurium capacissimo codicem eructauit authenticum, cui reliquos omnes cedere sit necesse.

V. Sin autem non obstante illa codicum Latinorum diuersitate, suam editionem statuunt esse authenticam, eademq; opera maiorem infirmant argumenti, viderint qua fronte, quo iure sint in fontes iniurij. Saltem sciant nobis abunde suppeditari quod respondeamus.

VI. Maxime, cum sit magnum discrimen variarum lectionum. Nam etsi negari non possit, inductas esse à causa non bona, scilicet vel negligentia, vel imperitia, vel audacia describentium, tamen cum diligentius omnia considerarim, non est quicquam tanti momenti, vt periculosum aliquid inferat in Ecclesiam. Quod vt manifestum faciam, varias lectiones reuoco ad tria capita: Nam dictiones vel permutantur vicinæ, vel alienæ substituuntur, vel adduntur nonnullæ.

VII. Vicinarum dictionum duo sunt genera, vel enim παρώνυμοι sunt, vel συνώνυμοι. Illas appello quarum vox ipsa & sonus est similis, has vero, quarum, etsi vox sit alia, tamen sensus est idem. Priorum exempla. Matth. 8. quidam legunt εἰπὲ λόγον, quidam εἰπὲ λόγῳ, decimo ῥάβδον vel ῥάβδους. Marc. 9. ὃ γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστι, alij habent ὑμῶν, Et 12. nonnulli, εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη, alij ἰδών: Luc. 1. καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, alij τὸ γεννώμενον: Et 2. ἐπέστρεψαν οἱ ποιμένες, alij ὑπέστρεψαν. Hæc fortasse paulo audaciora: Marc. 1. κωμοπόλεις, alij κώμας καὶ πόλεις. Actor. 5. κατὰ τὰς πλατείας, alij καὶ εἰς τὰς πλατείας. At hæc tam exigua sunt, vt neminem credam eam ob causam velle Nouum Testamentum esse falsatum.

VIII. Alterius generis hæc sunt. Matth. 10. ἄξιος ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς: alij τοῦ μισθοῦ: Et 12. ῥῆμα σαπρόν: alij ῥῆμα πονηρόν, Cap. 15. ἐκραύγασεν αὐτῷ, alij ἔκραξεν ὀπίσω αὐτοῦ: Et 18. οὐκ ἔλαβεν, alij οὐκ ἔχει. Marc. 12. ἀγνοοῦσι λόγῳ, quidam παγιδεύσωσι. Luc. 2. τὸ εἰρημένον ἐν νόμῳ κυρίου, quidam τὸ γεγραμμένον: Et rursus τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ, alij ἐν τῷ Ἰσραήλ. Cap. 3. ἡγεμονεύοντος vel ἐπιτροπεύοντος Ποντίου: Et 16. alij βάτους ἐλαίου, alij κάδους: Et 17. μύλος, alij λίθος μυλικός. Actor. 1. ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν: quidam ἐν μέσῳ τῶν ἀδελφῶν. Hæc vero & eiusmodi alia pleraque sensum nullo modo variant, itaque ne hic quidem gradus obest sinceritati Euangeliorum, imo ne codicum quidem. Et sane superstitiosissimum eum futurum oportet, qui hæc minutula non minus insectabitur, quam maxima crimina. Quasi vero singulæ literæ magnum quid ad fidem conferant, quæ non est in cortice verborum sita, sed in medulla sententiæ. Huc refero & illud Matth. 1. διὰ τοῦ προφήτου, quod in aliis est διὰ τοῦ Ἡσαΐου: Et illud ex 14. ἔθαψαν αὐτό, quod alij mutant in ἔθαψαν τὸ πτῶμα αὐτοῦ.

IX. Ista paulo sunt maioris momenti, cum pro aliis vocib. aliæ substitutæ sunt diuersum significantes, cuiusmodi tamen paucissima exempla deprehendi Luc. 8. ἀπὸ τῶν πνευμάτων πονηρῶν, alij codices habent ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων, quod huc translatum videtur è 7. cap. Rursus 11. Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη, alij legunt Φαρισαῖος ἤρξατο διακρινόμενος ἐν ἑαυτῷ λέγειν, διὰ τί οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη. Et tamen antinomia nulla est. Nam illud θαυμάσαι, recte explicatur per ἤρξατο διακρινόμενος ἐν ἑαυτῷ λέγειν. Cap. 23. ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτόν, alij habent ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς. Primi significant à Pilato ad Herodē missos Christi accusatores, cum ipso Christo, posteriores vero ab Herode ad Pilatum Christum esse remissum non condemnatum. Vtrumque autem verum, imo etiam ad mentem Pilati.

X. Supersunt additiones duûm generum. Nam vel adduntur voces quædam, vel sententiæ integræ. Priorum exempla, quorum multo maxima est copia. Matth. 13. vidit Ioan. τὸ πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστεράν, quidam addunt ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Et 9. quare cum Publicanis ἐσθίει ὁ διδάσκαλος ὑμῶν, alij addunt καὶ πίνει. Et 13. ἦλθε τὰ πετεινά, alij adiiciunt τοῦ οὐρανοῦ. Et rursus τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός, alij τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν τοῦ πατρός. Marc. 1. τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει. alij τὸ πνεῦμα ἅγιον, rursus fuit illic in deserto ἡμέρας τεσσαράκοντα, addunt καὶ νύκτας τεσσαράκοντα. Et 11. καὶ οἱ πρεσβύτεροι, addunt τοῦ λαοῦ. Luc. 1. καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ, addunt διηρθρώθη. Tertio, τί ποιήσομεν? addunt ἵνα σωθῶμεν? Ad Rom. 16. ἡ ἀγάπη, addunt ἀδελφοί. Et 8. διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, addunt Χριστοῦ. Et 10. Ἀλλὰ τί λέγει, addunt ἡ γραφή. Et 14. ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, alij adiiciunt ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. Enimuero, ne hæc quidem magna sunt falsitatis crimina. Nam eiusmodi sunt magnam partem eæ voces, vt si non exprimantur, tamen sint intelligendæ.

XI. Alterum genus additionum, adhuc duplex est. Aliquando enim quædam additæ sunt sententiæ ex aliis Scripturæ locis; quod sæpius occurrit in Euangeliis, vt Matth. 10. εἰσερχόμενοι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν ἀσπάσασθε αὐτήν: Nonnulli codices addunt, λέγοντες, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ, quæ verba translata sunt è 12. cap. Luc. Rursus Matth. 24. Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι, μία παραλαμβάνεται, καὶ μία ἀφίεται; quidam addunt ex Luc. 17. δύο ἔσονται ἐν ἀγρῷ, ὁ εἷς παραλαμβάνεται, καὶ ὁ εἷς ἀφίεται. Marc. 14. προφήτευσον, addunt ex Matth. 26. χριστέ, τίς ἐστιν ὁ παίσας σε, Luc. 9. οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, additur ex Matth. 3. & 17. ἐν ᾧ ηὐδόκησα. Sic alia nonnulla, quæ nemo periculosa esse contendet. Sunt enim nata ex laudabili quorundam diligentia; qui Euangeliorum contexebant harmonias, vt olim Tatianus, non ita pridem Caluinus, Gerardus Mercator & alij.

XII. Aliud additionum genus multo omnium seuerissime erat castigandum, quod ortum habere non potuit, nisi ex scelerata quorundam audacia; qui sibi in sacratissimo Dei verbo quidlibet permittebant. Sic Luc. 6. quidam addunt, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ εἶπεν αὐτῷ, ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ. εἰ δὲ μὴ οἶδας ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης τοῦ νόμου. In Actis paulo sæpius, vt cap. 14. 15. 16. Et hæc quidem additamenta fateor in seipsis nihil habere impium, sed impudentiam tamen produnt non tolerandam. Nihil autem nobis nocent: nam reperiuntur tantum in manuscriptis, iisque paucis & obscuris.

XIII. Et generaliter hæc codicum diuersitas, originali non potest editioni præiudicare. Sic Bellarminus, obiectionem aduersus editionem Latinam, ex 3. Geneseos, soluens respondet, non esse contra vulgatam editionem, si conuincatur debere legi *ipse*, vel *ipsum conteret*, non autem *ipsa*, quia codices habent vtrumq;. Et sane ipsa ratio cogit, vt codices distinguamus ab editione. Hæc enim profecta est ab vno principio, illi autem quotidie fiunt autoritate priuata, vel potius cuiuslibet voluntate, itaq; non bene concluditur à singulis codicibus aduersus primariam editionem.

CAP. XI.

An Editio Hebraica sit corrupta à Iudæis.

I. NVlla editio corrupta est authentica. At editio Hebraica Veteris Testamenti, & Græca Noui est corrupta. Ergo non est authentica. Argumentum Cani lib. 2. cap. 13. Bellarmini cap. 2. & 7. lib. 2. de Verbo Dei, & Stapletoni in Relectione controu. 5. quæst. 3. art. 1. & 2. Mariani Victorij in annot. ad Hieronymi 145. Epistol. quæ est ad Damasum de Hosanna. Gordoni Huntlæi Epitomes de Verbo Dei cap. 8. Nec omissum à Driedone cap. 1. lib. 2. de Scriptura sacra.

II. Probatur minor seorsim de vtroque Testamento, & quidem de Veteri, magno conamine, primum testimoniis Scripturæ, deinde autoritatib. veterum Patrum, tertio Rabbinorum professione, quarto quorundam locorum obseruatione. Testimonia sunt Scripturæ apud Salmeronem prolegomeno 4. Hieremiæ. 8. *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est: Vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.* Hæc Spiritus, prædicens malignitatē, qua textus Scripturæ vitiaturos præuidebat. Rursus Hier. 23. *Et peruertistis verba Dei viuentis.* Iam inter veteres, Iustinus libro contra Tryphonem, multa loca ab Hebræis consulto falsata recenset, qualè est illud Psalm. 96. *Dominus regnauit à ligno*, vnde illi abstulerunt *à ligno*, ne crucis Christi mysterium Christiani contra eos extollerent. Eusebij lib. histor. 4. cap. 18. Origenis homil. 12. in Hieremiam. Chrysostomus Homilia 5. in Matthæum. Hieronymi Epistol. 89. & in 5. caput Michæ, & in 3. ad Galat.

II. Rabbinorum professionem late prosequitur Porchetus in Victoria aduersus Iudæos cap. 15. & Galatinus libro primo cap. 8. à quibus reliqui mutuati sunt quicquid habent. Accusat igitur Iudæos Porchetus, quod multa mutauerint per Tikkun Sopherim, id est, correctionem Scribarum, alias voces aliis permutantes, & mysteria quædam inclyta, consonaque fidei Christianæ de libris abradentes, ac longe aliud quiddam reponentes, Malachiæ 1. *Expirare fecistis eum*, pro *me*. Threnorum 3. *Tabescet super me anima mea*, pro eo quod scriptum erat, *super te anima tua.* Geneseos 18. *Abraham stabat coram Domino.* Alias legebatur, *Dominus stabat coram Abrahamo.* Numer. 11. *Non videam malum meum*, pro eo quod erat *malum tuum.* Iob 7. *Et ero super te*, pro, *super me.* Et 32. *Impie agent cum Iob:* ante erat, *cum Deo.* Ezechiel. 8. *Ipsi erunt mittentes fœtorem ad nasum suum:* pro, *ad nasum meum.* Oseę 4. *Gloriam suam in ignominiam mutando*, pro *gloriam meam:* Et similiter Hierem. 2. *mutauit gloriam suam*, pro *gloriam meam.*

IV. Respondeo negari minorem. Nam, si corrupta fuit Scriptura Veteris Testamenti, tum id oportet factum, vel à Christianis, vel à Iudæis. At neutrum verum est. Non enim à Christianis, quia id Judæi conquererentur, quod tamen ne fando quidem auditum est vnquam, deinde mutata essent ea maxime quibus Judęi abuti solent aduersus fidem Christianam, quod tamen non est factum. Mitto dicere, quanta hinc resultet in totam Ecclesiam infamia.

V. Si vero Scripturas Judæi corruperunt, tum id necesse est factum vel ante Christum, vel post Christum. At neutrum. Ergo Iudæi Scripturas non corruperunt. Non ante Christum, quia primo id crimen Christus, nunquam reprehendit, nunquam etiam Apostoli, quibus cum Iudæis, & quidem animosissimis negotium erat. Non tacuissent autem, si sciissent, nec nesciissent, si verum fuisset. Secundo, Christus & Apostoli Scripturas Veteris Testamenti serio commendant Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas.* Matth. 23. *In Cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi: quæcunque dixerint, seruate & facite.* Paulus poster. ad Timoth. 3. *Tu à puero sacras literas nosti, quæ te possunt sapientem reddere in salute.* Petrus poster. 1. *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes.*

VI. Addo Iudæorum incredibilem erga sacros libros religionem, quam Philo testatur apud Eusebium de Præparatione Euangelica libr. 8. cap. 2. editionis Latinæ. πλειόνων ἐτῶν διεληλυθότων, τὸ μὲν ἀκριβὲς οὐκ ἔχω λέγειν ὁπόσων, πλείω δ' οὖν ἢ δισχίλια ἔτη, μὴ ῥῆμα γε αὐτοὺς μόνον τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγραμμένων κινῆσαι, ἀλλὰ κἂν μυριάκις αὐτοὺς ἀποθανεῖν ὑπομεῖναι θᾶττον, ἢ τοῖς ἐκείνου νόμοις καὶ ἔθεσιν ἐναντία πεισθῆναι: *Tot iam elapsis annis, id est, plus quam duobus millibus, quamuis non sit exacta computatio, ne verbum quidem Iudæis mouere suorum quo Moses scripsit, & millies potius eligerent mori, quā sibi aliquid persuaderi*

deri contra leges, morefve à Mose traditos. Quin etiam narrant quendam magistrum à discipulo, cui nomen erat Ioab, occisum eo quod Deuter. 25. legisset זֵכֶר memoriam, pro זָכָר masculo.

VII. Iam si post Christum, ergo vel ante Hieronymi tempora, vel deinceps. At neutrum est verum. Non enim ante, quia purgant Iudæos & Origenes & Hieronymus, quod obseruarunt Driedo, & Bellarminus ante me, ille 8. libro in Esaiam, hic vero in eiusdem Prophetæ caput 6. At his exacte notum erat vetus Testamentum, & quidem Hebraice, imo alter vertit Latine, ex iis codicibus qui tum temporis erant in omnium manibus, & quidem, vt magis mireris, vsus magistro Iudæo infideli, nec paruo pretio.

VIII. Sed ne deinceps quidem, quod multis rationibus probatur. Primo Augustinus vixit paulo post Hieronymum, qui tamen Iudæos purgat, libro de Ciuitate Dei cap. 13. Secundo, quia longe lateque diuulgata erant exemplaria, & Christianis ipsis communicata, vt nulla arte corrumpi possent omnia. Tertio, quia, teste Hieronymo, & Augustino, ipsi Iudæi laudabant Hieronymi translationem, eiq; fidelitatis testimonium dabant. Quarto, quia paulo post Hieronymum confecta est Massora, quam vtilissimum thesaurum Arias appellat. In ea omnes annotatæ sunt variæ lectiones Hebraici contextus summa fide ac diligentia. Quinto, quia nullus hodie locus proferri potest, quem non ostendamus sic hodie legi, quomodo olim ab Hieronymo, qua de re paulo post.

IX. Denique, si corrupissent Iudæi Scripturas, id profecto fecissent in odium Christi, ac proinde eos omnes locos immutassent, è quibus luculentas eruimus fidei nostræ demonstrationes. At id tantum abest vt sit factum vt potius longe illustrius faueat fidei nostræ Hebraicus contextus, quam Latina aut Græca versio. Nam & aliquos locos Hieronymus obseruauit citatos in Nouo Testamento, qui non reperiebantur apud Septuaginta. Et Andradius non veretur asserere, si quis Iudæorum voluerit petulantiam coercere, perfidiam coarguere, dementiam reprimere, multo apertiora, atq; illustriora ex Hebræis, quam ex Latinis Græcisq; voluminibus argumenta deductum. Atque adeo Ioannes Isaacus, is qui contra Lindanum diligenter Hebraici contextus sinceritatem tuebatur, professus est, se Prophetarum, ac maxime Esaiæ, continua meditatione ad fidem fuisse perductum.

X. Quod si neq; ante Christum, neque post Christum Iudæi falsarunt textum Hebraicum, certe nunquam falsarunt. Proinde Guido Fabritius, præfatione in Nouum Testamentum Bibliorum Antuerpiensium, diserte asserit Sacra Biblia tanta cum integritate ad nostra vsque tempora peruenisse, vt nec à Iudæorum peruersitate, nec à græcanica Philosophorum leuitate, nec à veterum Romanorum superstitione, aut denique à Barbaris vllis nationibus fuerint vnquam corrupta, aut violata.

XI. Nunc respondeo ad argumenta in contrariam partem. Vterque Hieremiæ locus detorquetur. Prior iactantiam redarguit eorum, qui legis titulo superbiebant. Itaque sensus est, ipsos scribas, quum se doctores legis scriberent, fœde mentiri. Quanquam Lyranus refert ad falsam & extortam legis interpretationem. In altero idem illud *peruertistis*, interpretatur pro in alium sensum vocabulum detorquere, ludendo ambiguitate. Sed in vtroque loco præcipue obseruandum agi contra eos siue scribas siue doctores, qui longe ante Christum fuere. At hos constat Scripturam non corrupisse, vt antea diximus.

XII. Autoritates Patrum nihil habent difficile. Iustinum recte Bellarminus obseruauit agere de falsatione non textus Hebraici, sed Septuaginta Interpretum. Verba sunt diserta. πολλὰς γραφὰς τέλεον περιεῖλον ἀπὸ τῶν ἐξηγήσεων τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολεμαίῳ γεγενημένων πρεσβυτέρων, *multos locos funditus abstulerunt ex interpretationibus seniorum qui fuerunt tempore Ptolemæi. Nec Eusebius de suo quicquam profert, sed tantum citat Iustinum.*

XIII. De Origene simile iudicium, imo etiam certius. Non tantum enim Græcos codices reprehendit, sed etiam errorem deprehendit ex Hebraicis. Duo sunt loci eiusdem homiliæ, prior ad eum locum, *Et reddam primum duplices iniquitates.* Conqueritur in Græcis exemplaribus non legi vocem *primum. Quod ait primum,* inquit, *siue non intelligentes quidam quod scriptum est, abstulerunt, siue Septuaginta interpretes, sicut & cætera, secundum dispensationem suam auferre voluerunt, Dominus viderit.* Quis non videt Græca exemplaria designari? Sed & vox ea legitur in Hebræo. Alter locus est ad vers. 1. cap. 17. *Deinde alia sequitur Prophetia, quam nescio quare apud Septuaginta non inuenientes, in cæteris editionibus, quæ cum Hebræo consentiunt sermone, reperimus.* Et paulo post. *Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Iudæi qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco pro peccato Iuda, peccatum eorum posuerunt.* In prioribus verbis satis aperte Hebraicam defendit veritatem, in vtrisque autem eum errorem reprehendit, quem & nos hodie facile deprehenderemus, quia textus Hebraicus, is ipse, inquam, quo vtimur hodie, sic habet, vt legendum Origenes contendebat.

XIV. Chrysostomi locus ita habet, cum ageret de famosissimo illo Esaiæ loco, *Virgo concipiet.* εἰ δὲ ἐντεῦθεν ἐπιστομισθέντες ἑτέραν ζητοῖεν τὸ περὶ τῆς παρθενίας λεχθὲν, καὶ προβάλλοιντο ἡμῖν ἑτέρους ἑρμηνευτὰς, λέγοντας, ὅτι οὐκ εἶπον παρθένον, ἀλλὰ νεᾶνιν, πρῶτον μὲν ἐκεῖνο ἐροῦμεν, ὅτι τῶν ἄλλων μᾶλλον ἁπάντων τὸ ἀξιόπιστον οἱ ἑβδομήκοντα ἔχοιεν ἂν δικαίως, οἱ μὲν γὰρ μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν ἑρμηνεύσαντες Ἰουδαῖοι μείναντες, καὶ δικαίως ἂν ὑποπτεύοιντο, ἅτε ἀπεχθείᾳ μᾶλλον εἰρηκότες, καὶ τὰς προφητείας συσκιάζοντες ἐπιτηδές. *Si sic conuicti, ad illud alterum confugiant, de virginitate, & obiiciant alios interpretes dixisse non virginem, sed iuuenculam: Primum illud regeremus, omnium maxime fide dignos esse Septuaginta. Alij enim post Christi aduentum interpretati, Iudæi permanserunt, merito suspecti, vt qui ex odio loquuti sint, & Prophetias de industria obscurarint.* Hæc Chrysostomus, quem omnes iam vident non Hebraicum textum comparasse cum versionib. Sed Septuaginta interpretes, cum recentioribus, puta Theodotione, Aquila, Symmacho. Itaque nihil ad rem.

XV. Vnus superest Hieronymus, qui commentariis in Micham, & ad Galatas, sine dubio nonnihil sugillat Hebraicorum codicum integritatem: sed dubitabundus, non autem quicquam asserens. In Micham. *Nec in Hebraico, nec apud alium inuenitur interpretem, & siue de veterib. libris erasum sit malitia Iudæorum, ne Christus de tribu Iuda ortus videretur, siue à Septuaginta additum, nequaquam liquido cognoscentes, certum quid nouimus.* Ad Galatas, *Incertum habemus vtrum Septuaginta interpretes addiderint, omnis homo, & in omnibus, an in veteri Hebraico ita fuerit, & postea à Iudæis deletum sit.* Sed hæ hominis incerti dubitationes, non debuerunt proferri tanquam disertæ assertiones, maxime cum aliis locis eos rideat, qui putant translationes esse ipso textu puriores. Tertius autem locus ex Epist. 89. aperte pro nobis pugnat. *Ego* (inquit) *non tam vetera abolere conatus sum, quam ea testimonia quæ à Iudæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium, vt scirent nostri, quid Hebraica veritas contineret.* Perspicuum significari Septuaginta Interpretes, apud quos sæpe queritur non legi quosdam locos, qui cōtinentur in textu Hebraico. Proinde, si quid erroris denotat, Interpretes illos accusat omnino, non autem Hebraicam editionem, cui & veritatis nomen statim quasi ἐξαιρέτως tribuit, & ex ea se profitetur voluisse eos locos suis communicare. Atq; hæc fuit constans eius viri sententia.

XVI. Sequitur Tikkum Sopherim. Eius fidem Bellarminus eleuat. Nec prorsus immerito, cum de ea emendatione nihil sciamus nisi ex Thalmud, libro fabulosissimo, cui certe qui plus tribuunt, quam sacris libris, ij non satis videntur emunctæ naris, imo potius non satis sinceræ fidei. Et si facta est ante Christum, mirum est tantum de ea silentium esse & in Nouo Testamento, & apud veteres omnes Origenem, Epiphanium, Hieronymum.

XVII. Multo magis vero factam esse in præiudicium Christianæ fidei. Nam eius autores, vel Prophetas fuisse oportet, vel Iesum ignorasse, quandoquidem ante aduentum suum Christus, nisi doctore Spiritu sancto, cognosci non potuerit. At si fuerunt Prophetæ, quis credat corrupisse verbum Dei? Si nescierunt Christum, qua arte locos illos potuerunt eligere, quibus possent eius mysteria confirmari?

XVIII. Sin autem fuerunt post Christum, qui factum est, vt non modo Hieronymus, sed etiam Septuaginta Interpretes, & Itala Editio, & Jonathan Chaldæus Paraphrastes, qui ante Christum vixerunt, eas corruptiones non tantum præuiderint, sed etiam diuinarint iisq; vsi sint? Nam omnes locos, qui annotantur, in eundem sensum inuenias, cum in Græca, tum in Latina editione, vt iam Bellarminus obseruauit, atque etiam in Paraphrasi Chaldaica. In Malachia legunt Græci ἐξεφυσήσατε αὐτά: Latini, *& exsufflastis illud.* Chaldaice ושנקתון יתה. *Et suffocastis illud.* Threnor. 3. καταδιαλεχθήσεται ἐπ' ἐμὲ ἡ ψυχή μου. *Tabescet in me anima mea.* Chaldaice ותצלי עלי נפשי. *Et curuabitur super me anima mea.* Ezech. 8. nihil habent Septuaginta quo magis significetur nasus meus, quam nasus eorum: Sed Chaldaice, לאפיהון Latine, *in nares suas*, Oseæ 4. τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς ἀτιμίαν θήσομαι. Latine: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* בקלנא חלפו יקרהון, *gloriam suam cum ignominia commutarunt.* Iere. 2. ὁ δὲ λαός μου ἠλλάξατο τὴν δόξαν αὐτοῦ. *Populus meus mutauit gloriam suam. Chaldæus paraphrastice* מיתי על יהון יקרם ועמי שבקו פלחניד' בדילה אנא: *Et populus meus deseruit cultum meum, propter quem ego induco super eos gloriam.* Nec diffido alios itidem locos similiter cessuros, si extaret integrum Jonathanis opus, in totum corpus Vet. Testamenti.

XIX. Sed tamen demus aliquid tale factum esse, quod etiam Junius non inficiatur, refertq; ad Synodum illam magnam, tempore Esdræ, cum dicuntur libri sacri restituti, quod si est, tum nullum est Judæorum crimen, nulla textus falsatio, sed necessaria codicum correctio autore Spiritu sancto. Demus id, inquam. Non video tamen cur tanti clamores tollantur in Judæos. Nam primum, quicquid inde scimus, habemus ab ipsis, qui eos locos in libris suis diligenter obseruarunt. Hoccine vero est indicium malæ fidei? Discant id Papistæ saltem à seipsis, qui indices expurgatorios, quantum poterant, occultabant, ne fraudem quisquam posset olfacere. Cum igitur illi bona fide professi sint, & quid mutarint, & quomodo mutarint, quis non videt nulla malitia peccasse?

XX. Secundo, ij loci eiusmodi sunt, vt etsi ad Christum accōmodari posse non diffitear, maxime si tales exstarent, quales primo fuisse supponuntur, tamen obscuri sint, cedantq; hac parte aliis multis, quorum multo clarissima est assertio. Quis autem verisimile credat, eos, viros astutos, iis vulnusculis mederi voluisse, quæ (vt verbis vtar Hieronymi) acu forata erant, imo puncta, illa autem vulnera, quæ lancea & phalaricæ mole percussa sunt, neglexisse?

Cap. XII.

De locis, quos Papistæ obseruant corruptos in textu Hebræo.

I. Enumerantur autem sigillatim corrupti non pauci loci, tum ab aliis, tum à Gordono longe plures, & animosius, quasi in id vnū intento studium, dignum profecto Jesuitico ingenio. Pertractabo omnes nullo neglecto.

II. Primus locus, Esa. 9. Latina editio: *vocabitur nomen eius.* Septuaginta, ἐ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ. passiue, vt & apud Chaldæum paraphrastem שמיה ויתקרי, At mutatis tantum punctis Judæi ex passiuo fecerunt actiuum: שמו ויקרא. *Et vocabit nomen eius*, vt videlicet omnia illa præclara epitheta auferantur à Christo, & tribuantur Deo patri; Christo vero relinquant tantum, quod sit, *princeps pacis.* Ita hunc locum legentes, *Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi, vocabit nomen eius*, scil. Messiæ *principem pacis.* Porro Caluinus hanc Judæorum deprauationem agnoscit non vno loco.

III. Respondeo, deprauationem aliam esse interpretationis, aliam literæ. Interpretationis deprauationem siue hoc loco, siue aliis multis non nostrum est excusare, nedum tueri, præcipue Judæorum, quib. cum nobis Christianis nihil est per Dei gratiam cōmune. Sed literæ deprauatio, etsi prætextu plausibili torqueatur in Judæos, tamen hæret tota Scripturæ sacræ, cuius autoritas si pessundetur, nulla porro futura est, cui satis tuto nostram salutem committere possimus. Itaque hac parte oportebit nos Judæis patrocinari, non aduersus Christianos, absit, sed aduersus Papistas, qui per Judæorum latus petunt fundamentum Prophetarum. quod cum fundamento Apostolorum totum sustentat Ecclesiæ ædificium.

IV. Ergo huius loci nego esse literam deprauatā. Nego Caluinū id agnoscere, aut quicquā dicere, mutandum in textu Hebræo. Nam ille profecto in Judæis solam reprehendit constructionis alterationem. Verba ex Cōmentariis, *Absurdum est, quod Iudæi volunt hoc verbū* ויקרא *iungendum esse cum substantiuo* ל א, *quod est in medio clausulæ, vt sit sensus, Deus fortis, admirabilis, cōsiliarius vocabit nomen eius Patrē æternitatis, principem pacis.* Similiter Instit. lib. 1. c. 13. §. 9. *Oblatrant hic quoq; Iudæi, & sic lectionem inuertunt, hoc est nomē, quod vocabit eum Deus fortis, pater futuri seculi, vt hoc duntaxat filio reliquum faciant, principem vocari pacis.* Cæterum de vlla textus ipsius falsatione, ne tenuissima quidem suspicio venit ei in mentem.

V. Dicam amplius, ne omnes quidem Iudæos huius παρερμηνείας reos esse. Galatinus 3. cap. 19. de Arcanis, solum Rabbi Selomonem accusat. *Rabbi Selomo*, inquit, *nomina hæc non de Messia, sed de Rege Ezechia exponit. Sic enim ait: Et vocauit nomen eius scilicet Ezechiæ Deus sanctus & benedictus, qui est admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater sempiternus, principem pacis.* Et vero ita legas in eius commentariis. הקבה שהוא מפליא עצה ואל גבור ואבי עד קרא שמו של חזקיהו שר. שלום ויקרא שמו : Et addit rationem בימיו כי שלום ואמת והיה. *Quia pax & veritas futura esset in diebus eius.* Non potest ergo excusari Selomo. Sed est-ne omnium Iudæorum commune crimen? Imo audi Abben Esram. השם השם הילך יש.אומרים בי והנכון בעיני כי כל אלה שמות הילד פלא יועץ אל גבור אבי עד הן שמות שר שלום. *Sunt, qui dicant hæc, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater seculi, sunt nomina Dei: Et nomen pueri sit princeps pacis, sed mihi videtur potius, omnia ista sint nomina pueri:* Et quanquam interpretetur de Ezechia, tamen hoc nobis sufficit, ad vindicandam literæ integritatem, & Iudæorum, si quæ sit, innocentiam.

VI. Sed fallitur Caluinus, inquit Gordonus; Quamobrem, ô bone? Quia nimirum neget hanc deprauationem ortam ex male positis punctis. Et tamen inquam, hoc non agebatur, tuq; testem adducebas textus falsati. Quare tamen fallitur? Nunquam; inquit, potuisset sententia hæc peruerti transpositione verborū, nisi prius fuissent mutata puncta passiua in actiua. Ain' tu? Confidenter id quidem. Atqui ego contra doceo. Nam Chaldæus ille Paraphrastes, qui passiua, si non legit, saltem interpretatus est, corrupit hunc ipsum locum interpretando, & nomina illa non retulit ad puerum. Vertit enim ita. משיחא דשלמא יסגי עלנא ואתקרי שמהמן קדם מפליא עצה אלהא גברא קים עלמא בימוהי. Quę verba perperam sunt reddita in editione Antuerpiensi. Sonant autem ita, *Et vocabitur nomen eius ab Admirabili in consiliis Deo, vir cōfirmatus in secula, Messias cuius pax multiplicatur super nos in diebus eius.* Nam Galatinus nugatur, qui מן קדם interpretatur absolute, *Vocabitur nomen eius ex parte, vel de ante,* cum sit frequentissimum pro præpositione significante causam à qua. Hosee 1. מן קדם יהוה פתגם נבואה. *Verbum Prophetiæ à facie Domini.* Et vero in Abdia sic exprimitur. מאת יהוה quod manifeste est, à Deo.

VII. Et tamen confidenter Gordonus. Si legamus *vocabitur*, inquit, nulla futura est ambiguitas. Fortasse, inquam. Verum hoc non quæritur, sed vtrum mutatio sit facta, id est, vtrum, cum Hebraice esset *vocabitur*, suppositum sit, *Vocabit*. Nec sequitur, si ambiguitas sit aliqua, ergo, aliquā mutationem esse factam, nisi tam simus à bona mente alieni, vt nihil in Scripturis concedamus ambiguum esse, nisi mutatum, nisi deprauatum.

VIII. Cæterum iisdem omnino seruatis punctis actiui verbi, idem sensus efficitur, & quidem cōmodissime, imo etiam vsitatissime, quem Latinus interpres expressit passiue. Sciunt enim Hebraice docti, & impersonaliter plerūque sumi verba tertiæ personæ, nullo expresso rei agentis nomine, & Emphasin inesse in singulari, vt sit, *Vnusquisq; vocabit eum.* Id Caluinus obseruabat, notans vsum Prophetam indefinito verbo, vt cum vulgo dicimus, *On appellera.* Itaq; solent Septuaginta, solet Latina editio id phraseos genus passiue interpretari Ezech. 23. ובדאו אותהן בחרבותם. *Et confodiet eas gladiis suis.* Chaldaice, *confodient.* Græce κατακεντήσουσι. Latine, *Confodientur.* Mich. 2. ישא עליכם משל λημφθήσεται ἐφ' ὑμᾶς παραβολή, *Sumetur super vos parabola.* Prou. 2. ובוגדים יסחו ממנה. οἱ δὲ παράνομοι ἐξωσθήσονται ἀπ' αὐτῆς, *Et qui inique agūt. auferentur ex ea.* Hierem. 10. כי-עץ מיער כרתו מעשה ידי-חרש במעצד. ξύλον ἐστὶν ἐκ τοῦ δρυμοῦ ἐκκεκομμένον ἔργον τέκτονος. Latine, *Quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia:* Ad verbum, sed ambigue, quasi opus artificis præcidisset, quod non est ita, sed præcidit aliquis, quicunq; tandem fuit, vt esset opus manus artificis. Quid plura? Steuchus in Genes. 9. *Ad imaginem Dei factus est homo, Hebraice non est passiuum. Sed* עשה *hoc est fecit, quod Septuaginta per primam personam pronuntiarunt* ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον. *id est, in imagine Dei feci hominem. Potest quoq; esse tanquam impersonale, quam verborum qualitatem non per passiua, vt nos, sed per actiua Hebræi exprimunt, vt illud, Adæ non inueniebatur similis, vbi est* מצא *inuenit.* Pererius in Genes. 15. & illud, *Reputatum est illi ad iustitiam. Mos est Hebræorum non unquam præteritum actiuum ponere pro passiuo, vt Micheæ primo. De mercede meretricis cōgregauit. Sed Latinus interpres intelligens illud præteritum actiuum cōgregauit, habere vim passiui, ita vertit, Quæ de mercede meretricis congregata sunt.* Similia vide apud Riberam in 2. Micheæ. Satin' hæc contestata sunt? Addo exempla ex ipso Esaia. Capite 22. *Et reuelabitur operimentum Iudæ* ויגל. *& reuelabit.* Et 26. *Ponetur in ea murus & antemurale:* ישית *ponet.* Et 27. *Ne forte visitetur cōtra eam.* יפקוד *visitet.* Deniq; huius ipsius verbi, quod nunc in manibus, en tibi simile prorsus, Iudic. 1. ויקרא את-שם העיר חרמה Pagninus ad verbum. *Vocauitq; nomen ciuitatis Horma.* At Latina editio, *Vocatumq; est nomen vrbis:* Græce, ἐκάλεσαν.

IX. Deniq; hic vsus adeo facilis est, vt Galatinus, diserte opponens Christianorum interpretationem interpretationi Selomonis, scripserit: *Nos nihil in verbis Prophetæ addentes, nihilq; ibi mutantes* (hoc nota) *vt ipse facit, qui vt sensum Prophetæ peruertat, multa ibi addit, multaq; mutat, infantem hunc nobis natum, ac nobis datum, secundum priscorum Thalmudistarum glossas Messiam esse dicimus.* Hæc Galatinus cap. 19, tertij de Arcanis, prolixe agens de hoc loco contra Iudæos, nec tamen vllam mutationem accusans. Et sane hoc quicquid suspicionis est, non putem aliunde esse, quam à mera Hebraismi ignorantia.

X. Secundum locum Bellarminus notauit huic primo similem Ierem. 23. וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו. *Et hoc nomen eius quod vocabit, Dominus iustitia nostra.* At vulgata editio, *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Hinc efficaciter probatur, inquit Gordonus, Messias esse verus Deus. Iudæi, vt eludant, mutato vnico puncto in vltima litera Vau nempe Schurek in Cholem, ex verbo pluralis numeri fecerunt verbum singularis numeri cum affixo, totum sensum immutantes. *Hoc est nomen illius qui vocabit eum* יהוה *iustitia nostra.* Caluinus agnoscit hanc esse deprauationem.

XI. Atqui hoc de Caluino manifestum mendacium. Verba lege. *Iudæi qui videntur aliis modestiores, nec audent canina impudentia corrumpere totum contextum, eludunt hoc nomen Christi, etiamsi in ipsum proprie competat. Dicunt igitur nomen Christo imponi, quia minister sit Iustitiæ Dei.* Sic in commentariis, nec aliter in Institutione. Vbi rursus accusatur corruptio interpretationis, non adulteratio literæ.

XII. Et vide vero accusatorum imperitiam. Corruptionem arcessitā sola mutatione vnius punctuli. Atqui fieri nequit. Constat enim retinendum esse pronomen, quod nec Latinus interpres omisit, reddens, *eum*, nec Septuaginta, αὐτόν, nec Paraphrasis Chaldæa ליה. Hoc posito, dico fieri non potuisse, vt nihil mutaretur præter vnum punctulū, quia dicendum fuerat, vel יקראוהו vel certe יקראו אותו quæ mutatio longius abit.

XIII. Sed Latinus Interpres habet *Vocabunt.* Et Chaldæa paraphrasis קרן. Ita est, inquam. Sed Septuaginta habent singulariter τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὃ καλέσει αὐτὸν Κύριος Ἰωσεδέκ: pene dixeris in gratiam Iudæorum. Nam manifeste construitur καλέσει κύριος. Et nomen illud proprium Dei inde distractum cum sequente confunditur, vt fiat vnum Ἰωσεδὲκ pro duobus *Iehoua Sedec.* Atqui si facta corruptio esset ex vocalium additione, qui potuit cognita esse Interpretibus Septuaginta, aliquot seculis ante eam denatis?

XIV. Cæterum nego Latinum Interpretem, qui dixit *Vocabunt*, legisse pluraliter in textu Hebræo. Non enim necessaria consequentia, & do exemplum in contrarium. Primi Regum 23. וישטף את-הרכב, ad verbum: *Et lauit currum.* Dicin' corruptum? Magno scilicet Iudæorum emolumento. Et tamen Septuaginta, καὶ ἀπενίψαντο τὸ αἷμα ἀπὸ τοῦ ἅρματος. *Et lauerunt sanguinem à curru.* Latina editio. *Et lauerunt currum eius.* Amos quarto. ונשא אתכם בצנות: *Et leuabunt vos in contis.* Καὶ λήψονται ὑμᾶς ἐν ὅπλοις. Abacuc 3. גזר ממכלה צאן. Græce per plurale actiuum, [illegible]: at Latine, *Abscindetur de ouili pecus.* Est vero eadem phrasis, quæ in præcedente loco: Et potuit promiscue verti Vocabunt, & vocabitur.

XV. Sed Iudæi, inquit, voluerunt eludere. Mutando literam? Hoc falsum. Neque adeo verum sic exponere, vt dicant Iehouam ipsum sic vocaturum. Nam primo absurde facerēt. Quis enim sensus, Jehoua vocabit nomen eius, Iustitiam nostram? Ne Chorœbus quidem tam absurde cogitaret. Deinde res ipsa contra est. Nam Kimchi interpretatur ad hunc modum המשיח בזה השם יהוה צדקנו יקראו ישראל יקרא. *Appellabit eum Israel: appellabitur Messias hoc nomine, Iehoua iustitia nostra.* Quid potuit quisquam Christianus, quod ad literam attinet, amplius? Sed interpretando torquet, vt monuerat Caluinus. Dictum eo nomine תמיד לא יסור לפי שבימיו יהיה צדק יהוה לנו קיום *propterea quod in diebus eius Iustitia Iehouæ erit nobis, quia nunquam recedet.* Et addit exempla, cum Moses altare vocauit, *Iehoua exaltatio mea*, & Iacob, *Deus Deus Israelis.* Erronea sane esto interpretatio, prout refutat Caluinus, sed litera tamen manet integra, eadem constructione qua Christiani vtuntur.

XVI. Tertium locum Gordonus adscripsit ex 33. Hieremiæ. Vulgata editio habet. *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Vbi nomen יהוה tribuitur Christo. Et sic Septuaginta, sic Chaldæus. At Iudæi puncta mutarunt, & literas aliquot. Olim scribebatur eodem modo, quo c. 23. id est, in exemplo præcedenti. Sed nunc, *Et iste, qui vocabit eam* (videlicet Hierusalem) *Deus iustitia nostra.*

XVII. Ergone huic homini semel persuasum, vbicunq; differant versiones ab Hebræo contextu, hunc esse corruptum? Et id ab initio lectum, quod in versionibus? Monstrum iudicij, cui nullum simile hactenus inuētum. Nec mirum, non enim iamdiu sunt Iesuitæ. Scilicet Judæi corruperunt. Nam quid enim magis vrgebat hic locus, quam qui proxime considerati sunt? Et cur non eædem in interpretando illis artes in promptu erant? Sed Iesuita vni intentus calumniæ, vni curæ, vt Judęos, imo non tam Judæos quam Scripturam, suspicionibus oneret, nihil admissurus est, quod ei sit sanando. At nos pro certo habemus nunquam aliter fuisse scriptum Hebraice, & Interpretes sibi plus æquo permisisse

XVIII. Nam quid enim interest? aut quid absurdi? Primum nego vertendum, *Iste qui vocabit.* Sed potius *Istud*, siue, *hoc est quo vocabit.* Nulla enim circunstantia est, quę illud ferat. Secundo, quid absurdi est, si *eam* dicas? Nam constructio facilis: Quia proxime præcedit Iuda, & Hierusalem, quo refertur. *In diebus illis seruabitur Iuda, & Hierusalē habitabit secure, & hoc est, quod vocabunt eam, Iehoua iustitia nostra.* In proximo exemplo ratio erat alia: quia habet בימיו *In diebus eius:* vt postea facilis relatio esset, *Et hoc nomen eius, quo vocabunt eum.* At hic aliter, בימים ההם *in diebus illis.* Meminisset saltē Huntlæus suorum peruicaciæ, qui negant *Hanc Petram* referendum ad remotius, vt ne hoc loco, pronomen זה traiiceret longe importunius.

XIX. Sed Ecclesia, inquit, etsi vocetur corpus Christi, & aliquando Christus, nunquam tamen vocatur verus Deus, vel Iustitia nostra. Imo improbe discerpuntur, quæ Deus connexuit. Nō enim vel verus Deus, vel Iustitia nostra, sed verus Deus iustitia nostra, quod longe est aliud. Qua autem ratione Ecclesia Christus dicitur, eadem dici potest, imo dici debet, *Deus iustitia nostra.* Quia Christus vere est Deus, iustitia nostra. Sed non est Ecclesia corpus Christi, nisi ratione humanitatis, non autem diuinitatis: Ambigue. Nam si rationem dicas, id per quod, concedo, vere enim propter assumptam humanitatem membra sumus Christi, sed si intelligas id cui negatur: nam etsi propter humanitatem tantum, tamen vere vniti sumus Deo, non enim discerpendæ sunt naturæ. Egregie Caluinus ad hunc locum. *Capite 23. hoc nomen Christo datum fuit, & proprie etiam competit in ipsum solum, nunc autem transfertur ad Ecclesiam, nempe quicquid proprium est capiti, commune fit omnibus membris.*

XX. Et tamen referunto sane ad remotius. Nempe ad illud oportet צמח צדקה, *germen iustitiæ.* Dico rursus nihil mutandum, & Hebraicam elegantiam esse, vt id *germen iustitiæ.* etiamsi masculini generis, referatur postea per pronomen fœmininum לה (qui Latinis solœcismus esset) propter additum statim Iustitiæ nomen fœminini generis. Quod ne cui mirum sit, do exempla. Primi Regum 17. וצפחת השמן לא חסר, *Et ampulla olei non deficientis*, pro non deficiens. Primi Samuel. 2. קשת גברים חתים: *arcus fortium confractorum* pro confractus. Et hanc notat esse consuetudinem eius linguæ Kimchi in illum priorem locum. Sic ergo relatiuum לה referri poterit ad צמח צדקה, propter צדקה, quod est nomen fœminini generis. Et sic satis fiet importunis clamoribus accusantium textum Hebraicum, eruntq; Interpretes functi officio, Hebraismum negligentes.

XXI. Porro, vt Iudæorum videas hoc loco fidem nō esse Punicam, Dauid Kimchi interpretatur ad hunc modum. אמרו הקודש ברוך הוא יקרא לירושלם יהוה צדקנו כלומר שיושביה, *Deus Sanctus benedictus vocabit Hierusalem Iehoua, Iustitia nostra, quasi dicat eius ciues dicturos, Iehoua Iustitia nostra.* Quę cōstructio lōge alia est ab ea quā fingit Gordonus.

XXII. Quan-

XXII. Quartus locus à Gordono est ex 62. Esaiæ. Vulgata editio habet, *Ecce Saluator tuus venit*. Sic Septuaginta Interpretes. Sic Chaldæus Paraphrastes. Quin & S. Hieronymus testatur suo tempore in Hebræo textu lectum, *Iesus*, id est, *Seruator*. Sed iam mutatis punctis Judæi legunt, *Ecce salus tua venit*, quam salutem referunt ad Deum Patrem; non ad Christum. Imo non desunt ex Judæis, qui contendant legendum esse *Saluatus tuus*, quorum verba refert Galatinus cap. 1. de Arcanis 6. Caluinus autem legit, *Saluator tuus*.

XXIII. En tibi iterum, Vulgata editio, & Septuaginta, & Paraphrastes. Ergo textus corruptus. Et ita semper posthac, vt ne mihi sit necesse sæpius admonere. Atqui vitiosissima conclusio est, vt dixi, non enim ex fide versionum æstimanda fides textus, sed contra. Tum autem nego aliter legisse, sed tantum aliter esse interpretatos. Nam exempli gratia, in hoc ipso loco Paraphrastes habet מתגלי, *reuelatur*. An, quia non legit בא *venit*? Imo legit בא & reddidit מתגלי, nimirum, quia idem sensus. Septuaginta dixerunt παραγίνεται, eadem libertate. Scilicet tam proxima sunt vocabula Salus tua, & Saluator tuus, quam proxima sunt *venit*, & *reuelatur*, & *adest*. Itaq; non erat Jesuitis legitima accusandi causa, nisi quamuis occasionem rabies adiuuaret.

XXIV. Enimuero quod notat Hieronymum testari suo tempore lectum *Iesus*, impostura est. Hoc ille tantum, *Ecce Saluator tuus venit, qui in Hebraico dicitur Iesus*. Quæ verba non significant ita lectum, sed tantum designari eum cui nomen sit Iesus, nempe à Saluando. Nam Jesus, יהושע nomen est proprium. Non ignorabat autem Hieronymus, non ferre Syntaxin Hebræam, vt dicatur Jesus tuus.

XXV. Quosdam Galatinus nominauit, qui Saluatum dicerent. Quosdam, inquis? Atqui vnicum ille: Rabbi Barachiam. Quid vnus, vt omnes accusentur? Quanquam Saluatus, magis est in versione Galatini, quam in verbis Barchiæ: nam verba Hebræa sic recitantur, vt nunc habemus, nempe ישעך, quod nulla ratio mutare potest in *Saluatum*. Viderit Galatinus quantum memerit fidei. Quod reliqui salutem hanc referant ad Deum Patrem, non ad Christum, id vitium est interpretationis, non autem vlla literæ corruptio. Interpretatio autem æque Saluatorem torquere potest: nam quid est, quominus dicant, Ecce Saluator tuus venit, nempe Deus Pater? Adeo gratis Iudæos odit, imo Scripturam lancinat Jesuita.

XXVI. Quintus locus ex Psalm. 22. Vulgata editio habet, *Foderunt manus meas, & pedes meos*. At Hebraice, *Sicut leo manus meæ, & pedes mei*. Nam כרו siue כארו mutatum est in כארי. Quæ corruptela adeo est manifesta, vt nemo ferme sit ex Christianis qui non agnouerit.

XXVII. Hic vero duriores esse fateor Iudæorum partes, quorum fraudem seuere Caluinus accusat, vt quorum vnicum studium sit Iesum crucifixum spoliare suis insignibus, ne Christus & Redemptor appareat. Sed Judæos tamen excusauit Genebrardus sic annotans. *Locus quidem est corruptus, sed* αὐτομάτως, *fortuito & casu, quasi per se, & sponte propter nimiam affinitatem duarum literarum Iod & Vau, quæ adhuc olim erat maior in manuscriptis, dum inter se duntaxat parua longitudine differunt. Alioqui Iudæi locum non corruperunt de industria, sed varie lecti & scripti, alteram siue lectionem, siue Scripturam, id est, nostram agnoscunt, & interpretantur, alteram vero, id est, deteriorem, vt quæ suam ipsorum, perfidiam prætegat, sequuntur. Nam quod nostram sequantur, apparet è magna Massora. Deinde & glossa Hebrea ad illud capitis vicesimi tertij Numerorum,* כארי *sicut leo, quæ notat in exemplaribus correctis hic scribi Caara, non Cari.* Vide reliqua: nam locus est prolixus. Hoc vero si est, quid habent Iesuitæ quod conquerantur?

XXVIII. Huntlæus instat, primo, etsi in plerisq; exemplaribus habeant Caaru, tamen omnes legere Caari. Deinde hanc geminam lectionem non esse adeo antiquam, sed multis seculis post Christi aduentum. Viderit, inquam, Genebrardus, cuius tamen nomini longe amplius deferendum, quam Huntlæo, vix diffitebuntur docti, vtpote Hebraice doctissimo. Sed nos Judæorum culpas nullas præstare satagimus.

XXIX. Quid ergo? Nempe Scripturarum potius integritatem defendimus, quam inique accusari à Iesuitis non patimur. Hoc autem loco iniquissime accusari, quis non videt, quando non tantum Judæi, saltem nonnulli (ipso teste Huntlæo virulentissimo accusatore) scribat Caaru, sed etiam omnes Christiani legant ad eum modum? Quid tu mihi Judæorum lectionem obiicis? Aut quæ Scripturæ culpa est, si in suis Synagogis Verpæ blasphement? Inuictissimum mihi argumentum. Omnes Christiani hoc loco legunt *Caru*: Ergo hic locus non est corruptus.

XXX. Sextus locus ex Psalm. 19. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, apud Septuaginta, & Latinam editionem, imo apud Paulum ad Roman. 10. At Judæi corrupte legunt, *In omnem terram exiuit linea eorum*. Qui error inde ortus est, quod ex קלם factum est קום mutata vna litera.

XXXI. Respondeo, non esse falsatum locum, imo nego aliter legisse Interpretes Septuaginta, sed duntaxat interpretatos esse non ad literam, sed ad sensum. Quomodo alias, Psalm. 8. cum apud Septuaginta, tum apud Paulum ad Hebr. 2. ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Nec tamen quisquam concludit corruptum esse locum apud Judæos, qui legunt, מאלהים, quo Deus significatur potius. Et alias sæpe.

XXXII. Sensus autem facile percipitur, tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus. Nam ita locus habet, *Non est sermo, neque sunt verba, vbi non audiatur vox eorum. In omnem terram exiuit linea eorrum, & in extremum orbis eloquia eorum*. Recte annotauit Mollerus. *Explicatio est superioris membri. Ostendit enim, quomodo cœli apud omnes populos sine discrimine concionentur*. Certe Lorinus. *Fieri potest*, inquit, *vt ad sensum respiciendo, etsi legerint Septuaginta* קום, *maluerint reddere sonum, vt docent Eugubinus, &, Genebrardus, præterea Titelmannus, Bredembachius, &, quem postea legi, Maluenda*. Nempe, inquam, hi sunt mihi omnes testes contra Bellarminum, qui contra: *Si legissent Kauuam, nunquam vertissent* φθόγγος αὐτῶν, *id est, sonus eorum, nisi imperitissimi fuissent*.

XXXIII. Cæterum tam manifesta est textus circumstantia, vt Judæi ipsi, quorum nomini inuidiam facere conatur Gordonus, viderint קום non vsurpari proprie pro linea. Abben Ezra exponit per מכתב Scripturam, quæ τοῦ φθόγγου signum est: & comparat cum Esaiæ 28. מכתבם יקרא בכל מקום ויבינו מה טעמו כל המשכילים בכל מקומות הארץ והטעם כי. *Et sensus est, quod Scriptura eorum legitur in omni loco & docti sensum eius intelligunt in omnibus locis terræ*. Nec multo secus Selomo Iarchi, השמים שהם נמתחים אורת שהם ראים על פני כל הארץ ומחמת כן בקצה תבל מליהם קן שהכל מדברים בנפל, *Linea cœlorum, qui extensi sunt super faciem totius terræ, propterea in extremo orbe verba eorum, quia omnes loquuntur de mirabilibus quæ vident*.

XXXIV. Septimus locus ex Psalm. 95. Septuaginta Interpretes, Vulgata editio, sed & Paulus ad Hebr. 3. habent, *Semper errant corde*. At in Hebręo contextu, *Populus errantium corde*. Nempe; quia ex Dalet facta est litera Mem, & עד semper, mutatum in עם populum. Causa corrumpendi, ne Patres Iudæorum viderentur semper errasse.

XXXV. Eleganter, inquam, diuinant Iesuitæ; quod nusquam viderunt. Alioquin vnde habet Gordonus extenuatum apud Iudæos aliquando peccatum eorum qui perierunt in deserto? Nam de his sermo est in eo Psalmo, non vniuersim, & indefinite de toto Israele ab initio ad finem. Sed enim in re ipsa; cuiusmodi acumen est? Legi vult עד תועי לבב. Fidem vestram, Hebręi, quodnam hoc genus orationis est? Aut vbi simile exemplum? Nisi forte dicas, *Vsque ad errantes corde*: nam ea significatio est eius particulæ. Imo, inquit, עד semper. Dato testes, & vicerit. Huius, inquam; phraseos. Scimus enim, interdum verti seculum, aliquando æternitatem. Sed, *Semper*, omnino dico carere exemplo.

XXXVI. Itaque nego locum corruptum, sed duntaxat liberius conuersum. Nam reuera, quod populum Propheta dicit errantem corde, satis apparet dictum, non propter actum vnum, & transeuntem, sed propter habitum. Vnde illud, *Quadraginta annis litigaui cum generatione hac*. Kimchi, אמר בי כל ארבעים שנה הייתי בקטטה עמהם, *Dixit, Totis quadraginta annis fui in contentione cum eis*.

XXXVII. Octauus locus, Iudicum decimo nono. Iam Hebraice habetur in omnibus codicibus, quod vxor illius Leuitæ fornicata fuerit contra illum, vel apud illum. Constat autem non ita vertendum esse, sed quod illa irata contempserit illum, vel discesserit ab illo, seu reliquerit eum. Nam Septuaginta verterunt iuxta Romanam editionem, καὶ ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ *Et recessit ab eo*. Iuxta editionem Antuerpiensem, καὶ ὠργίσθη αὐτῷ, *Et irata est ei*; Vulgata habet, *Et reliquit eum*. Josephus Antiquitatum lib. 5. cap. 6. nihil omnino de fornicatione scribit, sed duntaxat de dissensione ob aliam causam inter eos orta. Chaldæus similiter de fornicatione nihil, sed duntaxat, quod illa spreuit, aut contempsit maritum. Error est ex mutatione vnius literæ in simillimam. Nam זנה est fornicari: at זנח recedere, contemnere.

XXXVIII. Tanti scilicet erat vnius ἀγοραίας γυναικὸς fama, vt vellicaretur Scripturę autoritas. Quis sperasset, tam nihili futuram codicum sacrorum reuerentiam apud quenquam Christianum, vt omne genus testium aduersus eam admitteretur? Et tamen hi testes quid habent virium? Negantne illam concubinam, sic enim appellatur, esse fornicatam? Minime vero, sed iras dicunt, & demum recessionem. Ego vero, si Iesuitarum ingenium bene norim, sacramento ausim contendere, si nos priores occupassemus accusare vel Latinam editionem vel Gręcam, mille illis artes futuras in promptu ad excusandum peccatum. Enimuero, quid si Interpretes iras dixerint, quæ solent esse ex fornicatione? Nam Iosephum iras dicere ob aliam causam ortas, mēdacium est, ἐρῶν, inquit, σφόδρα τῆς γυναικὸς, καὶ τοῦ κάλλους αὐτῆς ἡττημένος, ἠτύχει τῶν παρ' ἐκείνης οὐχ ὁμοίων πειρώμενος, *Cum impense amaret mulierem, victus forma, non est expertus ab ea reciprocum affectum*. En tibi, non amabat illa virum, & mirum cuiquam est, esse fornicatam?

XXXIX. Enimuero non negem procliuem esse lapsum præ literarum vicinitate. Sed hæc coniectura si quid habet ponderis, cur non in Septuaginta coniicias ἐπορεύθη, corruptum ex ἐπορνεύθη? Nam etsi phrasis durior ἐπορνεύθη ἀπ' αὐτοῦ, vnde crediderim occasionem mutandi, tamen non aliena ab Interpretibus, qui nimis sæpe vertunt κατὰ πόδας. At Hebraice, etsi vicinæ sunt literæ, non itidem vicina vocabula, vocabulorumve constructio. Itaq; nego legitimam orationem esse ותזנח עליו. Nego venire vnquam hoc verbum in hoc genus constructionis. Imo semper actiue sumi, & actiue construi: Vt Psalm. 88. תזנח נפשי, *abominatus es, auersatus es, reiecisti animam meam*. Threnor. 2. זנח ארני מזבחו, *auersatus est Dominus altare suum*. 1. Paralipom. 28. יזניחך לעד, *auersabitur te in æternum*. Itaq; hoc loco fuerat dicendum ותזנחהו, *Et auersata est eum*. At verbo זנה constructio illa familiaris est. Ezech. 16. ותזני על שמך, *Et scortata es aduersus nomen tuum*: Osee 9. כי זנית מעל אלהיך, *Quoniam scortata es contra Deum tuum*.

XL. Nonus locus ex 2. Samuel. 5. Desunt illa duo verba, quæ habentur in Latina versione, *Proposuerat præmium*, nimirū Dauid: vt constat ex 1. Paralip. 11. vbi habetur integra sententia. Id agnoscunt Geneuenses in Vatablo corrupto: Et Biblia Geneuensia in annotationibus, & Rabbini teste Pagnino in Thesauro ad radicem שבע.

XLI. Imo nihil deest. Testes sunt iidem, qui alias Gordono frequenter laudati Paraphrastes Chaldæus, & Septuaginta. Ille sic reddit ad verbum, *Et dixit Dauid in die illo, Omnis qui occiderit Iebuzæum; & inceperit subigere munitionem, peccatores, & culpatos abiicit anima Dauid*. Isti autem paulo liberius, καὶ εἶπε Δαυὶδ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, πᾶς τύπτων Ἰεβουσαῖον, ἁπτέσθω ἐν παραξιφίδι, καὶ τοὺς χωλοὺς, καὶ τυφλοὺς τοὺς μισοῦντας τὴν ψυχὴν Δαυίδ: Satin' id Iesuitis? Nam si erratum esset, longe ante Christum fuisset.

XLII. Et falsum est vllum defectū hoc loco cognitum esse ab vllis quos addit testibus. Vatablus dixit, *Omittitur præmium, vt in Genesi, pœna eius qui ceciderit Cain. Subaudienda sunt verba, quæ primi Paralipomenon leguntur*. Annotatio Geneuensis, *Loquutio est imperfecta, non enim designat, quid fuerit promissum*. Rabbini autem, teste illo ipso Pagnino, *Non exposuit quid faceret illi, sed Scriptura inquit, quod faceret illum ducem; quamuis Scriptura sit abbreuiata, sed in libro Paralipomenon exposuit*. Quid ad Gordonum? Omitti præmium dixit Vatablus. At non dixit falsatum esse locum, sed id significauit quod Geneuenses, per loquutionem imperfectam, quod Rabbini, per Scripturam abbreuiatam. Nimirum quam Græci, ἀποσιώπησιν dicunt, cum non perficitur sensus orationis, sed inchoatur. Sicut Martyr dixit esse abruptam loquutionem & Eclipticam. Atque adeo comparant cum alio loco ex Genes. 4. *Qui ciderit Cain*. Verba hæc sunt Kimchi, הימים ואמר כל מכה ולא אמר מפרש מה יעשה לו ובמוהו כל הורג קין ובדברי. *Et dixit, Quicunq; percusserit, nec dixit quid ei facturus esset. Simile illud, Quicunq; occiderit Cain. Sed in Chronicis exposuit*.

XLIII. Etenim illud Genes. 4. paulo aliter exponunt Rabbinorum nonnulli, quam nos, teste Lyrano, *Exponitur communiter sic intelligendo, quod oc-*

cissor ipsius Cain debeat septuplum puniri. Et paulo post, cum hanc expositionẽ refutauit, *Propter quod aliter exponunt Hebræi dicentes, quod ista punitio septupla non refertur* (sic enim lego: nam male omissa est negatio) *ad mortem Cain. Sic exponendo literam. Omnis qui occiderit Cain. Ibi est punctus, & finis sententiæ: & subintelligitur, grauiter punietur: sed modus punitionis non exprimitur. Et talis modus loquendi in pluribus locis est in sacra Scriptura, secundum literam Hebraicam; vt patet per exempla supradicta de verbis Cain ad Abel.* Quin hunc ipsum locum, quem nunc habemus præ manibus, in iis exemplis defectiuarum locutionum Lyranus numerabat, *Dixit Cain ad Abel fratrem suum. Quid autem sibi dixerit, non exprimitur in Hebraico textu. Nam illud quod subditur in translatione nostra, Egrediamur foras, nõ est de textu: & ideo dicunt Hebræi quod Cain dixit Abel fratri suo verba iniuriosa, quærens occasiones occidendi eum, licet non sunt expressa in textu illa verba. Et simile habetur, Secundi Regum quinto; vbi translatio nostra habet, Proposuerat enim Dauid illa die præmium ei qui percussisset Iebusæum. Et non exprimitur ibi aliquid de præmio, nec in particulari, nec in generali.* Nonne dirum esse oportet ingenium Iesuiticum? multaque rabie ferri in Scripturas sacras?

XLIV. Locus decimus poster. Paralipomenon 21. Iosaphat vocatur rex Israel, cum tantum fuerit Rex Iuda, vt habent Septuaginta, & Vulgata editio. Idem error cap. 28. cum Achas Rex Iudæ, dicitur Rex Israel.

XLV. Nos vero his locis aliquantum recedi ab vsu communi concedimus. Nam post Salomonem sectum esse regnum, vt aliud esset Iudæ, aliud Israelis, scimus. Sed corruptum contextum, nos sane religiosiores sumus, quã vt audeamus dicere. Et cur non vtroq; illo loco neglectum potius vsum illum vulgatum? Nam regnum Iuda ipsum pars olim fuerat regni Israelitici. Et vterque, tum Iosaphat, tum Achas, legitimus successor Dauidis, imo Solomonis, qui ipsi reges fuerant Israelis: ipsis igitur iure debebatur regnum Israelis. Non tam abest Israel à Juda, quam coruus non rediens in arcam, à coruo redeunte. Et inuenit subtilitas Iesuitarum rationem, qua tueantur non redeuntem, in Latina editione. Et in Esteræ additamentis, quanto distat spacio vir Macedo ab Agagæo? Et inuenit tamen Iesuitica subtilitas, quomodo Macedonem eundem interpretaretur & Agagæum. An ex iis sunt, quos Plutarchus alicubi notat instar earum auium, quæ in tenebris acutum vident, in luce cæcutiunt? Nos sane, textum corruptum non dicimus, multoque magis potuisse eos reges Israelis dicere, quam hodie se nonnulli dicunt reges Hierusalem. Et Interpretes tamen non procul abisse ab officio, qui synecdochen phrasi propria mutarint. Denique Hoseæ 5. *Attendite, Domus Israel.* In ea verba sic cõmentatur Kimchi, ביתוּשׂיאלכי הם עקר בית ישׂראל ,יקרא שׁבט יהודה *Et vocauit tribum Iuda, domum Israel, quia sunt fundamentum domus Israel.*

XLVI. Vndecimus locus. Secundi Paralipomenon 26. transpositis duabus literis, Ain & Mem, mutati sunt Ammonitæ in מעונים, vocem omnibus plane incognitam: Septuaginta Interpretes, & Vulgata editio habent Ammonitas; & recte, vt patet ex sequenti versu.

XLVII. Atqui Septuaginta non habent Ammonitas, neque ex eo versu, neque sequenti, sed μιναιοις, nisi fallit editio Antuerpiensis: Sed cur mutatum? Quia, inquit, Mehonim, quid sit nemo nouit. Quid tum? Quasi in locis propriis mirum sit nonnihil hodie esse non cognitum. Et non in eodem ipso versu habeas Gurbaal; itidem locum incognitum: nec designatum, nisi generali nomine Arabum, quod cur non referatur ad hos Mahonitas? Nisi verior forte sit coniectura Iunii, qui Arabes dixit habitantes in Gurbaal, & indigenas: quod ille quidem viderit.

XLVIII. Sed, inquit, ex versu sequenti apparet legendum Ammonitas. Ast ego nego. Nam etsi Ammonitæ nominentur: tamen quis docet idem repeti nomen? Et non potius tres populos nominari ἀσυνδέτως, Judææ, vt notat Junius Philistinos ab Occidente, Arabas à Meridie, Ammonitas ab Ortu: ex quibus ad Arabas pertinuerint tum Gurbaalitæ, tum Mahonitæ? Nihil hîc admodum difficile est: aut cur quisquam aduersus Scripturam debacchetur.

XLIX. Locus duodecimus. Josue 21. totus versus 36. in quo numerantur quatuor ciuitates refugii, quæ erant in tribu Ruben, deest in omnibus antiquis Bibliis Hebraicis & Chaldaicis, vt in Bibliis Hebraicis Venetiæ editis cum commentariis Abben Ezra: & testis est Kimchi in Josue: & constat ex magno Massoret Judæorum: Et notant Tostatus, Masius, Arias Montanus, Lucas Brugensis. Christiani propria autoritate addiderunt hunc versum ex Septuaginta Jnterpretibus, & Vulgata editione, atque etiam ex 1. Paralipomenon 6.

L. Nihil sincere Gordonus agit. Deest (inquit) in omnibus antiquis Bibliis. Atqui hoc falsum scire potuit ab illo ipso suo teste Luca Brugensi, à quo credo habuisse, quicquid hic blaterauit. Nam is, *Notat Kimchius* (inquit) *se in antiquis exemplaribus, nisi quibusdam, non inuenisse.* Cur hanc exceptionem Gordonus amouit? Et omnino omnia exemplaria exclusit? Atqui ea nobis sufficit. Nam, vt vertas te in omnes facies, id dumtaxat concludas, quosdam codices Hebræos esse mutilos: adde si velis maiorem partem. At non omnes tamen. Sufficeret vnus non corruptus: sed ille plures vno dixit. Hos igitur, quo iure Gordonus potuit arguere? Atqui horum nos habemus apographa. Nam omnes Bibliorum Hebraicorũ editiones, quas hodie manibus terimus, hunc habent versum: Venetæ, & Antuerpienses, & Roberti Stephani, & Munsteri, & Geneuenses, & Hartmanicæ. Vnde ergo tam alti clamores?

LI. Christiani addiderunt. Falsum, inquam. Nam quomodo addiderunt codicibus illis, quos Kimchi vidit, & quidem non recentes? Et qui Christiani addiderunt? aut quando? Priuatane an publica autoritate? Si priuata, ergo nullius ponderis. Si publica: quanam ista? Jn quo concilio? Et saltem, vt Papisticè tantisper loquar, quo decernente Papa? Tum autem, vnde? An ex Chronicis? Vnde ergo Chaldæa paraphrasis, quæ nulla Chronicorum? An ex versionibus Latina & Græca? Vnde ergo tanta discrepantia harum versionũ ab Hebræis vocibus? Esse enim magnam & idem Lucas testis est; & res ipsa clamat. Hebræa habent, *De tribu Ruben, Betser & suburbana eius, & Iahatsa & suburbana eius. Cedemot & suburbana eius: Mephaal, & suburbana eius: ciuitates quatuor.* At Latina, *De tribu Ruben vltra ciuitates refugij Bosor in solitudine Misor, & Iaser: & Ietson & Mephaad, ciuitates quatuor cum suburbanis suis.* Et ille scilicet desumptus est ab isto? A Græca autem editione non potuit, in qua nullus est.

LII. Tum autem vide nequitiam. Corruptus est textus Hebræus: quia in plerisque exemplaribus non reperitur. Quid ergo (inquam) Latinus? Consentiuntne omnes codices? Jmo Lucas, *Magna hoc loco exemplarium, nec tantum Latinorum diuersitas. Quædam hunc versum omnino non legunt.* Et nonnullos enumerat eiusmodi: nõnullos qui haberent; sed manifeste additũ ad marginem. Scilicet deuenerunt in manus nostras eorum apographa, qui correctiores: Hebræorum vero non potuerunt. Et Latinis incorruptis fides habẽda. Hebræis autem abroganda omnibus ex æquo. Tam longe absunt Papistæ à prosopolepsia. Gratias agimus, æterne Pater, quod nobis saniorem mentem dederis; & maiorem erga Scripturas tuas reuerentiam.

LIII. Decimustertius locus ex Psalm. 37. vbi versus, *Iniusti punientur*, qui habetur apud Interpretes Septuaginta, & in Editione vulgata, desideratur: quem fuisse olim in Hebræo constat: quia, cum alterni versus sequantur ordinem Alphabeti, deest sola litera Ain. At iniusti sunt עוילים, vt Iob 19. Itidem Psalm. 145. deest versus, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Nam eius Psalmi versus incipiunt singuli à singulis literis Alphabeti: deest autem sola Nun, ad quam pertinet נאמן fidelis.

LIV. Etiam ludit insultans Scripturæ. Nam quid est ludere, si hoc non est? Proh Dei atque hominum fidem! tam nihil pudet Iesuitas! vt aduersus sacrosanctam Scrpturæ autoritatem, nulla tam leuia sint argumenta; vt non sint pro demonstrationibus? Certe Genebrardus quanti id sit, indicauit, *Aliqui conijciunt* (inquit) *dimidium hunc versum à Iudæis detractum.* Et post, *Sed iam respondimus, Septuaginta addidisse sæpe de suo, quæ ad sententiam perficiendã desiderari existimabant: vt hoc loco, quo apertior esset antithesis, ista interiecerunt, quæ videbant à Dauide prætermissa per εὐφημισμὸν, quod nollet contaminare suum ordinem literarum, mentione* עוילים *siue* עוולים *iniustorum, prauorum.* Et in Psalmum alterum; Prophetam non scripsisse: sed *Septuaginta versum putauerim prophetice restituisse, vt pleraque alia: de quibus proinde recte Hieronymus. Septuaginta addiderunt aliqua, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti autoritatem.* Quanto impudentior Gordoni audacia; quam religiosior Genebrardi modestia.

LV. At imperfectus est ordo literarum. Valeat (inquam) hæc coniectura, apud eos, qui calumniari malunt, quam adorare plenitudinem Scripturæ. Sed piæ mentes non ignorant, quanta libertate hoc quicquid est artificij Spiritus Sanctus adhibuerit. Psalm. 25. singulos versus singulis elementis ordine notauit. Et tamen præterquam quod duo ה & ו copulauit in vnum versum: omisit etiam ק: Et supra numerum addidit ad extremum literam פ. Psalm. 34. ה est omissa. Et rursus ad finem superaddita פ. Psalm. 111. singulis versibus binæ literæ continentur: nisi quod tres פ צ ק, in vnum sunt coniectæ: & tres rursus ת, ש, ר, in vltimum. Similiter in centesimo duodecimo. Cur nemo defectum clamat? Cur nemo corruptionem accusat?

LVI. Decimus quartus locus Genes. 49 in præclara illa prophetia patriarchæ Iacob de Christo, Vulgata editio habet, *Donec veniat qui mittendus est.* Hebraicè שלח. Id Iudæi fecerunt שילה addito Iod, & mutando ח in ה.

LVII. Quinam Iudæi, inquam? Non post Christum. Nam neque Septuaginta habent, neque paraphrasis Chaldæa. Illi verterunt, *Donec veniant, quæ reposita sunt ei*, siue, vt alij legunt, *Donec veniat cui repositũ est*: quod notauit ipse Gordonus. Atqui vtraque hæc versio propius accedit ad hoc quod nunc legimus, quam ad alterum: mutatis tantum vocalibus: nimirum, vt pro Siloh, legerint Sello. Nec abludit Chaldaica paraphrasis, *Donec veniat Messias, cuius est regnum.* Itaque temere dictum, olim fuisse scriptum שלוח. Ego contra dico nullo argumento non tantum probari, sed ne coniici quidem. Et vero quæ fuisset occasio mutandi? aut quid expressius habet שלוח quam שילה? Illud mittendum significat, fateor: sed solusne fuit mittendus Messias? Annon omnes Prophetæ? An erat, (inquit) vnum ex propriis nominibus Messiæ? Falsum, inquam. Modestius Pererius ad hunc locum, sæpe hoc vocabulo eum insigniri: sed proprium esse nomen nemo hactenus audiuerat. Esaiæ 8. legis Aquas Siloe; Et Ioannis 9. sed esse iis locis nomen Messiæ proprium, ne Augustino quidem crederem; si diceret Augustinus: sed nullo modo Huntlæo, quum non dixit Augustinus. Nam interpretari de Christo, non nego: sed tanquam tropicum: & quomodo typorum nomina rebus significatis applicantur.

LVIII. Verumenimuero vide mihi quantum vir distet à viro. Infirmandę prophetiæ de Christo corruptionem factam deierat Gordonus. At contra Porchetus Victoriæ contra Hebræos parte 1. c. 2. *Primitus dicendum est, quod vbi nos habemus, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: aliter se habet Hebraica veritas. Ista namq; translatio nostra magis est iuxta sententiã, quã literalis. Quapropter Iudæi in hac parte viam latam habent fugiendi, & negandi veritatẽ, faciẽ veritatis habentes.* Sic enim puto legendum, non habentem, vt in meo codice. Similiter Galatinus de Arcanis lib. 4. c. 4. Post recitatum locum obiicit Hocstratus, *Hæc verba longe secus, quam nostra editio habeat, adduxisti.* Respondet Galatinus, *Ita prorsus est, vt ais. Sed multo melius pro nostra fide Hebraica veritas habet. Ista namque nostra expositio magis iuxta sensum est, quam literalis. Vnde Iudæi nostri temporis latam habent viam fugiendi, negandæque veritatis.*

LIX. Et vero pleriq; Rabbini exponunt de Messia. Porchetus & Galatinus laudant Bereschit Rabba, & Eka Rabbati, id est commentarios antiquos in Genesin & Threnos. Rabbi Selomo Iarchi in hunc versum disertus, עד כי יבא שילה המשיח שמל ובה שלו ובן תרגמו אקלום מלך, *Donec veniat Silo, rex Messias cuius regnum pacificum. Et sic interpretatus est Onkelus:* David Kimchi non alienus in radice שיל Sic ille, על דוד שהוא משבט יהודה או על המשיח והנביאה. *Prophetia est de Dauide, qui fuit ex tribu Iuda, vel de Messia.* Accedit autoritas Paraphrastis, de qua Porchetus, *Quod autem eiusmodi translatio præmissorum* (Suam dicit, non illam vulgatæ editionis) *atque in parte expositio sit fidelis, ostenditur per Targum, id est, per translationem Chaldaicam à quodã proselyto sapiente, nomine Enkalos*, (Onquelos dicunt hodie) *de toto Pentateucho longe ante aduentum Saluatoris factam. Quæ inter Iudæos tantam autoritatem obtinet, quod à nullo eorum sibi præsumitur contradici.*

LX. Atqui hæc vox שילה Hebraice nihil significat, inquit Salmero, Prolegomeno 4. aut occultæ est & ignotæ significationis. Posterius, inquam, forte verum: sed prius non potest: nam refutatur ab omnibus, qui in eius laborarũt etymologia, quam vide apud Porchetum, Galatinumq; locis notatis, & apud Pagninum in Thesauro, ad radicem שיל: & apud Mercerum Com-

mentarijs

mentariis in Geneſin Quid tum autem, ſi difficile vocabulum eſt? Quaſi in tota Scriptura nullum aliud? Aut ſi quod aliud, continuo corruptum.

LXI. Decimus quintus locus, Iudicum 18. in vulgata editione dicitur Gerſon filius Moyſi. Idem habent Septuaginta in libris correctioribus, teſte Theodoreto. Et tamen in Hebræo textu dicitur Gerſon filius Manaſſes.

LXII. Et hanc corruptionem in iis numerat, quas ex induſtria factas dicit à Iudæis. Mirum cacoethes. In eo Iudæos accuſare, cuius nihil ille ſcire potuit, niſi ab iiſdem indicatum: Et quidem non ſemel indicatum, ſed perpetua nota deſignatum, vt ne quenquam præteriret. Nam quorum eſt inuentum quæſo, Nun, illud ſuſpenſum? Nempe enim id quo Moſis nomen differt à Manaſſis, ita ſcribunt, vt ſit extra ordinem aliquantulum. Quorum, inquam, inuentum eſt? Chriſtianorum an Iudæorum? Et his tu malam fidem imputes, à quibus es admonitus, ſi quid non dicam erroris, ſed ſi quid, vel ambigui eſſe poterat?

LXIII. Viderit cacoethes. At nobis non tam procliue in ſuſpiciones ingenium. Nullam putamus corruptionem, quia corruptionis nullam cauſam videmus. Septuaginta legunt, Manaſſeum, non Moſen, Ἰωνάθαν υἱὸν γηρσὼν υἱοῦ Μανασσῆ. Legit & Chaldæus Paraphraſtes, בר גרשם בר מנשה. Quid quæris amplius? Nam quod de correctis exemplaribus Septuaginta, profertur ex Theodoreto, viderit Gordonus vbi legerit. Certe quæſtione in eum locum, nihil eſt tale, niſi Gentianus ſubduxerit.

LXIV. Decimus ſextus locus, Eſaiæ 53. Vulgata habet, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Ita Septuaginta. Ita Chaldæus. Ita Caluinus. Ita Geneuenſes. Jam in omnibus Hebraicis libris addita eſt Mem litera: Et pro לו factum למו. At ſecundum hanc lectionem populus Iſrael, & non Chriſtus dicetur percuſſus propter noſtra peccata.

LXV. Bona verba, Gordone. Sed enim tu non tantum es calumnioſus accuſator, ſed etiam interpres malitioſus. Tuum audi Galatinum cap. 14. octaui, *Quoniam abſciſſus eſt, id eſt, abſcindetur de terra viuentium, propter ſcelus populi mei, & vlcus eorum, vel quod erat eis, quod pro vlcere peccati originalis accipitur.* Quin tu ipſe fateris ab Hieronymo Catholice exponi. Cur ergo neceſſe eſt inferri Iſraelem percuſſum propter noſtra peccata? Cæterum Hieronymus Hebraïce legit, למו, vt nos hodie. Vnde ergo profecta corruptio.

LXVI. Nec fides vulgatæ editioni: nam illa longe abit à codice Hebræo. non in hoc tantum pronomine, ſed in multis aliis partibus. Nam & pro נגע reponit *percuſſi*, נגעתי. Et paulo poſt, *Dabit impios pro ſepultura & diuitem pro morte ſua*, cum debuerit, *Et ponet cum impiis ſepulchrum ſuum. Et cum diuite* (ſubaudi erit) *in morte ſua.* In quibus, cur non exclamauit Huntlæus, corruptorem! Quid, quod ne Septuaginta quidem conſonant Latinis: Nam ἀχθὴ εἰς θανατον longiuſcule recedit ab eo, quod eſt, *percuſſi eum.*

LXVII. Decimus ſeptimus locus Zachariæ 9. In vulgata, *Ecce rex tuus veniet tibi, Iuſtus & Saluator.* Et ita Septuaginta, ita Chaldæus. Sed Hebraice, *Iuſtus & Saluatus*, mutatis punctis, & vna aut altera litera: Hieronymus teſtatur ſuo tempore in Hebræo fuiſſe Jeſus, id eſt, Saluator.

LXVIII. Magnum iterum de Hieronymo mendacium. Verba recole, *Iuſtus & ipſe Saluator, id eſt, Ieſus, ſicut Angelus interpretatus eſt loquens ad Virginem: Et vocabitur Ieſus, quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis ſuis.* Legiſſe Jeſum, vbi dixit? Nuſquam profecto ille gentium. Sed neque mutandum in Hebraicis quicquam. Septuaginta libere, ſuo more, itidem vt Chaldæus, reddiderunt: Et eos ſequuta eſt editio Latina. Galatinus cap. 23. tertij, *Non inepte hoc in loco Septuaginta interpretes ſenſum magis, quam verba ſecuti,* δίκαιος καὶ σώζων (In Antuerpienſi editione legimus σῴζω) *tranſtulerunt, quos autor noſtræ editionis imitatus, Iuſtus & Saluator, rectè traduxit.*

LXIX. Cæterum, quid tam indigni eſt Chriſtum dici ſeruatum: Certe Paulus ad Hebræos 5. *In diebus carnis ſuæ, deprecationes & ſupplicationes apud eum qui poterat ipſum ſeruare à morte, cum clamore valido & lacrymis obtuliſſet, & exauditus eſſet ex metu.* En tibi diſerte, Jeſum deprecantem eum à quo poterat ſeruari. En tibi ſic deprecantē Jeſum, exauditum. Et neges ſeruatum? Quid ergo abſurdi ſi in Propheta legamus prædictum, quod in Euangelio legimus impletum? Et quidem vide ſtatim additum, *Et conſecratus factus eſt autor ſalutis æternæ omnibus qui ipſi auſcultant.* Nempe vt Zachariam interpretabatur Caluinus, *Quatenus miſſus eſt à Patre, vt colligeret electum populum, ita etiam vocatur incolumis, quoniam inſtructus eſt potentia ad ſeruandum.* Et paulo poſt, *Ergo quantum ad Grammaticam ſpectat, facile patiar Chriſtum vocari iuſtum & ſeruatum paſſiue, ſed quantum ad rem ipſam, iuſtus eſt reſpectu ſuorum, ſeruatis etiam, quia ſalutem ſecum affert perditis.*

LXX. Sed negabunt Judæi, quia non omnis qui ſaluatur, poteſt aliis ſalutem afferre, præſertim toti mundo. Quid tu mihi Judæos obiicis? Quaſi nihil in Scripturis ſit verum, niſi cui nihil poſſint nugatores Judæi obiicere: Verumtamen Judæis victor inſtabit Caluinus, neq; tantam nequitiam tam facile inultam patietur, quam Jeſuitæ etiam exultantem. Vrgebit enim dici eundem regem & ſaluatum. Et magnum id Caluino argumentum, *Videmus*, inquit, *controuerſiam omnem tolli, ſi referantur duæ iſtæ voces ad regni ſtatum, & ſtultum eſſet eas reſtringere ad perſonam vnius hominis, cum hic agatur de regia perſona, imo de publico ſtatu Eccleſiæ, & de ſalute totius corporis. Neq; certe humanitus loquendo dicemus regem eſſe ſaluum & integrum, ſi expulſus ſit à ſuo imperio, ſi deinde ab hoſtibus vexentur ſubditi, vel pereant in totum. Si ergo rex orbatus omni dignitate videat ſuos ſubditos miſere premi, non dicetur eſſe incolumis.* Sic Caluinus aduerſarios Judæos vrgebat. Sed Jeſuitis animi nulli pro veritate, tantum pertinacia immenſa contra maieſtatem Scripturæ.

LXXI. Duodeuiceſimus locus ex eod. cap. Zachariæ. In Vulgata & Septuaginta, *Tu in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo nō eſt aqua.* Judæi adiecta litera Jod, & mutatis punctis, detorquent ſententiam ad Synagogam, quaſi eam, & non Chriſtum hominem Deus alloqueretur.

LXXII. Mitte Synagogam, dic Eccleſiam, & quid erit incommodi, ad hanc Dei ſermonem dirigi? Et quidem cum emphaſi Hebræis familiari, *Etiam tu in ſanguine fœderis tui, educam vinctos tuos de lacu.* Cuius ſenſus eſt, Et quod ad te attinet, ego educam vinctos tuos. Et Jobi 3. יקההו אפל ההוא, *Nox illa occupat eam caligo.* Eſai. c. 8. יהוה הצבאות אותו הקדימו-הלולה, *Dominus exercituum, eum ſanctificate.* Et 45. ופעלך אין-ידים לו, *Et opus tuum, non ſunt manus ei.* Eccleſiaſt. 2. החכם עיניו בראשו, *Sapiens, oculi eius in capite eius.*

LXXIII. Sed enim Teſtamentum Nouum, Chriſti ſanguine ſancitum, vbiq; appellatur Teſtamētum Chriſti, nuſquam Teſtamentum Eccleſiæ. De Teſtamento, inquam, durius. Sed in Hebræo בדמיך, nihil incommodi. Notauit Caluinus, *Dicit, in ſanguine fœderis tui. Non videtur hoc competere in Eccleſiam, neq; enim alius quam dus fuit autor fœderis, quam Deus ipſe. Sed mutua eſt, vt ſcimus, relatio inter Deum & populum, vbi de fœdere agitur. Fœdus eſt Dei, quoniam ab ipſo manat, fœdus eſt Eccleſiæ, quoniā in gratiam Eccleſiæ percutitur, & quaſi deponitur in eius ſinu.* Itaq; negamus fœdus nouum, nuſquā dici fœdus Eccleſiæ. Nam excipiendus ſaltem hic locus, vbi intelligendum fœdus pactum cum Eccleſia. Nec vero durum fuit Interpretib. Septuaginta cum Leuit. 26. dicerent, καὶ μνησθήσομαι τῆς διαθήκης Ιακωβ, καὶ τῆς διαθήκης Ισαακ, καὶ τῆς διαθήκης Αβραὰμ μνησθήσομαι. *Et recordabor fœderis Iacob, & fœderis Iſaac, & fœderis Abraha recordabor.* Quanquam, quid ego ad Septuaginta confugio? Deut. 4. *Non obliuiſcetur pacti Patrum tuorum.* Pſal. 19. *Euertiſti teſtamentum ſerui tui*, id eſt, interprete Bellarmino, *Dicit Deum euertiſſe teſtamentum ſerui ſui, id eſt, retractaſſe pactum initum cum ſeruo ſuo Dauid.*

LXXIV. Sed id teſtamentum non ſanguine Eccleſiæ, ſed ſanguine Chriſti ſancitum eſt. Omnino, inquam. Verum vbi nominatus eſt ſanguis Eccleſiæ? Certe ſi fœdus Eccleſiæ, ſignificat id quod ſancitum eſt cum Eccleſia, ergo ſanguis fœderis Eccleſiæ, ſignificabit ſanguinem fœderis ſanciti cum Eccleſia. Id autem nullo pacto eſſe poteſt ſanguis Eccleſiæ. Sed Caluinus contendit intelligendum, non de ſanguine Chriſti, ſed de ſanguine animalium. Mendacium, inquam. Nam de ſanguine animalium haud aliter quam de typo loquitur illius vnius ſacrificij, quo ſumus reconciliati. Verba diſerta, *Quidam ad circunciſionem hoc torquent, ſed inſulſe, quia non dubium eſt Prophetam reſpicere ad ſacrificia. Perinde eſt igitur ac ſi diceret, Quorſum immolatis quotidie victimas in templo? Si putatis hoc modo coli Deum, certe nimis craſſa eſt vel delira ſuperſtitio. Ergo mentes reuocate ad ipſum finem, vel ad cœleſte exemplar, quoniam Deus ſemel pollicitus eſt ſe vobis fore propitium, dum expiabit vnico ſacrificio peccata veſtra. In hunc etiam finem offertis ſacrificia, & ſanguis ille ſecum trahit expiationem. Nunc ſi ſacrificia veſtra neq; fruſtra inſtituit Deus, neq; etiam vos ſeruatis, certe effectus tandem in lucem prodibit.*

LXXV. Atque hi fuere hactenus omnes loci, quos enumeratione ſua dignatus eſt Gordonus. Nam ſibi reſiduos eſſe alios multos ſignificauit. Credo miſeratione quadam fuiſſe commotum. Nam ſi ſerio furori indulſiſſet, nihil propius factum, quam vt Scripturam ad inferos amandaſſet confeſſionem ſoricina nænia. At nobis tamen labor nondum inuenit finem ſuum. Nam Salmero ſuas nunc partes agit.

LXXVI. Vndeuiceſimus ergo locus. Ad Hebræos primo. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* At hic locus in Hebræo, vt iacet modo, non inuenitur, ſed apud Septuaginta in Cantico Moſis, Deuter. 32. εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. *Lætamini cœli ſimul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei.*

LXXVII. Non inuenitur in Hebræo. Atqui diſerta verba ſunt Pſal. 97. *Adorate eum omnes Angeli eius.* Quid, malum, non eſt in Hebræo Pſalmus iſte? Eſt quidem ad verbum, *omnes dij*, ſed præiudicatum eſt אלהים ſumi pro angelis, in altero loco ibidem citato ex Pſalm. 8. vt autoritatem taceam Septuaginta, tum vulgatæ verſionis.

LXXVIII. Sed negat inde ſumi poſſe, quia in Pſalmo verbum ſit ſecundæ perſonæ, non tertiæ, & dicuntur Angeli eius, non Angeli Dei. Acute. Eſt enim puto infinitum interuallum, vt non poſſit qui legerit adorate, referendo mutare in *adorent*, abſq; immenſo ſcelere, nec qui Angelos eius audiuit, concipere Angelos Dei. Et ineptiebat Lyranus, cum ad hunc locum notaret; *Apoſtoli non ſemper curauerunt allegare Scripturam de verbo ad verbum, ſed ſufficit eis accipere ſenſum.* Et repueraſcebat ipſe Hieronymus, cum Epiſtola 101. notaret ea libertate vſos in ſacris voluminibus Septuaginta Interpretes, Euangeliſtas, Apoſtolos.

LXXIX. Sed vnde ergo citatur? Ex Deuteronomij ſecundo, inquit. Ego vero fateor, nihil hoc loco legi in eam formam Hebraice. Sed quid tum? Corruptus eſt locus. Quin tu ergo corruptam fateris vulgatam editionem? Tuam illam editionem, inquam, quam te neceſſe eſt habere authenticam? Etenim ne hæc quidem quicquam habet huiuſmodi. Et Eugubinus non agnouit verſum legitimum, *Tota hæc ſententia in codicibus Septuaginta deprauate legitur, & videntur quæ hoc loco apud eos leguntur, eſſe aliunde tranſpoſita.* εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ, *hoc eſt, exultate cœli, ſanguis ei eſt* (videtur legiſſe αἷμα αὐτοῦ) *& adorent eum omnes angeli Dei. Et forte is locus eſt qui citatur in Epiſtola ad Hebræos capite primo. Huius igitur ſententiæ nihil in contextu Hebraico ſit mentio, ideo neque in noſtro. Aliunde eſt huc tranſpoſita.*

LXXX. Viceſimus locus ex Pſalm. 96. Nam conqueritur Juſtinus Martyr, à verſu illo, *Dicite gentibus quia Dominus regnauit*, eraſum eſſe *à ligno.* ἀπὸ ξύλου. Quod ex eo probat, quia Septuaginta interpretes hæc haberent duo verba: Cum ergo prius fuiſſet עץ, mutatum eſt in אף, illud *lignum*, hoc *certe*, & de priore verſu translatum in ſequentem.

LXXXI. Nugæ: Juſtinus de corruptione Hebraici textus ne cogitauit quidem, ſed, vt obſeruatum capite præcedenti, de ipſius textus Græci editionis Septuaginta. Nam iſtoc vtebantur Iudæi Helleniſtæ, cuiuſmodi ij qui Epheſi, vbi Tryphon agebat Archiſynagogum. Itaq; quicquid deinceps conijcit Salmero, inter ſomnia Ieſuitica comprtandum. Enimuero ſi hæc corruptio eſt, tum ſequitur omnes Bibliorum editiones e Ie corruptas. Nam hæc verba; *ex ligno*, non extant, vel in Græco, vel in Latino textu, nedum Hebraico.

LXXXII. Viceſimus primus locus Eſa. 28. *In aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic, & nec ſic exaudient me, dicit Dominus*, & hic citatur 14. prioris ad Corinthios. Corruperunt Iudæi permutatis vicinis literis Zain, & Gimel, legunt enim בלעגי pro בלעזי, hoc ſonat barbaros, illud ſubſannatores.

LXXXIII. Nihil vanius. Nam בלעגי שפתה idipſum eſt, quod Septuaginta verterunt διὰ φαυλισμὸν χειλέων. Arias enim vertit, *Propter irriſionē labiorum*, quod ipſum eſt proprie quod ſignificatur per לעג. Et Chaldæus Paraphraſtes conſentit, *In mutatione loquelæ, & in lingua ſubſannationis.* Quod ſi diuerſitas, quæ ex verbis Pauli colligitur, habenda eſt pro corruptione, nulla iam editio reſtat non corrupta: nam ne Vulgata quidem retinuit Pauli verba, habens, *In loquela labij, & lingua altera.* Sed Paulus videlicet ſuo more à verbis libere recedens hæret ſenſui. Quomodo ſtatim, *Et ne ſic quidem exau-*

exaudient me: quod Hebraice eſt, *Et noluerunt audire.* Nihil enim obſtat, quominus, φαυλισμὸν χειλέων, intelligamus barbariem, id eſt, alienam linguā atque adeo vt Iuſtinianus dixit, *quam Iudæi irriderent.* Quanquam idem Iuſtinianus, *Præter conſuetudinem*, inquit, *ſequitur hoc loco Apoſtolus Hebræos fontes, non autem interpretationem Septuaginta.*

LXXXIV. Duouiceſimus locus, Lucæ 3. producitur ex Propheta, *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Quod certe in Hebræo non eſt: ſed in Græco Septuaginta Interpretum ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. Eſaiæ 40. Ergo hoc de libris Hebræis eraſum fuit. Et pro, *Salutare Dei*, additum aduerbium, quod *pariter* ſignificat.

LXXXV. Quid ergo fiet editioni Latinæ? Illi, inquam, editioni tam ſanctæ, tam authenticæ, tam, vt ita dicam, Tridentinæ? Nam hæc ſalutare nullum habet. Habet potius, *Videbit omnis caro pariter.* Habet, inquam, aduerbium illud, quod perfidi Iudæi dicuntur ſubſtituiſſe, eraſo ſalutari. Videant Ieſuitæ ne ſibi cædant tibias. Sed ſi ſcirent Ieſuitæ, quid ſit inter bonos bene agier, libertate Apoſtoli nunquam abuterentur in accuſationem Scripturæ. Verumtamen cur non potuit citari c.52. *Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Nam etſi omnis caro non ſit, tamen æquipollent omnes fines terræ. Nec quicquam prohibet, quominus duo ſimiles verſus ſint in vnum conflati.

LXXXVI. Tertius & viceſimus locus: Hieremiæ 11. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.* Quod Iuſtinus Martyr dialogo in Tryphonem teſtatur à Iudæis malitioſe fuiſſe ſublatum. Et cum in quibuſdam vetuſtis exemplaribus Hebraicis eſſet inuentum, poſtea fuit reſtitutum.

LXXXVII. Falſum, vt paulo ante. Nam Iuſtinus loquitur de codicibus Græcis, non autem Hebræis. Et tamen ſi de Hebræis, quid hoc aduerſum ea quæ nunc habemus exemplaria? Nam in omnibus eadem illa verba leguntur Hebraice. Cur non dicamus integra & authentica? Adeon' tenaces iniuriarum, Ieſuitæ? Adeon' hoſtes codicum ſacrorum; vt Iudæorum olim κακοφημίαν non poſſint traducere, non accuſatis ſacris codicibus?

LXXXVIII. Viceſimus quartus locus, ex eodem Iuſtino. *Ex Hieremiæ ſimiliter dictis iſta reſecuerunt, Recordatus eſt Dominus Deus mortuorum ſuorum ex Iſraele, qui obdormierunt in terra aggeris: in tumulis ſcilicet & ſepulcris, & deſcendit ad eos, vt euangelizaret, & læto eis ſignificaret nuntio ſalutare ſuum.* Et ibidem queritur ex verbis Eſdræ de lege & conſtitutione Paſchæ, ablatum hunc locum, *Et dixit Eſdras populo, Hoc paſcha Saluator noſter, & perfugium noſtrum. Ac ſi in animum induxeritis, & in cor veſtrum aſcenderit, quod humiliaturi eum ſimus in ligno & poſtea ſperaturi in eum, non deſolabitur locus iſte in omne tempus, dicit Deus virtutum. Sin in eum non credideritis, nec audieritis annunciationem eius, deridiculum eritis gentibus.* Item Lactantius, lib. 4. c. 18. profert alium locum ex 1. Regum 9. *Sed & Salomon filius eius, qui Hieroſolymam condidit eam ipſam perituram eſſe in vltionem crucis prophetauit. Quod ſi auertimini à me, dicit Dominus, & non cuſtodieritis veritatem meam, reyciam Iſrael à terra quam dedi illis, & domum hanc, quam ædificaui illis in nomine meo, proijciam illam omnibus: & Iſrael in perditionem & in opprobrium populo & domus hæc erit deſerta: & omnis qui tranſibit per illam, admirabitur, & dicet, Propter quam rem fecit Dominus terræ huic, & domui huic hæc mala? Et dicent: Quia reliquerunt Dominū Deum ſuum, & perſequuti ſunt regem ſuum, dilectiſſimū Deo & cruciauerunt illū in humilitate magna, ꝑpter hoc importauit illis Deus mala hæc.*

LXXXIX. Illud eſt quod dicebam ſcilicet, Ieſuitis conſtitutiſſimum eſſe nullum omnino teſtem aduerſum Scripturam non admittere tanquam locupletiſſimum. Quicquid quiſquam dixerit, id non iam teſtimonium eſt, ſed oraculum. En pietatem! Sed ad rem. Quid hi teſtes ergo teſtantur? Hoſcine locos eraſos fuiſſe ex codicibus Hebræis? aut omnino fuiſſe aliquando in iis? Ne poterant quidem. Nam Iuſtinum non apparet; aut Lactantium, vnquam ſciuiſſe Hebraice. Potuerunt ergo de ſuis codicibus audiri, id eſt, vel Græcis, vel Latinis: & non vltra. Denique, ſi quid in iis eſt momenti: ergo rurſus concludendum nullam Scripturam eſſe authenticam. Etenim non tantum Hebraice, ſed ne Græce quidem aut Latine, quicquam habetur iſtorum. Itaque nobis facilius longe nequitiam deteſtari Jeſuitarum, quam ſiniſtræ ſuſpicionis quicquam concipere aduerſum Scripturam.

XC. Viceſimus quintus locus. Zachariæ 12. *Aſpicient ad me, quem confixerunt,* καὶ ἐπιβλέψονται ἐπ' ἐμέ. Judæi corrumpunt, dicentes, *Aſpicient in quem compunxerunt:* ne videatur dici Deus ipſe punctus, & Meſſias Deus eſſe.

XCI. Atqui primo, Joannes Euangeliſta etiam ſic legit c. 19. ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Hanccine tam grauem concipi accuſationem, vt in Joannem Euangeliſtam recideret? Minime, inquit. Sed Euangeliſta citauit ſenſum, non verba. Eſto, inquam: Sed tu igitur ſemel concede nobis: ſed & ſimul doceto tuos, ſi quando aliis verbis idem ſenſus citetur, nullum indicium eſſe corruptionis. Quod ſi obtinemus, quot iam vobis loci pereunt, ô Sophiſtæ, ex hac tam prolixa calumnia? Deinde, ſi idem ſenſus eſt eorum verborum, qui in Propheta, quid habes quo calumnieris Judæis eadem vſurpantibus verba?

XCII. Secundo: falſum eſt ſic legere Judæos. Nam & textus Hebraicus conſtanter retinet אלי *ad me.* Et Commentatores Abben Ezra, & Selomo idipſum legunt, etſi interpretando valde detorqueant. Denique, quid ſi omnes Judæi corrupte legerent? An noſtri codices propterea eſſent corrupti? At de his diſputatio eſt. Nam Judęorum nequitia quid ad nos?

XCIII. Viceſimus ſextus locus. Amos 2. *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento Iuſtum, & pauperem pro calceamentis.* Quidam noui Judęi inuerterunt hunc locum legendo צדק iuſtitiam pro צדיק iuſto.

XCIV. Atqui omnes codices legunt צדיק. Paraphraſtes pluraliter זכאין innocentes. Soli Septuaginta male πτωχοὺς mendicos. Sed noui Judęi. Quinam, malum, illi? Aut quorſum huc? Non enim Salmeroni inſtituta erat declamatio in Judęos & Judęos nouos, quorum perfidia nequit pro meritis exagitari: ſed erat propoſitum oſtendere, *Veritatem, ſiue lectionem Hebræam, non eſſe ſine pleriſque vitiis & corruptionibus, vt non ſit per omnia illi temere fides habenda.* Niſi forte ex iis ſint Jeſuitę, qui, quam non poſſunt iram exonerare in heros, eandem in canes effundunt. Cęterum Judęi Rabbini conſeruant integram lectionem. Selomo Jarchi explicat את מי שהיה זכאי בדין. *Eum, qui erat inſons in iudicio* Dauid Kimchi שהוא צדיק בדינו: *qui eſt iuſtus in cauſa ſua.* Nec aliter Abben Ezra. Quid amplius quęrit Salmero?

XCV. Viceſimus ſeptimus. Deuter. c. 21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Citatur ad Galatas 3. *Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno.* Hieronymus aſſerit Hebręos codices vitiatos: & probat illud *à Deo* additum, ex eo quod cum multi in Scripturis dicantur maledicti, nunquam tamen à Deo maledicti dicuntur. Idem eodem ad Galatas capite, cum citatur illud ex Deuteronomio. *Maledictus omnis homo, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis vt faciat ea:* negat Hebraice eſſe, *Omnis*, & *in omnibus.*

XCVI. Suntne igitur Hieronymi ſuſpiciones, pro demonſtrationibus! Nam Hieronymus nihil certo aſſerit. In priore loco. *Ex quo mihi videntur, aut Veteres Hebræorum libri aliter habuiſſe, quam nunc habent, aut Apoſtolum, vt iam dixi, ſenſum Scripturarum poſuiſſe, non verba: aut quod magis eſt æſtimandum, poſt paſſionem Chriſti, & in Hebræis & in noſtris codicibus ab aliquo Dei nomen appoſitum, vt infamiam nobis inureret, qui in Chriſtum maledictum à Deo credimus.* In altero. *Ex quo intelligimus, Apoſtolum, vt in cæteris, ſenſum magis teſtimonij poſuiſſe, quam verba: & incertum habemus, vtrum Septuaginta Interpretes addiderint, Omnis homo, & in omnibus: an in Veteri Hebraico ita fuerit, & poſtea à Iudæis deletum ſit. In hanc me autem ſuſpicionem illa res ſtimulat, quod verbum, Omnis, &, in omnibus, quaſi ſenſui ſuo neceſſarium ad probandum illud, quod quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt, Apoſtolus vir Hebraice peritus, & in lege doctiſſimus, nunquam protuliſſet, niſi in Hebræis voluminibus haberetur.* Tum addit ſe ita reperiſſe in Samaritanorum voluminibus. Viden' Hieronymum coniecturis vtentem; & coniecturas argumentis fulcientem? Inclinaſſe quidem videtur in duriorem partem, ſed nos non eſt æqui: quandoquidem in humanis etiam ſolemne habetur inclinandum in molliorem. Tum maxime, quia ſi quæ veritas ineſt in accuſatione, nulla nobis Scriptura ſuperſit, non corrupta. Nam & Latina verſio, in poſteriore loco, ſequitur textum Hebræum, & in Epiſtola ad Galatas omnes codices tum Græci, tum Latini, retinent *Maledictum à Deo:* quod etiam eſt in Hebraico contextu. Quid enim aliud eſt קללת אלהים תלוי. *Maledictio Dei ſuſpenſus?*

XCVII. Quanquam veriſſimum illud, à Paulo ſenſum potius affectatum quam verba. Nam & pendens in ligno, facile repetitur ex primis verbis. *Non permanebit cadauer in ligno:* quæ à Paulo non recitata neceſſitatem hanc fecerunt. Et *omnis*, & *in omnibus*, ſufficiebantur ab ipſo loquutionis genio. Nemo eſt enim qui ignorare poſſit, omnes maledictionis ſententias in eo capite eſſe vniuerſales.

XCVIII. Marianus Victorius notatione in Hieronymi Epiſtolam 145. 28. locum deſignauit ex Pſalm. 118. ſic ſcriptum אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא aſt olim aliter. Nam Hieronymus, *Sciendum*, inquit, *quod in hoc loco ter dicitur anna, & primum quidem ac ſecundum eiſdem literis ſcribitur, Aleph, Nun, He, tertium vero, Heth, Nun, He.* Et paulo poſt. *Si ex Aleph ſcribitur Anna, ſignificari obſecro: ſi autem ex Heth, eſſe coniunctionem, ſiue interiectionem, quæ apud Græcos ponitur* σχετλιαστικῶς, *cuius interpretationem Latinus ſermo non exprimit.*

XCIX. Imo Hieronymus quid ſibi tum voluerit, nemo Hebraice non imperitus, diuinauit. Nam primo Anna, per Aleph, Nun, He, vbi eſt? aut quis vnquam legit apud Hebræos? Conſtanter enim omnes loci detinent א etiam tertio loco. Secundo חנה, id eſt; Anna per Heth, quid eſt? aut vbi σχετλιαστικῶς? Itaque ne ipſe quidem vllum exemplum indicauit: nā neq; potuit. Potuit tamen ſono decipi: Nam הצליחהנא, etſi duæ ſunt voces, tamen vno ſpiritu leguntur, vt ſolent Encliticæ. Itaque Latinis literis potuit exprimi *Hatslianna*, Quare non verum, fuiſſe quicquam mutatum, aut eſſe mutandum. Sciunt enim omnes Hebræi σχετλιαστικῶς illam particulam eſſe אנא: quæ conciſa ſit נא ἐγκλιτική.

C. Vnde triceſimum locum idem Marianus indicauit eodem loco, & repetiit notationibus in ſecundum contra Pelagianos. Eſaiæ 18. quod Hebraice dicitur בכלי-גמא Septuaginta legebant, בבלי-גמא, hoc eſt, *Biblinas Epiſtolas. Ex qua re*, inquit, *conſiderari poteſt, quanti facienda ſit Septuaginta interpretatio.*

CI. An quia nihili facienda Hieronymi interpretatio? Nam hæc habet *in vaſis papyri*, ex ea lectione, quam non probat Hebraice doctiſſimus, ſcilicet, Victorius. Sed hominis eruditionem mirare. Quid בבלי ſignificat? Biblinasne, an Epiſtolas? Nam ſi Epiſtolas, quæ analogia? quo vſu? Sin autem Byblinas, vt videtur deſignare tum ſoni alluſio, tum ordo vocum. Ergo גמא ſignificabit Epiſtolas. Rurſus, qua analogia? quo vſu? Tum autem Syntaxis cogeret exponi, non byblinas Epiſtolas, ſed, ſi propitij ſint Amerini Epiſcopi, byblos epiſtolarum. Cæterum nihil dubito haud aliter lectum à Septuaginta, ac nos habemus hodie: ſed putaſſe, vaſa illa, byblina (id eſt, inſtrumenta, ad morem Hebræorum) fuiſſe epiſtolas: nam & Hieronymus, *In vaſis papyrio, id eſt, epiſtolis, ſiue nauibus*: annotationibus in eum Eſaiæ locum. Nempe igitur oportuit malo Eccleſiæ fato ſubtiles eſſe Papiſtas. Sed bene eſt, οὐχ οὕτως ἐστὶν ἰσχυρὸν ἡ κακία, ὡς τῆς ἀγαθῆς ὑπερισχύσαι δυνάμεως; inquit Nyſſenus cap. 21. de hominis opificio: *nunquam tam potens eſt nequitia, vt vim boni poſſit ſuperare.*

CAP. XIII.

An editio Græca Noui Teſtamenti ſit corrupta.

I. HActenus de Veteri Teſtamento: Nunc de nouo: quod ipſum nolunt eſſe incorruptum. *Dubium non eſt*, inquit Gordonus, ca. 12. Controu. 1. *quin ille*, textus Græcus Noui Teſtamenti, *in variis locis ſit corruptus, & conſequenter non adeo idoneus ad gignendam fidem.* Argumenta habent: deinde experimenta. Argumenta ſunt Gordoni duo.

II. Prius, ex antiquis Patribus, Chriſto proximis: ſæpius conquerentibus, ſua iam ætate fuiſſe deprauatam textum Græcum: vnde conficit multo magis nunc noſtra ætate, eſſe corruptum. Antecedens probat teſtimonio Irenæi, c. 29. lib. 1. Tertulliani lib. 5. contra Marcionem. Origenis in caput vltimum ad Romanos. Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi, atque aliorum apud Euſebium lib. 4. hiſtor. cap. 22. 23. & lib. 5, cap. vlt. Theodoreti, lib. 1. de Hæreticorum fabulis in Tatiano.

III. Atqui nemo Patrum conqueritur abſolute corruptum eſſe textum Græcum: ſed tantum conatus accuſant Hæreticorum in id ſtudium incumbentium. Apparet ex ipſis teſtibus Gordono laudatis. Irenæus de Marcione, *Non Euangelium, ſed particulam Euangelij tradens. Similiter & Apoſtoli Pauli epiſtolas abſcidit, auferens, quæcunque manifeſte dicta ſunt ab Apoſtolo de*

eo, Deo

eo Deo, qui mundum fecit. Apud Eusebium Dionysius conquerens suas Epistolas corruptas, *Nec mirum certe, si quidam Dominicas Scripturas dedita opera deprauare aggressi sunt*. Item autor libri contra Artemonis hæresin, *Sacras audacter deprauarunt Scripturas: Veteris fidei canonem abrogarunt*. Theodoretus: Tatianus *composuit Euangelium quod dicitur per quatuor, amputatis genealogiis, & aliis, quacunque ostendunt Dominum natum esse ex Dauid secundũ carnem*. Quid hæc quæso ad nostrum Euangelij contextum? Nisi forte contendat Sophista, eas omnes corruptiones in eo adhuc extare: & haberi hodie tantum particulam Euangelij.

IV. Breuiter, nam clara res est: fatemur sæpe conatos hæreticos esse iam olim Scripturæ textum corrumpere: nam cur negemus olim factum, quod needum Papistæ desperarunt: Sed negamus consequentiam. Quia, vt detrahatur fides nostris codicibus, non satis est vt conati sint quidam corrumpere, sed omnino, vt corruperint: & inde non supersint exemplaria incorrupta. At nos negamus hoc factum, Imo scimus Deum prouidisse Ecclesię, & eos ipsos locos haberi nunc integros, in quibus corrumpendis sudabant hæretici.

V. Alterum argumentum. Apud Græcos ortæ sunt omnes fere antiquæ hæreses, Manichæorum, Valentinianorum, Arianorum, Macedonianorũ, Nestorianorum: qui omnes conabantur varijs artificijs peruertere Scripturas, præsertim Noui Testamenti.

VI. Atque hęc pueris ταυτολογία, imo βαττολογία est: reapse enim idem argumentum cum præcedente. Conati sunt hæretici corrumpere: id prolixe concessum. At corrupisse constanter negatum. Concedo plerosque hæreticos ortos in Græcia. Sed idem dico, eosdem in Græcia potentissime confutatos à viris magnis, magno numero: quibus totidem pares vix habuit Latina Ecclesia. Itaque Græcia, hac saltem parte, instar est scorpij, à quo præsentissimum antidotum aduersus suum venenum. Atque adeo conatus istos Græcorum hæreticorum Latini non habuere cognitos, nisi à Græcis: hodieque etiam omnes notatos inuenimus in horum libris. Itaq; recte Bellarmin. c.7. lib.2. de Verbo Dei: *Etsi multa deprauare conati sint hæretici: tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint libros sacros corrumpi*.

VII. Sed experimenta habebunt fortasse aliquid solidius. Inquiramus. Primus locus apud Bellarminum est ex 15. ca. 1. ad Corinthios, vbi cum legendum sit, *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*: vt non solum Latina versio habet, sed etiam Caluinus probat: Græci tamen codices constanter legunt, *Secundus homo Dominus de cœlo*, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Quam deprauationem fluxisse ab autore Marcione, patet ex Tertulliani lib.5. contra Marcionem.

VIII. At nos in Græco textu corruptum quicquam agnoscere non possumus. Et primo Caluinum probare Latinam editionem, non religiose dictum. Nam ille citat quidem interdum, sed non comparat Græco cõtextui, cui in Commentarijs tam secure acquiescit, vt Latinam, quasi nunquam sibi visam, penitus dissimularit. Quid mirum autem, si aliquando alias, semel, iterumve aut tertio, recitarit aliud agens, id est, cum hæc verborum discrepantia neque conferret suo argumento quicquam, neque detraheret.

IX. Esse autem à Marcione, Dominum, fateor annotatum. Sed quæro, quo iure. Non tantum enim exemplaria Græca constanter omnia legũt, Dominum, vt suspicari nemo possit esse vitium scribarum: sed etiam Syrus Interpres. *Filius hominis primus terrenus, quia è terra: filius hominis secundus Dominus è cœlo*, Et Arabs, interprete Iunio: *Homo primus luteus è terra: homo vero secundus Dominus vè cœlo*. Neque vllum Latinum Scriptorem nouimus, qui aliter legerit. Et vero hæc multo est augustior lectio, vt docet Beza.

X. Secundus locus ex eiusdem Epistolæ 7. *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est: mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt*. At codices Græci longe aliter: nam illud *diuisus est*, coniungunt cum sequentibus, sic: μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *diuisa est vxor & virgo*. Sed hanc lectionem negat Hieronymus esse Apostolicæ veritatis, lib.1. contra Iouianum.

XI. Atqui Græcorum codicum consensum firmant interpretes Syrus & Arabs. Ille: *Discrimen est inter mulierem & virginem*. Iste, *Inter coniugatam quoque & virginem distinctio est*. Græci quoque Patres, Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus. Quin & Basilius libro de vera virginitate. Itẽ Latini, Tertullianus de Virginibus velandis, c.4. & Sedulius. Ambrosius etiam bis repetit τὸ μεμέρισται, vt prius pertineat ad præcedentia de viris, posterius ad consequentia de mulieribus & virginibus. Denique Franciscus Lucas testatur se duos codices Latinos vidisse, qui à reliquis dissentirent. Hieronymo autem, Iouinianum violentius quam iudiciosius impugnanti, Hieronymum ipsum oppono sui magis compotem Epistola ad Eustochium de Custodia virginitatis: & aduersus Heluidium.

XII. Tertius locus ex 12. ad Romanos, vbi Latine legimus, *Domino seruientes*. Nam Græci non habent Κυρίῳ, sed καιρῷ δουλεύοντες, *tempori seruientes*. Illam autem esse verissimam lectionem patet ex Hieronymo epistola ad Marcellam, quę in editione Mariani est 102 item ex Origene, Chrysostomo, Theophylacto, aliis.

XIII. Atqui mendacium est, Græcos codices legere καιρῷ. Si quosdam si forte multos dixisset, non irem inficias. Sed vt corrupta sit Græca editio, id non sufficit. Omnes autem sic legere, ferendum nullatenus. Nam Franciscus Lucas testatur sex vidisse in quibus esset Κυρίῳ. Et Beza asserit ita legi in probatissimis quibusque. Dominicus à Soto obseruat eam lectionem iam vniuersim extare tum Græce, tum Latine. Arias Montanus, non tantum in textu posuit Κυρίῳ: sed etiam in Apparatu nullam adnotauit lectionis varietatem: quo satis ostendit se nullos legisse codices Græcos, in quibus esset καιρῷ: alias non omissurus opinor: qui longe leuiora collegit. Adde Græcos, quos ipse aduersarius nominauit: Quid erat scrupuli? Sed & Syrus interpres ita legit.

XIV. Quartus locus ex 4. c.1. Epistolæ Ioannis: vbi pro his verbis, *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est*: quæ non tantum exstant in Latina editione, sed etiam legebantur olim in vetustissimis codicibus, vt patet ex historiæ Tripartitæ lib.12. c.4. hodie legimus Græce πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ Θεοῦ οὐκ ἔστι. *Omnis spiritus, qui non cõfitetur Iesum Christũ in carne venisse, ex Deo nõ est*. Ast illã lectionẽ sustulerunt de veteribus exẽplaribus, qui separare voluerunt ab hominis dispensatione diuinitatem. Annotauit Stapletonus in Relectione, contr.5. q3. art.2.

XV. Certum est, omnes Græcos codices dissidere à Latinis. Sed corruptos illos esse potius quam istos, hoc opus hic labor est probare. Certe illorũ sententia longe augustior est, & ἱεροπρεπεστέρα. Nam cum Latini codices solis infesti sint, si forte, Nestorianis, at Græci neq; his fauent, & alias hæreses potentissime refutant. Nam & vnicam personam contra Nestorium, & duas naturas contra Eutychem manifeste prædicant. Cum neque duas naturas Latini designent: neque vero etiam satis diserte vnicam personam. Nam etsi, dissoluere, eo referri queat, tamen longiuscule est petitum.

XVI. Nam quod Socrates scripsit hunc locum à Nestorianis falsatum: primum, cur verisimilius est, quam ab Eutychianis? Nam his æque nocebat lectio Græca. Deinde, vel Nestorianis nullos oportet adfuisse Iesuitas, vel non valde sibi timuisse ab hoc loco. Nam, qua sunt Iesuitæ subtilitate, tam remotum verbum soluendi, facile in eum sensum auertissent, vt nõ esset Nestorio molestum. Cur non enim soluere Christum is dicatur, qui omnino eius autoritatem impugnet, & nolit à Christianis agnosci? Et si quid aliud astuti homines poterunt excogitare. Denique non ea tantum soluuntur, quæ personis distrahuntur. Næ illi si Salmeronem consuluissent, facile dicturi erant, eos soluere Christum, qui negarent Papam esse Oecumenicum Pontificem, aut certe qui imagines adorandas: aut denique qui indulgentias vtiles. Se vero iisdem verbis non tangi, magis quam Papistas illis Pauli de interdicto matrimonio, quorum vis exhausta dãnandis Montanistis, aut Tatianis.

XVII. Deinde eam lectionem, quomodo potuerunt inuehere Nestoriani, quæ ante Nestorium aliquot seculis exstitit? Habes apud Cyprianum contra Iudæos, lib.2. *Item in Epistola Ioannis, Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, de Deo est: qui autem negat in carne venisse, de Deo nõ est, sed de Antichristi spiritu*. Imo ante Cyprianum in Polycarpo, ad Philippẽses. *Abstinete à scandalis, & falsis fratribus, qui in vanũ portant nomẽ Domini, qui oberrare faciunt inanes homines. Omnis enim qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est*. Mirum si tanto ante Nestorium natum, Nestoriani erant Polycarpus Ioannis ipsius discipulus, & Cyprianus: vt missam faciam Syrum interpretem, qui reddidit in hunc modum, *Et omnis spiritus qui non confitetur, quod Ieschua in carne, non est ex Deo: sed hic ex Christo, falso est*.

XVIII. Quintus locus ex 15. cap.1. ad Corinthios. Pro his græcis, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα: *omnes quidem non dormiemus: omnes tamen immutabimur*: Latine longe alia sunt, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Qua de re prolixe Hieronymus epistola 152. ad Minerium & Alexandrum.

XIX. Sed hunc à Stapletono miror obiectum. Nam Sixtus Senensis reliquit in dubio, enumeratis hincinde multis autoribus. Canus vero diserte pronuntiat neutram lectionem à viris Ecclesiæ reprobatam esse: sed admonuisse semper dubiam & variam: Itaq; neutram nos recipere cogi, quia neutram doctores Ecclesiæ tanquam exploratam & Catholicam asseruere. Enimuero si nondum est Latina lectio palam sancita, quomodo falsitatis conuinci potest Græca?

XX. Sed Latinam non esse satis sinceram probamus: quia omnes fatentur nullum exemplar Græcum aut habere, aut habuisse, *Omnes quidem resurgemus*. Nam κοιμηθησόμεθα non potest ita significare. Tantum diuinauit Salmero forte ab aliquibus lectum ἂν, & inde detracta vna litera, factã negationem. Sed hæ coniecturæ nihil habent solidi. Porro negationem magis congruere euincitur ex articulis fidei, in quibus fatemur nos credere, Christum iudicaturũ viuos & mortuos. Nec vero aliter reddiderũt Syrus & Arabs.

XXI. Sed Salmero contra disputat. Primum; illud πάντες οὐ κοιμηθησόμεθα, iuxta verborum proprietatem significare *nullos dormituros*. Quia aliquos dormituros non omnes, significandum esset, per, *Non omnes dormiemus*. Secundo falsum esse non omnes dormituros: quia contra Scripturæ asserant mortem vniuersalem. Tertio, non esse verum, omnes immutandos: non enim omnium futuram immutationem, teste Apostolo. *Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, & omnes immutabimur*. Immutabimur, non immutabuntur. Quarto, Si de iis qui non morientur, dictum, *& nos immutabimur*, quomodo de Paulo verum erit, quod non sit mortuus, cum se inter eos numeret, qui immutabuntur, & non morientur?

XXII. Respondeo, ab Hebræis ita vsurpari huiusmodi negationes pro vniuersalibus: sed aliter fieri in aliis linguis. Fatemur autem & in Nouo Testamento non rarum esse illum Hebraismum. Sed quid obstat, quominus hoc loco dicamus Paulum vsum idiomate Græco? Vt Matthæi, 7. οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι Κύριε, *non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: id est, non omnes, sed tamen aliqui*.

XXIII. Neque est quod dicat non esse idem, *Non omnes*, & *omnes non*, Nam apud Hebræos, vnde ratio est desumpta, æque vniuersalis est vtraque phrasis. Exod. 20. לא-תעשה כל-מלאכה οὐ ποιήσεις πᾶν ἔργον. *Non facies omne opus in eo*. Leuitici tertio. וכל-חלב וכל-דם לא תאכלו: πᾶν στέαρ καὶ πᾶν αἷμα οὐκ ἔδεσθε. Latinum deserto Hebraismo. *Nec sanguinem nec adipem omnino comedetis*. Et vero hunc ipsum nostrum locum Græci exposuerunt non vniuersaliter. Oecumenius, εἰσὶ γὰρ τινὲς τότε εὑρισκόμενοι, οἳ οὐ μὴ ἀποθάνωσιν, *Tunc enim deprehendentur quidam, qui non morientur*. Chrysostomus inuertit, ὃ δὲ λέγει τοῦτό ἐστι, οὐ πάντες μὲν ἀποθανούμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. *Hoc est autem quod dicit, Non omnes quidem moriemur, omnes autem immutabimur*, καὶ οἱ μὴ ἀποθνήσκοντες, *etiam qui non moriuntur*.

XXIV. Ad secundum. Fateor mortem esse vniuersalem: sed hoc Paulum negasse nego. Nam τὸ κοιμᾶσθαι, non est simpliciter mori: sed in morte aliquandiu detineri. Hoc negat Paulus: nimirum, quia mutatio illa futura sit in instanti, ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ *in momento, in ictu oculi*. Vnde quidam poterant etiam negare illos morituros: nimirum, quia instans est instar nihili. Et huc pertinet locus 1. ad Thessal. 4. vbi diserte distinguuntur οἱ κοιμηθέντες, ab iis qui viui relicti erãt. *Hoc.n. vobis dicimus verbis Domini, fore vt nos viui, qui reliqui erimus in aduẽtu Domini, nõ praueniamus eos qui obdormierint*. Ergo inquam, ij qui tunc in viuis erunt, nõ sunt Paulo iudice inter τοὺς κοιμηθέντας.

XXV. Oecumenius. Ἄλλοι δέ τι, οὐ κοιμηθησόμεθα, φασὶ περὶ τοῦ μακροῦ θανάτου αὐτὸν εἰρηκέναι, ὥστε φθορᾶς καὶ διαλύσεως δεῖσθαι. τὸ γὰρ ἐν ἀτόμῳ ἤγουν ἐν στιγμῇ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ἤγουν φορᾷ καὶ κινήσει, καὶ ὁρμῇ, ἀποθανεῖν καὶ ἀναστῆναι, οὐδὲ κοίμησιν εἶναί φασιν. *Alij illud, Non dormiemus, dicunt de longa morte illum dixisse, adeo vt corruptione, & dissolutione opus sit. Nam in atomo, siue puncto, in ictu oculi, siue motu & impetu mori & resurgere, negant esse dormire*.

XXVI. Ad tertium. Primo, cur non verum omnes immutatum iri? Nam ille alter locus primum falso citatur. Non enim, *& omnes immutabimur*, sed habet, *Deinde nos viui, qui reliqui erimus: rapiemur simul cum eis.* Deinde, si haberet, *& omnes immutabimur*, quid inde confieret? Non enim necesse, de reliquis negari, quod affirmatur de quibusdã. Nẽpe igitur, propterea omnes qui tunc in viuis erunt, immutabuntur: quia omnes omnino immutabuntur.

XXVII. In quarto ridicula est de Paulo instantia. Non enim si dixit, *Non omnes obdormiemus*, ideo necesse est ipsum se numerasse in ipsis realiter, qui non obdormituri essent: sed tantum in eorum numero, indefinite sumpto, & generaliter, quorum alij obdormituri, alii minime. Alioquin, quid fiet alteri loco ex 4. prioris ad Thessalonicenses, vbi diserte, *Vobis dicimus fore, vt nos viui, qui reliqui erimus in aduentu Domini, non præueniamus eos, qui obdormierint.* Nam hic si λεπτολογῆσαι: vim verbis facimus, omnino conficiemus Apostolũ asseruisse, se in viuis futurum in aduentu Domini. Quod falsissimũ.

XXVIII. Sextus locus, Matthæi 6. constat in omnibus exemplaribus Græcis inueniri hæc verba addita ad finem orationis Dominicæ, *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula.* Quæ non sunt partes diuinæ Scripturæ. Et esse addita à Græcis ex duobus intelligi potest. Primo, quod Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, orationem expolirunt, nullam eorum mentionem faciunt. Secundo, quod Græci in sua Liturgia recitant quidẽ hæc verba, sed non continuant cũ oratione Dominica.

XXIX. Non est, inquit Bellarminus, pars Scripturæ. Cur non, inquam? Nam si hoc loco non exstaret, tamen 1. Chronicorum 29. totidem fere verbis legitur. Fateor equidem, quod Gretserus obiicit, non quæri, vtrum extet alibi, sed vtrum hic debeat: sed Bellarminum tamen inconsulte loquutum in aperto est. Et si peccatum esset, certe minus multo esset, quam editionis Latinæ, quæ plurimis locis addit, quæ in Scriptura nusquam legas, vt suo loco sumus ostensuri. Meminisse tamen oportuit eundem Bellarminum vt tueatur editionem Psalm. 13. cui inserti sunt aliquot versus aliunde repetiti, *Ecclesia*, inquit, *patitur eos octo versus in vulgata esse, quia sunt partes Scripturæ.*

XXX. Quid tum autem, si huius particulæ hoc loco non meminerint Latini? Aut cur eorum maior authoritas sit, vt dicamus additam Gentes contra Latinos? Et tamen Græcorum prædicibus; quam Græcorum, vt erasam à Latinis. Et tamen Græcorum prærogatiua est, quandoquidem non à Latinis ad Græcos, sed contra à Græcis ad Latinos Scripturæ Sacræ peruenere. Adde Græcis Syros. Nam hi legunt, tum in textu ipso, tum in suis precationibus. Quid? conspirant Ecclesię Græca, & Syriaca: & vnam Latinam oportebit præualere?

XXXI. Sed Græci, inquit Bellarminus in sua Liturgia non cõtinuant cũ oratione Dominica. Qua, inquam, Liturgia? Illiberaliter fecit Sophista, cũ tacuit. Ast ego, cum percurri, quæ fuerunt ad manum, contra reperi. In Basilij Anaphora sic legi paraphrasticẽs eius orationis finem, *Domine Deus & Seruator noster, nec induc nos in tentationes difficiles, aut necessitates amaras: nec inducas nos in laqueos aduersarij, hostiumq; animarum nostrarum: neque destituas nos vt incidamus in manus aspectabilium grassatorum, & qui vitam nostrã lædere cupiant: sed libera nos ab omnibus tentationibus occultis, & manifestis, eunctis diebus vitæ nostræ: atq; exime nos ab omnibus malis, quæ propter iniquitatem nostram incurrunt in nos: quia tuum est regnum, & vnigeniti filij tui, ac Sanctissimi tui Spiritus, boni, adorandi, vitã largientis, & tibi in substantia æqualis, nunc & semper & in secula seculorum*, In Liturgia Chrysostomi. Ὁ χορὸς. Πατὴρ ἡμῶν ἁπλῶς ὁ ἱερεύς, ὅτι σὰ εἶ ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων Ὁ χορὸς Ἀμήν. Chorus: *Pater noster.* Alta voce Sacerdos. *Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria, Patris, & Filij & Spiritus Sancti, nunc & semper, & in secula seculorum.* In Liturgia τῶν προηγιασμένων. totidem verbis & syllabis. Quid ergo? mentitur-ne Bellarminus?

XXXII. Sed Gretserus ex Maldonato, notat additionis originem ex more Græcorum, quibus vsitatum preces terminare aliqua doxologia. Hinc Psalmis addere solitos, *Gloria Patri.* Salutationi Angelicæ, ὅτι σὺ ἔτεκες τὸν σωτῆρα ἡμῶν. Quia tu peperisti Saluatorem nostrum. Et Sermones ad populum plerumque claudere his verbis, ὅτι σοί ἐστι πρέπει ἡ δόξα, ἡ βασιλεία. XXXIII. Respondeo, nõ negari ita solere Græcos. Sed vtrum is mos huic additioni originem dederit, an potius hic contextus ei consuetudini, non explicat aut Gretserus, aut Maldonatus. Ego posterius dico esse facilius. vt qui à Christo ipso viderint hanc orationem tam solemnem ita conclusam, putarint non inutiliter & reliquas omnes similiter claudendãs. Prius autem abhorrere à verisimili facile hinc discas: Quod textui Scripturæ nusquam inuenias apud eos additas eas doxologias. Non in Psalmis, *Gloria Patri*, non in salutatione Angelica, *Quia tu peperisti*: sed textu sacro relicto intemerato, huiusmodi doxologiarum vsus frequentatur in publicis, priuatis-ve pietatis exercitiis. Quod cur aliter factum esset hoc loco?

XXXIV. Septimus locus additur à nonnullis ex 5. ad Romanos, *Regnauit mors ab Adam, vsq; ad Mosen, etiam in eos, qui non peccarunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Pro qua Ambrosius contendit legendum potius, *in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ*: sublata negatione. Et sic legisse olim Tertullianum, Victorinum, Cypriauum, etsi repugnent exemplaria Græca: corrupta postquam versa sunt in Latinum; remanentibus versionis codicibus purioribus propter simplicitatem temporum: obiectio est apud Driedonem.

XXXV. Atqui omnia exemplaria Latina eodem modo sunt corrupta: si ea corruptio est. Verum præter consensum Syri Interpretis, res ipsa prodit huius lectionis sinceritatem, vtrecte Beza obseruauit. Nimirum, quia ab euentu docet omnes homines esse peccati reos, etiam infantes, qui non peccarunt sicut Adam, id est, actualiter. Nam id institutum est Pauli, à mortis pœna euincere peccati culpam. Quod non faceret, si mortem diceret regnasse in omnes qui peccassent ad similitudinem Adę: quia excipi possent infantes, in quos regnauit eadem mors: etsi non similitudo peccati. Nam hanc siue interpreteris de iisdem peccatorum actualium formis; siue altius de iisdem peccatorum generibus: neutro modo dici possunt infantes peccasse ad similitudinem Adami.

XXXVI. Octauum locum Gordonus annotauit Lucæ 1. *Quod nascetur ex te Sanctum.* Græca exemplaria omittunt ἐκ σοῦ, *ex te.* Et tamen hæc verba multum faciunt contra Anabaptistas, Seruetum, & similes Antitrinitarios, qui quamuis fateantur Christum natum, tamen negant ex Virgine, quia negant ab ea sumpsisse carnem.

XXXVII. Ast ego concedo in nullis exemplaribus Græcis reperiri: amplius addo, à nullo Græcorum legi, si vnum excipias Athanasium, quẽ Beza citat ex Epistola ad Epictetum. Quanquam Maldonatus non excluserit omnes. sed plerosque. Fateor etiam valere aduersus eius generis hæreticos. Sed corruptionem nullam agnosco propterea: neque vllam, quod quidem viderim, Beza, etsi alioquin restituendum putarit. Nẽpe idem sensus est, siue adsit, siue absit ea particula. Nã verba Græca discrtiora sunt Latinis, in qu.b. illud nasci, debile est ad eas reuincendas hæreses: vt facile potuerint natũ concedere, negantes carnem ex Virgine. Sed Græcum γεννᾶς aliud est: obsetuãte etiam Maldonato. *Rectè verteris, Quod ex te generatum fuerit. Quibus verbis, non ortus, sed conceptus significatur: γεννᾶς enim non est nasci, sed concipi, non ortus sed conceptus significatur:* γεννᾶς necessariam fuisse Syro Interpreti additionem. Nam ילד commune tum gignendo tum patiendo: Itaque τὸ γεννώμενον oportuit aliqua circunstantia denotari. Similiter Latino interpreti vtenti verbo nascendi. Sed Græca sibi ipsa sufficiebant.

XXXVIII. Locus nonus Ioannis 7. *Nondum erat Spiritus datus.* Pro quo Græce, *Nondum erat Spiritus Sanctus.* Quam deprauationem Gordonius Macedonianorum esse dicit, & aliorum hæreticorum, qui negabant Spiritum Sanctum esse verum Deum.

XXXVIII. Atqui de Spiritu Sancto, quatenus Deus est, non loquebatur Christus; sed quatenus Apostolis datus. Quid hoc ad Macedonianos? Porro omnes Græci, sanctum legunt, non datum. Iansenius Concordiæ c. 75. *Circa huius sententiæ primam partem, sciendum Græca non habere, Nondum erat Spiritus datus: sed nondum erat Spiritus Sanctus. At quoniam ea lectio prima fronte impium sensum præ se ferebat, quasi scilicet, Spiritus aliquando non fuerit, offensus quisquam, vt est verisimile, mutauit Sanctus in datus. Verum nihil erat periculi in Græcorum lectione.* Salmero tom. 8. tract. 37. *Græca exemplaria antiqua, pro datus habent Sanctus. Et in sensu nulla est prorsus à nostra lectione diuersitas: quia etsi non exprimatur verbum, Datus, supplendum est necessario.* Caietanus. *Ratio dicendi manifestat, quod non loquitur de esse in se, sed de esse in credentibus. Dixerat enim de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: & reddendo rationem quod accepturi erant credentes, dicit nondum enim erat Spiritus Sanctus, supple in credentibus in eum.* Nec alia Græcorum est expositio.

XXXIX. Decimus locus Matthæi 8. In Græco habetur, *Longe ab illis erat grex porcorum.* At Latine rectius, inquit Gordonus, *Non longe.* Nec dubito, inquit Maldonatus, Latinam lectionem incorruptiorem esse. Quia Marcus & Lucas dicunt, *Erant autem ibi*, id est, in eo loco: Et Lucas ἐν τῷ ὄρει *in monte*: Marcus; πρὸς τῷ ὄρει. *iuxta montes.* quos prope lacum fuisse certum est. Et quia propterea Christus concessit, vt in porcos irruerent, vt qui aderant, ex porcorum interitu cognoscerent, quam multi, & quam sæui dæmones essent: quod neque cognouissent, si porcos non vidissent: nec vidissent, si procul fuissent.

XL. Sed Latine ita legitur reclamante fide omnium Græcorum exemplarium, inquit Beza: quam fidem non video cur temere sollicitemus. Quid enim habet incommodi? Non vidissent, inquit Maldonatus, qui Christo aderant. Quanto ergo spatio, inquam, μακρὰν definiendum? An nulla sunt longe, nisi quæ vltra quam oculi possunt contendere? Ast ego putabam etiam intra. Vt Lucæ 15. ἔτι δὲ αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχοντος, ἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ. *Quum autem adhuc longe abesset, vidit eum pater ipsius.* Et Matthæi 26. *Petrus autem sequebatur eum, ἀπὸ μακρόθεν procul.* Et 27. *Erant autem illic mulieres multæ quæ sequebatur eum, ἀπὸ μακρόθεν procul.* Et 27. *Erant autem illic mulieres multæ μακρόθεν θεωροῦσαι, procul spectantes.* Itaque non dubito sinceriſſimam esse lectionem: atque omnino idem Matthæi μακρὰν: Et Lucæ. ἐν τῷ ὄρει: Et Marci πρὸς τὸ ὄρος. Neque enim verisimile est, permixtos fuisse porcos viris, id est, in eodem ipso fuisse loco cum Christo, & reliquis: sed aliquanto remotos spatio, nempe pascentes non in ipso litore, siue mauis, iuxta monumenta: sed in montis radicibus.

XLI. Vndecimus locus Lucæ 2. *In terra pax hominibus bona voluntas.* At rectius, inquit Gordonus, *Hominibus bonæ voluntatis*, iuxta Hebraicã phrasin, vt agnoscit Beza post longam disputationem.

XLII. At Beza nihil aliud, nisi se non recusaturum Latinam lectionem. *Non recusem*, inquit, *legere εὐδοκίας.* Sed nihil tamen censuit mutandum, in tanto consensu Græcorum exemplarium, & autorum. Et explicandum notauit longe aliter, quam Papistæ soleant: qui abusi, suo more, ambiguitatis occasione, homines dixerunt bonæ voluntatis; quorum fuerit voluntas bona: cum ille censeat voluntatem illam Dei esse; quod & Maldonatus admisit. Sed Bezę concedamus suam pacem, suamque simul sententiam. De ipsa dicamus.

XLIII. Maldonatus suo more confidentia plenus, tanquam imperium obtinens in Theologicis rebus, agit acriter. Primum autoribus non tantum Latinis, sed etiam Græcis, Origene, Cyrillo, Chrysostomo. Sed hoc futile. Nam quod ad Latinos attinet, sępe dictum, non esse omnium eorum consensum opponendum Gręcis, à quibus illi Scripturas habuerunt. De Origene, Chrysostomo, Cyrillo, facile negotium: nulla haberi eorum testimonia Gręca: sed à Latinis versionibus. Cognitum autem lippis & tonsoribus, Latinos interpretes inflexisse, quem habebant textum prę manibus, ad suę versionis formam. In Origene etiam mire lusisse, & illius sensibus suos admiscuisse.

XLIV. Contendit rursus eius breuis orationis esse duo tantum membra. Quod nobis aliter dictat ipsa verborum constructio. Sed cur duo tantum? Nam cui, inquit, in terra nisi hominibus pax esse poterat? Cui autem? Nulli certe inquam. Itaque concedo hominibus pacem assignari: sed esse ergo tantum duo membra, constanter nego. Nempe, quia etsi non opponatur cœlis nisi terra: tamen hęc ipsa pars quę de terra agit, duo complectitur membra, vnum de pace, alterum de causa eius pacis, quę nulla est, nisi εὐδοκία Θεῖα.

XLV. Interrogat: quis sensus sit: *In hominibus bona voluntas.* Non incommodus, inquam: Quis enim non audiuit. Lucæ 3. ἐν σοὶ εὐδόκησα? siue Matthæi ἐν ᾧ εὐδόκησα: *In quo mihi complacui.* Prioris ad Corinth. 10. οὐκ ἐν πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν. *Non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Post. 12. εὐδοκῶ ἐν ἀσθενείαις. Post. ad Thessal. 2. εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ. Intelligo eadem nunc syntaxeos ratione dictum ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας.

XLVI. An sensum exagitat potius? Quid-ni ergo placeat illud Caluini, *Appositiue subijci* εὐδοκίαν, *vt sciamus vnde pax nobis proueniat?* Hic ille lesuitarũ supercilioſisſimus, *Quam violentum est?* Plaudite, Dixit. Scelerati, quid rationem ab eo exigitis, cui supra rationem, sine ratione: contra rationem imperium est. Quid ergo tanti esset lesuitam fieri?

Finis Libri Duodecimi.

LIBER

LIBER DECIMVSTERTIVS
De
GRÆCA VETERIS TESTAMENTI EDITIONE.

Caput Primum.

QVÆSIT AVTORITAS EDITIONIS GRÆCÆ VETERIS TESTAMENTI.

VEndicauimus suam fontibus Hebraicis & Græcis sinceritatem, authoritatemque: quam vtramque sartam tectamque conseruari Ecclesiæ tam interest, quam quod maxime, ipsa teste experientia. Nã & paulatim creuerunt errores, varij, magnique, cum ij fontes abscondi cœperunt, remouerique ab oculis Christianorum, vt multis factum est seculis: Et hodie nemo riuulos turbidos, infectosque tam amat, admiratur, & tuetur, quam qui eosdem errores detegi ægerrime patiuntur, imo prorsus non patiuntur: quod esse Papistarum ingenium omnes norunt.

II. Nunc quid iudicandum sit de Græca & Latina editione videndum. De Græca igitur sic Papistæ sentiunt. Bellarminus libri secundi de Verbo Dei capite sexto; certissimum esse vult Septuaginta Interpretes optime transtulisse, & peculiari modo Spiritum Sanctum assistentem habuisse, ne qua in re errarent, vt non tam Interpretes, quam Prophetæ fuisse videantur. Stapletonus parcissime, atque obiter tantum huius editionis laudes attingit ad quartum argumentum articuli primi, quo disseritur de authoritate editionis Hebraicæ; obiectis Græcæ editionis mendis. Pronuntiat tamen Septuaginta interpretes diuino plane Spiritu illud opus fecisse. Petrus Suror Sorbonicus Carthusianus multo animosius disputat capite quarto & quinto de Tralatione Bibliæ, sumitque probandum interpretationem Septuaginta diuinam, diuinitusque factam esse, hoc est miro quodam modo, & diuino propheticoque Spiritu: ideoque esse Ecclesiæ vtilem, probatam atque authenticam.

III. Nos vero hanc Græcam editionem concedimus vtilissimam fuisse humano generi; quod iam ante Christum, ita paulatim assuefieri cœperit cœlesti doctrinæ, &, in mediis idololatriæ tenebris, habere veritatis lucem, ac credo proselytos multos esse factos ex hac tantorum mysteriorum communicatione. Sed & ad Ecclesiam Christianam magnum inde fructum peruenisse, docuit experientia: cum aliquot seculis vix aliter, siue Græcis siue Latinis, Vetus Testamentum cognitum fuerit. Nam etsi extabant aliæ versiones, tamen hæc erat celeberrima, omnibusque maxime cognita.

IV. Authoritatem vero agnoscimus non maiorem, quam esse potest alicuius interpretis; suo scilicet ordine & loco, longe post ipsos fontes, ex quibus corrigenda sit, si opus est. Itaque neque diuinam agnoscimus, aut propheticam: neque authenticam. Sed profectam à spiritu, pio illo quidem, sed tamen humano, qui labi & errare potuerit: atque etiam reapse errauerit, siue quod linguas non exacte cognitas haberet: siue ipsa mysteria non penetrauerit, siue alium sibi aliquem proposuerit finem, quam solam & simplicem versionem eorum quæ in Hebræis legebant: siue aliam quamlibet ob caussam.

V. Cæterum notanda est aduersariorum in hoc argumento diuersitas. Non enim eodem sensu nominant editionem Septuaginta. Nam Bellarminus ita disputat, vt editionem intelligat, non qualem hodie habemus: sed qualis fuit ab initio. Hanc enim concedit ita esse corruptam & vitiatam, vt omnino alia esse videatur: itaque videri possit id quod de autoritate dixit, nolle de hac dictum. At vero Petrus Sutor, & Stapletonus, absolute quidem loquuntur de editione Septuaginta: sed cum de hac, quæ hodie prę manibus est, nihil excipiant, videntur ei hanc ipsam, quam nominarunt, diuinitatem applicare.

VI. Etsi autem multo prudentior sit Bellarmini distinctio, verisimiliorque sententia: tamen nos censemus eos quidem periculosius errare, qui nihil distinguunt: nihilominus ne Bellarminum quidem satis recte iudicare. Itaque vtramque sententiam impugnamus: nempe siue hanc, quæ hodie manibus teritur, siue illam etiam, quæ primo ab Interpretibus facta est, esse authenticam. Sed audiamus Papistas suam probantes.

CAP. II.

An sit authentica editio Græca Testamenti Veteris, quia ea vsi sint Apostoli.

I. ILla translatio mire, diuinitusque facta prorsus censenda est, qua ceu diuina vsi leguntur Apostoli Christi: Atqui Apostolos ipsos translatione huiusmodi vsos fuisse, & ex ea testimonia desumpsisse, memoriæ proditum est: Ergo ea mire diuinitusque facta est. Sic ad verbum Petrus Sutor, fœde lapsus in formando argumento. Nam in maiore posuit non simpliciter Apostolos vsos esse Translatione Græca: vt in Assumptione: sed vsos esse tanquam diuina, quod non est ausus assumere. Vidit enim esse meram petitionem principij. Hoc quidem certo constat; Apostolos vsos esse hac editione, sed vsos esse tanquam diuina; hoc vero non sumendum, sed probandum fuit. Sutor autem, nec probare potuit, & erubuit sumere.

II. Bellarminus, dum cauit ab hoc errore, argumenti solutionem reddidit faciliorem. Apostoli (inquit) hac versione frequenter vtuntur, vt ex eorum citationibus patet, & aperte asserit Irenæus libro 3. c. 25. imo etiam ipse Hieronymus præfatione Euangeliorum ad Damasum. Erit igitur hæc argumenti forma: Omnis editio Bibliorũ, qua Apostoli frequenter vsi sunt, facta est Spiritu peculiari modo Interpretibus assistente, ne qua in re errarent. At editione Septuaginta Interpretum Apostoli frequenter vsi sunt. Ergo ea facta est Spiritu peculiari modo Interpretibus assistente. Et probatur minor, cum ex citationibus, tum ex Irenęo, & Hieronymo.

III. Respondeo Bellarminum sophisticè agere: tum occultando præcipuam syllogismi partem, nempe maiorem, in qua est τὸ κρινόμενον; Et confirmando minorem, de qua nemo quæstionem mouit. Est enim manifesta cuilibet, qui vel tantillum operę posuerit in conferendis locis, qui magno occurrunt numero. Quanquam Irenęum male testem allegauit. Nam is capite vigesimo quinto libri tertij ne verbo quidem meminit allegatorum ab Apostolis locorum: sed tantum asserit Apostolorum prędicationem, concordare cum Prophetarum prędictionibus, quę in editione Septuaginta habeantur. *Apostoli* (inquit) *cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni. Etenim Petrus, & Ioannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores, Prophetica omnia ita annuntiauerunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet.*

IV. Stapletonus ad hoc argumentum respondet, Christum & Apostolos vsos esse Septuaginta Interpretum versione, pura & incorrupta; quę postea sit depraua ta. Vnde conicio eius sententiam eandem esse cum Bellarmino; videlicet, editionem Grecam diuinam fuisse ab initio; non vero talem, qualis nunc exstat. Sed nihilominus solutio non valet. Ratio est, quia nunquam interpretatio fuit authentica: neque vnquam caruit suis peccatis, siue ante Christum, siue post Christum. Sed & corruptam fuisse post Christum, quo argumento probatur, aut quo iudicio significatur? Saltem ostenderent aliquem ex primis post Christum Patribus, Irenęum, Iustinum, & similes, qui locum aliquem citent, quem hodie in editione Greca legamus aliter.

V. Ergo sane infinitos comperi ἀνυπαλλήλους recitatos, vt leguntur etiamnum hodie. Exempli gratia. Initium Geneseos Iustinus tum alibi, tum in exhortatione ad Gentes legit ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Nec aliter Irenęus libro primo capite decimoquinto, *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Idem Iustinus, ἡ δὲ γῆ ἀόρατος ἦν, καὶ ἀκατασκεύαστος· καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπ' αὐτῷ τῶν ὑδάτων. Infinita eiusmodi colligi possunt cum ex his, tum ex Origene, & Hieronymo, & alijs. Quinetiam Psalmos omnes fatentur Latine haberi ex Septuaginta interpretatione: Et ij consentiunt cum Greca, quam habemus, versione.

VI. Atque hęc quidem annoto; non vt negem corruptam fuisse vnquã editionem Grecam. Nam sępius & disertius affirmat Hieronymus, quam vt ego contradicam. Sed vt ostendam ex iis ipsis locis, quibus remanserit integra, inutile esse Stapletoni κρησφυγετὸν, quia certum est, iis ipsis locis Seniores sępissime discessisse ab Hebraicis fontibus. Itaque non valere distinctionem temporum; vt esset quidem eorum editio authentica, tum cum in vsu erat Apostolorum; deinceps autem minime.

VII. Itaque potius nego maiorem. Non enim sequitur, Apostoli vsi sunt ea editione: ergo est authentica, siue diuina. Nam Paulus vsus est etiam prophanorum librorum testimonijs, qui tamen propterea non fiunt diuini. Cęterum, quia scripserunt Grece Apostoli, facile vsi sunt ea editione, quę tũ sola Grecis erat cognita: non vt eam redderent authenticam: sed vt accommodarent se iis, quos instruendos susceperant.

VIII. Nam alioqui patet non ita se vel Christum vel Apostolos illi addixisse, vt ab ea nunquam discederent. Nam sępe veritatem Hebraicam prędicabant, vt obseruauit Hieronymus lib. 2. contra Rufinum. *Apostolici viri* (inquit) *Scripturis vtuntur Hebraicis: ipsos Apostolos & Euangelistas, hoc fecisse perspicuum est. Dominus atque Saluator, vbicunque veteris Scripturæ meminit, de Hebraicis voluminibus ponit exempla: vt est illud: Qui credit in me, sicut Scriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et in ipsa cruce* אלי אלי למה עזבתני *Eli Eli lamma azautani: quod interpretatur, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? non vt à Septuaginta positum est, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Et multa his similia. Nec hoc dicimus, quod Septuaginta interpretes suggillemus, sed quod Apostolorum, & Christi maior sit autoritas: & vbicunque Septuaginta ab Hebræo non discordant, ibi Apostolos de interpretatione eorum exempla sumpsisse: vbi vero discrepant, id posuisse in Græco, quod apud Hebræos didicerant.*

XI. Et

XI. Et sane non frustra dixit Hieronymus alia posse similia reperiri: Ego nonnulla collegi. Matthæi 2. ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου: vt est Hebraicè apud Oseam 11. at Græce τὰ τέκνα αὐτοῦ: filios eius: pro, filio meo. Matthæi 4. ὁ λαὸς καθήμενος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα. καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς. *Populus positus in tenebris vidit lucem magnam: & positis in regione & vmbra mortis, lux exorta est.* Græce est φῶς λάμψει ἐφ' ὑμᾶς, lux exorietur super vos. Cap. 8. αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν, Ex Esaiæ 53. vbi tamen Græce est, ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται; paulo remotius ab Hebræo. Matthæi 12. ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα. ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Ex Hebræo: nam Græce legimus. Ἰδοὺ ὁ παῖς μου ὃν προείλατο. ὁ ἀγαπητός μου ὃν προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου. His omnibus atque alijs multis locis discessum est à Græca editione Itaque certum est, hoc facto Ecclesiam esse admonitam: vt illa sic vtatur, vt tamen non dubitet exigere ad Hebraicam originem: id est, ne censeat esse authenticam.

XII. Augustinus ergo multo scripsit consideratius epistola 10. cum Hieronymum dehortaretur à vertendis ex Hebræo Scripturis Sanctis; hoc Apostolorum vsu, non authenticam probauit editionem Septuaginta, sed tantum habere magnum pondus. *Neque enim* (inquit) *paruum pondus habet illa, quæ sic meruit diffamari, & qua vsos Apostolos non solum res ipsa indicat, sed etiam te attestatum esse memini.* Intra hos se cancellos si contineant aduersarij, nihil est quod obsistamus: sed illi profecto nimis excurrunt, cum diuinitatem quandam his assignant interpretibus.

CAP. III.

An authentica sit Editio Græca, quia Ecclesia illa vsa est.

I. HVic argumento vicinum est argumentum ab vsu Ecclesiæ; quæ multis seculis eandem interpretationem sequuta est, vt scribit Hieronymus præfatione 1. in Paralipomena. Augustinus etiam 18. de Ciuitate Dei, capite quadragesimo tertio, tradit, etsi fuerint alij interpretes, qui ex Hebraica lingua in Græcum sacra eloquia transtulerint, hanc tamen quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepisse Ecclesiam, eaque vti Græcos populos Christianos, vt plerique eorum, vtrum alia sit aliqua, ignorent: ex eademque in Latinam linguam interpretatum esse, quod Ecclesiæ Latinæ tenerent. Syllogismus est: Quæcunque editio in vsu fuit ab initio Ecclesiæ, ea est authentica. At editio Græca Septuaginta interpretum in vsu fuit ab initio Ecclesiæ. Ergo ea est diuina & authentica.

II. Respondeo primo, maiorem falsam esse. Neque enim potest Interpretibus Septuaginta maiorem authoritatem Ecclesia tribuere, quam Christus & Apostoli. At superiori capite iam ostendimus, etiamsi eorum editione vsi sint Christus & Apostoli; non tamen concludi eam esse siue diuinam siue authenticam. Ergo multo minus sperare debent aduersarij se id euicturos ex vsu Ecclesiæ.

III. Secundo ad minorem; nego Ecclesiam vniuersam hac tantum editione vsam esse. Nam vt hoc ab ipsis initiis exemplum sumam, Ignatius ab ea sæpissimè discedit, vt plurimis locis Epistolarum eius obseruaui. Epistola ad Trallianos ex Zachariæ 12. ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, καὶ κόψονται ἐφ' ἑαυτοῖς ὡς ἐπὶ ἀγαπητῷ. *Videbunt in quem compunxerunt, & plangent super seipsis, tanquam super dilecto.* Sed Græca editio habet, καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, καὶ κόψονται ἐφ' ἑαυτοῖς κοπετὸν ὡς ἐπ' ἀγαπητόν. *Et aspicient ad me, pro eo quod insultauerunt: & plangent super se planctum quasi super dilectum.* Epistola ad Magnesios è 62. Isaiæ. καλεσθήσεται ὀνόματι καινῷ ὃ ὁ Κύριος ὀνομάσει αὐτόν, καὶ ἔσται λαὸς ἅγιος. *Vocabitur nomine nouo, quo Dominus vocabit eum: & erit populus sanctus.* Apud Septuaginta sic habemus: καὶ καλέσει σε τὸ ὄνομά σου τὸ καινόν, ὃ ὠνόμασε κύριος ὀνομάσει αὐτό. *Et vocabit te nomine tuo nouo, quod os Domini nominabit.* Epistola ad Tarsenses ex Prouerbiorum 8. ἡνίκα ἑτοίμαζε τὸν οὐρανόν, συνπαρήμην αὐτῷ: καὶ ᾧ ἐκεῖ ἤμην παρ' αὐτῷ ἁρμόζουσα, καὶ παρεγινόμην καθημέραν *Cum faciebat cœlum, aderam ei. Et vbi eram cum eo concinnans, & ille gaudebat mecum quotidie.* At apud Septuaginta & pro ἐτοίμαζε est ἡτοίμαζε Et postea παρεγινόμην: pro παρεγένομέ μοι. Et denique illud καθ' ἡμέραν discerpitur à suo contextu; relegaturque ad initium sequentis versiculi. Epistola ad Philippenses ex Malachiæ 2. οὐχὶ θεὸς ἔκτισεν ἡμᾶς, οὐχὶ πατὴρ πάντων ἡμῶν, *Nonne vnus Deus creauit nos? nonne vnus est pater omnium nostrum?* Septuaginta reddiderunt in secunda persona, vos, &, vestrum. Item ex 30. Prouerb. τί ὄνομα αὐτῷ, ἢ τὸ ὄνομα τῷ υἱῷ μου γνῶθι. *Quod est illi nomen, aut quod nomen filio, vt norimus?* Septuaginta pro τῷ υἱῷ habent τοῖς τέκνοις αὐτοῦ, natis eius. Et ἴαται, vt noris. Epistola ad Polycarpum ex Esaiæ 53. αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἡμῶν ἐβάστασε. *Ipse infirmitates nostras assumpsit, & morbos nostros tulit.* Græca editio. αὐτὸς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται. *Ipse peccata nostra portat, & pro nobis dolet.*

IV. Hæc de multis pauca: ex quibus apparet quanta libertate vsus sit Ignatius in citandis Scripturis. Et fateor quidem nonnunquam longius recessisse à veritate Hebraica, quam Septuaginta Interpretes: Sed vicissim nemo potest negare id rarius accedere: at sæpius longe adhærere fonti fidelius. Nimirum Episcopus erat Antiochiæ: ideoque cognitam habuit linguã sanctã, cuius χαφνὰς quædã est Syra dialectus, qua vtebantur Antiocheni.

V. Ad hæc, testatur Hieronymus in Ecclesia Danielem fuisse lectum ex Theodotionis, non autem è Septuaginta Seniorum editione. Primum ergo, hac certe parte, Ecclesia Senioribus postposuit Theodotionem: quod vnquam factum esse quis credat, si credat Ecclesiam Seniores illos habuisse pro Prophetis, eorumque editionem adeo exactam, vt nihil peccauerit, propterea que authenticam? Itane vero, in Ecclesiæ arbitrio positum est, vt quæ authorem habent Spiritum Sanctum, ea vel recipiat vel sponat? At contra factum in Euangelistis; qui, etsi omnes eandem Seruatoris vitam descripserunt alij fusius, alij breuius, alij sublimius, alij simplicius, tamen quia omnes à Spiritu afflati, ideo omnes retinentur, æqualemque habent authoritatẽ.

VI. Rursus, qui vir Theodotion fuit? Nunquam Catholicus. Sed primo hæreticus, ex impio Marcionitarum grege, quibus vix alios nomines, magis aduersarios Catholicæ fidei. Deinde manifestarius Apostata; factus Iudæus. Et hunc aliquis credat inspiratum à Sancto Spiritu? Etiam post detestandam Apostasiam? Nam vertendis Scripturis tum demum manum admouit, quãdo Iudæus factus est. Patet ergo non sequi: si Ecclesia vtitur aliqua editione, ergo eam esse à Spiritu Sancto. Posse autem aliquid in Ecclesia esse authenticum, quod profectum sit à spiritu humano, non autem diuino, non opus est, vt negem: omnes enim satis vident non posse. Rursus ergo non sequitur, eam esse authenticam editionem, qua Ecclesia Catholica vtitur.

XII. Quod si authenticam primi Christiani agnouissent, tum certe oportebat integram conseruari, puramque & putam. At hoc non est factum. Cum primum enim Origenes eam contulit cum Hebraico contextu, vidit que non paruam esse discrepantiam, tum ausus est editionem nouam cudere, hoc artificio, vt Senioribus Theodotionem miscereet, adhibitis asteriscis & obelis, quibus & quæ minus fuerant indicabantur, & quæ superfluebant, iugulabantur. Quod opus nemo negare potest fuisse ab ingenio humano. Sue Theodotionem spectes, quem iam diximus, siue Origenem.

VIII. Et tamen hæc editio statim suscepta est, tanta omnium approbatione, vt breui Bibliothecas Ecclesiarum omnes repleret; vixque vnus aut alter inueniretur liber, in quo Seniorum editio pura esset: teste Hieronymo Epistola 89. ad Augustinum. Atque hanc editionem illam esse Bellarminus suspicatur, quam κοινὴν appellabant, fortè, non prorsus ἀκριβῶς; etsi scrupulum moueat Hieronymus, qui præfatione in decimum librum commentariorum in Esaiam ἐν τῇ κοινῇ haberi dicat versus illos Psal. 13. qui sane neque Seniorum erant, neq; Theodotionis; proinde alia quã Origenis opera additos oportuit, ab iis, qui artem contexendam inter se Scripturarũ Apostoli nescientes, quæsiuerunt aptum locum, vbi assumptum à Paulo ponerent testimonium, quod absque authoritate Scripturæ positum non putabant. Quæ sane suspicio neque in Seniores, neq; in Theodotionem cadere potest: quotum illi ante Christum fuerunt: nec diuinare potuerunt, quid aut quomodo Paulus Scripturus esset. Isto vero, etsi post Christum, tamen fuit Apostata; itaque nunquam quæsisset Apostolo gratificari.

IX. Quid de Latinis Ecclesijs dicam? Nam has etiam primum vsas esse editione Septuaginta sciunt omnes; sed non tanquam authentica; quod ex eventu ostendo. Nam Hieronymus eam primo labore emendauit ad Origenis imitationem: quod ipse testatur scribens ad Augustinum. *Illa interpretatio Septuaginta Interpretum est: & vbicunque virgulæ, id est, obeli sunt, significatur quod Septuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebræo: vbi autem asteriſci, id est, stellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est.* Quam diligentiam Augustinus mirabilem appellat, tantum abest, vt damnet. Postea vero proprio labore totum opus aggressus est, ipse Hebraica vertens in Latinum sermonem. Et hic passus est contradictiones & multas & violentas; cum à Rufino, tum ab alijs: imo ne Augustinum quidem satis æquum. Postea tamen hunc laborem probauerunt Ecclesiæ, eoque vsæ sunt, paulatim sepositia illa prima è Græco facta versione. Itaque sequitur, neque Græcas neque Latinas Ecclesias credidisse interpretationem Septuaginta Seniorum esse authenticam.

X. Dicam aliquid amplius: scilicet in Ecclesia Christiana nullam vnquã fuisse editionem authenticam, excepta Hebraica Veteris, & Græca Noui Testamenti. Nam id opinor in Ecclesia Catholica dicendum est authenticũ, quod apud omnes autoritatem habet, non autem apud quosdam tantum: nisi velimus fidem pro variis locis & temporibus esse variam: quod quis pius ferre possit? At eiusmodi fuit editio illa προσωπική: cuius autoritatem agnouerunt non tantum Hebræi, hoc est, in Iudæa collectæ Ecclesiæ; sed etiã Græci, vt patet ex Origene, eiusque emendatione editionis Septuaginta. Sed & Latini, vt ex Hieronymo, Augustino, reliquis, euincitur. Item ex eo quod nemo vnquam siue Hebræorum, siue Græcorum, siue Latinorum, in animum induxit eam vel corrigere, vel immutare, vel quoquo modo aliam facere. Nec alios codices Latini proferebant, alios Græci, alios Iudæi.

XI. At reliquæ editiones variæ fuerunt, non tantum Latinæ; vt Italica, & Hieronymiana, quæ ambæ erant in vsu tempore Gregorij magni: sed etiam Græcæ, de quibus nominatim nunc agimus. Hieronymus enim Ecclesias Græcas cum trifariam distribuit, tum singulis suas editiones assignat. Quæ Ecclesiæ ad Alexandriam pertinebant & Ægyptum, Hesychij editionẽ amplectebantur. Quæ vero à Constantinopoli erant ad Antiochiam vsque, Luciani Martyris exemplaria laudabant. Mediæ vero inter vtrasque Prouinciæ Palæstinis codicibus vtebantur. Discedant paululum à seipsis si possunt, vt ne veritati noceat ingenij Iesuitici præiudicata peruersitas, & sincere respondeant, quam cui me præferre velint, Hesychii-ne editionem? At obstabunt Constantinopolitani, Antiocheni, Palæstini. Quo iure autem his neglectis illis adhæream? Nam hi, quod sciam, Oecumenicum Pontificatum sibi non vendicant. Præferam-ne igitur Lucianum? Quasi vero suum tam facile damnari iudicium passuri sint Alexandrini & Ægyptij, vt taceam Palæstinos. Illud ergo certe potius credam, singulis suas esse permittendas, dum omnibus vna constet certa & authentica, nimirum προσωπική: quemadmodum hodie Germani suam habent, Galli suam, & Angli suam. Itali etiam & Hispani, nisi illos Inquisitio Hispanica dementaret, vt ne velint Christum audire sua loquentem lingua.

CAP. IV.

An editio Septuaginta facta sit inspirante Spiritu.

I. OMnis Bibliorum editio, quæ facta est inspirante Spiritu Sancto, ea est diuina & authentica. At Septuaginta Seniorum editio facta est inspirante Spiritu Sancto: Ergo Septuaginta Seniorum editio est diuina & authentica.

II. Assumptionem probant, ex modo quo primum editio facta est. Nam Septuaginta duo illi viri totidem cellulis distincti, singuli opus aggressi, septuaginta duobus diebus omnes absoluerunt: Cumque inter se operas cõpararent, tam conformes sunt inuenti: vt non tantum sensus idem esset, sed et voces omnes, tanquam ex composito alter alteri dictasset. De diuersis cellulis prolixe Irenæus lib. 3. c. 25. & citatur ab Eusebio hist. lib. 5. c. 8. Et Iustinus in exhortatione ad Gentes: Cyrillus catechesi 4. Clemens Alexandrinus Stromat. 1. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 18. c. 42. Epiphanius etiam libro de Mensuris

ſutis & ponderibus:vno tamen ab aliis diſtans, quod non ſingulis, ſed binis ſingulas cellas tribuit:vt etiā Iuſtinianus conſtitutione 146. Numerum dierum,notant Ioſephus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Cedrenus, Zonaras, & Iſidorus de officijs Eccleſiaſticis lib.1.c.12.

III. Probant ſecundo, authoritate plurimorum Veterum,quos magno numero collegit Iodocus Coccius Theſauri Catholici lib.6. artic. 2. Hi magno conſenſu viris illis Spiritus Sancti vindicant afflatum:atque adeo Prophetarum nomine dignantur eos: quidam translationem comparant cum eorundem librorum reſtitutione, quam ferunt ab Eſdra fuiſſe factam.

IV. Reſpondeo, Spiritu Sancto inſpirari omnes fideles quoties aliquid agunt boni:vnde dicuntur θεοδίδακτοι Prioris ad Theſſal. 4. *Ipſi diuinitus docti eſtis vt diligatis alii alios*. Ad Rom.8. *Vos non eſtis in carne,ſed in Spiritu: ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis: Quod ſi quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt eius*. Et poſſunt mihi præterea loci ex Scripturis colligi in eā ſententiā.

V. Sed eius afflatus varij ſunt gradus,inter quos primus& ſummus ille eſt, quo ſic mouentur homines, vt immediate, & extra ordinem illuminentur, ſicut olim Prophetis accidit & Apoſtolis, quos extra omnem comparationis aleam doctores habemus à Deo conſtitutos. Poſt hos maxima eſt τῶν χαρισμάτων διαφορὰ, donorum Dei,&,vt Apoſtolus loquitur,Spirituum differentia:vt hi plus,illi quidem minus de infinita abundantia acceperint: nemo tamen ita vt accedat ad illos primos. Et quamuis longe ab iis abſint, nihilominus à Spiritu Sancto,agi dicuntur.Sic Gaudētius in tract. de Ordinatione ſua de Ambroſio tum præſente: *Loquetur* (inquit) *Spiritu Sancto, quo plenus eſt, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

VI. His ita diſtinctis, ſi argumentum intelligatur de ordinaria inſpiratione,negatur ſyllogiſmi maior propoſitio. Nam ſi vera eſſet, ſequeretur omnia,quæ ſinceri paſtores,vel viua voce docent,vel calamo exarant, eſſe diuina & authentica:puta,Hieronymi, Auguſtini,Ambroſij, Athanaſij,reliquorum opera. Quod eſt falſum & abſurdum. *Ego enim* (inquit Auguſtinus) *ſolis iis Scripturarum libris,qui iam Canonici appellantur didici hunc honorem timoremq; deferre,vt nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Alios autem ita lego,vt quantalibet Sanctitate doctrinaque præpolleant* (en tibi inſpirationem ordinariam) *non ideo verum putē quia ipſi ita ſenſerunt.* Ergo,inquam,non habes Auguſtine pro mere diuinis, pro authenticis. Quare ne nos quidem debemus.

VII. Sin autem argumentum ſit intelligendum de primo illo inſpirationis extraordinariæ gradu:Negatur minor. Alias non tantum improuide dixiſſet Auguſtinus ſe ſolis authoribus librorum Canonicorum,hunc honorem deferre,vt crederet nunquam erraſſe, quibus verbis comprehendi non poſſunt interpretes;quos authores appellari librorum quos interpretantur,nulla ferre poteſt aut ratio aut conſuetudo. Sed etiam impie addidiſſet, ſe, ſi quid in iis libris occurrat, quod videatur contrarium veritati, credere vel vitioſum codicem,vel interpretem non aſſequutum quod dictum eſt. Quę verba manifeſte interpretum omnium,certe eorum quibus Auguſtinus vtebatur,autoritatem concutiunt. Vtebatur autē Septuaginta ſenioribus, non tantum quia Latina verſio,quæ tū erat,ab iis fluxerat:ſed etiam,quia Græce ſciebat. Vnde ſequitur Auguſtinum credidiſſe etiam ipſos Septuaginta interpretes aliquando non eſſe aſſequutos,quod à ſacrorū librorū autoribus dictū eſt. Ergo,inquam,ne afflatos quidem extra ordinem,ſic vt errare non potuerint.

VIII. Ad primam probationem, dico hoc certiſſimum eſſe; tempore Ptolomæi Philadelphi Septuaginta duos ſeniores huius verſionis authores extitiſſe. Quæcunque autem præterea ſigillatim dicuntur, valde eſſe incerta: Et videri veteres viros bonos, vt huius operis dignitatem extollerent multa παρατελογῆσαι, vt fere fit, addidiſſeque alios alia, quo narrationis maieſtas religionem quandam ingeneraret hominum animis:maxime Iudæos fabulis iampridem aſſuetos,à quibus facile fuit rumorem diſſipari. Nec mouet me,quod Ariſtæi liber eiuſmodi mirabilia multa continet, quandoquidem hunc librum & Ludouicus Viues,& Leo à Caſtro, alij etiam viri docti cenſent eſſe ſuppoſitum,atque à Iudæis confictum. Nam quod ſe Bellarminus horum iudicio moueri negat, cum omnia quæ apud Ioſephum, Tertullianum,Euſebium, Hieronymum ex Ariſtæo proferunt, in eo qui nunc exſtat libro reperiantur: Viderit ille ſane quo iure. Nam iſta facile fuit hinc inde collecta in vnum contextum conſuere, vt libellus conficeretur Ariſtæi nomine.Potuerunt etiam illi magni viri ſuppoſititij Ariſteæ nomine decipi,vt ea amplecterentur quæ audaculus Verpa commentus eſſet.

IX. Suſpicionis cauſſæ variæ eſſe poſſunt:tum hæ. Prima quod curioſitate tantum motus rex dicitur ad Iudæorum libros conquirendos: eadem, inquam curioſitate,qua & reliquos vndiq; comparabat. Et tamen cum adferuntur libri,totus in religionem ſoluitur. Nam & ſepties adorauit: & gratias egit Deo:& præ gaudio in lacrymas effuſus eſt. Quid deuotius agere potuiſſet Dauid? Et quidem, ſi legem nouiſſet,tolerabilius futurum erat figmētum. Sed ante quam Demetrius indicaret,ne ſuſpicatus quidem erat hos libros eſſe in rerum natura. Et ipſe Demetrius, ſatis indicauit ſe tantum de auditu nouiſſe,cum Interpretibus opus eſſe dixit. Vnde igitur Regi ante interpretationem tanta pietas?

X. Secunda;quædam de rege narrantur,non ſatis regno digna. Negat enim moris fuiſſe,vt quiſquam legatorum in conſpectum regis admitteretur, ēt ſi propter negotia redierint:hoc eſt,vt ego quidem interpretor,ēt ſi à rege miſſi, peractis negotiis redierint: Regum vero & excellentium vrbium ad regem miſſos legatos, vix trigeſima die in atriū receptos aſſerit. Quod quis credat, niſi omnino politicorum ignarus? Et tamen non habet Ariſtei liber aſſentientem Ioſephum,qui & Andream Ariſtæumq; legatos à rege ad ſummum ſacerdotem miſſos,ſtatim aduocatos,nihil præter morem factum hac parte indicans:& cum Seniores præter morem introductos narrat, ſic ſcriptum reliquit, τοὺς μὲν ἄλλους, οὓς χρειῶν ἕνεκα παρεῖναι συνέβαινεν, ἐκέλευσεν ἀπολύσαι, παράδοξον ὂν τὸ ποιεῖν, καὶ παρὰ τὸ ἔθος· οἱ μὲν γὰρ ὑπὸ τοιούτων αἰτιῶν ἀχθέντες, διὰ πέμπτης ἡμέρας αὐτῷ προσήεσαν, οἱ δὲ πρεσβεύοντες διὰ μηνός. Nam etſi de mēſe conuenit: tamen de redeuntibus diſſenſio eſt, quos Ariſtæi liber omnino negat admiſſos:Ioſephus vero aſſerit introductos quinta die.

XI. Tertia, λεπτολογίαι; ſiue potius μικροφιλοτιμίαι; Cum quędam tenuia,exiguiq; momenti tanquam magna extolluntur. Sic libros fingunt aureis literis deſcriptos:& regem θαυμάσαι τῆς ἰσχνότητος τοὺς ὑμένας, καὶ τῆς συμβολῆς τὸ ἀνεπίγνωστον, miratum eſſe membranarum tenuitatem; & cōpactionis tantam ſubtilitatem,vt commiſſuræ ſenſum fugerent;vt habet Ioſephus.

Ariſtęus autem rem appellat viſu mirabilem;ob quam rex obſtupefactus,hęſitauerit, ſeptieſq; adorarit. Quaſi iſta magnum aliquid ad pietatem conferant,& maieſtatem legi addant. Tolerabilius,ſi finxiſſet aliquis, miſſos ipſos à Moſe primum ſcriptos codices,id eſt,ipſiſſima legis αὐτόγραφα. At Eleazarus Epiſtola ad Ptolomæū,teſtatur Septuaginta illos ſeniores fuiſſe delectos, ad deſcribendum. Huc refero illas ſeptuaginta duas quæſtiones, ſingulis ſenioribus ſingulas propoſitas: ad quas cum illi reſponderent ex tempore; mirum quātis laudibus euehuntur,quantis acclamationibus excipiuntur:quaſi nihil vnquam vel æquale,vel ſimile auditum eſſet: legentiumq; fidem excederet,& maiora eſſent quam quiſquam credere poſſet. Nam & hoc aſſeritur.

XII. Hæc, aliaque ſimilia colligi poſſunt humilis ingenij indicia; parum digna Ariſtæo;quem magnum aliquem virum eſſe oportuit; magnis rebus innutritum, tanto regi familiarem. Quid? quod mendacia nonnulla deprehenduntur? Quod mos Iudæorum fuerit,manus in mari prius lauare, quam Deo preces funderent. Mitto lotionem manuum,quam menſæ accumbentibus conſuetam fuiſſe ſcio:ſed illud de mari,quis credat? Quid? quod ad Interpretationis recognitionem, neſcio quomodo vno momento præſentes ſiſtuntur,& vrbium legati & multitudinis principes: qui vna omnes obteſtantur, recte ſancteq; ſingula eſſe interpretata, beneq; ſe habere ſi ſic permaneāt, neque vel minimum aliquid immutetur? Addit Ioſephus poteſtatem factam omnibus vt obſeruarent,ſi quid aut deeſſet è lege,aut additum eſſet ad legem. Et tamen nemo negare poteſt fuiſſe quædam prætermiſſa,quædam addita. Poteramus etiam quærere,vnde tanta iudicum turba, niſi Ioſephus dixiſſet fuiſſe,à Rege congregatos τοὺς Ἰουδαίους ἅπαντας; quod tamen ſi verum eſt; vnde Ariſtæi vrbium legati,& multitudinis principes?

XIII. Porro illas ſeptuaginta duas cellulas, diſturbauit ſua autoritate Hieronymus. *Neſcio* (inquit præfatione in Pentateuchum) *quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo ſtruxerit,quibus diuiſi, eadem ſcriptitarint:cum Ariſtæus eiuſdem Ptolomæi ὑπερασπιστῆς & multo poſt tempore Ioſephus,nihil tale retulerint,ſed in vna baſilica congregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe.* Et præfatione in Paralipomena,eas cellulas ait,vulgo ſine autore iactari. Auguſtinus, etſi alias,id eſt, lib.18. de Ciuitate Dei;hunc ſeparatim laborantium admirabilem conſenſum iactaret;tamen dubitare cœpit; lib. 2. de Doctrina Chriſtian.c.15.& ad Hieronymum Epiſtol.in 2.Hieron.tom.86.

XIV. Noſtro tandem ſeculo Hieronymi autoritate tanquam fulgure percuſſi: non tantum Driedo Papiſtarum modeſtiſſimus, negat hoc curioſe diſcutiendum, alterutrive parti inſiſtendum pertinaciter. Sed etiam Petrus Sutor,dicit huius rei plenam certitudinem haberi non poſſe: & alterutram partem ſemota temeritate ac pertinacia probabiliter teneri. Sed Bellarminus, probabiliorem exiſtimat eorum ſententiam,qui Septuaginta illos viros communicaſſe inter ſe aſſerunt:in eoque miraculum conſtituunt,quod tot homines potuerint conuenire in ſingulis ſententiis conferendis. Itaque hæc infirma,imo nulla erit aſſumptionis probatio.

XV. Quod attinet ad numerum dierum ſeptuaginta, quibus totum opus ſit perfectum:facile reſpondeo,id annotatum à Ioſepho,qui non totum corpus Veteris Teſtamenti translatum cenſet,ſed tantum quinque libros Moſis: Ab Ariſtæo etiam,qui nunquam niſi legem nominat,vt & Philo. Quod ſi eſſet, tum nihil eſt miraculi. Nam & hodie exiſtimo ab homine laborioſo breuiori ſpatio id poſſe confici. Et Hieronymus teſtatur ſe libro Tobiæ vnius diei laborem tribuiſſe:libro Iudith vnam lucubratiunculam. Cardinalis Caietanus omnes Epiſtolas Noui Teſtamenti, & Actorum librum recenſuit ad veritatem Græcam,& annotationibus illuſtrauit,intra ſpatium circiter decem mēſium. Præterea hunc dierum numerum multo maxima autorum pars negligit:Philo,Iuſtinus,Irenæus,Clemens, Euſebius, Epiphanius, Tertullianus, Hilarius,Philaſtrius,reliqui:exceptis duntaxat Ariſtæi hoc libello,item Ioſepho, Cyrillo Hieroſolymitano,Iſidoro Hiſpalenſi, Cedreno & Zonara. Itaq; ne hæc quidem vlla demonſtratio eſſe poteſt.

XVI. Superſunt Veteres: eorum fateor eſſe magnum numerum, qui huius editionis Grǽcę maximi fuerunt admiratores: ſed ij,vt plurimum Hebraicæ linguæ imperiti:proinde iudices cæci de coloribus pronunciantes. Nam & Auguſtinus meris coniecturis nouas verſiones impugnabat: quas merito irridebat Hieronymus. Horum lapſum inde facilius percipimus, quod editionem admirarentur,qualem habebant:id eſt,vt ex Hieronymo diſcimus,corruptam deprauatamque locis infinitis:vt reliqua taceam,quæ ipſis autoribus merito imputanda ſunt. Si igitur illi tot errores defenderunt,quis auſit in ea re eorum iudicio ſtandum pronunciare?

XVII. Itaque,qui Hebraice docti erant,vt Origenes apud Græcos, Hieronymus apud Latinos,etſi multum detulerunt Seniorum autoritati: tamen non veriti ſunt conferre cum textu originario, ex eoque de omnibus aliis editionibus ſententiam ferre: ne hac quidem Græca excepta. Hieronymus certe multis locis nominatim Prophetas diſtinguit ab interpretibus. Quid autē cauſæ adferri poteſt,vt nos his multo magis deferamus viris doctis,quam infinitis alijs,qui Hebraice ne elementa quidem nouerant? Maxime cum res ipſa per ſe loquatur.

Cap. V.

De Patrum Commentariis in Editionem Septuaginta.

I. Si editio Græca non eſt authentica, ergo damnabuntur plurimorum Patrum commentarij, vt Origenis, Baſilij, Cyrilli, Chryſoſtomi, Nazianzeni,Theodoreti,& aliorum. At poſterius eſt abſurdum. Ergo & prius. Aſſumptio patet:quia eorum Patrum interpretationes approbatæ ſunt ab Eccleſia. Conſequentia vero manifeſta eſt, quia illi Patres nullo alio textu vſi ſunt,quam Græco Septuaginta Seniorum. Non potuit autem eorum interpretatio eſſe legitima, niſi textus,quem ſequebantur,eſſet authenticus.

II. Reſpondeo: Si intelliguntur damnandi commentarij, tanquam impij & contra religionem fidemque Chriſtianam,conſequentia negatur. Non enim ſequitur,vt ſi non ſint ſequuti textum authenticum, ideo ea ſcripſerint, quæ ſunt contra fidem. Imo, quia fidem didicerant non ex Veteri,ſed ex Nouo Teſtamento, cuius habebant editionem authenticam,& πρωτότυπον,ideo factum eſt,vt in interpretando Veteri;omnia quantum poſſent referrent ad analogiam fidei proinde ex non authentica,imo etiam ex falſa verſione, ſenſus eruerunt non malos,aut impios.

III. Exempli gratia: Psalm.72.iuxta Hebraicam veritatē legimus ex versione Pagnini, *Erit pugillus frumenti in terra satus in capite montium.* Ab hac veritate Grçca versio tam longe recedit, vt neq; verba, neq; sensum reddat: ἔσαι στήριγμα ἐν τῇ γῇ ἐπ' ἄκρων τῶν ὀρέων: Vnde Latina interpretatio retinuit, suum illud: *Erit firmamentum in terra, in summis montium.* Hæc verba, quæ toto cœlo, totaq; terra distant à Prophetæ mente, cum exponerent veteres, nihil sane dicere potuerunt, quod non abiret à genuina loci expositione. Sed nihilominus sanctè pieq;, si non explicarunt, certe applicarunt. Augustinus dixit in Christo omnes promissiones firmatas esse, quia in eo impletum sit quicquid pro salute nostra prophetatum est: & per summa montium intelligendos Scripturarum diuinarum authores. Theodoretus vult significari Christum eos, qui in se credent, confirmaturū fuisse, & sublimes excelsosq; declaraturum, tanquam in ipsis montium crepidinibus collocatos. Autor eorum commentariorum, quæ tribuuntur Hieronymo: *Magnum* (inquit) *terræ labenti attulit eius aduentus, passio, ac resurrectio, firmamentum.* Rursus Arnobius, siue ille idem est autor librorum aduersus gentes, siue, quod verisimilius est, alius aliquis: *Erit firmamentum tuum in terra corporum nostrorum, non in conualle fletus, sed in summis montibus.* Viden hęc omnia vt pia sunt? vt sancta? Itaque nihil est necesse hos autores damnare tanquam impios.

IV. Sin autem sic intelligitur argumentum, vt Patrum expositiones dicantur damnandę hoc sensū, vt significentur non satis apte expressisse mentē authorum sacrę Scripturæ; &, vt vocant, sensum literalem: tum vero propositionem fateor esse veram, imo necessariam. Quid-ni enim audeam confiteri, cum Hieronymus iam olim professus sit? Sic scripsit præfatione in Esdram & Nehemiā, *Sapientissimo cuidā nuper apud Græcos accidit, vt interdum Scripturæ sensū relinquēs, vniuscuiusq; interpretis sequeretur errrorē.* Et quid tergiuersando promoueremus, cum res ipsa clamet? Nisi forte solem meridie lucere negauerimus. Vt in eodem Psalmo: καὶ ἔντιμον τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτῶν: *& honorabile nomen eius coram illis.* Quis hoc vsus contextu sententiam diuinare posset Prophetæ, qui dixit: *pretiosus erit sanguis eorum coram oculis eius*: quæ verba significant immensum, regis Salomonis ad literam, vel Christi ἀναγωγικῶς, amorem erga suos, quos à morte vindicaturus esset.

V. Itaque nego assumptum. Nam quanta hæc esset Ecclesiæ, quam misera seruitus, si à præcedentium virorum, quantumcunq; illi magni fuerint, erroribus non liceret recedere? Si non liceret oblatum aliquid melius amplecti? Aut quorsum illud, *ab initio non erat sic:* si quæ intermedijs temporibus luxata sunt, restituere est nefas? Enimuero, non sic nos voluit Dominus brutorum pecorum in morem esse compositos: non adeo frustra nos voluit non esse hominum seruos. Sed nimirum iniquissimi Papistæ, vellent nos etiamnum glande vesci, quamuis liberali manu, suas fruges Dominus offerat.

VI. Ad probationes. Primo si sic approbata antiquorum virorum dicat commentaria, vt non liceat aliter sentire: falsum dicit: Nam, tum ipsi inter se Patres diuersi sunt hac in parte, quod re ipsa facile est agnoscere, si alij alijs comparentur: Et recentiores sibi non putarunt omnem ansam præcisam sua proferendi. Nec tantum nostros dico, quorum maxima laus est, apud vere sentientes: sed etiam Papistas.

VII. Secundo: Ne ipsi quidem veteres, commentantes in Scripturam, Septuaginta editione vsi sunt tanquam authentica, à qua non liceret discedere. Quin potius sępe corrigunt: vt Origenes, & Hieronymus, ex fontibus Hebraicis: quod cuiuis notum est, cui Origenes & Hieronymus noti. Alij ex collatione aliarum editionum. Sic Gen. 2. πηγὴ ἀνέβαινεν ἐκ τῆς γῆς, καὶ ἐπότιζε πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, Et Latine. *Fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Hîc vero Theodoretus ex Aquilæ interpretatione ἰκμάδα καὶ νοτίδα pro fonte substituit: iuxta Hebraicam veritatem.

VIII. Norunt docti posse infinita huius generis exempla colligi. Inde cōcludimus: primo, vt dicebam, ne ipsis quidem veteribus editionem illam Septuaginta Seniorum fuisse authenticam: propterea ne nobis quidem esse debere. Secundo, si argumenti consequentia esset necessaria, tum fore etiam Theodotionis, Aquilæ: & aliorum editionem authenticam: cum iis sæpissime Patres vsi sint. At hoc cum sit falsum, consequentiam indicat esse non necessariam.

CAP. VI.

An editio Septuaginta sit humana.

I. HActenus argumenta collegimus eorum qui summam authoritatem tribui volunt editioni Græcæ. Nunc nostra explicanda in contrariam partem; quibus moti negamus eam editionem, siue quæ nunc exstat, siue quæ olim fuit, esse diuinam & authenticam.

II. Nullum opus humana effectum industria est in Ecclesia diuinum & authenticum. At Septuaginta Seniorum translatio Veteris Testamenti, opus est humana effectum industria: ergo Septuaginta Seniorum translatio nō est in Ecclesia opus diuinum & authenticum. Probatur maior, quia quicquid in Ecclesia diuinum est & authenticum, illi tanquam basi, & fundamento innititur fides Christianorum. Est autem certum etiam apud Papistas fidē non niti nisi primæ veritati: hoc est, reuelationi diuinæ extra ordinem factæ. Nam quæ fides innititur humanæ autoritati, ea non differt ab opinione, quia locus ab authoritate humana, est topicus, & argumentum inde sumptum est debilissimum; quæ verba sunt Durandi, quęst. 1. in prologum Sententiarum.

III. Assumptio probatur. Primo, quia si non est illud opus effectum humana industria, tum eius autores oportet esse Prophetas; quia pertinent ad Vetus Testamentum. At Septuaginta Seniores non fuerunt Prophetæ: quod inde probo: quia post Malachiam fuerunt: quem omnes fatentur esse Prophetarum postremum: teste Theodoreto in argumento eius Prophetiæ. Item Iosephus asserit post Artaxerxis tempora, nullos fuisse editos libros authenticos, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. Et Genebrardus templū secundū destitutū fuisse Spiritu, siue afflatu sancto, qui Prophetas olim corripiebat: ideoq; à Malachia ad Ioannē Baptistā nullos Prophetas extitisse. Quæ omnia essent falsa, si Septuaginta isti Seniores fuissent Prophetę.

IV. Secundo, tota historia nihil aliud refert, quam factum aliquod humana industria & cœptum & continuatum, & absolutum. Inceptio quidem debetur Demetrio Bibliothecario, eiusq; impulsu regi Ptolomæo: quorū neuter fidelis fuit, imbutusve Dei veri cognitione & timore. Et quidem vtriusq; mera fuit curiositas: nimirū & Regis infinitā Bibliothecā colligere satagentis: & Demetrij à rege ei negotio præfecti. Rex igitur interrogabat aliquando Demetriu: quot libros congregasset. Ille respondebat ducenta millia: sed sperare breui futura, quingenta inq; iis Iudęorū leges si rex iuberet. Audin' Regē non pietate, sed librorū multitudine delectatū: audin Demetrium eius cupiditatē quantū posset irritantem? Quodnā hîc extraordinariæ inspirationis vestigiū? Et quidem in viris, neque Iudæis, neque Proselytis. Nam Ptolomæum diserte Chrysostomus idololatriæ deditum vocat, & religioni damnatæ fauentē.

V. Neq; obstat, quod Veteres id factum dicunt Dei consilio: vt Eusebius Præparationis l.8. Θεὸς αὐτὸς ὁ τῶνδε τῶν ἀγαθῶν αἴτιος βασιλεῖ Πτολεμαίῳ ταῦτα πρᾶξαι κατὰ νοῦν ἐνέβαλε. *Deus ipse hoc Ptolomæo vt faceret in animū induxit.* Id .n. sic dictum, quomodo Samuel.1.lib.c.10.abiisse dicitur cum Saule pars exercitus, ij videlicet, *quorū tetigerat Deus corda*: Et Esdr.7. *Benedictus Dominus Deus Patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, vt glorificaret domū Domini.* Erat aūt is Artaxerxes: non sane Prophetico actus spiritu: sed illo Dei auxilio, quo sępe fit, vt ē t nō boni, boni aliquid aggrediātur. Quomodo Arias Philippo Hispaniarū Regi eā mentē à Deo iniectam dixit, vt de sacris libris excudendis deliberaret. Hinc est quod Chrysost. in Genes. hom.4. hoc opus vocat diuinę non inspirationis, sed dispensationis. *Hoc enim modo* (inquit) *se habet omnia quæ à Domino nostro dispensantur, vt per aduersarios semper crescant veritatis præcepta.*

VI. Iam vero ipsi Septuaginta viri, ad hoc ipsum munus deliguntur, nō extra ordinem à Deo, sed ab hominibus, hoc est iudicio mere humano. Eam electionē testatur Eleazarus epistola ad Ptolomęū. ὅπως γένηται συμφερόντως καὶ μετ' ἀσφαλείας ἡ τοῦ ἁγίου νόμου μεταγραφή, παρόντων πάντων ἐπιλεξάμενοι ἄνδρας καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς πρεσβυτέρους, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ. *Vt sacræ legis translatio fiat vtiliter, & cū certitudine, omnib. præsentibus elegi viros bonos ex singulis tribubus sex.* Atqui in Prophetis mittendis, quis vnquam audiit Deum esse humana industria vsum? Quin potius se eos suscitaturum pollicitus erat Deuteronomij 18. vt suum vnius opus esse significaret.

VII. Delecti autem, qui humanis & solitis abundare viderentur auxiliis ad id opus exequendum: sic .n. Ptolomæus mandabat: καλῶς ποιήσεις, καὶ τῆς ἡμετέρας σπουδῆς ἀξίως, ἐπιλέξας ἄνδρας καλῶς βεβιωκότας πρεσβυτέρους, ἐμπειρίαν ἔχοντας τοῦ νόμου, καὶ δυνατοὺς ἑρμηνεῦσαι. *Recte facies, & pro studio nostro: si deligas viros qui bene vitā instituerint, Seniores, qui multo studio* (sic .n. ἐμπειρίαν reddo) *didicerint legē, possintq; eā interpretari.* Quod factum esse Philo significat. σκεψάμενος τοὺς παρ' αὐτῷ δοκιμωτάτους ἑβραίων, οἳ πρὸς τῇ πατρίῳ καὶ τὴν ἑλληνικὴν ἐπεπαίδευντο παιδείαν, ἄσμενος ἀποστέλλει. *Pontifex delectos quos apud se haberet maximi nominis, quiq; præter patriā et Græca institutione docti essent, libens misit.* Et cōsentiunt Iustinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, atq; alij. Haud aliter prorsus, quā nostra memoria Philippus Hispaniarū rex testatur se eandē ob causam Benedictum Ariā Montanum præfecisse Bibliorum editioni Antuerpiensi. Sic .n. scribit ad Ferdinandum Albæ ducē. *Benedicto Ariæ Montano Doctori Theologo ex aulicis & Sacerdotib. nostris, cuius linguarū fere omniū opportunā cognitionē, & bonarū omniū artiū ac disciplinarum nō vulgarem peritiā, atq; adeo insignem morum probitatem nobis abundanti exemplo, atq; tibi his nominibus noto perspectam habemus, eius negotij executionem commisimus.*

VIII. Quid? quod eosdem oportuit adiuuari loci cōmoditate? λογισάμενοι παρ' αὐτοῖς (inquit Philo) ὅσον εἴη τὸ πρᾶγμα θεσπισθέντας νόμους χρησμοῖς διερμηνεύειν, μήτ' ἀφελεῖν τι, μήτε προσθεῖναι, μήτε μεταθεῖναι δυναμένους, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἰδέαν καὶ τὸν τύπον αὐτῶν διαφυλάττοντας. ἐσκόπουν τὸ καθαρώτατον τῶν περὶ τὸν τόπον χωρίων, ἔξω πόλεως. τὰ γὰρ ἐντὸς τείχους, ἅτε παντοδαπῶν πληρωθέντα ζώων, διὰ νόσους καὶ τελευτὰς, καὶ τὰς ὑγιαινόντων οὐχ ὁσίας πράξεις, ἦν ὕποπτα. *Considerātes apud se, quātum opus esset leges oraculis sancitas interpretari, cum nihil liceret vel auferre, vel apponere, vel transponere: sed primā ideā formamq; seruare: obseruarunt locum in circuitu purissimum, extra vrbē, qui .n. intra murum suspecti erant, vtpote repleti omni animantium genere, tum propter morbos, & funera: sed & impia sanorum facinora.* Et paulo post cum obseruassent insulā quandā sibi opportunā: ταύτην ἐξ ἁπάντων τῶν ἐν κύκλῳ κρίνοντες ἐπιτηδειοτάτην εἶναι τὸν τόπον ἐνησυχάσαι καὶ ἐνερημῶσαι, καὶ μόνῃ τῇ ψυχῇ πρὸς μόνους ὁμιλῆσαι τοὺς νόμους, ἐνταυθοῖ κατέμειναν. *Hunc locum iudicantes omnium optimum esse ad quietem & tranquillitatem, solaque mente vacandum solis legibus, ibidem manserunt.*

IX. Verebantur scilicet magni isti, sed noui delicatulique Prophetæ, ne spiritum extingueret incommoditas loci. At non sic olim Veteres illi veriores que, magisque, vt ita dicam, masculi Prophetę, quos in medias turbas mittebat Dominus, vt Esaias, qui querebatur cap. 6. se habitare in medio populi polluta labia habentis. Et Ezechiel 2.c. audiuit se mitti ad gentes apostatrices. Adeo tunc temporis assueuerat vrbanis molestiis Spiritus Sanctus: quum istorum quisquis esset, se non putaret securum nisi in eremo, & quidem multo mari à terra dissito.

X. Hæc omnia redolent hominem. Consentiunt Hieronymus, multis locis suum iudiciū libere pronuncians, Præfatione in Pentateuchum. *Aliud est vatē, aliud est esse interpretē Ibi spiritus vētura prædicit: hic eruditio & verborū copia quæ intelligit trāsfert.* Et paulo post: *Illi interpretati sunt ante aduentū Christi: & quod nesciebant, dubiis protulere sententiis. Nos vero post passionē & resurrectionē eius, non tā Prophetiā quā historiā scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur: quod melius intelligimus, melius & proferimus*, Ep. 111. quæ est ad Pammachium, de optimo genere interpretandi. *Num omnino repudiandi sunt, quia istū locū, qui ad Christi maxime pertinet Sacramentū, aliter transtulerunt? an dāda potius venia, vt hominibus, iuxta Iacobi sententiā dicentis, Multa peccamus omnes?* Deniq; infiniti sunt loci cum cōmentariorum, tū reliquorum operum, in quibus libere interpretationem Græcam carpit. Quod quis ita credat factum, nisi ei persuasissimum fuisset istos autores esse humanos? Neq; .n. ea vsus est libertate in Euangelistas & Apostolos: quamuis non paucos locos obseruarit aliter interpretatos, quam legantur in Hebræo. Rupertus in Ioann. 19. *Non sic se habet litera Hebraicæ veritatis, quomodo Septuaginta transtulerunt: quippe qui non sensum Dei perfecte habuerunt, nec enim vates, sed interpretes erant: vnde & hæc, sicut cætera multa, non satis integre transtulerunt.*

XI. Nihilominus asserit Bellarminus non esse Hieronymum ab eorum numero excludendum, qui asserunt certissimum esse eos Interpretes optime transtulisse, peculiarique modo Spiritum assistentem habuisse: Nimirum, quia præfatione 1. in Paralipomena, scripserit se frustra fuisse laboraturum in Biblijs vertendis, si eorum versio integra haberetur, vt erat ab eis edita. Et præfatione 2. eos dicit Spiritu plenos, quæ vera sunt transtulisse. Et 2. Apologia contra Rufinum negarit, se Septuaginta Interpretibus detrahere voluisse.

XII. Petrus

XII. Petrus Sutor vult Hieronymum mutasse sententiam. Cum adhuc bonæ esset ætatis, & rem non ita pensiculate examinasset, putauisse eos, vt homines, ac secundum humanam eruditionem transtulisse. sed postmodum in senectute, cum diligentius rem ipsam volutasset, aliter sensisse, idque apparere ex ijs prologis.

XIII. Sed vterque leuissimis coniecturis agitari se patitur: quod ijs accidere solet, qui suis præiudicijs res singulas metiuntur. Primum quæro quo iure vnum aut alterum locum, aut certe tertium præferant alijs infinito numero. Nam certe vix numerari possunt ij loci, quibus suum Hieronymus iudicium liberius pronunciauit, quam amicius de Septuaginta Interpretibus. Quod ne ipsi quidem negent aduersarij. Et nos proximis capitibus obseruabimus multos.

XIV. Secundo eorum trium locorum, vt sit fortasse vnus disertior, reliqui certe eiusmodi sunt, vt nihil proferri potuerit dilutius. Frustra se laboraturum dixit, si extaret pura Seniorum interpretatio. Esto: sed id non eo verum fuit, quod esset diuina & authentica, aut non humana. Cur ergo? Audi caussam. *Quod enim* (inquit Hieronymus ipse) *semel aures hominum occupauerat, & nascentis Ecclesiæ roborauerat fidem, iustum erat etiam nostro silentio comprobari.* Hæc Hieronymus: quæ cur dissimulauit Bellarminus? cur omisit? Nempe ex sinceritate Iesuitica. Rursus, negauit se velle detrahere Septuaginta Senioribus. Agnosco humanam viri modestiam, Quis enim tulisset hominem adeo se insolenter iactantem, vt viros multis ante se seculis optime de Ecclesia meritos de suo gradu deturbare vellet? Et tamen multis ille locis non valde oblique innuebat suam interpretationē, illorum labori præferendam: Nam & præfatione altera in librum Paralip. *Misi librum, beneuolis placiturum: tamen inuidis displiciturum esse non ambigo. Optima enim quæq; (vt ait Plinius) malunt contemnere plerique, quam discere.* Et in Esdram *Si quis Septuaginta vobis opposuerit interpretes, mittite eum ad Euangelia, in quibus multa ponuntur quasi de Veteri Testamento, quæ apud Septuaginta interpretes non habentur. Et quærite ab eo vbi scripta sunt. Cumq; proferre non potuerit, vos legite de his exemplaribus, quæ nuper à nobis edita maledictorum quotidie linguis confodiuntur.* Multa sunt eiusmodi, quæ ex eius tum præfationibus, tum alijs operibus, quilibet colligere potest.

XV. Vnicus ergo supereſt locus ex secunda præfatione Paralipomenon: vbi pronunciatur eos interpretes, plenos fuisse Spiritu sancto. Sed id nihil est noui, præter ea quæ obseruata sunt c. 4. huius libri, vbi diuersos gradus designauimus ἐνεργείας Spiritus sancti, qui operatur in omnibus fidelibus, sed varie. Hæc Bellarmino satisfacient, qui vt initio dixi, frigidiuscule pugnat pro authoritate editionis Græcæ.

XVI. Sed Sutoris audaciam merito miremur: nisi ea iam abijsset plerisque Papistarum in naturam. Mutasse dixit sententiam Hieronymum postrema ætate. Vnde id? ex ea præfatione in Paralipomena. Atqui primum, ea præfatio nihil habet contra eam sententiam, quæ illius dicitur fuisse prima, vt iam diximus. Secundo, si mutauit, oportebat igitur Sutorē ostendere hanc postremam esse omnium præfationum, quas ille scripsit in varios Veteris Testamenti libros. Mitto postulare retractationis tabulas vt in Augustino: mitto dicere vnicum locum, eūmque exiguum non debere esse tanti, vt mille alios rigidi censores inducamus: mitto alia, quæ in eandem sententiam dici possunt: hoc vnum saltem Sutor ostendat, hanc posteriorem præfationem in Paralipomena esse omnibus alijs locis recentiorem: & vicerit.

XVII. Ego contra probabo, etiam post hanc præfationem, Hieronymum in eadem fuisse sententia, quam ab illo retractatam audacter Sutor fingit. Nam certe post hanc præfationem scripta est posterior Apologia contra Rufinum. In ea recitantur ex varijs præfationibus nonnulla, quibus se purget contumeliæ Septuaginta Senioribus illatæ. In ijs etiam præfatio in Iob, cuius hæc verba sunt. *Neq; enim fieri potest, vt quos plura intermisisse perspexerunt, non eosdem in quibusdam errasse fateantur, præcipue in Iob: cui si ea quæ sub asteriscis addita sunt, detraxeris, pars maxima detruncabitur.*

XVIII. Et sane, qua mihi fronte Sutor ausus est obijcere rem diligentius volutatam? Nam hoc si ita est, tum oportet Hieronymum comperisse eas causas esse falsas, ob quas prius iudicarat, viros illos humano ingenio opus effecisse. At eæ erant aliæ nullæ, præter varia menda, quæ in interpretatione eorum deprehenduntur: videlicet multa omissa, nonnulla addita, alia inuersa. Hæc sane si illis interpretibus falso obiecta comperiuntur, fateor caussam fuisse cur Hieronymus priorem mutaret sententiam. Sed si id falsum est, & etiamnum hodie omnes docti eos errores non tam vident, quam palpant, hæc mutatio sententiæ quid aliud esset, quam fœda inconstantiæ nota?

XIX. Itaque certum est, ex Hieronymi testimonio, Septuaginta Interpretes homines fuisse, à quibus humani nihil sit alienum putandum. Addo recentiorem, nostrique seculi virum, sed Papistam, Augustinum Steuchum præfatione in Recognitionem Veteris Testamenti. *Prima sacrarum literarum editio à Septuaginta sub Ptolomæo Philadelpho facta est. Hæc, siue Græcarum literarum cognitionem absolutam non tenerent Septuaginta illi Seniores, siue alijs exemplaribus vterentur quam nunc, aut Hieronymi tempestate haberētur, siue studio quodam, deditaq; opera vellent ita transferre, plurimum ab Hebraica veritate inuenitur dissentire. Quadam etiam apertissimam præ se ferunt Græci sermonis imperitiam: in alijs maximā Hebraicæ linguæ ignoratio deprehenditur: dura alia, & vix intelligibilia.*

CAP. VII.

An editione Septuaginta vlla sit melior.

I. SI editio Septuaginta Interpretum est diuina & authentica, ergo nulla est editio, illa editione melior, & exactior. At hoc posterius est falsum: ergo & illud prius. Patet consequentia: quia id diuinum appellamus quod est summe bonum, & quo melius esse non potest. Nec sane vllus est adhuc inuentus sanæ mentis Theologus, qui sacros autores ita commiserit inter se, vt alium alio melius scripsisse dixerit, maxime de ijsdem reb. Nam hæc circunstantia hoc loco maxime notanda venit, quod comparantes Interpretes cum interpretibus, non indefinite vnius virtutes alterius virtutibus opponamus, vt qui comparant Demosthenem Ciceroni, Homerum Virgilio: in sacris Lucam Matthæo, Paulum Petro, Esaiam Amoso: sic enim fateor posse nonnullam inæqualitatem inueniri, vt Prophetarum eloquentissimus Esaias nominetur: Lucas purius scripserit Græce, quam Matthæus; Paulus prolixius, eoque solidius capita fidei tractarit quam Petrus.

II. Sed nos sic intelligimus, Interpretes interpretib. comparari, vt primo subiectum sit omnino idem, nempe & rerum & verborum: quia nec res positæ fuerint in arbitrio interpretum, nec etiam modus ipse rerum tractādarum: non quoad capita, & argumenta tantum, sed etiam quoad singulas periodos, singula commata, singula denique verba. Secundo, si alius alio melius dicitur interpretatus, vt statim intelligatur huic potius standum quam illi. Quod sactis authorib. nunquam accidit: vt dicamus Paulo accedendum potius quam Petro, quia ille prolixius, iste parcius, doctrinam fidei tractauerit: aut Lucæ quā Matth. quia ille elegantius, iste simplicius: Vterq; enim optime scripsit: nec magis Paulo & Lucæ fides Christiana nititur quā Petro aut Matthæo. At vero doctorum veterum explicationes Scripturæ, vni interpreti innituntur magis quam alij, & sic præfertur interpres interpreti: quod nunquam accideret, si aliqua interpretatio esset diuina & authentica.

III. Assumptum autem probatur, quia certum est esse aliquos interpretes meliores & exactiores Septuaginta Interpretib. Et primum quidem inter Græcos, Theodotionem, ex cuius labore, Ecclesiæ iam olim Danielem legebant, neglectis Septuaginta. Magno horum præiudicio: nisi forte adeo simus ridiculi, vt subito illum Spiritum defecisse dicamus, vt in Daniele dormitarint, qui in reliquis libris somnum non viderunt.

IV. Quid: quod non hîc tantum, sed infinitis alijs locis, Septuaginta Interpretib. alij sæpe præferuntur? Exempla colligam pauca de multis. Gen. 2. Theodoretus cum Aquila humorem & vaporem mauult, quam fontem, cum Septuaginta. Cap. 3. versutum serpentem cum Aquila, quam prudentem. Cap. 4. iratum Cain quàm tristatum. Et cœptum esse vocari nomen Domini, quam sperauit inuocare. Exod. 6. ὡς ἄμυλος ἐν μέλιτι cum Symmacho, quam ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι.

V. Apud Hieronymum singulis, vt ita dicam, paginis hæc occurrunt. Quæstionib. in Genesin, in caput 3. profert πανοῦργον Aquilæ & Theodotionis τὸ φρονιμώτατον τῶν ἐδωδιμήκων τε, vt paulo ante Theodoretus: Cap. 26. ἑκατὸν εἰκασμόν Aquilæ mauult quam centuplum hordei. Cap. 10. Puteū Saturitatis Aquilæ & Symmachi, quam iuramentum. Cap. 36. τὸν ἡμίονον Aquilæ, quam τὸν δειλόν. Cap. 41. Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni apud Symmachum, apertius esse dicit, quam, sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni.

VI. Epistola ad Suniam & Fretelam tota mihi esset describenda: vbi non otiose, aut perfunctorie Psalterium Græcum comparatur: & cum textu Hebraico, & cum reliquis interpretibus: Et hi nunquam non præferuntur τοῖς ἐβδομήκοντα. si cum veritate Hebraica consentiant. Quod si reliqua eiusdem authoris loca percurram, maxime commentaria, longum volumen efficiam. Sed non est necesse. Non enim vereor, ne à me hoc loco viri docti modestiam desiderent: & non potius ab alijs pudorem, si qui forte negent.

VII. Hæc de Græcis versionib. Iam vero Hieronymianam tacere nō debeo, quam longe exactissimam fuisse fatentur omnes: ipse Hieronymus apertissime iactabat, non dubitans ad ipsos prouocare Iudæos, sæpissimeque taxans eos, qui Græcę editioni magis adhærerent. Præfatione in Pentateuchum, increpans æmulos], *Qui diluore torqueris? quid imperitorū animos contra me concitas? Si cubi in translatione videor errare, interroga Hebræos: diuersarum vrbium magistros consule. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent.* Item præfatione in Paralipomena. *Cur me non suscipiant Latini mei, qui inuiolata editione veteri, ita nouam condidi, vt laborem meum Hebræis, &, quod his maius est, Apostolis autoribus comprobem?* Et in altera præfatione. *Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, suam conscientiam recolat, videat ordinem textumq; sermonis, & tunc nostro labori, si potuerit, detrahat.*

VIII. Hieronymianę huic confidentiæ, accessit tandem Ecclesia. Nam cum eius nomen (inquit Steuchus) toto orbe esset celeberrimum, receptus sensim ab Ecclesiis est, amotaque illa antiqua Septuaginta editio: eiusque editione vsque ad hæc nostra tempora vsa Latina Ecclesia est. Et sane res ipsa clamat infinitis locis Hieronymum multo felicius, multo etiam fidelius, Hebraicam veritatem expressisse: vt testantur Gregorius moralium lib. 20. c 3. Isidorus de diuinis officijs, c. 12. Rabanus de Institutione Clericorum lib. 2. c. 54. sed & vident omnes, qui, quæ ex eo opere restant reliquiæ in eius viri operibus, dignabuntur examinare.

IX. Quinetiam in ipsa vulgata editione, quæ partes extant non versæ ex Græco, magisque redolent stylum Hieronymianum, siue ea ab alio sunt autore, siue potius ab Hieronymo quidem, sed corrupta, qualiacunque sunt tamen, longe præferuntur editioni Græcę. Nec ego sane grauate subscribam Steucho, qui, *Mea* (inquit) *semper fuit opinio, nostram hanc Hieronymi translationem, ita præstare superioribus omnibus, sicut omnium posterior edita est.* Et rursus. *Hanc si cum editione Septuaginta contuleris, ausim hac vti similitudine, vt lucem ac tenebras à te collatas asseram. Inueniemus certe hanc adeo fuisse Ecclesiis necessariam, vt nisi hanc operam diuinus Hieronymus nobis præstitisset, versari adhuc nos in multis erroribus certe necesse fuerit.* En tibi editionis Græcę diuinitatem! en auctoritatem! Itane, & authenticam & diuinam, quæ tenebris comparatur? Quam si solam habeamus, necesse sit in multis erroribus versari:

Et hæc quidem satis sunto de hoc argumento.

***

Cap. VIII.

De variis erroribus Versionis Græcæ.

I. HActenus præiudicia fuerunt, & quidem nec leuia, nec iniqua. Nunc rem ipſam operæpretium erit conſiderare: hoc eſt, ex ipſa editione Græca argumenta ſumere, quibus euincamus diuinam non eſſe, proindeque non authenticam. Erunt autem hæc petita ex infinitis erroribus eius verſionis, quos omnes annotare operis fuerit infiniti: Tamen ex tanta, tamque infinita copia, non pauca excerpemus, quæ oſtendant, nullo nos malo animo, ſed re potius diligenter conſiderata, hanc editionem cogere in ordinem. Certe enim, ſi eius auctor eſſet idem ſpiritus, qui in Prophetis & Apoſtolis adeo magnifice ſuam maieſtatem oſtentauit, in tanta verborum ſinceritate, quamuis ſtyli diuerſitate, eædem virtutes obſeruarentur. Quod cum contra ſit factum, facile euincimus ſpiritum auctorem eſſe mere humanum: ipſumque opus non diuinum: non authenticum.

II. Hic autem non iam mihi ſermo erit indefinite de Septuaginta virorum interpretatione: vt hactenus: ſed particulariter de ea, quæ extat hodie Græca editione. Illam non pauci cenſent prorſus interiſſe. Ego tamen hac parte potius aſſentior Bellarmino, conſeruatam: ſed non integram: imo multis locis corruptam. Nam extare adhuc multa oſtendunt, quæ obſeruari poſſunt, cum apud alios, tum apud Hieronymum, à Septuaginta ſic verſa. Vt Geneſeos ſecundo ἐφύτευσεν Κύριος ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲν κατὰ ἀνατολάς. Quæ verba Hieronymus tribuit Septuaginta in libro quæſtionum in Geneſin. Nam Symmachus reddiderat Paradiſum florentem: & illud κατὰ ἀνατολάς, Aquila ἀπὸ ἀρχῆς: Symmachus ἐκ πρώτης. Theodoſion ἐν πρώτοις. Et ibidem, תרדמה Septuaginta ἔκστασιν reddiderunt, Aquila καταφορὰν, Symmachus, κάρον. Cap. 3. לרוח היום Septuaginta, τὸ δειλινόν. Aquila, ἐν τῷ ἀνέμῳ τῆς ἡμέρας. Symmachus, διὰ πνεύματος ἡμέρας. Theodotion ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας. Poſſunt eiuſmodi alia colligi: ex quib. videtur poſſe concludi editionem hanc Græcam eſſe Septuaginta Interpretum.

III. Eſſe tamen corruptam, quis neget, cum ne Hieronymi quidem ætate integra haberetur? Et quorſum tot emendationibus opus fuiſſet, Origenis, Luciani, Heſychij, ſi non fuiſſet corrupta? Denique ſaltem Pſalmos conſtat haberi ex illa editione, quam κοινὴν appellabāt, vt prolixe teſtatur Hieronymus Epiſtola ad Suniam & Fretelam. Erat autem illa, pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta.

IV. Nec placet eorum opinio, qui ex Ariſtææ & Philonis teſtimonio, obſeruantes Septuaginta optime tranſtuliſſe, ſic vt nihil prorſus diſcreparet ab Hebraica veritate, concludunt illam editionem prorſus perijſſe. Nã illis quis fidem habeat? Quorum hunc omnes ſciunt ſuæ, id eſt, Hebraicæ linguæ, non ſatis peritum fuiſſe, vt obſeruauit Steuchus ad Geneſeos caput ſecundum. Illum autem peritum nullo adhuc indicio potui comperire. Quin potius hæc ex eius libro verba contra videntur pronunciare *Cum rerum diuinarum notitiam magno ſtudio perquireremus, & diuina lex ſine Interprete cognoſci non poſſet, nos pro eius translatione legationem vel vltro ſuſcepimus.*

V. Sed hæc vtcunque ſe habeant, noſtra non multum intereſt. Si enim prorſus perijt editio Septuaginta Interpretum, fruſtra hodie contendent aduerſarij, illam eſſe diuinam, aut authenticam. Itaque, ne operam & oleum perdant, neceſſe eſt, hanc, quæ exſtat, præ oculis habere, noſtra certe, qui defendimus nullam verſionem eſſe diuinam, & authenticam, eius errores intereſt obſeruare.

VI. Primo loco vocabulorum improprietates conſtituo. Plurimis enim locis, non ſatis expreſſerunt Spiritus Sancti mentem, ſed infra eam ſubſtiterunt. Sic Geneſ. 1. Hebræum ברא quvd proprie eſt creare, reddiderunt per verbum ποιεῖν facere, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. Cum poſſent multo melius διὰ τοῦ κτίζειν, quo perpetuo vſus eſt Spiritus Sanctus in Nouo Teſtamento, ad myſterium creationis ſignificandum, Marci 13. ἀπ᾽ ἀρχῆς κτίσεως, ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς: à principio rerum conditarum, quas condidit Deus. Ad Rom 1. ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, Prioris ad Corinth. 9. ad Epheſ. 3. & alibi. Non eſt autem verum, quod Steuchus aſſerit verbum ברא omnem fere actionem & formationem ſignificare: ſed eam tantum, quæ fit ab autore naturæ. Nam in Scripturis nuſquam inuenitur niſi Deo tributum. Non potuit a. dilutius verti, quã per τὸ ποιεῖν, quod commune eſt omnibus actionibus: cuiuſcunque generis eſſe poſſint. Propterea Steuchus tandem fatetur ab Hieronymo, per verbum creandi, clarius operationem diuinam eſſe explicatam.

VII. Eodem capite, רוח מרחפת, τὸ πνεῦμα ἐπεφέρετο, Spiritus Dei ferebatur. Cum tamen vox Hebræa ſignificet incubare, quomodo aues ſolent oua ſua fouere, quod Baſilius obſeruauit, & Hieronymus: itaque multo rectius per θάλπειν, reddidiſſet. Neque hæc eſt obſeruatio nullius momenti. Nam inde, *intelligimus* (ait Hieronymus) *non de ſpiritu mundi dici vt nonnihil arbitrantur: ſed de Spiritu Sancto, qui & ipſe viuificator omnium à principio dicitur.*

VIII. Rurſus רקיע verterunt στερέωμα, eiuſque exemplo Latinus Firmamentum. Fatentur tamen omnes expanſionem ſignificari. Excuſauit Steuchus: quia cœli ſoliditatem, atque duritiem innuere voluerint, vel ſtabilitatem, quam in ſuo ſitu accepit à Deo: vt Homerus vocauit χάλκεον οὐρανὸν & χαλκοβατὴς δῶμα: & σιδήρεον οὐρανόν. Sed fruſtra. Nam quod ad rem attinet, quis cœlos reuelauit eſſe ſolidos & duros? Nam ſtabiles facile concedo. Sed & aerem quis neget, ab initio huc vſque duraſſe, qui tamen neque ſolidus ſit, neque durus? Tum vt concedamus cœlos eſſe & ſolidos, & duros: tamen hæc illis eſſent cum terra communia: ipſis autoribus Septuaginta, qui Pſalmo 93. quod Hebraicè eſt, *appendit orbem*, verterunt ἐστερέωσεν οἰκουμένην. At הרקיע expanſio propria eſt cœlis. Tum non quid ipſi ſcirent, ſiue philoſopharentur, ſed quid Moſes ſcripſiſſet, ſcribere debuerunt, multo minus Homerum commentarijs illuſtrare.

IX. Capite tertio, ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τοῖς ἔργοις σου: Latinus, *maledicta terra in opere tuo.* Ancipiti incertaque ſententia: poteſt enim aliquis intelligere, maledicta terra, dum tu eam coles: alij vero, propter id quod feciſti. Hebraicè autem nihil eſt huiuſmodi, Nam בעבורך ſignificat propter te, vt Aquila tranſtulerat. Auguſtinus vero Steuchus, in hoc, pro more, totus, vt excuſet textum Latinum, textum Hebraicum ſuſpicatur eſſe falſatum, vt ruſtici, vel fatui ex craſſa plebe quandoque ſolent Gnomonum peccata in ſolem reijcere. Conijcit ergo mutatam eſſe literulam vnam, ſcilicet ד in ר: olimque lectum eſſe בעבודך, non autem בעבורך. At ego quæro etymologiæ rationem. Nam vocem hanc vel nomen eſſe oportet, vel infinitiuum verbi. Si nomen, oſtendat aliquando vſitatum. Nam ego quidem עבודה legi pro opere: ſed עבוד nunquam. Sin aſſerant eſſe verbum, aliam certe formam eſſe oportuit, conſtructionis: vt Deut. 11. לעבדו. Et Gen. 2, לעבדה & alias.

X. Mitto leuiuſcula, φρονιμώτατος αὐτὶ τοῦ πανούργου: Et: τὸ δειλινὸν, pro aura diei: Et ὅτι γῆ εἶ: pro *puluis es* Cap. 4. ἐλύπησε τὸν Κάϊν λίαν: pro iratus eſt Cain vehementer, ſignificatione immutata, vt ait Steuchus. Et στένων καὶ τρέμων pro vago & profugo.

XI. Cap. 4. εὐηρέστησε Ἐνὼχ τῷ Θεῷ. Et ſexto τῷ Θεῷ εὐηρέστησε Νῶε, pro *ambulauit cum Deo.* Eodem 5. μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεὸς. *tranſtulit illum Deus*: vnde Græci opinantur Enoch viuum tranſlatum eſſe in cœlos, vt Eliam: quod tamen non conſtat, inquit Steuchus. Hebraice autem eſt, *Tulit eum Deus*, quæ phraſis mortem ſignificat. Rurſus, οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων, *Iſte requieſcere faciet nos ab operibus noſtris*. At Hebraice eſt, conſolabitur. Impoſuitque interpretib. vocum נוח & נחם vicinitas quarum hæc conſolari ſignificat, illa quieſcere, vnde deductum nomen Noe.

XII. Capite ſexto, οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις. *Non permanebit ſpiritus meus in homine.* Et ſic Latinè etiam legitur, ex praua imitatione. At Hebraicè eſt ידון, quæ vox ex perpetuo & inuariato linguæ Hebraicæ vſu, in Scriptura ſignificat contendere iudicio, & rixari, ſignificat igitur Deus ſe poſt id temporis vel non acturum ſummo ſuo iure: vel, non irrito conatu cum peruicacibus diſceptaturum, vel, quod mihi longe aptius, non amplius dilaturum meritum ſupplicium. Inſtar eorum qui apud ſe incerti de die in diem differunt aliquid agere, dum plene tandem ſtatuerint. Sic Caluinus probauit. Et Vatablus. Quod certe aptiſſimum deſignandæ multæ patientiæ, quæ differt, non aufert impœnitentium peccatorum vindictam. Ignoſcant, qui à נדן vagina deducunt, & intelligunt Spiritum Dei, ſcilicet propheticum, non permanſurum in homine tanquam incluſum vagina. Nam præter quam quod grammaticam analogiam violant, non video quî poſſit ſenſus conſiſtere. Rurſus ἐνεθυμήθη ὁ Θεὸς, ὅτι ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ τῆς γῆς. καὶ διενοήθη. *Conſiderauit Deus quod fecit hominem in terra: & cogitauit.* Hoc vero quid ſibi vult? Sed Hebraicè. *Pœnituit Dominum, quod feciſſet hominem in terra: & dolore tactus eſt in corde ſuo.* Quis credat eundem eſſe locum? Hoc leuius, ἀπὸ πάντων τῶν βρωμάτων, ἃ ἔδεσθε, *ex omnibus eſcis quas comedetis.* Pro eo quod eſt: *ex omnibus eſcis quæ comedentur*, ſiue, vt Hieronymus vertit, *quæ mandi poſſunt.*

XIII. Cap. 12. καὶ ἤτασε κύριος τὸν Φαραὼ ἐτασμοῖς μεγάλοις καὶ πονηροῖς, *Examinauit Dominus Pharaonem examinibus multis & malis.* At Hebraicè eſt: Flagellauit plagis maximis. Cap. 18. καὶ φάγεσθε, *& comedite*, pro confortetur cor veſtrum. Decimo nono, ἐθαύμασα σου τὸ πρόσωπον, *admiratus ſum faciem tuam:* pro ſuſcepi faciem tuam, id eſt, vt vertit Hieronymus, ſuſcepi preces tuas, is enim eſt phraſeos Hebraicæ ſēſus. c. 20. ἐφεισάμην σου, *peperci tibi*, pro, ἐκώλυσα, prohibui te ne peccares. Rurſus ταύτην τὴν δικαιοσύνην ποιήσεις εἰς ἐμὲ, *hanc iuſtitiam facies in me*: pro hanc miſericordiam facies mecum. Et 48. ὁ πατήρ σου ἐνοχλεῖται, *pater tuus turbatur*, pro ægrotat.

XIV. Hæc ex Geneſi ſola: Et quidem de plurimis paucula. Quid ſi omnes libros percurram? Si ſaltem Pſalmos excutiam? Nam & libri Moſis omnium ſunt optime tranſlati: Et Pſalmi omnium deterrime. Abibo in infinitum. Pſalmo 1. λοιμοὶ peſtilentes pro irriſoribus. Et οὐκ ἀναστήσονται ἀσεβεῖς ἐν κρίσει *non reſurgent impij in iudicio*: periculoſa amphibolia, ne forte videantur à reſurrectione excludi impij, debuit autem verti, non conſiſtent in iudicio: nimirum quia condemnabuntur. Pſalmo 2. ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ᾽ αὐτοῦ, *ego conſtitutus ſum rex ab eo*: ſed Hebraice, *ego vnxi regem meum.* Et ποιμανεῖς paſces, pro conteres. Tertio, ἀντιλήπτωρ ſuſceptor, pro clypeo, ἐκέκραξα clamaui, pro clamabo: ἀντιλήψεταί μου, ſuſcipiet me, pro ſuſtentabit me. Decimo ſexto, ἐπληθύνθησαν αἱ ἀσθένειαι αὐτῶν: *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.* Hebraicè, עצבותם: quod alij interpretantur idolaeorum, vt Arias, & Leo Iudæ. At Sanctes, & Vatablus & Iunius, dolores: Munſterus anxietates. Ibidē οὐ μὴ συναγάγω τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, *non congregabo conuenticula eorum.* בלאסיך נסיהם Arias, non libabo libamina eorum. Προωρώμην τὸν Κύριον ἐνώπιόν μου: *prouidebam Dominum in conſpectu meo*: pro propoſui. Et 17. κατάρτισαι τὰ διαβήματά μου perfice greſſus meos, pro ſuſtenta. Harum improprietatum nullus eſt numerus.

XV. Eodem refero barbariſmos, vel potius intempeſtiuam illam κακοζηλίαν, quæ contentioſa ſcrupuloſitate, ita verbum verbo interpretatur, vt variorum idiomatum rationem nullam habeat. Geneſeos tertio. Deus dixit Serpenti: ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων: *maledictus tu ab omnibus beſtiis.* Quaſi beſtiæ maledicerent Serpenti: id enim phraſis Græca ſignificat. Sed Hebraica longe alium habet ſenſum, quam ne Latinus quidem ſatis expreſſit, cum dixit, maledictus inter omnia animantia: cum potius ſit, præ omnibus animantibus; ſiue potius, beſtiis: ſic enim ſolent Hebræi ſupplere graoum comparatiuum, quo alioquid deſtituuntur. Idem error capite quadrageſimo nono χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἀπὸ οἴνου: *pulchri oculi eius à vino*: pro pulchriores vino; Et vt ſcias non fieri abſque vllo ſenſus detrimento, Pſalmo centeſimo trigeſimo octauo, cum legiſſent, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*: Carthuſianus interpretatus eſt, *Mihi, & per me, id eſt, ex prædicatione mea & Apoſtolorum meorum mirabilis*

mirabilis facta est per mundum vniuersum, ita quod omnes fideles eam mirantur. Alphonsus de Castro de *A*nima hæresi prima, *Miratur Propheta Dei sapientiam, quam magna sit ex seipso: ex hoc enim quod seipsum homo non cognoscit, iustum est, vt miretur scientiam illius qui omnia nouit.* Geneseos capite tertio, πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου, *ad virum tuum conuersio tua*; obscurissime, vt taceam τῆς ἀποστροφῆς improprietatem, pro appetitu, & desiderio. Sensum Hieronymus expressit. Sub viri potestate eris. Idem error occurrit capite quarto, vbi Hieronymus, *Sub te erit appetitus eius.* Quã quam capite septimo Cantici Canticorum eadem phrasis sumi non potest, pro subiectione ועלי תשוקתו. sed pro ardenti amore, quo sponsus sponsam deperit. Græce ἐπιστροφή. Error videtur ortus ex vicinitate vocum תשוקה & תשובה nam hæc & ἀποστροφὴν & ἐπιστροφὴν significat. Et 15. μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα: *post hæc verba.* Recte, si Græce is vsus esset, vt τὰ ῥήματα res gestas significarent, quemadmodum apud Hebræos. Prudenter Hieronymus, *His transactis.* Idem error Deuteronomij secundo, οὐκ ἐπεδεήθης ῥήματος, *non indiguisti verbo,* pro, re vlla, hoc est, *nihil tibi defuit*; sic enim Hieronymus. Similiter עשה verbum redditur per ποιεῖν etiam tum cum Hebraico more significat vel mactare, vel apparare, vel simile aliquid. Vt Geneseos decimo octauo, Abraham cucurrit ad boues, tulit vitulum, & dedit puero, καὶ ἐτάχυνε τοῦ ποιῆσαι αὐτό: *& festinauit facere illum.* Et statim: τὸ μοσχάριον ὃ ἐποίησε, *vitulum quem fecit.* Exodi decimo Tu dabis nobis holocausta & hostias ἃ ποιήσομεν Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν, quas faciemus Domino Deo nostro. Multo rectius Latinus, primis duobus locis vertit coquere, tertio, offerre, & poterat Græce ῥέζειν, nam ποιεῖν hoc significatu nunquam occurrit apud autores classicos. Vt prorsus ridiculi sint, qui inde exponi volunt illud solemne in Eucharistiæ institutione τοῦτο ποιεῖτε, hoc facite, id est, hoc sacrificate. Geneseos vigesimosecundo: ὁ Θεὸς ὄψεται ἑαυτῷ πρόβατον; *Deus videbit sibi ouem,* pro prouidebit sibi.

XVI. Sed hæc omnia tolerari possunt præ apertè falsis: quorum, Deus bone, quanta seges! Alia mutata, alia sunt addita, alia denique omissa. Et mutata quidem imperite quædam: nonnulla audacter. Imperite ista, Geneseos secundo, πηγὴ ἀντὶ τῆς ἰκμάδος, fons pro vapore, ἔκστασιν ἀντὶ τοῦ κάρου, ecstasin pro sopore. Tertio: αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν: *Ipse obseruabit tibi caput: tu autem obseruabis illi calcaneum.* Et tamen שוף est percutere, siue conterere. Quidam locum corrigunt, ita vt legant τειρήσει & τειρήσεις. Sed inutili labore. Nam τείρειν quidem legas apud Græcos, τειρεῖν autem nusquam. Deinde veteres omnes constanter τηρεῖν legerunt, cum Græci, tum Latini. Vt Chrysostomus homilia in Genesin decima septima: & Procopius. Et Hieronymus in quæstionibus in Genesin: Cyprianus contra Iudæos libro secundo capite nono. Ambrosius de fuga seculi capite septimo, & alij. Hæc autem mutatio eo fuit ab Aria audacius attentata, quod eam non notauit in varijs lectionibus: vt facile credam nullius codicis autoritate factam. Ibidem, constitutus dicitur *A*dam ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς *ante paradisum voluptatis. Verum scriptura Hebraica,* inquit Pererius, *Paraphrasis item Chaldaica, & nostra versio Latina, illud, & posuit ante paradisum, coniungunt cum Cherubino, & flammeo gladio versatili, quibus ante paradisum à DEO collocatis, aditus homini ad arborem vitæ omnino est interclusus.*

XVII. Capite quarto οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες, ἡσύχασον. *Nonne si recte obtuleris, recte autem non diuiseris, peccasti? Quiesce.* Horum nihil est in Hebraico. Et Sibylla indigent, inquit Steuchus. Vere enim meri sunt gryphi: etsi non incommode veteres conati sint exponere. Sixtus Senensis Bibliothecæ libro 6. annotatione 15. *Septuaginta interpretes, omnia perturbarunt, deuiaruntq; vehementer à veritate contextus Hebraici.* Et ex Augustino Chisamensi, *Quis tam acri ingenio fuerit, qui ex hisce verbis aliquem sensum eruere possit.* Imo: *Ex hoc certe loco deprehenditur non adeo exquisite Septuaginta Grammaticam Hebraicam calluisse.* Multo melius Hieronymus, *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Ibidem οὐχ οὕτως, non sic, pro propterea, mutato לכן in לא כן. Rursus, οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα Κυρίου: *Hic sperauit inuocare nomen Domini.* Pro, tunc cœptum est inuocari nomen Domini: siue, vt alij malunt, cœptum est vocari de nomine Domini: vt significetur tum temporis facta hominum discretio, vt ex ijs nonnulli appellarentur filij Dei, de quibus postea c. 6.

XVIII. Quanquam eo loco pro filijs Dei, male ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, Angeli Dei: *Et peperit hæc angelorum appellatio,* (verba sunt Sixti Senensis libri quinti Bibliothecæ, annotatione septuagesima,) *perperam posita maximas quæstiones, & in varias sententias atque etiam errores mentes hominum distraxit.* Quid quod hoc ipso sexto capite ἐκ ξύλων τετραγώνων, ex lignis quadratis, pro, lignis abietinis, siue alterius cuiusdam generis? Nam גפר quid sit nondum plane constat, nisi quod Rabbini volunt esse genus aliquod ligni leuissimi: certe nunquam quadratum significat. Ibidem ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν, *colligens facies arcam,* pro, fenestram in arca facies.

XIX. Capite decimoquarto τοὺς ἄρχοντας Ἀμαλήκ, principes Amalec, pro regione Amalechitarum: שרי pro שדה. Ibidem τὴν ἵππον equitatum & quidem ter, pro opibus, nimirum רכב pro רכש. Capite decimoquinto, συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἄβραμ, sedit cum eis Abram: pro abigebat eas Abram. Legebant enim Septuaginta וישב אתם pro וישאתם: Sed illud quo sensu? aut quis intelligat quomodo Abraham sederit cum auibus: Et 16. φρέαρ οὗ ἐνώπιον εἶδον: *puteus vbi coram vidi,* pro, puteo viuentis videntis me. Et 18. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας, *secundũ tempus hoc in horas*: pro secundum tempus vitæ. Et 19. θύραν ἀνέῳξεν, ostium aperuit, pro clausit. Rursus, ἐταράχθησαν, turbati sunt, nimirum Angeli. Sed Hebraice, ille turbabat, scilicet Lot. Et 20. εἰς τὴν τιμὴν τοῦ προσώπου, in honorem faciei. Sed כסות, non aliud quam velamen sonat. Ibidem καὶ πάντα ἀλήθευσον, & in cunctis esto veridica. Hebraice, ואת כל ונכחת. Latinus: *& quocunque perrexeris, memento te deprehensam,* satis longa paraphrasi. Iunius, *atq; hæc omnia, vt erudita sis.* Et 21. ridicule νυμφαγωγὸν, pro Hebræo שר צבאו, quod est princeps exercitus: & ne forte fortuna id accidisse quis putet, idem error repetitur, c. 26. Quid autem exercitui cum nuptijs.

XX. Esaiæ primo: οὐκέτι ἀνήσω τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν: *non amplius remittam peccata vestra:* pro *laboraui* siue *defessus sum sustinendo.* Ibidem διὰ τοῦτο τάδε λέγει ὁ δεσπότης Κύριος σαβαώθ. καὶ οἱ ἰσχύοντες Ἰσραήλ, οὐ παύσεται γὰρ ὁ θυμός μου ἐν τοῖς ὑπεναντίοις. *Propterea hæc dicit Dominator, Dominus Sabaoth. Væ fortes Israel, non cessabit enim meus furor contra aduersarios.* At Hebraice multo aliter. *Propterea dicit Dominus Deus exercituum, fortis Israel. Heu: consolabor ab hostibus,* siue *super hostibus meis.* Rursus pro Hebraicis, *Auferam omne stannum tuum,* Græce est, τοὺς δὲ ἀπειθοῦντας ἀπολέσω, καὶ ἀφελῶ πάντας ἀνόμους ἀπὸ σοῦ, καὶ πάντας ὑπερηφάνους: *at inobedientes perdam & auferam iniquos à te, & omnes superbos.* Cap. 3. καὶ τὸ βρῶμα τὸ ἐμὸν ὑπὸ σὲ ἔσω. *Et cibus meus sub te sit.* Quam longe à veritate! Nam המכשלה est scandalum, offendiculum: Latinus Interpres vertit ruinam. Ibidem: καὶ αἱ γλῶσσαι αὐτῶν μετὰ ἀνομίας τὰ πρὸς τὸν Κύριον ἀπειθοῦντες, διότι νῦν ἐταπεινώθη ἡ δόξα αὐτῶν. *Et linguæ eorum cum iniquitate, quæ ad Dominum non credentes: quare nunc humiliata est gloria eorum.* At Propheta dixit, *Nam lingua eorum, & cogitationes eorum ad Deum,* siue potius, *contra Deum ad irritandos oculos gloriæ eorum.* Hieremiæ decimoseptimo, pro, *Prauum est præ omnibus & peruersum: quis cognoscet?* Græce est: βαθεῖα ἡ καρδία παρὰ πάντα, καὶ ἄνθρωπός ἐστι. Quod imposuit Veteribus, qui bono quidẽ zelo (inquit Hieronymus) at non secundum scientiam, vsi sunt contra Iudæos. Et 23. *Hoc nomen eius quo vocabit eum, Dominus Iosedek*: cum debuerit dici, *Dominus iustitia nostra.* Imo vt sciamus Papistas ex aliorum vitijs sua struere commoda: cum Hieremiæ 12. pro Hebraica veritate, *possederunt, nec vtilitatem acceperunt.* Græce legatur, οἱ κλῆροι αὐτῶν οὐκ ὠφελήσουσιν αὐτούς, *clericorum non proderunt eis,* Bellarminus non erubuit inde probare separationem clericorum à laicis, lib. 1. de clericis c. 1. Hieremiæ 34. quum Sedechiæ mors prædicitur, Καύσονταί σε vnde: Latine, *comburent te,* quasi vllus is Iudæorum mos fuerit. At Hebraice *comburent tibi,* nempe aromata, quod frequens.

XXI. Venio ad eos locos, quos audacia corrupit potius, quam mutauit imperitia. Genes. 8. locus est celeberrimus de coruo emisso ex arca. Moses scripsit in hunc modum: *Emisit coruum, qui egrediebatur, & reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* At Græca editio ἀποφατικῶς omnino, καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν. *Et egressus non redijt.* Præclaros vero interpretes qui id negent, quod suus author asserit. Errorem sequuntur Editionis Latinæ exemplaria plurima: meum manuscriptum antiquissimum: & Venetum anni post mille quadringentos septuagesimi noni. Et ne plura colligam, Franciscus Lucas è tanto numero, quem habuit, vix tria aut quatuor potuit excipere: nec aliter legit Steuchus, aut Canus, aut Andradius, aut Sixtus Senensis, aut Pererius, aut alij, etiam veteres, Chrysostomus, Augustinus: Itaque non dubito Ariam Montanum ex suo ingenio emendasse: & quidem (quod miror) non annotata in Apparatu varia lectione. Sed Sixtina Biblia retinuerunt. *Et fecit hic error* (inquit Augustinus Chisamensis apud Sixtum Senensem, lib. 5. Bibliothecæ annot. 83.) *vt fabulosissimas quæstiones huc inuexerint expositores.*

XXII. Errorem tuentur Canus & Huntlæus, excusant Lucas & Andradius, & Pererius: Canus quidem nullo argumento, nisi autoritate veterum, Cypriani, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Eusebij: ipsius etiam Hieronymi. Sed facilis responsio. Nam illi non poterant non ita legere, qui neque Hebraice scirent, neq; alia vterentur editione. Hieronymus non isto tantum loco, sed alijs innumeris tantum tribuit consuetudini, vt ipse etiam vtatur editione Græca: quanquam in quæstionibus Hebraicis mendum subolet Lucæ & Steucho, quia cum de coruo aliter in Hebræo dici asserat, tamen statim eadem lectio subijcitur.

XXIII. Huntlæus audacior. Plerisque Hebræis verbis contrarias esse significationes, interque ea verba שוב, non tantum redeundi, sed etiam recedendi. Exempla citat Ezechielis decimo octauo, bis, bis etiam hoc ipso Geneseo octauo, itaque reddendum, *Coruus egressus est egrediendo, & recedendo donec siccarentur aquæ super terram,* id est, egrediebatur, & non reuertebatur.

XXIV. Sed esse quibusdam verbis contraria significata, nemo Hebraicè doctus negat. Huic tamen verbo שוב nemo vnquam doctus dixit. Omnes reditum significare sciunt. Sed dupliciter, pro varia syntaxi. Aliquando enim à termino: vnde nihil mirum si inferat recessum. Sed tum construitur per מ vt ijs locis, quos Huntlæus nominauit, aliter vero constructum, vel etiam absolute positum, semper reditum significat, nec contra dabitur exemplum. Sed maxime in ea phrasi, qua vtitur hic Moses, יצוא ושוב, *exeundo & redeundo,* id postulat oppositio, vt egressui opponatur reditus: quod hactenus doctorum nemo ausus est negare.

XXV. Sed Lucas & Andradius, etsi non negant discessum esse à verbis, tamen eundem seruatum sensum pertendunt: qui tamen ipsi inter se sensu non conueniunt. Nam Lucas coruum negat redisse in arcam, hoc est, intra arcam, idque habere, Græce, redisse tamen ad arcam, hoc est, supra tectum arcæ, & id Hebraice significari. Andradius autem coruo tribuit perennem quandam, incertamque agitationem, qua aera passim libereque circumuolitando circumcursabat, cum nullo loco posset consistere, idque significasse Leonem Iudæ, ita vertentem, Coruum emisit, qui egressus vltro citroque volitabat. Et ne non sit satis nugarum, Sixtus Senensis aliter interpolat, autore Aloysio, Veronensi Episcopo duos fingente egressus corui, qui primo circa arcam volitaret, ac si regredi vellet ante quam siccatæ essent aquæ: sed post perfecte egressus, non reuersus.

XXV. Nimirum ita solent ingeniosi varia varie comminisci, vt ne sit dictum, quod dictum est. Sed ex tanto labore quis non videt longe melius consulturos fuisse Septuaginta istos viros, si tantum nunquam mouissent scrupulum, & simpliciter vertissent potius, quod legebant? Sed nescio quo malo fato vix vnquam bene reddiderunt hanc phrasin. Nam hoc ipso capite חלוך ושוב, Latine *eundo & redeundo*: Græce est ἐλαττονοῦτο τὸ ὕδωρ, *Et minuebatur aqua.* Ezech. 35. עבר ושב, *euntem & redeuntem,* Græce ἀνθρώπους καὶ κτήνη: *homines & iumenta.* Et dignos hos quisquam existimet; quibus excusandis tempus consumat, cerebrum minuat? Et vt concederem hos esse posse Hebraicorum verborum sensus: tamen versionem Græcam non esse satis aptam inde apparet, quod ea sola vtens nemo vnquam eos potuit suspicari: sed ij soli excogitarunt qui Græca compararunt cum Hebræis.

Nam reliqui absolute & simpliciter negant redisse, vnde factum, (inquit apud Sixtum Senensem Augustinus Chismanensis Episcopus) vt fabulosissimas quæstiones huc inuexerint expositores, quærentes quo loco abfuerit coruus, per tot dies extra arcam, & vbi resederit, cum aquæ siccatæ nondum essent: & an reuersus sit ad Noe in arcam post aquarum exsiccationem.

XXVII. Sed audite. Reuersus est ad arcæ tectum, & id Hebraicè, non reuersus est intra arcam, & id Græce. Ergo, inquam, falsa hæc Græca versio, quia non habet id quod est in Hebræo. Vicimus ergo, quicunque non probamus hanc editionem. Nemo est enim qui ab ea non quærat, quid Moses dixerit. Nemo item, qui non neget illum Interpretis nomine dignum, qui allia exprimit, cum cœpe suus autor dixit. Deinde, vnde habetur reditus ad tectum? quis reuelauit? Nam Septuaginta prophetas fuisse negat Hieronymus.

XXVIII. Perennem agitationem video subtiliter excogitatam ab Andradio, quam & verba ferre possent, si horum duorum verborum habenda tantum esset ratio. Sed quid? nulla ne habenda ipsius corui? Nam in hac perenni agitatione, vel nũquam coruus quieuit, vel contra. Si quieuit, vbi? Nam omnia pontus erat. Nec ea corui natura, vt natet. An super cadaueribus? At ea negat Perius potuisse superesse. An nunquam quieuit? Quî potuit? Nisi forte extinctum velint in aquis, cum volatui non sufficeret. Sed quis diuinauit.

XXIX. Duos Aloysio egressus quis manifestauit? Nam si somniauit ipse, ridendum sese propinauit. Tanto magis, quanto certius Mosem obseruasse egressum columbæ triplicem, & diserte notasse reditum, cum non dum aquę essent exsiccatæ: postea vero contra. *Non addidit* (inquit) *regredi.* Itaque in his somnijs nihil est præter meras φλυαρίας.

XXX. Sed pergo ad alia huius audaciæ exempla. Gen. 37. pro eo quod Hebraice dicitur Ioseph detulisse fratrum suorum inique facta ad patrem, Græce contra illi dicuntur accusasse fratrem Ioseph apud patrem, κατήνεγκαν δὲ κατὰ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν πρὸς Ἰσραὴλ τὸν πατέρα αὐτῶν. Sic enim legimus in Argentoratensi editione: Sic olim Chrysostomus: sic Procopius: sic Steuchus etiam. Sed correxit Arias κατήνεγκε δὲ Ἰωσήφ: Et quidem nulla annotata lectionis varietate. Exemplo non bono. Eod. c. 5. viginti argentei, mutati sunt in viginti aureos. Qua de re sic Pererius in eum locum. *Mirum est autem, nec satis dispici potest, quid sequuti fuerint Septuaginta interpretes, qui hoc loco posuerunt, Ioseph esse venditum viginti aureis, cum in Hebræo non sint aurei, sed argentei: valet autem argenteus quatuor drachmas, aureus vero minimum decem. Cur igitur argenteos mutare voluerint in aureos, & quæsiui sæpe, atq; etiam nunc in quærendo sum. Neq; hoc tantum loco, verum etiam infra capite quadragesimo quinto, pro trecentis argenteis, vt est Hebraice ipsi verterunt trecentos aureos. Hieronymus certe de hoc reprehendit & damnat translationem Septuaginta, tum in Traditionibus Hebraicis in Genesin super hunc locum, tum super vicesimum sextum caput Matthæi.* Cap. 38. nurus in sponsam. Cap. 41. pro Hebraicis, *absq; me Deus respondebit pacem Pharaoni.* Græcè habetur ἄνευ Θεοῦ, οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ: *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni.* Cap. 49. augustissimum illud Iacobi testamentum fœde corrumpitur multis modis. Συμεὼν καὶ Λευὶ ἀδελφοὶ συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν. *Simeon & Leui fratres perfecerunt iniquitatem propositi sui.* Moses scripserat כלי חמס מכרתיהם, quarum vocum postrema varie à varijs exprimitur: nonnulli habitationem esse putãt, vt sit, *Vasa violentiæ habitationis ipsorum*, vt Steuchus, vel, in habitationibus suis, vt Pagninus: Leo Iudæ, *arma violentiæ macheræ eorum*, quia est allusio quædam inter macheras & vocem Hebraicam. Alij aliter. Sed nemo tam procul discessit à veritate, quam Septuaginta, apud quos vix inuenias vestigium contextus.

XXXI. Rursus Issachar τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, *bonum concupiuit*: pro, asinus fortis, vel osseus, υἱός μου νεώτερος πρὸς μὲ ἀνάστρεψον: filius meus iunior ad me reuertere. Quis id vnquam credat versum ex Hebræo? Scripsit Moses. Filiæ discurrerunt, vel potius ex vi phrasis Hebraicæ, filiarum quælibet discurrit supra murum. Iungitur enim distributiue nomini plurali verbum singulare, καὶ συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων χειρῶν αὐτῶν διὰ χεῖρα δυνάστου Ἰακώβ. ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας Ἰσραὴλ παρὰ Θεοῦ τοῦ πατρός σου. καὶ ἐβοήθησέ σοι ὁ Θεὸς ὁ ἐμὸς, καὶ εὐλόγησέ σε εὐλογίαν οὐρανοῦ ἄνωθεν, καὶ εὐλογίαν γῆς ἐχούσης πάντα. ἕνεκεν εὐλογίας μαστῶν καὶ μήτρας. εὐλογίας πατρός σου καὶ μητρός σου. ὑπερίσχυσεν ὑπὲρ εὐλογίας ὀρέων μονίμων καὶ ἐπ' εὐλογίαις θινῶν αἰωνίων. *Et contriti sunt cum fortitudine arcus eorum, & dissoluti sunt nerui brachiorum manuum eorum per manum potentis Iacob: Inde corroboratur Israel à Deo patre tuo. Et adiuuit te Deus meus, & benedixit tibi benedictionem cœli desuper, & benedictionem terræ habentis omnia propter benedictionem vberum & vuluæ. Benedictionem patris tui & matris tuæ. Confortatus est super benedictiones montium stabilium, & in benedictionibus collium æternorum.* Omnino sic Græce legimus. Audite nunc Hebraicam veritatem, & comparate, vt immensam aduertatis distantiam. *Sedit in forti arcus eius, & roborata sunt brachia manuum eius præ manib. robusti Iacob. Inde pastor, petra Israeli. A Deo patris tui qui adiuuit te, & omnipotente qui benedixit te benedictionibus cœli desuper benedictionibus abyssi quiescentis deorsum, benedictionib. vberum, & vteri. Benedictiones patris tui confortatæ sunt supra benedictiones natorum meorum vsq; ad desiderium collium seculi.*

XXXII. Exod. 4. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Pererius 8. disp. in id caput. *Cur Interpretes Septuaginta verterint, Stetit sanguis filij mei, equidem nescio, nam nec ambiguitas vocis Hebrææ, nec similitudo & conuenientia eius cum alia quapiam voce, istiusmodi interpretationis præbere occasionem potuit.* Deut. 32. cum sit Hebraice, *Statuit terminos populorum pro numero filiorum Israelis.* At Græcè ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ. *Constituit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum Dei.* Vnde Veteribus persuasum singulis gentib. singulos angelos assignatos, teste Maldonato 18. in Matth. Sed Steuchus, *Non dubium est, quin locus is apud Septuaginta sit deprauatus.*

XXXIII. Esaiæ 8. *Liga testimoniũ, signa legem in discipulis meis.* Septuaginta, τότε φανεροὶ ἔσονται οἱ σφραγιζόμενοι τὸν νόμον τοῦ μὴ μαθεῖν, *tunc manifesti erũt sigillantes legem ne discant.* Prouerb. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in Cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentula.* At Græce hoc postremum ἐν νεότητι Latine etiã *in adolescentia.* Vnde Baradius probat non posse sciri gesta Christi ab anno duodecimo ad baptismum vsq;: Commentariorum in Concordiam libri 10. c. 15. tom. 1. Nonne egregie: & Iesuitice? Errorem emendauerant aliquæ editiones Latinæ: sed Sixtus restituit, & per Lucam Burgensem edixit, ne quis facile scribat adolescentulam.

XXXIV. Hæc quis dissimulare queat? Sed audacissima est numerorũ permutatio, quorum rationem nullam videntur habuisse. Nam Geneseos 5. quinque patribus, nimirum Seth, Enos, Cainan, Malaleel, & Enoch, ante quam filios gignerent, singulis annos tribuit centenos vltra veritatem Hebraicam. Mathusalem vero detrahit annos viginti duos: Lamech autẽ sex addit. Rursus ijsdem de tempore vitæ post genitos primos filios detrahit annos centum: excepto Mathusala, cui addit annos totidem. Lamech autem detrahit annos triginta. Vnde præter falsationem, quæ ipsa per se maximum est incommodum, duo præterea absurda consequuntur. Prima Chronologiæ perturbatio. Nam cum à creato mundo ad diluuium veritas Hebraica colligat annos tantum mille sexcentos quinquaginta sex, tamen ex Græca editione fiunt bis mille ducenti quadraginta. Secundo, cum à nato Lamech ad initum diluuium numerentur anni septingentioctoginta octo: tamen post eundem Lamech natum vixisse dicitur Mathusala annos duos supra octingentos, id est, post initium diluuij annos quatuordecim. Vbi seruatus? Nam in arca non fuit ille quidem. At ex supputatione Hebraica incidit eius obitus in ipsum diluuii annum. Rursus capite vndecimo in genealogia, quæ texitur a Sem vsque ad Abrahamum natum, primo singulis iterum adduntur anni centum, nonnullis etiam plures: deinde additur generationis gradus vnus. Cum enim Arphaxat dicatur genuisse Sale: editio Græca fingit intermedium Cainam cum annis centum triginta. Ita fit, vt cum à diluuio ad Abrahamum natum elapsi sint anni tantum trecenti quinquaginta duo: ex Græca tamen supputatione colligantur anni mille ducenti triginta sex. Simili audacia capite quadragesimo sexto pro quatuordecim filijs Rachelis nominantur octodecim: Et pro septuaginta animabus, id est, capitibus familiæ Iacobi septuaginta quinque: repeti turque error capite primo Exodi. Numerorum quarto vigintiquinq;, pro triginta. Ionæ 3. ἔτι τρεῖς ἡμέραι καὶ Νινευὶ καταστραφήσεται. *Adhuc tres dies & Niniue subuertetur.* Hieronymus, *Trinus numerus qui ponitur à LXX. non conuenit pœnitentiæ. Et satis miror cur ita translatum sit, cum in Hebræo nec literarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit vlla communitas.* Nimirum quia Hebraicè, dies dicuntur non tres, sed quadraginta.

XXXV. Proximum est, vt additamenta non enumerem quidem, ob immensum laborem, sed certe indicem ob suscepti laboris necessitatem. Quod genus falsi quis excuset? Genes. 1. ad secundum diem additur, καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν: *Et vidit Deus quod bonum*, vt in alijs diebus. Etsi autem Hieronymum non probem, hoc loco non satis pie commentantem, assentiarque Lyrano imposturam appellanti, nihilominus, non debuit humanum ingenium tantum sibi arrogare, vt id exprimeret, quod Spiritus Sanctus tacuerat. Eodem capite, καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά· *& collecta est aqua, quæ erat sub cœlo in collectiones suas & apparuit arida.* Superfluitatem horum verborum pridem notauit Basilius εἰς τὴν ἑξαήμερον homil. 4. παρέλκει μετὰ μαρτυρίαν τὸ, ὅτι ἐγένετο οὕτως, ἡ τῶν αὐτῶν πάλιν ἐπεκδιήγησις. διὸ τοίνυν ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων ὠβέλισται· ὁ δὲ ὀβελὸς, ἀθετήσεως σύμβολον. *Superuacanea est post illud testimonium, factum est ita, eorundem iterata enarratio. Propterea emendatissima exemplaria obelo confodiunt. Est autem obelus nota eorum quib. authoritas detrahitur.* Rursus eodem capite, fiant luminaria in firmamento cœli, ὥστε φαίνειν ἐπὶ τῆς γῆς: vt appareant super terram: hæc postrema non leguntur Hebraicè. Capite 4. cum Moses scripserit simpliciter Cain esse alloquutum fratrem suũ: Græce additur quid dixerit: nempe διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. Latine (nam & Latina editio retinuit errorem.) *Egrediamur foras.* Hieronymus Traditionibus in Genesin, *Superfluum est, quod in Samaritanorum & nostro volumine reperitur, Transeamus in campum.* Capite 11. vt paulo ante monuimus, addita est integra generatio. Nempe καὶ ἐγέννησε τὸν καϊνάν, & postea καὶ ἔζησε καϊνὰν ἔτη ἑκατὸν τριάκοντα, καὶ ἐγέννησε τὸν σαλά, καὶ ἔζησε καϊνὰν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν σαλὰ ἔτη τριακόσια τριάκοντα, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανεν. Cap. 14. καὶ ἱππευομένων πᾶσαν ἵππον Σοδόμων. *Prædati sunt vniuersum equitatum Sodomorum.* Cap. 15. ἐν ὁράματι τῆς νυκτὸς *In visione nocturna*, quæ tamen potuit esse diurna. Cap. 17. *Qui non circuncidetur carnem præputij sui in die octaua*, Hoc, *in die octaua*, additum conqueritur Bellarminus cap. 17. de Sacramentis. Et Pererius in eum locum disput 6. dicit extrinsecus intrusum. Cap. 32. ἵνα τί τοῦτο σὺ ἐρωτᾷς τὸ ὄνομά μου ἐστι θαυμαστόν. *Vt quid quæris nomen meum, quod est mirabile*, Cap. 34. καὶ ἔτεκε: *& peperit*, Et 35. καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ: *Et malum visum est coram eo.* Et 43. εὐλογητὸς ἄνθρωπος ἐκεῖνος κυρίῳ, *Benedictus homo ille Domino.* βδέλυγμα ἐστι γὰρ αἰγυπτίοις πᾶς ποιμὴν προβάτων. *Abominatio est enim Ægyptijs omnis pastor ouium.* Et 45. κατοικήσεις ἐν γῇ γέσεμ ἀραβίας. *Habitabis in terra Gesem Arabiæ.* Atqui Arabia procul erat ab Ægypto. Deuter. 30. *Iuxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illud*, ἐγγύς σου ἐστι τὸ ῥῆμα, ἐν τῷ στόματί σου, καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ταῖς χερσί σου, ποιεῖν αὐτό, non sine periculo: esset enim eius loci sensus non tantum intellectu esse facilia mandata Dei, sed etiam factu, quæ sententia Pelagiana est, & his ipsis verbis confirmata à Cœlestio, vt videre licet apud Augustinum de Perfectione Iustitiæ. Quid enim aliud sonare potest illud, ἐν χερσί σου ποιεῖν αὐτό? Quod Hebraicè nullum est. Exod. 38. Steuchus *Additur otiose in codicibus Græcorum hoc totum*, ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἔπηξεν αὐτήν, *In qua die erexit ipsum tabernaculum: nam neq; in Hebraico contextu, neq; nostro habetur.* Hæc inquam omnia audacissime addita sunt.

XXXVI. Omissa etiam nonnulla. Geneseos primo, καὶ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον. κατ' εἰκόνα Θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν. *Et fecit Deus hominem. Secundum imaginem Dei fecit illum.* At Hebraicè ἐμφατικώτερον, quia res est magni momenti. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum.* Paulo ante ad diem secundum omissum est. *Et factum est ita.* Capite 17. hæc omnia omittuntur. *Circuncidendo circuncidetur natus domi tuæ, & emptus argento tuo.* Et quamuis totidem fere verbis iam expressa erant, tamen non inutiliter repetuntur à Spiritu Sancto. Item ista, *Ismael filius eius agebat tertium decimum annum, quando circuncisus est carnẽ præputij sui.* Cap 30. *Et incaluit grex ad virgas.* Et 35. *Ego Deus omnipotens,*

Græcè

Græce deest Omnipotens. Exod.38. Steuchus, *Dimittitur totum hoc, quod de atrio ſcribitur in codicibus Græcis, & eius loco ponitur deſcriptio labri. Cumq; in eius deſcriptione diutius immorantur Septuaginta; interim integrum fere caput ex contextu omiſerunt.*

XXXI. Hæc curſim: & quidem ex vnico Moſe. In quantam enim molem progrederer, ſi omnes libros euoluerem? Non debeo tamen eos locos tacere, quos ſuis obtrectatoribus confidenter Hieronymus obijciebat. In Apoſtolorum ſcriptis *multa* (inquit) *de Veteri Teſtamento legimus, quæ in noſtris codicibus non habentur: vt eſt illud, ex Ægypto vocaui filium meum, & quoniam Nazaræus vocabitur: & videbunt in quem compunxerunt: & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, &, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, & multa alia quæ proprium ſyntagma deſiderant. Interrogemus ergo eos, vbi hæc ſcripta ſunt, & cum dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum teſtimoniũ eſt in Oſea: ſecundum in Eſaia: tertium in Zacharia: quartum in Prouerbiis, quintum æque in Eſaia. Quod multi ignorantes apocryphorum deliramenta ſectantur: & Hiberas nenias libris authenticis præferunt.* Hæc Hieronymus. Et merito. Nam in Græca editione hi loci ſic leguntur. Primus Oſeæ 11. ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ: *Ex Ægypto vocaui filios eius.* Tertius Zachariæ 12. καὶ ἐπιβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *& aſpicient ad me, pro ijs quæ proterue egerunt.* Quintus Eſa. 64. ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον Θεὸν πλὴν σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσιν ἔλεον. *A ſeculo non audiuimus, neq; oculi noſtri viderunt Deum præter te, & opera tua quæ facies exſpectantibus miſericordiam.*

XXXII. De ſecundo & quarto loco non ita liquet. Nam Eſa.11. eſt quidem in Hebræo vox נצר quæ alludit ad Nazaræum, imo eſt ab eadem radice: proinde poterit, ſi quis velit, eo referre: ac certe non erit verſio, ſed alluſio. Nec male legitur Græce ἐξελεύσεται ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαί & Latine. *Egredietur virga de radice Ieſſæ.* Itaque melior eorum videtur ſententia qui indicatum potius cenſent decimum tertium caput Iudicum, vbi prædicitur Samſon futurus Nazaræus: fuiſſe enim illum typum Chriſti, nemo dubitat. Prouerb.18. Hebraice: *Aquæ profundæ verba oris viri, torrens exundans fons ſapientiæ.* Quæ paulo magis accedunt ad verba Chriſti, quam quæ Græce leguntur, ὕδωρ βαθὺ λόγος ἐν καρδίᾳ ἀνδρός, ποταμὸς δὲ ἀναπηδύει, καὶ πηγὴ ζωῆς, *Aqua profunda ſermo in corde viri, fluuius autem ſcaturit & fons vitæ.* Sed forte non tam citatus à Chriſto locus dicendus quam indicatus: In quo etiam quæritur, quid illud ſit ἀναπηδύει aut à quo vſu.

CAP. IX.

De erroribus variis editionis Græcæ Pſalmorum.

DE Pſalmis conſulto nihil dum dixi: qui liber cum reliquis metricis omnium eſt in editione Græca corruptiſſimus. Vere enim in Iobo, & Pſalmis maxime, videtur, quiſquis ille fuit autor Græcæ editionis, non tã ludere voluiſſe, quam illudere ijs quibus minime oportuit, id eſt, Eccleſiæ. Sed hic eſto Pſalmis proprius locus: tũ quia vna eademq; opera conficitur editio Latina: tum quia Bellarminus huic rei totum impendit c.13. lib.2 de Verbo Dei, contra Caluinũ. Nam quæ in editione Latina peccata ſunt, æquum eſt in Græca vindicari, vnde fluxerunt. Richardus Cenomanus Commentarijs Lombardi in Pſalmos ſubiecit collationes, quib. comparat vulgarem editionem reliquis quas viderat: ita vt in illius gratiam pronunciet ſemper. Nos hunc non negligemus.

II. Primus ergo locus eſt Pſalmo 2. נשקו-בר, Quidam vertunt *adorate pure*, ſed longe plurimi: *Oſculamini Filium.* Et quidem priorem dictionem, nemo eſt, qui neget ſignificare idem quod Latinis oſculari. Sed adorationem eliciunt ex conſequentia: quia oſculum manuum in Palæſtina, argumentum ſubiectionis erat. Altera autem deduci poteſt a radice ברר, vt mundum ſignificet & purum, vix tamen opinor inuenias pro aduerbio: ſed ſignificare Filium notius, quam vt admonitione mea indigeat. Eſſe autem ſenſum hoc modo pleniorem facile vident omnes. Nam ſi non exprimas id quod oſculandum præcipitur, neceſſe eſt incertum relinqui præceptum. Propterea recentiorum interpretum plerique omnes huc inclinant: Burgenſis, Pagninus, Leo Iudæ, Vatablus, Munſterus, Caſtellio, Arias, Henricus Mollerus, ipſeque Andradius: atq; adeo Genebrardus, vt ſit illuſtre vaticinium de Chriſto: fœdiſſime obſcuratũ à Græco & Latino interprete: δράξασθε παιδείας, *apprehendite diſciplinam*: a quibus neutra vox eſt expreſſa. Stapletonus calumniatur nobis eam verſionem non placere, quia diſciplinæ neceſſitas (quæ eſt legem Dei ſeruare) ad viam iuſtitiæ tenendam aduerſatur iuſtificationi per ſolam fidem. Scilicet, quia nulli ſunt alij loci qui diſciplinam commendent, & nos ita ſumus bardi, vt alijs locis toleremus, quod in Pſal.2. odimus. Imo Stapletonus eſt merus Sycophanta, qui nobis quoquo modo inuidiam conflare conetur: eſt etiam ineptus Theologus, qui diſciplinæ neceſſitatem aſſerat eſſe contrariam iuſtificationi per ſolam fidem.

III. Gretſerus defenſione c.2. lib.2. conijcit Septuaginta Interpretes, exiſtimaſſe Verbum נשק ſumi deprehendere, vt in Coniugatione Hiphil. Ezechielis 3. quia oſculantes ſeſe & contingant & apprehendant. Deinde pro בר forte legiſſe בור munditiem, ſeu purificatorium, indeque metaphorice diſciplinam. Vel potius, מוסר. Et detracta prima litera, סר, à יסר corripere, erudire. Minimo autem ſpatio diſtare בר à סר.

IV. Ego vero fateor omnino aliquam cauſam fuiſſe σφάλματος, nec intereſſe vtrum hæc fuerit potius quam vlla alia, neque inde effici non eſſe σφάλμα. Imo Critici quotidie innumera huius generis emendant in librorum prophanorum contextu, cur non & nos in ſacrorum voluminum Interpretibus? Nam hic periculum longe maius. Et tamen hoc cauſæ quid ſit videamus. Verbum נשק putarunt poni pro apprehendere. Intelligo: ſed quo iure? Nam Ezechielis 3. nullus is ſenſus eſt: vbi Septuaginta reddiderunt πτερύσσειν, Latinus percutere, quomodo in auibus ſæpe ſolent alæ. Quanquam potuit retineri ſignificatio oſculi; Metaphorica tamen. Nam oſculantes, non tantum contingunt ſe, & apprehendunt, ſed etiam ſonitum quendam edunt labiorum contactu. Propheta autem loquitur de hoc ſtrepitu alarum: qui nullus eſſet ſi apprehenderent ſeſe viciſſim alæ.

V. In altera voce lepidus luſus eſt. Legerunt בור. Hoc falſum, inquã ſi ſic legiſſent, eſſent interpretati. At, qui diſciplinam dicit, non interpretatur בור quo ſignificatur mundities. At mundatorium diſciplinæ conuenit per metaphoram. Forte inquam. Sed hoc ipſum peccatum eſt, pro vocibus proprijs figuratas ſubſtituere. Et quidem longe petitas, atque ideo obſcuriores. Imo non figuratas, ſed figuratarum longinquas coniecturas. Quanquam nondum oſtenditur, ſi ſic legerint, recte legiſſe. De מוסר & סר quid dicam vix inuenio. Nam quæ alioquin veriſimilitudo in tanta allucinatione? Vix cæcus legat מוסר, adeo diſcrepant, & literę, & ſyllabæ. Alterum autem סר, etſi nonnihil habet vicinum in tractu linearum, tamen oculos argueret non bene purgatos: Sed arguit potius Gretſeri non ſanam mentem. Nam סר pro מוסר Hebræus nullus vnquam dixit. Niſi forte indidem nati, vnde qui dixerunt Coniam pro Ciconia.

VI. Sed Bellarminus ſenſum eius loci rectiſſime verſum aſſerit: nimirum, quia Oſculamini Filium, idem ſit quod, agnoſcite Filium Dei, eſſe verum Regem, & Meſſiam veſtrum, oſculando illi manum honoris gratia. At id non aliter poſſumus, quam fidẽ, & doctrinam eius recipiendo. Quid eſt autem aliud: Apprehendite diſciplinam, niſi, eruditionem & doctrinam Filij Dei recipite?

VII Nimirum, etiã Papiſtis Theologis, & inter eos Ieſuitis, illud Galeni περὶ φυσικῶν δυνάμεων, optime quadrat, ὅταν τις ἀναισχυντῇ περὶ πάλην, πρὶν μήπω καταπεπτωκέναι συγχωρῶν, ὅμοιός ἐστι τοῖς ἰδιώταις τῶν παλαιστῶν, οἳ καταβληθέντες ὑπὸ τῶν παλαιστρικῶν, καὶ κατὰ γῆς ὕπτιοι κείμενοι, τοσοῦτον δέουσι τὸ πτῶμα γνωρίζειν, ὥστε καὶ κρατοῦσι τῶν αὐχένων τοὺς καταβάλλοντας, οὐκ ἐῶντες ἀπαλλάττεσθαι, κἀν τούτῳ νικᾶν ὑπολαμβάνουσι. Quibus impudentia comes eſt, ij ſimiles ſunt ignauis luctatorib. qui deiecti, neſciunt manus dare: ſed victores ceruicibus detinent, quamuis humi proſtrati, eoque ſe credunt ſuperiores eſſe. At ego Theologos putabam, non victoriam, ſed veritatem affectare.

VIII. Fruſtra tamen Bellarminus ἀναισχυντεῖ. Nam primo, etſi illa tam pulcre conſuta, vera eſſent, tamen non paruum in eo peccatũ eſt, quod illuſtre teſtimonium, quo Iudæorum peruicaciam poſſumus conuincere, redditur obſcurius. Nam illuſtrius eſſe, *Oſculamini Filium*, agnoſcit Andradius, Genebrardus ἐμφατικώτερον, & Galatinus lib.3.c.5. non potuit aliter in Iudæos torquere. Quinetiam diſerte ſuo Hogoſtrato obijcienti Latinam editionem, reſpondet, *Autor noſtræ editionis, æquiuocatione vocabulorum deceptus, multa longe aliter tranſtulit, quam veritas Hebraica habeat.* Quin ipſe Bellarminus c.2. lib.2. de Verbo Dei, *Nihil aperte contra Iudæos deduci poteſt. In Hebræo eſt, oſculamini Filium, qui locus eſt inuictiſſimus contra Iudæos.* Vnde factum, vt nemo vnquam ex veteribus eo ſit vſus in hunc ſenſum, non Iuſtinus, non Tertullianus, non Cyprianus, non reliqui ex profeſſo diſputãtes contra Iudæos. Non alij etiam eum Pſalmum Chriſtianis exponentes. Et audeat aliquis aſſerere ijs verbis eum ſenſum optime redditum, quem nemo vnquam ſuſpicari potuit, qui ijs verbis ſit vſus? imo ne tu quidem Bellarmine aſſecutus eſſes, niſi araſſes in vitula noſtra: hoc eſt, Hebræum contextum cum peruerſione hac contuliſſes. Deinde aliud eſt Tranſlatoris, alium commentatoris officium. Illius eſt ex vno idiomate in aliud trãſferre: quod legit: huius autem, & id interpretari quod legit, & ex eo neceſſarias conſequentias eruere. Itaque, non Septuaginta Interpretum laudauit Bellarminus ſinceritatem, ſed ſuam oſtentauit in nectendis conſequentijs induſtriam. At Caluinus non erat ſollicitus de induſtria Bellarmini, aut vllius omnino Ieſuitæ: ſed conquerebatur non eſſe ſatis ſinceram illam verſionem.

IX. Quid? quod hæ ipſæ conſequentiæ ſunt inanes? Nam primo ſi veræ ſunt, quid obſtat, quominus vbicunque diſciplinam inuenimus laudatam, ibi conſtituamus Prophetiam de Chriſto? Exempli gratia, Prouerb. 4. *Tene diſciplinam*: Græce ἐπιλαβοῦ τῆς ἐμῆς παιδείας, ſuperfluo pronomine. Et 8. *Audite diſciplinam*: Græce ἀκούσατε σοφίαν. Et 19. *Suſcipe diſciplinam.* δέξασθε παιδείαν. Et alia. Nam his omnibus locis, nemo queritur fucum eſſe factum: eſt enim Hebraice, מוסר Secundo, nego, apprehendere diſciplinam, non eſſe aliud, quam eruditionem & doctrinam Filij Dei recipere. Nam aliud eſt in genere & ἀορίστως diſciplinam commendare: aliud particulariter diſciplinam, id eo, fidem & doctrinam Chriſti. Quare, etſi verum ſit, omnes, qui Chriſtum agnoſcunt pro Meſſia, ſuſcipere etiam diſciplinam: tamen falſum eſt, omnes qui ſuſcipiunt diſciplinam, agnoſcere Chriſtum pro Meſſia. Deniq;, quid ſi ſophiſticari velim? negemque omnes, qui Chriſtum agnoſcunt pro Meſſia, ſuſcipere diſciplinam? Certe ipſa mihi Stapletoni calumnia faueret: qui nos dixit odio diſciplinæ hanc verſionem impugnare: quos tamen nemo neget agnoſcere Chriſtum pro Meſſia. Et ſi huius verſionis impugnatio, argumentum eſt odij in diſciplinam: quid ni erit veritatis Hebraicæ propugnatio, argumentum amoris in Chriſtum?

X. Gretſerus vim conſequentiæ conſtituit in totius Pſalmi contextu, vnde appareat non aliam diſciplinam intelligi, quam eius cui dictum, *Filius meus es tu*: Hoc modo: Apprehendite diſciplinam eius, cui dictum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, & de quo etiam dictum eſt, Beati omnes, qui confidunt in eo, Ergo, Chriſtus eſt verus Deus: quia nullius inſtitutionem, diſciplinam, & doctrinam, tanquam ad ſalutem neceſſariam, ſub periculo iræ diuinæ incurrendæ, amplecti, neq; in quoquam abſolute confidere iubemur, niſi in eo qui Deus ſit. Et hoc modo conformatũ argumentum inquit, ijſdem penitus lacertis aduerſus Iudæos & Arianos pugnat, quibus illud ex altera tranſlatione deductum.

XI. Sed fallitur Gretſerus. Primo, aliud eſt directum teſtimonium: aliud obliquum argumentum ex teſtimonij conſequentia. Et illud ſi non fortius, certe clarius: quomodo τὸ ῥητὸν ſemper magis perſpicuum, quam ἡ διάνοια. Imo hoc ipſo, quod clarius etiam certius, quia ſeſe primo ſtatim intuitu vis exſerit. Itaque Galatinus longe ſibi putauit conſultius argumẽtari contra Iudæos ex Hebraica veritate. Imo, vt dixi, nullus Veterum potuit diuinare, ex ea verſione ſiue Iudæos, ſiue Arianos conuici poſſe. Itaq; etſi reliqua omnia concederem, tamen falſum eſſet, ijſdem lacertis vtrinque pugnari.

XII. Secundo, nihil habet Gretserus, quo probet intelligendam disciplinam eius, cui dictum, *Filius meus es tu*, magis quam in genere disciplinam, vel etiam disciplinam Dei. Itaq; Augustinus *Intelligere & erudiri, hoc est, apprehendere disciplinam.* Nec ab eo longe abeunt Theodoretus, qui disciplinam intelligit actum virtutis, non scientiam: Et Euthymius, qui perfectam virtutem. Sunt qui longe aliter. Lombardus, aduersa: indeq; Dionysius Carthusianus, informationem fraternam, increpationem charitatiuam, flagella Dei. Hoc cum ita sit, perit omnis argumenti efficacia.

XIII. Tertio, etsi concedamus Disciplinam eius cui dictum, *Filius meus es tu*, tamen argumentum fit magis elumbe. Argumentum, inquam, ab his verbis. Nam alioqui, si vrgeas, *Filius meus es tu, Et hodie genui te*, argumẽtum ducitur non ab his verbis, quæ nunc tractamus: sed ab alijs, de quibus nulla quæstio est. Fallit autem Gretserus, cum asserit, nullius disciplinam, tanquam necessariam ad salutem, amplectendam, sub periculo iræ diuinæ, nisi eius, qui natura Deus sit, facilime eluditur: distinctione auctoris primi, & secundi: Nam Lex Dei dicitur etiam Lex Mosis, Et Euangelium Christi, etiam Euangelium Pauli. Tenemurque necessario ad salutem, & sub periculo iræ diuinæ amplecti tum legem Mosis, tum Euangeliũ Pauli, nec tamen aut Moses, aut Paulus Deus est. Quid autem habet ex cõtextu Psalmi Gretserus, quo probet disciplinam Christi, dici tanquam autoris primi, potius quã autoris secundi? Mitto illud *absolute confidere*, quod certe non habetur ex Hebraica veritate, aut etiam à versione Latina: sed tantum, confidere.

XIV. Hæc cum ita sint, longe consultius est errorem agnoscere interpretis, quam Ecclesiam spoliare suis armis. Recte, cum Hogostratus obijceret, *Editio nostra, apprehendite disciplinam, hic habet* respondit Galatinus. *Autor nostræ editionis æquiuocatione vocabulorum deceptus, multa longe aliter transtulit, quam veritas Hebraica habeat.* Cui sententiæ possumus & nos secure acquiescere, quantumuis indignentur Iesuitæ.

XV. Secundus locus Psalmo 4 *O viri*, siue filij viri ad verbum, *quousq; gloriam meam in ignominiã?* At Græce, υἱοὶ ἀνθρώπων ἕως πότε βαρυκάρδιοι, Latine, *Filij hominum vsq; quo graui corde?* Bellarminus, primo textum Hebraicum calumniatur esse corruptum: & pro כבודי לכלמה legendum למה כבודי לב, graues corde, quare: vt non tantum in prima dictione puncta mutentur: sed etiam secunda tum diuidatur in duas, tum mutet כ in ב, mutatis etiam punctis. Et hoc ante Bellarminum somniarat Richardus Cenomanus. Secundo, sensum asserit esse eundem, quia Deus conqueratur de hominibus, quod neglectis æternis, diligant temporalia, & eos vocet graues corde, quia tales sint vitio suo, siue ex Hebraica veritate, gloriam suam, & inclytos suos, quia tales sunt beneficio diuino.

XVI. Respondeo ad primum, esse intolerabilem illam quidlibet mutandi audaciam, quæ si permittitur, quid non conficient etiam impudentissimi? Exempli gratia, in hoc ipso loco, si libet exemplo Bellarmini ludere solis punctis mutatis, & diuisis vocibus, quis me legere prohibeat די לכל מה כבו vt sit *extinxerunt sufficientiam, ad omne quod*, pendente sensu, æque vt in artificio Bellarminiano. Itaque hoc ego prorsus indignum censeo responsione, & siue ita legerint, siue ipsi ita corruperint, indignos venia interpretes. Quod si hoc solum loco peccassent, posset infirmitas misericordiã mouere, vt aliquo vtcunq; amictu velaretur: sed infiniti nobis essent hoc modo luxandi loci, quod absit à Christianis. Et tamen, vt hanc audaciam dissimulemus, nondum vulnus est sanatum. Non enim verti potest, *vsq; quo graues corde*: non fert enim idioma Hebraicum, vt למה pertineat ad præcedentia. Deinde quo exemplo, qua analogia efficient למה esse ἕως πότε? Rursus quid est כבדי לב, aut quod vocabuli monstrum כבודי, vbi vsurpatum? Nam Bellarmino Italo Iuris esse Hebraica vocabula fingere, quis sanciuit?

XVII. Ad secundum, nego sensum esse eundem, nunquam enim quolibet quantumuis Iesuitico artificio, idem erit, graues corde, & gloria mea in ignominiam. Nego etiam Deum conqueri de hominibus. Nam is potius Propheta est, qui hostes suos increpat, à quibus conculcatam suam videret authoritatem. Deinde etsi id verum esset, tamen non sequitur eundem esse sensum. Nec sequitur, vt si suo vitio homines sint graui corde, per gratiam autem gloria Dei, ideo vnum idẽq; sit gloria mea, & graues corde. Nec rectũ est, vt si suo vitio Galatæ erant insensati, per gratiam autem Christiani, ideo qui è Græco vertet Epistolam ad Galatas, pro ijs verbis, *O insensati Galatæ* possit Latine dicere, *O Christiani Galatæ* Nam etsi verum dicat de Galatis, tamen falsum dixerit de mente Pauli, expressa in eo versu. Et vt agnoscas longe aliud Græce exprimi, quam Hebraicè, nemo est vnquam sola versione Græca vsus, qui sensum Hebraicorum verborum suspicatus sit.

XVIII. Tertius locus ex Psalm. 32. in quo Hebraicè legimus iuxta Hieronymum. *Versus est viror meus in siccitates æstatis.* At Græce, ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν, Latine *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Bellarminus rursus textum Hebræum calumniatur: & mutari vult נהפך לשדי *versus est viror meus, in* נהפכתי לשדי *conuersus sum in ærumna mea.* Iterum illud בחרבוני קיץ *in siccitates æstiuas*, in קוץ בחרבוני *dum configitur mihi spina*, quod Cenomano placuerat.

XIX. En rursus Giganteam audaciam: sed iuxta prouerbium ἀμαθία θράσος φέρει. Primum שד pro ærumnis, vnde habet? Secundo, itane minimam mutationem appellat בעל הדקדוק cum quatuor literis primæ vocis adduntur duæ, & in secunda vnica mutatur? Tertio, quid est נהפכתי? Intelligo conuersionem significari. Sed hoc loco Bellarminus non quamlibet conuersionem recipit, sed eam quæ fit ad pœnitentiam. At hoc sensu nego vnquam vsurpari hoc verbum. Quod timide Genebrardus subindicare vix ausus est Et Gretserus mentitur hoc sensu accipi versu 5. c. 60 Esa. Quarto quid est בחרבוני? aut quanam analogia confici potest, vt significet dum configitur mihi? Expectabo dum per otium Cardinali liceat explicare: secure ridens imperitam audaciam. A qua paulo alienior Lorinus: nondum tamen alienus, qui בחרבני: dixit pro בחרבוי: sed expuncta tamen vna consona. Quod non licuit viro religioso. Sed isti si possunt, discant à Genebrardo non inclinare Hebræa ad communem intelligentiam.

XX. Quartus locus ex eodem Psalmo: vbi Hebraica veritas habet iuxta Pagninum, *In chamo & fræno os eius est ad coercendum, ne appropinquet tibi.* Græca editio sic exhibet, ἐν κημῷ καὶ χαλινῷ τὰς σιαγόνας αὐτῶν ἄγξαις, τῶν μὴ ἐγγιζόντων πρὸς σέ. Latine, *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Bellarminus hic miram exaggerat Caluini impudentiam, duplicem ob causam, primam, quia sic Hieronymus, & omnes veteres legerunt, alteram, quia Hebræa sic possunt commodissime exponi.

XXI. Respondeo, Caluini nullam esse impudentiam, sed Iesuitæ magnam ἀναισθησίαν: qui ausit tantum non negare meridie Solem lucere. De Veteribus facile negotium. Nam cur illi non sic legerint, quibus aut nullum, aut vix vllum editionis Græcę peccatum fuit cognitum: At nobis immanis foret stultitia inuentis frugibus glande vesci. Hieronymus laudabili conatu reformationem editionis Latinæ inchoauit, non perfecit. Hebræa autem sic commode verti posse, vt habet editio Græca, sumitur, non probatur à Iesuita, à nobis ridetur. Nam quod in Commentarijs addit, puncta olim alia fuisse, vnde dictum, *maxilla eorum*, pro *maxilla eius*, non videtur mentis compos fuisse. Nam apud Hebræos pronomina eius, & eorum, tantum punctis differre plane falsum. Idem vero esse, *Ne appropinquent tibi*: & *Qui non approximant*, ne millies quidem iuranti Apologistæ Gretsero credet quisquam. Porro discat vterq; ex Genebrardo, hos autores dissoluisse sententiam, vt quæ ad præcedentia pertinebant, distraherent ad sequentia.

XXII. Enimuero, quando de impudentia sermo incidit, quam tam secure hominum hoc genus nobis exprobrat: libet pauca subijcere exempla immanis modestiæ collecta ex Cenomano: quanquam tum hoc, tum proximo capite plura erunt. Psal. 4. pro Latinis, *Frumenti, vini, & olei.* Hebraice tantum est, *Frumenti & vini* Hoc ille vt defendat, iubet ad תירושם addi vnam lineam, & fieri תירושמן. compositum ex תירוש שמן, oleo & vino. Similiter Psalm. 37. *Non est respectus morti eorum.* Vt respectum hunc tueatur, coniectat Septuaginta existimasse חרצבות vocem esse compositam ex חרץ quod sit sententiam determinare: & בת pupilla oculi. Et huius inuenti tanta fuit confidentia, vt dixerit, quomodo id quadret respectui, etiam se tacente, liquere. Sunt tamen ea monstra vocabulorum, vni ei monacho cogitata, magis quam cognita. Psalm. 7. pro, *nunquid irascetur per singulos dies?* Hebraicè, *Deus irascens quotidie.* Ille, apparet, inquit, legisse אל אל זועם. Quasi phrasis sit Hebraica, & non potius purus putus solœcismus. Psalmo 29. *In atrio*, pro *in decore*. Si deducatur, inquit à דור, significabit mãsionem: Quasi, inquam בהדרת inde deflecti possit vlla pati ratio Grammaticæ. Psal. 47. *Hæreditatem suam*, pro *hæreditatem nostram*, nempe si pro נחלתנו Nachalatenu, legas נחלתנו Nachalatennu, cum daghes, cum tamen posterius non ferat Grammaticæ ratio. Adde hæc, si non aliena, saltem non verisimilia. Psalm. 11 *Odit animam suam*: Hebraice, *odit anima eius* Paratum remedium, vt legas, שנא הנפשו, pro שנאה נפשו. Item Psalm. 35. οἱ θέλοντες, *qui volunt*: pro, *qui vult*. Nempe si pro החפץ substituas החפצי, Hechapetse Nã etsi nonnulla conferri possunt similis Syntaxeos exempla, tamen ea Grammatici annotant, tanquam anomala, & præter morem. Itaq; viderit sciolus quantum sibi licere putauerit.

XXIII. Quintus locus ex Psalmo 38 כסלי מלאו נקלה. Hieronymus vertit, *Lumbi mei repleti sunt ignominia* Pagninus, *Ilia mea plena sunt ardore.* Munsterus, *Fœmora mea impleta sunt morbo contemptibili.* Iunius, *Ilia mea plena sunt vilitate.* Septuaginta vero, αἱ ψόαι μου ἐπλήσθησαν ἐμπαιγμῶν. Latinus interpres, *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*: Caluinus quærit, quid sibi velit. Respondet Bellarminus, Dauidem loqui de eo pruritu, atq; ardore libidinis, qui dum in corpore existit, illusiones in mente gignit: Græcumque interpretem effectum pro causa posuisse.

XXIV. At non satis videtur attendisse subiectum eius Psalmi, quo, cũ in morbum incidisset grauissimum Propheta, precatur à Deo veniam peccatorum: & morbum describit aliquot versibus, in quibus, etiam iste. Cæterum facilis erat, ni fallor, excusatio Grecæ editionis: nam τὰ ἐμπαιγμάτα, non valde abludunt ab Hebræa voce נקלה, qua contemptus significatur: ἐμπαίζειν vero est alicui illudere: vt Marci 10. καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ, *Et illudent ei* Erit quidem dura loquutio, ac proinde à Caluino non prorsus frustra sugillata, sed tamen quæ excusari possit. Esse periculosam, discat Bellarminus suo exemplo, qui traduxerit ad illusiones animæ, id est, quibus anima turbatur.

XXV. Sextus locus ex Psalm. 68. vbi Hieronymus vertit, *Deus inhabitare facit solitarios in domo.* Pagninus pro solitariis, vnicos dixit. Munsterus, *Deus est qui collocat vnicos in familiam*, Leo Iudæ, *Deus est qui orbis restituit familiam.* Iunius, *Deus collocat solitarios in familia.* Quorum omnium sensus est: Deum ijs quorum nulli erant filij, fœcunditatem largiri, vt amplam familiam possideant. At Græca editio longe alium sensum reddidit, Ὁ Θεὸς κατοικίζει μονοτρόπους ἐν οἴκῳ. Latina. *Deus inhabitare facit vnius moris in domo.* Bellarminus respondet verba Hebræa recipere plures sensus, & omnes veros. Primus est, Deum in domo sua, id est Ecclesia, habitare facit homines vnius moris, id est, vnius fidei, vnius spei, vnius voluntatis: & hoc Septuaginta expresserunt: quia יחד est venire. Secundus: Deus facit, vt homines derelicti & solitarij, qui non habent à quib. defendantur, securi habitent in domib. suis. Et huc Hieronymus videtur respexisse. Tertius: Deus facit orbos, vel steriles, magnam familiam possidere. Quartus: Deus facit, vt quidam præ amore cœlestis contemplationis, relicta frequentia, ad loca deserta se recipiant, & soli habitent, vt olim Helias, Ioannes Baptista, Paulus, Antonius, Hilarion.

XXVI. Ergo, primo peccarunt, inquam, Interpretes Græci, qui יחידים verterunt μονοτρόπους, quę vox non tam late patet, vt omnes hos sensus cõprehendat, sed tantum significat eos, quibus ijdem sunt mores. Est n. boni interpretis officium (aiebat Driedo) vt sententias reddat easdem & æquales nec ampliores, nec strictiores. Cæterum, non quærebat Caluinus, quantum ingenio contendere posset sophisticulus Iesuita. Quid est n. quod ille non audeat? Sed quærebatur neglectum esse boni interpretis officium. Non esse autem vnius loci, nisi vnicum sensũ, κοινὴ est ἔννοια. Tum norunt Hebraice periti vocabulum יחיד nunquam significare μονοτρόπους: sed solitarios. Itaq; etiamsi non negem Deum efficere, vt in Ecclesia homines viuant μονότροποι, id est, vnius fidei: tamẽ hunc esse huius loci sensum pernego: multo magis illam de monachatu fabulam, quam αὐθάδης Iesuita commentus est, sibi canens & suis: hoc ipso docens, quantum sit malum, discedere à literali sensu Scripturæ.

XXVII. Septimus locus ex eodem Psal. eodemq; versu. Hebraicè iuxta Hiero-

Hier. *Educit vinctos in fortitudine : increduli autem habitauerunt in siccitatib.* Iuxta Pagninum: *Eduxit vinctos compedib. rebelles a. habitant in siticuloso loco.* Et Græce longe aliter. ἐξάγων πεπεδημένους ἐν ἀνδρείᾳ· ὁμοίως τοὺς παραπικραίνοντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν τάφοις, Latine, *Qui educit vinctos in fortitudine similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulchris.* Errore triplici: & quod אך redditur ὁμοίως: Et quod צחיחה exponitur ἐν τάφοις: Et quod hæc sic superioribus connectuntur, vt pendeant ab eodem verbo, sensusque sit: Deum educere vinctos: & educere eos qui exasperant: vt omittam illud exasperāt, non bene exprimere Hebraicū סררים, quo rebelles significantur, & ἀπειθοῦντες. Hinc delusus August. vtrosque & compeditos, & amaricantes (sic enim legebat) dixit, gratia Christi educi in fortitudine.

XXVIII. Bellarminus fatetur vocem צחיחה esse locum ardentem & siccum. Sed interpretem voluisse deserti illius horrorem exprimere, vnde Deus populum suum eduxit, quod quidem instar sepulchri esse videbatur: vt Ezechiel cap. 37. Babylonicam captiuitatem sepulchra nominauit. Sed ita ex tribus peccatis vnicum duntaxat excusatur : reliqua manent intacta: & quidem præcipua : maxime tertium: quo sibi Bellarminus passus est imponi: nec n. verum est Prophetam loqui de deserto, vnde eductus fuit populus Israel: sed de effectis iræ Dei in impios. Addo non esse boni interpretis, verba deligere, quæ non nisi per longas ambages deducant in sensū sui autoris. Vt hic pro siticuloso, siue arido loco sepulchra sunt substituta: quæ neque arida neque siticulosa solent esse : sed tantum horrida: quanquam hoc ipsum satis improprie.

XXIX. Octauum locum eodem Psalmo Arias sic reddidit in interpretatione interlineari, *Dominus dabit sermonem: annunciatricum exercitus multus: Reges exercituum fugiebant: & habitatio domus diuidebat spolium. Si accubueritis inter tripodes, pennæ columbæ intectæ argento: & alæ eius in flauo auro.* Sensus est : Deus præbet materiam loquendi: vt sit earum, quæ læta nunciant, numerus magnus. Reges enim quibus erant exercitus magni, fusa fuga facta vix eripiunt se: Et quæ domi remanserunt, veniunt etiam ipsæ in partem spoliorum. Quantumuis dormiatis inter tripodas, siue lebetes, tamen similes eritis pennis columbæ, quæ tecta videtur argento, & auro. At Græce Κύριος δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ, ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ, τῇ ὡραιότητι τοῦ οἴκου διελέσθαι τὰ σκῦλα. ἐὰν κοιμηθῆτε ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, πτέρυγες περιστερᾶς περιηργυρωμέναι, καὶ τὰ μετάφρενα αὐτῆς ἐν χλωρότητι χρυσίου. Latine *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, Rex virtutum, dilecti, dilecti, & speciei domus diuidere spolia. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Qui meri sunt, & inextricabiles gryphi: aptissimi fatigandi, interpretibus, qui non quid dixerit Propheta inuestigare conantur: sed quid ipsi ingeniose excogitare possint, satagunt, vt annotauimus capite quinto.

XXX. Peccata sunt plurima: primum, quia nonnulla verba perperam vertuntur. Neque enim ידדין est τοῦ ἀγαπητοῦ: Neque נות τῇ ὡραιότητι, neque תחלק διελέσθαι, neque שפתים, τῶν κλήρων, neque אברותית τὰ μετάφρενα αὐτῆς. Secundo, male quædam quibusdam iunguntur, vt δώσει τοῖς εὐαγγελιζομένοις, & διελέσθαι τῇ ὡραιότητι. Tertio omittitur Græce, ידדון repetitum, in editionibus saltem quas habemus: nam olim videtur repetitum ἀγαπητοῦ, vt in Latino. Quartum peccatum est τὸ ἀσύντακτον: si enim congeruntur nomina sine vllis verbis, vt lapides sine calce: vnde obscurissimus fit locus, adeo vt vix quisquam tam εὔστοχος sit, qui vel verum sensum eliciat, vel aliquem saltem diuinet, qui satisfaciat viris cordatis. Etsi autem nonnihil sit eiusmodi in postrema saltem parte contextus, tamen multum distant idiomata: atque adeo sæpe accidit, vt Hebraicæ elegantiæ, sint meri apud Latinos & Græcos barbarismi.

XXXI. Bellarminus, primo locum esse obscurum causatur, etiam in Hebræo. Deinde textum Hebræum contendit facile posse accommodari, nimirum mutatis mutandis: vt ex מלכי fiat מלבי & ידדון transformetur in ידידות & נות intelligatur non habitatrix, sed mulier speciosa & delicata, quæ fere semper domi manet. שפתים autem non ollas interpretemur: sed aliquid natura sua duplicatum, nempe duo labra, siue duos terminos, aut ordines, vt sit inter terminos duarum sortium. His ita pulchre confectis, sensus erit: Dominus dabit prædicatoribus Euangelij os & sapientiam. Ille Dominus est Rex potentissimus : & simul Pater Messiæ Filij dilectissimi, qui etiam dabit iisdem prædicatoribus, vt diuidant spolia Gentium ad Christum conuersarum, ad speciem & decorem domus suæ. Et si vos, ô Prædicatores, maneatis inter duas sortes siue hæreditates, cœlestem & terrenam, ita vt dum hic viuitis, non toti sitis in reb. temporalibus occupati, nec toti in spiritualibus, nec toti in actione, nec toti in contemplatione, sed in medio, tum erit Ecclesia quasi columba formosissima & pulcherrima, habens alas deargentatas, & dorsum deauratum.

XXXII. Vere omnino Pindarus, ἀπροσίκτων δ' ἐρώτων ὀξύτεραι μανίαι. Nihil est enim quod non audeat, qui eorum amore tenetur, quorum est non tam difficilis, quam nullus exitus. Enimuero quid inausum relinquit Bellarminus, vt vulgatam Psalmorum editionem tueatur? Δοκεῖ μοι καθάπερ Ἱπποκλείδης, ὁ τοῖς σκέλεσι χειρονομῶν ἐπὶ τῆς τραπέζης. ἅπερ αὖ ἐξορχούμενος τὴν ἀλήθειαν, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ, Sed nimirum hanc habent Iesuitæ ἀπειρίαν σύγγονον. Enimuero obscurum esse locum, non omnino diffitear, sed quanta illa virtus est interpretis, ex obscuris obscurissima reddere?

XXXIII. Reliqua non satis succedunt. Primum illud מלבי צבאות cuius est analogiæ? Nam מלבי צדק nihil ad rem: alia enim est compositionis, alia constructionis ratio. Deinde, quomodo positum erit ידידות. Nam si interpretemur, Rex virtutum, dilecti, Hebraicum idioma ferre non potest, vt eadem vox sit in constructione (סמיבות appellant) cum duabus sequentibus, absque vlla coniunctione. Neque vero צבאות est constructum. Tertio נוה significare mulierem delicatam, indeque speciosam, non concedo : quamuis videam non absurdum sic intelligi נות בית, eam quæ domi habitat, quia soleant huius generis mulieres esse delicatulæ: sed hic נות seorsim reddi speciosam, hoc vero ferri nequit. Atqui reddi ὡραιότητι, longe durius. Denique שפתים etsi sit in forma duali, tamen nego significare duos ordines, duos terminos, aut duas sortes : multo minus coniunctim terminos duarum sortium. Hæc mera est impostura. Et tamen non hæc erant sola peccata : itaque redintegrandus labor erit Bellarmino, vt reliqua iterum vertat, inuertat, mutet, permutet, pro arbitrio, hoc est Iesuitice corrumpat, vnius ob noxam.

XXXIV. Iam vero, quid dicam de eleganti illa verborum structura? Nimirum balbus balbum melius intelligit. Itaque, quomodo ille vel suam Latinam, vel Græcam interpretetur editionem, ἐμοὶ οὐ μέλει. Habeant suas sibi similes labra lactucas. Vnum assero, non posse absque inaudita violentia, eum sensum inferri in contextum Hebraicum. Primo, dabit *Prædicatoribus*, non est ex mente Prophetæ. Secundo, Patris nomen? vnde assumitur? Tertio, cur Messiæ fit mentio? nam hic locus ad eum non pertinet. Quarto, dabit diuidere spolia, nunquam dixit Propheta: nunquam diuidere spolia retulit ad prædicatores: nec tum cogitauit de gentib. ad Christum conuersis: neque de ornatu Ecclesiæ, neque de terrena & cœlesti hæreditate: neque de contemplatione & actione. Hæc omnia Bellarm. ille olim Monachus, nunc Cardinalis habuit ex camera meditationum, qua suos Iesuitæ infatuant, non a. à Spiritu Sancto.

XXXV. Sacroboscus sensum literalem hunc affingit, Dominus suppeditabit materiam in Pæanas prorumpendi, iis quibus incumbit triumphalia carmina pro victoria populi cantare: & hoc quidē de virtute multa, siue exercitu multo, supple, ꝓstrato: vel cum copioso exercitu, qui erit populi, & magna prestabit. Dabit hoc, dico, Domin⁹: Dominus ille, & Rex exercituū, dilectissimi sui populi: dabit ille quoq; Dominus ac Rex, pulcritudini domus, siue speciosæ mulieri, quæ domus ornatus est, vel quæ domi fere sēper est, & ad bella non procedit, diuidere hostiū spolia. Vos dilectus Dei populus, qui malis ante premebamini, vbi vobis dabit Deus securis accubare, in medio sortium vestrarum, tum eritis similes pulcherrimæ columbæ, albo & fuluo colore distinctæ, læti sc. ac festiui.

XXXVI. Festiue, inquam, docuit nos Iesuita, quid quantumue possit, cū prolixe somniauit. Veruntamen primo, non excusatur versio. Nam ego quidem longe distinguo versionem & paraphrasin. Itaque, vt sit bonus sensus, suppeditare materiam in Pæanas cantaturis triumphalia carmina: tamen verti non debuit, *Dabit verbum euangelizantibus*, cum sit potius, *Dabit sermonem*, siue *orationem*: & *annunciatrices*. Secundo illud, *de virtute multa, siue exercitu multo prostrato*: somnium est Iesuitæ. Nam Hebraice significatur non subiectum carminum illorum cantandorum; sed potius, vel modus cantandi: nempe vt ne perfunctorie, sed totis viribus: vel certe, quod melius, appositiue numerum magnum cantantium: vt essent instar exercitus. Illæ a. particulæ, *cum*, *de* subintellectæ, somnia sunt. Nam etsi non raro relinquuntur nonnullæ supplendæ: in Hebraici sermonis breuitate, tamen non quælibet vbique, neq; hæ hoc loco.

XXXVII. Tertio, *Dominus ille & Rex exercituum*, prorsus recedit ab Hebræo: neq; debet מלכ צבאית construi non אדני. Genebrard. negat regem virtutū hic significare Deum: sed regem quemlibet potētissimum & fortissimum. Quarto, vnde illud *dilectissimi sui populi*? Nimirū, inquit, dilectissimi, pro dilecti dilecti: quia hæc repetitio familiarissima sit Hebræis ad augendā significationem. Atqui, inquam, primo ידדון, non potest significare dilectos Secundo, nego hoc genus repetitionis familiare esse Hebræis: nego significare augmentum. Nam quæ augmentū significant, longe alterius sūt generis. Deinde vnde *populi*? Non n. desunt qui regem virtutum, Patrem interpretantes, etiam dilectum, Filium dicunt. Quinto, quorsum *dabit diuidere*? Nā Hebraica id nō ferunt: est n. תחלק diuident in fœminino genere: nō a. diuidere: quicquid fingāt refingantve Iesuitæ. Itaq; regi nō pōt à verbo *Dabit*. Sexto, nec dici etiā debet, *dabit*, connecti cū *Speciei*. Primo, quia nūquam quisquam Hebraice dixit תן נות, dabit speciei hæc, inquam, syntaxis inaudita est Hebręis: dicendū n. fuerat לנות. Secundo, absurdissimum foret יתן לנות בית תחלק: neque posset quantuncunq; est artificij apud Iesuitas ea verba conferruminare? ne si addas quidem Lyranū, Iansenium, Septuaginta Interpretes, & quantuncunq; esse potest delirantium. Mitto reliqua, quorum omisit Sacroboscus rationem reddere.

XXXVIII. Nonus locus eodē Psalmo, למה תרצדון הרים גבננים. Hunc Græce sic legimus, ἵνα τί ὑπολαμβάνετε ὄρη τετυρωμένα. Latine, *Vt quid suspicamini montes coagulatos?* Caluinus dixit legendū, *Vt quid inuidetis montib. opimis?* Bellarm. respondet verbum רצד hoc tantum loco inueniri: totque fere esse eius expositiones, quot Interpretes. Non esse autem magis sequendos alios, quam Septuaginta, præsertim cum horum versionem Catholica Ecclesia tam longo vsu approbauerit

XXXIX. Atqui primum è duob. peccatis alterum tantum attingitur. Nā, quo sensu potuerant montes dici, siue τετυρωμένοι Græce, siue coagulati Latine, aut incaseati, vt Augustin. legebat? Quæ ratio reddi potest, vel Theologica, vel Physica? Nam si sic intelligas esse tanquā caseos eminentes super planiciem, quis non rideat? Itaque etsi verum est Grammaticā etymologiā posse pati, vocem גבננים à caseis deduci: tamen maxima fuerit eorum Interpretum oscitantia, qui proposita varia etymologiæ ratione, indigniorē elegerint. Satis enim vident omnes montib. multo magis competere, gibbos, & cliuos, & colles, quam caseos. Arias n. vertit gibbosos: Munsterus gibberosos: Leo Iudæ cliuosos: Mollerus colliculosos: Iunius frequentes gibbis. Hieron. vero sine metaphora excelsos. Itaque nemo imitari voluit Græcam editionem: præter vnum Campensem, qui tamen voce vsus est digniori, cum opimos dixit: satis audacter Caluinus etsi in antidoto Concilij Tridentini hac vsus sit Campensis versione, obiter locum tractans tamen in Commentariis maluit Hieronymum sequi, montes excelsitatum appellans.

XL. Iam quod attinet ad prius peccatum, fateor verbum רצד hoc tantū loco occurrere, eoque difficiliorem esse expositionem. Sed est harum difficultatum explicandarum gemina via, vel ex circumstantiis totius contextus: neque enim æquum est singula verba seorsim sumi, tanquam scopas dissolutas, sed ὡς τὸ ὕφος καὶ τὸ σῶμα τῆς προφητείας ὑπαγορεύει. Vel ex autoritate eruditorum in ea lingua. At ego neutram viam agnosco in editione, siue Græca, siue Latina.

XLI. Nam quod attinet ad textus circumstantias, ne ipse quidem Bellarminus ausus est periculum ingenij facere : cum tamen in præcedentibus ostentarit θυμὸν ἐμβριθῶς, Et sane, quid illud est ὑπολαμβάνετε? Necesse est significare, vel suspicamini, vt Latina habet editio, vel suscipitis, vt alij malunt,

malunt,in quibus Iunius. Iam vero velim mihi aliquis explicet,quid sit *suspicamini montes coagulatos*,siue *incaseatos*. Nam ego quidem quoquo me vertam,nihil sani video. An credimus enim Prophetam reprehendere eos qui credunt montes esse à Deo coagulatos,id est,sic formatos? Non ferēt aures piæ. Quid rursus est,*Suscipitis montes coagulatos*? Ego Dauus sum non Oedipus.

XLII. Iam vero virorum in ea lingua eruditorum auctoritas,vbi est? Nam quod Bellarminus terret nos Septuaginta Interpretum nomine μορμολύκειον est. Primo enim si est eorum auctoritas summa,cur ab ea discessit Latinus interpres in aliis libris? Cur tot errores deprehenduntur ab iis commissi? Secundo,quid si non sit hæc eorum editio? Nam ipse Bellarm. agnouit ita corruptam fuisse,vt vix eadem videri possit: Et Hier. testatus est Psalmorum editionem,esse non illorum genuinam,sed πλανηθεῖσαν, pro locis misere immutatam. Septuaginta editionem ab Ecclesia longo vsu esse approbatam nego, si sic intelligas,vt ab eis discedere nullo modo liceat.

XLIII. Sed enim id verbum varie reddi video. Ab Hieronymo *contenditis*. Ab Aria *dispicitis*. A Munstero & Pagnino,*exsilitis*. A Leone Iudæ,& Caluino.*inuidetis*. A Mollero *exsultatis* A Iunio,*deiiceretis vos*. A Castellione,*Insolescitis*. Omnes tamen vel eruditorum autoritate moti,vel cōtextus serie. Nam omnes obseruarunt opponi montib. Iudææ,montes Basan. At non omnes eodem modo. Quidam ergo existimarunt retundi insolentiam montium Basan,hoc est,Ethnicorum despicientium montes Iudææ,id est, Ecclesiam. Itaq; reddiderunt,vel contenditis,vel exsilitis,vel exsultatis: vel insolescitis: quasi diceret Propheta,nullam esse causam cur tanto fastu insolescentes contemnerent montes Iudææ: nam etsi hi humiles sint,tamen in iis Deus habitet. Et habent isti consentientem Chaldæum Paraphrasten, non paruæ auctoritatis.

XLIV. Alij vero existimarunt erigi animos montium Iudææ aduersus aliorum audaciam. Et hi reddiderunt,vel *inuidetis*,vel *dispicitis*,vel *deijceretis vos*. Vt sensus sit: Quare vos,ô montes Iudææ ita attente consideratis,celsitudinem montium Basan,vt eis inuideatis,vosque deiiciatis,tanquam indigni,qui illis conferamini? Atqui in vobis habitat Deus. Et habent hi consentientes Rabbinos quosdam,vt Abbenezra. Mihi quidem priores illi magis probantur, quia cum hæc verba dicantur in secunda persona,tum sequentia sunt in tertia. Videtur a. duriusculum vtrunque ad idem referre: etsi fateor,non fieri sine exemplo. Sed vtrique tamen considerate verterunt: non Græcus ille,quisquis fuit.

XLV. Decimus locus eodem Psalmo, אף-סררים לשבן יה אלהים: Græce,κὴ γὰρ ἀπειθοῦντας τοῦ καθεσπίσαι Κύριον ὁ Θεὸς εὐλογητός. Latine, *Etenim credentes inhabitare Dominum Deum*. Hic vero nec Græca cum Hebræis consentiunt: nec Latina aut cum Hebræis,aut cum Græcis. Nam Hebraice אף non significat κὴ γὰρ,*etenim*: neque est quicquam quo significetur εὐλογητὸς,nisi in seq. vers. Neque coniunguntur syntactic *ōs,non credentes inhabitare*. Et tum Latine,tum Græce,deest verbum aliquod,quo sensus perficiatur. Neque Græca sonant,quod Latine legimus *Inhabitare Dominū Deum*. Caluinus legebat,*Etiam defectores,vt inhabitet Dominus Deus*: vel vt postea vertit in commentariis: *atq; etiam rebelles,vt inhabitet Iah Deus*.

XLVI. Bellarm. Caluini reprehendit nimiam contradicendi libidinem: & sensum manere eundem: Verba a. Latinæ versionis esse meliora: denique ipsum Hieronymum ex Hebræo vertisse,*Non credentes inhabitare Dominū Deum*.

XLVII. At Caluini libido nulla est: sed magnus veritatis amor. Iesuitæ a. infinita calumniandi prurigo. Sensum esse eundem quis vnquam dixisset? Certe August. sic intellexit,vt superiorum ratio redderetur: quæ significatio est particulæ *etenim*. At id non est verum. Nam hæc est constructio. Ascendisti in altum: captiuasti captiuitatem,ad assumenda dona in hominib. etiam in rebellib. subaudi,dona accepisti. Esse a. vulgatæ versionis verba meliora,quam Caluini,illi credant,quib. placet Bellarmini ὠὸν τὸν ἔφα. De Hieronymi autoritate,non est necesse sæpius eadem repetere.

XLVIII. Sacroboscus dicit,Non credentes, & rebelles pro eodem accipi: atque adeo sæpe ita verti. Secundo distinctionem membrorum esse Latine iuxta textum Hebraicum: non Græcum: Tertio:*ad habitandum Dominum Deum*: significare: vt tu Dominus Deus familiariter habitares inter eos.

XLIX. Imo de primo non mouetur controuersia. Ne de secundo quidē, nisi vt ostendamus hunc Interpretem,quisquis ille tandem fuerit: neque Hebraicis hærere: neque Græca assequi: cum debuerit tamen alterutrum. In tertio nego phrasin esse Latinam,ad habitandum Dominum Deum,pro vt Deus inhabitet. Fingat vt volet,refingat-ve Sacroboscus,tamen nunquā efficiet,vt cordati credant alterum pro altero Latine ita dici.

L. Vndecimus locus eodem Psalmo: vbi legimus ex veritate Hebraica: *Reducam ex profundis maris*: Græce ἐπιστρέψω ἐν βυθοῖς θαλάσσης: Latine: *Conuertam in profundum maris*. Et hic rursus neque Græca editio cum Hebræa,neque Latina cū alterutra consentit: Latina a. sensum habet è diametro oppositum verbis Hebraicis: Græca medium quendam; nec tamen bonum. Bellarm. primo contendit recte verti posse *in profundum*: fretus autoritate R. Dauidis,qui interdū מן vsurpari docet pro ב vt Deut. 33. מסיני. Deinde varias esse lectiones: alioqui legere *in profundis*. Hocque esse verius,& satis cohærere cum Hebraicis: nam conuertere in profundis maris,nihil aliud esse,quam eos etiam,qui sunt in profundis maris,extrahere,& conuertere.

LI. Hæc sn perioribus similia sunt. Nam primo etsi מן aliquando sumptū reperiri possit pro ב: tamen nunquā pro *in*,cum accusatiuo casu. Vt Leuitici 23. ממחרת in crastino. Deut. 33 מסיני *in Sinai*. Ezechiel 7. מקדום in proximo. Et hoc ipso Psalmo, מהיכלך in tēplo tuo. Quāuis ipse Dauid cōsentiat his etiam locis verti posse per *De*: Et sic Arias semper à crastino: de Sinai de propinquo: a templo tuo. Sic igitur excusari forte possit Græca versio, quæ habet ἐν βυθοῖς: at non Latina; *in profundum*. Quid tum a. si variant codices? Nā siue in profundum legas,siue in profundo: non tamē exprimitur sensus loci. Et audacins est,quā verius,quod Bellarm. ausus est asserere,eandem vtrobique sententiam esse: nisi nouam indimus vocabulis proprietatem. Sed certe si nullus esset alius sēsus: tum nemo interpretū esset allucinatus. Quod cōtra verum est. Nam Euthymius ἐν τοῖς βυθοῖς θαλάσσης, intellexit instrumentaliter,in sacro baptismatis lauacro. Hugo Cardinalis apud Franciscum de Puteo in Catena: *Conuertam,dico,non in iudium mundi huius: sed in profundum maris,id est in perfectam pœnitentiæ amaritudinem*. Rickel Carthusian. *Conuertam in profundum maris,hoc est, exercitum Romanorum dirigam ad mare*. Nec dissentit Iacobus de Valentia: *Conuertam exercitum,& legionem Romanorum versus occasum,destruendo & vastando ciuitates Iudææ vsq; ad profundum maris*. Hi omnes, fortasse etiam alii,non didicerant à Bellarmino Grammaticam. Sed & docti sciunt, vt is sensus efficeretur,quē iste probat,legendum esse Græce, τοὺς ἐν βυθοῖς: Latine, *eos qui in profundo*. Alioquin meræ sunt nugæ.

LII. Duodecimus locus,eodem Psalmo: *Ibi Beniamin paruulus,dominator eorum*. Sic enim Pagninus vertit,consentientibus aliis omnibus. At Græce ἐκεῖ Βενιαμὶν νεώτερος ἐν ἐκστάσει: Latine, *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessit*. Bellarminus hanc versionem ita tuetur,vt dicat vocē Hebraicam דדם posse significare,& dominatorem eorum a דדה: & alte dormientem a דדם. Porro vtramque interpretationem veram esse: nam per Beniamin intelligit Paulum,qui & fuit in mentis excessu tam alte dormiens,vt nesciret an esset in corpore: & simul fuit præcipuus Dominus,siue princeps spiritualis Ecclesiæ gentium.

LIII. Vt semper est similis sui! Et audax,nec satis peritus. Non aduertit enim vocem דדם quæ sopiri significat, non reperiri nisi in secunda coniugatione: in qua דדם esse non potest: sed tantum in prima: in qua frequentissimus vsus est verbi דדה. Nec attendit statim post nominari principes Iuda & Zabulon,& Nephtali. Intelligi autem Paulum,mera est ἀλλοφροσύνια: quæ Augustino condonari potuit,ob ignorantiam Hebraicæ linguæ coacto se ipsum accommodare ei quam habebat præmanibus editioni: in qua etiam paucis ante hūc locum lineis,legebat,*præuenerunt principes*: pro præcesserunt cantores,& principes,Apostolos interpretabatur: vnde hic consequenter per Beniamin Paulum, qui erat ex ea tribu. Sed hæc non,si bene excogitata sunt, ideo vera sunt. Proterea,cum ad Nephthali & Zabulon ventum est,tum(vt dicunt)aqua hæsit: Nec habuit quid diceret,nisi confugeret ad frigidam nominum interpretationem, imo ineptam: quæ Zabulon dicat habitaculum fortitudinis: & Nephthali: dilatationem meam.

LIV. Postremus locus à Caluino obseruatus ex Psal. 132,vbi cum Hebraice legatur: *Venationem*,siue,*victum eius benedicam*. Græce est τὴν χήραν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω. Latine, *viduam eius,benedicens benedicam*. Quanuis vtrumque Arias correxerit,& Græce scripserit θήραν, nonnullis opinor,exemplaribus fauentibus: nam saltem editio Argentoratensis habet θήραν facili lapsu: & Latine,venationem: quam vocem non dubito, quin ipse sua autoritate correxerit,vt alia plurima. Bellar. Iesuiticos animos ad extremū vsque retinens,negat sibi videri hunc errorem mutandum, tum quia sensus fere idem est: tum quia semper in Ecclesia Græca & Latina lectus & cantatus est: & sane corrigere neglexit Sixtus.

LV. Dignū sane ἐπινίκιον! dignā fabulæ καταστροφὴν! Nihil-ne igitur corrigendum,quod iampridē vsurpatum fuerit? Ne scribarum quidē σφάλματα? Quid speremus de propriis facturum errorib. qui ab alienis non magis abduci pot,quā canis ab vncto corio? At nobis illud solenne placet, *Abitio non erat sic*. Et illud: *Consuetudo sine veritate,vetustas erroris*. Esse fere eun dē sensum,victus & viduæ,delicatule potuit delicatulus pronunciare Iesuita: vt nec diceret, nec non diceret peccatum esse saltem aliquantulum. Nam quis miretur,qui eidem meminerit paulo ante fuisse imperatorem, & stertentem? At nobis non licet esse sic acutis, qui musas colimus modestiores.

LVI. Mutatus est vnius literulæ character,inquit Huntlæus,ex vicinitate figuræ nempe צירה pro צידה: quorum illud,Venationem eius,hoc vero sonat viduam eius,siue afflictam & desolatam: quia צור sit affligere,desolare: vnde ציר cardo. Cenomanus mauult à צדה,quod est desolari; Sophoniæ 3.

LVII. I nunc,& Papistas esse negato. Sed comprimam me. Certe hæc est immanis audacia, Bellarmino longe fuit mens alia,neganti vllam esse similitudinem literarum,ob quam suspicari quis possit scriptum viduam. Quāquam si esset,non ideo peccatum non esset; si non audaciæ, saltem inconstantiæ. Vnde Genebrardus. Græce θήραν, venationem: *Sed nostri legit inconsulta veritate Hebraica,χήραν viduam*. Enimuero quis permisit Huntlæo noua fingere vocabula? Aut quo exemplo docebit Hebræis aliquando sic dictam viduam? Itane æquum,vt quam audaciam non auderet in propria maternaq; lingua eam vsurpet in aliena: in qua qui doctissimi Christiani,tamen sunt velut infantes? Mitto exemplum,saltem doceat,quomodo *Viduā Sionis*,commode possimus concipere.

LVIII. Nam à Cenomano si quæram,qua Grāmatica analogia fieri potuerit צידה à radice עדה,laterem opinor lauē. Nam is satis multis docuit experimentis tam le curare analogiam,quā curet numerum lupus. Nam de solatam viduam cur dixerit,quia in Sophonia legerit desolatam vrbem,habet in promptu puerorum in scholis facilitatem,quib. nundinæ & feria idē, quia nobis Gallis idem vtrinq; vocis sonus.

CAP. X.

Alia in Psalmis peccata.

I. NOtauerat hos errores Caluinus,sed obiter: & ex infinita multitudine pauculos,speciminis gratia. Nam Augiæ stabulum vix maiori labore purgasset,quam omnes collegisset. Absit, vt ego me tanto oneri parē sentiam. Addam tamen nonnullos præterea: vt mihi ne Iesuitæ obiiciant fieri de musca elephantem. Quanquam ante me alios collegerint VVhitakerus,& Hunnius.

II. Psalmo 19. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo*. Vbi nec delicta opportune nominata,quod genere nomen est æq; ac peccata,quum debuerint ignorantiæ,genus id peccat quod inscienter peccatur: Et *aliena* pessime: quasi peccata quædam non sua Propheta diceret,sed aliena: etiam præsenti oppositione. Vnde illa vulgaris alucinatio quam notauit Bellarm. *Non significat*,inquit,*vt Deus nobis ignoscat peccata aliena,vt vulgo hic locus citari solet*. Hebraice iuxta Pagninū, *Errores quis intelligat? ab occultis munda me,etiam à superbiis prohibe seruum tuum*.

tuum. Facili sensu, mollique: quia duo peccatorum sunt genera, alia per infirmitatem, ignorantiam-ve facta; alia per superbiam & contumaciã. Quod vidit Genebrardus, & Bellarminus, & Iansenius, & Lorinus: qui in Hebræorum vitula arauerunt. Nullus enim præterea.

III. Legerunt, inquit Bellarminus, non זרים: quod superbos significat; sed זרים, quod alienos. *Id* quidem, inquam, vel cæcus palpet. *Sed quo iure?* An vt precari ipsi haberent, vt sibi dimitterentur peccata per ignorantiam? Nam alioquin, si in eiusmodi codicem incidissent, debuerant corrigere, admoniti ab ipso contextu. Nec hoc tamen eis peccatum solitarium. Nam vnde φείσαι: parce? Certe חשך significat, prohibere: vt constat ex his locis. Geneseos 20. *Custodiui te, ne peccares.* Primi Regum 25. *Et seruum suum custodiuit à malo.* Alias intransitiue, abstinere ab agendo, quod & Græce φείδεσθαι & Latine dicitur Parcere. Genes. 22. *Non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Secundi Samuelis decimo octauo, *Volens parcere multitudini.* Nunquam autem occurrit pro indulgere alicui post peccatum admissum. In quo, incogitantia fuit Interpretum tum Græcorum tum Latinorum: apud quos hic vsus erat suorum verborum, qui Hebraici nullus: Et tamen retinere sunt ausi.

IV. Psalmo 29. ridicula diligentia fuit interpretantium בני אלים bis: *filij Dei filios arietum*, propter homonymiam τῶν אלים: qua voce & Dij dicuntur & arietes. Sed filios Dei, quo sensu? Nempe si credimus Bellarmino: *Vos, per sanguinem agni immaculati, effecti filij Dei.* Et Genebrardo: *Pij, quos Deus Pater, Filius, Spiritus Sanctus adoptionis gratia dignati sunt.* Pie id quidam fateor: sed vtrum אלים dicatur de Deo, sicut אלהים amplius deliberandum censeo. At certe poterant hirci taceri commodius.

V. Sed immanis scrupulus. *Et comminuet eas*, cedros, *tanquam vitulum Libani: & dilectus, quemadmodum filius vnicornium.* At *ex Hebræo*: inquit, Bellarminus, *habetur sensus facilis & pulcherrimus. Sic enim legimus in Hebræo. Et saltare faciet eas, sicut vitulum: Libanum & Sarion, sicut filium vnicornium. Et sensus est: non solum voce Domini confringet cedros Libani, sed etiam integras cedros radicitus euellet, & exilire faciet ea facilitate, qua vituli saliunt. Nec solum cedros Libani, sed ipsos etiam montes, Libanum & Sarion saltare faciet ea facilitate, qua filius vnicornium salit.* Triplex igitur mendum, inquam: Vnum, quum ירקיד quod est faciet exilire: redditur, *comminuet*: alterum: cum connectitur, *VitulumLibani*: quæ verba distrahi debebant: tertium, quod שרין, montis nomen, alias Hermon, Deut. 3. mutetur in *dilectus*.

VI. Excusant varie primum & tertium peccatum. Nam secundum nemo putauit tanti esse. Primum Cenomanus: Nihil vetat, quin eodem sensus conspiret. Vox enim Domini, id est, Christi prædicatio, comminuit gentes, dum corda eorum emolliuit, & ad se immolandum per internum dolorem induxit: Quæ spiritualis immolatio per vitulum intelligitur. Cor vero sic mundatum, quomodo non exaltaret (exultaret credo) in Deum suum, & Christo concrucifixum non gloriaretur in carnis mortificatione, & veri vituli passione? At Bellarm. haud paulo aliter. Possunt, inquit, non difficulter concordari cum verbis Hebraicis: nam dum cedri magno impetu confringuntur, & comminuuntur, certe fragmenta exiliunt, & spargunturin varias partes. Lorinus, legerunt forsan Septuaginta ירקם sicut in Psalmo decimo septimo, comminuam eos in puluerem: non autem, vt nũc ירקידם.

VII. Sed Cenomanus sectatur allegoriam: Atqui aliud est, Vertere, aliud Interpretari ἀλληγορικῶς. Et nos nunc non in istud interpretationis genus inquirimus, sed versionem examinamus. Qui vertit sensum, debet exprimere literalem, allegoriæ fundamentum. Alioquin, quis allegoricum locum dignoscet à Literali? Deinde, quid si hæc allegoria non placuit omnib. Et hæc sane postulat non tantum comminutionem, quam expressit interpres? sed etiam exultationem, quam tacuit. Quod genus a hoc allegoriæ est: ex dictis simul & non dictis? Itaq; alii alio discesserunt. Sunt qui comminutionem intellexerunt vindictæ: quæ superbos, & hostes cõfringit ac conterit: Lorinus: Iansenius, Carthusianus. Quin Iacob. Perez de Valentia, retulit ad descensum Christi ad inferos, cum portas æreas confregit omnesque principes inferni: alligauitq; Sathanam. Alij comminutionem maluerunt gratiæ: cum peccatores ad pœnitentiam vocantur: superbi ad humilitatem. Sic Bellarm. & Lombard. Aiguanus vero nouo quodam & proprio motu retulit ad extremam vnctionem. Nimirum dormientes prout pasti sunt, ita variis somniorum imaginib. deluduntur.

VIII. Bellarmini subtilitas tolerabilior: quia magis accedit ad literam. Sed non assequitur tamen. Nam comparatio vitulorum non quadrat. Non enim vituli saliunt: si diffrumpantur. Etenim non cedrorum assulas, sed ipsas cedros comparari legimus vitulis. Nec quisquam est, cui non sit durum. Comminuet cedros tãquam vitulum: si sensus sit: comminuet cedros non tanquam comminuitur vitulus. Itaque Carthusianus. *Cedros prædictas conteret Dominus, sicut conteritur vitulus nutritus in Libano.* Perez. *Sicut armenta vitulorum, quæ pascebantur in monte Libano, successiue diminuebantur, & iugulabantur pro sacrificiis, & pro cibo ad comedendum vsq; ad consummationem.* Iansenius. *Quemadmodum tener vitulus Libani facile comminuitur.* Neq; vero aliud ferre potest Latina versio. Qui, cum non sit sensus loci, teste Bellarmino, apparet hac saltem parte excusari non posse.

IX. Sed acu rem Lorinus tetigit. Forsan legerunt ירקם. Quid si ego, forsan non legerunt? Annon æque verisimile? Nam profecto ירקם non significat comminuet eos. Et mira fuit Lorini oscitantia: qui scripserit: *Legerunt forsan Septuaginta Iarikem, sicut in Psalmo decimo septimo, Comminuam eos, vt puluerem.* Vix tandem oculis meis credidi, iterum iterumq; repetentib. Nã *Comminuam in puluerem*, nihil ad ארקם: quod per delere expressum est: sed ad præcedentia ואשחקם כעפר. Denique verbum הדיק non significat comminuere: sed vacuum facere, exinanire.

X. Tum a. vide; *Non legerunt, sicut nunc est.* Quid hoc suspicionis? Atqui, inquam, non nunc tantum est: sed olim fuit. Olim, inquam, quam possumus longe repetere memoriæ tempora. Chaldæus Paraphrastes sic legit: & & reddit ורשורגן, id est, interprete Aria, *Subsaltare fecit eas.* Sic legerunt vetères editiones. Quod sciuit ipse Lorin. & annotauit. *Aquila, σκιρτήσει, exultabit, id est, exultare, seu saltare faciet: Symmachus ὀρχεῖσθαι ποιήσειν: saltare fecit. Quinta editio, σκιρτοποιήσει,* Quid supereſt? Aut quantum illud *Nunc* est Lorino? An quantum Scripturæ, *Hodie*, id est, *semper?* Hoc verum. Sic semper lectum: & Septuaginta potius excusari non possunt.

XI Tertium peccatum durius est. Bellarm. *Verba sequentia. Et dilectus, quemadmodum filius vnicornium, difficilius cum Hebraïs vocibus, quæ nunc habentur in Bibliis concordari possunt.* En tibi rursus, quæ nunc habentur: quasi non olim. Certe Hier. legit Sarion. Et ante Hieronymum Chaldæus, montem dixit. Sed hæc importuna Papistarum suspicio est: qui & sua omnia vetustissima, etiam heri nata: & non sua recentia, quantumuis ante Solem & Lunam, vt ita dicam, clamitant.

XII. Sed audiamus oracula. *Oportet, vt Septuaginta Interpretes, vel aliud aliquid legerint, vel certe intellexerint vocem illam, quæ significat montem Hermon & loricam, res videlicet tam dissimiles, significare etiam dilectum. Quib. hã fides est, cum ipsi doctissimi essent, & lingua Hebraica peritissimi.* Cenomanus. *Potest inclinari à verbo* שור: *quod est cantare, contemplari, munus offerre: quæ omnia competunt dilecto, qui est prædicandus, & munerib. afficiendus. Septuaginta videntur ad id respexisse.* At Genebrardus longe sc. diuinior. שרין *per aphæresin pro* ישורון, *vel per metathesin, dilectus, siue directus: vt in aliis locis, vbi* ישורון *dicitur recalcitare & Dei obliuisci. Sic alluditur ad Deuteronomij 33. quo loco Ioseph tauro pulcherrimo comparatur, & eius robur cornibus Rhinocerotis.*

XIII. Sed omnes ridiculi. Bellarm. quia pro fundamento habet autoritatem Septuaginta; quæ tamen vocatur in dubium. Tum vero, quia quem ipse sensum fatetur & facillimum & pulcherrimum, hũc ipsum it euersum: nam profecto, si pro ratione est voluntas Septuaginta: is sensus nullus est. Cenomanus Iui semper similis neglecta analogia Grammatica: nam שרין à שור non magis deduci potest apud Hebræos, quam ab emendo amor apud Latinos. In Genebrardo præter audaciam nihil est: fingentis commodo suo ἀφαιρέσει & μεταθέσεις: qui posset itidem, παρεθέσεις, ἐπενθέσεις, προθέσεις: & quid non? nisi amphora deficeret.

XIV. Sed operæ pretium est etiam explicationem aduertere. Nam qui sensus eruitur è verbis Hebraicis, hunc & facillimum, & pulcherrimum professus est Bellarm. Sed ab his siue diuinationibus, siue corruptionibus, qualis est? Genebrard. *Quasi dicat In his montib. Israel dilectus Dei similis erit vnicornium pullo, qui est robustus & celer ad euadenda syluarum discrimina. Vel est epitheton Domini, Et dilectus Dominus, quemadmodum vnicornis, cuius cornu expetitur & ad medicinam, & ad opificia, erit, supple, vel apparebit, videbitur, quidue simile. Vi verbi Dei densitate errorum mundi discussa, dilectus, id est, Christus, apparebit sicut Vnicornis: qua cum non videretur in syluis, incipit apparere post densas syluarum arbores.* At Bellarm. *Et tunc, quando Cedri Libani confractæ fuerint,* (id est, sic enim exposuerat, homines potentes & sapientes humiliati, & redacti ad paruitatem vituli, id est, Christi) *apparebit dilectus,* (id est Christus) *non amplius vt inermis vitulus, sed vt filius fortissimi vnicornis.* Lorinus. *Erit autem siue Rex, siue populus Dei, Deo sic hostes frangenti, & conterenti carissimus, inuictus ac insuperabilis, ob receptum ab illo robur in similitudinem vnicornis, qui cornu validissime pugnat: nec expugnari, capi-ve viuus potest.* Iansenius, *Et dilectus filius Domini Messias, quem illi cedris similes valde oppugnant, semper erit sicut filius fortissimorum vnicornium, inuictus semper, ac insuperabilis & in se, & in pulo suo, aduersum quem nec porta inferi vnquam prævalebunt.* Carthusianus. *Et dilectus, id est, humilis Deoq; placens, erit quemadmodum filius vnicornium: non comminuetur vt cedri, sed fortis atq; securus erit in Domino Deo suo, & tanquam pullus vnicornis seu rhinocerotis, qui est fortissimum, grande, atq; imperterritum animal.* Iacob. Perez de Valentia, *Sicut armenta vitulorum, quæ pascebantur in monte Libano successiue diminuebantur, & iugulabantur pro sacrificiis & pro cibo ad comedendum vsq; ad consummationem: Ita Christus comminuit & prostrauit omnia idola, & omnes principes mundi: sed dilectus populus Christianus fuit liberatus & saluatus sicut filius vnicornium.* Et subijcit eleganter obseruationem de vnicorni purgante in Africa venenatas aquas. τὴ πολλὰ μηκυνῶ? Aiguanus, qui priorem partem de extrema vnctione est interpretatus: in hac Eucharistiam reperit *Hic*, inquit, *consequenter agit de Sacramento Eucharistiæ.* Et hoc quidem eleganti subtilitate. Nam Dilectus, Christum significat secundum Deitatẽ: at filius vnicornis, eundẽ secundum humanitatem. Porro nullum Sacramentum, realiter continet Christum verum Deum & hominem præter Eucharistiam. Perez tamen Baptismum maluit propter aquas purgatas ab vnicorni.

XV. Quid nunc videtur, Lector? Nonne obiici oculis imaginem quandam vitulorum in pratis petulce luxuriantum καὶ σκιρτώντων, ac suam sibi cuiusq; semitam facientium? Septẽ habes interpretes, singulos sibi ipsis nouas allegoriæ delicias conquirẽtes: vt appareat vnũ contendisse, vt ne in eundẽ sensum cõsentirent. Dilectum, hic Christum interpretatur, iste populũ Christianum, ille quencunque humilem, alius Rhinocerotem, alius Monocerotem. Dilectum alius connectit præcedentib. vel contritum, vel conterentem: aliis oponit tanquam liberatum & saluatum. Tum autem vt ista conuenientiq; saltem speciem habeant, inquisitam oportuit naturam vnicornis alias subito apparentem inter densas syluarum arbores: alias celerem ad euadenda pericula syluarum: alias cornu gerentem pretiosum, alias grande, fortissimum, imperterritum animal: alias purgãtem aquas. Deus bone! potuit hæc versio esse optima, quæ suos interpretes tam varie torsit? Potuit præferri Hebraico contextui à quo sensus facilis, sensus pulcherrimus? Sensus in quem omnes ij conueniunt: quos tanto tædio sophistæ hebraizantes, & nouantes dicunt? Chaldæus paraphrastes, & Hieron. olim: nostro seculo, Pagninus, Tigurini, Munsterus, Caluinus, Iunius, Mollerus, Beza,

XVI. Psalmo proximo duo peccata sunt: *Quoniam ira in indignatione eius*: pro, *Et momentum ira eius*. Deinde, *vt cantet gloria mea, & non compungar*: pro, *non taceat*: vtrumque longe distanti sensu. Quid sophistæ? Bellarm. Non videntur legisse רגע, momentum, sed רגץ, iram: fortasse etiam legerunt רגע: & verterunt iram: quia vox ea scissionem etiam significat: & intellexerunt in indignatione Dei, esse scissionem, id est occisionem, & mortẽ. Facete: Sed Lorinus mauult legisse רגן iram. Placet-ne? At non Cenomano, qui per metathesin imaginatus est גער Genebrardo nihil horum: sed Hebraizantium potius diligentia. *Vt facilior sit sententia*, inquit, *verte, momentum est in indignatione.*

XVII. En tibi igitur Hebraicæ literæ sententiam faciliorem: magno iã præiudicio. Sed vbi gentium tandem Bellarminus legit suum רגץ? Nam apud Hebræos, scio non legisse. Lorini רגן aliquoties legas: sed incertum pro ira, an terrore. Qui sunt religiosi, non tam facile mutationes admiserint literarum.

terarum. Multo minus Cenomani metathesin: quanquam is ridicule geat dixit, quod nemo probet non imperitus. Tum a. quid iuuat tãtus labor, vt pro faciliori sententia, (sic n. laudauit Genebrard.) difficilior substituatur? Nonne id eorum studium est, qui de industria laborant in obscurandis Scripturis?

XVIII. Sed n quid est, *Quoniam ira in indignatione eius?* Nam Hebraicis verbis nihil facilius: *Momentum est in indignatione eius*. Id est, interprete Genebrardo: *cum indignatur, breui & celeriter indignationem remittit, citoq; placatur.* Sed illud quid sani habere põt? Aut quis potuit vnquam indignationem absq; ira concipere? Itaq; coguntur iræ vocabulum στρεβλοῦν. Genebrard. *Vt non tam indignari quam irasci dicendus sit*: quia, puto, legerat illud, *ira furor breuis est*. Veniale sophisma huic viro, qui agnouit longe facilius momentum dici. Sed alij: iram vindictam exponunt: Bellarm. Lorinus, Iansenius. Sic illis nihil nisi per ambages. At quanto erat tutius iter planum, & rectum?

XIX. In altero peccato. Bellarm. ex Cenomano: *ירם, significat silere, & excidere, siue succidere: & hanc significationem elegerunt Septuaginta Interpretes: & legerunt in prima persona: & non compungar, quod est idem cum eo, Et nõ succidar.* Triplex caput. Vnum significari succidere: alterum legisse in prima persona: tertium compungi idem esse quod succidi. Ex quib. secundum potest videri leuiculum: quia certum est ad sensum nihil interesse: cum Propheta gloriam dicat pro se ipso. Vt cantet gloria mea, id est, vt ego cantem. Sed in priore sane exigua laus est eorum interpretum, quib. vbicunq; ferme inciderunt in vocem ambiguam, peccatum sit in deteriorem partem. Nam hic Genebrard. diserte. *Ad verbum, & non sileat gloria mea.* Quanquã illud etiam ridiculum est: excidendi verbum reddi per κατανύττειν, compungere. Nam quicquid contra Bellarm. pertendat: nemo non videt tam longe distare vnum ab altero, quam vulnus tota phalaricæ mole impactum, ab eo quod sit acu punctum. Itaq; versio excusari non potest; quæ tamen alias occurrit, vbi dubitari non potest vocem Hebræam sumendam pro silentio, non pro exterminio. Nẽ Leuitici ⊙. sic Steuchus annotauit. *Tacuit Aaron. Sic habet etiam Hebraicum: quod forte non recte Septuaginta, κατενύχθη Ἀαρών. Compunctus est Aaron, siue perculsus est. Nam idem verbum, nihil præter silentiũ significat.*

XX. Psal. 39. *Opprobrium insipienti dedisti me* At Hebraice, *Opprobrium stulti ne ponas me.* Bellarm. pro more. *Anteponenda est lectio Septuaginta.* Quod ei perpetuo assertum: nobis perpetuo negatum. Sed habet rationem. Quoniã sequentia, *Obmutui & non aperui os meum*, manifeste docent, Dauidem audisse opprobria insipientium. Quasi inquam, ad sequentia pertineat potius quam ad præcedentia: vt sit series, *Ab omnibus iniquitatib. erue me, opprobriũ stulti ne ponas me.* Quasi etiam illa sequentia pertineant ad audita opprobria: & non potius afflictionem, quam sibi illatam norat à Deo. Nam abscindit Bellarm. orationem. Additur enim, *quia tu fecisti*: non quia illi dixerunt, siue ego audiui. Genebrard. *Non murmuraui: quoniam tu fecisti, hoc sc. has cruces, vel quid simile, quoniam mihi has calamitates intulisti, patienter tuli: neq; sum conquestus, Aposiopesis. Ad tuas plagas obmutui.*

XXI. Cenomanus duplici conatu excusat. Primo, vbi desiderium introspexeris peccatoris, efflagitantis ab omnib. iniquitatib. eripi, ob quas sensit se traditum insipientis opprobrio, inuenies quod confiteatur se ante pœnitudinem insipienti datum, vt tyrannide inimici cognita, resipisceret: & deinceps precaretur, ne rursus traderetur. Secundo, Cum negatio, & Dei nomen nihil distent, si nude scribantur, cur non potuerint Septuaginta legere, Deus?

XXII. Sed de primo, respondeo neminem negare, sic potuisse fieri: sic etiã solere plerumq; Sed quid id ad rem? Quæritur n. vtrum sit factum: hoc est, vtrum, quæ verba tunc scripsit Propheta sic verti debeant, vt non significent deprecationem mali: sed exprobrationem, vt ita dicam. Exempli gratia. Paulo post cum legimus, *Ne sileas*: sensum esse hactenus Deum siluisse in afflictionib. tantis, neq; ei respondisse: ac proinde rogandum fuisse vt ne sileret. Hoc tamen cum ita sit, quæro vtrum legitima versio esset, *Siluisti*. Hoc nisi Cenomanus doceat, nugas agit.

XXIII. Secundum improbat Lorinus. *Itaquidem*, inquit *Ricardus Cenomanus: sed nulla editio habet nomen Dei.* Et sane oportuerat igitur verti: *opprobrium insipienti, Deus, dedisti me.* Et tamen phrasis ipsa repugnat, quæ habet, *dabis me*, siue, *statues me.* Et quamuis sciam solere futura haud raro pro præteritis esse: tamen sciunt vicissim docti, non fieri absque circunstantiis, quæ hic nullæ sunt. Multo procliuius hoc futurum esset pro præsenti continuatiuo, id est, solet constituere me. Vt in hoc ipso Psalmo: בהגיגי תבער אש: *In meditatione mea exardescet ignis*: id est, solet exardescere. Sed hic tamen sensus nullum habere potest locum.

XXIV. Psalmo 42. *Transibo in locum tabernaculi admirabilis: vsque ad domum Dei.* Pagninus ex Hebræo, *Transibam in numero, Incedebam cum eis vsq; ad domum Dei.* Munsterus: *Deducens eos vsq; ad domum Dei.* Excusat Genebrardus pro אדדם, legisse Septuaginta אדרם. Bellarm. אדרת. Cenomanus בררם, à radice רם. Lorin. אררים vel אדירי.

XXV. Vide sudores conspirantium aduersus textum Hebraicum: & in eo solo consentiendum. Nos in tam inquieta subtilitate nõ amabimus nostram simplicitatem? Cenomanus omnium stupidissimus, longum pridem valere dixit vniuersæ Hebræorum analogiæ Itaque hic refutatur à Lorino. *Non video*, inquit, *qua ratione Septuaginta legere potuerint* אררם *quod nullo modo est in vsu, nec vt nomẽ, nec vt verbum.* Addo nec vllum simile. Nunquã enim Hebræi repetunt continuo primam radicalem in deriuationibus: sed duntaxat secundam, tertiam-ue.

XXVI. Reliquorum somnia habent quidem ipsa genium Hebraicum, sed neglecta à Septuaginta. Ratio mihi certa; quia alibi cum lecta, nunquam sic reddita. Nam אדר, à quo illud esse potest אדרם Genebrardi, Michææ 2. δοράν dixerunt: longe autem peruersissime Zachariæ vndecimo σκέψιν. Bellarmini autem אדרת, Geneseos vicesimo quinto δοράν: Zachariæ decimotertio δέρριν: Iosue septimo: & Ionæ tertio στολήν. Primi Regum decimo nono & secundi capite 2. μηλωτήν. Ezechielis 11. [illegible]. Lorini אדרים plurale ab אדר vnde Genebrard. אדרם fecit: nusquam reperitur. Vnũ est reliquũ אדירים, quod Ps. 9. & 93. & 76. exprimitur nomine θαυμαστός. Sed oppono primo, סך אדירים non significare σκηνῆς θαυμαστῆς sed: θαυμα

σῶν. Nam etsi Hebræi, non abundantes adiectiuis, soleant circunscribere: vt cum Deum gloriæ dicunt, pro glorioso: tamen nego solere ad eum vsum adhibere nomina quæ תארים dicunt: ita non legas Deum gloriosorum. Præterea בסך nego esse במ׳כות, vt loquuntur Hebræi Grammatici. Nẽpe quia est cum accentu Zarka: quæ ratio pugnat aduersus reliqua etiam commenta.

XXVII. Psalm. 40. *Et declinasti semitas nostras à via tua.* Vbi peccatum: ex importuna imitatione phrasis Hebraicæ, quæ solet subaudire negatiuã particulam, repetendam ex priore membro per Zeugma: vt sit, *Et non recessit cor nostrum, & non declinasti semitas nostras à via tua.* Imo non *declinasti semitas nostras*, sed facilius, *declinauit gressus noster.* Negationem agnouit Bellarm. repetendam. Sed Græcis, Latinisque non eadem consuetudo. Itaque interpretes abducti à vero sensu. Lombardus. *Et dum sic in angusta via ambulamus, tu declinasti, id est, tulisti semitas nostras à via tua. Semitæ enim nostræ erant in prosperitatibus, & voluptatib. seculi. Sed tulisti eas de via tua, & ostendisti arctam viam tuam quæ ducit ad vitam.* Aiguanus: *Dicit ergo, quod in præfatis aduersitatib. declinasti semitas nostras à via tua, id est, tulisti vel remouisti semitas nostras, id est, affectus & desideria temporalium à via tua, id est, propter viam tuam imitandum.* Iacob. Peres. *Declinare permisisti semitas nostras à via tua: quia aliquando non potuimus seruare præcepta: nam in die Sabbati coacti fuimus præliari contra inimicos.* Et huic accedit Carthusianus.

XXVIII. Psalmo quadragesimo nono. *Frater non redimit, redimet homo: & non dabit Deo placationem suam.* Aut nullo, aut perplexissimo sensu. Nam quæ distractio est fratris & hominis? Augustinus putauit addendam interrogationem: vt aliquid commodi efficeret. Sed Hebraicis nihil planius, *Frater non redimendo redimet*: phrasi in eo idiomate tam trita, tam vbique obuia, vt nulla magis. Et Lor. *Non dubito, quin transposita negatione possit esse sensus, quod nemo vlla ratione redimet alium: quod idiotismo Hebræo denotat geminatio verbi.* Neglexerunt penitus Genebrardus, & Bellarminus, quasi nihil esset momenti.

XXIX. Psalmo 52. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Peruersissime, Ita enim debuit. *Quid gloriaris in iniquitate, potens? Benignitas Dei omni die. Nequitias cogitat lingua tua: sicut nouacula acuta faciens dolum.* Excusant Cenomanus, Genebrardus, Martyr: quia חסד sit alias benignitas, gratia, misericordia: alias opprobrium. Tum אל alias, *Deus*, alias *ad*. Sed ego primum dico legendum חסד אל: nam אל כל היום nego esse phrasin Hebræam: vnquam-ve occurrere in Scripturis: in quib. tamen frequentissima est כל היום, pro omni die, omnibus dieb. tota die. Deinde nego אל חסד, (nam ita coniũgit ratio prosodiæ) nunquam dici opprobrium Dei: sed semper misericordiam.

XXX. Psalmo 62. *Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere: cucurri in siti, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Hebraice vero. *Veruntamen propter exaltationem eius consultarunt depellere eum, amauerunt mendaciũ, ore suo benedixerunt, & in medio sui* (in corde suo) *maledicebant.* Mitto *pretium meum*, nam שאת non absurde τιμὴν verterunt Græci, vnde, inepte pretium Latinis fecit. Pronomina autem etsi personis differunt: tamen certum est sub tertia persona de se ipso loquutũ Prophetam. Sed illud, *Cucurri in siti*, quid est? vnde est? Fateor potuisse suo more Græcos falli propinquitate vocum, vt ἔδραμον dicerent, pluraliter, vnde Latinus fecit singulare, *cucurri*: inepte. Cur enim de se Propheta loquatur hoc vno verbo, qui reliqua dixit de aduersariis? Sed in Græcis esto sane τὸ ἔδραμον, peccatum illis frequentissimum.

XXXI. Sed, *Quid legerint Septuaginta*, inquit Bellarminus, *vt verterent in siti, fateor me ignorare: nam vox Hebraica, cazab, mendacium significat, neq; est vlla literarum similitudo inter sitim & mendacium in lingua Hebraica.* Estne igitur tandem, & saltem semel victa Sophistice? Victam a. Sophisticen Iesuiticam? Minime, minime gentium. *Verisimile est*, inquit, *interpretes Septuaginta aliter legisse, & in voce Cazab, pro Caph, legisse, Bet, quæ sunt literæ similes, & sic habuisse præpositionem, In, pro aliis duab. literis, vel aliquid aliud legisse, vel sciuisse ea voce sitim significari.* Verisimile, inquit. Et ego verisimile, inquã & verisimile etiam non legisse aliter. Sed rectumne? Hoc enim quæritur. Sciuisse autem זב esse sitim, postulat Bellarm. nec valde religiosus, vt sibi credamus: & quidem nec iurato.

XXXII. Atqui non credunt alij: Cenomanus, Genebrardus: Lucas Brugensis: non Iesuita Lorinus. Quid? quod neq; Iesuita Gretserus in Apologiæ Bellarminianæ to. 1. ad 13. cap. lib. 2. id est, ad hanc ipsam controuersiã Cenomanus. כוב *significat quidem mendacium, interdum tamen sonat scaturiginem negantem aquam, præsertim præposito Aleph, vt Hieremiæ decimo quinto, vbi legimus, facta est mihi quasi mendacium aquarum. Et hanc acceptionem respexerunt interpretes.* Et huic plausit Lorinus: sed & Lucas Brugensis in Annotationib. כוב, inquit *veritatis defectum, id est, mendaciũ signat: Septuaginta vero ad potus defectũ, id est sitim, transtulerunt*, annuente Gretsero.

XXXIII. O ludorum elegantiam! כזב vt vnquam sit mendacium aquarum? vt sit scaturigo negans aquas? Nunquam factum, nunquam visum. Saltẽ inquit, præposito א. At primum, inquam, hoc loco nõ præponitur א An tu putes ea additione eius literæ nihil variari posse significationem? Quin igitur recolis, eadẽ litera præposita, esse interdum nomẽ loci, vt Michææ 1. & concludis hic itidem signare locum? Deinde nego אכזב signare vnquam scaturiginẽ negantem aquas. Nam in Hieremia sic habes, מים לא נאמנו היו תהיה לי כמו אכזב. *Essendo erit mihi sicut mendacium: aquæ non certæ fuerunt.* Vbi distinctio Hebræa postulat disparari, sic, fuit mihi sicut mendacium, & fuit mihi sicut aquæ; quæ non fuerunt veraces. siue certæ. Et tamẽ vt maxime distinctionem superbe negligas, tamen non potes obtinere, vt אכזב idem sit quod אכזב מים. Quomodo iniquum est, quia interdum, apud Hamos octauo dicitur רעב לשמע את דברי יהוה fames audiendi verba Iehouæ, vt etiam Gen. 12. ויהי רעב בארץ *Et fuit fames in terra.* Famem interpretemur penuriam verbi Dei. Deniq; Septuaginta, interpretati sunt, ὕδωρ ψευδὲς: aquam mendacem.

XXXIV. Miram vero horum interpretum subtilitatem, si ea fuit quã Lucas innuit, כזב est defectus veritatis: Et sitis est defectus potus: Ergo כזב est defectus potus id est sitis. Nihil diuinius: nihil dignius, quod omnes Papistæ imitẽtur. Et vicissim quia צמא est defectus potus. Et mendacium est defectus veritatis: ideo צמא sitim cum legent, interpretari licebit mendacium

cium. O nobis tantillum quid liceat: & cum bona Papistarum venia: quia mendacium est defectus veritatis : mendicitas item defectus opum dicere queamus mendicitatem Monachorum esse mendacium.

XXXV. Aliter Genebrard. *Magno studio persecuti sunt me, cucurrerũt vt etiam sitim contraherent. Cucurrerunt magna siti & ardore,* Nec ipse subtilitatis laude postremus. Nimirũ ergo, quia etiam vehemẽtis cursus indicium est sudor: poterat etiam בוב verti Sudor: poterat etiam lassitudo. Et quid non poterat? Veruntamen opus erat iampridẽ Genebrardo nato: vt ne vocabulum sitis, nouo hoc sensu, & tam longe repetitio, vsurpatam, stupidiorum Papistarum mentẽ auertisset in alia omnia. Nam iis persuasum fuit sitim hoc loco dictam vehemens desideriũ, Lombard. *Illi ita: ego tamen salutem illorum sitiebam: & hoc est, cucurri in siti : quia etsi semper e s bibit, semper sitit vltra.* Carthus. *Id est cum magno desiderio ad patriam festinaui: sicut superius dictum: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: vel cucurri viam mandatorum mei insiti perfectionis.* Nec Iansenius videre potuit quicquam melius. *Propter quod sitibunde ac ac desideranter ad Deum confugi fontem aquæ viuæ.*

XXXVI. Psalmo eodem. *Veruntamen vani filij hominum: mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Ast Hebraice. *Veruntamen,* vel potius certe, *vanitas filij hominum, mendacium filij viri* (id est, vt monet Genebrardus, etiam clarissimi & potentissimi) *in statera ad ascendendum ipsi præ vanitate simul.* Sensum recte Genebrardus expressit : *Si ascendat in alteram libræ lancem inanitas, in alteram vero vniuersum humanũ genus, profecto inanitas ipsa præponderabit.* Cuius sensus ne vestigium quidem est in Græcis, aut Latinis: quib. significatur potius homines vti stateris ad mutuas fraudes. Vnde Bellarminus: *Plerique homines vani, insipientes imprudentes sunt, quia mendaces sunt in stateris ad decipiendum, id est, in stateris dolosis & fraudulentis.* Et iterum: *Maxima pars hominum mentitur sibi & aliis, decipitq; se & alios, vtens stateris dolosis : & quod miserius est, voluntarie vtitur stateris dolosis, iuxta illud, Video meliora, proboq; deteriora sequor.*

XXXVII. Excusant-ne? Admodum leuiter. Cenomanus: *sufficit, quod editio nostra non diffideat à veritate Hebraica.* Quod non potuit nisi imperite dici. Nam Bellarminus. *In Hebræo habetur paulo aliter:* Iansenius, *Apud Hebræos longe aliter.* Et vero res non potest esse ambigua : Nam cum בני אדם, sint omnes homines: tamen Bellarminus cogitur tantum quosdam dicere, aut ad summum, maximam partem. Melius Genebrardus, *Vniuersum humanum genus.*

XXXVIII. Bellarminus. *Vox illa Hebraica* למלות, *ad ascendendum, cum aliis punctis legi pôt* לעולות, *ad iniquitatem, siue ad deceptionem: Et sic legerunt Septuaginta.* Antiquum obtinet: sola illi coniectura est pro vehementissima demonstratione: quam omnes sani rident. Quid enim mentis est, Sic legi potuit: ergo sic reddi debuit?

XXXIX. Psalm. 64. *Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum:* Hebraica veritas habet, *Scrutantur iniquitates: perfecerunt scrutinium perscrutatum: Et intimum viri, & cor profundum. Et iaculatus est in eos Deus sagittam subito: fuerunt plagæ eorum.* Immane discrimen. Peccata varia.

VL. Primum, *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Enimuero nihil est, quo Scrutantes significentur. Nã מחפש passiua vox est; Et quidem mere passiua: vt non possit admittere significationem actiuam. Verbum תמנו, proprie significat perficere, absoluere. Inde etiam interdum deficere: vnde à Græcis exprimitur per ἐκλείπειν: vt Gen. 47. ἐξέλιπε τὸ ἀργύριον. *Quumq; defecisset pecunia.* Nimirum, quia omnis esset iam impensa. Primi Samuelis 19. ἐκλελοίπασι τὰ παιδάρια *Sunt-ne finiti pueri?* Id est omnes-ne recensiti? Atqui deficere scrutantes scrutinia; significat ita deficere, vt ne ad scrutandi exitum perueniatur: Nam Bellarmin. *Defecerunt autem scrutantes scrutinium, quia nihil inuenerũt quod vel colorem veritatis habere videretur.* Et apparet ita dictum à Græcis ἐξέλιπον ex aliorum locorum comparatione. At hoc sensu non potuit dici חפש מחפש *Scrutinium perscrutatum.*

XLI. Opponit Genebrardus, primo תמם in Cal esse transitiuæ significationis. Secundo repugnare psalmographi sentẽtiæ, qui mox docet irritos fuisse eorum conatus, neq; perfectos: tertio תשנו proprie esse primæ personæ, vt sic mimesis. Atqui sciebat Genebrardus, neq; n. peccabat ignorãtia: esse interdum transitiuum. Ieremiæ. 27. עד-תמי אותם. Hier. vertit, *donec consumam eos.* Et vero hic Syntaxis ea est, quæ solet esse verborum translatiuorum, id est, actiuorum. Vt in eodẽ versu יחפשו עולת *Scrutati sunt iniquitates.* Conatus irritos mox doceri: primũ potest negari: nam sequentia non irritatos conatus dicunt: sed tandem vindictam diuinam: quæ solet etiam post non irritos conatus exerceri in impios. Deinde, quid ad rẽ? Nam irriti conatus posteriores sunt scrutiniis : itaq; possunt scrutando non deficere, quos tamẽ exitus frustratur? maxime impediente vi maiore: id est, diuina voluntate. Deniq; esse primam personam sciebat non esse necesse. Testes habeo ipsos, quos defendit interpretes: qui tertiam expresserunt: ἐξέλιπον defecerunt. Testes itẽ Grammaticos. Kimkhi בא במקום אות הכפל אמרו ב' הנון *Dicunt Nun venire in locum Literæ geminandæ.* Et citat tum hunc locum qui est præ manibus: tum alterum ex Thren. 3. יהוה כי לא תמנו במו תממו חסדי: *misericordiæ Domini, quod non defecerint: vbi est* תמנו *pro* תממו. Sed esto tamen mimesis: quid contra nos? Nam æque constabit sententia, quam nos defendimus.

XLII Alterum peccatum. *Accedet homo ad cor altũ.* Vbi primum peccatũ est in *ad* pro, *&*, quod agnouit Cenomanus. *Apparet,* inquit, *esse librarij vitiũ, pro, & cor altũ.* Sed id peccatum, non Græcorũ est, qui dixerunt καὶ καρδία. sed Latinæ editionis: quã & dissimulant Genebrard. Bellarm. Retinuit Sixtus quintus: & tuetur Lorinus : quia sic fuisse suo tẽpore testetur Beda. Deinde eiusdẽ editionis Latinæ peccatum est altum, pro Græco βαθεῖα. Nã etsi bene Latinum sit, altum pro profundo: tamen ambiguum est; Et ambiguitas decepit interpretes qui non profunditatem, sed sublimitatem somniarunt: quicunque scil. aut noluerunt, aut non potuerunt Hebræa consulere. Aiguanus. *Sicut cor paruum dicitur habere qui omnia pericula timet, propter quod emittit illa, quæ facere debet: Sic per oppositum ille cor altum & magnũ habere dicitur, qui pro iustitia saluanda mortẽ corporis constanter aggreditur.* Similiter Carthusianus: Lombardus. *Id est ad cordis intellectum altum, vt qui res diuinas perquirit: quod est ad cor altum ire.* Atqui עמוק à profunditate dicitur potius: & in malam partem sonat: quod præter eos, qui hoc seculo Hebraice poterunt aliquid scire: pauci omnino animaduerterunt.

XLIII. Sed Græcorum peccatum fuit προσελεύσεται, vnde Latinus, *accedet.* Nam Hebraice קרב non verbum est, sed nomen, significans medium, intimum. Vnde quotiens de animali dicitur, solet ab iisdẽ Græcis verti, κοιλία, *venier,* vt Gen. 41. ἐγκοίλια, *quæ in ventre.* Leu. 1. γαστήρ *venter* Iob vicesimo: ἐνδόσθια intestina. Exodi 12. καρδία cor Psal. 5. Non negant: sed mutatis pũctis קרב esse idem quod accedere: quod & nos fatemur. Sed quæ ratio sic legendi? Aut quis sensus προσελεύσεται ἄνθρωπος, καὶ καρδία βαθεῖα? *Accedet homo, & cor profundum.* Et credo inde factum, vt retineatur *ad cor altum:* ne sit sine mente sonus.

XLIV. Tertium peccatum. *Et exaltabitur Deus. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Quod debuit, *Et iaculatus est in eos Deus sagittam subito: fuerunt plagæ eorum.* Vt mirum Dei iudicium describatur tum maxime impios deprehendentis, cum minime omnium sperant: vt subitanea vindicta sit. Enimuero ויורם nemo negat esse, *Et sagittabit eos:* Et חץ *sagittam,* & פתאם *repente.* At pro quib. necesse est substitui וידום & חצי & פתאים. Sic enim philosophantur Genebrardus Bellarm. Cenomanus, Lorinus.

XLV. Ex Psalmo 68. excerpta erant quædam a Caluino. Adde ista. *Iter facite ei qui ascendit super occasum.* Inepte: nam quid est ascendere super occasum. Significatur enim Deus: qui quomodo ascendat super occasum nemo potuit diuinare: itaque decurrendum fuit ad allegorias. Atqui Hebraica plana sunt. Etenim רכב non ascendentem significat: sed ascendentem in equum: imo vero insidentem equo equitantem. Iam ערבות fateor significare non occasum, partem mundi: sed occasum solis, id est, vesperam, tempus vespertinum: vt Ieremiæ 6. זאב ערבות, *Lupus ad vesperam.* Hier. putauit significare deserta, vertens. *Qui ascendit per deserta.* At Iudæi longe magnificentius cœlos ipsos Kimchi : במו רוכב ששים: *idem est, quod equitans cœlos:* Et explicat metaphoram יתברך מסבב הגלגל וערבות כמו שהרוכב מהלך הבהמה כן האל *Sicut qui equitat iter faciens iumentum, sic Deus benedictus circumit Sphæram & cœlos.* בתנופתו וקרא הגלגל העליון המקיף בכל ומניע גלגלים *Et vocat Sphæram supremam, quæ ambit omnia: & mouet omnes sphæras motu suo* Nihil potuit dici magnificentius de maiestate diuina. Itaque etiam repetitur hoc ipso Psalmo ad finem, aliis verbis לרכב בשמי שמי קדם *Equitanti cœlos cœlorum orientis.* In editione Latina, *Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.*

XLVI. In eodem Psalmo, *Turbabuntur* (Græce est ταραχθήσονται) *à facie eius* Quod Hebraice nusquam paret, & importune est iniectum: nã proxima non consentiunt, neq; præcedentib. *Exultate in conspectu eius:* neque sequentib. *Patri orphanorum & sufficientia viduarum.* Bellarm. excidisse putat è textu Hebraico. Cum tamen neq; in in Chaldaica sit paraphrasi, neq; in Hieronymi versione. Cenomanus somniauit לפניו posse dici *ad furorẽ eius* Quod si vel vno docuerit exemplo, vincito sane. Genebrardus, vel insertũ commode ad connexionem, quasi vigilans somniaret, vel potius duplicẽ expressam lectionem. Quia sc. עלז alicubi expressum est a Rabbi Iona tremere: nempe Ieremiæ 51. quod quidem didicit Genebrardus à Kimchi, qui præter quam quod notat in commentariis, eam significationem esse Arabicam, etiam refutat in Radicib. לשמוח ולשתוק ולהשתגע ואין צורך בי השכור ירבה *Non est necesse,* inquit, *quia ebrietas multiplicat lætitiam, risum, & insaniam.* Itaque certum in lingua Hebraica nusquam id verbi aliud designare, quam lætitiam. Quid cum si Arabice tremorem? Denique quænam hæc interpretandi ratio, vnius literæ geminum sensum exprimere?

XLVII. Rursus. *Qui educit vinctos in fortitudine,* ἐξάγων πεπεδημένους ἐν ἀνδρείᾳ. At Iudæi exponunt, *vinctos compedib.* longe facilius. Etsi nusquam alias hoc nominis legãtur, sed cõparatur cum vicina radice קשר. Alii malunt a בשר & interpretantur congruentiam, paulo durius. Nam quid est, Deus educit vinctos congruenter? Nisi succurrat transpositio, vt intelligatur educere conuenienter, quod videtur non malum quidem, sed frigidiusculum Cum compedibus in eo quidem argumento nihil sit potentius.

XLVIII. Psalmo 71. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum vt saluum me facias.* Hebraice. *Esto mihi in rupem habitaculi, ad veniendum perpetuo,* id est, ad quam iugiter venire possim, *Iussisti ad seruãdum me,* id est, quam tu constitueris ad seruandum me, nam sciunt vel pueri, sic solere relatiuum subaudiri. Genebrardus dissimulat. Cenomanus: Locus munitus, inquit, quidnam aliud sonat, quam obtinere locum in quem quoties opus fuerit, te tuto recipere possis? Forte, inquam, sed quid prohibuit id exprimere Septuaginta, quod & verum est, & dixit is autor, quem habebant præ manibus? Mira peruersitas Nisi forte prudentior illis stylus, quam prophetæ. Quod credat, qui volet, non ego. Deinde, quid si non omnis refugij locus, is est, in quem quis semper commigrare possit? Nam etiam homines hominibus tales esse possunt, at non semper.

XLIX. Bellarminus, Apparet, inquit, corruptio ex loco simili, in Psalmo 30. Nam pro לבוא est לבית, Et pro תשיד צוית, est מצודות, iisdem literis, sed aliter dispositis. Egregie sane, nisi obstaret Lorinus, etiam Iesuita, qui diserte, *Non ausim,* inquit, *approbare.* Et sane, quis iussit eundem hic & illic locum esse? Et si eundem, cur variata verba sunt? & pro domo refugij, legimus locum munitum? Easdem literas, sed aliter dispositas, primo falsum. si singulas singulis compares, & vtrinq; totidem, quod vel oculi, digitique demonstrent Deinde, quid tum? Aut quis nescit id perpetuum esse in omnibus linguis? Sane צמא & מצא, item אבן & נבא, Item אב & בא & mille huiusmodi, eædem literæ sunt aliter dispositæ. Nec potuerunt aliter ex tam paucis elementis tam multæ voces formari. Ergo ne totos corruptos dicet locos Bellarm Magnus vir scil.

L. Psalmo septuagesimo secundo. *Et permanebit cũ Sole.* Pro: *Et timebũt te cum Sole* Nempe vocem ויראוך legerunt per metathesin. *Ieeroc* inquit Genebrardus, *Viaroc* Bellarmin. ab ארך prolongare. At Cenomanus, à ירך Chaldaica radice, eiusdem notionis, & hunc modũ Lorinus illa methathesi iudicauit faciliorem. Veruntamen, legisse *Viaroc*, falsum, nam hæc nulla forma est Hebraica, sed inepte balbutientis infantis somnium. Secundo, verisimile est non legisse Ieeroc, tum quod id verbi rarum sit in coniugatione Cal, tum quod eius ordinis verborum ea forma rarior est. Et huius ipsius alia legitur Ezechielis 31. ותארכנה, nec vnquam illa. Tertio dico nõ esse verisimile legisse quicquam ab ארך Hebræo. Ratio, quia vbicunque lege-

legerunt, nunquam reddiderũt συμπεποδισμένων. Sed Gen. 26. ἐγένετο, τὸ πολυχρόνιος. Ezech. 12. μακρυνοῦνται αἱ ἡμέραι: tricesimo primo, ὑψώθησαν. Et verò ratio ipsa postulat, vt longe aliud sit producere, aliud permanere. Denique dico non potuisse legere à ירך Chaldaico, quanquam placuerit Lorino propter geminum Iod. Ratio mihi, quia ea vox nulla: etsi notetur à Munstero in Dictionario Chaldaico. Nam re vera est ארך, vt Hebraice, nec vnquam in vsu nisi in Aphel. Vide Dictionarium Syrochaldaicum Boderiani.

LI. Psalmo 74. *Posuerunt signa sua signa. Et non cognouerunt sicut in exitu super summum*, Hebraice. *Posuerunt signa sua signa. Cognoscebatur sicut adducens in altum in perplexitate ligni* (id est syluæ.) *secures.* Illud obscurissimum: vt constat ex commentariis: hoc longe facilius, significat furorem hostium deuastantium Ecclesiam, instar eorũ qui in syluis disiiciunt ligna. Cuiusmodi nihil est in illa editione: quæ etiam negationem addidit. Itaque Cenomanus. *Mire dissidere apparet nostram lectionem ab Hebraica: in eo maxime quod habemus negationem, quam Hebræi hic neutiquã agnoscunt: & vnde hauserint Septuaginta, non satis liquet.* Et perplexus nihil tandem definit: tantum notat non negligendam diuersarum interpretationum comparationem.

LII. Bellarm. solita sua arte, codices obtendit Interpetum Septuaginta habuisse negationem, & legisse ידעו, pro יודע. Porro introitum & exitũ idẽ esse: quia vnde intratur inde exeatur. Genebrardus addit מבי׳א idem esse quod מבוא: de negatione a. nihil. Ast nobis tanti nunc est audacia Bellarmini, quanti alias. Enimuero si hæc admittatur, tum necesse erit Hebraicam editionem plurib. mendis scatere, quam cribrum foraminib. Et quidem iam ab Hieronymi ætate imo longe ante, cum tamen diceret Augustin. reliquas editiones inde corrigendas. Nihil ad nos, vtrum sit idem introitus & exitus: quando hic neuter est. Illud Genebrardi vehementius מבוא non esse semper Benoni. Quod tamen ille vnico potest exemplo docere, Ezech. 42. controuerso tamen: quandoquidem aliter scribatur quam legitur. Sed vt sit, nihilominus syntaxeos alia ratio: qui קרדמות secures: nihil habebũt vnde perficiant senium. Addo scribi במבי׳א: at qui introitum dicunt, cogi mutare in במב׳א.

LIII. In eodem. *Venite, & quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* καταπαύσωμεν: quod tamen Hier. ad Suinam & Fretelam esse αὐτὶ ἐγκατακαύσωμεν. Itaque minus sunt vehementes Papistæ hoc loco: Et Cenomanus monet ab Hieronymo dictum non esse propterea mutandam psalmodiam Ecclesiæ: nec aduertit ab eodem dictũ. *Et tamen sciendum quid veritas Hebræa habeat. Hoc n. quod Septuaginta interpretes transtulerunt propter vetustatem in Ecclesia decantandum est: & illud ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum.* Quod contra pugnat Bellarm. posthabita Hieronymi autoritate, quam tamen alias tantum non habet pro diuina.

LV. In eodem Psalmo *Iam non est Propheta: & nos non cognoscet amplius.* Hebraice. *Non est amplius propheta, neq; nobiscum qui cognoscat vsq; quo.* Bell. dissimulauit. Cenomanus & Lorinus dixerunt verbis Hebræis vtrumque effici: sed quomodo tacuerunt: nisi quod Cenomanus addidit, si legatur עוד pro עד. Sed tum, quid erit עוד מה: Non enim fert eam phrasin Hebraismus. Genebrardus dixit legisse Interpretes אותנו. Et videtur: sed vtrum debuerunt? Præterea, rursus quæro, quis sensus, *Nos non cognoscet vsq; quo?* nã *amplius*, non est עד מה.

LV. In eodem *Irritabit aduersarius nomen tuum in finem.* Vbi irritabit, παροξυνεῖ, pro ינאץ: vt posteà λαὸς ἄφρων παρώξυνε τὸ ὄνομά σου: quod Latinus reddidit, *populus insipiens incitauit nomen tuum*: rursus παρώξυνε pro נאצו. Hoc a. verbum significat blasphemare: quod tamen semel duntaxat agnouerunt interpretes isti Esaiæ 52. adeo hoc illis peccatum ferme perpetuũ est. Et dissimulant Papistæ, quasi nihil interesset. Atqui neq; omnis qui blasphemare dicit, irritandi potius modum designat, qui alias plures sunt.

LVI. In eodem. *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?* Hoc postremum, *In finem*, abit ab Hebræo כלה. Nam hoc verbum est: quo cum alia, tum vero significatur etiam cohibere, abstinere, cessare: vt Psalmo 119. ὁδοῦ πονηρᾶς ἐκώλυσα πόδας μου: *à via mala prohibui pedes meos.* Quanquam hoc fateor ambiguum esse, vtrum sit ab hac radice כלה, an ab altera כלא: qui ordinis quidem sunt diuersi: sed ita tamen, vt analogia permutetur frequenter. Sed Gen. 24. ותכל להשקתו ἐπαύσατο πίνων: Cumque ille bibisset: rectius: *absoluit ei potum propinare*: אם כלו לשתת ἕως ἂν πάσαι πίωσι: *donec cuncti bibant*: Ad verbum, *donec cessauerint bibere.* Hæc notio facilis hoc nostro loco; vt rogetur Deus, desinat habere manum in sinu suo: qui gestus est eorum qui nihil agunt, siue, vt Genebrardus ait, *hominis nolentis auxilium ferre.*

LVII. Bellarmin. Potest optime verti, perfecte & absolute: quod est idem cum *in finem*: præsertim si deducatur à verbo כלל quod est perficere. Sed oblitus docere secundum quam analogiam ab hoc fiat illud. Nam ipse suã componens Grammaticam, nullam tradidit: forte quia ista tum minutula negligebat: qui infinita maioris momenti non tanti habuit, vt aut disceret, aut doceret. Verum quid est, Vt quid auertis manum tuam, & dextram tuã de medio sinu tuo perfecte, & absolute? Oblitus est docere. Nos ridemus.

LVIII. Psalmo 78. *Audiuit Dominus & distulit.* At Genebrardus, Hebraica sonant, *Et valde iratus est*, Nemo aliter excusat, quam interpretando: quasi vel nihil, vel parum interesset inter *differre & irasci*: Adeo illis verba sunt, quicquid volunt. Eodem. *& dilexerunt eum in ore suo*: pro *& blãditi sunt ei ore suo*: Dissimulant.

LIX. Psalmo 77. *Et medici suscitabunt.* Hebraice *Et mortui resurgent.* Enim uero quam ridicule anquisiti medici? Excusant. Quia רפאים quæ vox mortuos significat, & Gigantes: vno punctulo mutato fit רופאים & medicos designat. Et hoc modo legisse Septuaginta certissimum. Esto inquam: sed profecto inepte, improbe legisse itidem certissimum. Quare? Quia nimirũ; non illis sola illa vox legenda: sed phrasis integra רפאים יקומו, vnde ambiguitas facile tollebatur: nisi ipsi sibi erroris occasionem creare voluissent. Nam certe יקומו, non significat *suscitabunt*, quod est actiuum: cum id verbi sit neutrum; siue nunquam transitiuum Psalm. 12. νῦν ἀναστήσομαι: *nunc exsurgam.* Eccles. 12. καὶ ἀναστήσεται: *& consurget.* Psal. 1. οὐκ ἀναστήσονται: *non resurgent.* Cur ergo hoc loco peccare libuit? Et iterauit tamen Esaias 26. οἱ ἰατροὶ οὐ μὴ ἀναστήσωσι, *Medici non suscitabunt*: vbi versio Latina habet, *Gigantes non resurgant.* Quo loco velim scire, vtrum autoritas illa Septuaginta Interpretum, quam in Psalmis vrgent solam, in Esaia opponenda sit Latinæ editioni: vt hæc potius in eorum gratiam sit fallax. Aut si male in Esaia legerint Septuaginta רופאים pro רפאים, cur hic bene?

LX. Psalmo 144. *Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua: filiæ eorum compositæ.* Pro quibus Hebraica sic sunt: *Vt sint filij nostri sicut plantationes auctæ in adolescentia sua: filiæ nostræ, sicut anguli excisi instar palatij.* Et deinceps per aliquot versus, mutatur Latine persona prima in tertiam. Mirum, quam procul abeunte sensu. Quum enim precatio sit Prophetæ pro felicitate status præsentis Ecclesiæ, vt apparet ex fine Psalmi: Papistæ coguntur detorquere in iactantiam infidelium, felicitatem suam constituentium in reb. temporalibus.

LXI. Excusant duobus modis. Cenomanus, *Apparet*, inquit, *Septuaginta legisse* נו *cum punctulo dages.* Bellarminus: *Posset facile fieri, vt Hebraica tempore Septuaginta Interpretum fuerint in tertia persona, & postea successu temporis incuria librariorum mutata sint in primam personam: quod facillimum fuit: cum discrimen personæ primæ & tertiæ in literis, non in syllabis consistat. Nam si desit litera Nun, erit persona prima: Si adsit, erit persona tertia.* Proh, quantum sub cœlo reliquum frontis est & fidei, quid hoc tandem rei est? Aut vnde hæc aut tam confidens rerum ignorantia: aut tam ignara rerum confidentia? Nam tertij quidem pronominis esse fateor נו cum dages, vt Cenomanus voluit, sed hoc affigi cuiquam nomini, nego vllam Syntaxin Hebraicam ferre. Bellarminus autem vbi erat? quid habebat in animo? Quis ei Barrabas præceptor fuit? Tertiæ personæ vt sit pronomen נו & fiat primæ ablato Nun? Terras, & maria! quanti est Iesuitam esse! quanti Cardinalẽ! Voluit, opinor: debuit saltem dicere, pronomen primæ, fieri tertiæ, ablato Nun. *Ita n. verum*: Sed ea tertia persona sic fit singularis numeri, nunquam pluralis: Et tum differt à prima, non tantum literis, sed etiam syllabis, quod negauit Cardinalis Iesuita.

LXII. Genebrardum sua in his literis eruditio redegit ad immodestiam, prætextu vsum magis plausibili. Retinet primam personam in contextu, sed per mimesin: nimirum vt prosopopœia sit eorum qui בני־נכר filij proxime sunt appellati: sed hanc mutatam in tertiam personam, & illustriorem redditam ab Interpretibus Non posse autem aliam sententiam, probat primo, quia proxime præcedunt, *Quorum os loquutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatus*: secundo, quoniam mox subiungitur אשר, quod tertio, quia loquendi formula vltimi versus est vox Iusti contradicentis superiori sententiæ: sic, *Beatus populus cui hæc sunt*: imo vero, *beatus cuius Dominus Deus eius.* Quarto, quoniam Rabbini fatentur apud R. Selomonem, hæc ad literam, nunquam piis contigisse, nisi sub Ezechia rege: cum tamen Dauid hic loquatur de suo tempore. Quinto, quia sensus recentiorum est pinguis & Epicureus, saltem carnalis magis quam Euangelicus. Sexto. quia אשר nunquam ponitur pro למען, sine verbo futuri temporis expresso: cum hic duntaxat decurrant participia, imo raro sumitur pro *vt.*

LXII. Magnus sane conatus, animosusque, & qui quemuis mouere queat. Sed laruas pertendemus. Prosopopœiam nego esse, tum quia finis Psalmi contradicit, pronuntians beatum populum, cui sic sit: tum quia nulla præcedentia ita postulent. Nam quod in primo argumento proxima proferuntur, nimis breuiter factum: & tam properanter, vt nulla sit indicata vis vis argumenti. Fateor ergo proxime actum de impiis: sed videat quo iure nos velit necessario eosdem intelligere in diuersis versib. qui paulo post in vnico postremo non patitur bis nominatum populum eundem intelligi. Deinde non obseruat, versum ita concipi, vt eius sit initium, *erue me de manu filiorum alienorum*: vnde apparet filios alienos non propter se nominatos descriptosque: sed liberationem: ad quam optime hæc nostra referri possint, nempe, Erue me, vt liberi nostri sint sicut nouellæ plantationes Secundum etiã argumentum, *vt canis è Nilo bibit & fugit.* Nos sane, negamus particulæ אשר vllam vim esse, quæ nobis contradicat.

LXIII. In tertio, negamus, vllam esse contradictionem iusti: aut antithesin. Quam ij soli viderunt, qui decepti sunt ab iis interpretib. à quib. necesse fuit addi verbum *dixerunt*, quod Hebraice nõ est. Abben Ezra, ad eum versum. זאת הטובה בעבור שיהוה אלהי״ו ולמה באה לו כל *Et quare euenit ei hoc omne bonum? Quia Iehoua est Deus eius.* Kimchi ההצלחה· לפי שהשם אלהיו· לפיכך אשריו השם אלהיו ומפני מה היתה לזה העם זאת: *Et quare fuit huic populo hæc felicitas? Quia Iehoua Deus eius. Propterea beatus is cuius Iehoua Deus est.* Quid tum a. si hæc nunquam acciderit piis ad literam, quod in quarto ponitur? An propterea non potuerunt optari: non postulari?

LXIV. Sensum esse pinguem & Epicureum, quis definiuit? Longe sanior hac parte Genebrardo Dauid Kimchi, distinxit triplicem benedictionem בפרי בטנינו ובפרי אדמתנו ובפרי בהמתנו, in fructu Ventris nostri: in fructu terræ nostræ & in fructum iumenti nostri. וזכרם במזמור כמו שנזכרו בתורה בברכות ושלשם. *Et eas tres* benedictiones *commemorat in hoc Psalmo, quemadmodum memorantur in lege in benedictionib.* nempe Deuteronomij. Et quis nescit etiam Papistas alioquin definiuisse Iudæis fuisse propositam beatitatem quandam temporalem, tantum non solam, quod nos non possumus concoquere?

LXV. Sed deniq; אשר non poni pro למען, non ausus negare, qui sciret disertum esse contra & testimonium Kimchi: & autoritatem Scripturæ, Deut. 4. *vt bene sit tibi, & filiis tuis post te.* Cum id, inquam, negare non posset; contraxit, quod potuit: *Nunquam*, inquit, *sine verbo futuri temporis expresso.* Astum vide. Non satis fuit, sine verbo futuri temporis: nam videbat responderi posse, subaudiendum hoc loco, יהיה: itaque vndique vallauit, vt ne qua exitus pateret: & addit, *expresso*, Sed nos ridemus nouos Solonas: qui nulla legitima assumpta autoritate leges præscribant pro arbitrio, quarum nullum sit in vlla ratione fundamentum.

LXVI. Psalm. 14. *Audiant verba mea, quoniam potuerunt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram. Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Mire mendosus locus: Et varie. Primo, quoniam potuerunt, non est id quod Hebraice כי נעמו Sanctes reddidit. *Quoniam dulcia sunt*: nec negant sic esse. Sed excusant Cenomanus, Bellarminus, alij: quia verba tunc sunt potentia, & efficacia, & præualent in animis hominum, quando dulcia & decora sunt. Imo, inquam, cur non etiam cum seuera? Nam seuerissimæ reprehensiones & increpationes potentes sunt. Itaque affectatio fuit ambiguitatis: qui enim potentes legit, dubitat quomodo: an tanquam dulcia, aut tanquam seuera. At Propheta, seuera noluit intelligi, sed expressit dulcia.

Rursus,

Rursus, verba, quæ potuerunt, significant, non ea quæ possint persuadere sed ea quæ iam efficaciam suam habuerunt persuadendi. Quis autem sensus: audiant verba, quæ persuaserunt? aut quomodo persuaserunt, quæ nondum audita?

LXVI. Rursus peccatum. *Sicut crassitudo terræ erupta est* Hebraice, *Sicut scindens & findens in terra.* Facili sensu, vt apud Mollerum: *Fuerunt ossa nostra dispersa, quemadmodum frustulatim scinduntur ligna & lapides.* Quum illa Latina, vel nihil prorsus, vel alia omnia menti obijciant: vnde natus alter error disiunctionis: vt vna serie scriptum sit, *audiant verba mea, quoniã potuerunt, sicut crassitudo terræ erupta est super terram.* Carthus. *Sicut crassitudo terræ, id est pinguedo latens sub terra erupta est, id est, ascendit, & apparuit super terram, cum terra vomere scinderetur, sic verba mea potuerunt eos corrigere.* Nec aliter Iacobus Perez. Cum tamen teste Genebrardo, *cadat hoc simile in primum hemistichium sequentis versus.* Nec habent quo excusent.

LXVII. Tertium peccatum: *Dissipata ossa secus infernum.* Nam quid ossa ad infernum? Nisi concedatur infernum dictum pro sepulchro: vt sensus sit, plurima esse piorum occisorum ossa non sepulta: sed temere disiecta in superficie terræ: præ manifesta rabie impiorum, qui non tantum in viuos impotenter furant; sed ne in mortuis quidem quiescant. Quod genus inhumanitatis, his paucis annis varie peccarunt Papistæ in nostrorum corpora. Sed ad rem: Infernum hic aut absurde nominatum, aut pro sepulcro positum: quod alias negant Papistæ. Hoc peccatum dissimulatum omnibus.

LXIX. Psalm. 107. *Suscepit eos de via iniquitas eorum.* At ex Hebræo Hier. *Stultos propter viam scelerum eorum.* Pagninus, *stulti propter viam præuaricationis suæ.* Bellarm medicinam facturus, negat lectũ אולים: sed אילם quod est, *suscepit eos.* Genebrard. אולים, Iuuelim, *roborauit eos*, affixo Mempoetice habente Chirekante ie. At Cenomano placuit alia somniatio: deflexum esse a themate אלם, *collegit*, vt esset אלמם *collegit eos.*

LXX. Sed priores otiose luserunt, in lingua aliena: quam pro magno beneficio debuerunt discere, non fingere. Nam, quo exemplo docebit Bellarm. verbum אי״ל: quo exemplo Genebrardus verbum אול fuisse in vsu? Sunt enim radices tantum fictæ, propter inde deriuatas voces. Tum autem à Genebrardo ficta est illa affixi poetica licentia: cuius nullum vestigium, nulli vnquam fuit obseruatio. Nam de Cenomano quid dicam? Potuisse quencunque aliter somniare: Et literis pro arbitrio detractis aliis, aliis additis, etiam tragelaphos in subsidium aduocare. Nouerit tamen verbum אלם obseruari nusquam occurrere, sed semel duntaxat, ab eo factum parti cipium Gen. 37. Nam alias semper de muto dicitur לדבר, אשר לא יובל inquit Kimchi: *qui non potest loqui.*

CAP. XI.

An excusari possint errores editionis Græcæ.

I. ANnus me deficiat, si omnia colligam percurrẽs reliquos libros. Sufficiant illa. Quis enim iam neget vitiosissimam esse editionem Græcam? aut si vitiosissimam agnoscat: quis diuinam, quis authenticam affirmet? Saltem paulo cordatior: nec vescens lolio. Eos autem cur moremur, qui muscarum in morem vlcerib. hærent? Imo precabimur illis à Deo mentem bonam. Videamus tamen quid soleat afferri in eius editionis excusationem: nam Petrus Sutor in hoc multus est.

II. Hieronym. præfatione in Pentateuchum: post obseruatos quosdam locos, qui ab Apostolis aliter citantur, quam in editione Græca legantur. *Iudæi* (inquit) *prudenti factum dicunt esse consilio: ne Ptolomæus vnius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem diuinitatem deprehenderet. Quod maxime idcirco faciebant, quia in Platonis dogma tadere videbatur. Denique vbicunque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt, vt & regi satisfacerent, & arcanũ fidei non vulgarent.* Et præfatione in Esaiam, conuicit noluisse Septuaginta Interpretes fidei suæ Sacramenta perspicue Ethnicis prodere, ne sanctum canib. & margaritas por is darent.

III. Augustinus est vehementior libro de Ciuitate Dei decimo octauo, cap. 43. Sumens enim tanquam verum & concessum Septuaginta illos Interpretes fuisse Prophetas, eademque inspiratione interpretatos esse sacras Scripturas, quo primum scriptæ fuerant: omnia facile soluit. Quoties enim non congruit interpretatio textui Hebraico, tum altitudinem Prophetica credi vult, potuerit autoritate diuina & aliud dici, & aliquid prætermitti, aut addi: vt hinc ostenderetur nonhumanam fuisse in illo opere seruitutem, quam verbis debebat interpres: sed diuinam potius potestatem, quæ mentem regebat, & replebat interpretis: vt quidquid est in Hebræis codicibus, & non est apud eos interpretes, noluerit hoc per istos, sed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere: quicquid vero est apud Septuaginta, in Hebræis autem codicibus non est, per illos maluerit, quam per istos, idem Spiritus dicere: quemadmodum alia per Esaiam, alia per Hieremiam, alia per alium, atque alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc, ac per illum dixit, vt voluit.

IV. Iam Sutor, si bene colligo summam disputationis admodum perplexæ, agit in hunc modum. Primo diuersitas Græcę editionis & Hebraicæ, vel verborum est, vel sententiarum. Si verborum: non propterea recessum est ab interpretis officio: cui satis fit, si sensus exprimatur, vt Horatius docuit, & Hieronymus, & Cicero. Quod si qua sensuum est diuersitas, tum aliud est sensum diuersum transferre, aliud sensum repugnantem interpretari. Quæ enim varia sunt, simul consentire possunt: at quæ pugnant, minime. Septuaginta vero Interpretes, nihil dixerunt, quod pugnet cum Hebraica veritate.

V. Secundo, si sit aliqua dissonantia: tum illa, vel ab ipsis est interpretibus, vel à Iudæis, vel a scribis, vel a Spiritu Diuino. At non est ab ipsis interpretibus, nec enim fuerunt vel imperiti, vel inuidi, vel negligentes. Nõ fuisse imperitos testatur Augustinus: Et verisimile est doctos fuisse ab Eleazaro missos: nec negligentes. Si inuidi, tum fuissent oppido quam ingrati: & suspicari poterant, regem mox vindicaturum. Non est etiam à Iudæis: nec enim verisimile eos longe lateq; per orbem diffusos potuisse in vnum ita conuenire, & conspirare in corruptionem omnium codicum. Superest ergo, vt sit vel à librariis, vel à Spiritu. Atque hoc verum est: nam multis locis ab imperitia, & negligentia, seu culpa librariorum factum est, vt Græca dissentiant ab Hebræis. Aliquando etiam autoritate, ac dispensatione Spiritus Sancti.

VI. Vt autem dignoscamus qui loci corrupti sint à librariis, qui vero à Spiritu mutati: tum & diligentia, & Spiritus vnctione opus est. Generaliter tamen hæ regulæ dari possunt: Si quid reperitur ita diuersum, vt verum vtrumque esse non possit: tum librariorum erit corruptio. Si vero, quod diuersum prima fronte apparet, non tamen omnino repugnans, sed veritati consentiens videtur, tum cogitandum sensum aliquem mysticum, ibi latere. Hactenus Sutor.

VII. At hæc omnia σοφὰ sunt φιλόμουσα; rectoriæque artes, quibus non emendantur, quod in Ecclesia fieri oportuit: sed dissimulantur peccata: quod iis vitiis indignissimum, quibus veritas debuit esse vnicus scopus. Quanquam Hieronymus, non ipse excusat Septuaginta Interpretes, quos primus omnium accusauit: sed quid vel Iudæi dicant, profert, vel quid illos in animo habuisse ipse putet: ipse autem se eas tanquam legitimas causas approbare, nunquam significat: sed, vt solet plerumque, rem totam in medio relinquit, vt eam prudens lector suo iudicio vel probet, vel improbet.

VIII. Enimuero cuiusmodi illæ tandem causæ sunt? Prima, ne Ptolomæus, vnius Deitatis cultor, apud Hebræos duplicem diuinitatem deprehenderet. Atqui Ptolomæum fuisse idololatram, non vnius Dei cultorem, Chrysost. asserebat. Sed esto. Hæccine vero legitima causa erit Scripturarũ peruertendarum? Quasi vero θεόπνευστος Scriptura doceat: & non magis vnicam Deitatem multo melius & certius quam vlla vnquam Ethnicorum Philosophia: aut huic vnitati illa contradicant, quæ de Trinitate testimonia occurrunt? Docendus erat potius Ptolomæus, quam sic illudendus, prætextu bonæ fidei.

IX. Secundo hæc causa peculiaris est, iis tantum locis, qui de Trinitate aliquid docent. At hi omnino minimam partem efficiunt locorum vitiatorum: in quorum longe plurimis nullum maius periculum fingi potest, quam in aliis infinitis, qui legitime sunt redditi. Exempli gratia. Non potuit absurdior videri reditus corui in arcam quam columbæ. Et tamen columbam redisse vere ex Hebræo affirmarunt: coruum autem negarunt. Nec maius excitatum fuisset scandalum, si dixissent montes excelsos, quam cum incaseatos maluerunt: vel sterilib. concedi liberorum copiam, quam cum μορογράφοις nescio quos commenti sunt: vt alia prætermittam huiusmodi.

X. Tertio: quis æquum censeat, vnius Ptolomæi maiorem haberi rationem, quam ipsius Spiritus Sancti; quam omnium quibus iidem libri erant communicandi? Certe si id factum est, duo illustria nobis suggeruntur argumenta aduersus huius editionis autoritatem. Primo enim, humanam fuisse euincimus, nimirum, quia autores ei regi particulariter gratificari voluerunt, à quo tum tota natio magnis beneficiis esset affecta: tum ipsi magnifice lautissimeque a cepti. Caucrunt igitur post tantam munificentiã, ne eum abs se, suoue populo abalienarent, si quædam legeret in eorum libris, non satis ad suum palatum. Quæ prudentia non potuit esse diuina. Secundo, concludimus, non esse eam editionem factam in gratiam Ecclesiæ, sed infidelium gustui accommodatam.

XI. Altera causa erat, ne arcanum fidei vulgarent: id est, ne sanctum darent canibus, & margaritas porcis obijcerent. At, si hæc legitima fuit causa, tum nihil omnino vertere debuerunt: annon enim tota Scriptura est Sancta? nonne totum eius corpus margarita est? Aut nonne arcanum est fidei creatio mundi, peccatum Adæ, fœdus cum Abrahamo initum, & circuncisione firmatum, aliaque plurima? Secundo saltem abstinere debuerunt à reliquis peruertendis, in quibus nullum arcanum fidei: quod vt dixi, non est factum. Tertio hæc ipsa causa demit huic editioni omnem in Ecclesia autoritatem. Nam quæ mysteria occultanda erant Ethnicis, ea sunt patefacienda Christianis, quib. eam ob causam necessaria est editio, quæ fidelissime reddat, quæ à Spiritu Sancto sunt præfacta.

XII. Quod attinet ad Augustinum, demus veniam viro bono. Nam tum temporis Patres pie (inquit Bellarmin.) quærebant rationes excusandi & defendendi eam versionem, qua tunc vtebatur Ecclesia. At veritati omnia præiudicia cedere oportet. Sumit igitur bonus ille Pater, pro cõcesso, quod tamen falsum est: Septuaginta illos fuisse Prophetas: hoc nos prolixe confutauimus. Enimuero, quis altitudinem Propheticam agnoscat iis locis, quorum sensus multo humilior est Græce, quam Hebraice? Neque enim ἐπιφοίτησις σύμφυσις siue ἔμφασις, quanta Hebraici vocabuli quo significatur incubatio, siue, fomentum. Nam etiam hodie ventus fertur super aquas vnde factum est, vt eum locum ex 1. Geneseos, quidam interpretati sint de vento: cum tamen aquas ventus non foueat, quomodo pullos auis incubans: quo argumento Hieron. contendit locum intelligendum de Spiritu Dei. Ergo hoc saltem loco desedit altitudo Prophetica. Quid de iis loquar, quib. dissimulata sunt fidei mysteria? Scil. altius de Christo Septuaginta prophetarunt, cum dixerunt, ἐξ Αἰγύπτου μετεκαλεσάμην τὰ τέκνα αὐτοῦ: quam Ozee qui dixit, *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Et voluit nos Deus per Mosen scire coruum rediisse in arcam: non vero per Septuaginta. Itaq; Augustinus simplicius loquutus est, quam verius.

XIII. Venio ad Sutorem: & primum de verbis respondeo: sic licere Interpreti non reddere verbum verbo, sicut vult Horatius: vt tamen duo sint obseruanda. Primum, non esse omnino eandem rationem librorum sacrorum & aliorum: nam illos multo religiosius tractandos. In Ecclesia enim non tantum pura retinenda est doctrina, sed etiam eius tradendæ legitima forma: vnde Paulus Timotheum sic admonebat, ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων: *formam habe sanorum verborum:* post. ad Timoth c. 1. Quare Hieronymi qui hoc ipsum Horatij præceptum valde probat, sacros tamen libros extra ordinem posuit, Epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi. *Ego* (inquit) *non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione Græcorum, absq; Scripturis Sanctis, vbi & verborum ordo, & mysterium est, non verbum è verbo, sed sensum exprimere de sensu.*

XIV. Secundo, si discreditur ab hac verborum religione: saltem vt sensus æque bonis verbis, æque bene reddatur: nam si vel humilius, vel obscurius,

ſcurius, vel incertius: tum ſane tantundem decedere neceſſe eſt de interpretationis perfectione. Quod etiam in prophanis libris aſſequi difficillimum: teſte Hieronymo in præfatione ad Euſebij Chronicon. *Difficile eſt,* inquit, *alienas linguas inſequentem, non alicubi excidere arduum, vt quæ in aliena lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in translatione conſeruent.* Quanto magis in libris ſacris vſu venire conſentaneum? vbi non tantum auguſtior eſt myſteriorum maieſtas, ſed etiam magnificentior verborum dignitas? Itaque eodem loco Hieronymus diſerte negat, diuinorum voluminũ inſtrumenta, à Septuaginta interpretibus edita, eundem ſaporem in Græco ſermone cuſtodire. Et hic quidem, venia facilis, fateor: ſed veniam petentibus. Aduerſarij autem, non hoc volunt, vt veniam demus Interpretib. Septuaginta, ſi quid illis humanitus acciderit: imo omnino negant illis quicquam humani accidiſſe: & numerari volunt in cenſu Prophetarum, cum Moſe cum Eſaia, cum reliquis. Viderint, quid agant.

XV. De ſenſu, primum dico, non tantum diuerſum eſſe quibuſdam locis, ſed etiam contrarium. Neque enim vlla maior eſt contrarietas, quam cum idem negatur & affirmatur. Vt in Geneſi de coruo: Et Pſalmo 74. non cognouerunt, pro cognoſcetur. Quidni addam illud Geneſeos c. 30. cum Hebraice dicitur Ioſeph accuſaſſe fratres: Græce autem contra accuſatus à fratribus? Et Pſalmo 19. ἐν τῷ ἡλίῳ τὸ σκήνωμα αὐτοῦ, *in ſole poſuit tabernaculum ſuum*: pro, ſoli poſuit tabernaculum in eis. Nam quid eſt ſenſus inuerſus, ſi non eſt cõtrarius? Falſo igitur Sutor aſſeruit Septuaginta nihil dixiſſe, quod pugnet cum veritate Hebraica.

XVI. Secundo: excuſari diuerſitatem ex eo, quod diuerſa ſimul ſtare, id eſt, vera eſſe poſſunt, ineptiſſimum eſt commentum. Ratio eſt, quia non Philoſophice agitur de rerum ipſarum veritate aut falſitate: ſed Grammatice de interpretationis fide: hic autem cum vnius eiuſdemque loci, vnum eundemque ſenſum eſſe oporteat: tum profecto fieri non poteſt, vt, quicunque diſcedit ab eo vnico ſenſu, verum dicat; quia poſterioris inductio negationem infert prioris. Exempli gratia, Iobi trigeſimo Hebraice ita habet, *E medio expellebantur. clamabant contra eos, tanquam furem.* At Græce. ἄτιμοι δὲ καὶ πεφαυλισμένοι ἐνδεεῖς παντὸς ἀγαθοῦ καὶ οἱ ῥίζας ξύλων ἐμασῶντο ὑπὸ λιμοῦ μεγάλου ἐπανέστησάν μοι κλέπται. *Inhonorati autem & viles habiti indigentes omnis boni, & qui radices lignorum mandebant, præ fame magna inſurrexerunt mihi fures.* Quicunque hunc aſſeret verum eſſe huius loci ſenſum, qui tamen è verbis Hebraicis vnicum tantum retinuit, idque poſtremum: prius neceſſe eſt vt neget illum eſſe genuinum: fiet ergo iam tum contradictio.

XVII. Denique vt rem paucis complectar: ab interprete id poſtulatur: non vt verba ſuo ingenio congerens qualemcunque ſenſum reddat: ſed vt autoris ſui eo loco iis verbis vtentis ſententiam exprimat. Nam ſi initium Geneſeos בראשית ברא אלהים את-השמים ואת-הארץ ſic reddam: *Prouidentia ſua Deus conſeruat cœlum & terram*: ſeruatis tantum poſtremis vocibus: vt Græce factum eſt in loco Iobi proxime citato: quis audeat negare, me ſenſum bonum, pium, & religioſum expreſſiſſe meis verbis? Et tamẽ merito omnes cl[...]t mendacem, corruptorem, impoſtorem. Nimirum, quia hoc à me interprete omnes exſpectant, vt quid eo loco, hoc eſt, hoc primo verſu primi capitis Geneſeos Moſes dixerit, fideliter reddam: à quo tamen longiſſime diſceſſi.

XVIII Reliqua non ſunt difficiliora. Aſſentio diſſonantiam non eſſe à Iudæis: ſed viciſſim nego eſſe à Spiritu Sancto: concludens eſſe partim ab ipſis Septuaginta, partim è librariis. Nam & librarios non ſincere exſcripſiſſe, infinita codicum diuerſitas fidem facit. At vero quoties conſentiunt omnes codices, quid dicemus? An vero ſuſpicabimur facilius omnes omnium locorum ſcribas, conuenire potuiſſe, quam omnes per totum orbem diſperſos Iudæos, vt omnia falſarent exemplaria.

XIX. Itaq; nego vel magna diligentia opus eſſe, vel exſpectandam nouã aliquam inſpirationem: ſed hac tantum generali, certiſſimaq; regula, ac nunquam fallente: vt quicquid diſſentit ab Hebraico contextu, id fallatũ eſſe ſciamus, ſiue à Iudæis, ſiue à Septuaginta interpretib. ſiue à notariis: ſiue ab alia quacunque cauſa: propterea q; non eſſe diuinam, non eſſe authenticam Græcam Bibliorum editionem: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

DE VVLGATA EDITIONE LATINA.

Caput Primum.

DE AVTORITATE VVLGATÆ EDITIONIS LATINÆ.

DE LATINA Editione longe animoſiſſima Catholicis eſt & Papiſtis cõtrouerſia. Tridentini ſic definierunt, ſeſſione quarta, Canone 2. *Inſuper eadem ſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circunferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit & decernit, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præſumat.*

II. Poſt hoc decretum, qui ea de re ſcripſerunt, alij aliis mitius vel ſeuerius loquuti ſunt. Andreas Vega ei Concilio interfuit, eiuſque mentem cum præſens cognouit, tum didiciſſe ſe iactat à Cardinali ſanctæ Crucis, qui præſidem agebat, ſpiritumque illum, qui Roma ad eum in pera (vt prouerbio iactatum memorat Sleidanus libr. 22.) adueniebat, familiarem non habere non poterat. Is ſcripſit, referente Andradio, nihil aliud Tridentinos illos Patres, cum vulgatam Latinam editionem authenticam pronunciarunt, ſignificare voluiſſe, quam nullo eam defœdatam errore exiſtere, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide & moribus colligi poſſit: atq; ideo adieciſſe, ne quis illam quouis prætextu reii[c]ere auderet. Imo Driedo de Translatione ſacræ Scripturæ lib. 2. c. 1. *Apoſtolica ſedes editionem Hieronymi vel approbauit, vel acceptauit, non tanquam ſic penitus conſonam Scripturis editionem in ſuo fonte, & in omnibus ſic integram, puram ac reſtitutam, vt non liceat vlli vel examinare illam, collatione facta ad ſuum fontem, vel in locis quibuſdam dubitare, ſi forſitan Hieronymus ſit aſſecutus verum Scripturæ ſenſum: ſed tanquam omnibus editionibus tunc factis præferendam, & in regulis fidei ac morum nuſquam deuiam: & tanquam talem quæ publice legatur & recipiatur in vſum.* Credo tum Vegam, tum Driedonem, tum Andradium puduiſſe eius decreti: ideoque mollire voluiſſe. Nam facile vident omnes altius aliquod myſterium latere ſub iis verbis. Nihil n. eximium Vulgatæ verſioni tribueretur, quominus in eiuſdem laudis participationem venirent Pagninus, Arias, vt noſtros taceam.

III. Itaque multo ſeuerius alii. Stapletonus diſerte aduerſus eos diſputat, qui Latinam vulgatam editionem Veteris & Noui Teſtamenti debere ab Eccleſia pro ſola authentica, & ſacra Scriptura approbari negant: nam & eorum obiectiones diſſoluit, & contra diſputat: & quidem citato hoc ipſo Tridentino Canone: vnde facile colligimus, ſic ab eo Canonem intellectum, vt editio Latina non tantum ſit authentica, ſed etiam ſola authentica. Diſputatio eſt in Relectione, controuerſia quinta, quæſtione tertia, articulo tertio.

IV. Canus libro ſecundo cap. decimo tertio cauſam hanc quatuor concluſionibus definit. Prima, Veterem vulgatamque editionem, quam poſt Hieronymi tempora vſurpauit Eccleſia Latina, fidelibus eſſe retinendam in his omnibus, quæ ad fidem, & mores ſpectabunt. Altera. Si qua morum & fidei quæſtio inter Catholicos exoriatur, eam definiri oportere per eandem editionem: ita videlicet, vt ſi eius teſtimonium aliquod alteram quæſtionis partem confirmauerit, ea ſit Catholicis amplectenda: ſin reprobauerit, reijcienda. Tertia: In fidei ac morum diſputatione, non eſſe nunc temporis ad Hebraica, Græcaue exemplaria prouocandum, nec ex iis certam controuerſiarum fidem eſſe faciendam. Poſtrema: In his quæ ad fidem & mores pertinent, non eſſe Latina exemplaria per Hebraica, vel Græca corrigenda.

V. Denique VVhitakerus teſtatur Lindanum in primo libro de optimo genere interpretandi, Latinam editionem Hebraicæ Græcæque anteponere. Iulius Cæſar Bulengerus contra Pleſſæum libro tertio capite ſexto, cum citaſſet locum ex decimo quarto capite Iobi in hæc verba, *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me?* inde Purgatorium conatus adſtruere, *Scio*, inquit, *Hebraice haberi, Quis dabit, vt abſcondas me in inferno, dum tranſeat furor tuus? Sed apud me multo pluris eſt Latina editio quam Hebraica.* Adeo ille ex authoritate Tridentina ſcindere nodum didicerat, quẽ ſolui non poſſe nouerat.

VI. Et tamen Bellarminus mendacij Caluinum accuſat, quod dixerit, decreuiſſe Tridentinos Patres minime eſſe audiendos eos, qui ex fonte ipſo purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falſum coarguũt. Quãobrem vero mendacij? Quia fontium nullam mentionem illi fecerunt: ſed ſolum ex tot Latinis verſionib. quæ nunc circunferuntur, vnam delegerũt, quam cæteris anteponerent.

VII. Sed Caluinus facile purgatur. Nam boni illi Paterculi, non tantum vulgatam reliquis prætulerunt, ſed hanc eandem declarant eſſe authenticam: quod quidem multo plus eſt, quam alijs ſimpliciter præferre. Et vt id pſum, quid ſibi vellet, non eſſet neceſſe inquirere, interpretati ſunt, vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat: Nam quid illud eſt quæſo, quod dicitur, quouis prætextu: ſi hoc non eſt, ne excepta quidem Hebraica Græcaque editione? id eſt, ne quis, cum obijcietur aliquis locus, excipere poſſit, aliter haberi in ἀπογράφοις: Atque hoc iure ſi Papiſtæ non vtuntur, magni eius Concilij idolatræ: tum ſane concedatur id ei Concilio in mentem nunquam veniſſe. Quanquam quid alios dicam? Nonne ipſe Bellarminus, ipſe inquam Bellarminus, corruptam potius editionem Hebraicam pronunciauit, quam vllum agnoſceret errorem in Latina? Sed & Stapletonus ſuam illam de editione Latina ſola authentica ſententiam, probat ex hoc ipſo decreto. Non negauit Canus in rebus fidei & morum corrigendã ex fontib. ſi ſit diſſenſus? Quod tamen nec ſolus dixit. Nã Gretſerus Apologiæ lib. 2. c 10. to. 1. diſerte, *Si quod ad dogmata fidei vel morũ attinet, Græci & Hebræi fontes à vulgata verſione diſcrepent: intrepide* (nota θυμοῦ εὐλαβείας) *eã huiuſmodi fontib. præferimus, vtpote corruptis: quia decretũ Eccleſiæ habemus,*

Et paulo post de fontibus; *fuerunt quidem & sunt authentici, quis neget? sed vbi cum editione vulgata concordant: nam si alicubi discordent; ibi authentica vi præditos esse negamus.* Ergo Caluinus non est mentitus: sed Tridentinorũ paterculorum mentem habuit cognitam, quantumlibet aliis verbis dissimulatam. Bellarm. 2. Romano more, quos rodere non valet, odit.

VIII. Nostra noua nulla est sententia: sed eadem? quæ prius. Eadem. inquam, cum Tigurinis, quos Bellarminus obseruauit nullam velle authenticam esse versionem, aut ad aliquam alligari Christianos. Enimuero prorsus à ratione abhorret, vt aliquid versum sit aliunde, & tamen sit authenticum. Itaque negamus idipsum, quo Tridentini vsi sunt fundamento, videlicet, non parum vtilitatis accedere posse, si ex omnib. Latinis editionibus aliqua eligatur, quæ authentica habeatur: nisi forte ordinis gratia: & humano more. Nimirum, vt quia necessario communicanda sunt plebi sacra volumina, quædam ab Ecclesia seligatur cõmodissima editio, quæ in manus omnium distribuatur, legatur etiã publice, potius quam alia quælibet, salua tamen originarij contextus autoritate.

IX. Sed huc si respexerunt Patres Tridentini, tum nos eorum & miramur & accusamus in decernendo supinitatem. Nam si aliqua eligenda erat Latina versio, asserimus nullam esse hoc honore minus dignam; quam istã veterem: Reliquarum n. vix vllam esse, quæ non sit religiosior, hoc est, magis accedens ad Prophetarum & Apostolorum veritatem. Atque hæc de statu quæstionis. Iam Papistarum argumenta hæc erunt.

CAP. II.

De longo vsu editionis Latinæ.

I. QVæcunque Bibliorum editio in longo fuit multorum seculorum vsu ea est authentica. At editio Latina in longo fuit vsu multorum seculorum. Est ergo authentica. Argumentum est ab ipso Tridentino decreto indicatum, à Bellarmino, & Stapletono, & Sutore explicatius repetitũ. Maior probatur: quia Ecclesiam tot seculis germana Scripturæ interpretatione caruisse: atque in iis, quæ ad fidem & religionem pertinent, errores interpretis nescio cuius pro verbo Dei coluisse mirum est, si cui mirum, & absurdum non esse videatur, præsertim si ex Apostolo didicerit eam esse columnam & firmamentum veritatis, prioris ad Timotheum tertio.

II. Minor autem probatur varie. Nam Stapletonus quidem hunc vsum arcessit ab ipso initio. *Latina* (inquit) *omnis Ecclesia, ab ipso Tertulliani tempore, qui vulgatam hanc nostram lectionem plurimis in locis retinet, hac versione vsa est.* Sutor vero a temporibus Damasi citans Platinæ testimonium: addensque annos esse supra mille, ex quo Damasus vixit. Bellarm. repetit duntaxat à Gregorio magno, eius nominis primo: hoc est, ab annis octingentis nongentisue.

III. Respondeo, prius de minore, quia facilius negotium. Primo Stapletonus manifesto allucinatur, ne quid dicam grauius. Et sane, si verum quod alii obstinate disputant, eius vulgatæ editionis autorem esse Hieronymum, quĩ potuit fieri, vt ea Tertullianus vteretur? Sed ab illis forte Stapletonus discedit: existimatque hanc editionem non esse ab Hieronymo; sed potius illam veterem, appellatam Italicam, Inepte, profecto: siquidem ita sentit. Nam illa vetus erat expressa ex Græca editione Septuaginta Seniorum, à qua hæc nostra mirum in modum discrepat, exceptis Psalmis: vnde fit, vt Bellarm. asserat reliqua omnia, exceptis quibusdam Apocryphis, haberi ex versione Hieronymi.

IV. Sed non opus coniecturis: quin potius res ipsa testatur, & Tertullianum, & Cyprianum eo recentiorem alia prorsus vsos editione: quod omnes obseruant qui in eorum operibus versantur. Exempla hæc sunto ex Tertulliano. Ipsum Geneseos initium hodie sic habetur Latine. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: At Tertullianus legebat: *in primordio fecit Deus cœlum & terram*: libro de Baptismo cap. 5. Ibidem pro terra inani & vacua, inuisibilem, & incompositam, vel rudem, contra Hermogenem cap. 29. & ibidem pro loco vno, congregationem vnam: pro herba virente, herbam fœni cap. vigesimo primo: & 22. non cete grandia, sed cetos magnos: proque omni anima viuente, atque motabili, omnem animam animaliũ repentium. De anima, cap. vigesimo septimo, pro multiplicamini, in multitudinem proficite. Contra Psychicos cap. 4. pro herba afferente semen, fœnum sementiuum seminans semen. Hæc omnia, nec sola in vno capite: Iudicet de aliis lector.

V. Ex Psalmis illustrior erit probatio: quia hoc constat versos non haberi, nisi ex Græco, quo Tertullianum vsum esse omnino certum est. Quid igitur, si ne hic quidem versione Latina Tertullianus vsus est? hac, inquam, quæ hodie extat. In Psalmo primo, pro beato, felicem legit: & pro cathedra pestilentiæ, cathedram pestium: cap. tertio de Spectaculis: pro decursibus aquarum, exitus: libr. 2. contra Marcionem cap. 19. Psalmo 2. pro fremuerunt, tumultuatæ sunt, tum de Resurrectione cap. 20 tum contra Marcionem libr. 4. cap. 42. Psalm. 3. qui comprimunt me, pro tribulant me, contra Praxeam cap. 13. Infinita sunt huiusmodi: quib. motus est Pamelius vt in Iudice obseruaret Tertullianum peculiari editione esse vsum.

VI. Sutorem suus etiam Platina decepit. Nam certe post Damasum vixerunt Prosper, & Fulgentius: & Vigilius: & Maxentius: at hi locos Scripturæ citant ex alia editione. Profero exempla. Prosper de promissionibus & prædictionibus parte primã, cap. primo, pro, *cumque obdormisset*, Geneseos secundo, legit, *& obdormiuit*. Postea cap. tertio pro *recordatus est* Psalmo 103. *memento Domine*. Item pro, *Eripe me de luto, vt non infigar*, Psal. 69. *Salua me de luto, vt non inhæream*. Pro, *conglutinatus est in terra venter noster*. Psalmo 49. *hæsit in terra venter noster*. Postea cap. 4. pro eo quod est Geneseos 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios*: ipse legit: *multiplicans multiplicabo gemitus & dolores tuos, in tristitia paries filios*. Ibidem pro *in peccatis concepit me mater mea*: Psalmo 51. *cum peccatis in vtero me aluit mater mea*. Et rursus. *Nullus est immunis à sorde nec infans, cuius est vnius diei vita super terram*. Et statim: *Nemo põt facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus mundus es*. Quæ tamen hodie nusquam legimus, neq; Hebraice, neque Græce, neq; Latine.

VII. Fulgentius ad Monimum libr. 1. pro *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*, Ezechielis 18. legebat, *conuertimini, & auertite vos ab omnibus impietatibus vestris, & non erunt vobis in pœnam iniquitates*. Rursus cap. trigesimo sexto, pro *in medio vestri, in vobis, & iustificationibus* pro *præceptis*. Hoc vero, *Quia initium superbiæ, apostatare à Deo*, vbi legit Latinus codex? Esaiæ 65. *qui seruiunt mihi*, pro *serui mei: & manducabunt*, pro *comedent*: & *exultabunt in lætitia*, pro *laudabunt in exultatione*. Alios locos obseruare poterunt diligenter curiosi.

VIII. Vigilius scripsit post Chalcedonensem Synodum, longe post Damasum: & is aut nunquam, aut certe raro hanc Hieronymi versionem vsurpat. Ex Nouo Testamento, in libris contra Eutychen ex prioris ad Corinthios decimo quinto. *Sicut per vnum hominem mors, ita & per vnum hominem resurrectio mortuorum*, addita bis voce *vnum*: Matthæi 16. *Cum venerit filius hominis in gloria patris sui*: quod legimus, *Filius n. hominis venturus est in gloria patris sui*. Act. 1. *Hic Iesus, qui receptus est à vobis*, quũ legamus, *assumptus est à vobis in cœlum*. Ad Roman primo. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*: Posterioris ad Timotheum 2. *Memor esto Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum carnem*. Ad Romanos nono, *Ex quibus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Posterioris ad Corinthios 2. *Ego si quid donaui in persona Christi* Matthæi 24. *Sicut fulgur exiet ab Oriente, & apparet vsque ad Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis*. Prioris Epistolæ Ioannis secundo, *Si peccauerimus, apud Patrem aduocatum habemus Iesum*. Ioannis octauo. *Ante Abraham ego sum*. In disputatione Athanasij, ex Actorum 13. *Ieiunantibus illis & mysticantibus*.

IX. Ex Veteri Testamento, Hieremiæ tertio: *Facies meretricis facta est tibi*: frontem dixit Hieronymus. Psalmo octogesimo quinto, *Mater Sion, dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus*. Danielis septimo. *Ecce in nubibus cœli filius hominis veniebat*. Esaiæ quinquagesimo tertio, *Inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Vidimus eum: & non erat species ei neque decor: sed forma eius despecta, & deficiens super filios hominum*. Ecclesiastici nono. *Quia in medio laqueorum ambulas*. Psalmo quinquagesimo secundo: *illic trepidauerunt, vbi non erat timor*. Esaiæ vndecimo: *germen de radice*, pro flore Geneseos quadragesimo nono, *Ex germine fili mi ascendisti*, pro ex præda. Idem in disputatione Athanasii, coram Probo, ex Hieremiæ 23. *Si steterunt in substantia mea: & quis stabit in substantia mea*: cum vtrobiq; legamus hodie consilium, pro substantia. Istud vero *in te est Deus, & non est Deus extra te*, nusquam hodie habemus.

X. Quid? quod Maxentius Ioannes, qui vixit tempore Hormisdæ, hoc est, post Gelasium annis aliquot, hanc Hieronymi editionem nouellam (ita enim appellat) vrgere non potuit tanquam authenticam? Locus est in Dialogo 2. CIATH. *Non mihi, sed Prophetæ crede dicenti, Si affigit homo Deum quia vos configitis me gens tota*. Quibus auditis clamat Nestorianus falsa esse: neque vnquam legi in Ecclesiasticis libris: sed multo aliter. Quid Maxentius? *Si tibi recentis contemnenda videtur editionis autoritas, audi Apostolũ clamantem, Dominum gloriæ crucifixum*. Vide vt, deserta eius editionis propugnatione, ad aliam se autoritatem conferat: quasi cognoscens non esse authenticam, aut veteri comparandam.

XI. Alcuinus vixit temporibus Caroli Magni, cuius fuit præceptor, annis circiter quadringentis post Hieronymum. Is plerumque vtitur peculiari versione longe alia ab editione Latina vulgata. Quæstionibus in Genesin. Ex primo. *Terra autem erat inuisibilis & incomposita*. Secundo, *Requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis. Fons ascendebat à terra irrigans vniuersa superficiem terræ. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Si manducaueritis ex eo, morte morieminí*. Ex tertio, *Sub te erit appetitus tuus*. Ex quarto, *Septuplum de Cain vindicabitur* Ex 8. *Reuersa sunt aquæ de terra euntes & recedentes*. Ex 10. *Ædificauit Niniuen, & Roboot ciuitatẽ Nemroth gigas venator robustissimus contra Dominum*. Ex 11. *Pater Melchæ ipse est Pater Ischæ*. Ex 16. *Manus eius super omnes: & manus omnium super eum, & contra faciem omnium fratrum suorum habitabit*. Ex 17. *Ecce testamentum meum tecum, & eris pater multitudinis gentium. Et non vocabitur nomen tuum Abram: sed erit nomen tuum Abraham, quia patrem gentium posui te*. Ex 20. *Peperci tibi, vt non peccares in me*.

XII. Agobardus Lugdunensis Episcopus vixit sub Gregorio quarto Romano Episcopo: annis post Damasum, vt minimum quadringentis: Is tamẽ in disputando vtitur diuinorum librorum testimoniis ex veteri translatione, interdum & Hieronymi, vt monuit is à quo eius opera non ita pridem sunt edita. Quis non inde coniiciat facile, nondum Tridentina fulmina fuisse exaudita? Imo quis non rideat puerilem sophistarum ignorantiam? Detestetur etiam immanem in Ecclesiam tyrannidem?

XIII. Quod autem Stapletonus dixit in plurimis locis eam versionem retineri: quid ad me? scio enim negari non posse, nonnunquam accidere, vt sint conformes loci earum editionum, quæ fuerunt ante Hieronymum, & eius quam postea vulgo vsurpare cœperunt. Sed id non efficit vnam eandemque esse editionem. Quemadmodum qui Ariæ Montani, & Pagnini, & Munsteri versiones confert, multos locos obseruare poterit, quibus eadem vel duorum è tribus: vel omnium verba sunt, & tamen editiones eas nemo negat esse diuersas. Itaq; falso Stapletonus & Sudor minorem probant: Bellarm. modestior fuit.

XIIII. Imo vero, negatur maior, in qua est totius argumenti momentum. Nego, inquam, ex longo vsu Ecclesiæ concludi posse, eam editionem esse authenticam. Rationes sunt hæ. Prima, quod is vsus sit tantum Ecclesiæ Latinæ. Nam in Ecclesia Græca satis omnes sciunt, nunquam vsurpatam esse Latinam versionem. At quæ in Ecclesia per varias regiones varie obseruantur, ea nullo modo authentica dici possunt. Nam quæ authẽtica sunt, non sunt varianda: sed eodem modo ab omnibus, semper & vbique obseruanda.

XV. Secunda, quia ne Latinæ quidem Ecclesiæ is mos fuit perpetuus: sed duntaxat à Gregorij temporibus: vt vult Bellarminus: si tamen hoc ipsum

pſum etiam verum eſt:quod in dubium verti poteſt.Certe enim ipſe Gregorius teſtis eſt,Eccleſiam Romanam vſam eſſe vtraque editione,tum noua, tum veteri,Epiſtola ad Leandrum præfixa moralib.Vnde duo elicio:prius tum temporis vnam certam editionem non fuiſſe ſolum authenticam: quod Stapletonus volebat:alterum etiam neutram fuiſſe authenticam:alioqui cum inter ſe ambæ tam ſint variæ,magna fuiſſet in Eccleſiā confuſio inducta.

XVI.Sed demus tamen publicum vſum repetendum à Gregorij tempore: Ergo ante non fuiſſe authenticam neceſſe eſt:fuiſſe tamen in vſu communi aliam aliquam,nemo dubitat. Hoc vero ſi ita eſt,apparet infirmitas argumenti. Nam ſi longus vſus authenticam facit editionem:tum illam priorem,quæ iam totis quinque ſeculis vſurpata fuerat, oportet fuiſſe authenticam. At ſi hoc verum eſt,cur fuit reiecta?cur abolita? Sin a.non fuit authentica,vt ego quidem credo,ergo ſequitur:non omnem editionem eſſe authenticam,quæ longo multorum ſeculorum vſu in Eccleſia viguit. Et ſi primorum ſeculorum, quæ eadem fuerunt puriſſima,vſus non præſtitit priorib.editionib.tantam authoritatem,quis poſteriorib.iiſdemque minime puris maiorem vim ineſſe credet: Certe Sutor c 11. eius temporis Latinos pauperes dicit,qui Hebraicam veritatem plene non haberent, ſed ne ad eam quidem pertingere poterant.

XVII. Iam ad maioris probationes facilis reſponſio. Abſurdum eſt,inquiunt, Eccleſiam tot ſeculis germana Scripturæ interpretatione caruiſſe, & ſecutam eſſe interpretis errores.Imo,inquam,non tam abſurdum,quam incommodum. Quid enim?Nonne idipſum contigit annis ſexcentis primis? Nimirum,quando nondum aut exſtabat,aut admittebatur hæc editio,pro cuius ſolius autoritate hodie animoſius pugnatur, quam prudentius?Aut eam,quæ tum exſtabat,nonne improbabat Hier. Nonne ipſa tandē, & paulatim improbauit Eccleſia? Quid ergo ſi tum aliquis ſurrexiſſet Ieſuita,& exclamaſſet,indignum facinus?

XVIII.Sed eſt Eccleſia columna & firmamentum veritatis. Quis neget? Nam Pauli ea ſunt verba.Sed reſpondeant,quando id verum eſſe cœperit. Anne ab ipſo Eccleſiæ initio,an vero à Gregorij temporibus? Nam ſi ab ipſo initio:ergo,inquam,poteſt illa ipſa columna, illud ipſum firmamentū veritatis,carere Germana Scripturæ interpretatione:poteſt ſequi interpretis errores. Cur non æque poſtea?Imo cur non magis poſtea? Non n.facta magis columna,magis firmamentum.

XIX. Sin autem non fuit ab initio,ergo mentitus eſt Apoſtolus,qui nō dixit,erit columna & firmamentum,ſed,*eſt*.Et quidem de Eccleſia loquens in qua oportebat Timotheū conuerſari:qui,opinor,non fuit Gregorio recentior. Sed nimirum hunc locum,vt alios plurimos,peruerſiſſime intelligunt Papiſtæ,vt ſuam Eccleſiæ ſuæ infallibilitatem aſtruant: qua de re alius erit dicendi locus.

CAP. III.

De Vſu Latinæ editionis apud Patres.

I. Latini Patres,vt Tertullianus,Cyprianus, Auguſtinus,Ambroſius, Gregorius,& alij innumeri Eccleſiaſtici Scriptores, & qui eos ſequuti ſunt Scholaſtici tractatores (qui omnes aut fere omnes Hebraicæ linguæ prorſus imperiti,in Græca lingua ſatis mediocriter verſati ſunt) vſi fuerunt eadem editione,dum aut Scripturas exponerent, aut hæreticos confutarent,aut populum docerent.Aut ergo quod volebant confecerunt illi omnes,aut non. Si prius,erat verus Scripturæ textus quem ſequebantur:ſi poſterius,hactenus fidem aut Scripturas non habuit Latina Eccleſia. Sed vt illud neceſſario verum eſt, ita hoc niſi temere & impie dici non poteſt.Eſt ergo indubitate vera & ſacra vulgata editio.Tertium eſt Stapletoni argumentum.

II.Reſpondeo: Negatur conſequens. Nam in antecedente multa ſunt vitia.Primum vitium,quod vulgatæ editionis vſus inde à Tertulliano repetitur:quod in argumento præcedenti docuimus abſurde fieri.Et Tertullianum propria ſua editione vſum eſſe. Quod ſi propria,& peculiari,ergo nō authentica.

III.Secundum,quod omnes tam veteres,Patres,quam recentiores Scholaſtici, ſupponuntur vſi vna eandemque editione: quod tamen falſum eſſe probatur exemplis.Gen.1.Tertullianus contra Marcionem lib.2. cap.3. legit *Erunt in tempora,& menſes & annos.* At Auguſtin. & reliqui. *Sunt in ſigna,ac tempora,& dies,& annos.* Rurſum Tertull.contra Hermogenem c. 23.& 24.*Terra erat inuiſibilis & rudis.* Auguſt.vero de Geneſi ad literam libro imperfecto:*Terra erat inuiſibilis & incompoſita:*ſed & longo poſt tempore,Alcuinus,quæſtionib.in Geneſin.At poſteriores legunt.*Terra erat inanis & vacua.*Cyprianus de diſciplina & habitu virginum legebat,*Creſcite & generate:*At Tertullianus & reliqui,*creſcite & multiplicamini.*

IV. Geneſeos 2.Cyprianus Epiſtola 74.*Plaſmauit Deus hominem,& inſufflauit in faciem eius flatū vitæ.* Sed Tertull. contra Hermogenē c.31.*Fecit Deus hominem de terra:& adflauit in faciem eius flatū vitæ.* At reliqui,*formauit Deus hominem de limo terræ,& ſpirauit in faciē eius ſpiraculum vitæ,* Rursū Cyprianus Teſtimoniorum,aduerſus Iudæos lib. 2.c. 9. *Quia tu hoc feciſti maledictus tu ab omni pecore, & ab omni genere beſtiarum terræ:pectore tuo & ventre repes,& erit tibi terra cibus,in omnibus dieb.vitæ tuæ.* Auguſtinus illud *de ventre & pectore,*retinet de Geneſi contra Manichæos lib.2.pro quo editio vulgata,*ſuper pectus tuum gradieris:*deinde legit, *terram manducabis,* pro quo reliqui,*terram comedes.* Infinita ſunt huiuſmodi,in Veteri Teſtamento.

V. Nec in Nouo pauciora. Tertullianus Matthæi primo,librum dixit genituræ:libro de Carne Chriſti,cap.22.cum alij omnes generationem dixerint. Tertull.eodem lib.c.20.& Auguſt. & Latina vulgata legunt,*Quod in ea natum eſt.*At Cypr.Teſtimoniorum lib.2.c.7. *Quod ex illa natum fuerit.* Matthæi 4.Tertull.aduerſus Praxeam c.1. legit,*Si tu es filius Dei,deijce te hinc:Scriptum eſt n.quod mandauit Angelis tuis,ſuper te,vt te manib.ſuis tollant,necubi ad lapidem pedem tuum offendas* At Lyrinenſ.c.37. *Si filius Dei es, mitte te deorſum:ſcriptum eſt n.quod Angelis ſuis mandauit de te,vt cuſtodiant te in omnib.viis tuis: in manibus tollent te,ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* At vulgata editio,quique ea vtuntur legunt.*Si filius Dei es,mitte te deorſum. Scriptum eſt enim,quia Angelis ſuis mandauit de te,& in manib.tollent te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

VI.Ad Epheſios tertio capite;Proſper de promiſſionib part.1.c.7.*Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det vobis ſecundum diuitias gratiæ ſuæ virtutem,habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris,in charitate radicati atq; fundati,vt valeatis comprehendere cum omnib. Sanctis,quæ ſit altitudo,latitudo,longitudo,& profundum.* At Ambroſius in commentariis pro gratia maieſtatem legit vulgata editio & reliqui gloriam: pro det virtutem: Ambroſius virtute confirmari: Vulgata editi & reliqui,virtute corroborari. Ad illum *habitare Chriſtum in cordib.veſtris.* Ambroſius addit *in interiore homine:*quod etiam Primaſius agnoſcit, & Sedulius.Pro altitudine,latitudine,longitudine,& profundo: permutato ordine omnes latitudinem,& longitudinem primo & ſecundo collocant: altitudinem tertio Ambroſius,& Sedulius:ſed pro ea ſublimitatem dixit Vulgata editio.

VII.Non eſt neceſſe colligi plura exempla:quæ paulo diligentior quilibet facile obſeruabit: Ex his conſtat poſt Chriſtum ſeculis quinque non fuiſſe vnam certam ſiue Veteris ſiue Noui Teſtamenti verſionem,cui omnes Doctores hærerent.Itaque hoc magnum eſt Stapletoni vitium,qui ex eorum omnium vſu vnam & certam concludit eſſe authenticam,videlicet illam quæ Synodo Tridentina ſancita eſt.

VIII.Tertium vitium,quod ab eorum vſu concluditur autoritas verſionis.At hoc inde confici nego.Nam ne ipſi quidem ſuis verſionibus vtebantur tanquam authenticis,ſed nonnulli ſuis verbis ſibi Græca putabant interpretanda,quod in Tertulliano & Cypriano obſeruant docti. Sic Tertullianus Matth.5.legit: *Beati pauperes ſpiritu,* libro de Patientia c.11.alias egenos ſubſtituit,vt de Idololatria c.12.alias pauperes ſimpliciter,ad vxorem lib.2.c.8. Geneſeos 1.nunc *In primordio*, vt de Baptiſmo c.3.nunc *in principio:*vt contra Hermogenem c.3.Cyprianus de diſciplina & habitu Virginum,ex 3.Gen. *multiplicabo triſtitias tuas:* At teſtimoniorum lib.2.c.32. *multiplicans multiplicabo.*Idem de Bono patientiæ, *Quia audiſti vocem mulieris tuæ:*at teſtimoniorum lib.3.58.*Quia exaudiſti vocem vxoris tuæ.* Idem Lucæ 12.*expoſtulatur anima tua:*in expoſitione orationis Dominicæ:& teſtimoniis ad Quirinum lib.3.c.61. at in libro de opere & eleemoſynis,addit *à te.*

IX. Alij ea verſione vtebantur,quam apud ſuos in vſu vulgari eſſe videbant:nihil vlterius cogitantes.Alias neceſſe erat,alios ab aliis condemnari,aut reprehendi.Quemadmodū a.apud Græcos Alexandrini vtebantur editione Heſychij,non quaſi cenſerent,vnam illā apud omnes obtinere debere:ſed quia ſic mos erat in eius regionis Eccleſiis,ſuamque libere relinquebant,aliis,ſc.Conſtantinopolitanis Lucianicam, reliquis Palæſtinam; ſimiliter abſque dubio Latini, apud quos Auguſtinus teſtatur innumeras eſſe,ſuis quique editionib.vtebantur.Itaque ex hoc vſu omnino concludi non poteſt eas editiones eſſe authenticas.

X. Quartum vitium:cum indiſtincte quæritur,vtrum veteres in exponēdis Scripturis, confutandis hæreticis,docendis populis,confecerint,necne,quod volebant:non enim poteſt ſimpliciter reſpōderi alterutrum:quin præſto ſit confutatio ex ipſa experientia.Dico igitur non ſemper confeciſſe quod volebant:Nam multis locis longe aberrabant à vero ſenſu Scripturæ:quanuis nihil impie docerent.Exempli gratia Io.Caſſianus de Incarnatione Domini lib.2.c.3.in Malachiæ c.3.legebat.*Si affiget homo Deum ſuum, quia vos affigitis me.*Exponit de Chriſto cruci affigendo: vt probet eundem eſſe Deum.Atqui Propheta Iudæos increpabat,quod ea quæ diuino cultui erant dedicata,defraudarent,& deprædarentur.Itaque non vrgetur à Maxentio:qui tamen Dialogo 2. contra Neſtorianos:citat ex Deuteronomij 28. *Et videbitis vitam veſtram pendentem in ligno,& non creditis ei:*ex neſcio qua editione:neque enim ſic habet,aut Græca,aut Latina vulgata. Hunc locum intelligit de Chriſto vita noſtra,qui pependit in cruce. At hic eius loci ſenſus eſſe non poteſt.Infinita ſunt eiuſdem generis.

XI.Sic igitur ſtatuendum:Veteres, ſi attendamus ὅλως τὸ σῶμα τῆς διδαχῆς,totum illud doctrinæ corpus,quod in Eccleſia vigere debet, recte & Scripturam expoſuiſſe:& hæreticos refutaſſe,& populos docuiſſe:ſi paucos næuos excipias variis ſeculis inoleſcentes,de quib.non eſt quod nunc ſolliciti ſimus. Sed nihilominus non raro aberraſſe à ſcopo,in ſingulorum locorum intelligentia, quib. vel hæreticos tanquam telis ſtramineis feriebant,vel populorum fidem confirmabant,non ſatis ſolide.

XII. Atque hoc cum conſtet ipſis teſtib.oculis, quid iuuat contra luculentam experientiam rationes,imo non rationes, ſed calumnias quaſdam cōquirere?Aut hoc quid aliud eſſe poteſt,quam ſibi de induſtria oculos eruere,ne palpabiles errores videre cogaris? Sed & falſa eſt conſequentia,ſi id ita ſit,ergo neque fidem,neque Scripturas habuiſſe Latinam Eccleſiam. Scripturas certe habuit:ſed non Scripturarum verſionem ſatis exactę fidei: neque eo factum eſt,vt non haberet fidem. Hæc enim docetur per totam Scripturam,cuius non erant omnes loci corrupti.

XIII.Eſto igitur hoc quintum vitium:quod cum de Scripturæ editionibus,verſionibuſq; quæſtio eſt,ille de ipſis Scripturis, deq; fide,quæ iis Scripturis docetur,diſputat.Enimuero quis neſcit,fieri poſſe,vt omnia fidei dogmata vere conſtent,habeaturq; Scriptura ex ea editione,quæ tamen non ſit authentica?Exempli gratia, ex Pagnini verſione, quam ille ſuſcepit,authore,approbatoreque Leone decimo Romano Epiſcopo, vel ex Ariæ interlinearia:quæ non diſplicuit Louanienſib. Theologis? Et tamen harū neutra eſt authentica.Rurſus quis vnquam negauit Græcos habuiſſe fidē, aut Scripturam?Et tamen eorum editiones nemo neſcit fuiſſe corruptiſſimas.

XIV. Sextum vitium:cum ſi Veteres concedantur confeciſſe quod voluerunt:concluditur,ergo fuiſſe verum Scripturæ textū illum,quē ſequebātur.At hoc eſt ἀπροσδιόνυσον.Quia aliud eſt verus Scripturæ textus:aliud iuſdem textus authentica editio.Exempli gratia:apud Græcos,verus Scripturæ textus erat etiam in editione Theodotionis, cuius diligentiā valde laudant veteres:Et tamen nunquam fuit editio Theodotionis authentica. Itaq; etſi concederem ſemper Patres confeciſſe quod volebant,vtentes editione Latina,tamen confidenter negem eam editionem eſſe authenticam.

Cap. IV.

De teſtimoniis Veterum pro editione Latina.

I. BEllarminus aliud argumentum ducit ex teſtimoniis Veterum. Nam vel hæc verſio eſt Hieronymi: vel illa antiqua communis, quam Auguſtinus Italam vocat. Iam ſi eſt hæc Itala; magnum teſtimonium habet ab Auguſtino libro ſecundo de doctrina Chriſtiana, cap. decimoquinto vbi eam dicit omnibus eſſe præferendam. Sin autem ſit Hieronymi (quod ille quidem potius cenſet) habet teſtimonia omnium veterum, qui eam videre potuerunt. Auguſtinus libr. 8. de Ciuitate Dei, cap. 43. aſſerit eum laborem Hebræos fateri eſſe veracem: & Epiſtola decima: Noui Teſtamenti verſionem omnibus probari. Gregorius moralium 20. libro, cap. 23. credendum eſſe quicquid in ea dicitur, quia ex Hebræo cuncta verius transfudiſſe perhiberetur. Iſidorus *Etymologiarum* libr. 6. Hieronymi interpretationem merito cæteris anteponi. Et de officiis diuinis libro 1 cap. 12. ea editione generaliter omnes Eccleſias vſquequaque vti, eo quod veracior ſit in ſententiis, & clarior in verbis, Rabanus de inſtitutione clericorum Iſidoro conſentit. Recentiores Anſelmus, Bernardus, Rupertus, Haymo, Hugo Richardus, & alij omnes, eam ſolam editionem explanandam ſuſceperunt. Denique eandem Græci probauerunt: quia quædam diuina volumina ab Hieronymo verſa, ipſi in Græcum transfuderunt: teſte ipſo Hieronymo libro de viris illuſtribus in Sophronio, & libr. 2. contra Rufinum. Argumentum ſic formari poteſt; Quæcunque editio eſt, vel antiqua Itala, vel noua Hieronymi, ea eſt authentica. At hæc vel eſt antiqua illa Itala: vel noua Hieronymi. Ergo eſt authentica.

II. Reſpondeo primo negans maiorem: qua vix credam eſſe quicquam abſurdius: adeo vt mirer, ſui tam fœde oblitum Bellarminum. Neceſſe eſt enim ſupponi eſſe authenticam vtramque editionem, tam Italam illam antiquam, quam Hieronymianam alteram nouam. At hoc omnino fieri non poteſt, propter diuerſitatem. Nam quæ quantæque naſcerentur in Eccleſia turbæ? Aut quæ ratio confutandorum hæreticorum? Apud Maxentium vidimus paulo ante luculentiſſimum exemplum. Nam cum Catholicus locum proferret ex interpretatione Hieronymiana, Hæreticus mauult hærere veteri: atque ita fit, vt Catholici conatus ille in ventos abierit.

III. Quid hoc? non erit ridiculum? Ex Auguſtino probat Italicam omnibus editionibus anteponendam: at ex Iſidoro hanc Hieronymianam. Atqui hæc ſimul conſiſtere nequeunt. Nam ſi omnibus editionibus Itala eſt præferenda, ergo & Hieronymianæ. Similiter ſi ſit Hieronymiana omnibus præferenda; ergo & Italæ. Deus bone? quenquam-ne ita eſſe ſtupidum, vt vtramque partem veram eſſe potuerit ſibi perſuadere? vt eadem eidem, & poſtponatur, & præferatur. Hoccine illud eſt Ieſuiticum acumen?

IV. Tertio, ipſi Papiſtæ renunciarunt vtriuſque, hoc eſt, tum Auguſtini, tum Iſidori iudicio. Ratio eſt: quia in quibuſdam libris Italam verſionē prætulerunt Hieronymianæ, vt in *Pſalmis*: in aliis vero Italæ prætulerunt Hieronymianam. Itaq; docuerunt neq; Italam eſſe authenticam: nam ſi eſſet, tota eſſet, non autem partim authentica, partim non: itaque tota retinenda: Neq; Hieronymianam; ſic n. ea pars, quæ Pſalmos edidit, non erat relinquenda, vel potius reiicienda in muſæorum angulos: vt nulla eſſet eius niſi priuata autoritas.

V. Quarto: producti teſtes ſunt contrarij inter ſe. Nam Auguſtinus negat Hieronymianam eſſe authenticam: tum quod illi præferendam aſſerat Italam: tum quod, eo ipſo loco, quem Bellarminus citat in laudem Hieronymi, & a Septuaginta haberi dicat, quod Eccleſiæ Latinæ tenerent: & quanuis Iudæis labor Hieronymi probaretur, tamen non potuiſſe eas Eccleſias perſuaderi, vt hunc illis præferrent. Verba ſunt huiuſmodi: nam Bellarminus locum noluit integrum recitare. *Eius tam literatum laborem, quanuis Iudæi fateantur eſſe veracem, Septuaginta vero interpretes in multis erraſſe cōtendant: tamen Eccleſiæ Chriſti tot hominum autoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem iudicant præferendum: quia etſi non in eis vnus apparuiſſet Spiritus ſine dubitatione diuinitus: ſed inter ſe verba interpretationis ſuæ Septuaginta docti more hominum contuliſſent, vt quod placuiſſet omnib. hoc maneret, nullus ei vnus interpres debuit anteponi.* Hæc Auguſtinus. Contra vero Gregorius Hieronymum comparans Italicæ editioni, hoc eſt, veteri Latinæ; diſerte pronunciat illum verius tranſtuliſſe. Iſidorus etiam, & verius & clarius: eſſeque illum & verborum tenaciorem, & perſpicuitate ſententiæ clariorem. Quid ergo dicemus? Nam nunc quidem nobis Bellarminus liberam facit iudicij electionem vt pronunciemus in vtramuis partem, vel Hieronymianam eſſe, vel Italam editionem. Et tamen ſi Italam dixerimus: negabunt authenticam eſſe Gregorius, Iſidorus, Rabanus, reliqui. Sin Hieronymianam pronunciemus: quid Auguſtino faciemus? Scil. ita diſputant Scholaſtici, in vtramque partem. Imo ij, quibus nulla certa veritas.

VI. Quinto: horum teſtium nemo dicit alterutram editionem eſſe authenticam. Nam præferri cæteris omnibus, quod de Italia dixit Auguſtinus, de Hieronymiana reliqui: non ſignificat eſſe authenticam. Ne reliquæ quidem laudes. Eſto ſane & verior, & clarior Hieronymus: At id intelligendum comparate ad reliquos interpretes, non vero ad ipſos librorum ſacrorum autores: infra quos ſi ſubſiſtat, non poteſt eius labor eſſe authenticus.

VII. Hæc ad maiorem. De minori vero non parua eſt controuerſia: Quidam exiſtimant, hāc, quam habemus editionem Latinam, prorſus eſſe Hieronymianam, hoc eſt in Veteri quidem Teſtamento ex verſione, in Nouo vero ex correctione Hieronymi. In his eſt Petrus Sutor, Steuchus in Veteri Teſtamento Pſalmos excipit: Nam hoc haberi fatetur ex editione Septuaginta: correctos tamen ab Hieronymo. At Sanctes Pagninus præfatione in ſuam verſionem, & Paulus Foroſempronienſis, ſed & Munſterus ſuſpicantur non eſſe Hieronymianam. Bellar. Teſtamentum Nouum, & Pſalmos concedit non haberi ex eius verſione, ſed tantum ex emendatione: eſſe etiam veriſimile, Sapientiam, Eccleſiaſticum & Maccabæos, haberi ex antiqua translatione incerti authoris. Sed reliqua omnia diſputat eſſe ex ea Hieronymi verſione, quæ facta eſt ex Hebræo.

VIII. Driedo libr. 2. cap. 1. de Eccleſiaſticis Scripturis in hanc potius ſententiam inclinat, vt aſſerat, hanc ipſam editionem, quæ Vulgata dicitur, quaque vtuntur Papiſtæ, tam Veteris quam Noui Teſtamenti, neque prorſus aliam eſſe ab interpretatione Hieronymi, neque rurſus eſſe penitus eandem. Neque ab ea ſententia videtur Sixtus eſſe alienus. Et hæc profecto vera eſt: ad eamq; nos libenter accedimus: Siue enim id ſcribarum vitio factum ſit, temere præcedentia exemplaria deſcribentium, ſiue inueteratæ conſuetudinis peruicacia: ſiue aliam quancunque ob cauſam, negari non poteſt multis locis hodie aliter legi, quam Hier. tranſtulerit.

IX. Nec contrarium probant vlla argumenta. Nam quod Bellarm. primum profert, conſtare Hieronymum primum, & ſolum ex antiquis tranſtuliſſe ex Hebræo in Latinum Teſtamentum vetus: & hanc editionem, translatam eſſe ex Hebræo in Latinum, exceptis quibuſdam: id, inquam, facile diſſoluitur. Non enim ſequitur hanc eſſe puram Hieronymi: quia nihil obſtat, quominus poſt Hieronymum, multi ſiue audacter, ſiue imperite eam multis locis corruperint: ſicut ante eum acciderat Septuaginta interpretibus. Concordare vero pene vbique cum Hebræo contextu hanc editionem, cuiuſmodi hodie exſtat, dixit Bellarminus audacius quam verius.

X. Inueniri illa omnia, quæ Hieronymus dicebat non haberi in Septuaginta interpretum editione, enumerata præfatione in Pentateuchum: primum non vſquequaque verum eſt: nam ex quinque locis, tres duntaxat Bellarminus enumerauit, ex Oſeæ 11. Zachariæ 12. Iſaiæ 64. Omiſſis Eſaiæ 11. & Prouerbior. 18. Secundo nihil concludit: quia non ſequitur alios plurimos locos non eſſe corruptos. Nec vtilius multi enumerantur loci, quos ſe Hieronymus vertiſſe teſtatur ex Hebræo: nam quid tum, ſi alii plurimi obſeruantur in contrarium? Quaſi vero in Ariæ Montani Interlinearia, non plurima reperiantur conſeruata ex vulgari? Et tamen nemo eandem audeat aſſerere. Imo in Theodotione multa ex Septuaginta Interpretibus mutuata ſunt: τρίτα εἶχεν τοὺς πλείστους ἀπὸ τῆς συνηθείας τῶν ἑβδομήκοντα, inquit Epiphanius: nec minus duæ fuerunt diuerſæ interpretationes.

XI. Nec magis mouere debent præfationes. Ratio prima. Quia nihil obſtat, quominus integris prologis, textus ſit corruptus: vt patet in Pſalmis: quorum præfatio diſerte admonet, vt obſeruentur aſteriſci, & obeli, qui tamen nulli ſunt iampridem, non paruo Eccleſiæ detrimento: nec contemnenda falſatione Secunda: quia præfatione in Hieremiam diſerte teſtatur Hieronymus librum Baruc à ſe prætermiſſum: *librum Baruc* (inquit) *notarij eius, quia apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermiſimus.* Et tamen hunc non excepit Bellarminus, vt nec Eſdræ 3. & 4. in quibus tamen non laboratum ab eo facile vident, qui legunt præfationem in Eſdram & Nehemiam Tertia, quia in nonnullis libris duplex habetur præfatio: altera verſionis, altera emendationis: vt in Iob. Nam quæ prima eſt præfatio meminit aſteriſcorum & obeliſcorum: altera minime. Recte autem Bellarm. obſeruat eos pertinere ad verſionem ex Græco: itaque ex præfationibus incertum eſt vtrum verſum, an emendatum habeamus librum Iob.

XII. Denique quarta cauſa eſt, quia præfationes Hieronymi conſeruatæ ſunt librorum Tobiæ & Iudith: & tamen libri Iudith ſtylus tam abhorret ab aliorum ſtylo, vt illum oporteat eſſe nimium naris obeſæ, &, vt loquuntur Græci, κορύζης μεστὸν τὴν ῥῖνα, qui huius illorumque, eundem autorem eſſe pronunciet. Quis enim credat Hieronymum ita ſordide loquutum, vt diceret, *ciuitatem, quam appellaret Ecbatanis.* Et *obtinuit eum* pro vicit: & *defenderet ſe de omnib. regionib.* pro vltionem ſumere: & *ciuitatem opinatiſſimā,* pro illuſtri, vel famoſa: & *prædauit* & *vtere ſeruitio noſtro: & reuocare ad ſuum ſeruitium:* & *pœnituerunt ſe:* & *diſperiet,* & *tranſiet: & vinctum de reſtib.* & *ſuadere Hebræam:* & *nocuit eum.* Nam hi omnes Latini ſermonis flores, ſi ſic Ieſuitis placet, reperiuntur in eo libello. Non autem in aliis.

XIII. His ita conſtitutis, alia emergit ad argumentum reſponſio. Nam vt vera ſit maior: neceſſe eſt intelligi editionem ſiue Italam, ſiue Hieronymianam, puram & integram; non autem vitiatam & corruptam. Alioquin eadem ratio valebit, quam vſurpauit Hieron. vt manum admoueret operi poſt Septuaginta præfatione in Paralipomena. Fatebatur enim fruſtra ſe in noua ex Hebræo verſione ſudaturum, ſi eorum permaneret editio pura, & vt ab eis in Græcum verſa erat: aliud autem eſſe iudicium, poſtquam & variabant exemplaria: & germana illa antiquaque translatio corrupta erat. Ignoſcant igitur nobis Ieſuitæ, ſi alteratam, vitiatam corruptam editionem non habemus eodem loco cum prima, pura & integra.

Cap. IV.

An Latinam aliquam eſſe oporteat editionem authenticam.

I. HAbuerunt Hebræi ſua lingua authenticam Scripturam: Græci quoque habuerunt Græce authenticam Scripturam, id eſt, Teſtamentum Vetus ex verſione Septuaginta, & Teſtamenti Noui ipſos primos fontes: igitur æquum fuit, vt Latina Eccleſia, in qua ſedes Petri eſt, & in qua perpetuo fides manſura erat, haberet ſuam linguam authenticam Scripturam: Non autem habuit aliam fere à mille annis, quam iſtam: igitur iſta authentica cenſenda eſt. Sic Bellarminus. At Stapletonus multo ſeuerius argumentum repetit, à Cano, illud ipſum quod refutauimus libri decimi tertii cap. 9.

II. Sed nos negamus antecedens: Verius eſt enim nullas vnquam verſiones fuiſſe authenticas: ac proinde neque Græcos ſua lingua authenticum habuiſſe Vetus Teſtamentum: neq; Hebræos Nouum: neutrum autem Latinos. Et quidem de Hebræis res eſt manifeſta. Nullam enim illi habere potuerunt verſionem, præter Syriacam. At hanc Bellarminus negat merito comparari poſſe cum Græca aut Latina editione. Græcis confectum eſt negotium libro præcedenti.

III. Quod ſi Bellarmini hæc mens eſt, vt Hebræi Hebraice Vetus Teſta-

mentum habuisse dicantur authenticum: Græci autem Græce Nouum: tum negamus consequentiam: primo enim imparia comparantur. Nec n. iudicij est satis sani, ex eo quod τὰ ἀρχέτυπα sint authentica, idipsum concludere de versionib. Itaque fraudulenter linguarum tantum fit mentio: quasi ob id vetus Testamentum esset authenticum, quia Hebraice scriptũ: & Nouum, quia Græce: quod est falsissimum. Nam vera causa eius authoritatis hæc est, quod ἀρχέτυπως vtrumq; ita sit editum. Secundo: quia nihil magis cogit concludi pro Latina Ecclesia, quam pro cuiuscunq; idiomatis: pro Germanica, inquam, Gallica, Hispanica, Italica, Anglica: reliquis. Et quis erit finis authenticarum editionum? Gretserus, instat maiorem fuisse Latinæ Ecclesiæ rationem: Primo, quia Latina lingua, & Græca sunt vniuersales, nulla certa regione circunscripta: Secundo, quia in Ecclesia Latina præsens est Vicarius Christi successor Petri, qui in suis sacris Latina lingua vtitur. Sed vtraque ratio est falsa. Latina enim lingua nunquam fuit vniuersalis. Quia hanc semper ignorauit vniuersus Oriens, in quo pars Europæ; & tota Asia, quæ terrarum maxima pars est. In Africa; multæ fuere gentes, quæ Latine nescirent: & forte solum fuit excepta ora illa maritima, in qua Carthago: & Hippona. In Occidente, ita fuit communicata, Hispaniæ & Galliæ, vt Germaniam non peruaderet, non Angliam, Scotiam, Poloniam, Daniam, Bohemiam; reliquas. Quo igitur iure dicetur vniuersalis? aut nulla regione circunscripta? Hodie vero nulla omnino est natio sub cœlo, quæ Latine loquatur. De Vicario Christi: respondeo omnes Episcopos in suis Ecclesiis esse Vicarios Christi, successores Apostolorum: & suis linguis sacra facere.

IV. Quemadmodum a. nihil propterea decedit de sanctitate & sinceritate Ecclesiæ Hebraicæ, hoc est, eius, quæ in Iudæa Christũ amplectebatur, quod non haberet nouum Testamentum sua lingua authenticum: nec Græcæ quod Vetus: Sic non est credendum deteriori loco esse Latinam Ecclesiam: eo quod neutrum Latine habeat authenticum.

V. Et quidem vide mihi Bellarmini incogitantiam, qui Latinis Latinam editionem authenticam esse vult: Græcis Græcam, Hebræis Hebraicam. Atqui id potius verum est, quæ in religione sunt authentica, ea omnibus esse authentica. Proindeque Hebraicam Veteris Testamenti editionem, non tantum Hebræis esse authenticam: nec Noui Græcam, tantum Græcis. Sed vtramque omnib. omnino Christianis, Hebræam, inquam, & Græcam, tum Hebræis, & Syris & Arabibus: & Græcis, & Latinis, & Hispanis, & Italis, & Germanis. Vnde merito præiudicatur aduersus Papistarum de versionibus sententiam. Quia Latina editio nunquam fuit authentica apud Græcos, aut Syros, aut Arabas.

VI. Et ratio est manifesta ab absurdo. Quia tum sequeretur, sacrorum librorum varias editiones esse authenticas, variis in locis. Id autem vide quid inferat. Primo pugnantia exemplaria, erunt vtraque authentica: quo quid absurdius? Recte Gretserus, *Sicut liber Canonicus à Canonico dissentire non potest, ita neque editio libri Canonici authentica ab alia editione authentica discrepare potest.* Cap. 10. libr. 2. Apologiæ, tom. 1. Atqui certum discrepare tres editiones, Hebraicam, Græcam, Latinam. Secundo, quæ non inde schismata inter Christianos originem habitura sint? Nam si Hebræis Hebraica editio authentica est: Græcis Græca, Latinis Latina: adhærebunt suæ singuli. Et exempli gratia, de Hebraica, Hebræi dicent, vt nemo illam reiicere quouis prætextu audeat, vel præsumat. Quid ergo? Nempe, cum disputabit cum eo Græcus aut Latinus: id accidet quod Maxentio: cui Nestorianus statim opposuit: non ita legi in Ecclesiasticis libris, sed multo aliter. Quæ si absurda sunt: non potest Bellarmini argumentum à sano esse iudicio.

VII. Pergo ad alias Bellarmini rationes. In Conciliis generalibus Ecclesiæ aut paucissimi, aut interdum nulli inueniuntur linguæ Hebraicæ periti. Male igitur prouisum esset Ecclesiæ, si in rebus grauibus non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos codices, & mendicare à Rabbinis, hostibus suis, veritatem, Idem dici potest de Græca lingua. Nam etsi nunc vtcumque multi inueniuntur, qui Græce nouerint, tamen non semper ita fuit. Nam teste Rufino historiæ libr. 10. cap. 21. ex sexcentis Episcopis in Concilio Ariminensi, nemo fuit qui sciret quid esset ὁμοούσιος.

VIII. Et confirmatur experimento. Nam, qui contempta antiqua editione nouis interpretationibus student, adeo diuersas & inter se dissentientes editiones cudunt, vt nihil fere certi ex iis haberi possit: idque conquestũ Lutherum in libro contra Zuinglium de veritate corporis Christi in Eucharistia.

IX. Atqui æquum erat potius hominum damnari ignauiam, & imperitiam, quàm Dei prouidentiam accusari. Quid enim? An vero Deus tenetur potius se se accommodare nostris peccatis: quam nos peccata nostra emendare ex eius præscripto? Et in hoc negotio omnem lapidem mouere vt Hebraice sciamus & Græce? Sed ita norunt Papistæ argumentari: vt non se subijciant Deo, sed Deum sibi. Si confirmanda est Episcopi Romani Tyrannis: Si commendandæ traditiones non scriptæ: Negant aliter bene prouisum Ecclesiæ. Si Purgatorium stabiliendum; negant hoc negato, Deum satis esse iustum. Si Transubstantiatio asserenda: negant aliter Deum satis amare Ecclesiam. Sic illi Deum versant pro arbitrio.

X. Negamus consequentiam. Nam Deus nunquam non optime prouidit Ecclesiæ: sed homines non semper vtuntur: aliquando etiam abutuntur iis, quæ sunt in eum finem instituta. Imo contra: ij pessime consulunt Ecclesiæ, absit enim vt Deum dicam, ne Papistarum blasphemiam imiter: quam exhorret animus. Illi igitur pessime consulunt Ecclesiæ, qui versiones volunt esse authenticas, id est, textui æquas: cum ipsa docuerit experientia, nunquam concordes fuisse, non inter se, non cum textu: diffidere enim ab Hebraico plus vel minus: diffidere Græcam à Latina: vtramque à Syriaca: Et Latinas ipsas inter se, Veterem à noua: Vt nullus vnquam dissensionum finis esse possit: nisi concedantur omnes corrigendæ ex fontibus.

XI. Enimuero quid appellat Bellarm. Concilia generalia? An vero ea quæ ex solis Latinis? Ridiculum. Nam praxis Ecclesiæ complectebatur & Latinos & Græcos & Barbaros. Sic in Niceno primo Eusebius de Vita Constantini libro 3. affuisse testatur non eos tantum, qui parebant Imperio Romano, sed etiam Persas, & Scythas. Imo antequam tyrannis Episcopi Romani sibi totam Ecclesiam subiiceret, sibique congregandorum Conciliorum potestatem vsurparet: minima Conciliorum pars Latina fuit. In ipso primo, omniumque celeberrimo, in trecentis decem & octo, quorum catalogus fertur, & si non satis probatur, vix Osium legimus & Romani legatos Vitum & Vincentium: tum Marcum Calabriæ, Cæcilianum Carthaginensem, Bunium Dalmatam, Domnum Stridonensem, Nicasium siue Diuionensem, siue Diniensem: Omnes octo, Latinos: si tamen in Latinis numerari placet Dalmatas & Illyricos. In solo Ariminensi, maxima pars Latinorum fuit: sed qui omnes in hæresin consenserunt.

XII. Quid igitur, si dicam, Bellarmini exemplo, omnino male consultũ fore Ecclesiæ, si Latina editio esset authentica? Neque enim primis illis tẽporibus congregatorum in Conciliis plures Latine sciebant, quam hodie Græce aut Hebraice. Sic in Actis Concilij Ephesini legimus literas à Cælestino scriptas, oportuisse in Græcum transferri, vt legerentur publice.

XIII. Quid rursus? si negem vllam aut Græcam aut Latinam editionem fuisse authenticã: cum cogerentur vniuersales Synodi: saltem primæ. Nicena, Constantinopolitana, Ephesina? Enimuero Nicena & Constantinopolitana coactæ fuerunt ante factam: Hieronymianam versionem oportet igitur extitisse veterem Latinam: sed quamnam dicimus in Synodo potuisse haberi pro authentica? Italam-ne, an aliam aliquam ex infinitis? Imo vero quis credat propter octo ad summum Latinos Episcopos, Latinam editionem fuisse admissam: Iam vero Græcos sæpius audiuimus, ex Hieronymo, diuisos fuisse in tres partes: ac nullam omnes simul vnam habuisse editionem authenticam,

XIV. Ephesinam Synodum fateor exstitisse post Hieronymi mortem: sed tamen tum cum nondum recepta esset eius versio; vt patet ex Augustino, & Maxentio. Et alioqui norunt omnes eius quasi animam fuisse Cyrillum Alexandrinum: à quo potentissime refutata est Nestorianorum hæresis, ex codicibus, non Latinis, sed Græcis. Et sane apparet ex Lyrinensi, nondum receptam fuisse Hieronymi versionem: nam ille in Commonitorio non vtitur. Statim initio recitat ex 32. Deuteronomij, *Interroga patres tuos, & dicent tibi.* Ex Prouerbior. 22. *Verbis sapientium accommoda aurem tuam:* Et 3. *Fili mi, hos sermones ne obliuiscaris: mea autem verba custodiat cor tuum.* Qui loci aliter habentur hodie. Primus, *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi.* Secundus, *Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum.* Tertius, *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.*

XV. Quid tum vero, si in Ariminensi nemo Græce sciuit? quanquam non sit verisimile: & illud, περὶ τοῦ ὁμοουσίου, Rufini potest aliter intelligi quam de linguæ Græcæ ignorantia. Virtutem enim verbi dicit ignoratam, non vero verbum. Sed tamen quid tum? Nam certe tum temporis non erat in vsu hodierna Latina editio, pro qua non secus quam pro aris & focis Papistæ pugnant. Id facile doceo ex Phœbadio: qui interfuit huic Ariminensi concilio. Hic in suo contra Arianos libello plurimos citat Scripturæ locos: sed raro, vt hodie leguntur: nec tantum ex veteri Testamento: sed etiam ex Nouo, quod magis mirum. Hæc liceat exempli gratia proferre. Ex Veteri. Exodi 7. *Faciam te Deum Pharaonis*: pro quo nunc habemus, *constitui te Deum Pharaonis.* Esaiæ 49. *Deus æternus neque sitiet, neque esuriet.* Deus bone, quanta dissensio. Legimus enim, *Non esurient neque sitient.* Ex Psalmo trigesimo octauo, *Substantia mea ante te est semper*: pro *Substantia mea apud te est.* Ex Hieremiæ 23. *Si stetissent in consilio meo.* Ex Tobia. *Si fuerit tibi copiosa substantia*: quod in Latinis codicibus nusquam legimus.

XVI. Ex nouo Testamento: quod cum non verterit, sed tantum emendauerit Hieronymus, videbatur non debere esse adeo diuersum. Ioannis vigesimo, *Vado ad patrem meum*: pro, *ascendo.* Ex 17. *vt cognoscant te solum, & verum Deum*: pro, *te solum verum Deum*: hoc autem, *Cur honorem ab vno & solo Deo non quæritis*, vbi legatur, ignorare me fateor: non enim Ioannis 5. vbi legimus. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Lucæ decimo nono, *Dimidium do ex substantia mea*: pro *dimidium bonorum meorum*: Et ne hoc leuiusculum quis putet: agebat Phœbadius non de sensu, qui idem esse potest: sed de ipso substantiæ vocabulo.

XVII. Atque vt magis miremur, magisque sciamus, non fuisse tum temporis vnam aliquam editionem authenticam, Hilarius Phœbadio & ἀγχίνοος & ὁμοτεχνίτης (vterque enim Gallus) aliter citat. Nam &, *Ascendo ad Patrem*: &, *te solum verum Deum*: & ex decimo quarto Ioan. in Psalm. 125. *Mittet vobis Pater & alium consolatorem*: pro quo Phœbadius *alium aduocatum dabit vobis.*

XVIII. Ex his constat iam olim facile coacta fuisse vniuersalia concilia, & quidem maximo Ecclesiæ commodo, etsi nulla esset Latina editio authentica. Itaque falsum esse argumentum Bellarmini. Nam quid tum si se loqui excipiat de postremis Conciliis, hoc est, ex solis Latinis? Primo ea nec debent, nec possunt vniuersalia dici. Deinde, quare his potius magisque consultum oportuit, quam illis primis, vereque vniuersalibus? Aut si illis non male consultum fuit, quamuis nulla esset authentica Latina editio: qui fit, vt nunc omnia susque deque ferri oporteat, nisi alia ratione prouideatur? Enimuero nulla profecto causa, nisi quod sic Bellarmino, imo sic Papistis videtur.

XIX. Iam quod de varietate nouarum interpretationum subijcitur; scilicet nihil inde certi haberi posse, falsum est. Quid enim obstat, quominus idem hodie valeat, quod Augustini seculo? *Hæres* (inquiebat ille) *plus adiuuit intelligentiam quam impediuit, si modo legentes, non sint negligentes.* Et certe si ex editionum varietate, tanta necessario sequitur confusio, quid dicemus de tempore Ephesini concilij? Nam primum aliæ erant Græcæ, aliæ Latinę editiones. Secundo Græcæ erant saltem tres ab Hieronymo indicatæ, Origeniana, Hesychiana, Palæstina. Tertio Latinę rursum plures erant, hoc est, infinitæ, Augustino teste, qui paucis mensibus ante id Concilium decessit è viuis, saltem vero ternæ: Vna Itala & communis altera ex Hieronymi correctione: tertia, ex eiusdem versione. Ita sex minimũ editiones magni nominis inter Christianos. At vero nunc Latinas, quod sciam, habemus non plures; hanc vulgatam de qua agimus: tum Pagnini, Munsteri, Castalionis, Tigurinorum, & Iunij.

XX. Præterea, quod genus conclusionis istud est? Qui nouis editionibus student, adeo diuersas cudunt, vt nihil certi ex iis haberi possit: ergo

Deus

Deus male prouidisset Ecclesiæ, si Latina editio vulgata non esset authentica? Aut cur non concluditur de Græca, de Syriaca? Imo cur non potius de fontibus? Nam certe hic ratio longe fortior. Non enim recentes versiones, solæ sunt variæ, sed etiam omnes à prima vsque illa, cuius autores Septuaginta. Itaque longe esset certius: Omnes Versiones inter se ita sunt discrepantes, vt nihil certi ex ijs haberi queat. Ergo male consultum Ecclesiæ, si fontes non sint authentici, ijsque in rebus grauibus fidere non possit Ecclesia.

XXI. Sacroboscus argumentum plane efficax ac validum esse dicit: hoc modo. Si hæretici, qui contempta antiqua editione, aliter quam illa, reddere student, male omnino vertunt, manifestum indicium est, recessum ab antiqua editione, ad corruptionem tendere, & è conuerso accessum ad eam tendere ad perfectionem, itaque illam esse veram, fidelem ac sinceram.

XXII. Sed primo hoc nullum est Bellarmini argumentum. Quid ergo? nempe, si recessus ab argumentatione Bellarmini, ad perfectionem tendit: ergo accessus ad eam tendit, ad corruptionem, itaque ad argumentationẽ Bellarmini necesse est, esse falsam, infidelem ac insinceram. Hoc primũ. Deinde quanto hæc illa melior? Nam falsum, qui recesserunt ab antiqua editione, mala vertisse. Alioquin peius vertissent, quod est vero alienũ, & probari potest locis infinitis, in quibus habemus adstipulatores ipsos Papistas, etiam post concilium Tridentinum, vt ostendam c. 9. Præterea si verterunt male, non quia discesserunt à Latina editione: sed quia non accesserant ad fontes. Sic Beza Castalionem reprehendit, quod Lucæ 1. reddiderit *Vinum & temetum*, non quia à Latina recessit, cui ipse Beza adhæsit, sed quod à Græco, vbi οἶνον ϗ σίκερα, tanquam diuersa legimus, cum vinum & temetum idem sint. Infinita sunt huiusmodi.

CAP. VI.

An editio Latina sit θεόπνευστος.

I. Hieronymus, hanc editionem fecit eodẽ Spiritu, quo & ipsa Scriptura in suo fonde edita est à Prophetis & Apostolis. Sed & negotium egit totius Ecclesiæ, quæ falli non potest, falleretur autem Latinorum Ecclesia, si in Scriptura Latinè data error nullus esset. Videtur ergo prorsus inhærendum editioni Hieronymi, tanquam Scripturæ sacræ in suo fonte. Primum est argumentum apud Driedonem. Petrus Sutor videbatur, cap. 10. polliceri demonstrationem primæ partis in antecedente: sed in neruum erupit, totum enim caput insumitur in ijs refutandis, qui frustra Hieronymum assererent huic operi manum admonuisse, qui nos socios nunquam habuerunt.

II. Respondeo, primo non valere consequentiam, quia, quam hodie habemus Latinam editionẽ, ea non est pura siue legitima, vt alias diximus neq; æquum est, vt quæ post eum, præterq; eius mentem immutata sunt, eodem priuilegio fruantur cum ijs quæ sunt genuina & legitima.

III. Secundo, ad Antecedentis priorem partem. Fateor eodem spiritu & Hieronymum vertisse, & Prophetas edidisse, sed non eadem mensura. Recte enim Paulus omnia in Ecclesiam charismata deduci asserit, ab vno eodemque Spiritu, 12 c. prioris ad Corinthios: sed idem recte monet, vnicuique nostrum datam esse gratiam secundum mensuram donationis Chisti, 4. ad Ephes. Itaque si habuisset Hieronymus tantam Spiritus abundantiam quantam Moses, aut reliqui Prophetæ, nemo negaret, æqualem in Ecclesia eius auctoritatem esse. Sed si certum est, eum vnum aliquem fuisse ex fidelibus, qui pro suo modulo Ecclesiæ conabatur esse non inutilis, & vt ipse dicebat, non aurum, & argentum, & lapides pretiosos, aut byssum, aut purpuram, aut coccum offerret, sed pelles, & caprarum pilos, tum sane nihil est causæ, cur non in ordinem suum cogatur, vt stet in secundis, tertijsue post primos.

IV. In altera parte, primum nego Hieronymum egisse negotium Ecclesiæ, sed tantum Latinæ Ecclesiæ: Hæc autem valde differunt. Nam ipsi aduersarij, etsi non concedant vniuersalem Ecclesiam falli posse, tamen nõ negant Ecclesiæ partem huic obnoxiam incommodo, vt patet de Ecclesia Græca. Sic autem ille inseruiuit Ecclesiæ Latinæ, quemadmodum Ionathã suæ, id est, Iudaicæ, & idem Hieronymus Dalmaticæ, alius nescio quis Syręę Arabicæ Saadias, Tauasius Persicæ, & ne nostra omittam tempora, Lutherus Germanicę, Zuinglius Helueticæ, Geneuenses Gallicæ, alij alijs. Quod si eos omnes necesse erat non errare, qui partis alicuius in Ecclesia negotium agunt, tum profecto examen nobis prodibit editionum authenticarum.

V. Deinde, idem Hieronymus negotium egit Latinæ Ecclesiæ, non tantum cum transtulit ex Hebræo, sed etiam cum editionem Septuaginta vertit in suam linguam. *Egone* (inquit) *contra Septuaginta interpretes aliquid sum loquutus, quos ante annos plurimos, diligentissime emendatos, meæ linguæ studiosis dedi?* Si ergo consequentia est necessaria, tum oportuit hunc etiam eius laborem fuisse authenticum: quod video ne Papistis quidem placere.

VI. Quid? quod seipse nonnunquam testatur non Ecclesiæ laborare, sed priuatis quibusdam gratificari. Sic prologo in Esdram, *Obsecro vos: mi Domnion & Rogatiane charissimi, vt priuata lectione contenti, librum non efferatis in publicum. Si qui autem fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar.* An igitur æquum videtur, vt hanc saltem operis partem excipiamus.

VII. Denique eorum qui Ecclesiæ negotium agunt, ij demum aliquid eudunt authenticum, qui id ipsum & aggrediuntur & perficiunt authoritate freti, vel Spiritus Sancti extraordinaria, vel publica totius Ecclesiæ. At Hieronymus neutra. Neq; enim extraordinarius Propheta fuit, vt paulo ante diximus Non etiam publica totius Ecclesiæ vocatione hoc onus sibi habuit demandatum, sed vel suo proprio motu, vel precibus nonnullorum, aliquando quidem Episcoporum, vt Damasi, Domnionis, Rogatiani, Chromatij, Heliodori, nõnunquam vero priuatorum, vt Desiderij Sophronij, & in his etiam mulierum Paulæ, & Eustochij. Quare nihil potest edidisse authenticum.

VIII. Canus habet argumenta propria. Primum, In hac Scriptura Latina vel aliquid falsi continetur, quod ad fidem moresq; pertineat: vel contra verum est, quod vbique tradit. Si verum est, id est quod Papistæ volunt conficere. Sin falsum, ergo Ecclesia Romana, & Latina circa ea quæ fidei sunt, grauiter aberraret. At hoc est absurdum: cum in Ecclesia Latina nunc temporis & quidem sola fidei veritas perseueret.

IX. Alterum. Hæreticæ prauitatis Inquisitores in refutandis hæreticis atque puniendis, vtrum hanc editionem sedulo tenere debent, an potius necesse est illis ad Græcam, & Hebraicam, quam minime nouerunt, recurrere veritatem: Posterius absurdum est, quia in dignum à re prorsus incognita grauissimi tribunalis pendere iudicium. Ergo alterum restat, vt editioni Latinæ hæreant.

X. Tertium. Grauissimum incommodum in Ecclesiam inferunt, qui Latina editione postposita, aliunde censent, puram firmamque veritatem hauriendam. Quod Latini fideles, Græcas, Hebræasque literas ignorantes cum Scripturam in suo idiomate legerint, semper ancipiti sententia pendebunt, nescientes, num quæ Latine legunt, sic an aliter apud Græcos & Hebræos habeantur. Vacillabit igitur omni loco legentium fides, nec poterit alicubi firma consistere. Quo quid perniciosius esse potest?

XI. Ad hæc sigillatim respondeo. Ad primum, frustra argumentum coarctari ad ea quæ fidei sunt & morum, quia certum est in libris sacris contineri etiam historica, & ceremonialia quæ magni Ecclesiæ interest, pura sinceraque haberi. Quare etsi Latina editio nihil omnino peccaret in ijs, quæ ad fidem moresque pertinent, tamen non esset authentica, si quid in historia, & ceremonijs discederet à vero. Itaque argumentum est mancum

XII. Deinde, etiam si nihil peccaret omnino in ipsis rebus, tamen posset in verbis non assequi maiestatem Spiritus Sancti, vt sibi accidisse in Esaia fatetur Hieronymus *De Esaia* (inquit) *sciendum quod in sermone suo disertus sit, quippe vt vir nobilis & vrbanæ eloquentiæ, nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admistum. Vnde accidit vt præ cæteris, florem sermonis eius, tralatio non potuerit conseruare.*

XIII. Tertio, vt vt nihil omnino peccaret, neq; in rebus, neq; in verbis tamen non esset authentica, hanc ipsam, & vnicam ob causam, quia τὰ ἀπόγραφα τοῖς αὐτογράφοις æquari nec possunt, nec debent. Nam τὰ ἀπόγραφα tantum fidei merentur, quanta est eorum cum αὐτογράφοις concordia, & similitudo. Itaq; pendent aliũde, non autem à seipsis. Vtrum vero Latina Ecclesia erret, vel non, examinandum, aut etiam mihi nunc curãdum non est. Alias DEO dante locus dabitur aptior contundendæ Papistarum iactantiæ.

XIV. Ad secundum, dico debuisse Canum causam generalem tueri argumentis generalibus: hoc autem de Inquisitione, particulare esse, duabus de causis. Primo quia Inquisitio nouitium est inuentum intra secundum à nobis seculum. Quæ vero fert ratio vt postremissima tempora, primis adeo preualeant? Secundo, quia proprium Hispanię & Italiæ. Nam reliquæ gentes, Germanos dico, Polonos, Danos, Gallos, Belgas, Anglos, Scotos, tyrannidem hanc nec probant, nec ferre possunt, imo tam exsecrantur, quam quod maximè. Et sane hanc omnes sciunt, non hæreticis confutandis, aut puniendis operam dare, sed fidelibus excarnificandis. Quod quidẽ ab ijs tantum fieri potest, qui Hebraicæ Græcęq;, id est, Propheticæ, & Apostolicę veritatis adeo sunt imperiti, vt quod est in prouerbio, ne pictam quidem viderint. Ἀλλὰ τυφλὸς τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται.

XV. Ad tertium, primo quod in Latinis maius est incommodum aut absurdum, quam in reliquis? Nam Græcis vt probauimus præcedente libro Gręca versio non erat authentica: nec Syris Syra, nec Dalmatis Dalmatica, vt ipsi concedunt Papistę. His autem minus consuli oportere, quis dixerit sanus? Imo mitto conferre Latinis alios, quos illi superbe despiciunt, sed Latinos Latinis, cur non conferam? Ergo hoc quæro, quæ causa est, vt magis conquerantur qui sunt hodie Latini, si non habeant translationem authenticam, quam olim veteres Latini, qui primum hac destituebantur, quę ante Hieronymum nulla erat: deinde ne ipsi quidem vnam habebant authenticam, sed infinitas, quarum collationes fidem suam confirmabant. Nam in exponendis Scripturis, sæpe eos videas, varias editiones comparare, atq; vtrasque exponere, sicut eos facere necesse erat, qui Hebraicè nescientes, non poterant meliora discernere.

XVI. Secundo dico fidem confirmari ex totius fidei analogia: quę haberi potest etiam ex versionibus non authenticis: dummodo non peruersis. Et sane debet Ecclesia curare, vt exstent quam fidelissimæ Scripturarum versiones, neq; in manus plebis tradantur quęlibet à quolibet confectæ. Sed hoc argumentum eo tantum valeret, vt tanquam coniectura, Latina versio ostenderetur non esse erronea, at non, vt non demonstretur esse authentica.

XVII. Denique ex vulgi imperitia, non potest quicquam legitime cõcludi in tanto negotio. Multo melius à doctis. Audiant ergo Hieronymum, non iam Episcopos, magnosque aliquos doctores, sed mulierculas alloquentem, & pudore confundantur aduersarij, qui istis multo inueniuntur magis & socordes & imperiti, in tanto tamen negotio. Verba sunt ex præfatione in Estheræ librum. *Vos autem ô Paula & Eustochium, quoniam & Bibliothecas Hebræorum studuistis intrare, & interpretum certamina comprobastis, tenentes Esther Hebraicum librum, per singula verba nostram translationem aspicite, vt possitis agnoscere, me nihil etiam argumentasse addendo, sed fidei testimonio simpliciter, sicut in Hebræo habetur, Historiam Hebraicam Latinæ linguæ tradidisse.* En vobis & mulierculas Latinas Hebraicè doctas, & Hieronymum postulantem ab eis, vt suam versionem conferent ex Hebræo. Ergo, inquam, doctis persuasum est, versionum fidem pendere ex textu: ergo non ab imperitis in contrariam partem persuaderi iniquum fuerit.

Cap. VII.

An Hieronymi translatio ſit humana.

I. PRofligatis aduerſariorum ſophiſmatis, noſtra ſunt exſerenda in contrarium argumenta. Primum eſt, quia nullum opus, humana induſtria effectum, eſſe poteſt authenticum in Ecclesia. Eſt autem certiſſimum, Hieronymi Tranſlationem, non diuino propheticoq; afflatu, ſed eſſe factam humana induſtria Itaq; neceſſaria concluſio fit, non eſſe authenticam. De maiore actum eſt præced. lib. c. 6.

II. Probatur minor: Primo quia intelligentiam textus Hebraici Hieronymus aſſequutus eſt, non ex inſpiratione, vt Apoſtoli linguæ Græcæ, & Latinæ: ſed a magiſtris, iiſque interdum non Catholicis, ſed Iudæis. Epiſtola ad Ruſticum de viuendi forma. *Dum eſſem iuuenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent incentiua vitiorum, ardoremq; naturæ ferre non poteram: quem cum crebris ieiunijs frangerem, mens tamen cogitationibus æſtuabat: ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat me in diſciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemq; Frontonis, & lenitatē Plinij, alphabetum diſcerem, & ſtridentia anhelantiaq; verba meditarer. Quid ibi laboris inſumpſerim quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperauerim quotiesq; ceſſauerim, & contentione diſcendi rurſus inceperim: teſtis eſt conſcientia tā ea, qui paſſus ſum quam eorum, qui mecum duxerunt vitam, & gratias ago Domino, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus carpo.* Idē ad Pammachiū & Oceanum, quæ eſt epiſt 65. *Putabant me homines finem feciſſe diſcendi: veni rurſum Hieroſolymam & Bethlehem, quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum?* Audin' tu? Sic omnino didiciſſe Hieronymum Moſis & Prophetarum linguam, quomodo diſcunt alij plurimi? Certe non procul ab eo Agathius Guidacerius præfatione in Miclol Dauidis Kimchi ſe teſtatur prouectiore iam ætate, Rabbi Iacob Gabbai, doctiſſimo Iudæo Luſitano, in diſciplinam tradidiſſe, multoq; ſumptu & labore adeo profeciſſe, vt ad eam ab Hebræis ad Chriſtianos transferendam fuerit primum à Leone decimo Pontifice Romæ conſtitutus, tum à Franciſco eius nominis primo Francorum rege Lutetiam euocatus. Hic igitur apparatus, quid non humanum redolet?

III. Pergo vlterius, & non tantum communi vulgataq; induſtria, Grāmaticam Hebræam didiciſſe doceo, ſed etiam, quod multo magis ad hanc rem facit, ipſam eorum librorum, quos latine verteret, intelligentiam à Iudæis mutuatum. Hoc n. cur vererer aſſerere, quod ipſe confiteri nō erubuit? Audite prologum in librum Tobiæ, quem aduerſarij inter Canonicos numerant, non ſecus ac quemlibet Prophetam *Quia vicina eſt Chaldæorū lingua ſermoni Hebraico, vtriusq; linguæ peritiſſimum loquacem reperiens, vnius diei laborem arripui, & quicquid ille mihi Hebraicis verbis expreſſit, hoc ego accito notario, ſermonibus Latinis expoſui.* Auditis-ne Hieronymum non iam Spiritus Sancti, ſed Iudæi cuiuſdam loquaculi interpretem? & hanc verſionem oportebit eſſe authenticam? O ingenia δεινῶς βοιωτικά!

IV. Similiter librum Iob vt intellligeret, vſum ſe teſtatur alio præceptore, *Memini* (inquit) *ob intelligentiam huius voluminis Lyddeum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non paruis redemiſſe nūmis, cuius doctrina an aliquid profecerim neſcio, hoc vnum ſcio, non potuiſſe me interpretari, niſi quod ante intellexerā*: En tibi propheticum ſpiritum ſcilicet nummis redemtum, vt renatus pene Simon videri poſſit. Sed non eſt ita. Et Papiſtæ potius volunt nos διὰ ῥινὸς ἕλκειν. In præfatione in Danielem queritur, poſt multum impenſum laborem Hebraico idiomati, impegiſſe in Danielis illa capita quæ ſunt Chaldaicè ſcripta, tanto affectum tædio, vt deſperatione ſubita vellet omnem laborem veterem abijcere, niſi erexiſſet non iam Spiritus Sanctus, ſed quidam Hebræus, illud occinens, *Labor omnia vincit improbus.* factum igitur eſſe denuo diſcipulum, & quidem non rā felici ſucceſſu, vt eam linguam ipſe loqui poſſet, ſed tantū intelligere: quod illis vſu venit, quorum non eſt perfecta, aut etiam confirmata cognitio. Et miremur aliquando ceſpitaſſe?

V. Secundo, probatur minor, ex Prologo in Pentateuchum. *Aliud eſt* (inquit Hieronymus) *eſſe vatum, aliud eſt eſſe interpretem. Ibi Spiritus ventura prædicit, hic eruditio & verborum copia ea, quæ intelligit transfert.* Quæ verba ſi vera, tum neceſſe eſt ipſum Hieronymum eximi à numero prophetarum id eſt eorum, qui extraordinario Spiritus afflatu acti libros ediderunt authenticos.

VI. Sed Sutor diſtinguit duo genera Interpretum. Vnum, quod ſecundum humanam transfert induſtriam, alterum, quod diuina etiam inſpiratione interpretatur, priore modo Hieronymum eſſe interpretatū Græca volumina, quæ diuina non erant: puta Origenis quædam, & Didymi, & Epiphanij & aliorum. At ſecundo modo ſacros libros traduxiſſe, ratio eſt, quia nemo vnquam potuerit fideliter ac decenter transferre Scripturam ſacram niſi Diuino Spiritu peculiariter afflatus. Porro, Hieronymum in eo prologo loqui de primo genere interpretum, de quo tum putabat Septuaginta ſeniores fuiſſe.

VII. At iſta ſunt falſa Diſtinctionem Interpretū vnde habet? Nam Hieronymus nunquam eius meminit, & hoc loco vniuerſaliter loquitur, dum interpretes opponit Prophetis, vt omnino ſequatur nullum Interpretem eſſe Prophetam. Et quidem ex profeſſo agens non de interpretatione prophanorum librorum, aut certe non diuinorum, ſed de tranſlatione ipſorū voluminum, in quib. tum ipſe laborabat, hoc eſt, veteris Teſtamenti. Itaq; neceſſario ſenſus eſt aliud eſſe Prophetam, aliud vero interpretem librorum ſacrorum. De Septuaginta ſenioribus alias dictum eſt.

VIII. Non poſſe fideliter ac decenter Scripturam ſacram transferri, niſi peculiariter afflante Spiritu, diſtinguo. Vel enim fideliter ac decenter transferri ſic intelligitur, vt ſenſus ſit, nihil erroris admiſſum eſſe, omniaq; exacte reſpondere maieſtati diuinæ quam primi authores expreſſerunt: Vel, vt ſignificetur ſenſus authenticæ, id eſt, primæ editionis fideliter repræſentatos, atq; vt oportuit. Rurſus Inſpiratio, vel extraordinaria eſt, vel ordinaria. Itaq; ſi primū interpretationis genus Sutor intelligit, tum fateor quidē non poſſe haberi niſi Spiritu extra ordinem afflante: ſed addo nullum hactenus Interpretem exſtitiſſe eius generis. Sin autem confugit ad alterum fidelis interpretationis genus, tum nego opus eſſe extraordinario ſpiritu, magis in vertendis, quam in exponendis Scripturis.

IX. Pateriq; tur Hieronymi hanc mentem eſſe, quemadmodum Cicero (nam hoc vtitur exemplo) Oecumenicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cteſiphonte, vertebat, non afflatu Rhetorico, ſed propria induſtria: ita Septuaginta Interpretes, non ex inſpiratione diuina, quemadmodum Prophetas, ſed humano ingenio ſacros libros ediſſe. Atque ita omnino iudicandum ex alijs eorundem librorum interpretibus.

X. Tertio probatur minor, quia ipſe ſua interpretationis aliquando rationem reddit, omnino humanam, vt, præfatione in Euangelia ad Damaſum *Hæc præſens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, codicum Græcorum emendata collatione, ſed & veterum, quæ ne multum à lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperauimus, vt ijs tantum quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur vt fuerāt.* His verbis duplex indicatur ratio, quarum neutra diuina poteſt eſſe. Prior codicū collatio: nam hac vtuntur quilibet critici, etiam in prophanis libris recenſendis. Quis a. dignum putet extraordinaria illa & prophetica inſpiratione nihil à ſe ipſo audere? ſed tantum numerare codices, ſingulorumq; ætatem explorare? Altera multo etiam magis hominem redolet. Quis enim crediſſet Spiritum Sanctum, ſe ipſum quaſi compedibus cohibiturum, ne ſuo arbitrio corrigeret, quæ videbantur corrigenda? Sed inſeruiret iam receptæ conſuetudini, potius quam veritati?

XI. Similis eſt, ex commentarijs in Ionæ cap. 4. excuſatio, quod pro cucurbita, quæ vulgo legebatur, hederam reddidiſſet. Non enim auſum eſſe dicit ipſum vocabulum Hebraicum retinere, & ſi hoc potius voluiſſet, idq; non ex aliquo Spiritus inſtinctu, ſed ex metu Grammaticorum, *ne* (inquit) *inuenirent licentiam commentandi, & vel beſtias Indiæ, vel montes Bœotiæ, aut iſtiuſmodi quædam portenta confingerent.* Subſtituiſſe vero hæderam, nō quod ad eam magis accedat vox Hebraica, quam ad cucurbitam, ſed ſequutum veteres interpretes, qui κισσὸν verterunt, quia, quid dicerent, aliud non habebant. Adeo nihil hîc erat non humanum, vt ille pro Spiritu Sancto Symmachum & Theodotionem haberet.

XII. Quarto, quia in vertendo, ſententiam aliquoties mutauit: quod nunquam ij faciunt, quos Spiritus Dei afflauit, extra ordinem Sic primo, cum magna voce declamaret in Septuaginta Interpretes, quod Eſaiæ 11. nō expreſſiſſent Nazaræum, tamen ne ipſe quidem poſtea ita putauit interpretandum, ſed florem dixit, & melius, ſicut docet in commentarijs ad eū locum. Similiter cum illud Domini dictum, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ* ſumptum ex Prouerbijs contenderet: tamen nullo loco expreſſit quod quidem multo ſit diſertius quam apud Septuaginta, quos indigne exagitabat, ſaltem hoc nomine.

XIII. Rurſus Iſaiæ 19. *Erit terra Iuda Ægypto in feſtiuitatem*: male ſe fatetur feſtiuitatem dixiſſe pro pauore. Valdeq; ingenuè, atq; vt ſimplicitatem decebat Chriſtianam, exemploq; quauis laude digno, *melius reor,* (inquit) *etiam proprium errorem reprehendere, quam dum erubeſco imperitiam cōfiteri, in errore perſiſtere.* Det vero nobis Deus, det etiam Ieſuitis tantæ ſinceritatis exemplum imitari. Sed enim, ergo inquam, & errabat Hieronymus aliquando, cum Scripturas interpretabatur, & agnoſcebat poſtea ſibi aliquid hæſiſſe imperitiæ. Quis neget hominem? quis prophetā aſſerat? Quis amplius contendat opus eius eſſe authenticum.

XIV. Eccleſiaſtē Bellarminus aſſerit bis ab eo verſum: & habetur ſanè eius in commentarijs duplex verſio: vnde patet, diligenti collatione facta, non ſemper in eadem fuiſſe ſententia. Nam 1. c. pro, *Peruerſi difficile corriguntur & ſtultorum infinitus eſt numerus,* quæ verba ſunt Vulgatæ verſionis, in alia habetur, *Peruerſum non poterit adornari, & imminutio non poterit numerari,* atq; hoc poſterius tanquam verius, explicat, priori neglecto. Ibidem iſta, *& agnoui quod in his quoq; eſſet labor, & afflictio ſpiritus,* mutauit in hunc modum, *cognoui, quia & hoc eſt paſtio venti, ſiue præſumptio ſpiritus.*

XV. Cap. 2 *cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam,* At hæc longe aliter, imo in contrarium ſenſum alias ſunt reddita. *Conſideraui in corde meo, vt traherem in vino carnem meam.* Et exponit in commentarijs, volui vitam meam tradere delicijs, & carnem meam ab omnib. curis liberare. Bellarminus illam tranſlationem poſteriorem eſſe putat, hanc a. priorē: quod vnde habeat non ſignificat. Certum eſt tamen hanc eſſe veriorem, ſi conferatur cum textu Hebraico. Nam quod Bellarminus בְּיַיִן vtroq; modo verti poſſe ait, nihil promouet, niſi quod ſuam vel in ea lingua ignorantiam prodit, vel certè intolerandam audaciam. Nego enim vllum poſſe dari exemplum, vbi vocula illa Hebraica ſignificet motum à loco vel à re aliqua.

XVI. Nec ſane vllum video in illis quinq; collectis à Bellarmino. Nam Exod. 12. *Comedes ex eo,* quis huic dicat ſimile: Cap. autem 35. materia ſignificatur ex qua fit aliquid, at Hieronymus vertit *in auro & argento, & ære.* Et 38. rurſus materia, *fecit de ſpeculis mulierum,* Leu. 8. legimus *reliquum de carne & panibus.* Poſt. Chronic. 16. rurſus materia denotatur, *ædificauitq; ex eis.* Sed hoc loco, de quo nunc contendimus, particula eſſet ἀναχωρητική, ἢ διαζευκτική. quod nunquam inuenitur.

XVII. Mitto alia plurima in Veteri Teſtamento. Sed iam in Nouo: Epiſtol. ad Gal. c. 1 *Non acquieui carni & ſanguini:* ipſe melius Græcè haberi teſtatur, *non contuli cum carne & ſanguine,* commentarijs in eum locum. Primo ad Epheſ. pignus non bene poſitum pro arrhabone, eſſe enim hunc futuræ emptionis quaſi quoddam teſtimonium, & obligamentum, illud vero pro mutua pecunia opponi. Cap. 4. pro *deſperantes ſemetipſos,* multo aliud in Græco ſignificari: nam ἀπηλγηκότας, eos dici, qui poſtquam peccauerūt non dolent, exprimique poſſe per indolentes, ſiue indolorios.

XVIII. Quanquam hæc remanſiſſe videntur in nouo Teſtamento, ex veteri editione, quam ille emendauit duntaxat, & quidem leui brachio, multa concedens inueteratæ conſuetudini. Sed quid tum? Nam hinc conſtat, non ex ſpiritus extraordinario afflatu hanc editionem factam: quando melius aliquid eſſe poteſt Niſi forte dicamus, ipſius etiam Spiritus Sancti cenſorem conſtitutum eſſe Hieronymum.

CAP

Cap. VIII.

Editionem Latinam Hieronymus non habuit pro authentica.

I. HAnc editionem neque Hieronymus ipse agnouit esse authenticam, neque post Hieronymum Ecclesia pro authentica vnquam habuit. Ergo Tridentinum Concilium non recte declarauit authenticam. Quis enim melius ac certius iudicium facere potuit, quam Hieronymus? Nam Prophetæ,& Apostoli,hoc est,omnes,qui acti à Spiritu Sancto libros ediderunt Canonicos,ipsi profecto scierunt esse,regulam fidei. Iam si Spiritus Spiritum agnoscit,& Ecclesia regitur à Spiritu, ergo necesse est Ecclesiam,primum prolatam hanc editionem, statim agnouisse. Quis ergo non miretur,imo quis credat,postremo demum seculo suo functam Ecclesiam officio,ac nunquam alias?

II. Antecedentis prior pars probatur ex ipso Hieronymo, qui primo liberum facit quibuscunq; vt suam interpretationem pro arbitrio vel legant, vel non legant. Præfatione in librum Iosue. *Cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius, & sanctum opus venenata carpere lingua desistat, vel suscipiens si placet,vel contemnens si displicet.* Sic præfatione in Esdram. *Legant qui volunt, qui nolunt, abijciant.* In Iob prolixius. *Habeant qui volunt veteres libros,vel in membranis purpureis auro argentoq; descriptos,vel uncialibus (vt vulgo aiunt) literis,onera magis exarata quam codices: dummodo mihi,meisq; permittant pauperes habere schedulas, & non tam pulchros codices, quam emendatos. Vtraq; autem editio, & Septuaginta, iuxta Græcos, & mea iuxta Hebræos in Latinum meo labore translata est. Eligat vnusquisq; quod vult.*

III. Quid? quod iratus aduersarijs, territusque eorum clamoribus,vix audet in publicum prodire, & contrahit sese ad amicos? Præfatione in Esdram: *Obsecro vos, vt priuata lectione contenti, librum non efferatis in publicum, nec fastidiosis cibos ingeratis, vitetisq; eorum supercilium, qui iudicare tantum de alijs, & ipsi facere nihil nouerunt. Si qui autem fratrum sunt, quibus nostra non displicent: his tribuatis exemplar. Hinc patet non putasse Hieronymum suum hoc opus publicè legendum, & quidem alijs eiectis editionibus.*

IV. Hic respondent Sacroboscus & Gretserus: ille 2. parte Defensionis c.1. iste Apologiæ tom. 1. lib. 2. cap. 11. Et primo, Hieronymum ex modestia animique submissione, ita de se sentire, & publice profiteri potuisse. Secundo, non iudicasse suam editionem habuisse errores in quæ pertinent ad fidem & mores. Tertio, si quid aliquo loco male verterit, eam versionem non esse probatam ab Ecclesia: sed eius correctionem potius.

V. Sed ego, ad primum: nihil esse facilius quam verum alicuius de sua infirmitate sensum eludere,prætextu huius modestiæ: Verum non solere Spiritu Dei afflatos homines, tam demisse de se sentire, vt præiudiciũ faciant,doctrinæ suæ: quam esse oportet authenticam. Nec sane Paulus, quantumuis procul esset à thrasonico fastu,vnquam tamen dixisset de suis scriptis: *legant qui volunt, qui nolunt abijciant.*

VI. Ad secundum non sufficere, nullos errores inueniri contra fidem & mores, vt sit aliquod opus authenticum, amplius enim requiri, vt à seipso autoritatem habeat: & quidem summam. Agitur enim de Scripturis Canonicis. Deinde, quid tum, si nihil contra fidem & bonos mores, dum aliquid contra narrationis primæ veritatem? Neque enim ea sola, quæ ad fidem moresque spectant, Canonica sunt, sed omnia omnino. Et interest Ecclesiæ, exempli gratia, vt in historia diluuij,non negetur coruus rediisse,si contra Moses asseruit. Quanquam,quid illud sit,nihil habere contra fidem: Ego quidem non video,si verum, quod Iesuitæ obstinatè asseruerunt in colloquio Ratisbonensi,quæcumq; in Scripturis sunt, esse totidem articulos fidei: etiam hunc canem Tobiæ habuisse caudam.

VII. Ad tertium: Cur ergo contendunt esse authenticam versionem Hieronymi, si quid admittitur fuisse versum male? Si asseritur probatam esse correctionem? Quamuis hoc ipsum, cui sano se persuasurum sperat Gretserus: hoc, inquam, quod asserit,si quid sit versum male,non fuisse receptum? Cum contra constet infinitis experimentis? Certe illud de muliere conterente caput serpentis, Sixtus retinuit in sua editione,quod tamen tolerari nequit. Et à Bellarmino excusatur tantum, non vero defenditur tanquam authenticum ab alijs non probatur, vt dicam paulo post: Imo Sacroboscus c.2 part.3. accedit ad Riberæ sententiam, qui dicebat ea exemplaria esse correctiora,quæ,*ipsum* dicant. Ergo,inquam, hæc Ecclesia (si Ecclesia est,sed hoc nihil ad hãc rem)probauit exemplaria minus correcta. Et Gretserus speret tam manifesto se nobis impositurum.

VIII. Iam de Ecclesia facile negotium: Primum enim ostendimus c. 2. non fuisse agnitam editionem Hieronymi authenticam longo post Hieronymum tempore: quinetiam Bellarminum cæteris modestiorem,eius vsum repetisse duntaxat à temporibus Gregorij magni. Vixit autem iste post Hieronymum annis ducentis, & quod excurrit. Deinde nullum vnquam factum est hac de re Decretum vllius Concilij aut Generalis, aut particularis. Itaque videtur paulatim obtinuisse: non aliter quam prioribus seculis,illa tala,olim communis appellata. Vnde factum,vt Tridentini hoc tantum vsi sint argumento: nam si decretum aliquod habuissent,an credimus omissuros fuisse?

IX. Et tamen hic vsus non eiusmodi erat, vt omnino aliæ editiones nullo loco censerentur. Nam Petrus Sutor capite duodecimo fatetur adhuc Ecclesiam vti interpretatione Septuaginta Seniorum in officio diuino quantum ad introitus Missarum, Responsoria matutinarum,aliaque id genus nonnulla.

X. Deinde docti sibi liberum putarunt hanc ipsam editionem libere carpere,quoties id vere posse putabant. Sic Lyranus sæpissime, Geneseos vigesimo primo, obseruauit Hebraicè haberi Saram vidisse Ismaelem ludentem: Latinam vero editionem addere,cum Isaaco, vnde nonnulli quædam diuinabant,non satis ad rhombum. Alij sunt plurimi loci, quorum nonnullos collegit Sutor c.7. Etsi autem non semper legitima est reprehensio,tamen ostendi hoc ipso,non adeo fuisse authenticam editionem,vt nõ putauerit sibi vllo prætextu ab ea discedendum. Paulus Burgensis, etsi laborauit aduersus Lyranum,tamen ipse etiam non raro confugit ad Hebraicam veritatem.

XI. Laurentius Valla vixit sedulo decimo quarto. Is magno labore nouum Testamentum recensuit, & sæpissime correxit ad Græcam veritatem. Franciscus Georgius Venetus edidit problemata in vniuersos Bibliorum libros. In his soluendis non raro discedit à Latino ad Hebræum, vt Sectione 1. tom.1.problem.55. 68. & alias. Thomas de Vio, Cardinalis Caietanus,quoties idem fecit? Nam conqueritur Canus eum vix vllam habere Latini interpretis rationem: fecit autem ante vibratum fulmen brutum è Tridento. Nam decretum hoc conceptum est anno quadragesimo sexto post millesimum quingentesimum: Illius vero Commentarij in nouum Testamentum,absoluti anno vigesimo nono.

XII. Quid? quod Galatinus in libris de Arcanis Catholicæ veritatis, & Reuchlinus in libris de Cabbala,sæpius à seipsis locos Scripturæ ex Hebræo, malunt vertere, quam vti vulgata editione? Galatinus lib. 8. cap. 11. *Sit lux, & fuit lux*, ex 1. Geneseos: Libro 6. cap. 7. *Replete aquas in maribus.* Libr. 11. c. 7. ex Geneseos 17. *Et præputiatus masculus, qui non circunciderit carnem præputij sui.* Iam Reuchlinus lib. 3. *Dixit Mosi Deus, faciam meam videre non poteris: seu verius sic, & facies mea non videbuntur.* Et paulo post, *De Salomone, Ecclesiastis* 11. *legitur, quod quæsierit, vt inueniret res bene placiti.* Infinita huius generis exempla.

XIII. Sed paulo post hæc tempora hanc libertatem extinxerunt boni illi scilicet, veritatisque zelo pleni patres Tridentini. Atque exinde vix vllum videas recedentem à recepta, tumque sancita consuetudine, præter eos, quibus dedit animos Omnipotens, vt eriperent se à tanta tyrannide, & palam desertis Antichristi castris in Ecclesiam se reciperent. Quæ tanta, tam subita mutatio non redolet profecto pristinam sinceritatem. Nam vix intercesserunt anni viginti. Quid autem viginti dico? Imo Steuchus florebat anno quadragesimo, hoc est, annis sex duntaxat, ante id decretum conditum: & tamen infinitis locis Vulgatam editionem vellicat, cuius se admiratorem præbet maximum. Obscuriorem dicit textu Geneseos 7. & Exod. vlt. Alienam à sensu, Geneseos 21. & 24. & 36. & 49. & alias. Adeo didicerant ante Tridentinam coniurationem docti, non iurare in verba magistri.

XIV. Pergo ad aliud argumentum: Si Latina hæc editio est authentica,& quidem sola authentica: ergo pars tantum Ecclesiæ habuit verbum Dei authenticum. At hoc est absurdum: ergo & illud. Consequentia patet, quia primo non tantum Dei verbum est authenticum, sed etiam nihil potest censeri pro DEI verbo in Ecclesia, quod non sit authenticum.

XV. Secundo, quia Ecclesia Latina, pars tantum est vniuersalis Ecclesiæ: præter quam erant Græcæ, erant Palæstinæ, erant aliæ, quæ hanc editionem οὐδ' ὅναρ, οὐδ' ὕπαρ norant. Imo ne quidem tota Latina. Nam cur non exciperemus totum illud tempus quod est ante Hieronymum. Imo post Hieronymum etiam ducentos annos?

XVI. Nec licet excipere, alias fuisse authenticas editiones, quibus aliæ vsæ sint Ecclesiæ. Nam qui eiusdem rei κατ' ἀκρίβειαν diuersa & ἀσύμφωνα diceret omnia authentica, nondum vllus inuentus est cerebri satis sani. Et quæ ratio esset finiendorum dissidiorum? Nam oriri posse infinita ex varijs editionibus, quis non videt? Vnde recte Hieronymus, cum de Græcis editionibus loqueretur prætatione in Paralipomena. *Totus Oriens hac inter se trifaria varietate compugnat.*

XVII. Porro assumptum, nec indiget probatione: nec negari potest à Papistis, qui magnum nobis incommodum obijciebant si Latina Ecclesia careret editione authentica. Nam quæ hanc illi ratio magis necessariam efficeret, quam reliquis? Maxime cum efficerent partem Christianitatis longe maximam: Nam Latina editione vtebantur tantum, Italia, Hispania Gallia, Anglia, Germania, fortasse & Illyricum, & præterea Africa. Hic vero terrarum tractus, quantulus est, si conferatur cum Græcis Europæis, Ægypto, & tota Asia?

Cap. IX.

An editio Latina assequatur maiestatem Spiritus.

I. HÆc editio, si esset authentica, esset diuina. Si esset diuina, assequeretur dignitatem maiestatemque Spiritus Sancti loquentis in Scripturis. At non assequitur, ergo neque diuina est, neque authentica. Maior facile apud quemlibet iudicij non immaturi fidem sibi ipsa faciet, maxime si attendamus in varijs rerum sacrarum Scriptoribus, styli varietatem non obstare, quominus in singulis nescio quid agnoscant diuini, quod vix possunt exprimere, adeo vt licet Esaias fuerit eloquentissimus, non tamen diuinior appareat quam Amos, quem nonnulli opilionem esse volunt. Et Lucas nitidissimus eorum, qui Græce Nouum Testamentum scripserunt, non præcellat hac parte Matthæum, aut Marcum.

II. Porro assumptionem probo, primo testimonijs: secundo experientia. Primus mihi testis esto ipse Hieronymus, præfatione in Esaiam, *De Esaia sciendum*, (inquit) *quod in sermone suo disertus sit: quippe vt vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ, nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admistum. Vnde accidit, vt præ cæteris, florem sermonis eius, translatio non potuerit conseruare.* En tibi confessionem ingenuam. Quid a fuit causæ, quominus idem flos conseruaretur? Non fuit sane Spiritus Dei impotẽs: non elinguis. Non ipsa Latini sermonis inopia: nã si linguam linguæ comparamus, quid erit ad Latinam Hebræa? nempe quod rustica ad ciuilem. Quid ergo? non poterat Deus, si extra ordinem operatus esset in Hieronymo, in lingua iam per se disertissima, imo non tantum disertissima, sed etiam eloquentissima, eloquetiam repræsentare eius linguæ, quæ & sono barbara, & vocabulis

cabulis angusta, & phrasibus semirustica erat? Imo nemo dubitat, quin id potuerit Omnipotens, qui Mosi irascebatur, quod balbutiem prætenderet. Sed non potuit humanum ingenium assequi diuinum eloquium.

III. Alter mihi testis erit è medio Iesuitarum grege, Andradius, qui lib. 4. defensionis Tridentinæ, nescio quid agnouit in vulgato interprete ϑειότερον, atque humanum. *Non ita se diuina vis* (inquit) *in vulgatum interpretem effudit, vt cum sanctissimis heroibus, qui sacra nobis mysteria literis mandarunt, conferri queat, aut omnium quæ interpretanda suscepit, assequi perfectam cognitionem potuerit: sed his fuisse à sempiterno numine ornamentis illustratum existimandum est, quæ Ecclesiæ rationibus expedire intellexit. Nec vero sine admirabili quadam prouidentia, nonnulla voluit in eius lucubrationibus humanæ imbecillitatis exstare vestigia, quæ satis proderent, non omnia fuisse illius menti, tanquam Apostolis, atque Prophetis diuinitus instillata.*

IV. Hic nobis plura dat vltro, quam quærebamus nunc quidem. Cũ enim ageremus tantum de stylo, in quo testem habebamus ipsum Hieronymum, iste nobis etiam mysteriorum non satis capacem Veterem Interpretem, non tam confitetur, quam sponte profitetur. Et Authenticam editionem quis asseret? Eam, inquam, quæ nec stylum exhibet diuinum, nec assequitur mentem authorum suorum. *Vnum scio*, (inquiebat Hieronymus, prologo in Iob) *non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexerim.* Ergo si non perfecte cognouit, non est etiam perfecte interpretatus. Si non perfectè, ergo, vt volebamus, subsidit infra maiestatem Spiritus diuini. Insaniunt igitur, qui eius opus volunt esse authenticum, id est, æquari ipsis αὐτογράφοις.

V. Ad experientiam venio, cuius erunt duo capita: Vnum à barbarie, sordibusque Latini sermonis, quibus editio Latina conspurcatur: Alterum ex ijs locis, qui etsi non falsè, tamen non sunt satis apte redditi. Barbaries partim est in solœcismis, partim in vocabulis non Latinis, ex intempestiua æmulatione Hebraici Græciue contextus, quam Hieronymus κακοζηλίαν appellabat.

VI. Solœcismi, Genes. 13. diuisi sunt alterutrum à fratre suo. Et 21. *Non audiui præter hodie.* Et 42. *alius non est super.* Leuitici 26. *trademini in manibus hostium.* Iudicum 7. *Castra Madiam erant subter in valle.* Et 8. *quindecim millia viri remanserant, & Dominare nostri*: quod vitium alibi sæpe occurrit, tum etiam in Nouo Testamento, vt Matthæi 20. *Principes gentium dominantur eorum*, vbi etiam *gentium & eorum* non satis conueniunt. Esaiæ 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, & iudicate pupillo*, & iterum, *pupillo non iudicant.* Item *Vindicabor de inimicis meis.* Secundo, *cum surrexerit percutere terram.* Cui peccato simile occurrit Gen. 2. *faciamus ei adiutorium simile sibi*: nam vtrobique negligitur reciproci pronominis natura. Rursus Esaiæ 5. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ.* Et, *coniungitis domum ad domum.* Hieremiæ 11. *foris Hierusalem*, Hieremiæ 5. *Iniquitates nostræ declinauerunt hæc*, pro auerterunt. Et 7. *Vos confiditis vobis in sermonib. mendacij.* Infinita sunt huiusmodi, & quidem ex ijs libris quorum stylus est optimus.

VII. Quid iam Psalmos dicam? Nam hi videntur data opera versi in contumeliam Latini sermonis. Tertio: *non est salus ipsi in Deo eius.* Quarto, *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Quinto, *ad te orabo.* Nono: *In conuertendo inimicum meum retrorsum infirmabuntur*, Ibidem. *Requirens sanguinem eorum recordatus est*, Rursus, *vide humilitatem meam de inimicis meis.* Decimo: *deprehenduntur in consilijs quibus cogitant.* Et 17. *intende deprecationem meam.* Et 18. *nec impie gessi à Deo meo.* Rursus, *& inimicos meos dedisti mihi deorsum.* Iterum, *subdis populos sub me.* Quid si reliqua persequar? Sed nonnulla præterea collegit Whittakerus: plurima Hunnius: quæ intacta reliqui, vt par erat in tanta copia.

VIII. In Nouo testamento Matthæi 2 *Staret supra vbi erat puer.* Tertio, *Vestimentum de pilis camelorum.* Quinto: *Reus erit iudicio, reus concilio, reus gehennæ*, potius, vt Latine loquaris, iudicij, inquit Lucas Brugensis. Item: *Iam mœchatus est eam.* Rursus: *Quicunque te angariauerit mille passus, vade cum eo & alia duo*, Sexto: *Ne soliciti sitis animæ vestræ, neque corpori vestro.* Et *vos magis pluris estis illis.* Marci 1. *Et zona pellicea circa lumbos eius:* Iansenius: Latinius fuisset, circa lumbos suos. Lucæ 1. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Ibidem, *Obumbrabit tibi*, Rursus, *Suscepit Israel puerum suum memorari misericordiæ suæ.* Ioan. 14. *maiora horum faciet.* Actor. 10. *Hoc autem factum est per ter.* Post. ad Corinth. 2. *Deo autem gratias.* Actor. 2. *Circiter tria millia:* Salmero, *pro ter mille, quia millia neutrius est generis, & non quadrat animabus, quæ fœminini generis, aut hominibus, qui sunt masculini, non curauit igitur interpres Grammaticorum regulam.*

IX. Iam infinita sunt vocabula abhorrentia ab vsu Latino, siue inclinatione, siue formatione, siue significatione. *Destrauit*, Genes. 24 *Odiuit*, Esaiæ primo, *appropiet*, quinto. *Mirificauit*, Psalm. 4. *Confortati*, pro roborati: Et, *voluit me*, pro amauit, Psalmo 18. *Exiet*, Matthæ. 2. & 5. *Mutuare* quinto? *Pugillarem*, Lucæ primo, *Manicabat.* Et 21. *Adiudicauit*, pro iudicauit, Et 23 *contuntur*, Ioannis quarto: *Pœnitemini.* Actorum 8. *præcausati sumus*, προῃτιασάμεθα, ad Rom. 3. *minorauit* pro minus habuit, post. ad Corin. 8 *Intentator*, pro, non tentator Iacobi 1. *Incessabilis peccati*, secundi Petri 2. *Inconfusibilis*, secundo ad Timotheum 2. *Valefaciens*, post. ad Corinth. 2. Quid *interrasiles*, Exod. 25. & *suprasedens*, & *magnati*, Ecclesiastici 33 Et *inimicari*. Et 28. Et *insufficabiles*, Et 11. & *insufficabilia* Et 25. & *pessimare*, Et 11. 36. 38. *implanauit* ἐπλάνησεν. Et 15. *Implanatus* πεπλανημένος Et 34. *Inauxiliatus* Sapientiæ 12. ἀβοήθητος. *Fasciaretur*, vt legit Sixtus, siue *fascietur*, vt reliqui, Ezechielis 30. *Incredibilis*, pro incredulis, ad Titum primo: *Emigrare aliquem*, Psalmo quinquagesimo secundo. Quid alia absque numero? Vnum addo, quod nullo modo omissum oportuit festiuum & elegans. Vterum nouit autor iste quisquis est, non tantum in fœminis Geneseos trigesimo quinto: sed etiam in viris, Geneseos decimoquinto: Iobi 19 ac 20., prioris Paralipom. 21.

X. Venio ad eos locos, qui sunt minus apte redditi, quorum quantam segetem esse putatis? Sed nos nostro more speciminis gratia annotabimus nonnullos, non enumerabimus omnes: quod si velim, annus deficiat. In Mose, Geneseos primo, *mitto ferebatur* & *firmamentum*, quæ notauimus libro præcedente: sed, pomiferum lignum, cur dictum est, pro fructifero? Non enim omnia fructifera pomifera. Cur etiam tempora, quæ Hebraice sunt מוֹעֲדִים, Græce καιροί, Latine tempestates? Nam rursus omnis quidem tempestas, est tempus: sed non omne tempus est tempestas, siue tempestiuitas. Capite secundo, formatum esse hominem à Deo de limo terræ, aut falso, aut improprie dicitur: Nam אדמה non significat limum, sed terram potius cultui aptam. Quidam argillam: non recte, mea sententia: etsi colorem prætendere possint, quia argilla rubescit: sed hanc omnes sciunt ineptam ad colendum: nec minus limum. Recte postea formata dicuntur omnia animantia, non de limo, sed de humo: Eodem capite, *& posuit eum in paradiso.* Pererius, *Pro illo verbo posuit, Hebraicum verbum* וינחהו *est multo sane siginficantius. Significat enim dimisit, seu reliquit: quo significatur Deum non duxisse Adamum in paradisum, vt ei paradisi pulchritudinem & magnificentiam tantum ostenderet, & mox inde eum abduceret, sed inibi dimisit & reliquit eum tanquam loco eius habitationi destinato.* Capite 3. *Et tu insidiaberis calcaneo eius*: cum tamen eodem versu eandem vocem reddidisset per conterere. Quod si non tam proprie dici posset serpentem conterere calcaneum, quã semen mulieris conterere caput serpentis, quod tamen plerisque video placere: tamen fuisset potius aliud conquirendum vocabulum, quo melius vtrumque exprimeretur, vt Castellioni placuit, allidere: quanquam ne hoc quidem satis ἐνεργητικόν. Steuchus, *Hebraice, non est insidiaturus, sed idem verbum, ipsum semen, inquit, conteret tibi caput, ac tu conteres ei calcaneum.* Vt vt sit, eos non possum satis laudare, qui in vertendis sacris libris eandem vocem, non nisi grauissimis de causis, vna eademque voce exprimere cessauerunt. Qua in re fuerunt religiosissimi ij, qui nostram editionem Gallicã postremo recognouerunt. Hoc sane loco si fuit ab ea religione discedendum, tamen aliud omnino vocabulum adhibitum oportuit: nam insidiæ multo leuiores sunt, quam quod significauit Moses.

XI. Capite quinto Enochum non satis proprie dicitur Deus tulisse: nam לקח est accipere, vel recipere ad se, quæ phrasis multo augustius significat fidelium beatitatem. Et sic capite sexto redditur, *acceperunt sibi vxores.* Vbi illud, *& cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, longe dilutius est, quam quod in textu legimus: *Omne figmentum cogitationum cordis eius duntaxat malum omni die*, vel omni tempore. Bellarminus asserit vtrobique sensum esse eundem, quia figmentum cordis significet cogitationem cordis, & idem sit, cuncta cogitatio intenta est ad malum, & non est nisi malum. At fallitur: Nam primo, Hebraicè non est figmentum cordis, sed figmentum cogitationum cordis: proinde pro tribus gradibus Latine exprimuntur solum duo: est autem sensus horum graduum, non tantum voluntatem esse corruptam in homine, sed etiam ratiocinationem, quæ præcedit voluntatem, nec tantum ratiocinationem, sed etiam imaginationem, quæ rursus præcedit ratiocinationem, & est facultas illa prima in hominis mente, qua concipiuntur ea, quę postea ratione iudicantur, & tandem voluntate concluduntur.

XII. Deinde non prorsus idem, est intenta ad malum, &, duntaxat mala, nam hoc multo fortius est. Tendunt ad corruptionem ea, quæ nondum sunt corrupta, sed vicina corruptioni. At quæ sunt tantum mala, ea iam actu ipso, non vero δυνάμει mala sunt. Itaque recte Chemnitius dixit hac versione extenuari peccatum originale: Non sequi autem omnia opera hominum esse mala, facile illi concesserim. Quis enim neget & Henocum ambulasse coram Deo, & Noe fuisse iustum, ac non quidem perfectum quod vitium est Vulgatæ versionis, sed sincerum, siue integrum in generationibus suis: At ille vicissim negare non debet hoc loco significari, quæcunque in homine non sunt ex regenerationis gratia, ea esse mala: & quidem non tantum aut aliquando, sed aut sæpius mala duntaxat mala, hoc est nunquam nisi mala. Deuter. 29. *Sed cunctis præsentibus & absentibus*, intempestiue affectata breuitate, pro, *tum ijs qui hic sunt hodie stantes coram Domino Deo vestro, tum ijs qui non sunt vobiscum hodie*, quemadmodum legitur Græcè. In quo, vt concedam reliqua non esse magni momenti, certe illud *coram Deo*, non oportuit omissum.

XIII. Sustineo de Mose plura dicere. Esaiæ secundo. *Conflabunt gladios suos in vomeres.* Ridiculè: quis enim conflari vidit gladios aut vomeres? Rectius Græcè συγκόψουσι tundent. Quinto: *lapides elegit ex ea*: pro, purgauit eam lapidibus. Quarto. *Inuocetur nomen tuum super nos*: pro appelletur, siue nominetur, phrasi Hebræa, cuius sententiam Iunius expressit, *Vocentur de nomine tuo*, à qua longe recedit Latinorum inuocatio. Hieremiæ quinto, *Circuite vias*: Satis inconsiderate: vias enim circumiri quis vidit? Hebraicè plateæ significantur. Ibidem, *noluerunt reuerti*, pro conuerti: nam vtrumque significat verbum Hebræum: sed illud prius vix dici solet de pœnitentia. Item *forsitan pauperes & stulti ignorantes viam Domini.* At propheta asserit, non vero dubitat: debet autem ita verti. *Vtique pauperes sunt*, vel potius tenues: *stulte agunt*, *quia non norunt viam Domini.*

XIV. Osee 1. *quiescere faciam regnum Israel*, quibus lectis, quis non putet promitti quietem regno Israelis? At Propheta minatur potius Deum effecturum, vt nullum amplius sit id regnum. Itaque etsi alias verbum Hebraicum significat id quod Latinè redditum est: tamen hoc loco debuit potius verti, vt postea c. 2. *cessare faciam omne gaudium eius.* Septuaginta καταπαύσω, qui tamen hoc posteriore loco dixerunt ἀποστρέψω. Cap. 4. *Iudicium Domino cum habitatoribus terræ*, at Propheta litem dixit, siue contentionem. Sic paulo post, *Vnus quisque non iudicet, & nõ arguatur vir*, pro nemo contendat, aut increpet quenquam. Rursus. *Dominum dereliquerunt in non custodiendo*, pro Dominum desierunt obseruare, vt vertit Iunius.

XV. In Nouo Testamento. Matth. 1. *Quod in ea natum est*: pro genitum: nunquam enim Latinus aliquis natum dixit, qui tantum conceptus sit, nec vterum egressus, apud Græcos autem τὸ γεννηθέν, vtrumque significat. Capita 4. *Et abijt opinio eius*, pro fama, opinionem Latine dicunt quam quisque habet de re quam animo agitat, quæ ex publica relatione auditur: Græce autem Matthæus ἀκοὴν dixit, quæ vox longe abit ab opinione, & vsurpatur à Matthæo ex idiomate Hebræo שמועה. Idem peccatum est c. 24. *Opiniones præliorum*, pro rumoribus. Cap 5 *Quoniam ipsi consolabuntur*: Græcè παρακληθήσονται, passiue cum tamen Latine consolari [illegible] sonet:

lonet nisi actiue: Rursus, *Si sal enanuerit* pro μωρανθῇ infatuatus fuerit. Sexto, *cum oraueris*, pro orabis, exterminant, ἀφανίζετε, quod Beza reddidit *obscurant*, vel deformant. Et tamen paulo post idem verbum exprimitur, *demoliri. Vbi aerugo & tinea demolitur:* Beza melius, *corrumpit*. Rursus, Vnum sustinebit: ἑνὸς ἀνθέξεται: Beza, *vni adhærebit*. Significat enim verbum Græcum tenacem esse alicuius rei: vnde 1. ad Titum redditur per amplecti. Gallicè, optime in Luca *se tiendra à l'vn*: apud Paulum *se tenant à la parole fidelle*. Et 26. *Introeuntibus vobis*. Salmero tractatu 2. tom. 9. *Siue potius, vt Græca habent ingressis vobis*, εἰσελθόντων ὑμῶν. *Non inquit, ingredientibus vobis in ciuitatem occurret homo iste: Sic enim ciuitatem exiret, ac proinde is sequendus non fuisset, deducturus in domum quæ fuisset extra ciuitatem.* Actor. 1. *Turba hominum*: ὄχλου ὀνομάτων, turba nominum, *Et quanquam*, inquit Salmero, *vtraq; lectio turba nominum vel turba hominum in sensu ipso conueniant, cum nomen pro re nominata vsurpari soleat, & Petrus non ad nomina, sed ad homines nominibus representatos loquutus sit, lectio tamen illa quæ ex Græco fonte deducitur, purior videtur ac prægnantior.* Lucæ 16. villicus, villicatio, αἰτ. εἰκονόμος καὶ οἰκονομίας, Inepte & contra parabolæ textum. Vide Hieronymum quæst. 6. ad Algasiam. *Actorum primo Iudas possedit agrum ex mercede iniustitiæ*: vnde Gregorio negotium 1. Moral. 9. quomodo posse disset, qui statim pretium retulisset: cum tamen plane res sit ὑπόστασις, acquisiuit. Actor. 4. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum?* At Græce, non ἐπειράσαι tentauit, sed ἐψεύσασθαι impleuit. Quanquam Salmero illam lectionem sinceriorem putet: & esse apud Epiphanium in Catharis. Sed ἐψεύσασθαι longe aptius & plenius verbum, quam tentandi. Nam hoc vocabulo solent potius diaboli incentiua prima significari, etiam ea quæ cohibentur: cum hic agatur de scelere perfecto: atq; ita descripto, vt non gradus quidã esse putetur, sed summa potius nequitia. Nec valet ratio, in nobis positũ non esse tẽtari, aut nõ tentari, sed assentire & dissentire: Etenim cũ assentimus, tũ diabolus replere dicitur cor nostrum. Itaque Petrus significauit, ita Ananiam assensisse tentationi primæ, vt Satanam quasi intra se totum acceperit. Atque adeo si non erat in potestate Ananię tentari aut non tentari, quo sensu Petrus interrogauisset. Quare tentauit Satanas? Epiphanium fateor habere ἐπειράσαι: sed, vt videtur, & sæpè fit, non recitans αὐτολεξεί. Nam Syrus interpres dixit מלא : neque quisquam alius aliter reperitur legisse, quam ἐπλήρωσε.

XVI. In Paulo. *Primo ad Romanos Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus*: Græce est, εἰς ὑπακοὴν πίστεως, ad obedientiam fidei, nimirum, quæ exigeretur à Gentibus. At Latina phrasis propriè significat eam, quam ipse Paulus exhiberet. Ibidem τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, non est, *quod notum est Dei*, sed quod Deo cognosci potest. Paulo post: *à creatura mundi conspiciuntur*: ambigue, putet enim aliquis significari creaturam, id est, res creatas conspicere inuisibilia Dei, at Paulus dixit, inuisibilia Dei conspici ex creatione mundi, dum ex rebus conditis intelliguntur. *Euanuerunt in cogitationibus suis*, pro vani facti sunt, ἐματαιώθησαν, sed & λογισμοὶ significant ratiocinationes potius, quam cogitationes: Θεοστυγεῖς *Deo odibiles*, melius Beza, Dei osores, loquitur enim Paulus de infidelium vitijs, quæ ipsis inhærent, & ab ipsis sunt, vt reliqua ostendunt omnia, Ἀσυνθέτους, τοὺς ἀσυνθέτους *incompositos, & absq; fœdere*, quanto melius Beza, fœdifragos, & implacabiles? Tertio: *& vincas cum iudicaris*: pro *cum iudicas*: nam etsi phrasis Græca vtrumque significat, tamen considerari oportuit locum citari ex Psalmo quinquagesimo primo, vbi בשפטך actiuum est, non secus quam primo Samuelis cap. 8. לשפטנו da nobis regem vt iudicet nos. Nam passiui alia forma est, vt Psalmo centesimo nono בהשפטו ἐν κρίνεσθαι αὐτόν, *cum iudicatur ipse*. Rursus, *egent gloria Dei*, ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, deficiuntur gloria Dei, vt vertit Beza. *In sustentatione Dei* ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, in tolerantia Dei. Νομοθετῶμεν, melius, legem stabilimus, quam statuimus. Statuere enim est eorum quæ nondum sunt, vt apud Virgilium: *Vrbem quam statuo*, at stabilire, confirmationem significat eorum, quæ iam sunt. Cap. 4. Salmero tractatu 30. in Epistolam ad Romanos. *Græca litera habet, inuenisse secundum carnem, & non Patrem nostrum secundum carnem, vt textus noster.* Cap. 15. *vt adiuuetis me*, pro συναγωνίσασθαί μοι, *vna mecum certare*: siue prout recte Syrus, *vt laboretis mecum*. Posterior. ad Corinthios 2. *Deus triumphat nos*: nimis malo omine: longe melius Syrus, *DEVS triumphum nobis facit*.

XVII. Quid? quod non sumus nos soli Lincei? Nam & Papistæ ipsi, ipsi, inquam, Papistæ alias vanissimi adoratores Editionis Latinæ, coguntur de ea nonnihil secius & sentire, & pronunciare. Mittam Steuchum, & Caietanum, & Erasmum, & Vallam. Recentiores nominabo. Salmero disp. 50. in Epistolam ad Romanos, *Regius Psaltes totius humani generis confessionem faciens, non modo dixit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, sed addit & in peccatis peperit me mater mea. Quæ lectio Septuaginta est, & multorum Patrum, etiam Hieronymi, & elegantior illa vulgata, & communi, quæ habet, & in peccatis concepit me mater mea.* In prioris ad Corinthios 11. *Decăluari verbum est, nec Latinum, nec proprium.* In 15. *Alia claritas.* Græce δόξα gloria Iustinianus. *Profecto maius quiddam significat gloria, dignitas, maiestas, quam claritas.* Tract. 8. tom. 7. *Græce non dicitur, Minimum omnibus seminib. vt habet Matthæus, quia oratio illa parum Latina esset.*

XVIII. Matthæi 5. *Possidebunt terram.* Iansenius. *Græce est* κληρονομήσουσι, *plus est autem hæreditate vel in hæreditatem accipere terram, quam possidere terram.* Iterum, *Lucerna corporis tui.* Iansenius, *Græce non est corporis tui, & oculus tuus, sed absolute, lucerna corporis est oculus. Quæ absoluta sententia plus habet gratiæ & dignitatis.* Et Iansenio consentiunt Lucas Brugensis, ac Salmero. Iterum: *Vade cum illo & alia duo.* Maldonatus, *Noster interpres forte legit* ἄλλα δύο *alia duo, quæ efficiunt tria millia. Nisi vt nonnulli suspicantur, aut ipse, aut alius quispiam addidit postea illud, alia. Melius sententia constabit, si non legatur.* Matth. 6. *Nolite multum loqui.* Iansenius. *Non hic est* πολυλογεῖν, & πολυλογία, *sed* βαττολογεῖν & βαττολογία, *quæ dictio non simpliciter multiloquium significat, sed nugacitatem, futilem verborum profusionẽ, qualis est, cum idem frequenter sine causa repetitum inculcatur.* Matt. 7. *Ne forte cõculcent.* Franciscus Lucas Brugensis. Μήποτε, *nequando, non est dubitantis: tametsi interpres vertat, ne forte.* Et 11. *Vsq; ad infernum descendes* Maldonatus, καταβήσῃ, *deprimeris, non enim sponte descendet, sed vi detrudetur.*

XIX. Lucæ 1. *Apparuit illi Angelus Domini*, Iansenius. *Græca non habent* ἐφάνη, *sed* ὤφθη, *hoc est, visus est, ne intelligatur imaginaria & phantastica apparitio, sed corporalis visio. Apparere enim dicuntur ea quæ non sunt. Quãquam rectè satis interpres verterit, si modo rectè intelligatur,* Ergo inquam, ambigue expressit, quod Græcè est magis certum. Rursus. *Et incredules. Græce non est* ἀπίστους, *sed* ἀπειθεῖς *quod nomen etiam significat inobedientes, quomodo magis hic verti conueniebat.* Cap. 2. *Desponsata sibi vxore prægnante.* Maldonatus. *Non est sensus desponsatam illi fuisse, cum iam esset prægnans, sed fuisse illi prius desponsatam, & iunc cum in Bethlehem ascenderunt, fuisse prægnantem Græce ea ambiguitas, quæ in nostra apparet versione, nulla est.* Cap. 4. *Per vniuersam regionem* Iansenius, *Græca amplius quid habent & significant,* καθ' ὅλης τῆς περιχώρου, *hoc est, per vniuersam finitimam regionem, quo significatur non tantum fama eius peruagasse vniuersam regionem illam in qua prædicauerat, sed & eam quæ circumiacebat.* Iterum *Ipse transiens per medium illorũ ibat. Sic verti melius posset. Ipse autem cum transiuisset per medium ipsorum ibat.* Et 7. *Vnicus matri suæ.* Iansenius. *Et quod est maius, vnigenitus: Græca n. habent* μονογενὴς. Iterum. *Misericordia motus super eam.* Salmero, *Significantius aliquã dicitur in Græca litera: dicitur enim* ἐσπλαγχνισθη, *id est, ex intimis visceribus misertus est illi.* Cap. 10. *Suscipiens autem Iesus dixit.* Maldonatus, *Respondens* ὑπολαμβάνων, *quod noster interpres vertit suscipere, expresso quidem Græco verbo: sed non satis perspicua sententia.* Et 16. *Et in his omnibus.* Iansenius, *Pro super vel præter hæc omnia.* Rursus, *Chaos magnum firmatum est.* Idem Iansenius, *Notandum vocem Chaos valde improprie positam, si modo non est vitium scriptorum, quemadmodum vult Budæus.*

XX. Ioannis 1. *Et vidimus gloriam eius.* Iansenius, *Nos inquam Apostoli vidimus, aut, vt magis sonant Græca, spectauimus, & conspeximus. Est enim* θεασάμεθα, *quod non simpliciter videre significat, sed spectare, hoc est, diligenter & fixe intueri aliquid ceu nouum & admirandum spectaculum.* Maldonatus, θεασάμεθα. *Spectauimus, contemplati sumus quasi in aperto, quasi in theatro.* Brugensis, *Significatur visus diligens, fixus, & attentus.* Cap. 3. *Tu es Magister in Israel* Maldonatus, *Græcè adiecto articulo, singularis & eximius Magister videtur significari,* τὸν εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ισραὴλ. *Tu es Magister ille Israel, aut, tu es magister totius Israel, id est, omnium doctissimus, qui totum Israel, etiã doctissimum quemq; doces. Hanc enim vim hoc loco habere mihi videtur additus articulus.* Cap. 5. *Crederetis forsitan & mihi:* Maldonatus, *Crederetis vtiq; mihi, neq; enim dubitantis, hac loco, sed affirmantis particula est.* Cap. 12. *Omnia traham.* Salmero tract. 56. tom. 8. *Græce est* πάντας, *& sic legunt Chrysostomus & Theophylactus, & interpretantur.* Maldonatus. *Certe melius Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, & Theophylactus, Omnes dixisse, vt non solum Iudæos, sed etiam Gentiles significaret.*

XXI. Actor. 1. *Turba hominum*: pro ὄχλος ὀνομάτων; turba nominum, *Et quanquam vtraq; lectio* (inquit Salmero) *hominum & nominum in sensu ipso conueniant, lectio tamen illa, quæ ex Græco fonte deducitur, purior videtur ac prægnantior.* Coster. ad Corinth. 1. *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est: ideo & per ipsum Amen, Deo ad gloriam vestram.* Salmero. *Græca hic paulo sunt euidentiora, etsi nonnihil discrepent à nostra editione.* Capite Prioris ad Corinth. 13. *Benigna est.* Salmero. *Græca vox amplior est,* χρηστεύεται, *hoc est, in omnes benigne & largiter se effundit.* Et 11. *Ne corrumpantur sensus nostri.* Nonnus *Augustinus vertit mentes*, inquit Salmero, *quod magis proprium est.* Ad Ephesios 1. ἐχαρίτωσε, *gratificauit, minus perfecte*, inquit Stapletonus in promptuario Catholico ad festum Annuntiationis.

XXII. Possum infinita addere, sed desino in obseruatione Lindani, Panopliæ libr. 4. cap 80. *Quod in Senatus voce apud Latinos accidit, quæ ex senio nomen trahit, hoc in presbyteri nomine apud Græcos est conspicere, quod cum in voce Senior Latinus loquendi vsus non recipiat, vetus Euangeliorum interpres, pro presbyter & sympresbyter, quæ relinquenda erant, aut in alias eius significationis vertenda, reddidit obscurius. Verum leuiusculi similes lapsus fidelissimo illi interpreti nulla cum morositate sunt condonandi.* Optimè: Et, ita prorsus faciendum censeo. Condonentur ergo lapsus, sed meminerimus tamen lapsus esse in hac editione, qui in autographis nulli sunt. Itaque his illam exæquare caueamus.

XXIII. Hæc satis multa pro instituto: quanuis ex tanto numero pauca. Et quidem facile condonanda, nisi ob importunam Papistarum tyrannidem, qui quo iure, quave iniuria, hanc nobis obtrudunt editionem, nõ tanquam vtilem, non enim contra liceremus, sed authenticam, id est, diuinam & contra quã nullus vlli sit exceptioni locus Sixtus Senensis prolixe Munsterum exagitat, vt durum, agrestem, barbarum, horridum, senticosum, asperum, & quid non? nimirum ob affectatos Hebraici sermonis Idiotismos vel potius conseruatam propriorum nominum formam, quorum multa Latinis auribus accommodare potuisset. At si hoc in Munstero crimen, cur laudabitur in vulgato interprete? Itaq; non rerum, sed personarum sunt vitia?

XXIV. Et quidem, Hebraismos non dedignatus est Spiritus Sanctus in Græco testamento edendo: quo tolerabilius peccauit Munsterus, si peccauit. Solœcophanes vnum etiam aut alterum admisit, à quo ne oratores quidem abstinuerunt. Sed manifestos solœcismos vbi inuenias? Vbi portentosas voces legas, quæ neque vsum neque analogiam seruent? Et quidem, si non supperterent meliores, facilis venia. Sed hanc excusationem ineptam esse alij ostenderunt, qui & Latinè & propriè verterunt eosdem locos.

XXV. Denique quid est, cur credamus vnum eundemque locum Hebraicè vel Græce fuisse à Spiritu propositum purè, & eleganter, aliquando etiam eloquenter: Latinè vero sordes & spurcitias conquisitas, & affectatas? Scilicet, Latini melius docebuntur Euangelium, cum apud Lucam capite septimo legent *lamentauimus*: quam si audirent lamentati sumus, vt Græcè ἐθρηνήσαμεν; Dixerat Castellio Ioan. 1. *Sermo corporatus est*: & hîc nescio quid Sarmaticum Sixtus reprehendit: ego sane hominis audaciam nolim excusare, quid enim opus discedere à phrasi trita inter Christianos, & bene Latina? Sed si Sarmata ob eam rem Castellio, qualem dicemus veterem interpretem? Nam & panes oleatos dixit, Numerorum vndecimo, & crapulatum, Psalmo 78. & plagatum Zachariæ decimo tertio, & hominem linguatum, mulieremque linguatam Ecclesiastici octauo & vigesimo quinto, & ceruicatum, decimosexto, & animas inauxiliatas, Sapientiæ duodecimo. Quæ omnia, nec Latinorum vsu magis trita

sunt

sunt, nec analogiam magis seruant quam Castellionis corporatus. Quod tamen Tertulliano bono autori fuit familiare, libro de Pallio c. 2. *Diuersitatibus corporatus.* De carne Christi 3. de Christo itidem vt Castellio, *carne corporaretur.* Sexto *Angelorum corporandorum:* Et alias.

CAP. X.

De principijs, siue regulis interpretandi.

I. RVrsus. Quæ editio librorum Sacrorum diuina est, ea nunquam aberrat à mente Spiritus Sancti. At Latina editio sæpissime aberrat. Ergo non est diuina. Maiorem mihi concedent, opinor, quicunq; bonæ mentis sunt compotes. Nimirum, quia si homines ipsi, quanto magis Deus erit optimus sui ipsius interpres? *Certe quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi Spiritus Dei.* Prior ad Corinth. 2.

II. Assumptio igitur mihi confirmanda. In quo longior, quam difficilior erit labor: quoniam percurrenda erunt infinita exempla in quib. varia latent peccatorum genera, vnde constat, humani ingenij imbecillitatem, verè deplorandam, ipsam sese manifestissimis indicijs prodidisse. Adeo vt, quemadmodum fertur Alexander sanguine sibi ex vulnerib. effluente, suos irrisisse gnathones, qui Deum clamitabant, sic nos ab his peccatis legitimè possunt aduersarijs insultare, Latinam editionem, non iam exæquantibus, sed etiam præferentibus fonti sacro.

III. Sed occupant sophistæ, & præuidentes immensum agmen peccatorum, in se ingruentium, suis artibus tentant siue amoliri, siue auertere, vt si non iusto duello, saltem tanto bello eludendo dimidiatam victoriam referre videantur. Quare occupabunt nos Christophorus Sacroboscus, & Iacobus Gordonius. Ille, partis 3 defensionis Tridentini decreti cap. 1. quinque regulas siue principia subministrat: Iste autem cap. 15. Controuersi. 1. de Verbo Dei, quatuor fundamenta. Ex quibus illi siue fundamentis siue regulis, iudicari volunt omnes nostras in hac parte accusationes.

IV. Primo loco Gordonus: Si aduersarij contendant damnandam esse Romanam Ecclesiam, propterea quod sequatur ac retineat in autoritate vulgatam Latinam interpretationem; necesse est vt consequenter damnet totam antiquam Ecclesiam, & omnes Patres, qui vixerunt quadringentis annis post Christum. Nam illi aliam veteris Testamenti interpretationem, vt plane authenticam, non agnouerunt, præter illam Septuaginta Interpretum, quæ longe magis recedit ab Hebræo textu, qui iam extat, quam Vulgata.

V. Respondeo in antecedente, non bene constitui statum quæstionis. Neq; enim nos propterea damnamus Ecclesiam Romanam, quod sequatur & retineat in authoritate Vulgatam editionem: neq; vnquam id à nobis aduersarius habuit. Alioquin & Veterem Ecclesiam damnandam agnosceremus: Sed causa est, quod hæc Ecclesia Romana non tantũ sequatur, non tantum retineat in authoritate, sed solam sequatur, solam retineat, solam definiat sequendam, solam retinendam, neque aduersum eam quicquam admittendum

VI. *At*qui tale aliquid nunquam factum, sancitum-ve demonstrabit quisquam in veteri Ecclesia. Septuaginta Interpretum & crebram, & honorificam mentionem inueniet, sed vel authenticam, vel solam authenticam non inueniet. Contra potius frequentes comparationes eius editionis cum alijs: Origenisq; Hexapla, atq; Octapla, & variarum editionum vsus pro varijs regionibus manifesta sunt argumenta libertatis Christianæ. Deniq; Hieronymi lucubratio rem absoluit. Itaq; etsi nobis serio damnetur tyrannis huius Ecclesiæ Romanæ, tamen integra retinetur apud nos veneratio priscæ Ecclesiæ.

VII. Secundum fundamentum Gordoni. Officium boni interpretis, non est omnia totidem verbis transferre, aut verbum ex verbo exprimere: Cum quæuis lingua habeat suas proprias phrases, & modos loquendi, sed satis est, si interpres sensum verum exprimat. Quare omnia illa argumenta quæ probant loca quædam Vulgatæ editionis, paulo aliter esse in Hebræo aut Græco, si modo totius periodi sit idem sensus, nullius sunt ponderis. Hoc fundamentum idem est cum secunda Sacrobosciregula: Quando interpres, inquit sententiam seruat, etiamsi verbum verbo minime reddat, reprehensioni haudquaquam patet versio.

VIII. Respondeo, verissimum esse, bonum interpretem non debere verbis singulis hærere, & suo satisfacere officio, si totum orationis contextæ sensum legitime exprimat Itaq; profiteor nihil me obiecturum simile Latinæ editioni, quin paratum laudare, quoties ita erit. Vt Gen. 19. pro Hebraicis, quæ ad verbum sic habent, vt interpretatus est Arias Montanus. *Et venerunt duo Angeli in Sedom in vespera, & Lot sedens in porta Sedom, Et vidit Lot, & surrexit in occursu eorum, & incuruauit se in faciem super terram*, recte factum dico, quum ita redditum. *Venerunt q; duo Angeli Sodomam vespere sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit & iuit obuiam eis, adorauit q; pronus in terram* Similiter, Matth. 1. pro Græcis ad verbum, *Ioseph autem vir eius iustus existens, & non volens eam exemplum facere, voluit occulte repudiare eam*: magnifice legimus, *Ioseph autem vir eius, quum esset iustis, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*

IX. Sed hunc interpretandi morem si non improbent aduersarij, quid est, quod legimus apud Sacroboscum c. 3. partis 3. *Scio sectarios* (inquit) *in suis translationibus non raro de industria discedere à verbis textus: sed quamdiu sensum seruant, non arguuntur à nobis nisi malæ fidei.* Nam ego quidem concipere non possum, quod sit vestigium malæ fidei, in ea ratione, quæ nõ tantum approbetur, sed etiam obtendatur excusandæ Vulgatæ editioni. Non video, quomodo in nobis malam fidem non excuset, si excuset in editione Vulgata, nisi forte noua nunc tandem ratio sit peccatorum, quæ personarum sit, non rerum.

X. Admonemus tamen primo conandum omnibus viribus, vt non tantũ ὅλως totius alicuius orationis sensus, sed etiam singula vocabula põderentur, atque adeo, si fieri possit, æque bona rependantur. Alioquin præstare, vt duriusculum quid admittamus in Priscianum, quam vt non exprimamus, quod suggessit Spiritus Dei. Hoc sibi voluit Hieronymus, libertatẽ suam interpretandi ipse contrahens Epistola 101. *Ego non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione Græcorum, atq; Scripturis Sanctis, ubi & verborum ordo & mysterium est, non verbum de verbo, sed sensum exprimere de sensu* Inter Papistas Sebastianus Michaelis in 2. responsione cap. 6. *Sanctissime obseruandum est in Scriptura, vt reddatur non tantum sensus sensui, sed etiam verba verbis, & phrases phrasibus, atq; hic honos deferatur Spiritui Sancto autori: vnde fit vt ea lingua sit sancta.*

XI. Secundo, quandoquidem in Scriptura autoritatem quærimus diuinam: hæc autem nulla esse potest, nisi in ijs quæ Deus dixit, ergo in optimis etiam interpretibus, nullum esse vocabulorum pondus, sed tantum sẽsuum, si tamen sensus vere sint expressi. Quod contra est in ipso textu, vbi non sensus tantum, sed etiam verba sunt diuina, ac proinde mystica. Itaq; illi ineptè facient, qui tam curiosè traducendi vocem excutient, quam verbum Græcum ὠφελιμαπίζειν. Vnde magnum autoritatis discrimen in fontibus, & riuis.

XII. Tertio, si id officium sit boni interpretis proprias cuiusq; linguæ phrases distinguere: ergo illum non fungi officio, cui perinde omnia sunt, & cui liberum est Hebraicas, Græcas-ve phrases, nulla exigente necessitate Latinæ orationi inserere. Quo nomine nobis sæpe sæpius vapulabit Latinus ille quisquis est interpres.

XIII. Gordoni fundamentum tertium: Loca Sacræ Scripturæ sunt vel clara & manifesta, vel obscura & difficilia. Si interpres in manifestis omnia recte interpretetur, & in obscuris aliquem scriptum literæ congruum exprimat, etiam si forte non assequatur optimum, non ob id censendus est errasse, aut officium boni Interpretis nõ impleuisse. Rationem addit, adeo profundos, vbereſq; esse Scripturæ sensus in locis præsertim obscuris, vt vix à quoquam diiudicari possit, quis sit optimus. Imo si semper optimus esset quærendus, nullus daretur finis interpretationum.

XIV. Respondeo optimum sensum eum esse, non absolute ad seipsum sed relate ad locum qui præ manibus est, & cuius in interpretatione laboratur. Hoc posito, primũ non dari progressum in infinitum, quia vnius loci vnicus omnino verus, & genuinus, id est, optimus sensus, qua de re, suo & loco & tempore, controuersia erit. Præterea contradictionem implicari, cũ dicitur: Si possit alius melior sensus afferri, & tamen negatur diiudicari posse optimum. Nam hæc negatio destruit hypothesin.

XV. Cæterum ad rem ipsam primum dico, condonandum quidem esse Interpreti non acutissime videnti in locis obscuris: atq; agnoscendam humani ingenij imbecillitatem. Sed vicissim, cum primum apparet per Dei misericordiam, id quod vel optimum, vel certe melius est in Scripturæ interpretatione, tum nulla cuiusquam habita ratione, siue personæ, siue temporis, deserendum id quod deterius est. Qua in re præiuit exemplo suo nobis Ecclesia Latina: quæ Veterem editionem neglexit, præ Hieronymi editione. Ac proinde, si probemus editionem Latinã multis in locis obscuris non attigisse optimum sensum, tum satis superque demonstratum fore, non esse authenticam, aut ei mordicus hærendum.

XVI. Denique dico Latinam hanc editionem non tantum in obscuris locis cespitasse, sed etiam plerunque in manifestissimis, & planissimis corruisse. Quo minor ei futura est autoritas.

XVII. Quartum Gordoni fundamentum. Non sunt reprehendendæ translationes Sacræ Scripturæ ob id duntaxat, quod sint inter se diuersæ, dummodo non sint cõtrariæ. Nam quemadmodum in diuersis locis, diuersa docet Spiritus Sanctus, sed non pugnantia, ita post in eodem loco, & iisdem plane verbis diuersa docere.

XVIII. Respondeo, vt prius, vnius loci, vnicum esse genuinum sensum. Itaq; ab eo quicunque recedit ad alium, hunc iam nullum sensum tradere Scripturæ, sed alienum: ac proinde non verum. Neque similia comparari, cum diuersi loci conferuntur cum vno eodemque, quasi diceret, diuersis hominibus diuersos vultus esse, ergo etiam vni eidemq;, vel etiam melius, multis hominibus multas personas, ergo & singulis. Nam sensus cuiusque loci, magis ad personam accedit cuiusque hominis, quam ad faciem. Cæterum hæc controuersia est alio pertinens.

XIX. Porro diuersitas Interpretum sic intelligitur, vt vel ambo aberrent à sensu Scripturæ, vel tantum alter. Si ambo, dico ambos esse reprehẽdendos: si aliter, alterum. Alioqui falsum esset fundamentum secundum, quo definitum est interpretis officium exprimendo sensu. Interim concedimus non esse legitimam, aut solidam demonstrationem, ab autoritate vnius interpretis, ad alterius reijciendam interpretationem. Sic, exempli gratia, non propterea damnandus Hieronymus, quia discessit à Septuaginta: sed neq; Septuaginta, quia non placuerunt Hieronymo. Solum efficax est argumentum ab ipsa Scriptura, cui interpretandæ oportet interpretem alligatum esse. Etsi fatear non esse nihil momenti in ipsa interpretum comparatione.

XX. Atque hactenus Gordonus. Nunc Sacroboscoprimum, nobis iam quintum fundamentum est, siue principium. Corruptiones, quæ fidem & mores Ecclesiæ non attingunt, alienæ sunt à præsenti disputatione.

XXI. Itane, inquam? Ergo nullus esto malus interpres Scripturæ, nisi hæreticus. Imo ne hæreticus quidem: nam quis neget inter hæreticos posse esse nonnullos ijs sceleribus immunes? Quanquam nostra disputatio non tam de vero interprete est, aut falso, quam de authentico. Atqui nos negamus ad id culmẽ autoritatis sufficere, vt nullus sit sensus inductus aut hæreticus, aut contra bonos mores. Denique & vno verbo, quicunq; non exprimit sensum sui autoris, is peccat interpretando, quantumuis bonum sensum pro bono substituat. Et eo nomine reprehensi sunt sæpissime Septuaginta ab Hieronymo. Papistæ ipsi, quoties exprobrarunt corruptiones fontium siue Hebraicorum siue Græcorum, productis locis, quos neque esse contra fidem, neq; contra bonos mores vel ipsi dicere quiuerint? Repetantur exempla ex lib. 13. Esaiæ 41. *Confortauit Faber aurarius percutiens mallo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens glutino, Bonum est, & confortauit eum clauis, ne moueatur.* Hic sane neque hæresin video, neque contra bonos mores quicquam. Sed nemo mihi hominum persuadebit functum officio interpretem, qui scio, sic fuisse vertendum. *Et confirmat faber conflatorem, percutiens mallo eum qui tundit incudem, dicens de glutino bonum est, & firmans id clauis ne moueatur.* Prouerbiorum 30. *Ignotas esse vias eorum in ado-*

in adolescentia, nihil habet, quod sciam, hæreticum: sed adolescentiam tamen pro adolescentula dici, immane peccatum est interpretationis.

XXII. Sextum principium. Quum literæ Hebraici contextus ferent lectionem editionis Vulgatæ, vrgeri non posse corruptionem.

XXIII. Absurdissimum, inquam, principium: & quo nemo vnquam sanus vius est. Quis enim nescit, quam varie possint legi eædem literæ? Imo quam varie distrahi? Atque adeo vtroque hoc artificio videbimus audacissimos aduersarios illudentes Scripturæ. Sic Andradius Psalm. 110. עמך Himmeka, *tecum*, pro עמך Hammeka, *populus tuus* Esaiæ 2. במה Bama, excellum pro במה Bammeh, *in quo*. Iisdem literis quidem: sed Deus bone! quam diuerso, quam alieno sensu: Vnde manifestum literas sic ab aduersariis numerari, vt nihil interfit, detrahantur an connectantur: ad vnum, an ad plura vocabula pertineant. Quasi qui in calculis subducendis negaret interesse quo quisque sit positus loco. At nos infinitis parasangis religiosiores persuasissimum habemus, non quid solæ literæ sonare possint pro arbitrio cuiusque: sed quid eo loco sonent, attendendum. Et si quando quid ambiguũ sit, tum præcedentia sequentiaque, atque omnes eius textus circunstantias diligenter conferendas. Alioquin quis non videt præsentissimum incommodum? Nam cum literis seorsim numeratis varij possint sensus congruere, quid esse poterit certum in Theologia? Denique vnde illa tam violenta Iudæorum accusatio, corruptæ Scripturæ ex additione Vocalium? Negent si possunt, eum sensum, ex additione illarum vocalium, congruere literis. Quod si non possunt: nec tamen Iudæos absoluunt, certe periit hoc Sacroboſci principium.

XXIV. Septimum principium est: Si consuetudo Hebræorum, vsurpandi genus vnum pro alio, vel vnum numerum pro alio, faueat translationi Latinæ, tum satis superque defensa esto.

XXV. Minime: minime, inquam. Sunt enim nonnullæ anomaliæ Syntaxeos Hebraicæ, ex quibus nullam regulam fieri æquum est. Quæ ne ipsæ quidem admitterentur, nisi omnino cogerent textus circunstantiæ. In Ruth alicubi ad fœminas sermo fit, tanquam ad mares: placet ne ergo, quotiescunque masculini generis vsus occurret, licere de fœminis intelligi? Inepte: Imo amplius. Itaque vt excusatio admittatur, necesse est concurrere circumstantias.

XXVI. Postremum principium. Legitima defensio est Editionis Latinæ, si nonnulli libri, siue exemplaria sint incorrupta, & veram habeant lectionem: etsi pleraque sint vitiata.

XXVII. Admittam: sed hac lege, vt omnes Codices ex iis paucis concedantur corrigendi. Nam alias quis admittat? Vt cum in Genesi certum sit aliquos Codices habere *ipsum*, non *ipsa*: quis concedet incorruptam esse Editionem Latinam eius loci, quandiu Papistæ retinebunt hoc posterius, & disputabunt sic potius legendum? Et vero quo successu Sixtus quintus Biblia sua edidisset, quæ emendatissima esse profitentur, & quidem Lucæ Brugensis annotationibus vallata, instar Iudaicæ Massoret, in quibus notantur, *quæ à Romanis Patribus restituta sint loca, indicaturque ea quæ reiecta est lectio?* Vt exempli gratia: Genes. 1. *Vniuersaque terra. Non est scribendum creatura.* Et 2. *Præcepitque ei dicens, Non est mutandum præteritum præcepit cum præsenti præcipit.* Matth. 1. *Et vocabunt nomen eius Emmanuel. Germana lectio habet futurum plurale personæ tertiæ, vocabunt: non singulare personæ aut secundæ vocabis* (quod tamen Græce est) *aut tertiæ vocabitur.* Itaque non inuitus faciam vt ex Sixtina ista correctione censeatur Latina Editio, quam nunc in controuersiam deducimus. Meminisse tamen debent aduersarij, si hæc valeat excusatio, tum frustra in crimen vocatos Iudæos, qui tam diligenter annotarunt Keri, & Ketib. Nam hæc differentia nihil aliud significat præter Codicum diuersitatem: in qua annotanda admirabilis apparet Iudæorum fides, apud quos vere dici potest omnes codices esse correctos: vtramuis tandem lectionem eligas: quia omnes codices vtramque habeant.

CAP. XI.

De Erroribus Latini Interpretis, quos aduersarij conantur excusare in Veteri Testamento.

I. His necessario præmissis & expensis deueniendum ad minoris in nostro Syllogismo demonstrationem: enumeraris non omnibus quidẽ, quis enim posset? sed plurimis tamen exemplis. Nam pauca & si sufficerent accusationi; tamen longe abessent à dignitate rei. Interest autem Ecclesiam admoneri, non tantum corruptam editionem esse, sed etiam immaniter corruptam. Nam & si communis dictet ratio, numquam id quod malum, quod corruptum, esse tolerandum, maxime vero in rebus sanctis, & tam sanctis: tamen infirmitatis humanæ conscientia, facile obtineat, vt optimum illud dicatur quo minimis malis vrgeatur. Locorum enumeratorum mihi initium erit ab iis quos aduersarij, non veritate freti, sed solitis suis artibus confisi, conantur excusare, imo defendere: vt qui semel modestiæ limites prætergressi sunt, gnauiter solent esse impudentes.

II. Primus esto locus, ex 1. c. Geneseos quem legunt etiam Biblia Sixtina ad hunc modum. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Sit legit, inquam, vulgatus interpres, quasi vnum idemque cibi genus assignatum sit tum homini tum brutis. At Moses diserte distinxit: scripsitque in hunc modum, vt vertit Iunius. *Ecce dedi vobis omnes herbas sementantes semen, quæ sunt in superficie totius terræ, omnesque arbores in quibus est fructus arboreus, sementantes semen: vestræ ad comedendum erunt. Omnibus autem bestiis terræ, & omnibus volucribus cœli, omnibusque reptantibus super terram, in quibus est anima viuens, dedi omnes herbas virides ad comedendum.*

III. Andradius, primo Latini interpretis sententiam ait, & cum ipsa rerũ natura, & cum rerum quotidiano vsu magis cohærere. Deinde, si distinctionis notam demas, quæ in contextum facile potuit casu aliquo irrepere, tum nullam esse discrepantiam.

IV. At ex his duobus, prius illud eiusmodi est, vt Mosen arguat mendacij, qui aliquid dixerit, quod repugnet naturæ, repugnet etiam experientiæ. Adeo difficile est vel non maximos errores in rebus diuinis tueri absque blasphemia. Et quid ad rem quæso? Hic quærimus, vtrum concordia sit cum verbis Mosis, non autem vtrum cum natura. Ad alterum respondeo, facile è quolibet effici quidlibet posse, si Papistis permittamus, omnia pro arbitrio peruertere: vt hinc puncta auferant: illic literas permutent: alibi analogiam contemnant: denique textum sacrum sic tractent, vt Lesbiam regulam. Deinde, ne sic quidem sanatum erit vulnus: Non est enim hic solus error, quod orationis membra distincta confuderit: sed etiam, quod vltimum illud *dedi omnes herbas virides ad comedendum*: siue vt Sanctes vertit, *omne olus herbæ erit in escam*: prorsus omittitur: ex quo tamen conficitur distinctionem illam, quam Andradius sublatam vellet, non temere irrepsisse, sed necessario esse additam.

V. Geneseos 3. *Ipsa conteret caput tuum*: quasi sit intelligendum de muliere: cum potius de semine mulieris loquutus sit Deus: propterea que Pagninus reddiderit *Ipsum conteret tibi caput*: vt sit illustre vaticinium promissi iam tum ab initio Christi: cuius victoriam, huius erroris occasione, iampridem Papistæ, Collyridianorum insaniam longe superantes, deriuarunt in Mariam Virginem. Peccatum agnoscit Andradius: agnoscit Canus, concedens ab imperitis substitutum *ipsa*: agnoscit Sacroboscus, ea iudicans exemplaria emendatiora, quæ legunt *ipsum* genere masculino: agnoscit Steuchus, interpretationem de Virgine malam appellans. Et ante eos Franciscus Georgius tom. 1. sect. 1. problemate 55. *Ex falsa* (inquit) *traductione, Latini communiter attribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum. Quæ licet sublimior sit, quam dici queat, dabimus tamen victori triumphum hunc, cui ex veritate literæ debetur.*

VI. Bellarminus sic excusat, vt primo dicat editionem vulgatam varie habere, in quibusdam codicibus *ipsa*, in aliis *ipse*, non esse igitur contra vulgatam editionem, si conuincatur legendum *ipse*, vel *ipsum*. Secundo, non esse improbabile debere legi *ipsa*. Ratio, quia ipse legerit codicem vnũ Hebræum in quo erat הוא non היא, proinde remotis punctis vocem verti posse fœmineo genere: quod passim occurrit: vt Genes. 3. vers. 12. Exod. 3. vers. 8 Secundo sic legisse olim Claudium Marium, Victorem, Alcimum Auitum, Chrysostomum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, Eucherium, Rupertum, Bedam, Rabanum, Strabum, Lyranum, Bernardum. Franciscus Lucas addit, Christi matrem intelligi serpentis caput contriuisse, quia eum genuit, qui contriuit. Et ita apud me olim Porsanus hoc quicquid est peccati, excusabat.

VII. Respondeo ad primum, ex infinita codicum veterum copia, vnum duntaxat à Francisco Luca & Hentenio repertum, cum altero quodam non Bibliæ codice, sed correctorio, quod Sorbonicum appellat. Ex recentioribus, iisque impressis aliquot ita correxit Robertus Stephanus: sed quæcunque apud Papistas excuduntur, errorem retinent. Esse vero non exscribentium, sed ipsius editionis vitium, ostendunt hæc: primo, summus codicum consensus: quem ab vno tantum infringi iniquum esse sciunt omnes critici. Secundo constans omnium Latinorum lectio: nam, excepto Cypriano, Hieronymo & Leone, vix credo alium vnum nominari posse. Irenæum autem, qui Græce scripsit, inter Latinos non numero. Itaque frustra codicum diuersitatem in auxilium vocauit Bellarminus, & Sacroboscо. Quam etiam potentissime proscripsit Sixtus quintus in suis Bibliis, quanquam pudore nescio quo Lucas omiserit annotare.

VIII. Ad secundum, rursus ad eundem lapidem dico Bellarminum impingere, & ex vno codiculo, omnium Hebræorum fidem impugnare. Enimvero, inquam, hunc codicem oporteret indicari, litne manuscriptus, an potius typis excusus: item quo exscriptore, saltem, qua ætate, sit manuscriptus: aut apud quos editus. Ego sane Papistarum intolerabilem, imo exsecrandam audaciam iudicio esse & propalandam, & notandam: ne posteritati tam impiæ fraudes aliquando imponant. Volumen illud Antuerpiæ editum ad apparatum Bibliorum regiorum, vbi textus est cum interlineari versione, omnino ita expressit, vt obseruauit Bellarminus. Et quidem, Franciscus Lucas non errore factum significat, non autoritate veterum codicum emendatum, sed de industria à Guidone Fabricio Boderiano, ex autoritate Pici Mirandulani immutatum. Quanquam fuerat etiam prius ita peccatum in Bibliis Venetis curatore Felice Pratensi. Ita vincent Papistæ: scilicet ex illo veteri axiomate: Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

IX. Etsi autem fateor aliquot locis הוא occurrere fœminino genere: tamẽ ij non sunt huic similes. Nam hoc ipso capite, tum nomen אישה mulier, ad quod refertur, tum verbum נתנה dedit, sunt fœminini generis: itaque non potuit pronomen esse masculini. Similiter Exod. 3. הארץ est fœmininum. At hîc, si forte, quia paulo ante nominata mulier, nominatum etiam semẽ mulieris, ambiguum facit, quo referendum sit pronomen, certe sequentia nodũ dissoluunt. Nam & verbum conteret ישופך masculinum est: & in altero mẽbro relatiuum תשופנו conteres ei. Quod autem Bellarminus excipit non esse nouum, vt nominibus fœmininis iungantur pronomina aut verba masculina: fateor dari posse, vnum & alterum, aut etiam tertium exemplum: sed ea sunt anomala. Deinde res ipsa cogit, cum per se sit manifesta. At hîc contra potius manifestum est Mariam non contriuisse caput serpentis, sed Christum Dominum ex ea natum.

X. De Patribus respondeo, immerito Chrysostomum in hunc numerum allegi, vsum editione Græca, quæ masculinum genus habet, non fœmininũ: quod adeo certum est, vt nemo contra vel suspicatus sit. Itaque in homil. 17. in Genesin locus sine dubio inflexus est ab interprete ad vsum Latinum. Nã alioquin in explicatione, nihil est quo colligere quis possit, vtram in partẽ Chrysostomus inclinarit. Imo Pamelius, in Cypriani 2. contra Iudæos, notauit in hunc modum *Chrysostomum quidem iuxta priorem interpretem legit ipsa: sed Græcum illius contextum aliud legere adnotauit Dominus Philippus Montanus, & præsertim in commentario, vbi quodam in loco Græce ἐκεῖνο legitur.*

XI. Sed interpellat Sacroboscus. Incredibile est, inquit, Interpretẽ Chrysostomi sic errare potuisse: nam ipsa legit, non solum in textu, verum etiam in commentario: neque existimandum est illum de industria à verbis Græcis

recessisse. Deinde ratio, quam apponit Chrysostomus, si per semen mulieris intelligas Christum, non potest nisi mulieri competere. Sic enim ait: Tantum enim robur illi concedam, vt continuo immineat capiti tuo, te autem faciam sub pedibus eius iacere. Christo vero proprie non conceditur robur: nam supernaturalia dona omnia sunt naturæ ipsius debita ratione hypostaticę vnionis. Adde quod propria ratio conterendi caput serpentis in Christo non fuerint extrinseca dona, sed ipsa subsistentia increata verbi, quæ merito & satisfactioni eius valorem contulit infinitum, vt ita de rigore iustitiæ deleret, quod aduersus nos erat chirographum, & omnia vasa fortis armati diriperet.

XII. Sed de interprete Chrysostomi ridicule coniecturis disputatur contra oculatum testem. Nam Philippus ille Montanus profitebatur se Chrysostomi textum legisse. Ipsi autem textui, quid potest opponi, quod vel momentum faciat? Esto vero impossibile interpretem vnum hunc errauisse, siue casu, siue de industria si nunquam vlla fuit de interpretibus conquerendi occasio. Ego vero credo de industria peccasse, id est, vt dixi, inflexisse ad vsum Latinum.

XIII. At ratio Chrysostomi non conuenit Christo. At primum, quid si Christum Chrysostomus non est interpretatus: Videtur enim semen sumpsisse pro genere humano. Hinc ista, *Vide hic, dilecte, quomodo per pœnam huic bestiæ deputatam, quanta humani generis cura Deo sit.* Et post, *Etenim pedibus nostris subiecit humiliatum, & nos incumbere illius capiti fecit. Annon hoc significat, dicens, calcabitis super serpentes & scorpiones?* Quid ergo? Nonne generi humano congruet ratio Chrysostomi?

XIV. Sed & Christo cur non congruat? Debentur illi omnia dona supernaturalia ratione hypostaseos. Esto, inquam, sed quomodo? vt ipse sibi raperet, an haberet donata à Patre? Ipsum testem audiamus. Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quid vis Christophore? Non erat hæc potestas donum supernaturale? Non debitum ratione hypostaseos? Et tamen audis datam. Disce igitur, non esse incongruum, eam potestatem, per quam contritum est caput serpentis, Christo datam fuisse.

XV. Verum propria ratio conterendi draconem, fuit ipsa subsistentia increata. Esto, inquam. Sed rursus, cur non hæc Christo data dicatur, quatenus homo fuit, id est, semen mulieris? Audi Paulum ad Philip. 2. *Donauit ei nomen quod est supra omne nomen.* Oecumenius, ποῖον δὲ τὸ χαρισθὲν ὄνομα, τὸ Χριστὸς, τὸ υἱὸς, τὸ Θεός. Ambrosius, & Sedulius, *Videtur ergo donum Patris, hoc est, esse Filium, vt nomen eius super omne nomen sit, hoc est Deum esse.*

XVI. Sed quid opus pluribus? En tibi. Nam prodiit tandem Chrysostomus Græce ex officina Morelliana, anno millesimo sexcentesimo decimo quarto In eo Græce ita est, καὶ αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν. Idque bis, Et rursus, καὶ οὐδὲ τούτῳ ἀρκεσθήσομαι, τῷ ἐπὶ τῆς γῆς σύρεσθαί σε, ἀλλὰ καὶ ἐχθρὰν ἄσπονδόν σοι καταστήσω τὴν γυναῖκα. καὶ οὐκ αὐτὴν μόνην, ἀλλὰ καὶ τὸ σπέρμα αὐτῆς τῷ σπέρματί σου πολέμιον διηνεκῆ ἐργάσομαι. αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. καὶ γὰρ τοσαύτην ἐκείνῳ παρέξω τὴν ἰσχὺν, ὡς διηνεκῶς ἐπικεῖσθαι τῇ σῇ κεφαλῇ, σὲ δὲ τοῖς ἐκείνου ποσὶν ὑποκεῖσθαι. *Neque hoc contentus ero, quod super terram repres: sed & inimicam, fœderisque nesciam faciam tibi mulierem: neque eam solam: sed & semen eius semini tuo hostem perpetuum faciam. Ipse tuum obseruabit caput, & tu eius obseruabis calcaneum. Tantum enim illi robur concedam, vt continuo incumbat capiti tuo, te autem faciam sub pedibus eius iacere.* Quid igitur Sacrobosćum iuuit esse subtilem, aut pertinacem potius? Res enim in aperto, vt omnes rumpantur Iesuitæ.

Hactenus de Chrysostomo. Reliquos omnes Patres laudatos testes, scimus fuisse Latinos, & legisse fœminino genere. Sed hos causam nihil promouere: tum deceptos sua editione, tum aduersantib. omnib. Hebræis, Græcisque, quorum erant priora exemplaria.

XVII. Non possum quin referam, quod insertum legi commmentariis Carthusiani in hunc Geneseos locum, à Petro Blomeuenna Leidensi, prætendente autoritatem Iosephi, quasi diceret 3 ca. I. ἀρχαιολογίας, *Præcepit vt mulier capiti plagas inferret.* Et tum exclamante prę nimio gaudio, *Eant nunc igitur curiosi magis quam pij, hodiernis Iudæorum exemplaribus freti: & ostendant vetustiores Iudæos aliter quam legit Iosephus legisse.* Satis commote. Sed nos constanter. Eant nunc & negent Papistæ ignorantiam esse cæcæ obedientiæ matrem. Nam isti, quisquis sit, imposuit Latina Iosephi editio. Græca enim verba aliter sonant, πολέμιον ἀποδείξας αὐτοῖς, καὶ ὑποθέμενος κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγάς, *Hostem illis designauit, & iussit in caput ipsum plagas dirigere.* Vbi nihil de muliere Iosephus peculiariter: sed in genere de hominibus, quos intellexit semen mulieris: ignarus scilicet vlterioris mysterij: sed non aliter tamen legens.

XVIII. Mirando autem sophismate error excusatur. Mariam eo contriuisse caput serpentis, quo Christum pepererit, qui ipse contriuit. Quod si valet, quidni similiter crucifixam dicamus, & tertia die rediuiuam, venturamque iudicare viuos & mortuos? Nam eadem ratio est. At nemo vnquam dixit, Saram Isaaci matrem pepigisse fœdus cum Abimelec: aut Rebeccam pauisse oues Labani. Nemo Euam, matrem Cain, occidisse Abelem. Denique gesta personalia non transferuntur in alios, quantumlibet coniunctos. Sic enim, puto, nullus dixerit Iesuita suam matrem, aut cecinisse Missam, aut quatuor vota esse professam.

XIX. Gordonus Huntlæus prolixior & animosior, in hac excusanda corruptione, primo negat prophetiam esse de Christo: per semen enim mulieris intelligendam vniuersam Ecclesiam. Probat. Primo, quia serpens non indiuiduum, sed genus significet, id est, omnes serpentes: atque adeo semen sit nomen collectiuum: consentiente Caluino. Secundo, quia non soli Christo, sed omnibus qui pie viuunt in Christo, Scriptura hanc conculcationem & contritionem tribuat. Tertio, quia solus Christus in seipso conteri non potest à Diabolo: itaque per semen intelligenda membra Christi. Quarto, quia plurimi Patres interpretantur de Ecclesia.

XXI. Hoc posito, infert, litem moueri de re nullius fere momenti. Etenim *Ipsam* referri ad Ecclesiam: *ipsum* vero ad semen, quo eadem significetur Ecclesia. Esse tamen præferendam vulgatam lectionem *Ipsa.* Ratio prima: quia Ecclesiæ sit potius tribuenda victoria, quam eius filiis. Secunda, occurritur errori Lutheranorum, qui volunt hanc promissionem ad Christum solum pertinere. Tertia, quia non repugnet textus Hebræus: Et hoc probat, primo, quia, היא inueniatur fœmininum. Et quidem cum emphasi magna: vt non tantum *ipsa* significetur, sed ipsissima: siue hæc ipsa & nō alia. Deinde, quia apud Hebræos nomina collectiua, quale est mulier, hîc significans totam Ecclesiam, sunt vtriusque generis, id est, tam masculini, quam fœminini, teste Pagnino Grammaticæ lib. 2. c. 2.

XXII. Sed nos obseruamus, primo, Gordonum discedere à communi Papistarum sententia, quæ Virgini Mariæ tribuit hoc quicquid est promissionis, vt est obseruatum. Quod si Gordono omnes assentiantur, possemus & nos non esse molesti. Nam etsi illa videatur interpretatio melior, quæ Christum dicit semen mulieris, tamen non est impia, quę Ecclesiam mauult, siue genus humanum, in quo nos suum Mariæ locum nunquam denegabimus, ne quidem cum prærogatiua. Interea tamen, cur non sapit Gordonus ex aliorum periculo, & lapidem hunc, ad quem aut omnes, aut plerosque omnes videt offendisse, amouendum censet potius, quam singulos perpetuo monendos, ne offendant?

XXIII. Rationes pro Ecclesia possunt esse forte probabiles: at nullæ necessariæ. Certe serpens hoc loco, cum opponatur semini suo, non potest genus significare, sed hunc indiuiduum quo instrumento Diabolus vtebatur, vt merito eius nomine ipse Diabolus intelligatur. Promittitur a. victoria de hoc serpente: non quod non etiam de eius semine: sed quia multum intererat illam potius promitti, de infensissimo hoste, qui cum maius, & periculosius bellum. Fateor, Semen posse indefinite sumi: sed indiuidue, quid prohibet vnum aliquod semen, vt Paulus monet in semine Abrahami: Fateor piis promitti, etiam singulis hanc victoriam: sed debebant meminisse, hanc pendere ab illa Christi, Ioan. 16. *Confidite ego vici mundum.* Christum solum nō posse conteri à Diabolo verum: sed id Moses non dicit: tantum conteri eius calcaneum: si tamen conteri vocabulum est aptum. Sed quis neget id Christo euenisse, nisi qui eius passionem aut ignoret, aut neget: Iam Patres non omnes, sed nonnulli Ecclesiam interpretantur. Itaque non est ab eorum autoritate certum argumentum. Esse victoriam referendam Ecclesiæ potius, quam eius filiis, primo, non tam facile concessero: quia cum Ecclesia nihil sit, nisi multitudo omnium fidelium, videretur victoria, hîc, vt in bellis, non singulorum esse, sed omnium tantum. Cum certum sit, eo esse omniū, quia singulorum. Itaque longe pacatior fit conscientia, si singulos significes. Sed certe si consultius præfertur Ecclesia filiis: multo magis adhuc Christus Ecclesiæ: nam ille per se, & à se: hæc vero, nec per se, nec à se, sed per Christū & a Christo. Viderit Gordonus, quo iure nolit hîc quicquam esse Christo peculiare: nos aliter existimamus: quandoquidem negari non possit longe aliter vicisse Christum, quam vincat Ecclesia.

XXIV. In grammaticatione, quis non miretur ineptiam Gordani? Nam emphasin primus omnium commentus est, nec probat, nisi se iudice: quasi in literatos Imperium merum obtineat. Nos ridemus, cum doctis. Nomina collectiua Hebræis esse vtriusque generis, nec dixit Pagninus, nec verum. Sed dixit, Nomina generum & specierum, in quibus inuenitur & masculinū & fœmininum, sub quorumque genere, sub quarunque venerint terminatione, etiam in ה vtrunque comprehendere sexum: quod significat עוף auem, quia in auibus mares sint & fœminæ, vno eodemque genere, id est, siue masculine vsurpetur, siue fœminine, non mares tantum comprehendere, aut fœminas, sed & mares simul & fœminas. Hoc vero, quid ad rem? Neque enim Ecclesiæ aliæ sunt masculæ, aliæ fœmininæ. Et, si esse concederem, tamen non est verum זרע esse vnquam fœminini generis.

XXV. Genes. 4. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear:* vbi merendi verbum non debuit legi: cum nihil sit Hebraice quod ei respondeat.

XXVI. Andradius dupliciter hunc locum obseruat intelligi: ab aliis, maior est pœna mea, quam vt sustineri possit: ab aliis, maior est iniquitas mea, quam vt remitti possit: atque hunc sensum elegisse Vulgatam editionem. Atqui sophista quæstionem eludit: de merito enim, merum silentium. Nos vero & amphilogiam agnoscimus: & magis probamus posteriorem sententiam: sed merendi vocabulum dicimus hoc loco esse importunum. Quomodo enim intelligendum? An, vt nunc merear, an vero, vt in posterum mereri possim? At prius ridiculum: quis enim nescit peccatores, tum cum peccant, veniam non mereri? Posterius est falsum. Nemo enim vnquam mereri potest, vt à Deo remittantur sibi peccata, quod solius gratiæ per Christū est effectum. Potest tolerari tamen, si sumatur mereri pro consequi, vt sæpissime olim apud veteres.

XXVII. Genel. 9. *Qui fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius.* Deest in posteriore membro, *per hominem.* Non enim simpliciter minatur Deus homicidarum sanguinem fundendum, sed ἐμφατικώτερον fundendū per hominem. Bellarminus, sensum respondet non propterea reddi falsum, aut imperfectum, propterea non esse magni momenti. Significari enim tam Hebraice, quam Latine eum, qui occiderit hominem, occidendum etiam ipsum. Andradius varium esse literę ב vsum: aliquando poni pro *per*, frequentius tamen præpositionem esse vltimi casus, *in.* Non significari autem vllam testium necessitatem, quos expressit Chaldæus paraphrastes, sed seuerissimā comminationem Dei, mortis supplicium constituentis eis, qui iniusta morte alium affecerint. Sacrobosco, post ea verba, *in homine*, Hebraice collocari distinctionem. Itaque legendum, *Qui effuderit sanguinem hominis in homine*, Et sic vertisse Septuaginta, *Effundens sanguinem hominis pro sanguine hominis, ipsius effundetur.*

XXVIII. Ad Bellarminum, dico, non esse quidem hanc maximam falsationem: sed esse tamen aliquam. At Spiritum Sanctum, authorem omnium authenticorum librorum, neque maximam, neque minimā falsationem admittere. Esse autem sensum prorsus eundem negatur Nam multorū quotidie sanguis funditur qui tamen non funditur per hominem. Ad Andradiū: certe negari non posse ambiguitatem phrasis Hebraicæ: non excusari tamē corruptionem: aliud enim esse, quam eos terminos, vnde ambiguitas nascitur, prorsus intactos præterire. Porro ex iis varias duci doctrinas, quas ij nunquam viderunt, qui vsi sunt sola editione Latina. Enumerantur à Vatablo, & Mercero, & aliis. At Sacrobosco nihil vere dicit. Nam Hebraice distinctio maior est in vocabulo, *Hominis*, שפך דם האדם *Effundens sanguinem hominis*· באדם דמו ישפך. *In homine* (siue per hominem) *sanguis eius fundetur.* Nec aliter habet, vlla quam viderim, editio.

XXIX. Numerorum 36. *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua: & cuncta fœmina de eadem tribu maritos accipient.* Hæc interpretatio

manifesto

manifeſto falſa apparet, ex contrario vſu Iudæorum, inter quos ſæpiſſime occurrunt ſinita coniugia in variis tribubus. Sic Michol de tribu Beniamin vxor fuit Dauidis de tribu Iuda, 1. Samuelis 18. Ioſebeth de tribu Iuda, Ioiadæ Pontificis de tribu Leui, 2. Paralipomenon, c. 22. ſic Maria mater Chriſti de tribu Iuda cognata erat Elizabet de tribu Leui. Porro Hebraice locus ſic ſe habet, *Filij Iſrael adhærebunt ſinguli poſſeſſioni tribus patrum ſuorum: Et omnes filiæ hæredes poſſeſſionis alicuius ex tribubus filiorum Iſrael erit in vxorem alicui ex familia tribus patris ſui.*

XXX. Canus, Bellarminus, Stapletonus, negant Verſionem eſſe falſam: quia ſic olim legerint Euſebius, Epiphanius, Ambroſius, Beda, Damaſcenus, *quorum* (inquit Canus) *libentius ego æmulor negligentiam, quam iſtorum obſcuram diligentiam.* Cæterum intelligendam non vniuerſaliter, aut neceſſario, ſed tantum in caſu, videlicet, quando fœminæ ex defectu maſculorum hæreditatem ſortiuntur. Et legem quidem de mulieribus in textu claram eſſe. De viris autem priori parte contineri, quia *Adhærebunt*, non eſt ita cõſtruendum, adhærebunt poſſeſſioni, vt ſit ſenſus, manebunt in poſſeſſione, vt referatur ad coniugem, & ſit ſenſus, adhærebunt vxori vnuſquiſque in poſſeſſione tribus ſuæ.

XXXI. At de Patribus facile negotium: eorum enim nulla eſſe poteſt auctoritas aduerſus rationem: quantumlibet eorum ſit nomen, eoſque venia indignos eſſe, qui illorum peccatis adhærere malunt, quam diuinæ veritati. Sunt autem illi, vel Latini vel Græci: vtrique ſuis editionibus decepti. Nam etſi Græca editio paulo ſincerius locum reddiderit, tamen nondum mendo vacat: qui pro fœmina hærede reddidit ἀγχιστεύουσαν, propinquam, non ſatis apte.

XXXII. Reſtrictionem legis approbamus: ſed hoc querimur, primo eum ſenſum non eſſe, aut expreſſum, aut ſaltem indicatum in verſione Latina. Nam quid prodeſt tergiuerſari? Nos enim non agimus, quomodo lex ſit intelligenda, aut commentariis illuſtranda, ſed quomodo hæc verba vertenda ſint. Quorſum igitur mihi præcedentia Bellarminus aggerit, *Ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael*, vt probet eum eſſe legis ſenſum? Illud omnino fruſtra eſt: quia etſi verum ſit, eum eſſe legis ſenſum, tamen verum eſt etiam eam legem falſo eſſe verſam.

XXXIII. Secundo, querimur eandem legem ex æquo tum viris, tum fœminis ferri: quod omnino falſum eſt. Nam ſi credimus Bellarmino, viri hæredes non magis poterant vxorem ducere ex aliena tribu, quam mulieres hæredes nubere viro non ex ſua tribu. At hoc Moſes nunquam cogitauit, & liberum reliquit viris, ſiue hæredes illi eſſent, ſiue minus, vxores quærere ex qualibet tribu, dummodo non eſſent ipſæ hæredes.

XXXIV. De mulieribus fateor legem claram eſſe: ſed Hebraice: non vero Latine, vbi generaliter omnes fœminæ nominantur: cum Hebraice legamus *omnes fœminæ hæredes* De viris autem prorſus ſophiſticatur, Nam Hebraica phraſis id infert, vt dicamus, adhærebunt poſſeſſioni: vt Geneſeos ſecundo ודבק באשתו & adhærebit vxori ſuæ, & alias ſæpiſſime Quanquã ne hic quidem ſenſus fauet Vulgatæ Verſioni. Nam, adhærebit vxori in poſſeſſione ſua: non ſignificat ducere vxorem duntaxat ex ſua tribu: ſed, vt ne per coniugium transferatur à tribu in tribum, vt ſæpe mariti tranſeunt in alienam domum.

XXXV Iobi 26. *Ecce Gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.* Pro quibus iam omnes docti legunt, *Mortui formantur ſub aquis, & habitatoribus earum*: vel vt Iunius, obſeruata diligentius interpunctione, *Ipſi expertes vitæ reformarentur: inde ab aquis etiam habitatores earum.* Andradius confugit ad verborum ambiguitatem: nam quæ vox mortuos ſignificat, eadem & Gigantes: quæ reformari, eadem etiam dolere: poſteriorem autem ſignificationem videri aptiorem: vt ſenſus ſit, Dei tantam eſſe vim, vt Gigantes aquarum profundo gurgite facile demergat, ſempiternaque internecione deleat.

XXXVI. Ego vero fateor locum non carere difficultate: & condonandum iis, qui, quod ſibi videtur, ſincere proferunt: ſed hoc nullo modo competere editioni authenticæ, à quo nullo modo, nulloque prætextu liceat diſcedere: cuiuſmodi autoritatem Tridentini tribuebant Latinæ verſioni Vulgatæ. Cæterum falli Andradium. Nam hic verſus vel ad Iobi præfationem pertinet, qua increpat Baldad Suhitam, vt putauit Iunius: vel ad narrationẽ, qua extollitur Dei omnipotentia. Si prius verum, omnino Gigantes ſunt ἀπεσδιόνυτι. Sin autem poſterius, vt maxima pars interpretum cenſet: tum videntur etiam in locum non ſuũ intruſi. Laudat enim Iob Dei omnipotentiam, ſpecialiter ab eius effectis mirabilibus in natura: non autem ab eius iudiciis: vt apparet ex toto capite.

XXXVII. Pſalm. 7. *Deus iuſtus iudex, & fortis & patiens: & nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Hebraice ſenſus eſt in contrarium, *Deus eſt iuſtus iudex: & Deus qui iraſcitur quotidie.* Canus hoc ait eſſe facile. Septuaginta enim ita vertiſſe: Et Auguſtinum eundem ſenſum expreſſiſſe. Eumque eſſe optimum, ſi antecedentia conſequentibus hærere debeant. Sed nos, & ipſos Septuaginta non probamus: & Auguſtini autoritate non mouemur. Porro, circumſtantias optime congruere cum veritate. Voluiſſe enim, vt apparet ex proximo verſu, Prophetam impios terrere, propoſita Dei ſeueritate in impœnitentes; non vero conſolari commemoratione eius benignitatis. Porro nihil eſt Hebraice, quo ſignificetur, *Fortis & patiens.*

XXXVIII. Pſalm. 110. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum tuorum: ex vtero ante luciferum genui te.* Ad verbum, Græca ſic expreſſa ſunt Sed Hebraice ita legimus, *Populus tuus ſpontaneus in die exercitus tui in ſplendoribus ſanctitatis: ab vtero tibi ros natiuitatis tuæ.* Andradius omnia ſibi licere putat, vt hunc ſarciat defectum. Primo, pro עמך ſubſtituit עמך mutatis punctis; ſecundo, pro נדבות mutatis literis נדבה: Tertio principium pro principatu.

XXXIX. Euge ſtrenue! quid enim conſultius, quam vt Lesbiam regulam flectamus ad arbitrium? Incipiam ab vltimo, principium pro principatu, barbarum eſt. Nec ſic Auguſtinus intellexit, aut Remigius. Non autor Commentariorum, quæ tribuuntur Hieronymo: non Lyranus: non vllus Latinorum, quod quidem ſciam: ſed tantum Græci, Theodoretus, Euthymius, apud quos ἀρχὴν pro principatu vulgo ſumi omnes ſciunt. Secundum σφάλμα cæcutientium erat: etſi enim nonnulla ſimilitudo ſit duarum literarum ה & ח, tamen remanet Vau: tolerabilius illi qui נדבות dicunt, niſi illa forma Hebræis eſſet inaudita. Cæterum נדבה pro principatu, video annotari à lexicographis, ſed nullo exemplo: tantumque (vt opinor) ex huius loci præiudicio. Etſi ſciam ab eadem origine נדיב eſſe principem.

XL. Eccleſiaſt. 9. *Neſcit homo, vtrum odio, vel amore dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Et hinc Papiſtæ concludunt ſuam iuſtificationis incertitudinem At vera verſio ita habere debuit, *Et quidem amorem, & odiũ non eſt homo qui cognouerit: omnia ante eos.* Bellarminus Latinum interpretem non numeraſſe verba fatetur, ſed expendiſſe, atque optime vertiſſe; ſicque Hieronymum expoſuiſſe: loqui autem Eccleſiaſten, de ſolis iuſtis, qui, cum nullius peccati ſibi conſcij ſint, tamen certo ſtatuere non poſſunt dum hîc viuunt, iuſtine ſint an non.

XLI. Atqui varia ſunt peccata: primum quod nihil eſt Hebraice, quo ſignificetur *dignus*: ſecundum, quod aduerſatiua particula *ſed*, nuſquam apparet: tertium, quod *in futurum*, pro in faciem eorum, ſiue ante eos, valde eſt ἄκυρον & violentum: quartum, quod *ſeruantur incerta*, verba ſunt ἔξω περιττά, neſcio vnde huc illata. Itaque nec numerata, nec appenſa eſſe vocabula certum eſt. Hieronymus autem dixit, vtrum amentur, an non à Deo: non vero vtrum digni ſint amore vel odio. Senſus eſt, vt apparet ex ſequentibus, quæ non ſunt diuellenda, ex iis quę in hac vita accidunt, ſciri non poſſe quis à Deo ametur, vel non ametur: quod nihil ad dignitatem vel indignitatem. Nam etiam Chriſtus Dominus noſter, qui dignus fuit, qui amaretur, tamen ex iis quæ illi acciderunt, ſciri non potuit vtrum amaretur. Itaque non Prophetæ, ſed ſuum ſenſum propoſuit, quiſquis ille fuit interpres.

XLII. Eccleſiaſt. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu: neque adiicias peccatum ſuper peccatum.* Atqui Græce (nam hic liber inter Apocryphos numeratur) legimus, περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ, προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις, *De propitiatione ne eſto ſecurus in abundantia, ad addendum peccata ſuper peccata.* Quæ verba nihil habent mali: ſiue intelligantur, non oportere nos eſſe ita ſecuros de remiſſione peccatorum, id eſt, nobis ſic polliceri omnia condonanda peccata, vt ea ſecuritate abutamur ad licentiã peccandi: ſiue potius, non fidendum opibus noſtris, vt iis credamus poſſe redimi nos à peccatis noſtris, atque ita propenſiores ſimus ad peccandum. At Latine verſione Papiſtæ abutuntur ad ſtabiliendam ſuam de iuſtificationis incertitudine ſententiam.

XLIII. Bellarminus, primo obſeruat varie legi, teſte Ianſenio: alias de propitiato peccato: alias de propitiatione, vel propitiatu peccati: & hoc eſſe verius. Hinc autem conuinci eos qui iubent hominem certo credere ſe eſſe iuſtum, vel fore iuſtum, ſi ita credat. Vel enim loqui ſapientem de propitiatione iam obtenta, & tunc falſum eſſe hominem debere eſſe ſecurum de obtenta venia: vel de propitiatione obtinenda, & tunc falſum eſſe, hominem debere eſſe ſecurum de obtinenda venia.

XLIV. Ergo, inquam, conſtat ex ipſa Bellarmini confeſſione, eam lectionem, quæ vulgo habetur, quæque à nobis reprehenditur, eſſe deteriorem. Varios autem codices ſi vidit Ianſenius, non inuideo: ſed Franciſcus Lucas nullos vidit: nullos etiam Harlemius: ſed ita legebant etiã omnes impreſſi: nec ex veteribus Latinis quiſquam aliter: vnde ſatis coniicio hos emendatiores codices, vel fictitios eſſe vel certe rariſſimos: vt pro non exſtantibus facile haberi poſſint. Adde nihil eſſe, mutatum in Bibliis Sixti quinti. Cæterum, non eſt hic locus diſputandi de certitudine fidei: obiter tamen reſpõdeo, inanes eſſe conſequentias: quia in antecedenti non plene recitatur Sapientis ſententia: non enim ille ſimpliciter dixit, non debere quenquam eſſe certum de propitiato, ſiue propitiando peccato: ſed κατὰ τί, nempe vt addat poſtea peccata peccatis. Hæc tamen alias fuſius.

XLV. Eccleſiaſt. 16. *Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum opera meritorum ſuorum.* Quam longe Deus bone à contextu Græco? πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποιήσει τόπον. ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει, *Omni eleemoſynæ da locum: vnuſquiſque enim ſecundum opera ſua reperiet.* Multiplex peccatum: vnum, illudque grauiſſimum, quod ex duobus periodi membris vnum confuderit: alterum, quod meriti vocem inferſerit, quæ non eſt in Græco: tertium, quod pro datiuo nominatiuum ſubſtituerit: quartum, quod *fac*, mutauerit in *faciet.* Bellarminus ex iis peccatis vnicum conatur excuſare, videlicet temerariam meriti affectationem Et nomen quidem ipſum Græce haberi non poſſe, cum ſit Latinum, fatetur: ſed neminem, vel tenuiſſime Græce peritum negare poſſe, τὰ κατὰ ἔργα, ſignificare pro meritis operum. Ergo reliqua peccata nobis ἀναπολόγητα relinquuntur: magno cauſæ noſtræ commodo.

XLVI. Cæterum iubeat ergo ſuos Bellarminus non probare ex hoc loco ipſam meriti vocem exſtare in Scripturis. Nam ita Porſanus in reſponſione ad Saluæum: & ante hunc Alphonſus de Caſtro contra hæreſes libro decimo, capite de merito. Etſi enim verum eſſet hanc rem inferri, tamen vocem ipſam non legi, verum eſt. Deinde nego τὰ κατὰ ἔργα, eſſe ſecundum meritum operum. Tribuat ſibi quantum velit Bellarminus in lingua Græca, ego tamen hoc loco ipſum dico audaciorem quam peritiorem. Operibus bonis mercedem promitti, nemo neget, qui ſit in Scripturis verſatus: ſed operum meritis aliquam mercedem deberi nemo dixit ſanus Theologus.

XLVII. Eſaiæ 2. *Qui excelſus reputatus eſt ipſe.* At Hebraice eſt, vt recte in editione Græca ἐν τίνι ἐλογίσθη, ad verbum, *In quo reputatus eſt ipſe*: dehortabatur enim à fiducia collocanda in homine; hac ratione reddita, quia nihili eſſet æſtimandus. Andradius peccatum tuetur, primo, autoritate Hieronymi, deinde ambiguitate vocis, quia במה eſt in quo: at במה, excelſum ſignificat. Dicã de ambiguitate prius, quæ in iis literis ſeorſim ac per ſe conſideratis negari non poteſt: ſed in hac periodo, hacque ſyntaxi non video quomodo locum habeat. Nam במה ſubſtantiuum eſt fœmininum: ideo nunquam ſignificat excelſum adiectiue: ſed tantum locum excelſum: & quidem non quemlibet, ſed eum in quo ſacrificatur. At inde quis ſenſus erueretur? Hinc facilis eſt ad Hieronymi auctoritatem reſponſio: videlicet boni patris non exagitanda, ſed diſſimulanda eſſe σφάλματα.

XLVIII. Ioelis 2. Deus dicitur, *præſtabilis ſuper malitia.* Cum Hebraice ſit: *Et pœnitet eum ſuper malo:* quod Chaldæus Paraphraſtes expoſuit, *qui reuocat verbum ſuum ab inducendo malo.* Illud autem quiſvnquam intelligat? Nam quid eſt præſtabilis? aut quis hic quidem eius vſus eſt? Forte (inquit Sacroboſco) huic autori idem eſt quod placabilis. At quis hic homo eſt, qui tam nouas, tam alienas ſignificationes imponat? Imo ea diuinatio generalis eſt, locumque habere poſſet, ſi pro præſtabili, ſanabilem dixiſſet, aut amabilem, aut quid aliud. Imo nonne hac arte confiſi Sophiſtæ, ſibi permittunt

niuem nigram dicere: quia eis idem nigrum dici placet, quod aliis candidum? Bellarminus prætexit authoritatem Hieronymi, qui & in textu, & in commentario ea voce sit vsus. Deinde, significari ait, vel excellentem in miserando, & pœna condonanda: vel meliorem quam vt à malitia vincatur: cum nulla immanitate aut numerositate peccatorum infinita Dei benignitas vnquam superetur. At ego hos sensus agnosco esse pios, & veros: accedere etiam ad mentem Prophetæ. Sed quis vnquam credidisset laudandos in interprete gryphos? Quis functum putasset officio, si quod suus author & proprie dixit, & perspicue, ipse per ambages, ænigmataque, non tam significet, quam diuinandum proponat?

CAP XII.

De aliis erroribus Latini Interpretis in Veteri Testamento.

I. HOs locos in Veteri Testamento reperi ab aduersariis excusatos. Sed præter eos maxima est copia: è quibus paucos excerpam de more. Et prius quidem eos, quibus abusos Papisticos doctores obseruaui: vt eo magis norimus quanti sit ponderis hæc pars controuersiarum: deinde, quos annotaui proprio labore in legendis Scripturis. Sed illos tantum indicabo: prolixiori tractatione suis locis reseruata.

II. Panigarolla lect.12. Vigor sermon.2. de Purgatorio, nec non alij ex 1. Geneseos citant, collocatum esse gladium flammeum ad ostium Paradisi: eumque Purgatorium esse contendunt, propter flammam. Atqui Hebraice est acies, vel lamina gladij: flammæ nulla mentio. Paludanus ad 21. dist. 4. *Vtrum præter pœnam ignis, ibi* (in purgatorio) *patiantur aliam pœnam sicut damnati, de quibus dicitur in Iob, Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium, incertum est.* Atqui in Iob nihil simile, *Vt siccitas, & etiam calor rapiunt aquas niuis, sic sepulcrum, eos qui peccauerunt.* Quod Septuaginta felicius longe reddiderunt. Bellarminus de Christo lib. 4. c.11. probat animas piorum non fuisse in cœlis ante Christi ascensionem, quia Geneseos 37. Iacob dixit, *Descendam ad filium meum in infernum.* Et tamen dicendum fuit *in sepulcrū*, vt vertit Pagninus, atque alij. Geneseos 48. dixit Latinus interpres, *Inuocetur nomen meum super pueros hos, & nomina Patrum meorum*: Et hinc pleriq; probant inuocationem Sanctorum, vt Eckius Enchiridij c.15. At qui Hebraice docti sunt, legunt, *Vocetur in eis nomen meum, & nomen Patrum meorum*: hoc est, meo nomine censeantur, tanquam filij mei: vt exponit Vatablus.

III. Exodi 12. *Dies prima erit sancta ac solemnis: & dies septima eadem festiuitate venerabilis.* Vbi quia diem legit venerabilem, Bellarminus putauit conficere posse, rem sanctam hoc ipso quod sancta est, esse venerabilem: capite duodecimo libri de imaginibus: videlicet vt inde rursus eliciat imagines Sanctorum esse venerandas. At Hebraice nihil est, quod venerationem significet, *In die primo conuocatio sancta: die quoque septima conuocatio sancta erit vobis.* Rursus de Pontifice libro quinto, capite octauo, vt probet Papam posse assumere temporalia iudicia, idem citat ex Leuitici 13. *Quicunque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra.* vrgetq; verba illa ad arbitriū Sacerdotis: quæ tamē Hebraice nulla sunt. Et totus locus miseris modis tractatus est in Latina editione. Ellum totum, *Si autem in caluitio, siue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus: Et hoc Sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie lepra quæ orta est in caluitio. Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis*: Et reliqua. Iam hæc comparentur cum textu, quem ex Hebræo Pagninus vertit in hunc modum, *Quum autem fuerit in caluitio, aut in recaluatione plaga alba rufa, lepra germinans est in caluitio eius, vel in recaluatione eius. Tunc considerabit illam Sacerdos: & si quidem tumor plagæ albus, & rufus in caluitio eius, aut in recaluatione eius, & sicut aspectus lepræ in cute carnis: vir leprosus est, immundus est, immundum declarando immundum declarabit illum Sacerdos: in capite eius est plaga eius.* Illane vero traductio est, an corruptio potius? versio an peruersio?

IV. Quum nos obiicimus aduersus Sanctorum intercessionem, vnum esse Mediatorem apud Deum, Richeomus de Sanctis capite decimo septimo, Porsanus contra Falguerolum ad rationem quartam, contra obiiciunt ex 5.c. Deuteron. *Ego sequester & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo.* At Hebraice nihil est, quod sequestrem significet: sed ita legitur, *Ego stabam inter Dominum & vos eo tempore, vt renunciarem vobis Verbum Domini.* Ergo bis sunt inepti: & cum vrgent verba, quæ in textu nulla sunt: & cum μεταβαίνουσι εἰς ἄλλο γένος: Cum enim Christus dicitur Mediator, sensus est, per eum dari nobis accessum ad Patrem: at hîc se Moses dixit esse dūtaxat internuncium Dei ad populum, vt ab eo verba referret: quod munus est cuiuslibet in Ecclesia doctoris: maxime vero eorum quibus ἀμέσως suam voluntatem Deus reuelat. Sed de re ipsa alias prolixius, Deo dante.

V. Iobi 9. *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Arripuit hunc locum Costerus Enchiridij cap. 4. ἕρμαιον aliquod se ratus reperisse, vt probaret non posse quenquam certum esse de sua iustificatione. At Hebraice. *Consumptus sum: non noui animam meam*: Vt quidem Pagninus vertit: Iunius autem, *Integer sum: non habui rationem animæ meæ.*

VI. Bozius libro quarto de signis Ecclesiæ, capite nono. cum contenderet prædictum esse, vt Christi cultus primo inter Gentes ad Aquilonem positas propagaretur, deinde inter eas quæ spectant ad Austrū, citauit ex Psalmo 48. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* At Propheta longe aliud dixit: nimirum montem sanctum, esse pulchritudinem totius regionis, gaudium totius terræ: montem, inquam, Sion, qui erat versus Aquilonem in vrbe Hierusalem. Psalmo 136. *Memento, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Vnde Panigarolla euincit intercessionem Sanctorum, lect. 13. sed & Bellarminus de Sanctis lib. 1. c.19. Hebraice autem pro mansuetudine, legitur afflictio. Et 139. *Mihi autē nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortati sunt principatus eorū.* His verbis abutūtur Costerus Enchiridij c. 12. Eckius Enchiridij c. 15. Alphōsus cōtra hęreses, & alij, vt doceāt colendos Sāctos in cœlo: Cotonus ēt, vt ꝓbet, ab iis administrari hunc mundum. Hebræa veritas habet, *Mihi quam pretiosæ sunt cogitationes tuæ, ô Deus! quam multiplicatæ sunt summæ earum.* Non felicius Richeomus de Sanctis c.7. Psalmum citat postremum, *Laudate Dominum in Sanctis eius*: cum fuisset dicendum, *in sanctitate eius*: hoc est, propter sanctitatem eius argumento que inde sumpto.

VII. Esaiæ vndecimo, *Et erit sepulcrum eius gloriosum.* Citatur à Bellarmino, vt probet venerationem sepulchri Dominici. At Esaias dixerat, quietem, ἀνάπαυσιν, vt in editione Græca. Ezechielis 28. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui.* Hîc, quia aurum separatur à reliquis pretiosis quæ restant numero nouem, credidit Gregorius Magnus, significari totidem Angelorum ordines: nec contra persuadeas Scholasticis. Sed Hebraice aurum reliquis adiicitur, vt fiat decas, ac proinde ruat allegoria. Bellarminus, vt probet idolum non esse quamlibet imaginem falsam, citat è secundo capite Habacuc. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam?* Ibique clarissime definiri obseruat idolum, imaginem falsam. Quod factum est, opinor, ad imitationem Septuaginta, qui dixerunt, φαντασίαν ψευδῆ. At Hebraice, ex versione Pagnini, *Quid prodest sculptile, quod sculpserit illud fictor eius, aut conflatile, & quod docet mendacium?*

VIII. Quid? quod cum suscepisset probandum ipsum arbitrium liberum nominari in Scriptura, saltem altera voce diserte, altera περιφραστικῶς, citat ex Numerorum 39. *In arbitrio viri erit, vt faciat, vel non faciat?* De gratia & libero arbitrio libr.4.c.6. Cum tamen Hebraica veritas dicat, loquens de voto mulieris, quæ est in potestate mariti: *Vir eius confirmabit ipsum votum: & vir eius irritum faciet illud.* Vbi etsi non negem Latine eius loci sensum non male expressum, tamen vocem ipsam arbitrij, vident omnes esse tantū à Latino Interprete, non autem à Spiritu Sancto: imo ne quidem ab editione Græca, quæ sic habet satis commode: ὁ ἀνὴρ αὐτῆς στήσει αὐτῇ, καὶ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς περιελεῖ αὐτῇ. Idem libro quinto, vt probet eleemosynas auertere posse pœnam temporalem, citat illud ex Danielis quarto, *Peccata tua eleemosynis redime.* Cum tamen vertendum fuisset, *Et peccata tua interrumpe per iustitiam.* Nam verbum פרק, significat intermittere, dissoluere, disiungere. Non nego tamen esse, liberare, & redimere: sed excipio, nunquam vsurpari de re ipsa à qua liberatur aliquid, sed de eo ipso quod liberatur. Peccata autem non ipsa liberantur, aut redimuntur, sed ab iis homo redimitur.

IX. Possum huius generis infinita conferre, vnde facile coniicere, quanto suo commodo Tridentini pappolatræ hanc editionem voluerint esse autenticam. Nimirum quia nulla sit, quæ eorum erroribus magis faueat. Quam contra necesse sit Catholicis τῷ αὐτογράφῳ αὐτίχειν, hærere originali editioni, ex cuius autoritate, nullo negotio, infinita soluuntur eorum sophismata quibus veritatem sacrosanctam conantur obruere. Sed pergo ad alios locos.

X. Geneseos 2. *Plantauerat Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*: ex prauæ sententię præiudicio, quæ adstruebat Paradisum factum ante cœli terræque creationem: vt annotat Franciscus Georgius. Sed & Steuchus, *Opinatus*, inquit, *ante cœlum & terram factum esse Paradisum: sequutus etiam aliquot interpretes. Aquilam scilicet, & Theodotionem. Sed hoc falsum esse comprobatur.* Illi ergo melius, qui non à principio, sed ab Oriente verterunt. Cap.3. *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.* Improprie dictum in medio ligni. Quod enim medium haberet vnum lignum in quo abscondi valeant corpora duorum hominum? Sic Rupertus: ob eam caussam confugiens ad allegorias. Sed illi, *in medias arbores* (inquit Steuchus) *densasq; Paradisi nemora se intulerunt.* Itaque vertidebuit: inter arbores, vel in syluam Paradisi: Gallice seruata Hebraica phrasi, *dans le bois.* Cap.4. *habitauit profugus in terra*: pro, *habitauit in terra Nod.* Rursus, *Iste cœpit inuocare nomen Domini*: quasi vero ante nunquam quisquā inuocasset. Et sane אז non personam, sed tempus significat, id est, Tunc. Itaque longe consultius alij dicunt, tunc cœptum esse vocari de nomine Dei: hoc est, cum primum inualuisse hunc vsum, vt quos homines pietas separabat ab impiis, eos etiā nomē filiorū Dei, qui postea nominantur in historia diluuij, distingueret à filiis hominum. Cap.8. *Requieuit arca mense septimo, vicesimo die mensis*: ex Græca editione ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι τοῦ μηνὸς, Sed textus habet diem decimum septimum. Rursus, *& ait ad eum* quasi Noachum Deus sit alloquutus Hebraice, *Dixit Deus ad cor suum*: vel Græce, καὶ εἶπεν κύριος διανοηθείς. Capite vndecimo Arphaxad dicitur vixisse post genitum Sale trecentis tribus annis iuxta Græcam editionem: sed corrigendum est in quadringentos & tres: sic enim Hebraice legitur. Et 13. *Erat diues in possessione auri & argenti*: pro, *diues pecore, argento & auro.* Et 14. Vallem Syluestrem vnde habuerit Interpres mirantur docti: qui vocem Hebræam retinent tanquam nomen proprium, dicuntque vallem Siddim: neque vlla etymologia efficere potest vt significetur locus syluestris. Et 19. *quæso Domine mi*, cum Hebraice addatur negans particula: *non quæso.* Et 21. *Quis auditurus crederet* pro, *Quis dixisset Abrahæ?* Et vicesimo quarto, duo sicli leguntur pro dimidio. Rursus, *dedit aquam ad lauandos pedes camelorum.* Nouum sane officiositatis exemplum, vt pedes brutis lauarentur: sed Hebraice legimus pedes eius, scilicet serui, ex vulgato Orientalium vsu. Iterū, *qui festinus reuertebatur ad Dominum suum.* Lusisse dicā, an stertisse? Hebraice: *Et tulit seruus ille Rebeccam, & abijt.* Et 38. *Quo nato parere vltra cessauit.* Hoc nunquam credat quisquam ab Hebræo esse, vbi legimus: *Et erat in Cesib, cum pareret eum.* Iterum, *Certe mendacij argui nos non potest.* At Hebraice (inquit Steuchus) non is sensus est. Vertendum fuit, Ne simus contemptui: vel, ne habeamur ludibrio: ne simus vulgi fabula. Nolebat enim pignus repetere, accuratiusque de eo inuestigare, ne in vituperationem sibi verteretur. Nec male Septuaginta, μή ποτε καταγελασθῶμεν. Et 49. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Reliqua satis bene: sed postremum *decorus aspectu*, forte ex imitatione Græcæ editionis, quæ dixit ζηλωτὸν, at Hebraice *Iuxta fontem.*

XI. Collegerat hos atque alios ex Genesi locos Whitakerus. Ego istos aliunde obseruaui ex plurimis paucos. Iudicum 1. *Cæsis summitatibus manuum eius ac pedum*: ex imitatione Græca: vbi τὰ ἄκρα, summitate sunt pro pollicibus. Secundo. *Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt & vendiderunt hostibus.* Ast Hebraice, *in manus diripientium & diripuerunt eos: & vendidit eos in manum hostium eorum.* Rursus, *Manus Domini super eos erat.* Omissum, *In malum.* Tertio. *Qui vtraque manu pro*

Pro dextrà vtebatur: pro Græco ἀμφοτεροδέξιον, Sed Hebraice אטר יד-ימינו, *Claudus*, id est, *impeditus manu dextera*, non indicato, essentne à natura an per accidens. Quarto, *vsque ad internecionem*: Pro: *Non superfuit ad vnum vsque*, longe fortius. Quinto. *Noua bella elegit Deus, & portas hostium ipse subuertit*. Atqui oportuit, *Elegit Deos alienos: hinc pugnatum est in portis*. Rursus. *Vbi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus*. Quam procul, Deus bone! Sic enim oportuit: *Propter sonitum sagittantium, inter haurientes*: Sed & statim צדקות bis repetitum, cur semel *Iustitias*, iterum *Clementiam* reddiderit, quærendum est. Item, פרזון fortes: *Saluata sunt reliquia populi. Dominus in fortibus dimicauit*. Ast Hebraice, *Tunc dominari fecit reliquias, in fortes populum: Dominus dominari fecit me in fortes*. Paulo post: *Qui exercitum duceret ad bellandum*. Ridicule, pro, *trahentes stylo, scriba*. Psalm. 68. *Æthiopia præueniet manus eius Deo*. Augustinus in eum Psalmum, quem numerat 67. *Mallem Latini Interpretes sic transtulissent, Æthiopia præueniet manus suas, quam manus eius Deo: quoniam planius hoc esset, quam quod nunc dictum est eius*. Et vero sic Pagninus reddidit. Sic Munsterus: sic Tigurini: sic Iunius: sic Mollerus: sic denique Genebrardus,

XII. Iobi tertio, *quasi effodiens thesaurum*: pro effodiunt, (id est, diligenter inquirunt) magis quam thesauros. Rursus: *& circumdedit eum Deus tenebris*: pro circumclusit eum Deus: nam tenebræ hîc nullæ sunt. Iterum, *Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui?* Sed vertendum fuerat: Non fui pacificus, vel potius, non habui pacẽ: non fui tranquillus, non quieui. Quarto: *Vbi est timor tuus, fortitudo tua*: pro, *Nonne timor tuus exspectatio tua?* Iterum, *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur?* Pro, *erit Deo iustior?* Rursus, *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles: & in angelis suis reperit prauitatem*: pro, seruis suis non credit: & in angelis non posuit lumen, vel, vt alij volunt, stultitiam. Quinto, *Nihil in terra sine causa fit*: pro, *non egreditur ex terra iniquitas*. Sexto, *peccata mea, quibus iram merui*: hæc sunt pro vnica voce, quæ potius indignationem, siue querelam significat. Rursus, *aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?* At hæc, quod dicitur, nec cœlum, nec terram Docti vertunt: *Est-ne sapor in albumine vitelli?* Rursus, *Non contradixi sermonibus*, pro, *non celaui sermones*: & *necessarij quoque mei recesserunt à me*. At תושיה generalissimum vocabulum, essentiam significat: vnde à Iunio hîc vertitur, *quod res est*: aliquando sumitur pro lege: vnde Pagninus vertit, *lex expulsa est à me*. Paulo post. *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum è vobis nullus sit, qui possit arguere me?* Iob dixerat, *Quam fortia sunt eloquia recta: & quid reprehendit reprehensio à vobis?* Et non multis interpositis, *Veruntamen quod cœpistis implete: præbete aurem, & videte an mentiar: respondete obsecro absque contentione: & loquentes id quod iustum est iudicate*. Papæ! quid hoc est? Hæccine ex Hebræo? Imo hæc potius. *Et nunc acquiescite: respicite ad me: & ante faciem vestram si mentiar. Conuertimini, quaso: ne sit iniquitas: conuertimini iterum: iustitia mea in ipsa*: hoc est, vt Iunius interpretatur, relinquamus iustitiam meam in suo loco: vel, vt Vatablus, adhuc inueniar iustus in ea repetita disceptatione: Nam illud *conuertimini*, intelligebat de iudicij redintegratione, quasi vt rem male prius iudicatam, iterum cognoscerent. Totum librum describam si pergo.

XIII. Quid? si omnes libros executio. Itaque nunc pauca fortuita. Exod. 34. facies Mosis cornuta dicitur, contra Hebraicam veritatem, & Septuaginta editionem, inquit Sixtus Senensis annot. 116. lib. 5. Bibliothecæ A quo errore nata pictorum audacia, Mosem repræsentantium cornibus insignem. Pro *cornuta* autem, dicenda erat radians. Numeror. 30. *Si autem contradixerit, postquam resciuit, portabit ipse iniquitatem eius*. At debuit, *auferet iniquitatem eius*: id est, efficiet vt nulla sit iniquitas mulieris, non reddentis votum suum, si maritus dissenserit. Nam etsi fatear alias ambiguam esse phrasin: tamen totius series sermonis, facile admonet hunc esse sensum. Danielis 12. *Multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt: alij in opprobrium, vt videant semper*. At quid est, vt *videant semper*? aut quorsum spectat? Pererius dissimulat omnino, Lyranus, vt videant opprobrium suum. Quasi non satis viderent, qui sentirent. At Septuaginta, εἰς αἰσχύνην: & recte, *in ignominiam*. Rursus eodem capite. *Et ecce quasi duo alij stabant*: pro, *& ecce duo alij stabant*. Ezechiel 16. *Radix tua*: pro, *Habitationes tua*. Threnorum 1. *Dominus loquutus est super eam*: pro, *Dominus dolore affecit eam*. Rursus, *& eruditus est, me*: pro, *& dominatur ei*. Et statim. *Vigilauit*, pro, *ligatum est*. Quarto: *mutatus est color optimus*: pro, *mutatum est aurum optimum*. Oseæ 8. pro, *In araneorum telas erit vitulus Samariæ*: pro, *in frusta erit*: ridicula vicinarum vocum permutatione שבכים שבבים. Quanquam etsi שבכים legisset nõ debuit Interpres vertere telas aranearum: cum eo nomine reticulata quælibet opera significentur. Paulo post: *& quiescent*: pro *dolebunt*, vt Pagninus, vel *cœperunt*, vt Iunius. Et 10. *Vitis frondosa*, pro, *vacua*. Item, *Loquimini verba visionis inutilis*: pro *verba maledictionum mendaciter*. Isaiæ 45. *Assimilauite*. Et hinc Baronius Apparatu ad Annales probat Cyrum fuisse *vnctum* Christi: At Hebraice, *cognominauite*. Primi Paralipomenon quarto. *Et qui stare fecit Solem, virtusque mendacij, & securus & incendens*. Vnde magna quæstio Magalliano Iesuitæ annotat. 7. in 10. Iosue: an præter Iosuen alius quispiam Sogalliano Iesuitæ annotat. 7. in 10. Iosue: an præter Iosuen alius quispiam Solem fecerit stare. Atqui Hebraice nomina sunt propria. *Et locum, & viri Cozeba, & Ioas, & Saraph*, etiam apud Septuaginta. Hieremiæ 23. *Dominus iustus noster*: pro, *Dominus Iustitia nostra*.

XIV. Addam pauca detracta: tum etiam adiecta. Detracta ista Genesios 17. *Circumcidendo circumcidetur natiuum domus tua, & acquisitus pecunia tua*. Et 34. pro his, *Paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt captiua*: Hebraica veritas habet. *Sed & omnem substantiam eorum, omnesq; paruulos eorum, atque vxores illorum, captiuas abduxerunt, ac prædati sunt, ac quicquid erat in domo*. Et 39. omittuntur hæc vers. 5. *Et factum est, ex quo præfecit eum domui suæ, & omnibus quæ sua erant*: repetita quidem è superioribus, sed tamen ab interprete non omittenda. Et paulo post iterum. *Et reliquit omnia suæ in manu Ioseph*. Et 40. *pincernæ, & pistor Regis Ægypti, qui erant vincti in domo carceris*. Et 49. ad finem, *Emptio agri & spelunca quæ est in eo, fuit à filiis Heth*. Exod. 17. *omittitur*, inquit Steuchus, *quod erat maxime necessarium*. *Et virga Aaron in medio virgarum eorum erat posita*: item 38. Steuchus, *Deest hoc loco in nostris codicibus, tota hac periodus. Et argentum censuum Synagogæ centũ talenta, & mille septingenti septuaginta quinque sicli. Deest quoque alia clausula, quæ maxime erat necessaria: vbi enim dicitur oblatum est, primum hoc ponitur, Dimidium sicli per vnum quodque oblatum est, deinde ponitur alia*. Numerorum tertio multa omissa sunt in enumeratione filiorum Leui: quorum pars maxima facile suppletur ex præcedentibus: sed vers. 25. pro, *Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis*, Hebraicus textus habet, *Custodia filiorum Gersom in tabernaculo Ecclesiæ, tabernaculum, & tentorium, operimentum eius, & aulæum ostij tabernaculi Ecclesiæ*: sic enim vertit Pagninus. Capite 4. ex vers. 26. *Et quæcunq; facta sunt pro illis: & ministrabunt*. Ex vers. 27. *deponetis apud eos in custodiam vniuersa onera ipsorum*. Cap. 14. vers. 2. *Vtinam mortui essemus*. Hebraice reperitur ἐμφατικῶς, vt fit in magno luctu. Capite 16. pro his Hebraicis, *Tu'erunt quisque thuribulum suum*: *& posuerunt in eu ignem: posuerunt quoque suffitum: steteruntque ad ostium tabernaculi fœderis, & Moses & Aaron*. Editio Latina non habet aliud quam, *Quod cum fecissent, stantibus Moyse & Aaron*. Deuteronom. 28. vers. 54. deest, *& reliquis filiis eius, quos reliquos fecerit*.

XV. Addita sunt ista Genes. 4. *Egrediantur foras*: & postea, *nequaquam ita fiet* Capite quinto, *Et vixit Henoc*. Sexto, *& præcauens in futurum*. De quo Pererius, *Nec Hebraice est, nec Chaldaice, neque Græce, cur autem id Latinus interpres adiicere voluerit, nescio*. Et 21. *cum Isaac filio suo*: nam Moses simpliciter Ismaelem dixit ludentem. Et 27. *Et vltra quam credi potest admirans*. Et 31. *quod autem furti me arguis*. Et 34. *Quibus perpetratis audacter*. Et 39. *Et mulier molesta erat adolescenti*. Iudicum 5. *& obtinuit principatum*. In Prouerbiis plurimæ inferciuntur sententiæ. Cap. 4. *Vias enim quæ ad dextris sunt, nouit Dominus: peruersa vero sunt, quæ in sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet*. Quinto, *Ne intenderis fallaciæ mulieris*. Septimo: *fili honora Dominum, & valebis: præter eum vero ne timueris alienũ*. Decimo, *Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes*. Duodecimo, *Qui suauis est in vini demorationib. in suis munitionibus relinquit contumeliam*. Leuit. 27. *Homo qui votum fecerit, & sponderit Domino animam suam*: id est, ex vsu Hebræorum, spoponderit seipsum. Atqui non ita est, *Vir cum separauerit votum secundum æstimationem animarum Iehoua*, animas audis quascunque, non animam suam. Comparet diligens lector reliqua capita, & multa inueniet similia.

XVI. Sixtus Senensis Bibliothecæ lib. 2. in Iehu, *Ne cui forte videatur impossibile, Iehu conscripsisse historiam vsque ad Ioram filium regis Iosaphat, quia in tertio Regum legatur, hunc Iehu supra quadraginta annos ante mortem Iosaphat à Baasa rege Israel fuisse obtruncatum: sciendum est, quod ea quæ in tertio Regum capite sextodecimo nostra vulgata editionis de cæde Iehu referuntur, in Hebraicis exemplaribus* (adde, ne Græcis quidem) *non habentur*. Et paulo post, *Est nisi fallor annotatiuncula quædam, marginis primum adiecta ab incerto expositore, qui locum hunc sibi non intellectum illustrare voluit: deinde, vt sæpe accidit, scriptorum audacia in textum translata*. Et tamen retinuerunt Sixtina Biblia, pudendum mendum, & oppositum veritati historiæ.

CAP. XIII.

De erroribus Interpretis Latini in Nouo Testamento.

I. VEnio ad Nouum Testamentum, in quo hos locos Bellarminus tuetur. Primus est Matthæi 9. Et Marc. 2. *Non veni vocare iustos: sed peccatores*. Græce, οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Itaque Latine deest ad resipiscentiam, siue pœnitentiam.

II. Ille primo, in quibusdam codicibus inueniri. Secundo verisimilius in Græco textu hanc particulam esse superfluam: nimirum, quia Hieronymus non legerit: tum autem non sit necessaria: nam vocare peccatores, non iustos, aperte significat, hortari ad pœnitentiam eos, qui egent, non qui non egent.

III. Atqui de codicibus facile negotium. Saltem nulli impressi discrepant: fortasse nec vlli manuscripti. Nulli enim visi aut Francisco Lucæ, aut Harlemio: aut cuiquam præterea. Denique, quid tum si pauci? Imo quid tum si multi haberent? Non enim authentici: Nam Sixtus præscripsit. Et Lucas annotauit, *Quod in nonnullis codicibus sequitur, ad pœnitentiam, non est huius loci*. Nos vero de authentica disputamus editione.

IV. Non legit Hieronymus. Quid nostra? At legit Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. Legunt omnia Græca exemplaria, exceptis duobus, indicatis à Beza, Editione 1. annotationum. Quid ergo, si incidit Hieronymus in mendosum codicem? Quid si detulit Vulgatæ editioni?

V. Nam, esse clausulam non necessariam, non concludit non legendam. Legitur enim apud Lucam, nemine refragante. Deinde non est verum. Ipso teste Bellarmino, qui intelligendam dixit. Et sane vocari quis potest ad varios fines. Vocauit Herodes magos Matthæi 2. Ex Ægypto Deus filium suũ, ibidem: Paterfamilias operarios, vicesimo, ad pœnitentiam-ne? Qui ergo legit tantum, *Vocauit peccatores*, incertum relinquit, quorsum: sed qui addit, *ad pœnitentiam*, ex variis finibus, vnum certum designat, nec legentem relinquit incertum.

VI. Sacroboscus ita hoc non necessarium interpretatur, vt si forte fuerit in Græcis exemplaribus, & omissum ab Interprete, tamen non propterea hunc Interpretem præiudicasse sententiæ Spiritus Sancti. Quid autem præiudicasse vocat? Effecisse-ne, vt is sensus non sit Spiritus Sancti? An vero, vt ne ex hoc loco possit is sensus colligi? Priori modo fateor non præiudicatum. Quomodo enim hic quisquis est Interpres potuisset, cum ne possit quidem, si maxime velit, quicquid est creaturarũ? Sed posteriori certũ est præiudicasse, cum ex iis verbis nemo sit hominum, qui, non aliunde doctus, diuinare queat pœnitentiam. Et contra, in promptu erat Iudæorum suspicio, qui vocari peccatores intelligebant potius in peccatorum consortium. Quid tum ergo, si collatis aliunde locis Christianus facile intelligat? Atqui res erat cum Iudæis, qui reliquos illos nondum locos viderant, neq; adeo Christum norant prædicatorem pœnitentiæ. Hi erant igitur instruendi: nec poterant aliter, quam addita particula, quam suppleuisset nunquã.

VII. Secundus locus, Ioannis 14. *Spiritus Sanctus suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*, Græce, πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν, *omnia quæ dixi vobis*. Maldonatus, *obscure, & ambigue dictum, Quæcunque dixero vobis. Poterat enim*

futurum videri, cum præteritum sit, εἶπον, *dixi vobis*. Nempe Christus noluit exipectari noua quædam singulis ætatibus reuelanda arcana, vt Enthusiastæ, Traditionariique volunt: sed ea tantum repeti, quæ à Christo audierant Apostoli. *Itaque hinc Theodorus*, teste Maldonato, *Montani, Priscillæ, & Maximillæ refellit hæresin, non potuisse Spiritum Sanctum in Montanum, vt illi delirabant, primum mitti, cum Christum non vidisset, vt posset illi Spiritus Sanctus quæ à Christo audiuisset, in mentem reuocare.*

VIII. Respondetur, Augustinum & alios Veteres sic legere. Porro sensũ non esse diuersum à Græco: non enim, quæ tunc dixero: sed intelligendum, quæ nunc dixero.

IX. Fateor Augustinum, fateor aliquos Veteres sic legisse, sed omnes Latinos: & ex Italica editione, quam apparet hoc loco retentam, siue ab Hieronymo recensente, siue aliter. Sensum si omnes sic concipiant, neque aliter, sane pax esto. Sed teste tamen Maldonato, obscura versio est, & ambigua. Cur non addam, periculosa? Itaque merito corrigenda.

X. Tertius, ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei*, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ, *qui declaratus est filius Dei*. Bellarminus: verbum ὁρίζειν apud prophanos quidem authores, sumi sæpe pro declarare: at in Scriptura aliter. Esse enim verbum Theologiæ proprium, teste Dionysio de Diuinis nominibus, c. 5. & vbique significare statuere, decernere, definire: nunquam declarare. Actorum 2. ad Roman. 8. ad Ephes. 1. Iam quum videret Interpres Latinus Apostolum loqui de æterna destinatione, maluit prædestinatum quam destinatum. Sic legisse omnes Latinos, Irenæum, Hilarium, Ambrosium, Sedulium, Augustinum, Concilium Toletanum vndecimum.

XI. Respondeo, tantum esse peccatum, vt Dominicus à Soto coniecerit olim in quibusdam codicibus lectum fuisse προορισθέντος, *Alias* (inquit) *nemo vertisset. Qui prædestinatus est*. Porro Græcos, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum, hunc locum ita esse interpretatos, vt non prædestinationem, sed demonstrationem intelligerent. Adde Syrum, ואתידע, *Et agnitus est*. Eum sensum exigi manifestum est à circumstantiis textus. Nam si loqueretur Paulus de æterna Dei prædestinatione, non diceret ὁρισθέντος ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα τῆς ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, hæc enim nihil ad prædestinationem: multum autem ad demonstrationem, vt ostendunt Græci commentatores, præcipue Chrysostomus. Nunquam vero idem hoc verbo significari in Scriptura, quod apud prophanos, non probat Iesuita. Nobis contra hîc vnus sufficiat locus. Esse autem verbum Theologicum, non negamus: sed hîc igitur non sumi pro declaratione, falsum est. Interpres Latinus, si vidit Apostolum loqui de æterna prædestinatione, tum profecto id vidit, quod nusquam erat. De Veteribus sæpe responsum est. In Toletano tamen Concilio nonnihil quidem legi de Christo secundum naturam humanam prædestinato: sed hunc locum nusquam indicatum vidi.

XII. Quartus eodem c. ad Romanos, *Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Græce οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. Quæ nemo non videt ita fuisse vertenda. *Qui cum Dei ius cognouissent, quod, qui talia faciunt, digni sunt morte, non solum ea faciunt sed & facientibus consentiunt*: siue vt Beza reddidit, *patrocinantur*. Vulgatus eo peccauit, quod de suo addidit, *non intellexerunt*, deinde ποιοῦσι, & συνευδοκοῦσι, ita expressit ac si legisset, οἱ ποιοῦντες, καὶ οἱ συνευδοκοῦντες, quod obseruarunt Valla, Erasmus, Faber atque alij. Omnes Græci nobis consentiunt: Et ratio ipsa: nam si cognouerunt τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, quomodo potuerunt non intelligere eos, qui peruerse faciunt, aut facientibus consentiunt, esse dignos morte?

XIII. Bellarminus respondet Latinam lectionem omnino esse meliorem: vno argumento: quia secundum Græcam, peius esset consentire male agenti, quam male agere, quod falsum est. Quis enim neget peius esse occidere hominem, quam tantum consentire vt occidatur, id est, permittere, cum possis impedire? Non loqui autem Apostolum de imperio vel incitatione ad malum, sed de simplici consensu. Ex codicibus Græcis, nihil certi posse colligi quia varia sit lectio, vt patet ex Origine, & Chrysostomo: item ex Titelmanno, *qui asserat legisse*, οὐ συνῆκαν *non intellexerunt* Oecumenius etiam annotat aliquos legisse, vt nunc Latine: Græcis vero Latinos autores opponi, Cyprianum, Ambrosium, Sedulium, Haimonem, Anselmum, Hesychium, & Symmachum Papam. Porro, *cum cognouissent*, theoricam significare cognitionem: *non intellexerunt* autem practicam: vel certe sensum esse, philosophos cognouisse quidem malum esse colere Deos, at non æque cognouisse, malum esse consentire iis qui Deos colunt.

XIV. At huic oppono alios Papistas secus iudicantes. Caietanus literam dixit esse corruptam: nec habere sensum significatum ab Apostolo: qui duplici capite crimen philosophorum exaggeraret, primo quod cognouerunt agentes talia esse dignos morte: secundo, quod non solum, ipsi facerent, sed & consentirent vt alij facerent. Catharino notauit Whittakerus longe magis placuisse Græcam lectionem. Dominicus a Soto ingenue fatetur, optime sic lucere sensum Pauli: Latine enim solum videri eos ignorantiæ & inscitiæ redargui: Græce vero acrius incusari, quod non ex ignorantia, sed meditata industria, tam absurda delicta & flagitia admisissent. Iustinianus in Paraphrasi: *Qui cum Dei naturalia iura, diuinaque decreta probe cognouissent, minimeque illos lateret, eos qui sese his sceleribus inquinarent, & falsa numina pro Deo colerent, dignos esse interitu sempiterno, non modo illa eadem perpetrarunt ipsi sed, quod est longe grauissimum, perpetrantibus patrocinantur*. Ergo, hi meliorem iudicauerunt textum Græcum: Bellarminus contra Latinum.

XV. Peccat autem multipliciter: Primo, elici magis peccare consentientem quam agentem, primum negat Dominicus à Soto, negat Iustinianus. Deinde τὸ συνευδοκεῖν nimis dilute interpretatur, pro simplici consensu. Atqui Lucas in Euangelio c. 11. eodem verbo aliter vsus est: ἄρα μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν. Rursus Act. 8. Σαῦλος δὲ ἦν συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ. Quis neget & Christum plusculum aliquid in Pharisæis reprehendere quam simplicem consensum: & Paulum mortis Stephani fuisse participem altius, quam vt permitteret tantum? Propterea hoc loco Chrysostomus explicat per συμπράττειν & ἐπαινεῖν. Oecumenius per συμπράττειν, καὶ εἰς τὸ κακὸν παρακαλεῖν. Itaque assentior ego quidem à Paulo maius aliquod peccatum significari posterius priore. Sed Bellarminum dico nobis imponere: Etsi enim minus sit simpliciter consentire, quam facere: tamen longe maius τὸ συνευδοκεῖν, quam τὸ πράττειν. Chrysostomus, τοῦ πλημμελοῦντος ὁ τὴν ἁμαρτίαν ἐπαινῶν χαλεπώτερος πολύ. Eo qui peccat longe deterior est qui laudat: nec aliter Oecumenius. Caietanus, *Minus malum fuisset, si ipsi mala hæc perpetrassent: & tamen reprehendissent alios hæc facientes: dũ enim non solum ipsi faciunt, sed aliis consentiunt, efficiuntur tanquam docentes, quod hæc sint licita.*

XVI. Secundo, nihil certi elici ex codicum varietate, miror cur dixerit, qui sciat Latinorum vix vllos inter se omnino consentire multis locis: adeo vt omnium incertissimam esse oporteat Latinam editionem, quam tamen ille vult esse canonicam. Enimuero, quænam hæc varietas est. Vnus Titelmannus, vnum aliquando vidisse se codicem iactat, præterque eum nullus omnino. Et hic fidem mereatur? Origenem habemus, non Origenem: hoc est, non Græcum sed Latinum: & quidem non ad amussim expressum, sed libere, imo nimium licenter, propterea non conficitur sic legisse, sed tantum Latinum contextum esse ab Interprete substitutum pro Græco. Cuius audaciæ exempla sunt μυρία ὅσα. Oecumenius non testatur se legisse varios codices: sed duntaxat quosdam hunc locum interpretari, vt sensus sit idem qui Latine exprimitur, vehementerque improbat. Τινὲς (inquit) μὴ νοοῦντες τὸ εἰρημένον, ἀλλὰ διαπορήσαντες, καὶ παραπεποιῆσθαι τὰς ἀποστολικὰς λέξεις νομίσαντες, οὕτως αὐτὰς ἡρμήνευσαν. *Quidam non percipientes id quod dicitur, sed hæsitantes, & falsatum Apostoli locum suspicantes in hunc modum sunt interpretati*. Quod quidem nostrum est de interprete Latino iudicium.

XVII. Tertio, Autoribus autores opponi, primum non est nimis ciuile. Sic enim committitur Ecclesia Græca cum Latina. Itaque nunquam vsurpandum nisi magna cogat vis veritatis. Deinde impar ratio. Nam Græcorum erant αὐτόγραφα: Latinorum vero versiones: etenim Apostolum constat scripsisse Græce. Quanquam in Cypriano Pamelius varias obseruauit lectiones: quarum nullam probat. Reliquos vsos esse vulgata editione certum est.

XVIII. Quarto, variæ illæ horum verborum expositiones indicant vix scire Bellarminum, quo sibi pede standum sit Earum posterior est plausibilior. At prior sophistica, & coacta. Nam si Græce legatur οὐ συνῆκαν, quis non videt secundo loco intelligendam esse potius theoricam cognitionem? Nam τὸ συνιέναι: Indeque facta σύνεσις, eo spectat potius. Matthæi 13. συνήκατε ταῦτα πάντα, *Intellexistis hæc omnia?* Et 16. τότε συνῆκαν οἱ μαθηταί, ὅτι περὶ Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς *Tunc intellexerunt discipuli, eum de Ioanne Baptista loquutum esse*. Prioris ad Corinth. 1. τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν ἀθετήσω, *intelligentiam intelligentium tollam è medio*. Ad Ephesios tertio Paulus suam nominat σύνεσιν ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ Χριστοῦ, intelligentiam in mysterio Christi. Quanquam quid ad nos? Non enim sequitur, si commode quid exponi possit, ideo veram illam esse lectionem.

XIX. Quintus locus 4. ad Romanos. *Si Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Græce ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, *ex operibus iustificatus est* Itaque interpres addidit vocem legis de suo. Respondet Bellarminus, esse meram calumniam: Codices enim Latinos vel omnes, vel fere omnes non habere eam vocem: quam tamen Ambrosius legerit.

XX. Imo nulla est calumnia. Nam & meum manuscriptum vetustissimum exemplar ita habet: & Venetiana anni septuagesimi noni in decimo quinto seculo: annique decimi noni, in decimo sexto: Et Lugdunensis eiusdem seculi anni quinquagesimi quinti, & sexti: Sed & Louaniensium editio Gallica, sic omnino reddidit. *par les œuures de la Loy*. Ambrosius, Sedulius, Aquinas, Lyranus, Caietanus, denique longe maxima pars tum codicum, tum interpretum, vt non frustra conquestus sit Chemnitius. Et Emmanuel Sa non putauerit omittendam censuram non esse in Græco, neque in Complutensi editione. Et Lucas Brugensis non addendum. Probamus tamen hoc loco Sixti emendationem, vtinam possemus in aliis.

XXI. Sextus locus: ad Romanos 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia*: Deest post hæc verba integra sententia, εἰ δὲ ἐξ ἔργων οὐκέτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον, *Sin ex operibus, iam non est gratia: alioquin opus, iam non est opus* Atque hunc defectum obseruabat Caietanus. Iesuita respondet, esse quidem in Græcis codicibus & à Theophylacto explicari: tamen à nullis aliis agnosci: non ab Origene, non à Chrysostomo, non ab Ambrosio: non ab Augustino: ab Erasmo reiici tanquam superfluam.

XXII. Sed hæc partim mendacia sunt, partim nihil conficiunt. Nam quid tum, si Origenes non exposuit? Quasi vero ille nullos alios locos prætergrediatur. Quanquam ipsum integrum non habemus: sed ab Hieronymo decurtatum, teste præfatione. Ambrosius sequi solet Vulgatam editionem: quid mirum igitur, si deceptus non legit hæc verba? Idem de Augustino iudicium. At Græci omnes legunt. Non tantum Theophylactus, sed etiam Oecumenius, & Theodoretus: imo, vt supinitatem Bellarmini merito miremur, ipse Chrysostomus. Erasmi iudicium, priuatum est, & incertum.

XXIII. Septimus, 5. ad Ephhes. *Sacramentum hoc magnum est*; Græce, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, *Mysterium hoc magnum est*. Bellarminus idem esse asserit Latinis Sacramentum, & Græcis μυστήριον: quia veteres Sacramenta sic vocant: & hoc ipso loco Sacramenti voce omnes Latini vtuntur. Sed hunc locum Chemnitius retulerat inter eos quibus Papistæ abutuntur, non autem inter corruptos. Sciebat enim veteribus Latinis Theologis, idem esse Sacramentum, quod Græcis μυστήριον: vt patet ex multis Scripturæ locis, cum Veteris tum Noui Testamenti. Danielis 2. somnium illud regis, quod in obliuionem venerat, Chaldaice רזה, Græce μυστήριον, Latine sacramentũ dicitur: & hac ipsa ad Ephesios Epistola, c. 1. Græce γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ: Latine, *vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ*. Nec alio sensu apud Patres legimus, Sacramentum Trinitatis, Sacramentũ Incarnationis. Tertullianus Apologetico, *vnde hæc (oro vos) philosophis aut poetis tam consimilia: nonnisi de nostris Sacramentis*. Itaque non placet nobis λογομαχεῖν Sed eorum Sophisticen detestamur, qui hoc loco sic abutuntur, vt contendant Sacramenti nomen matrimonio tribui: & tribui eadem notione cum Baptismo & Eucharistia: cuiusmodi sunt Papistæ. Eckius Enchiridij c. 11. Renatus Benedictus in Panoplia, aliique infiniti: ipse etiam Bellarminus de Matrimonio c. 2.

XXIV. Octa-

XXIV. Octauus 6. ad Ephesios: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Græce, ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι, *Assumite vniuersam armaturam Dei, vt possitis resistere tempore aduerso & omnibus confectis stare.* Ἅπαντα κατεργασάμενοι, pessime exprimitur per *in omnibus perfecti.* Eundem sensum Bellarminus esse pronunciat: tantum vt constructio sit, in omnibus perfecti, non vero, perfecti stare: hoc sensu, ab omni parte muniti, & armati: quod idem erit si dicamus omnibus perfectis, id est, cum omnia arma comparaueritis, & indueritis.

XXV. Vt omnia torquent sophistæ! Ego vtrumque sensum bonum agnosco; sed ἀσφαλέστερον: atque adeo argumentum hoc est illustre, quo conuincatur corruptio versionis: cum non potuerint excusari, nisi conquisito sensu extraneo. Nam ἅπαντα κατεργασάμενοι, non significat, *cum omnia arma comparaueritis:* sed aliquid longe augustius: videlicet non præparationem ad prælium, sed potius ipsam post prælium victoriam. Sic recte Chrysostomus, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι. τουτέστι, φησὶ, καὶ παθὼν, καὶ ἐπιθυμίας αὐτοὺς καὶ ἐνοχλοῦντας ἡμῖν ἅπαντας. οὐκ ἀπλῶς ἐργάσασθαι εἶπεν, ἀλλ' ὥστε κατεργάσασθαι· ὥστε οὐκ ἀφεῖναι μόνον, ἀλλὰ καὶ στῆναι μετὰ τοῦ ἀφεῖναι, *Et omnibus*, inquit, *confectis, hoc est passionibus, & concupiscentiis nefariis, atque omnibus quæ molestiam afferunt: nec tantum* ργάσασθαι, *sed* κατεργάσασθαι; *adeo vt non tantum conficiantur, sed etiam iis confectis consistamus.* Absurde ergo Latinus interpres ad armaturam retulit, quod de victoria Paulus dictum voluit.

XXVI. Nonus, ad Hebræos 9. *Ad multorum exhaurienda peccata.* εἰς τὸ πολλῶν ἐνεγκεῖν ἁμαρτίας; *vt multorum peccata tolleret.* Nam ἐνεγκεῖν, non est exhaurire, sed tollere siue ferre: vt prioris Petri secundo: ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκε; *qui peccata nostra ipse pertulit:* sic enim eum locum habet Vulgata editio: vt mirer quid ei hoc loco mentem exhaurire potuerit, vt tam improprie verteret. At Bellarminus vult Latinum interpretem propriissime vertisse Nimirum, quia ἀναφέρειν est sursum ferre: sicut ergo cum aqua vel sordes educantur è sentina, dicuntur exhauriri: ita & peccata, quæ Christus extulit, & eduxit ex profundo pectoris nostri, recte dicuntur exhausta. Festiue, inquam, ita mihi propitii sint Iesuitæ. Nam quis neget allegoriam esse lepidam, argutam, piam? Tamen sursum ferre, non est exhaurire, imo ne haurire quidem: etsi haurire aliquando sit sursum ferre; quemadmodum etsi contingat scribentem sophisticari, & sophisticantem scribere, vt Iesuitæ plerumque solent; tamen non idem est sophisticari & scribere. Quinetiam Paulus non habet ἀνενεγκεῖν quod fateor esse non raro sursum ferre: sed simplex ἐνεγκεῖν.

XXVII. Decimus, ad Hebræos 13. *Talibus hostiis promeretur Deus;* Græce, τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς, *Talibus victimis delectatur Deus.* Et hoc loco abutuntur Papistæ, ad confirmandum ipsius vocis meritorum vsum. Bellarminus non negat discessum esse à propria vocis significatione: sed Latine recte dici bene mereri de aliquo, eum qui facit illi rem gratam: eamque esse interpretis Latini mentem; qui vocem promerendi vsurpauit in passiua significatione. At ego, primum obiicio solœcismum: nemo enim Latinorum ea voce vsus est passiue. Deinde nego τὸ ἀρέσκειν esse bene mereri de aliquo: nego iterum apud Latinos dici aliquem bene mereri de aliquo, qui nihil aliud facit quam rem gratam: necesse enim esse vt insuper aliqua in eum beneficia vel officia saltem contulerit: quod homo in Deum, nullus potest facere. Nec Papistæ, cum de meritis loquuntur operum atque ea confirmant ex hoc ipso loco, tam dilute sentiunt, vt significent ea opera Deo esse grata, nihilque præterea. Itaque & locus male translatus est, & peius eo Papistæ abutuntur.

XXVIII. Vndecimus, Iacobi 5. *& alleuiabit eum Dominus*, pro, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος; *& eriget eum Dominus.* Transferunt autem ad effecta nescio quæ extremæ vnctionis, ex qua Sacramentum fecerunt. Respondet verbo Græco melius ostendi effectus extremæ vnctionis, quam Latino: nimirum, vt hominem in articulo mortis, mœstitia, doloribus, tentationibus depressum ac torpentem, exhilaret, erigat, excitet. Ergo, inquam, ipse etiam Bellarminus Latinam versionem aliquando agnouit non assequi dignitatem Spiritus Sancti. Quid mea enim, si sensum ipse comminiscatur alienum? Aut quid fiet huic loco, quem nec nos probamus, & Bellarminus non tantum non defendit, id est, prodit, sed etiam oblique reprehendi? Cæterum primo alleuiate, barbarum est, non Latinum, cum tamen Spiritus Sanctus bene loquutus sit Græce. Deinde, τὸ ἐγείρειν significat exhilarare, siue animum doloribus, & tentationibus oppressum erigere; sed est corpus ex morbo decumbens, sanitate restituta erigere: respondetque priori membro, εὐχὴ σώσει τὸν κάμνοντα, oratio seruabit ægrotum, nimirum, quia eriget eum Dominus.

XXIX. Postremus locus est prioris Ioannis 5. *Hæc scripsi vobis, vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei*, Græce, ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. ἵνα εἰδῆτε, ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *Hæc scripsi vobis credentibus in nomen Filii Dei: vt sciatis vos vitam æternam habere, & vt credatis in nomen Filii Dei,* Itaque detractum est postremum membrum integrum. Bellarminus codicem Græcum accusat tanquam superfluum: quid enim erat opus monere, vt facerent quod iam fecerant? Imo, inquam, qui nouit quam opere indigeamus perseuerantia in fide, nihil hic superfluum videbit: vt sit sensus, scripsi vobis credentibus, vt porro credere pergatis.

XXX. Necplures locos excusare conatus est Bellarminus. Addam alios: & primo, quibus abusos comperi Papistas. In Institutione Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* Vbi Iacobus Suares vrget duo pronomina, hoc, & hic: cum tamen Græce non distinguantur genera: & ratio poscat, vt dicamus, *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*: quia Lucas & Paulus illud τοῦτο, explicant, τοῦτο τὸ ποτήριον. Ad Roman. 7. *Quod enim operor non intelligo:* & Tertullianus lib. 4. pro Epistolis decretalibus c. 18. interpretatur de minoribus nescio quibus peccatis. At Paulus dixit, ὃ δὲ κατεργάζομαι, γινώσκω. Beza, *quod enim perpetro, non agnosco.* Et 15. prioris ad Corinthios, *Non ego, sed gratia Dei mecum*: & hinc probant, Eckius Enchiridii cap. 31. atque alii liberum arbitrium cooperari gratiæ. At Apostolus dixit, οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. *Non ego, sed gratia Dei quæ mecum est*: vt totum illud quicquid erat, deferret gratiæ. Et ad Hebræos: *Et adorauit fastigium virgæ eius*: hinc Petrus Auratus paradoxo 5. probat crucem adorandam. Sed Græce est προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ; adorauit ad fastigium virgæ suæ, id est, vt vertit Beza, *baculo innixus.* Ex 1. c prioris epistolæ Petri, hæc verba ad probandam intercessionem sanctorum frequentes citant, *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum*: quasi sensus sit, ego post obitum meum dabo operam, vt habeam vos: nimium abusi barbaræ versionis amphibolia. Græce, σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὰ τούτων μνήμην ποιεῖσθαι, *Studebo vt vos subinde post exitum meum possitis horum mentionem facere.* Turrianus tamen libro 2. pro Decretalibus agnoscit quidem, τὸ ἔχειν vertendum esse possitis, non ἵνα ἔχωσιν ὑμᾶς; sed ἵνα ἡμεῖς ἔχητε; At illud post obitū meū, refert ad Studebo, manifesta textus peruersione. Tertio prioris epistolæ Ioannis capite, *Qui non diligit, manet in morte.* Et hinc Sanderus libro 1. de Visibili Monarchia c. 5 probat, impossibile esse illam fidem vitam, aut vim iustificandi habere, quæ Christum tantum credendo comprehendit; non etiam amando: quam nos doctrinam profecto piam agnoscimus, quantumuis ille calumnietur: sed probatio est aliena: quia Ioannes scripsit: ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν: qui non amat fratrem. Stapletonus in Defensione Ecclesiasticæ autoritatis libro 2. c. 10. VVhittakero irascitur, quod ex 10. ad Romanos, citauerit, *fides est ex auditu: auditus per verbum Dei*: cum in Latina editione sit, *per verbum Christi.* Et latius ait illud patere, quam hoc. Sed immerito carpit. Nam Græce est Dei: Et sic olim legit Gaudentius tractatu octauo; vt Græcos omnes taceam.

XXXI. Enumerabo etiam alios; Hi non recte vertuntur Matthæi 3. *appropinquabit regnum cœlorum*; pro appropinquauit ἤγγικε. Sexto *panem supersubstantialem:* qua occasione multi ad allegorias recurrunt. cum tamen Lucæ 11. eadem vox recte sit reddita per *quotidianum.* Et 7. *quam angusta porta:* pro ὅτι στενὴ ἡ πύλη, *quia angusta est porta.* Nono, *Videntes turbæ timuerunt:* pro ἐθαύμασαν, *admiratæ sunt.* Rursus, *filii sponsi:* pro υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος; *filii thalami.* Et 17 *eiicere illū:* pro ἐκβάλειν αὐτὸ *eiicere illud.* Et 19. *Quid me interrogas de bono? vnus est bonus Deus:* τί με λέγεις ἀγαθόν, οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. *Cur me dicis bonum? nullus est bonus nisi vnus, nempe Deus.* Et 21. *post triduum*: pro μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *triduo*: Iterum, *Exeunte illo ianuam*: pro ἐξελθόντα αὐτὸν εἰς πυλῶνα; *exeuntem eum in vestibulum. Cogitabant inter se.* Iansenius. *Vel potius reputabant inter sese. Est enim Græce* διελογίζοντο: *& significatur eos non tantum in cordibus suis cogitasse, sed etiam inter sese contulisse & deliberasse quid responderent: quemadmodum patet ex eo quod dicunt, Si dixerimus,* Salmero, 58. tract. tom. 8. *Inter se, siue, vt Græce habetur, apud se, quæ clarior est lectio.*

XXXII. Marci 2. *Quid hic loquitur? blasphemat*: pro, τί οὗτος ὧδε λαλεῖ βλασφημίας; *Quid iste ita loquitur blasphemias?* Et 13. *reus erit æterni delicti*: pro ἔνοχος ἐστὶν αἰωνίου κρίσεως, æterni iudicii. Et 5. *veniunt nuntii ad Archisynagogum*: pro ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγωγοῦ ab Archisynagogo. Et 6. *frater Iacobi, & Ioseph*: pro Ἰωσῆ, Ioſæ. Iterum: *noluit eam contristare* pro ἀθετῆσαι, reiicere, hoc est, ei denegare quod postulabat. Rursus: *emant sibi cibos quos manducent*: pro ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους. τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσιν: *emant sibi panes: nam quo vescantur non habent.* Item: *Cor eorum obcæcatum*: pro ἡ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη, *cor eorum occalluerat.* Septimo: *nisi crebro lauerint manus*: at quis vnquam audiuit πυγμὴ vsurpari pro crebro? significat pugnum: & putant doct, ita indicari ritum quendam Iudæorum in lauandis manibus. Iterum, *illa sunt quæ communiant hominem*. atqui κοινοῖ eo loco sumitur à Christo pro polluere; ac proinde paulo ante, atque adeo ipso eodem versu: recte redditur, per coinquinare, quamuis paulo post rursus sæpius communicare dicat mira catachresi. *Interrogabant eum parabolam*: pro περὶ τῆς παραβολῆς de parabola. *Iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ*: pro ἐξελθὼν πάλιν ἀπὸ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, *egressus è finibus Tyri, & Sidonis.* Octauo: *sustinent me*, pro προσμένουσί μοι, *manent apud me*, siue mecum, aut adhærent mihi *Comminatus est Petro*: pro ἐπετίμησε τῷ Πέτρῳ, obiurgauit Petrum. Nono: *eleuauit eum*: ἤγειρεν αὐτὸν, erexit eum. *Qui non est aduersum vos, pro vobis est*: Græce prima persona exprimitur, non secunda: καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis, contra nos. *Debilem introire in vitam*: atqui κυλὸς non debilem significat, sed mancum. Decimoquarto: *vbi est refectio mea?* ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμά; vbi est diuersorium?

XXXIII. Lucæ 1. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est mihi assequuto omnia à principio, diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, vt agnoscas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem.* Id procœmium est eius Euangelii admodum breue: sed scatens peccatis, quæ ne Papistæ quidem commentatores dissimulare potuerunt. Primo, barbaries mera ex intempestiua græcitatis affectatione: *narrationes quæ in nobis completæ sunt rerum*: quasi articulus τῶν non admoneret construendum, *narrationes rerum quæ in nobis completæ sunt.* Etsi enim sensus non fit alius: tamen nemo sic Latine rudebat. Secundo: *Qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt sermonis*: obscurius quam Græce. *Qui ipsi spectatores, & ministri fuerunt.* Non negem equidem posse intelligi per zeugma, vt sit, qui ipsi viderunt sermonem, & ministri fuerunt sermonis: sed procliuior est in alteram partem, lectionis inclinatio: quum Græce nihil sit dubium. Tertio: *Quæ in nobis completæ sunt rerum.* Completæ pro certo confirmatæ. Itaque Iansenius. *Non possunt hic intelligi res peractæ. Græce enim est* πεπληροφορημένων πραγμάτων, *id est, rerum certissimæ fidei, aut quarum certa est fides* Quarto: *Vt cognoscas.* Iansenius. *Non est, vt annotat etiam Theophylactus,* γνῶς, *id est, scias, vel cognoscas: sed* ἐπιγνῶς, *id est agnoscas: hoc est, secundo maiorum accipias scientiam.* Quinto: *De quibus eruditus es veritatem.* Iansenius. *Neque est Græce simpliciter eruditus es: sed* κατηχήθης, *id est viua voce eruditus es. Rursus non est* ἀληθείαν *veritatem: sed* ἀσφάλειαν, *id est, securitatem, vel certitudinem.* Sexto. *Assecuto omnia à principio diligenter.* Maldonatus. Παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, *omnibus rebus alte petito principio peruestigatis. Itaque non scientiam his verbis, sed diligentiam suam commendat, quam in quærendis, vestigandis explorandisque rebus adhibuerit, quas scribere volebat. Etsi non nego, scientiam etiam earundem rerum se habere indicare voluisse: fuit tamen modestiæ eius diligentiam potius suam, quam scientiam commendare.*

XXXIV. Et quum sic ἀπὸ θύρας ἁμαρτάνει, quid spei præbet in cæteris

operæ pretium facturum? Eodem capite. *Sine querela.* Laurentius Valla. *Maluissem vno verbo dicere, vt Græce est, ἄμεμπτοι, vel innoxii, vel intemerati, vel integri, insontes: quam sine querela, quorum non apertus sensus est.* Iterum. *Prophetarum eius.* Valla. *Dicendum erat, Prophetarum suorum: in quo nonnunquam decipit interpretem vox αὐτοῦ.* Cap. 2 *Facta est à præside Syriæ Cyrino.* Maldonatus legendum contendit, Facta est præside Cyrino. *Non enim significatur hanc descriptionem à Cyrino præside, sed eo præside factam fuisse.* Consentit Iansenius. Iterum. *Vigilantes.* Valla. *Græce non est vigilantes, sed in agro agentes.* Iterum. *Cognouorunt de verbo, quod dictum erat illis.* Valla. *Non fuit transferendum, cognouerunt: sed notum fecerunt. Etenim idem verbum nunc διεγνώρισαν, quod paulo ante Dominus ostendit nobis.* Nec aliter Syrus reddidit. Quod autem Maldonatus notat Græcum ambiguum esse, & verti posse in vtrumque modum, falsum est. Cap. 3. *Nihil amplius, quam constitutum est vobis, facite.* Iansenius, *Quoniam sæpe publicani super quam constitutum est exigere solent, inquit, nihil amplius, quam quod constitutum est vobis à principibus, exigatis à populo. Sic enim vertendum potius fuisse, quam per verbum faciatis, sensus expostulat.* Et Maldonatus. *Sensus est melior, quam quem Latina nostri interpretis verba videntur præ se ferre.*

XXXVI. Cap. 11. *Os eius opprimere de multis.* ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων. Maldonatus. *Noster interpres videtur legisse ἐπιστομίζειν, os obstruere.* Quæ quidem blasphemia est: adeo fuit illi interpreti obtusum iudicium. Toletus. *Græcum verbum est ἀποστοματίζω, quod apud Græcos idem significat, quod ex memoria dicere: recte autem Euthymius interpretatur, nempe extemporales, & non consideratas responsiones dolosarum interrogationum expetere.* Iterum, *Veruntamen quod superest*: quod propter ambiguitatem, imo improprietatem, quidam interpretantur: hoc solum remedium superest vobis: alii, quod victui vestro necessario superfluum est. *At*, inquit, Toletus, *neutram interpretationem admittunt verba Græca, τὰ ἐνόντα: quasi diceremus Latine, inexistentia, seu quæ insunt.* Et similiter Iansenius. Et 13. *Sicut illi decem & octo*: ἢ ἐκεῖνοι οἱ δέκα καὶ ὀκτὼ: *aut illi decem & octo.* Et 16. *Et sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos.* καὶ ἐτάφη, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, *Et sepultus est: atque apud inferos sublatis oculis suis.* Quanquam scio arridere vulgatam lectionem; vnde magnifica occasio garriendi de sepultura apud inferos. Et 19. *Omnis populus suspensus erat, audiens illum.* Ὁ λαὸς ἅπας ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων: *vniuersus populus pendebat ab eo audiens.*

XXXVII. Actor. 2. *Et communicatione fractionis panis*, καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου: & communicatione, & fractione panis. *Augebat qui salui fierent quotidie in idipsum*: atqui προσετίθει est addebat: & τῇ ἐκκλησίᾳ, non significat in idipsum. Tertio: *Qui prænuntiauit*: ἃ προκατήγγειλε, quæ prænuntiauit, quod peccatum emendauit Sixtus. Et 18. *Instabat verbo Paulus.* συνείχετο πνεύματι. constringebatur Spiritu. *Et minauit eos à tribunali*: ἀπήλασεν abegit. Lorinus. *Interpres alibi vsus est minandi verbo pro ducere. Sed in his locis est ἄγειν, aut ἀπάγειν, non ἀπελαύνειν.* Et 19. *Cum nullus obnoxius esset.* μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος: cum nulla subsit causa. Nam etsi verum αἴτιον dici etiam masculine apud Græcos: tamen hoc loco ineptum est, quia falsum neminem fuisse causam eius seditionis. At αἴτιον neutro genere appositissimum, vt significet non posse vllo prætextu excusari. Et 24. *Seruio patri & Deo meo*: λατρεύω τῷ πατρῴῳ Θεῷ: Seruio patrio Deo. Et 27 *Et custodias occiderent*: τοὺς δεσμώτας: vinctos: sensu, parum diserto: nam custodia, eos æque significat qui custodiunt: atque eos qui custodiuntur.

XXXVIII. In Paulo. Ad Roman. 5. *Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus*: ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν. *Christus enim cum adhuc infirmi essemus.* Legisse videtur εἰ τί, sed nullo sensu commodo. *Peccatum non imputabatur quum lex non esset*: ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου: peccatum non imputatur, quum lex non est: alia mente: nam videretur Paulus affirmare non fuisse legem: quod non ita est: sed hypothetice potius, non imputaretur peccatum, si nulla lex fuisset. *Gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Periculose. Vasques c. 2. disp. 5. in 3 Thomæ. *Pro eo quod Latine legimus in plures, Græce non est εἰς πλείονας*, sed εἰς πολλοὺς, *hoc est, in multos.* Septimo. *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei.* Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, *gratias ago Deo.* Et 12. *Non vosmetipsos defendentes*: absurde: sed ἐκδικοῦντες, *vlciscentes.* Decimoquinto: *Vnusquisque in suo sensu abundet*: periculose: quasi quisque permittendus esset suæ pertinaciæ. ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω: in mente sua plene certus esto. Et 16. *Salutat vos Caius hospes meus & vniuersa Ecclesia.* ὁ ξένος μου καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης: hospes meus, & vniuersæ Ecclesiæ. Et paulo ante. *Qui est primitiuus Ecclesiæ Asiæ*, ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας: qui est primitiæ Achaiæ.

XXXIX. Poster. ad Corinth. 3. *In faciem* εἰς τέλος in finem. *Speculantes*: κατοπτριζόμενοι, in speculo cõtemplantes. Nam speculãtes nunquã Latinis à speculo: sed à specula. Et 12. ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται: *potentia mea in infirmitate perficitur*: Ast editio Latina *Virtus in infirmitate perficitur.* Quo errore decepti Anselmus, Lyranus, Aquinas interpretantur de hominum virtute morali: vel vt eius exercendæ materia sit infirmitas: vel infirmitas occasio perueniendi ad perfectam virtutem. Cum tamen longe augustior sententia sit, *Potentia mea*, inquit Salmero, *maxime se exserit, cum auxilium deest humanum, & cum vi etur res desperata.* Vnde certa, potentissimaque fidelium in suarum infirmitatum sensu consolatio: vt & tum sperent se magnificentissime liberandos, cum atrocissime premuntur: & per se ipsos etiam Deum potentiam mirifice ostentaturum, quum maxime se ipsi sentient ad suæ vocationis effectus ineptos: quomodo magnificentius multo per piscatores mundus triumphatus est, quam si per Demosthenes, Cicerones-ve: aut etiam Alexandros, & Cæsares. Nam & Sanctorum opera Papistas quantulo minus abduxerunt à Deo? At Ephesios primo, *Secundum propositum voluntatis suæ.* Et hoc propositi nomine deceptus Anselmus intellexit voluntatem Dei Prophetis olim reuelatam de nobis: vt secundum propositum, sit sicut per Prophetas proposuit. At Græce εὐδοκία aliud est: nempe vel, vt Theodoretus ait, voluntas afficiendi beneficio: vel, vt melius Chrysostomus, τὸ θέλημα τὸ προηγούμενον, voluntas princeps, id est, prima summaque causa. Prioris ad Corinthios 15. *Ad reuerentiam vobis loquor*: πρὸς ἐντροπὴν ad pudorem incutiendum. Ad Colloss. *Chirographum decreti.* Iustinianus. *Omnino legendum est decretis: non, vt aliqui legunt, decreti: est enim Græce δόγμασιν.*

XL. Additamenta. Matthæi 7. *Ipse intrabit in regno cælorum.* Rursus. *Et Pharisæi.* Marci sexto. *Admirabantur in doctrina eius.* Græce ἐξεπλήσσοντο, percellebantur: reliqua addita nonnihil sensum mutant: non enim ob doctrinam solam, sed etiam ob miracula Iudæi vel mirabantur, vel percellebantur, vt statim Marcus explicat. Nono. Stupefactus est: & expauerunt: ἐξεθαμβήθη: expauit: alterum nullum est. Lucæ 10. *designauit & alios septuaginta duos*: ἑτέρους ἑβδομήκοντα, alios Septuaginta. Actor. 9. *Loquebatur quoque gentibus, & disputabat cum Græcis.* Pro, loquebatur, & disceptabat aduersus Iudæos. Quem locum reprehendit Bellarminus libri de Pontifice 1. c. 18. negans esse verisimile, Paulum prædicasse gentibus in ipsa Hierusalem, & nullum rumorem excitatum ab Hebræis. Lucæ 2. *Et omnes qui audierunt mirati sunt: & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos*: pro eo quod est Græce, *mirati sunt de his.* Salmero tom. 3. tract. 35. particulam *Et*, non solum negat esse in Græcis: sed etiam asserit abundare, sensuique obstare: quod & ante eum Maldonatus scripserat. Ad Roman. 4. *Ex operibus legis*, in Græco non est vox *legis*, inquit Salmero: nec videtur adiicienda: quia lex non erat tempore Abrahæ, quæ multo fuit posterior. In post. Petri c. 1. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: illud *per bona opera* non expressit Petrus.

XXXIX. Sed detractiones plures sunt. Matthæi 6. ter desunt *in propatulo*: ἐν τῷ φανερῷ: *quæ legenda esse*, inquit Maldonatus, *ipsa indicat antithesis, in abscondito, & in propatulo.* Ibidem. *Quid manducetis?* τί φάγητε, καὶ τί πίητε: quid manducetis, & quid bibatis. *Nouit enim Pater vester* πατὴρ ὑμῶν οὐράνιος, pater vester ille cœlestis. Et 14. *Quinque milla virorum*: ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, viri circiter quinquies mille. Et 15. *Populus hic labiis me honorat.* ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ: appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat. Item κυλλοὺς ὑγιεῖς. *mancos sanos*, Latine deest. Et 18. similiter deest τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *offensas eorum.* Et 20. *Quod volo facere*: additur Græce ἐν τοῖς ἐμοῖς in meis, in quo tota vis est argumenti. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Deest, *Et baptismate quo ego baptizor, baptizari?* Et 28. *reuoluit lapidem*: ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, deuoluit ab ostio.

XL. Marci 6. hæc desunt: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόρροις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ, *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomæ & Gomorræ in die iudicii, quam illi vrbi.* Ibidem. *Principibus*: μεγιστᾶσιν αὐτοῦ, *proceribus suis. Et viderunt eos abeuntes*: deest, *turbæ* οἱ ὄχλοι. Deest etiam, καὶ συνῆλθον πρὸς αὐτὸν: *& conuenerunt ad eum.* Rursus. *Obstupescebant*: ἐξίσταντο καὶ ἐθαύμαζον, obstupescebant & mirabantur. Nono, desideratur, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν: *quia non sequitur nos.* Lucæ 16. *Fili recordare quia accepisti bona in vita tua.* Maldonatus. *Vim in pronomine, tua, quod est in Græcis exemplaribus, esse arbitror: quod perinde est ac si dicat, ea quæ tu sola bona esse putabas, quibus solis inhiabas.*

XLI. Ioannis 5. καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι: *& quærebant eum interficere.* Actor. 10. νηστεύων, *ieiunans*: ὃς παραγενόμενος λαλήσει σοι, *qui cum adfuerit loquetur tibi.* Et 18. δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱεροσόλυμα; *oportet omnino me festum, quod instat, agere Hierosolymis.* Ad Rom. 14. καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν κυρίῳ οὐ φρονεῖ; *Et qui non curat Diem, Domino non curat.* Prioris ad Corint. 6. καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ *& in spiritu vestro quæ sunt Dei.* Poster. 12. καυχώμενος *in gloriando.* Prioris ad Timoth. 6. ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων; *secede ab iis qui huiusmodi sunt.* Primo ad Hebræos, δι' ἑαυτοῦ *per seipsum.* Prioris Petri 4. καὶ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται. κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται. *quod ad illos quidem attinet, blasphematur: quod ad vos autem, glorificatur.* Hæc omnia in editione Latina nusquam parent.

Ad Coloss. 2. *In expoliatione corporis carnis*; deest τῶν ἁμαρτιῶν, peccatorum: sic enim legendum. *In expoliatione corporis peccatorum carnis.*

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI.

LIBER

LIBER DECIMVSQVINTVS.

DE SANCTÆ SCRIPTVRÆ SENSV.

Caput Primum.

DE SENSV LITERALI ET MYSTICO.

PERTRACTATIS Controuersiis, quæ pertinebant ad eam Scripturæ Sacræ interpretationem, quæ verba spectat; soletque appellari Translatio siue Versio. Sequitur vt eam partem tractemus, quæ pertinet ad ipsam Verborum sententiam: quæque magis accedit ad Theologiam: cum illa magis ad Grammaticam.

II. Magnum, atque adeo necessarium prorsus Christiano caput: cum certum sit non in legendo Scripturas consistere; sed in intelligẽdo. Adeo vt si totum deuores codicem, non attendas autem, quid iis literis, ex quibus is codex constar, Deus significatum voluerit; frustra laborem impendas. Nec sane vnquam hæretici Scripturas protulerunt in confirmationem sui dogmatis impii: quia τοῖς ὀνόμασι μόνοις προσανέχουσι, τὰ σημαινόμενα ὑπαλλάττοντες. οὔθ' ὡς λέγονται γινώσκοντες, οὔθ' ὡς ἔχειν πεφύκασι χρώμενοι: inquit Stromateωn 7. Clemens Alexandrinus: *Vocabulis solis adhærent, mutatis significationibus: neque quomodo vsurpata sint cognoscentes, neque vtentes iis, pro eorum natura.* Enimvero Gnosticorum *Caulaucau*, & *Saulausau*, totidem literæ sunt Esaiæ 28. Ergone Scripturæ Sanctæ? Imo recte Epiphanius in Nicolaitis, τὰς καλῶς εἰρημένας λέξεις αὐτοὶ εἰς εἰδωλοποιίας ἀνατυποῦσιν, *Quæ recte erant dictæ voces, eas isti transformant in idola.* Sic omnes semper aberrarunt, autores nouorum dogmatum: quorum quanto fertilior seges fuit: tanto diligentius Catholicos cauere sibi oportuit, distincta exacte vera Interpretatione à falsa.

III. Hanc ergo Interpretationem esse constat, inuestigationem eius rei quam Scriptura significat singulis locis; Et hanc rei significationem vulgo vocant Sensum. Eumque alium Literalem, siue historicum, alium Spiritualem, siue mysticum. Qua de re nonnihil est controuersiæ. Tractarunt Bellarminus de Verbo Dei lib. 3. cap. 3. & Gretserus Apologista: Tum etiam Salmero Tomi 1. tract. 78. Et Gabriel Vasques Commentariorum in 1. Thomæ tomi 1. quæst. 1. art. 10. disp. 15. 16. & 17. Iosephus à Costa de Christo reuelato lib. 2.

IV. Literalem olim describebat Thomas parte 1. quæst. 1. art. 10. eum quem autor intendit. Et Salmero & Vasques, eum, quem autor Scripturæ Spiritus Sanctus per Verba iuxta propriam, & Grammaticæ cohærentem significationem, siue per tropos & translationes, primum significare voluit. Gerson olim in Propositionibus de sensu literali dicebat, sensum literalem Sacræ Scripturæ accipiendum esse, non secundum vim Logicæ seu Dialecticæ: sed potius iuxta loquutiones in rhetoricis sermonibus vsitatas: & iuxta tropos & figuratas loquutiones, quas communis vsus committit; cum consideratione circumstantiarum literæ ex præcedentibus, & posterius appositis. Bellarminus non secedit; scribens, literalem esse, quem verba *immediate* præferunt; siue potius præ se ferunt, vt erat in prioribus editionibus. Nam etsi illud immediate est ambiguum, & significare possit vsum proprium vocabulorum: tamen hæc homonymia tollitur, quum idem sensus literalis distinguitur in simplicem per vocabula proprie sumpta, iuxta communem vsum: & figuratum, per vocabula translata à sua natiuaque significatione in aliam. Recte olim Ioannes de Ragusio de Communione sub vtraque, propositio. 5. *Sensus literalis Sacrarum Scripturarum principalis est ille, non quem litera prætendit: sed quem autor earum scilicet Spiritus Sanctus intendit. Patet exemplariter in sensu parabolico siue figuratiuo, qui sub literali sensu continetur. Nam in huiusmodi locutionibus parabolicis per voces significatur aliquid proprie, & aliquid figuratiue: nec est literalis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum: sic enim cum Scriptura nominat Dei brachium, non est literalis sensus, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale, quia Spiritus est Deus, vt dicitur Ioannis quarto: sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet vis operatiua.*

V. Sic, vt exemplis rem illustrem, in Eucharistiæ negotio, cum dicunt Euangelistę, *Accepit Iesus panẽ*, nemo ambigit tria illa vocabula ad literã intelligenda, vt panem, qui re vera panis erat, vere manibus suis acceperit Christus. Et ita sensus literalis est primi ordinis, id est, simplex, vt nomine vtar Bellarmini. Quum autem Lucas & Paulus dicunt, *Hoc poculum est Nouum Testamentum in sanguine meo*: consentiunt Papistæ Catholicis, poculum μετωνυμικῶς sumi, pro eo quod est intra poculum: nisi forte vnum excipias ridiculum monachum Sebastianum Michaelem Dominicanum, qui τὸ ποτήριον contendit esse ipsam potionem. Sed hoc omisso, reliqui, quod quidem sciam, consentiunt. Erit igitur hic sensus literalis secundi ordinis, siue figuratus. Duodecimo ad Romanos, quum dixit Paulus, *Carbones ignis coaceruabis in caput eius*: nemo est qui putet Paulum cogitasse, magnam quandam prunarum quantitatem ex ligno ignito, in eam corporis humani partem, quæ humeris à natura imponitur, congestam: quem sensum vocabula ipsa primo, & per se ingerunt legentibus: sed iustas pœnas ab iis soluendas qui bene de se merentes odio habent. Et quia Paulus hoc habebat in animo: ergo hic posterior sensus est literalis; etsi omnes voces metaphorice vsurpentur.

VI. Iam quia ἀντιδιαιρεῦνται sensus literalis, & mysticus: definito illo, istius etiam natura facile patet: Itaque Vasques definiuit, qui nec proprie nec metaphorice vocibus proxime significatur, sed qui sub rebus significatis per voces, quasi sub vmbra, & figura est conclusus. Bellarminis breuius, qui alio refertur, quam ad id quod verba immediate significant. Addere nos possumus ex Thoma, quem autor non intendit: ex Salmerone, quem Spiritus Sanctus non voluit primum significare. Denique ex Gersone, qui non accipitur cum consideratione circumstantiarum literæ ex præcedentibus, & consequentibus. Ego malim breuius, Sensum secundarium, diuersum à literali, similem tamen. Nam secundarium sane illos fateri oportet, qui literalem dixere eum, quem primum autor significare voluit. Quid est enim primum: si nihil sit secundum? Et ii qui eundem literalem volunt immediate significatum, Alium autem, quis neget, si concedat literalem, primum, & immediatum? Similem addidi meo, vt puto, iure. Alioquin quid obstat, quominus ex quolibet eruatur quidlibet? Nec ego sane hactenus vllum obseruare potui, qui locum vllum Scripturæ exposuerit μυστικῶς; qui non aliquid inquisierit, quod saltem esse putauerit simile. Et res ipsa docet, summam ab iis, qui hunc inquirunt, curam esse, vt partes partibus respondeant: quod infinitis exemplis docere possum, si sit opus.

VII. Veruntamen hunc mysticum sensum tripliciter iam olim distinxere, in Allegoriam, Tropologiam, Anagogen. Et ita definiuere, Allegoriam quidem, cum Verba Scripturæ præter literalem sensum significant aliquid in Nouo Testamento, quod ad Christum vel ad Ecclesiam pertineat: vt cum Paulus Abrahami vxores refert ad duo Testamenta: Tropologicum, cum verba & facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores: quo modo Paulus ex eo loco, *Non alligabis os boui trituranti*, docet pastoribus suppeditanda esse necessaria. Anagogicũ, quum verba aut factã referuntur ad significandam vitam æternam: vt Paulus, Introitum Israelis in requiem Dei, quarto ad Hebræos, transtulit ad cœlestem beatitudinem.

VIII. Sed hæc nominum curiosa distinctio, ex Scholarum potius est morosiuscula diligentia, quam ex vlla eorum Vocabulorum necessitate, Itaque Salmero agnoscit esse quid nouum, & à posterioribus patribus traditum. Enimvero Allegoria proprie significans, quando aliud ex alio significatur, longe habet ambitum latiorem: etiam ex vsu Veterum Theologorum, vt agnoscit Bellarminus. Imo promiscuum fuisse τῆς ἀλληγορίας, καὶ τῆς τροπολογίας, καὶ τῆς ἀναγωγῆς vsum, facile probant scripta veterum.

IX. Basilius homilia 9. in Hexaemeron. οἶδα νόμους ἀλληγορίας. *Noui leges Allegoriæ.* Hanc ab iis vsurpari οἱ μὴ καταδεχόμενοι τὰς κοινὰς τῶν γεγραμμένων ἐννοίας τὸ ὕδωρ οὐχ ὕδωρ λέγουσιν, ἀλλά τινα ἄλλην φύσιν, καὶ τὸ ἰχθὺν πρὸς τὸ ἑαυτοῖς δοκοῦν ἑρμηνεύουσι, καὶ ἑρπετῶν γένεσιν καὶ θηρίων, ἐπὶ τὰς οἰκείας ὑπονοίας παρατρέψαντες: *qui non admittentes eorum quæ scripta sunt sensus communes, aquam, non aquam dicunt, sed aliam quandam effusionem: Et piscem pro arbitrio interpretantur: Et repentium creationem, & ferarum, ad propria sensa distrahentes exponunt.* Et paulo post; τινὰς παραγωγαῖς καὶ τροπολογίαις σεμνότητά τινα ἐκ τῆς οἰκείας αὐτῶν διανοίας ἐπιχειρῆσαι τοῖς γεγραμμένοις ἐπιφημίσαι: quosdã trãslationibus ex Tropologiis conari scriptis dignitatẽ quandam aptare ex proprio intellectu. Ex quibus constat Basilium allegoriam haud aliter intellexisse, quam generaliter eum sensum, quo abstrahuntur verba scripta à sensu literali: Et pro eodem etiam παραγωγήν, & τροπολογίαν nominare.

X. Nec aliter Nazianzenus nominat, orat. 2. in Pascha: τοὺς ἄγαν θεωρητικοὺς καὶ ἀναγωγικούς, *eos qui nimio contemplationis & anagogiæ studio ducuntur*, interprete Billio. Hieronymus etiam in 3. Ecclesiastis. *Quia caro Domini verus est cibus, & sanguis eius verus est potus, iuxta* ἀναγωγὴν *hoc solum habemus in præsenti seculo bonum, si vescamur carne eius, cruoreque potemur.* Et Epistola ad Euagrium historiam Melchisedeci, *sic quosdam referre ad* ἀναγωγήν, *vt historiæ auferant veritatem: & dicant non fuisse regem, sed in imagine hominis Angelum demonstratum.* Et idem in quartum ad Galatas, à Paulo allegoriam alibi nominari sensum spiritualem: imo 10. prioris ad Corinthios: *Manna hic, inquit, & subiti fontis eruptio, & petra ipsa quæ sequitur, quod allegorice accipienda sunt, nemo est qui dubitet* Gregorius Nyssenus in De vita Mosis, cum vniuersam eius historiam exponat, vt referat ad vitam perfectam, quæ Scholasticis tropologia est, tamen semper vtitur ἀναγωγῆς nomine. In ad Ephesos 5. quod Chrysostomus dixit. οὐχ ἡ ἀλληγορία ἀνατρέπει τὴν ἀγάπην, *Allegoria non euertit dilectionem.* Oecumenius sic expressit: οὐχ ἡ ἀναγωγὴ τοῦ ὀνόματος, ἢ ἡ πνευματικὴ ἐξήγησις ἀνατρέπει τὸ ἰδικόν: *Anagoge nominis, spiritualis-ve explicatio proprietatem non euertit.*

XI. Augustinus de Doctrina Christiana, libri 4. cap. 7. apud Prophetas multa dicit obtegi per Tropologiam: & explicat statim, translatis verbis operiri. Vt facile sit agnoscere, idem illi Tropologiam esse, quod est allegoria: dictam nimirum nõ ἀπὸ τῶν τρόπων τουτέστι τῶν ἠθῶν à moribus siue ratione

tione viuendi: sed ἀπὸ τοῦ τρόπου, τουτέστι τοῦ σχήματος τῆς λέξεως à Tropo illo Rhetorico, qui voces transfert a suo sensu ad alienum.

XII. Verum de vocibus non est forte quod scrupulosius contendamus. In definitionibus peccatur grauius. Nam primo absurdum est; ex variis rebus significatis, varios significandi modos excudere. Sic enim quid obstat quominus sit non quadruplex sensus; sed infinite varius? Nam etsi illi forte summa rerum capita complexi sint; tamen quis legem dedit, vt ne quisquam particulas sectetur? Tum vero, quid de literali sensu dicemus? An nihil in eo ad Christum pertinens, & Ecclesiam? nihil ad mores? nihil ad vitam æternam? Aut si iusta caussa fuit distinguendi sensum mysticum ex varietate eorum subiectorum; cur non & sensum literalem?

XIII. Ad hæc, cur Allegoriam dicunt, quum verba transferuntur ad significanda ea quæ in Nouo Testamento pertinent ad Christum & Ecclesiam? An quia nullæ esse possunt ex Nouo Testamento Allegoriæ; omnesque petendæ ex Veteri? Imo, contra Papistæ vsurpant: sic, vt alia multa taceam: Samaritani parabolam, transferunt ad significandum hominis lapsum, & restaurationem. Etsi autem excipiat Gretserus, Bellarminum non exprimere Vetus Testamentum, sed Verba Scripturæ: tamen Salmero, si quid forte ambigui Bellarminus reliquit, perspicuum facit. *Cum ea, inquit, quæ Veteris sunt Testamenti historiæ, ad ea quæ in Ecclesia sunt, credenda referuntur, Allegoricus peculiariter dicitur.* Et ante Salmeronem Thomas, art. 10. quæst. 1. parte 1. *Secundum quod ea quæ sunt veteris legis significant ea quæ sunt nouæ legis, est sensus allegoricus.*

XIV. Hæc cum ita sint, nos Scholasticis suam λεπτολογίαν libenter relinquimus: & simplicius sensum literalem, & mysticum agnoscimus: hunc ex vsu veterum promiscue appellantes Allegoricum, Tropologicum, Anagogicum. Quamuis mallemus cum Augustino loqui, qui in De vtilitate credendi, cum distingueret historiam, ætiologiam, analogiam, allegoriam, dixit, non quidem esse istos varios sensus Scripturæ: sed potius Scripturam tradi secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam: significans varias varios locos tractandi rationes: quo modo vsu venit in omni humano sermone: vt non semper retineatur genuinus Vocabulorum sensus: nec semper tamen tropicus vsurpetur. Ita & in Scripturis non posse quenquam vitare multa absurda, qui omnia velit vel ad literam exponere, vel ad allegorias transferre.

XV. Et tamen, quia obseruamus etiam magnos viros indulsisse aliquando alteri cuidam tractationi, quæ sensum alienum inquirit, non tantum à genuino vsu Vocabulorum; sed etiam omnino à sensu literali, hoc est, quem aliquo loco habuerit in animo autor eius Scripturæ: Et sic Paulum ad Galatas Abrahami vxores & filios transtulisse: sic etiam Veteres Patres, & quidem multa pietate insignes, non raro hoc se suosque auditores artificio exhilarasse: concedamus, si placet, etiam hoc sensu, sensum mysticum: Et permittamus Scripturam aliquando explicari posse ad literam; cum inuestigatur proprius sensus cuiusque loci: aliquando vero allegorice: cum ab eo literali sensu, transitio fit ad alium, sed similem.

XVI. Verum enimvero hic maxime opus est frænari humanæ curiositatis pruritum: quæ sæpe vel exigua oblata occasionis rima, immane quantum sibi permittat. Itaque peccatum fuit à multis in varias partes; & quidem iam olim: quanquam procliuius in allegorias. Sic Origenes accusatur nonnihil durius ἐπινενοηκέναι ἑαυτῷ κατὰ τὸ σωμάτιον, inquit Epiphanius; quum nimis ad literam illud legisset de iis qui castrarunt se propter regnum cœlorum: Sed longe magis audiit male, propter allegorias. Ἀλληγορεῖ δ' ὅπερ δύναται inquit Epiphanius: *Allegorice explicat quicquid potest.* Itaque sine dubio medium quoddam tenendum inter hæc extrema.

XVII. Prima regula, ex Augustino, c. 5. libri 3. de Doctrina Christiana. *Cauendum est ne figuratam loquutionem ad literam accipias. Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur.* Sic peccabant olim Iudæi, qui, quæcunque de Messiæ maiestate dicta erant à Prophetis, carnaliter accipiebant de Regia magnificentia: vnde factum, vt illis Christus apparens fuerit scandalum. Peccabant calumniatores, qui, quod Christus de suo corpore dixerat, de templo lapideo interpretabantur. Peccant hodie Papistæ, qui, quæ Christus dixit de manducatione corporis sui, ad actionem corpoream referunt: adeo vt Nicolaus voluerit Berengarium confiteri ipsissimum corpus in rei veritate dentibus atteri.

XVIII. Secunda regula priori ἀντίστοιχος. Ex Epiphanio in Apostolicis; Πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας δεῖται. *Non omnia diuina dicta allegoria indigent: verum vt posita sunt.* Itaque Basilius homilia 9. in Hexaemeron grauiter taxat τοὺς ἀλληγορουμένους iis comparans, qui somnia interpretantur. Nempe, quia, μὴ καταδεχόμενοι τὰς κοινὰς τῶν γεγραμμένων ἐννοίας, ἐπὶ τὰς οἰκείας ὑπονοίας παρατρέψαντες ἐξηγοῦνται, ὥσπερ οἱ ὀνειροκρῖται τῶν φανέντων ἐν τοῖς καθ' ὕπνον φαντασίαις πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τὰς ἐξηγήσεις ποιούμενοι. *Neglectis communibus eorum quæ scripta sunt sensibus, interpretantur detorquentes ad proprias coniecturas: vt solent somniorum interpretes spectra quæ per somnum apparent, ad eum quem ipsi sibi finem proposuerunt interpretando referre.*

XIX. Peccarunt olim Donatistæ, cum illud è Cantico, *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*, detorserunt ad Africam, quæ est Meridionalis, vt ibi Christiani quærerent Ecclesiam. Peccauit & Claudius Charronæus ille ἰατροθεόλογος, qui eadem verba de Cruce interpretatur in qua Christus positus fuit circa horam sextam, id est, tempus meridianum. Peccauit & Panigarolla Disceptationis sextæ parte secunda, qui illud Christi ad Petrum, *Duc in altum*: sic interpretatur, vt Christus Petrum iusserit abire Romam: nec minus Stapletonus in Relectione, Controuersia 3. quæst. 1. art. 2. qui refert ad profundum disputationum.

XX. Tertia Regula. Ne per allegorias quicquam proponamus, quod non aliunde confirmari possit: id est ex aliis perspicuis Scripturæ locis. Augustinus ad Vincentium Epistola 48. *Quis non impudentissime nitatur, aliquid in allegoria positum pro se interpretari: nisi habeat & manifesta testimonia, quorum luce illustrentur obscura?*

XXI. Quarta Regula. Ne sensus mysticus pro certo argumento proferatur, ad confirmanda capita controuersa. Hieronymus in 13. Matthæi. *Nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia, potest ad autoritatem dogmatum proficere.* Consentiunt Alphonsus de Castro, Driedo, Bellarminus, Vasques, atque alii. Ipse etiam Thomas docuit olim ex solo literali sensu; non autem ex iis, quæ secundum allegoriam dicuntur, posse trahi argumenta. Et huc facit exemplum ipsius Pauli: de quo sic Salmero disp. 6. lib. 1. super Epistolas. *Assumit argumenta vt plurimum ab Scripturis: atque illis egregie disputat ad quodvis persuadendum in sensu literali.* Et post: *Quandoque tamen ex mystico sensu argumenta deducit, præsertim agens cum fidelibus. Nam etsi eiusmodi argumenta apud Iudæos refractarios, & infideles firma & solida non sint: apud Iudæos tamen ad Christum conuersos suam & probabilitatem & firmitatem habent.* Et iterum in Epistolam ad Romanos, disp. 34. *Etsi Apostolus sensus mysticos, vel allegoricos interdum adhibeat quando cum fidelibus agit: vbi tamen de fide & dogmatibus disserit cum aduersariis, iis sensibus non vtitur: aut aperte exprimit, se allegorice & in figura loqui.* Optime etiam Sixtus Senensis Bibliothecæ libro 3. cap. *De vsu & vtilitate historicæ ac mysticæ expositionis.*

XXII. Itaque non leuiter peccant hac parte Papistæ, qui aduersum nos disputantes de rebus fidei, & quidem grauissimis, non possunt sibi temperare, quominus subinde ad allegorias recurrant: easque nobis obiiciant pro argumentis. Sic Alphonsus de Castro auricularem Confessionem probat: quia leprosos à se sanatos Christus iussit ostendere sese Sacerdotibus: neque argumentum indignum est visum Bellarmino, aut Panigarolla. Solos Sacerdotes admittendos ad Concilia probauit Panigarolla ab Exodi 19. vbi prohibetur populus accedere ad montem. Cœlibatum Bellarminus, quia Aaron & filii eius quum ingrederentur tabernaculum fœminalibus lineis à renibus vsque ad femora tegerentur. Platus de Bono status religiosi. libr. 1. cap. 7. vt confirmet institutum religiosum, quomodo appellari iampridem solet à Papistis, quasi à tota Ecclesia religio exularet, profert Lothum in incendio Sodomitico, saluum euasisse in montem. Infinita sunt huiusmodi.

XXIII. Imo Gretserus videtur coercere velle Bellarmini prodigam manum. Quum enim simpliciter Bellarminus dixerit conuenire ex solo sensu literali peti argumenta efficacia: ille, intelligendum dixit ordinarie, & vt plurimum: Miro acumine, quod fugerit hactenus omnes qui simile quid dixerint. Sed quæ caussa nouæ limitationis? Quia ordinarie magis nobis constat sensus literalis, quam spiritualis. Alioquin nemo inficiari potest, ex spirituali quoque sensu argumenta firma peti, quando nobis iste sensus, vel ex Scriptura, vel ex Traditione Ecclesiæ, communique sanctorum Patrum doctrina certo liquet. Imo, inquam, non ordinarie, sed semper & absque exceptione sensus literalis longe certior est sensu illo altero allegorico, siue spirituali. Nam quod ait aliquando constare nobis sensum mysticum ex Scriptura; distinguo: vel vt sit, non esse talem aliquem locum nisi allegorice intelligendum, hoc est, figurate; ac tum nihil ad rem Gretserus: quia hic sensus est literalis. Vel vt sit, posse locum aliquem præter literalem sensum, etiam allegorice explicari, quomodo de Abrahæ vxoribus apud Paulum: ac tum dico primo, argumentum sumi posse ab ea Allegoria: at non tanquam ex autoritate Mosis: sed tanquam ex autoritate Pauli: atque ita argumentum esse à sensu literali, nimirum Pauli. Quanquam Salmero monuit iis vsum Paulum tanquam probabilibus.

XXIV. Constare autem huiusmodi sensus mysticos ex autoritate Ecclesiæ, vel doctorum, hoc vero nos negamus. Constare, inquam, certo: nam alioquin probabilitatem quandam agnosco libens. Sed ex argumento probabili non potest certum argumentum deduci. Quare longe consideratius, & Thomas, & Alphonsus, & Bellarminus, simpliciter negant erui argumenta certa nisi ex litera. Longe etiam prudentius Augustinus impudentiæ arguit eum, qui aliquid allegoricum pro se adfert, nisi habeat locos perspicuos, quibus idipsum confirmet.

Cap. II.

Status quæstionis de variis sensibus literalibus Scripturæ.

I. SEd quæritur vtrum vnius eiusdemque loci plures esse possint sensus literales. Bellarminus negat esse improbabile: & Salmero omnino statuit; ac disputat. Imo Driedo disertius: non tantum diuersos sensus subordinatos, id est, vnum literalem, alios ex literali mysticos: sed etiam diuersos non subordinatos: neque sic vt vnus eorum significetur per alium. At nos id absurdissimum existimamus: itaque prorsus negamus, vnam eandemque numero literam (nam ita circumscribit Salmero) plures vno sensus literales habere posse.

II. Nec frustra nos absurditatem mirari, res ipsa docebit. Nam Salmero Prolegomeno 8. in Euangelia, sex proponit vias siue modos, quibus fit, vt eadem litera plures sensus habeat. Primo, propter variam lectionem Hebraici textus, vel Græci: dum modo confirmetur autoritate Patrum: vt Zachariæ 12. pro דקרו, Septuaginta legerunt רקדו: Itaque verterunt, *Insultarunt*, pro *Transfixerunt*. Sic Esaiæ 3. pro אמרו *dicite*, legerunt אסרו: & reddiderunt, *Alligemus*. Secundo, propter diuersitatem Versionum: nempe si quando à textu Hebræo varient Septuaginta, siue Latinus Interpres. Tertio, propter ambiguitatem vocis Hebrææ: vt Psalmo 2. נשקו בר: alii vertunt, *Apprehendite disciplinam*, alii, *Adorate filium*, alii, *adorate pure.* Quarto, propter ambiguitatem, quæ apud Hebræos contingit ex punctis vocalibus, vt דבר, aliud est דבר verbum: aliud דבר *loquutus est*: aliud דבר *pestis*. Sic Genes. 47. alii reddunt, *Inclinauit se ad lectuli caput*: alii, *adorauit ad fastigium virgæ.* Quinto, propter varias rationes distinguendi membra textus: vt Ioannis 1. quidam legunt: *Et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat.* Alii vero, *Et sine ipso factum est nihil. quod factum est in ipso vita erat.* Postremo: quia res & actiones propemodum sunt infinitæ: at voces præsertim in Hebræa lingua paucissimæ: quo fit, vt vnum nomen plures substantias, & vnum verbum plures actiones, vel passiones repræsentet: quæ cum ad rem propositam faciant, non videntur respuendæ.

III. Hæc

III. Hæc Salmero: quibus quid fit aliud, quam vt quilibet videat illud lectoribus? Nam ille initio disertum posuerat statum quæstionis, An vna & eadem numero litera, plures sensus literales habere queat. At pars maxima harum viarum siue modorum, discedit ab hac vna eademque numero litera: nempe, prima, secunda, & quarta, & quinta. Neque enim sano cuiquam Salmero persuadebit eandem numero literam esse, דקרי & דקדו; cum omnino verbum ipsum fiat prorsus aliud. Simile in Paulo, 12. ad Romanos: *Seruientes Domino*: τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες; vel τῷ καιρῷ δουλεύοντες; *Tempori seruientes*: quod factum sine dubio ex vicinitate vocum. Et tamen Thomas non eandem dicit literam, sed aliam: *Domino seruientes scilicet*, inquit, *seruitute latriæ quæ soli Deo debetur*: *Vel secundum aliam literam*: *Tempori seruientes*. Et sic sæpe alias. Quod si alia est, & alia litera; Ergo non eadem numero. Et hoc tamen necesse est: nam alioquin nemo negat diuersas literas diuersos habere sensus. Norunt autem, qui Hebraice docti sunt; notas illas circulares quarum Salmero meminit, vocabulis in textu Hebræo impositas, id habere officii, vt lectorem admoneant consulendas esse annotationes Massoræ, in quibus diligenter annotantur, & emendantur huiusmodi lectionis varietates; notando quid scriptum sit, quid legendum.

IV. Quarta via non est absimilis: mutatæ enim vocales, quibus significandis Hebraice puncta seruiunt; necessario mutantur vocabula. Nam quamuis eædem maneant literæ, quibus solis plerumque vocabula scribuntur: tamen hoc proprium est Scriptionis, id est, picturæ: non autem naturale ipsi vocabulo; quod nullum vnquam quocunque idiomate absq; vocalibus potuit proferri. Non est autem solis Hebræis proprium, vt mutentur vocabula, mutatis vocalibus: sed commune omnibus linguis: Nam & Græce aliud est φίλον aliud φιλῶν & Latinis aliud *amico*, aliud *amice*. Sed Hebræis hoc demum est proprium, vt vocales non scribant. Est autem scriptio tantum signum vocabuli, non autem vocabulum ipsum. At cum literam nominamus, quis putasset tam futurum quenquam Sophistam, qui linearum ductus, quibus literæ significantur, neque aliud intelligeret?

V. Nec diuersa ratio Quinti modi. Nam oratio constat non solum ex singulis vocabulis, sed etiam ex eorum inter se constructione. Itaque non tantum mutatis vocabulis, vt prius: sed etiam mutata constructione necesse est mutari orationem: Ideoque & literam, quo sensu, litera nominatur in hac quæstione, pro textu, quem & ipse Salmero nominat. Quare Thomas in illum locum, ex 1. Ioannis, postquam exposuit, eam constructionem, quæ illud *quod factum est*, distrahit à præcedentibus, & connectit sequentibus, *Augustinus aliter legit*, inquit. Quomodo aliter legit, si non est alia litera? Et si est alia, quomodo vna & eadem numero? Et si non est vna & eadem numero, quid miraculi, si varii sit sensus?

VI. Sed longe absurdior est quarta via. Cui enim se persuasurum sperauit Salmero, vnam eandemque esse literam, & quidem numero vnam eandemque cum textu Hebræo? Versionem Septuaginta, aut Hieronymi: etiam quum à textu Hebræo discedit? Quid? vt vna eademque numero litera sit, Hebræa, apud Ionam, *Adhuc quadraginta dies*: & apud Septuaginta, *Adhuc tres dies*? Item apud Septuaginta Genes. 47. *Adorauit Israel Dominum, conuersus ad lectuli caput*, & in editione Latina, *Adorauit ad fastigium virgæ*? Credat aliquis, cui cæca obedientia est pro ratione, vt porcis olim, quidam dicebat animam esse pro sale. Atqui mirum si quisquam dicat, vnam eandemque numero literam esse posse à variis autoribus: At hæ literæ sunt à variis autoribus: non enim idem Septuaginta, qui Hieronymus: neque idem Septuaginta & Hieronymus, qui Propheta. Omnino ergo fieri non potest, vt sit vna eademque numero litera.

VII. Supersunt tertia & sexta via, quas certe distrahi non oportuit: Quorsum enim, nisi vt numerus affectaretur? Nam & ideo putem distractam editionem Septuaginta, ab editione Hieronymi, quas ego coniunxi in quarta via: quia ipse Salmero dixit vtramque in idem recidere. Sed hic cur non aduertit? Nam tertia est ambiguitas vocis: Sexta autem multitudo significationum. Atqui ea nihil est aliud quam ambiguitas; vt in tertia בר & filium, & frumentum, & purum significat. Hic autem libenter damus, non tantum occurrere in Scripturis voces ambiguas, sed etiam orationes amphibolas: ac proinde ex iis sensus posse elici varios. Sed dicimus in eo quæstionem versari nostram; vtrum qui ex iis siue homonymis vocabulis, siue amphibolis orationibus, educuntur sensus, omnes sint literales. Et asserimus non posse: sed esse ex iis omnibus variis sensibus, vnum solum, vere appellandum literalem.

VIII. Ratio nobis vna instar omnium, à definitione. Aut enim retexenda sunt quæ cap. præced. dicta sunt de definitione sensus literalis: dicta autem non à nobis, sed ab ipsis Papistis: aut id concedendum quod nunc dicimus. Primo enim sensus literalis is dicebatur, quem autor intendit per vocabula: siue primum significare voluit. Deinde, qui accipiendus sit cum consideratione circumstantiarum literæ ex præcedentibus, & consequentibus. Nam hæc nulla possunt consistere cum hac sensuum multitudine. Sed id fiet luculentum in refutandis aduersariorum argumentis.

CAP. III.

Argumenta Papistarum de multiplici sensu literali.

I. PRimum Argumentum esto ab infinita & incomprehensa Dei Sapientia: quæ hoc proprium sibi reseruauit, vt sicut vnico æterno Verbo se totum, & omnia dicit; ita vno suo verbo scripto possit multas veritates docere, & multos errores confutare.

II. Respondeo, Deum vno suo Verbo scripto multas veritates docere & multos errores confutare. Sed id fieri, tum variis locis, ac proinde variis sensibus: tum vnius loci sensu, non multiplicato, verum applicato. Sic remissionem peccatorum, & vitam æternam, & supplicium æternum, idem docet verbum scriptum, sed variis locis. Matthæi 6. *Remitte nobis debita nostra*. Et 25. *Ibunt hi in supplicium æternum*: *iusti autem in vitam æternam*. Sic & scortationem; & furtum, & odium, & mendacium prohibet, vno eodemque loco; Matth. 5. *Estote perfecti*: *vt pater vester, qui est in cælis, perfectus est*. Hæc sunt absque controuersia.

III. Sed hoc sibi Deum reseruauisse, vt multa diceret vno eodemque verbo, id est, vt vna eademque litera varios sensus literales complecteretur, somnium est. Alioquin cedo tabulas. Nam de Iesuitarum diuinationibus, liceat mihi cum bona eruditorum venia illud Augustini, de Doctrina Christiana libri 2. c. 25. παρῳδίαν. Millia fictarum fabularum, & falsitatum, quarum mendaciis homines delectantur, Iesuitica instituta sunt. Certe nos iampridem nouimus, quam sibi omnia temere permittant. Enimuero, quis mihi persuadebit, hoc sibi Deum reseruasse proprium, vt si quis, aut imperitus, aut luscioſus scriba, nō bene distinxerit inter אמרו & אסרו: aut si cuius temulenta manus דקדו scripserit pro דקרו: vtrumque tamen ipsi Deo imputetur? Hoc credo superest, vt, quia Bellarminus, qua est ingenii subtilitate, excogitauit illud Psalmi quarti כבודי לכלמה scribi posse כבודי לבלמה: de Verbo Dei libri 2. c. 13. Et Psalmo 31. בחרביניקיץ, legi posse, בחרבוניקוץ: iam sint totidem sensus literales: Et frustra Bellarminus dixerit textum esse corruptum.

IV. Secundum argumentum. Potest Deus iisdem rebus plura significare ob diuersas proprietates, quæ rebus insunt: ergo etiam plures sensus, siue literales in verbis proprijs, tropicis-ve: siue spirituales, ex rebus vere gestis, spectare.

V. Respondeo, non quæri quid possit Deus: sed quid voluerit. Agimus enim de Scriptura, quæ est iam certa & determinata. Est autem potentia Dei infinita: & ad quidlibet indeterminata: sed eius potentiæ tamen effecta sunt finita & determinata. Sic antequam crearet Deus, poterat mundos infinitos, & omnium formarum, condere: sed quum creauit: vnum tantum creauit, & vnius formæ. Sic nos Verbum Dei consideramus, non quale Deus, si vellet, posset proferre: sed quale protulerit. Hoc igitur ita prolatum, sic negamus esse multiplicis sensus: quomodo mundum multiplicis figuræ.

VI. Itaque negatur consequentia. Nam etsi eædem res possint multa significare; quia, vt notat Augustinus de Doctrina Christiana libro 3. cap. 25. *multis modis res similes rebus apparent*: Tamen in singulis locis res quælibet certis circumstantiis arctatur. Gerson autem præscripsit, sensum literalem sumendum ex circumstantiis præcedentibus & sequentibus. Sic Samaritanus, qui nominatur à Christo, ad declarandum, proximum esse, quicunque alicui facit bene, ita debet hac circumstantia circumscribi, vt non significet quicquid pro arbitrio quilibet somniarit. Itaque, qui ad Adamum excurrunt, eumque Sacerdotem, Christum Samaritanum: Hierusalem paradisum, Hierico hunc mundum, & nescio quid aliud interpretantur: obseruant illi quidem fortasse rerum variam similitudinis rationem: at illi profecto non insistunt circumstantiis textus. Quare, quicquid dicant, non eliciunt literalem sensum.

VII. Tertium argumentum: Si ex rebus, vel metaphorice sumptis, vel vere gestis, possunt plures sensus haberi: ergo & ex vocibus, quæ prægnantia, & multa significata continent: & in vnum vsum solum seruiunt, vt repræsentent, poterit prudens lector plures sensus historicos accipere.

VIII. Respondeo: negari consequentiam. Nam sensus literalis, siue historicus is est, qui immediate, vt inquit Bellarminus, elicitur a litera: itaque subalternatus nullus dici potest literalis, siue historicus. Alioquin certum est multa capita posse ad vnum eundemque locum referri: qui aliquid significet generale, &, vt loquitur Salmero, prægnans. Sic, quia Deus dixit: Non habendos Deos alienos: hoc vno præcepto recte quis inferat prohiberi non Iouem tantum, sed etiam Saturnum, & Venerem, & Martem. Nam is locus prægnans hos omnes comprehendit: sed non immediate. Nam sic Deos alienos significat, non specifice hunc illum-ve. Mediate igitur, nempe quia illi continentur in hoc prægnante sensu, Dii alieni: Sic non occides, prohibet sicarios, & veneficos, & parricidas, & ἀνθίντας: quia hi omnes occidunt. Sed plures sensus immediatos, ex vno loco elici, abhorret à mente sana: quantumuis sit verum ex rebus posse multa per similitudinem coniici. Recte enim Augustinus. *Quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus*. Cap. 25. lib. 3. de Doctrina Christiana. Quamobrem, etiamsi Leo diabolum repræsentet apud Petrum, tamen quum nominatur Leo Iudæ, nego Diabolum significari: aut vicissim, quamuis Leo significet Christum; nego tamen apud Petrum intelligi Christum. Ratio certissima, quia loci circumstantiæ non conueniunt. Quid ergo? Nempe prudens ille quisquis est lector, non est prudens, si occasione vnius vocabuli excurrat pro arbitrio in varios sensus, neglectis loci circumstantiis.

IX. Argumentum quartum, à locis Scripturæ obscuris: quos Deus ob eam caussam difficiles reddidit, vt plures sensus habere possemus. Danielis 12. *Tu autem Daniel, claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: plurimi transibunt: & multiplex erit scientia*. Vbi Hieronymus: *Præcepit vt inuoluat sermones, signet librum: vt legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem diuersa opinentur*.

X. Respondeo, sumi falsum: ideo voluisse Deum obscuros esse quosdam locos, vt plures sensus habere possemus. Nec procul excurrendum, vt absurditas pateat: implicatur enim contradictio. Quia obscurus locus ex vsu communi is dicitur, cuius sensus literalis latet. At si habetur, non latet. Itaque cuiuscunque loci habetur sensus literalis; is obscurus dici non potest. Quare perinde est ac si diceret Salmero, Deum voluisse nonnullos locos esse obscuros, vt nulli loci essent obscuri. Egregie: & Iesuitice

VI. Nec Danielis locus fauet Salmeroni. Nam illud, *Claude sermones, & signa librum*, significat omnino neminem assequutum sensum eius libri donec tempus constitutum impleatur. Itaque recte ab Hieronymo confertur cum alio ex Esaiæ 29. *Et erunt sermones libri istius, quasi verba voluminis signati: quod si dederint homini nescienti literas, dicentes ei, Lege: respondebit, Nescio literas. Sin autem dederint illud homini scienti literas, & dixerint, Lege librum: respondebit: Non possum legere: signatus est enim*. At libri eius, qui non legitur, quis sensum habere potest? Quum ergo Propheta dicat librum obscurum similem esse clauso: ergo tantundem esse oportet, ac si non legeretur: proindeque necesse est non intelligi; id est, non haberi

beri sensum literalem. Itaque Hieronymus: *Legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem, diuersa opinentur.* Historiæ veritas est sensus literalis. Quærent ergo sensum literalem: hoc est, non habebunt. Quid ergo? Varia opinabuntur. Ergo hæc opinio erit tantum, non historiæ veritas. Quare non habebunt sensum literalem.

XII. Quintum argumentum à multitudine doctorum. Quia, si vnus tantum sensus admittendus esset, bona pars Commentariorum veterum Patrum, & librorum, quos magno studio elucubrarunt, nobis interierit. At consequens est absurdum: quia iniurii videri possemus Patribus nostris, imo Spiritui Sancto: qui eos in Ecclesia Dei posuit, tanquam fulgentissima lumina, quæ mentium nostrarum tenebras discuterent, & Scripturas aperirent. Imitari etiam videremur Hæreticos, qui libenter hanc ansam arriperent, quo Veterum doctrinam condemnarent: & in eos contumelios os se præstarent. Tertio, expedit potius Doctorum sententias, & interpretationes, quæ veritati aut contextui, aut rationi non officiunt, ita accipere, vt valeant & robur habeant: quam faciles esse ad labores & vigilias Patrum contemnendas. Consequentiæ autem ratio est: Quia Patres varii, vnum eundemque locum varie exponunt. Imo non tantum varii, sed & singuli pro ratione locorum & temporum, teste Hieron. lib. 1. contra Rufinum.

XIII. Respondeo, negari consequentiam. Nam etsi iampridem Origenis ratio interpretandæ Scripturæ improbata sit: tamen non perierunt nobis eius labores. Et multa sunt exempla similia. Ratio autem manifesta: quia primo non omnes locos Scripturæ Veteres tam varie exponunt: Est enim vbi consentiunt: & quidem sæpissime. Quare etsi alias dissentiant, tamen vtilissimi sunt, quum consentiunt. Secundo, etsi dissentiant in singularium locorum sensu, tamen in controuersiis vtiles sunt; quia consentiunt. Et ita misertus est Dominus eorum infirmitatis; vt dum male argumentantur, tamen bene concludant: Abutuntur enim multis locis ad vera dogmata confirmanda: ita, etsi antecedens forte sit debile, tamen conclusio Ecclesiam ædificat.

XIV. Quid ergo? Nempe ex eo antecedente hoc tantum sequitur: In operibus Patrum esse locos quosdam singulares non probandos. At hoc semper licuit: teste vel ipsa Veterum discrepantia: Nam si alii aliorum dicta omnia probare tenerentur, nemo post priores interpretes, noui quicquam esset commentus: & Augustinus de Pauli officioso mendacio nunquam ab Hieronymo dissensisset. Imo, teste ipso Salmerone: qui non est ausus asserere omnes interpretationes Veterum retinendas: sed eas duntaxat quæ veritati, quæ contextui, quæ rationi, non officiunt. Quo ipso agnoscit inueniri quasdam, quæ veritati, quæ rationi, quæ contextui officiunt: & has non retinendas.

XV. Incommoda ergo Salmeronis nulla sunt. Nam neque iniuria fit vlla Patribus, quum modeste discedimus ab iis, si quando à vero deflexerunt: vt à Cypriano, & Hieronymo Augustinus: qui etiam in genere præscripsit Epistola 19. *Alios*, id est, non Canonicos, *ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Et de Baptismo contra Donatistas libri 2. c. 3. *Episcoporum literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur: & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris: & per aliorum Episcoporum grauiorem autoritatem, doctioremque prudentiam, & per Cõcilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deuiatum sit.* Nec verum est hanc vllam esse hæreticorum imitationem. Quis enim suspicetur de Augustino? Captent illi quas voluerint ansas contumeliarum in Patres: At Catholici facile distinguunt inter hæreticorum temerariam insolentiam, & brutorum pecudum cæcam obedientiam.

XVI. Veterum eas sententias retineri, quæ neque veritati, neque textui, neque rationi officiunt: ego vero vehementer laudo. Sed retineri varios sensus literales vnius eiusdemque literæ; hoc vero, & veritati, & textui, & rationi officit. Veritati, quia vnius indiuiduæque rei, vnica veritas est, & constans, non varia. Ab ea quicquid discedit, verum esse nequit: falsum autem non potest non veritati officere: &, vt non aliter, saltem hoc ipso, quia veritatem occultet. Textui officit, quia abducit ab eius vnico vero sensu. Rationi denique, quia in explicando contextu, hæc ratio est summa, vt eius verus literalis sensus inuestigetur, siue, vt Hieronymus loquebatur, vt quæratur veritas historiæ.

XVII. Sextum argumentum Thomas sufficit parte 1. quæst 1. art. 10. Quia sensus literalis est quem autor intendit: autor autem Sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconueniens, si etiam secundum literalem sensum in vna litera Scripturæ plures sint sensus.

XVIII. Sed Thomas pueriliter ludit. Non enim quicquid Deus intellectu concipit, id intendit. Quia in hoc argumento Intendere, est dicendo exprimere. Alioquin, quia, vt ponit Thomas, omnia simul suo intellectu concipit, etiam omnia intenderet: ac proinde non tantum essent vnius loci multi sensus: sed omnes sensus eidẽ loco congruerent: & cum dictum est: *Fiat lux*: idem significaretur, ac cum dictum, *Germinet terra herbam virentem*: imo etiam, *Non occides*: Et quid non? Secundo hæc varietas sensuum non esset propria paucis locis, sed communis omnibus. At Bellarminus consentit non inueniri in omnibus locis sensum multiplicem. *Non inuenitur*, inquit, *spiritualis sensus in omni sententia Scripturæ: nec in Testamento Veteri, nec in Nouo. Illud enim, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Deuteronomii 6. & Matthæi 22. & similia præcepta, non habent nisi vnum sensum, id est, literalem.* Hoc igitur dico: etsi Deus omnia simul & semel intellectu suo comprehendat: & idem author sit Scripturæ: tamen falsum plures esse literales sensus vnius literæ.

XIX. Ratio certa: prima, quia quum intellectus sit infinitus: at verba, quibus Scriptura constat, sunt finita: altera, quia iis verbis Deus vtitur accommodate, non ad suum intellectum, sed ad nostrum. At noster intellectus non tantum non potest simul & semel, id est, vno actu omnia comprehendere: sed ne multa quidem, nisi subalternata. Nam si animal concipio; eodem actu non est difficile concipere quæcunque animalia sunt: hominem, equum, bouem, canem, piscem: At si animal concipio, impossibile est eodem actu me concipere ignem, aquam, aerem. Quum ergo nostri, non sui gratia, Dominus loquatur in Scriptura, id est, ad iuuandos, dirigendosque intellectus nostri actus: tum vero necesse est, non plures vno sensus expressos singulis locis: alias non iuuaret, sed obrueret intellectum nostrum.

XX. Redeo ad Salmeronem, à quo mihi est septimum argumentum, illi tamen primum, ab experientia. Nimirum, quia Paulus varie interpretatur vnum eundemque locum. Exemplum primum. Illud ex Psalmo 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es: ego hodie genui te*: Primo de æterna generatione, 1. ad Hebræos: & de gloriosa Christi à mortuis resurrectione, Actor. 13. & de promotione ad Sacerdotium, ad Hebræos 5. Posset etiam intelligi de generatione temporali ex Virgine: & denique de manifestatione: qua effecit Pater, vt intelligerent homines Christum esse Filium Psalmo verba נשקו בר, quadruplicem habent sensum, & verum, & literæ consonum: nempe, *Adorate Filium*: & *Adorate pure*: & *Osculamini triticum*: & *Apprehendite disciplinam.* Tertium exemplum; Esaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viuentium.* Hoc Veteres interpretantur: alii de diuina generatione: alii de humana ex Virgine. Sunt rursus qui ad resurrectionem referant; sunt qui ad generationem Christi passiuam: hoc est, ad eos quos Christus erat regenituras: sunt qui ad gesta & acta Christi. Quartũ exemplum Ioannis 11. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo: & non tota gens pereat*: in quo vnus sensus erat Caiaphæ: quum tamen alterum lo. annes conceperit. Quintum exemplum, Danielis 9. *Et erit in templo abominatio desolationis*: quod in Maccabæis impletum dicitur: & à Christo tamen prædicitur implendum, Matthæi vigesimo quarto. Sextum exemplum, ex Geneseos 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: quorum verborum Augustinus libro. 12. confessionum, cap. 20. quinque sensus numerat: vnum, In Verbo suo sibi coæterno fecit Deus intelligibilem atque sensibilem creaturam: secundum, In Verbo sibi coæterno fecit molem vniuersam mundi corporei: tertium, In Verbo suo condidit informem materiam creaturæ spiritualis & corporalis: quartum, In Verbo suo condidit informem materiam creaturæ corporalis, vbi confusum erat cœlum & terra: quintum, In exordio faciendi, atque operandi fecit confusam materiam. Post Augustinum Procopius colligit alios quinque: In principio temporis: vel, vice fundamenti: vel, ad finem bonum: vel, suo imperio: vel, pro capite, siue tanquam aliarum creaturarum caput. Septimum exemplum, ex Esaiæ 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Nam Matthæus 8. c. interpretatur de morbis corporalibus, quos Christus depulit: At Petrus 2. primæ, retulit ad peccata. Octauum exemplum, Habacuc 2. *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem & non mentietur. Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet.* Hæc dicuntur de primo Christi aduentu: & tamen Paulus decimo ad Hebræos de secundo interpretatur. *Patientia vobis necessaria est*, inquit, *vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem. Adhuc enim modicum, aliquantulumque, qui venturus est, veniet, & non tardabit: Iustus autem meus ex fide viuet.*

XXI. Respondeo, etiam his omnibus locis esse vnicum singulis suum sensum literalem. Et ita sensisse Vasquem. Singula examinemus: sed seorsim ea quæ constant ex Scripturis: tum illa, quæ ex hominum coniecturis. Sed prius distinguo verum sensum, dicitur enim, vel absolute & ad se, nimirum, qui nihil proponit falsi, aut impii: Vel relate ad locum, de quo est quæstio; vt sit vere is sensus literalis, quem is locus exigit. Et priori modo, concedo ad eundem locum varios posse interdum conferri sensus; omnes in se veros. Posteriori autem modo, non item, & hæc nostra quæstio est. Non sequitur autem, vt qui verus est sensus priori modo, sit verus etiam secundo: quomodo contra certum est, si sit verus secundo, etiam primo verum esse: quia Scriptura nihil admittere potest falsi. Sic, etsi verum Christum passum esse sub Pontio Pilato, verus sensus sit: tamen is non est verus sensus eius loci, quum dixit Euangelista, Christum esse à Ioanne baptisatum.

XXII. Primus ergo locus est ex Psalmo 2. *Filius meus es tu: hodie genui te.* Eius dico vnicum esse literalem sensum; nempe de æterna Filii consubstantialis generatione. Quia, *Hodie*, non potest eo loco nisi de æternitate intelligi: & sic Paulus interpretatur 1. ad Hebræos. Obiicit. At idem interpretatur de resurrectione, Actor. 3. & de Sacerdotio, ad Hebros 5. Respondeo hæc falso sumi. Nam Actor. 13. ita lego: *Nos quoque vobis euangelizamus eam promissionem quæ Patribus facta est, Deum expleuisse filiis illorum nobis, excitato Iesu: vt etiam in Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Vbi non de resurrectione sermo est; sed de promissione Patribus facta, posterisque præstita. Nam quod Latinus dixit, *resuscitans*, imposuit Salmeroni & aliis. Græce est ἀναστήσας, quod verbum, etsi vsurpatur de resurrectione: tamen non semper. At resuscitare ad resurrectionem tantum pertinet: itaque contractius est. Quid igitur? Nempe hoc loco eius verbi is vsus est, qui in Deuteron. 18. & Actor. 7. Προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος: *Prophetam suscitabit vobis Deus.* De resurrectione autem Paulus statim post agit, & probat alio loco: *Quod autem excitauerit eum*, Nota, *quod autem*: & agnosce diuersitatem subiecti, *Quod autem excitauerit eum à mortuis*, & rursus nota verbum αὐξάνειν, vsurpatum de resurrectione; at non solum, sed cum *ex mortuis*, vt sit periphrasis. *Quod autem excitauerit eum è mortuis, non amplius reuersurum in sepulcrum, ita dixit: Dabo vobis firmas illas Dauidis beneficentias.* Hæc cum ita sint, cætera sunt facilia: cum enim agat Paulus de promissionis exhibitione, tũ vero procliue erat asserere Christum esse Deum. Consentit Caietanus: *Dixerat*, inquit, *Iesum esse Messiam testimonio Ioannis Baptistæ, & ipsum esse illum de quo facta est repromissio ad Patres antiquos: & ad hoc adfert hanc secundi Psalmi autoritatem, testificantem diuinitatem Messiæ, dicendo, Ego hodie genui te. Is enim de quo semper verificatur, ego hodie genui te, filius est æternus, nec temporaliter, sed æternaliter generatur.*

XXIII. De 5. ad Hebræos, facilius est negotium; *Christus non sibi hunc honorem tribuit, vt fieret Pontifex: Sed is qui dixerat ei, Filius meus es tu: ego hodie genui te: sicut & alibi dicit, Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Vbi tu mihi duo vide: Primo, descriptionem eius à quo vocatus est Christus, deinde ipsam eius vocationem. Ad personam illud

illud pertinet ex Psalmo 2. nimirum vt doceat ab ipso Deo Patre Christum fuisse vocatum. Ad vocationem posterius ex Psalmo centesimo decimo. Itaque hîc etiam locus ille pertinet ad æternam generationem.

XXIV. Secundus locus ex Ioannis 11. cum Caiphas prophetâre dicitur. Hic vero respondeo ex Clichthoueo in eundem locum. *In propositione Cayphæ, duplex continetur sensus, vnus ipsius Cayphæ, qui modo explicatus est, expedire scilicet Christum mori per manus Iudæorum, ne tota ipsorum gens à Romanis pereat, & hic falsus est, & impius.* Et post, *Alter vero erat eiusdem propositionis sensus à Spiritu Sancto intentus: expedire scilicet vnum Christum mori pro populo totius mundi saluando: vt non tota gens humani generis pereat interitu æternæ mortis. Et hunc neque intellexit Cayphas, neque intendit: suam tamen propositionem ita protulit, vt posset & hunc Spiritus Sancti sensum apte atque accommodate designare.* Et consentit Iansenius: imo & Maldonatus. Ex quibus obseruo primum: Cayphę sermonem fuisse ambiguum: ita vt in varios sensus deduci posset: nec enim ille expressit quomodo expediret Christum mori. Secundo, varios illos sensus esse variorum autorum: vnum nempe Cayphę: alterum Spiritus Sancti: & ita, vt neque sensum Spiritus Sancti Cayphas intenderet: neque sensum Cayphæ Spiritus Sanctus: vtpote impium, & falsum. Nihil ergo iam difficile. Nam ab initio posuimus sensum literalem illum esse, quem autor intendit. Iam hic geminus autor est hinc Cayphas, inde Spiritus Sãctus. Vtrumlibet statuas, vnicus erit sensus literalis. Si Caypham, is qui impius est, & Iudęos concitabat ad illud immane facinus: nam de redemptione generis humani, nihil Cayphas cogitauit. Si Spiritum: is qui pius est, & agit de redimendis hominibus. Nam Iudęorum perfidiam Spiritus non intendebat. Porro non est nouum, eadem verba pro variis autoribus varios sensus induere. Sibylla de Christo est vaticinata: at Virgilius id ipsum vaticinium Augusto applicauit. Apud Iudæos certum erat venturum ex Iudæo, qui toti orbi imperaret: id de Christo verum erat: & tamen sibi Vespasianus, imo & Vespasiano adulatores applicarunt. Hæc cum ita sint, & ab initio constitutum sit, literalem sensum esse eum, quem autor Scripturæ intendat, non quilibet, sed Spiritus Sanctus, vel etiam is, qui Spiritu Sancto directore loquutus est: ergo hoc loco huiusmodi sensus vnicus est, quod nos quærimus.

XXV. Illud ex Danielis 9. de Abominatione desolationis, ad literam citatur à Domino de ea desolatione, quæ futura erat in destructione vrbis Sanctæ post Christi mortem. Neque hoc sensu plures veri sunt. Nam de Maccabæis quid dicam? Primo indignum est comparari Christo Domino, autorem Apocryphum. Secundo Pererius Iesuita, in Danielis 9. diserte pronunciat, non bene ad Antiochi tempora referri hanc Prophetiam: *Hæc Gabrielis,* inquit, *non bene applicari ad illud Antiochi idolum, patet tribus argumentis.* Tum argumenta explicat: primum, quia hæc desolatio prædicitur propter Christum crucifixum: secundum, quia dicitur futura in finem: iterum, quia Christus aliter exposuit. Hæc, sed fusius, Pererius Iesuita, contra Salmeronem Iesuitam: manifesto transiens in nostrã sententiam: quum ex circumstantiis textus sensum literalem metitur. Quid? quod neque autorem Maccabæorum Pererius patitur à Salmerone in hanc rem citari? Nam ille contendit non esse in ea sententia, vt Gabrielis verba citauerit pro Idolo Antiochi. Qua de re ille viderit, quomodo cum suo Salmerone transigat: Nobis non est tanti autor ille quisquis fuit, vt multum laboremus in eius peccatis excusandis: neque rursus tam nihili, vt non facile admittamus excusationes, si quæ sunt rationabiles: vt valeat, si forte, illa Vasquis, citari per accommodationem.

XXVI. Esaiæ 50. illud de doloribus & languoribus nostris à Christo portatis, Matthæus exponit de morbis corporalibus: & Petrus de peccatis. Atqui Franciscus Lucas negat à Petro citari hunc locum. *Quod Apostolus Petrus habet prioris Epistolæ 2. c. versu 24. potius id sumptum est ex versibus quinto, sexto, octauo, vndecimo, capitis quinquagesimi tertii apud Esaiam.* Et sane à Petro neque vllus citatur locus: neque huius loci verbum vllum, præter illud vnicum, *portauit*. Quod si toties citari volumus hunc Esaiæ locum, quoties vel vnicum eius vocabulum occurrerit, quis non videt, quo simus tandem ineptiarum deuenturi? Deinde, etiamsi concederemus citari hunc ipsum locum: non sequetur tamen multiplicem esse sensum literalem: Nimirum non subordinatum, quomodo disputamus. Nam quia Prophetæ verba vniuersaliter nominant morbos & languores: possunt autem hi diuidi in corporales, & spirituales: certe nihil obstat, quominus vno eodemque sensu literali, vtrique comprehendantur: quo modo, si quis dicat Dominum tulisse, tum febrem, tum paralysin: non is huius loci geminum sensum literalem statuet: sed vnicum tantum. Nam etsi alia sit febris, alia paralysis, tamen vtraque in morbis numeratur. Licet tamen etiam aliter. Quia solebat Christus medendo infirmitatibus corporis, etiam peccata, earum causas tollere: vnde illi frequens, *Remissa sunt tibi peccata tua: Fides tua saluum te fecit.* Quo indicauit se hoc tanquam præcipuum & *αὐτὸ τὸ ἔργον* efficere, illud autem tãquam *πάρεργον*, & accessorium quid: sed coniunctum tamen, atque adeo vnum propter aliud. Bene ergo Euangelista tulisse languores nostros, dixit, quum ageret de languoribus corporis: non alio tamen, sed subordinato sensu.

XXVII. Habacuc 2. Prophetia est de primo Christi aduentu: at Paulus interpretatur de secundo. Imo de primo Christo aduentu non est specialiter eo loco prophetatum. Cyrillo certe iudice, non nisi mystice: Ὅσον δὲ αὖ πρὸς λόγους τοὺς μυστικούς, καὶ ὡς ἀφήγησιν τὴν πνευματικὴν φαίην ἂν ὅτι περὶ τοῦ πάντων ἡμῶν σωτῆρος Χριστοῦ νοοῖτ' ἂν εἰκότως τῶν προκειμένων ἡ δύναμις. *Quod ad interpretationem mysticam, & narrationem spiritualem attinet, ad omnium nostrûm Saluatorem Christum merito verborum propositorum intelligentiam referendam dixerim.* Consentiunt autẽ Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Prophetam loqui de suæ Prophetiæ euẽtu. Vnde & Carthusianus. *Quia adhuc visus procul: id est, non statim implebitur, quod mihi de praeinducta quæstione Deus respondit, vel reuelauit: videlicet, quod contẽptores ac reprobos vult in præsenti ad tẽpus florere, donec impleatur in eis deiectio quã talibus peccatoribus cõminatus est Dominus.* Ergo manifesta res est. Nam neq; Paulus de secundo Christi aduentu interpretatur: sed de constantia fidelium in exspectandis Dei promissionibus. Itaque idem apud Paulum sensus est literalis, qui apud Habacuc.

XXVIII. Percurri exempla, quæ ex sola Scriptura petita sunt à Salmerone: Reliqua supersunt quæ à vario hominum iudicio: de quibus breuiter respondeo. Primo non sunt hominum peccata imputanda Spiritui Sancto. Peccata appello, tum illud, *Apprehendite disciplinam*, de quo allas actum: Tum illa Procopii, *In principio*, id est, pro imperio suo, vel pro capite creaturarum. Nam etsi ἀρχὴ Græce imperium & authoritatem significet, tamen Hebraice בראשית non potest in eum sensum flecti: ac ne Græca quidem phrasis ἐν ἀρχῇ facile patiatur. Item, etsi vocabulum Hebræum deducat à ראש capite: tamen non id significat. Et hac vna cautione multa huiusmodi exempla explicantur. Enimvero infinita quis peccata inueniet in interpretanda Scriptura: tum occasione Versionis deprauatæ: tum non satis modestatæ curiositatis impetu.

XXIX. Secundo: negari non potest varie variorum etiam piorum virorum ingenia sese exercuisse in interpretandis Scripturis: atque hinc fieri, vt non tantum his locis, quos indicauit Salmero, sed etiam aliis infinitis, diuersitas sensuum nimia sit. At esse propterea vnius eiusdemque literæ varios sensus, hinc confici non potest: sed tantum non ab omnibus comprehensum. Augustinus disertus testis, Confessionum libro 12. cap. 8. *Omnes quidem qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille quem legimus: & cum eum veridicum credimus, nihil quod falsum esse vel nouimus vel putamus, audemus eum existimare dixisse. Dum ergo quisquisque conatur id sentire in Scripturis sanctis, quod in eis sensit ille qui scripsit, quid mali est si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendis verum esse: etiam si hoc non sensit ille quem legit: cum & ille verum, nec tamen hoc senserit.* Et cap. 24. ac 30. multus est in hac ipsa re: vnde nos conficimus; posse quidem multa verba Scripturæ in multos sensus trahi ab expositoribus: sed non esse tamen omnes eos sensus literales.

XXX. Exsolui argumenta. Proximo loco sunt Patres. Augustinus Confession. 12. c. 30. *In hac diuersitate sententiarum verarum, concordiam pariat ipsa veritas: & Deus noster misereatur nostri, vt legitime lege vtamur præcepti fine pura charitate. At per hoc si quis quærit ex me, quid horum Moyses ille tuus famulus senserit, non sunt hi sermones confessionum mearum, si tibi non confiteor, nescio: Et scio tamen illas veras esse sententias, exceptis carnalibus, de quibus quantum existimaui, loquutus sum.* Cap. 31. *Ita quum alius dixerit, hoc sensit quod ego: & alius, imo illud quod ego: religiosius me arbitror dicere, cur non vtrumq; potius, si vtrumq; verum est? Et si quid tertiũ, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non omnia illa vidisse credatur, per quem vnus Deus Sacras literas vera & diuersa visuris, multorum sensibus temperauit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen autoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, vt quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam vt vnam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, vt excluderem cæteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam præceps esse, vt hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitauit, cum scriberet, quicquid hic veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.* Et post, *Postremo, Domine, qui Deus es, & non caro & sanguis, si quid homo minus videt, nunquid & Spiritum tuum bonum, qui deducet me in terram rectam, latere poterat quicquid eras in eis verbis tu ipse reuelaturus legentibus posteris: etiam si ille per quem dicta sunt, vnum fortassis ex multis veris sententiam cogitauit? Quod si ita est, sit igitur illa quam cogitauit cæteris excellentior. Nobis autem Domine, aut ipsam demonstra, aut quam placet alteram veram: vt siue nobis hoc quod etiam illi homini tuo, siue aliud ex eorundem verborum occasione patefacias, tu tamen pascas nos, non error illudat. Ecce, Domine Deus meus, quam multa de paucis verbis, quam multa oro te scripsimus? Quæ nostræ vires, quæ tempora omnibus libris tuis ad istum modum sufficiant? Sine itaque me breuius in eis confiteri tibi, & eligere vnum aliquid quod tu inspiraueris verum, certum & bonum, etiam si multa occurrerint, vbi multa occurrere potuerint, ea fide confessionis meæ, vt si hoc dixero quod sensit minister tuus, recte atque optime, id enim conari me oportet.*

XXXI. Hieronymus in Prophetas, & alios libros Scripturæ scribens, non minus quasi textui consonam explicat editionem Septuaginta, quam Hebraicam veritatem: quod non faceret, nisi pro constanti haberet eandem literam plures posse sensus recipere. Idem ad Paulinum, *Apocalypsis Ioannis tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluimus: laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Idem in caput 3. ad Ephesios, *Singuli sermones, syllabæ, apices, & puncta, in diuinis Scripturis plena sunt sensibus.* Basilius procemio operis de Spiritu Sancto, viris Theologicis exponendos esse docet ipsos literarum apices, ipsas literas, & syllabas: nedum voces, & orationes. Chrysostomus, in Genesin homilia 21. obsecrat ne simpliciter ea, quæ in Sacra Scriptura continentur, accipiamus: quod multas sensuum habeant diuitias: quod dictata sint à Spiritu Sancto: neque syllabam aut articulum in Sacris literis esse, in cuius profundo non sit ingens thesaurus. Hactenus Salmero ex Patribus.

XXXII. Respondeo, non posse concludi hinc plures vnius literæ sensus literales. De Augustino agam postea: quia reliqui sunt faciliores. Hieronymus, Basilius, Chrysostomus asserunt singulos Scripturæ apices, singulas literas, singulas syllabas, nedum voces & orationes, mysteriis, & sensibus abundare. Ergo, eiusdem literæ varii sunt literales sensus. Negatur consequentia. Nam illi hoc tantum volunt: nullum vocabulum in Scripturis frustra esse positum: sed singula suum habere momentum magnum. Ita vt sint studioso Theologiæ diligenter examinanda. Probatur ex Basilio & Chrysostomo: nam Hieronymus concise dicit, non etiam explicat. Basilius acturus de particula ἐν & σὺν, à Catholicis vsurpata in solenni Trinitatis δοξολογίᾳ, præfatur non esse inutilem curiositatem: & laudat Amphilochium hoc nomine, quod ἐδικαίωσας ἀδιερεύνητον οἴει χρῆναι καταλιμπάνειν φωνὴν τῶν ὅσα περὶ Θεοῦ καὶ πᾶσαν χρείαν τοῦ λόγου φθέγγεται, *nullam censes*, inquit, *absque diligẽti inquisitione prætereundam*

dam vocem, quæ in quemcunque vſum de Deo veniat. Et poſtea explicans, τὸ ναὶ καὶ τὸ οὐ συλλαβαὶ δύο, ἀλλ᾽ ὅμως τὸ κράτιστον τῶν ἀγαθῶν ἡ ἀλήθεια, καὶ ὁ ἔσχατος ὅρος τῆς πονηρίας τὸ ψεῦδος, τοῖς μικροῖς τούτοις ῥήμασι πολλάκις ἐμπεριέχεται. *Næ, & non, duæ ſunt ſyllabæ. Verumtamen tum veritas omnium bonorum maxima, tum mendacium, quæ eſt nequitiæ extrema linea, paruis his vocabulis ſæpe continentur* Iam vero quis neſcit, hoc harum vocum momentum, non in eo ſitum eſſe, quod ſingulæ varios habeant ſenſus (non enim poſſunt plures vno) ſed quia hic vnus, quem obtinent, infinitam vim habeat? Præterea in ipſa diſputatione nunquam videas explicantem eius doxologiæ varios ſenſus: ſed tantum agere de vnico contra hæreticos: ſed eo maximo; nempe de æqualitate perſonarum in Trinitate.

XXXIII. Chryſoſtomus haud diſſimiliter, *Ego*, inquit, *omnes vos obſecro, ne ſimpliciter ea quæ in Scripturis Sacris contenta ſunt tranſeatis. Nihil enim hic ſcriptum eſt, quod non multas habeat ſenſuum diuitias. Quandoquidem diuino Spiritu afflati Prophetæ loquuti ſunt, ideo vti à Spiritu ſcripta ingentem in ſe continent theſaurum. Et ne mireris quod in hac nominum enumeratione multas latenteſque diuitias ſententiarum vobis me oſtenſurum pollicear. Neque enim vel ſyllaba, vel apiculus eſt in Sacris literis, in cuius profundo non ſit grandis quiſpiam theſaurus.* Vin' tu autem ſcire, quomodo theſaurum illum intelligat? Nam hoc omnino oportet attendere: quia dicit ſe pollicitum eſſe, oſtenſurum multas ſententiarum diuitias. Itaque aut has oportebit nihil aliud eſſe, quam eiuſdem literæ varios ſenſus literales: aut ſi non ſint, non intellexiſſe Chryſoſtomum hanc literalis ſenſus multiplicitatem. Exponens igitur locum Geneſeos. *Iſte eſt liber generationis hominum, die, quo fecit Deus Adam, ſecundum imaginem Dei fecit illum: maſculum & fœminam fecit illos: Et nominauit nomen illorum Adam, die quo fecit illos.* Ex iſtis vide quas ſententias Chryſoſtomus eliciat. Prima, *Quam graue malum ſit peccatum, quod qui agunt, ſe primum & maxime peſſundant.* Quomodo autem hoc elicit? Quia in repetenda hominum generatione, Moſes omittit Cainum, Lamechum & ſimiles, quaſi omnino nunquam extitiſſent. Mirabilis vero, magis quam ſeria ſubtilitas. Secunda: *Quantum honorem à conditore ſortitus ſit homo.* Vnde? Quia dicitur ad imaginem Dei factus, hoc eſt (ita enim interpretatur) princeps omnium viſibilium. En tibi theſaurum Chryſoſtomi. Atqui hi non ſunt eiuſdem literæ ſenſus varii: Sed in vno ſenſu variarum partium momenta. Vt ſi cum dicitur Homo animal rationale, quis ponderet, quid animalis nomine contineatur: & quid in rationali ſit momenti: nemo ſanus illum dicet varios exprimere ſenſus literales huius orationis, Animal rationale.

XXXIV. At Hieronymus non ſolum Hebraicam veritatem, ſed etiam Græcam verſionem interpretatur: etiam cum ab illa diſcedit. Fateor inquam: quid tum autem? Ergo putauit vnius, & eiuſdem literæ poſſe varios eſſe ſenſus literales. Hoc falſum eſt, inquam. Sequitur enim duntaxat alium eſſe ſenſum literæ Hebraicæ: alium literæ Græcæ: itaque duas eſſe literas. Deinde teſtatur Hieronymus in commentariis ſuis hunc ſibi morem eſſe, vt non quid probet, ſed quid legerit, ſignificet: Epiſtola 11. in 2. Tomo Auguſtini. Itaque etſi Verſionem Interpretum Septuaginta, & producat, & explicet, non ſequitur, illi eſſe perſuaſum, vnius eiuſdemque literæ multiplicem eſſe literalem ſenſum.

XXXV. Ad Auguſtinum venio. Ex quo dico haberi eiuſdem literæ plures eſſe poſſe veros ſenſus, ſed abſolute, & ad ſe veros: at non relate, veros ſenſus eius literæ. Probatur. Nam eiuſdem Confeſſion. libri 23. *Duo video diſſenſionum genera oboriri poſſe, quum aliquid à nunciis veracibus per ſigna enunciatur: vnum, ſi de veritate rerum alienum, ſi de ipſius, qui annunciat, voluntate diſſenſio eſt. Aliter enim quærimus de Creaturæ conditione, quid verum ſit: aliter autē quid in his verbis Moſes egregius domeſticus fidei tuæ intelligere lectorem, auditoremque voluerit.* Habes his verbis diſtinctionem à me propoſitam. Hoc primum: vnde manifeſto conficitur, non propterea eſſe literalem alicuius loci ſenſum, ſi quid ex eo, quod ſit verum, eruatur. Alioquin inepta eſſet, & φλυαρίας, atque ἀδολεσχίας plena diſtinctio: quia idem diſtingueretur à ſeipſo.

XXXVI. Hac poſita diſtinctione, Auguſtinus diſerte negat inter plures ſenſus veros poſſe facile diſcerni ſenſum literalem, id eſt, eum, quem nos appellamus verum, non abſolute in ſe, ſed relate ad textum. Cap. 24. *Sed quis noſtrûm ſic inueniet eam* (nimirum, vt paulo ante expreſſerat, *voluntatem tuam per voluntatem famuli tui*) *inter tam multa verba, quæ in illis verbis aliter atque aliter intellectis, occurrunt quærentibus, vt tam fidenter dicat hoc ſenſiſſe Moſem, atque hoc in illa narratione voluiſſe intelligi, quam fidenter dicit hoc verū eſſe, ſiue ille hoc ſenſerit, ſiue aliud?* Et cap. 30. *Si quis quærit ex me, Quid horū Moſes ille tuus famulus ſenſerit: non ſunt hi ſermones confeſſionum mearum, ſi tibi non confiteor, neſcio, & ſcio tamen illas veras eſſe ſententias.* En tibi! Auguſtinus proteſtatur, ſe ex multis propoſitis veris ſenſibus, ignorare quid illorum ſenſerit Moſes, id eſt, autor ille, per quem Deus Scripturam nobis diſpenſauit. Quam inepte, ſi omnes in ſe veri ſenſus, ſint etiam vere eius loci ſenſus.

XXXVII. Similes loci. De doctrina Chriſtiana lib. 3. c. 27. *Quando ex eiſdem Scripturæ verbis, non vnum aliquod, ſed duo vel plura ſentiuntur: etiam ſi latet quid ſenſerit ille, qui ſcripſerit: nihil periculi eſt, ſi quod libet eorum congruere veritati ex aliis locis locis Sanctarum Scripturarum doceri poteſt: id tamen eo canente, qui diuina ſcrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur autoris, per quem Scripturam illam Sanctus operatus eſt Spiritus.* De Ciuitate Dei lib. 11. c. 19. quum obſcuritatem diuini ſermonis, ad hoc eſſe dixit vtilem, quod plures ſententias veritatis pariat; addit: *Siue cum multa tractantur, ad id quoque perueniatur, quod ſenſit ille qui ſcripſit: ſiue id lateat: ſed ex occaſione tractandæ profundæ obſcuritatis alia quædam vera dicantur.* Hæc Auguſtinus.

XXXVIII. Nota. Primo, de autoris ſenſu Auguſtinum ſemper loqui numero ſingulari: nunquam plurali. At de expoſitorum ſenſibus, modo ſingulariter, modo pluraliter. Nempe, vt id euidenter ſignificet, quamuis iſti ſint varii: tamen illum eſſe ſingularem. Secundo, cum plures eliciuntur, adhuc, incertum eſſe ſenſum autoris: quod omnino ridiculum eſſet, ſi eos plures ſenſus vna eademque litera caperet vere ſuos. Si enim eſſent omnes eius loci veri, natiuique ſenſus, tum dubitari non poſſet, non tantum vnum aliquem, ſed ne omnes quidem eſſe autoris. Tertio. in exponendis ſingulis Scripturæ locis, operam dandam, vt quanto quanto labore & ſtudio perueniatur ad voluntatem autoris: hoc eſt, ad vnum ſenſum vere eius loci ſenſum. Quarto, Autorem dici Auguſtino, non Deum ſimpliciter, ſed eum, per quem Deus operatus ſit Scripturam: vnde fit, eum vere interpretari Scripturam, qui inquirat, non quid infinitus Dei intellectus complectatur: ſed quid finitus Moſis concipere potuerit tum temporis, cum hæc ſcriberet: atque illo ipſo ſui intellectus actu, quem expreſſum voluit iis verbis. Quæ omnia neceſſario concludunt, vnicum eſſe vere literalem ſenſum vnius eiuſdemque loci.

XXXIX. Inſtabit Salmero, Auguſtinum dicere, cum alius hoc, alius illud dicat, ſenſiſſe autorem ſacrum, ſibi religioſius videri vtrumque potius amplecti, ſi vtrumque verum ſit. Et potuiſſe ei autori vtrumque venire in mentem: Spiritui autem Sancto ſine dubio cognitum fuiſſe.

XL. Reſpondeo, ne hæc quidem vllam vim habere ad illationem præſumptæ concluſionis. Primo enim, non affirmat Auguſtinus autori veniſſe in mentem multos illos ſenſus: ſed tantum probabile. Cap. 27. tertii de doctrina Chriſtiana: *Ille quippe autor in eiſdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipſam ſententiam forſitan vidit.* En tibi forſitan Non eſt autem æquum, vt ex re dubia certæ inferantur concluſiones. Quod autem Deum pro certo aſſerit vidiſſe hanc ſenſuum multiplicitatem: nihil ad rem: quia, vt paulo ante dixi, quærendum eſt, non quid Dei intellectus capiat, ſed quid homo cogitet.

XLI. Secundo, etiamſi pro certo concedatur non Deum tantum, ſed etiam autorem, quo Deus vſus eſt, vidiſſe iſtos ſenſus plurimos: tamen nego id Auguſtino ſignificare plures ſenſus vere literales. Ratio: quia ſenſus literalis eſt, non quicquid autor animo concipit: ſed quicquid voluit iis verbis expreſſum; ſiue, vt loquitur Auguſtinus, quid in illa narratione voluerit intelligi. Poteſt autem humanus intellectus, etſi non vno, tamen multis actibus multa concipere. Ii autem actus ſucceſſiue poſſunt exiſtere, dum vnum prius conceptum ſenſum quis exprimit Quare, dum occupatur ſiue lingua, ſiue manus in exprimendo vno ſenſu, alii multi poſſunt ſeſe offerre. Et id voluit Auguſtinus: veniſſe nimirum in mentem puta Moſi, dum illud exprimeret, *In principio creauit Dominus cœlum & terram*, futuros qui aliter atque aliter hæc verba interpretarentur; etiam ſenſu in ſe vero. Quare, etſi aliud ipſe animo conciperet, tamen noluiſſe ſua verba ita temperare, vt alios illos ſenſus excluderent. Patet ex capite 27. tertii de Doctrina. *Ille quippe auctor in eiſdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipſam ſententiam forſitan vidit: & certe Dei Spiritu, qui per eum hæc operatus eſt, etiam ipſam occurſuram Lectori vel auditori, ſine dubitatione præuidit: imo, vt occurreret, quia & ipſa eſt veritate ſubnixa, prouidit.* Audin? Auctor forſitan vidit: Deus præuidit occurſuram Lectori.

CAP. IV.

De perſpicuitate Scripturæ ſtatus quæſtionis.

I. HIs ita conſtitutis, duo ſe offerunt Controuerſiæ capita inter Catholicos & Papiſtas. Primum de Perſpicuitate, alterum de ratione interpretandæ Scripturæ. Priorem tractant contra Catholicos, Bellarminus Controuerſiæ primæ lib. 3. cap. primis duobus: Franciſcus Cordubenſis Annotationum Catholicarum artic. 2. cap. 75. Gregorius de Valentia in Analyſi fidei lib. 5. cap. 2. Martinus Pereſius, de Traditionibus, Aſſert. 3. Coſterus Enchiridii cap. 1. Stapletonus de Principiis lib. 10. cap. 3. Iodocus Coccius Theſauri Catholici lib. 6. art. 31. Puteanus contra Pleſſæum c. 5. Guilielmus Bailius in Catechiſmo Controuerſiarum part. 1. quæſt. 6. & 7. Salmero tomi 1. prolegomenon 2. Lorichius in Fortalitio, capite de Scriptura Sacra. Aduerſus Papiſtas autem, quos viderim, VVhittakerus de Scriptura Sacra quæſt. 4. Hunnius & Iunius ad illum Bellarmini locum. Kimedontius de Scripto Dei Verbo, libri 4. cap. 4. & 5. Andreas Riuetus Summæ Controuerſiarum parte 1. quæſtione 6. & 7.

II. Poteſt autem quæri dupliciter de perſpicuitate, obſcuritateve Scripturæ Sacræ ratione, vel myſteriorum quæ traduntur, vel ipſius traditionis. Illo modo, vt quæſtio ſit, an ea myſteria accommodata ſint ad captum humanum, vt cognoſci poſſint facile, an ſecus. Ac tum Catholicus reſpondebit, nihil omnino obſcurius eſſe poſſe Scripturis Sacris: nimirum, quia etſi humanorum ſcriptorum alia eſſe poſſint aliis obſcuriora: tamen continent ſe omnia intra captum creatæ mentis. At hæc diuina ſunt, tractantque eiuſmodi res, quas nulla vnquam mens humana conſequi poſſit, adeo vt in iis reuelatione opus fuerit ſpeciali, alias nunquam inueſtigandis, imo cum acceſſit reuelatio, fide rurſus ἀδιστάκτῳ humiliter amplectendis, non autem ratione inueſtigandis curioſiori. Et hoc, opinor, fatentur etiam Papiſtæ: niſi quod Scholaſtica Theologia ſubinde audacius effert ſe, & confidentius, quam ſanctius inquirit in quæque etiam altiſſima myſteria. Sed id nunc quidem nihil ad rem.

III. At, cum de traditione agitur, hoc eſt, ipſa tradendorum myſteriorum illorum ratione, hic ſenſus eſt, vtrum quæcumque in Scripturis tradita ſunt, ea ex ipſis Scripturis intelligi queant. Intelligi autem cum dico, curioſitatem omnem illam exploſam volo philoſophicam, quæ ſibi rationum demonſtrationes exhiberi vult: ſed intelligentiam fidei ſignifico, quæ pro omni demonſtratione ſolum quærit diuinum teſtimonium. Itaque vt σαφέστερον dicam, hoc quæritur, vtrum omnia religionis capita (quæ libris 8. & 9. docuimus intra Scripturas contineri) quanquam non ſit id neceſſe

necesse ad præsentem expediendam quæstionem) vel saltem, vt accommodemus nos ad captum Papistarum, vtrum quæcunque religionis capita nobis Scriptura tradit, siue ea sint omnia, siue non omnia, credenda, ita tradantur, vt ex ipsis Scripturis certo constare possit, quid sit de iis fide tenendum. Exempli gratia, vtrum, cum quæritur, Sit-ne Trinitas δυοὐσιος, quod olim negabant Ariani, Catholici vero confitebantur, ita suum sensum de hac quæstione Deus in Scripturis expresserit, vt ex iis iudicari possit vtra pars, affirmantium, negantium-ve sit vera certaque. Et similiter in reliquis omnibus quæ aut fuerunt aut esse possunt controuersa capita.

IV. Hoc vero rursus dupliciter quæritur: vel sint-ne ita compositæ, detextæque Scripturæ Sacræ, vt nullus in iis locus sit, cuius sensus non in promptu & facilis, an vero loci aut quidam, aut multi ostendi queant obscuri difficileque: Vel, vtrum Scriptura, vt totum quid considerata ὅλως, & vnum doctrinæ corpus constituens, suam mentem perspicue declaret: an contra, quædam fidei mysteria dari possint, de quibus nusquam mentem suam in iis libris Deus ita explicuerit, vt certo possint ex iisdem comperta haberi.

V. His ita distinctis, Catholici diserte respondent, oreque rotundo pronunciant. Primo, esse in Scripturis locos non paucos obscurissimos, ex quibus solis per seque ac seorsim consideratis, non possit certus aliquis euinci sensus. Idque multipliciter fieri: Aliquando ob rerum obscuritatem, vt in Prophetiis rerum futurarum, quarum plerisque necessarius est commentarius, ex euentu, vel ex eadem inspiratione, qua primo conceptæ fuerunt. Sic Danielis Prophetiæ de quatuor Monarchiis obscurissimæ olim fuerunt, faciliores denique factæ, cum impleta sunt omnia. Sic in Nouo Testamento aduentus Antichristi Patres in varias sententias distraxit. Sic etiamnum Ioannis Apocalypsis plurima habet in abscondito, quæ nondum fortita sunt exitum suum. Sic, quæ in Veteri Testamento exstant de Messia, aut non intelliguntur, aut vix bene intelliguntur, nisi comparato Nouo Testamento.

VI. Aliquando etiam, ita contexta sunt eius loci vocabula, vt varium sensum pariant propter ὁμωνυμίαν, vel ἀμφιβολίαν: vt, *Ego & pater vnum sumus*, intelligebatur ab Arianis de vnione voluntatis, quemadmodum cum precabatur Christus, vt discipuli vnum essent: at Catholici referebant ad τὸ ὁμοούσιον. Sic hodie verba, Hoc est Corpus meum, Papistæ, κατὰ τὸ ἐνεργὸν & ὑπαρκτικῶς interpretantur, at Catholici μυστικῶς, & τροπικῶς. Huc referri possunt τὸ ἄσμα ἀσμάτων, vt Canticum Canticorum, primum caput Ezechielis, & alia nonnulla.

VII. Quædam item, exignoratione morum, rituumve antiquorum facta sunt obscura; vt illud Pauli, de iis qui baptizantur pro mortuis, 15. prioris ad Corinthios, varie torquetur ab interpretibus, cum veteribus tum nouis. Ambrosius ad eum morem dicit Paulum respexisse, quorundam qui pro defunctis viuos baptizabant, etsi eum Chrysostomus Marcionitis tribuat, & quidem deceptis occasione huius loci. Ipse vero Chrysostomus refert ad articulum Symboli de resurrectione mortuorum. Primasius intelligit, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Aquinas per mortuos, opera peccati intelligit, siue, vt Lyranus, peccata mortalia. Caluinus autem eos qui tum baptizabantur, cum essent morti proximi. At Beza, per baptismum intelligi putat, ritum abluendorum corporum ante sepulturam. Alii forte aliter sentiunt.

VIII. Hæc de Scripturæ obscuritatibus cum confessi sunt Catholici, tum de perspicuitate docent: Esse à Deo Ecclesiæ datas Scripturas, quo suam de tota religione voluntatem hominibus abunde testaretur: quod omnino frustra esset, si non nisi gryphos & ænigmata loquutus esset. Itaque profitentur credere, ita temperatam esse Scripturam, vt quæ Dei sit certa constansque voluntas in omnibus necessariis ad fidem capitibus, ex ea ipsa plene, perspicue, certo discere Christiani possint: ea, inquam, ipsa ὅλως considerata, &, vt loquitur Clemens Alexandrinus, κατὰ τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕστερον. Ac proinde ex ea ipsa, non tantum singulos fideles confirmari, sed etiam omnes hæreticos abunde refutari posse. Vt exempli gratia, si reuiuiscat Arius, & nobis suum αὐόμοιον ingerat, posset æque hodie, atque olim explodi sola Scripturarum autoritate.

IX. Itaque, si quos Feuardentius aut legit aut vidit, qui sacras literas adeo claras, apertas, & omnibus peruias clamitent, vt quibusuis liceat illotis pedibus & manibus ad eas tractandas accedere, (vt scripsit in annotationibus ad quadragesimum septimum caput libri 2. Irenæi) illi sane per nos prolixe licet asserere, istiusmodi homines errare toto cœlo: tum, quia scimus non esse adeo faciles: tum, quia etsi essent, tamen illotis pedibus & manibus ad eas accedere, pro grauissimo crimine haberemus.

X. Sed Luthero valde succensent Papistæ, qui præfatione in articulos à Leone decimo damnatos, Scripturam dixit esse certissimam, facilimam, apertissimam sui ipsius interpretem omnium. Quæ verba quid non sani habeant, ego quidem videre non possum. Esse interpretem sui si quis neget, insaniat: esse omnium certissimam, hoc vero negari non potest: est enim proprium verbo Dei, vt nihil sit certius. Esse facilimam & apertissimam omnium, hoc vero controuertitur & probandum restat. Obiter tamen inde patere potest, quod quoslibet alios interpretes ab eadem sensum expiscari oportet, neque alicunde extrinsecus mutuari? In libro de Seruo Arbitrio, factus paulo vehementior, *Esse in Scriptura* (inquit) *quædam abstrusa, & non omnia exposita inuulgatum est quidem per impios Sophistas: sed nunquam vnum articulum produxerunt, nec producere possunt, quo suam hanc insaniam probarent. Talibus laruis Sathan nos absterruit à Sacris literis, & reddidit Scripturam Sanctam contemptibilem, vt suas pestes in Ecclesia faceret regnare. Hoc sane fateor, esse multa loca in Scripturis obscura & abstrusa, non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum & Grammatica, sed quæ nihil impediant scientiam omnium rerum in Scripturis. Res in Scripturis sunt omnes proditæ: licet quædam loca adhuc verbis incognitis obscura sint. Stultum vero & impium est scire res Scripturæ omnes in luce positas clarissimas, &, propter verba obscuriora res obscuras dictare. Si vno in loco obscura sunt verba, at alio in loco clara. Igitur tu & omnes Sophistæ agite, producite vnum aliquod mysterium, quod sit in Scripturis adhuc abstrusum. Quod vero multis multa manent abstrusa, non hoc fit Scripturæ obscuritate, sed illorum cæcitate, vel socordia, qui non agunt, vt clarissimam lucem videant.*

XI. Hæc Lutherus, paulo forte concitatior, vt plerunque: sed tamen non omnino absurde. Solam sane ignorantiam Grammaticæ causam esse obscuritatum omnium, quæ in Scripturis occurrunt, fateor non posse videre, quomodo verum sit. Credo etiam mysteria intellexisse non vniuersaliter omnia, sed specialiter ea quæ necesse est sciri à Christianis, & certo constitui aduersus quoslibet hæreticos. Nam intellexisse etiam totum Scripturarum corpus, non vero singulos locos, non est, opinor, opus vt admoneam: cum ipsa id verba disertissime sonent, quæ & concedunt multa loca obscura & abstrusa: & quæ in iis docentur, alibi tradi manifestius & facilius. Itaque etsi aliquantulum durius sit loquutus, tamen commoda interpretatione molliri potest ab iis, quibus non est procliuius arrodere, quam benigne condonare humanos defectus.

XII. Iam vero Papistæ obscuram esse Scripturam Sacram contendunt quidem omnes: sed vix omnes vno eodemque modo. Sunt qui simpliciter obscuram dicere satis habent, nec vlterius statum quæstionis aut inquirunt, aut explicant. In his Franciscus Costerus Enchiridii 1. c. sibi hoc tantum quærendum proponit, Sit-ne Scriptura facilis intellectu. Inconsiderate. Nam ad eam interrogationem responderi potest in vtramque partem: atque adeo ipse cum distinctione, multa inesse perspicua, sed omnia non esse huiusmodi, vt sine labore à quouis intelligi possint. Similiter Coccius probandum sumit, Sacras Scripturas in plerisque locis esse obscuras, & difficiles intellectu. Nec ab iis procul discedit Peresius, cuius hæc tertia est assertio, *Diuina Scriptura non in omnibus adeo clara est, vt seipsam possit exponere, & per se ipsam possit intelligi.* Salmero, pernicioſum errorem vocat, Scripturas claras esse, planas & perspicuas: & cuiuis ad eas accedenti obuias & manifestas: tum satagit probare, reconditas esse nobis, & perobscuras. Sed in his & similibus cur immorer?

XIII. Bellarminus multo propius scopum attigit, negans Scripturam esse tam apertam per se, vt sine explicatione sufficiat ad controuersias fidei terminandas. Etsi enim illud, sine explicatione, nonnihil ambiguitatis habere possit, tamen, qui in Papistica doctrina versatus erit, facile intelliget non aliud significari hoc nomine, quam traditionem non scriptam: vt sensus sit, cum contendetur de hoc loco, *Bibite ex hoc omnes*: vtrum significet etiam laicis porrigendum calicem, an vero contra: adeundum esse Dominū Papam, qui pro sua autoritate pronunciet, illud *Omnes*, intelligendum esse de vnico sacerdotulo celebrante, non quia sic vlla definiat Scriptura, sed quia ita fert consuetudo: & hæc erit interpretatio.

XIV. Hic igitur status quæstionis. Catholici asserunt, Scripturas ita esse perspicuas, claras, & manifestas, vt de rebus ad religionem pertinentibus in alterutram partem necessario vel amplectendis vel repudiandis, certe, diserte, perspicue Dei voluntatem proponat in toto suo corpore per se, ita vt nullo alio extrinsecoque aut adiumento, aut supplemento opus habeat. Papistæ vero contra obsistunt, non tantum non omnia tradi à Scripturis, sed etiam in iis quæ tradit pleraque adeo obscura esse, & abstrusa, & perplexa, vt si iis solis insistas, neque extrinsecus addas Traditionem, non possit certus constansque sensus elici.

XV. Explicaui distinctius, quam factum sit hactenus. Dicebant enim perspicuam esse Scripturam in omnibus necessariis ad salutem. Quod aduersarii facile concedebant, nam ea necessaria pauca esse credunt, vt pote quæ in Symbolo Apostolico αὐτολεξεὶ contineantur. Sic cum Gomarus Pontificios negare diceret, omnia fidei & vitæ Christianæ ad salutem necessaria dogmata sacris literis perspicue contineri: mendacii Costerus accusauit; *Non enim* (inquit) *solis Sacris literis, sed etiam Apostolorum symbolo, asserimus omnia dogmata fidei comprehendi necessaria ad salutem.* Et quanquam Puteanus ad Symbolum addat, Decalogum, & Sacramenta, tamen potior pars Symbolo est contenta.

XVI. Gregorius de Valentia, hoc quicquid est, fusius in hunc modum. Duobus modis fieri, vt ad salutem necesse sit credere aliquam fidei veritatem. Vno, cum absolute & simpliciter necesse est, vt veritatem hanc aut illam fidei noris & credas: altera, cum, quia omnis infidelitas est prohibita, non licet tibi sine iactura salutis credere aliquem errorem vlli veritati fidei contrarium. Inde fieri, vt etsi aliquam fidei veritatem absolute non necesse habeas nosse & credere: sub conditione tamen debeas illam & credere & nosse: vt scilicet, si contingat tibi eiusmodi veritatem proponi, cum oppositio errore. Porro priori modo paucarum admodum veritatum fidem & cognitionem omnibus fidelibus ad salutem esse necessariam: posteriori autem modo omnes omnino. Iam illas veritates priori modo necessarias, perspicue fere in Scripturis ipsis doceri, comprehendique in Apostolorum symbolo. Alias autem prope infinitas secundo modo credendas, maiori ex parte contineri in Scripturis obscure.

XVII. Huic ὁμωνυμίᾳ, effugio, vt aditum obstruerem, non dixi necessaria ad salutem: etsi alii non inepte, aut absque causſa, vsurparint: nam quantumlibet curiose distinguant Papistæ, tamen quum verum sit ea omnia dici posse necessaria, quæ alterutro modo sunt necessaria: nam si omnino dici non possent necessaria, tum ne alterutro quidem modo necessaria essent. Ergo qui vniuersaliter necessaria dicit esse ad salutem, is vtrumque modum complectitur: Ac proinde ea mens erat eorum, qui sic asserebant, omnia necessaria perspicue contineri in Scriptura, vt hoc quasi fasciculo complecterentur, tum quæ ad primum modum pertinent, tum quæ ad secundum. Sed tamen vt Sophisticæ importunitati ansam præripiam, dixi potius, res omnes ad religionem pertinentes in alterutram partem necessario vel amplectendas, vel reiiciendas. Nam etsi verum sit nonnulla pertinere ad religionem, quæ ex Scripturis constare non possunt, vt sunt particulares ritus, qui ad σύναξιν pertinent: tamen ea negamus ex necessitate religionis in alterutram partem amplectenda: sed tantum pro circumstantiis temporum, personarum, & locorum. Ac proinde non pertinent ad hanc quæstionem. Iam vero ne ipsi quidem Papistæ negant, ea quæ constituunt extra symbolum, & secundo necessariorum genere com-

prehendunt, necessario in alterutram partem amplectenda: adeo vt non possint excipi, ab hoc ita constituto statu quæstionis. Itaque nulla, opinor, reliqua facta est ambiguitas.

XVIII. Superest, vt Catholicorum argumenta, defendentium Scripturæ perspicuitatem, expendamus. Prius tamen aduertamus ingenium Papisticum: quam illis animo ægre sit, nonnihil lucis concedere Scripturis. Non tantum enim in vniuersum negant esse perspicuam: sed ita distinguunt, vt maximam dogmatum partem ab ea perspicuitate excipiant. Nam & Gregorius paucas admodum esse dixit veritates primi ordinis; alterius autem infinitas. Et Puteanus, illas fere minimam partem Scripturarum constituere. Et nihilominus, ne hanc quidem exiguam partem integram relinquunt. Quid enim illud est, quod Gregorius dixit, non simpliciter has primi sui ordinis veritates perspicue contineri in Scripturis: sed addita limitatione, omnes fere? Indicauit-ne, se ex hoc ipso minimo numero, aliquas excepturum?

CAP. V.

An Scriptura sit lucerna.

I. NVlla lucerna est obscura. At Scriptura Sacra est lucerna: ergo non est obscura. Maior per se patet, nec eget aut explicatione, aut confirmatione: Sciunt enim omnes eam esse lucernæ naturam, eum vsum, vt tenebris opponatur, easque discutiat, quod non posset, si ipsa esset obscura. Minor autem probatur ex disertis Scripturæ locis. Psalmo 119. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen semitis meis.* Petrus epistola 2. cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Psal. etiam 19. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et rursus 119. *Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis.*

II. Bellarminus respondet. Primo, non agi de vniuersis Scripturis, sed tantum de præceptis Dominicis: Atque hæc quidem appellari lucida, & lucernam, & lucem, non quod facile intelligantur, (etsi verum sit) sed quod intellecta & cognita dirigant hominem in operando. Secundo, posse etiam intelligi de Scripturis omnibus: at lucidas appellari, non quod facile intelligantur, sed quod intellectæ cum fuerint, mentem illustrent. Et hoc probat, quia Propheta loquutus sit de cognitione Philosophorum ex creaturis, dicens postea eos non peruenisse ad eam lucem, ad quam perueniunt ii quos Deus erudire dignatur, & quibus legem suam dedit.

III. At Catholici excipiunt primam responsionem esse tum inutilem, tum falsam. Inutilem quidem, primo, quia pertinet duntaxat ad locos ex Psalmis. At Petrum constat loqui non de Præceptis Decalogi solis, sed de vniuersa Scriptura Veteris Testamenti: quæ si lucida est, siue lucerna, multo magis idipsum erit Scriptura Noui Testamenti: ac proinde totum corpus Scripturarum, quo vtuntur hodie Christiani, lucidum erit, quod Catholici contendunt: Discreuit autem, imo separauit Bellarminus hoc Petri testimonium à Psalmis, vt hæc inutilitas non tam facile deprehenderetur: sed tum nostri (à quibus mutuari debuit argumentorum nostrorum & vim & formam) coniungunt, tum Gregorius de Valentia, & Puteanus & Salmero non discreuerunt.

IV. Secundo posterior locus ex Psalmo 119. non loquitur de præceptis solis: sed de Sermonibus Dei: *Declaratio*, inquit, *sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*: Et Græce, ἡ δήλωσις τῶν λόγων σου φωτιεῖ καὶ συνιεῖν νηπίους, Hebraice פתח proprie aperturam, & ostium significat, & sic Pagninus. Nonnulli ingressum dixerunt potius, vt Tigurini. Vatablus in annotationibus, *Apertionem*, Tremellius, *Aditum*. Sed hæc non sunt magni momenti. Hoc ad rem nostram grauius, quod nominentur non Præcepta, sed Verba Dei, quo nomine significatur Scriptura.

V. Tertio, quid? quod ex Papistarum idiomate, ne ipse quidem Præcepta Decalogi lucida dici possunt? Negat enim Bellarminus Scripturam esse tam apertam per se, vt sine explicatione sufficiat ad fidei controuersias dirimendas. Et hoc vt probet, obiicit Commentaria, & diuersas versiones: & varias explicationes. At hæc omnia non tantum de vniuerso Scripturarum corpore, sed etiam de solo Decalogo dici & obiici possunt. Nam variis commentariis & illustratum esse, & illustrari posse quis neget? Sunt autem tot ejus versiones, quot totius corporis Bibliorum: & in secundo mandato פסל Latine, *Sculptile*, redditum est, Græce autem, εἴδωλον, & hoc hodie malunt Papistæ discedentes hoc loco à Versione Latina, quam alias solam volunt esse authenticam. Varie autem explicari quis nescit? non tantum à Catholicis & Papistis, cum illi eo omnem εἰδωλολατρίαν oppugnent, isti vero sic inuertere conentur, vt suæ ne officiat οἰκονομίαι. Sed etiam ab ipsis Papistis, varia conquirentibus στρεβλοφρμακα, vt hanc plagam vel sanent, si possint, vel inducant saltem. Itaque vel ipsa Decalogi præcepta (quibus Bellarminus nihil esse pronunciat facilius) obscura esse oportet: vel certe obscuritatem aliter definiendam, quam Iesuitarum cohors censuit. Quorum illud cum sit blasphemum, hoc tutius est & certius.

VI. Nam quid tum, si, *Diliges proximum tuum*, facillimum est? quod pro exemplo Bellarminus citauit. Nam primo, id non vnum est, ex Decalogi præceptis: sed potius summa Præceptorum Decalogi. Secundo non est totus Decalogus, sed tantum pars. Iam si æquum est ex summa Decalogum censeri, cur non etiam Scripturam dicimus perspicuam, cuius summa est Christus crucifixus? Aut si ex parte totum æstimare licet, cur non iterum Scripturam dicimus esse perspicuam, cum ne Papistæ quidem negare ausint, non esse omnia obscura, quæ in illa continentur? Ergo hæc prior Bellarmini exceptio est inutilis.

VII. Sed est etiam falsa. Nam ne in Psalmis quidem Propheta, intellexit tantum præcepta Decalogi. Probatur primo ex ipsis locis. Nam Psalmo 19. non tantum nominatur præceptum, sed etiam lex, testimonium, Iustitiæ, Timor Domini, iudicia Domini. Quæ eiusdem rei varia esse nomina, agnouerunt olim Theodoretus, Euthymius, atque alii. Porro ea nomina solent totam Mosis legem comprehendere, maxime תורה. Imo ea colliguntur effecta, quæ non soli Decalogo propria sunt, sed toti Verbo Dei communia: Est enim integrum, & conuertit animam, & verum est, & imperitis sapientiam suppeditat: & quæ sequuntur reliqua. Est autem ineptum, cum omnia sint generalia, hoc vnum vocabulum, quo dicitur præceptum lucidum, ita coercere, vt ad partem duntaxat aliquam Verbi Dei pertineat: & quidem minimam. Nam quod argutatur Gretserus: si totum verbum sit lucidum: Ergo nihil in eo esse obscurum, contra quam nos fateamur: non sequitur hoc exillo: ratio facilis: Primo, quia totum denominandum à parte maiori. At obscura, conficiunt partem minorem. Deinde, quia exceptis pauculis, quæcunque sunt obscura vno loco, alio sunt perspicua.

VIII. Patres consentiunt. Theodoretus hoc Psalmo Prophetam asserit comparare, tres species diuinarum legum, à creatione, à Mose, ab Euangelio: primam, quæ conditorem prædicet: alteram, quæ maiorem scientiam præbeat: tertiam, quæ animas purget, & ab interitu liberet. Euthymius ita Psalmum interpretatur, vt scriptam legem significari dicat, *per quam de diuina prouidentia ac sapientia doceremur*: quod, opinor, magis conuenit toti legi, quam paucis præceptis: quæ docent quidem quid nobis sit faciendum, sed prouidentiam proprie dici non possunt docere. Lyranus, *Loquitur hic de quinque libris Moysi, qui proprie dicuntur lex apud Hebræos.* Denique Genebrardus, *Per legem* (inquit) *aliqui intelligunt totam Scripturam Sacram, non eam Scripturæ partem, quæ est de agendis, cauendis, vel etiam credendis.*

IX. Quid eos dicam, qui hunc ipsum locum interpretantur de Nouo Testamento? Arnobius. *Nulla gens erit in hoc seculo, ad cuius notitiam non attingat calor fidei Christianæ, in qua est lex Domini irreprehensibilis, conuertens animas: & quæ deinceps sequuntur.* Franciscus de Puteo, *Hic laudat præcepta Noui & Veteris Testamenti.* Dionysius à Rickel, *lex Domini, id est, Christiana religio & Christi traditio.* Hieronymus, & Augustinus legem, ipsum Christum interpretantur. Audacius quidem isti omnes fortasse, & allegoriis nimium indulgentes. Sed longe tamen dissiti à Iesuitarum sterili exsanguique subtilitate, qui à decem Præceptis nolunt vel latum pilum hunc locum abduci. Futuri illi sane prudentissimi, si sibi non magis tribuerent, quam veritati cauerent.

X. Iam Psalmum centesimum decimum nonum, quicunque legerunt, sciunt complecti laudes non tantum Decalogi, sed vniuersæ legis, id est, Scripturæ, quæ tum exstabat. Nec veteres ambigue hos ipsos locos de tota Scriptura sunt interpretati. Augustin. concione 23. *Quid est hoc verbum, quod ita lumen dicitur, vt lucerna sit, nisi verbum intelligamus quod factum est ad Prophetas, vel quod prædicatum est per Apostolos?* Et paucis interpositis, *Quod itaque hic ait, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, verbum est, quod Scripturis sanctis omnibus continetur.* Nec secus is author, qui sibi iampridem Hieronymi nomen vindicauit, *Sermones Dei sunt scripta Prophetarum & legis, quæ in Euangeliis declarantur.* Sic Glossa interlinearis, Verbum tuum interpretatur omnes Scripturas Sanctas. Et repetitur à Francisco de Puteo: nec diuertit ab iis Dionysius à Rickel.

XI. Est igitur explosa prior exceptio Bellarmini: Altera plane est sophistica. Lucidæ sunt Scripturæ (inquit) quia cum intellectæ fuerint, mentem illustrent, etsi non facile intelligantur. Ergo, inquam, non tantum in genere omnis Scriptura esset lucida, sed etiam sigillatim omnes loci, etiam obscurissimi. Nemo enim dubitat, quin Apocalypsis, si intelligatur tota, mentem illustret, quæ tamen obscurissima remanet. Quod si absurdum est ea lucida appellare, quæ sunt obscurissima: ergo non recte lucidum Bellarminus interpretatur.

XII. Præterea, Scriptura iis locis ita dicitur lucida, vt significetur ex se, & in se lucem habere: tum quia appellatur lucerna & lumen: tum quia illuminare dicitur. Nam etsi נר quæ proprie lucerna est, aliquando significet laternam, tamen אור lux semper lucet à seipsa. Et si quibus non lucet, id euenit per accidens, vt si cæcis apponatur. Quomodo fatemur etiam Scripturam dici posse difficilem & obscuram. Exempli gratia, illud ipsum, *Amabis proximum tuum*, quod facillimum esse fatetur Bellarminus, si Hebraice proponatur, vel Latine (vt solet inter Papistas) iis qui tantum Gallice sciunt, sine dubio nihil erit præter meras tenebras. Sed, quia obscuritatis causa omnino est extra id præceptum, ideo nō ipsum obscurum dicendum est, sed is quisquis est à quo non intelligitur, imperitus. Alioqui nihil omnino fuit vnquam scriptum, quod non obscurissimum sit. Iam si Scriptura sine interpretatione, id est, sine eo sensu, qui aliunde, quam ab ipsa desumitur, videlicet à traditione non scripta, intelligi non potest, tum illa non per accidens obscura erit, sed à seipsa, & sua natura; Itaque etsi forte possit dici נר, id est, laterna, tamen proprie dici nō poterit lucerna: multo minus lux: & mentitus erit Propheta quod absit.

XIII. Rursus, dicitur sapientiam præstare paruulis: vel potius νηπίοις, sic enim Græce melius exprimitur פתי, quo significatur is, qui ingenio est stupido, iudicioque non satis firmo, siue ob imperitiam, siue ob naturæ imbecillitatem. Quanquam vtrunque interpretes coniungant, imbecillitatem, inquam, ætatis & ingenii. Euthymius, *Paruulos vel ætate dicit, quemadmodum videmus accidisse in Daniel, cui puero adhuc data est sapientia: aut ob humanæ sapientiæ ignorantiam, aut etiam ob summam simplicitatem.* Atque hoc natum ex ambiguitate vocis Græcæ. Sed Hebraica etymologia facilis est: quia primarium thema, teste Kimchi in radicibus, significat inclinare cor ad id quod non est secundum viam veritatis, & rectæ rationis. Nostra autem non interest: quia siue pueros dicas, siue imperitos, tamen Scriptura ex Papistarum hypothesi, neutris sapientiam præstabit: sed tantum traditione præcedente: hoc est, iis qui iam traditionem didicerint, & ex ea, imo secundum eam Scripturas intelligent. At qui traditionem iam didicerunt, ii imperiti, inepti, rudes dici non possunt: si quidem verum est Traditionem complecti omnia capita doctrinæ.

XIV. Porro rationis à Bellarmino subiunctæ vim, ego quidem animaduertere nequeo. Scripturæ, inquit, lucidæ dicuntur, non quod facile intelligantur, sed quod intellectæ mentem illustrant: quia Propheta docet Philosophos non peruenisse ad eam lucem, ad quam perueniunt ii quos Deus

Deus erudire dignatur. Diuinet aliquis sagacior: Ego somnia non interpretor. Hoc scio, nullum vnquam Philosophum, quantumuis diligenter secreta naturæ rimantem, non Platonem θεῖον, non naturæ genium Aristotelem, vnquam attigisse ad eam sapientiam, quam Scripturæ docent; illæ, inquam, Scripturæ, quæ facillimæ sunt, simplicissimæque, & apertissimæ: quæque nulla opus habent traditionaria interpretatione, sed ipsæ per se ipsas suam mentem satis explicant. Exempli gratia: etsi facillimum illud sit, Matthæi 7. *Quæcunque volueritis vt faciant vobis homines, ita & vos facite eis*, tamen nemo tam acute fuit Ethicus, vt diuinaret, donec ita docuit Christus. Atque hæc ad Bellarminum.

XV. Puteanus queritur, nos ad solam Scripturam restringere ea, quæ in genere dicuntur de omni Verbo, siue scripto, siue non scripto: siue constet ex Traditione, siue è Scriptura: neque enim in vllis iis locis audiri Scripturæ vocabulum. Deinde in loco Petri, grauiter accusat, quod detrahamus sequentia, *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*. His autem verbis Apostolum significare duo esse præstanda: videlicet vt attenti simus sermoni qui est ex Prophetis, (lectionem autem non dicere, sed auditum explicationemque factam à Pastoribus) neque adferamus priuatam interpretationem.

XVI. Sed potest-ne hoc homine quicquam esse stolidius? Primo, falsum est nos hæc ita coercere, vt non pertineant nisi ad Scripturas. Scimus enim, etiam quotidianas conciones, quas Traditionis nomine facile permittimus appellari, aut esse, aut saltem esse debere lucidas, & faciles: etiam, si fieri potest, ipsa Scriptura lucidiores, faciliores. Sed enim dicat nobis Puteanus, an censeat eos, qui ex Animalis natura, concludant hominem esse animatum, ipsam animalis naturam totam includere in homine, vt ne latius pateat?

XVII. Secundo, non videt à se omnino prodi suam caussam. Quid enim? An si verum est, in genere Verbum Dei, cuius siue species, siue partes sint Scriptura & Traditio, esse lucidum, non etiam verum erit, Scripturam esse lucidam? Imo norunt omnes, quibus cerebrum est satis sanum, non posse in genere asseri verbum Dei esse lucidum, si non vtrumque & scriptum & traditum sit lucidum. Quemadmodum cum Animalis species sint Homo & Brutum, si non æque viuat vtrumque, ipsum Animal viuere dici non potest. Imo, quia non æque rationis capax est Brutum, ac homo, ideo nemo vnquam ausit asserere Animal esse rationis capax. Si igitur vere dixit Puteanus in genere lucidum esse Verbum Dei, idque asseri his locis: tum nos optimo iure concludimus: Scripturam (quam esse verbum Dei negare nullus potest) lucidam esse.

XVIII. De loco Petri, quid dicam? Primo, cuius audaciæ id exemplum est, quod Sermonem Propheticum interpretatur, homilias illas quæ à Pastoribus fieri solent ad plebem, sumpto themate ex aliquo Propheta? vt sensus sit Petri, attendendum esse, exempli gratia, homiliis Origenis in Esaiam. Quasi non legamus Lucæ 3. *Vt scriptum est in libro sermonum Esaiæ Prophetæ*. Et Ioan. 12. *Vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur*. Rursus 15. *Vt ad impleretur sermo qui in lege eorum scriptus est:* Quibus locis sermones nominantur, pro ipso contextu Scripturæ Propheticæ. Et quæ hæc insania est eius, qui non vidit, sermonem hunc Propheticum appellari à Petro firmiorem sua ipsius prædicatione? Quid? hocne ausit Puteanus de quibuslibet homiliis pastorum asserere? Æque inepta oppositio sermonum & lectionis: quasi sermones omnino nulli legi possent: cum tamen scribi possint, vt constat ex illo 15. Ioannis.

XIX. Deinde, quod de priuata interpretatione loquitur, est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, pertinetque ad sequentem controuersiam de ratione interpretandæ Scripturæ. Nunc enim duntaxat quæritur vtrum sit Scriptura facilis interpretatu, quocunque tandem modo constet interpretandam: Et quidem, si per priuatam interpretationem, intelligas sensum aliquem ex cerebro natum interpretantis, tum omnes Catholici consentiunt, longe illam ablegandam esse à Scriptura, siue is interpres priuatam personam gerat, siue publicam, nullo discrimine. Sin vero priuatum cuiusque Christiani laborem, sinceritatemque in eruendo ex ipsa Scriptura Scripturæ sensu, tum nos negamus Apostolum hanc interpretationem improbasse, aut etiam vllam Ecclesiam. Sed hac de re vt dixi, alias plenius.

XX. Superest Gregorius de Valentia; qui tamen aliis verbis, non aliud dicit quam Puteanus. Esse quidem Scripturam lucernam: sed videndum vbi illam collocatam esse oporteat, vt ipsi lumen eius videre, & eo dirigere gressus nostros possimus. Non enim sub modio: tum enim luceret quidem ipsa: sed nos non illuminaret. Sub modio autem poni, cum vnusquisque illud ingenii proprii atque industriæ suæ finibus tanquam modio quodam exiguo comprehendit. Esse vero necesse, vt Ecclesia lumen illud fidei, quod in diuinis literis splendet, præferat, atque omnibus ostendat.

XXI. Sed hæc quæstionem non attingunt, nec soluunt argumenti nodum. Etenim cuicunque tandem hanc interpretandi prouinciam tribuas; tamen potest adhuc quæri, sitne, an non sit intellectu difficilis Scriptura, hoc est, sitne Ecclesiæ ipsi, ipsi inquam, Ecclesiæ interpretatu difficilis an non sit: Et rursus: sitne an non sit facilis cuilibet priuato. Nam quid tum, si interpretetur Ecclesia maiori cum auctoritate? Aliud enim est auctoritas, aliud facilitas, siue difficultas: & potest auctoritas difficultate impediri, vt in Apocalypsi, quam nondum Ecclesia intellexit: potest etiam priuata persona facilitate adiuuari, vt in iis locis, quos ne Papistæ quidem obscuros dixerint. Itaque manet integra quæstio.

XXII. Præterea hæc Scriptura sub hoc modio posita, id est, priuatæ cuiusque interpretis industriæ permissa, hoc ipso. vel obscura fit, vel non. Si non fit, ergo frustra hanc rimam quærunt Sophistæ; non enim elabuntur. Sin fit, ergo non tantum quædam Scripturæ partes, sed etiam omnes particulæ fient obscuræ. Neque enim magis illuminabit illud, *Ama proximum tuum*; quod pro facilitatis exemplo Bellarminus proferebat, scilicet vt facilimum, quam Ezechielis visiones, si vtrunque sub modio ponatur At vero ne Papistæ quidem ipsi dicere audent, omnes Scripturæ particulas esse obscuras. Itaque hæc euasio est nihili. Rursus hæc Scriptura supra modium posita, hoc est, Ecclesiæ tantum interpreti permissa, hoc ipso, vel fit perspicua, vel non. Si non fit, ergo rursus ne sic quidem lucida fit Scriptura: ac proinde omnino illam oportet esse meras tenebras, & omnibus suis partibus obscuram: quod ne ipsi quidem Papistæ asserant. Sin fit, tum nihil erit in Scriptura obscurum: quod rursus falsum est, ipsorum aduersariorum confessione: ergo inutilis est euasio.

XXIII. Rursus hoc quicquid est de modio, accidens est Scripturæ, non ipsa Scripturæ natura. Nos autem, cum quærimus vtrum ipsa Scriptura perspicua sit an obscura: non aliquid accidentarium extrinsecumque interrogamus, sed ipsi Scripturæ connatum & προσφυὲς. Quia enim verba sunt σημεῖα τῶν ἐν τῷ νῷ, & τῶν σημείων tota natura est in significando: atque ea perspicua dicuntur, quæ facile significant, ea autem obscura, quæ difficillime. Ergo erunt eæ Scripturæ, quę ex se, aut non certo, aut cum multo labore indicabunt sensa eius per quem administratæ sunt, obscuræ: siue eas interpretetur Ecclesia, siue priuatus aliquis, & faciles, si contra.

XXIV. Denique, nego Scripturam, cum interpretatur eam aliquis priuata industria, poni sub modio. Priuatam industriam dico, non priuatum sensum. Potest enim quilibet Scripturam interpretari priuata industria, vt tamen non inducat priuatum sensum: nimirum, quoties ab ipsis Scripturis ipsum sensum educit: non vero extrinsecum alienumque commodat: hoc est, siue à suo cerebro conceptum, siue ab aliis mutuatum. Quod si non esset ita; ergo, quia nunquam Scriptura sub modio ponenda est, nunquam etiam cuiquam liceret suam industriam conferre ad Scripturam interpretandam, sed consulenda tantum publica Ecclesię oracula, nihilque nisi præscriptis verbis proferendum in medium. Quod contra semper factum est in Ecclesia, vnde tanta prodiit seges commentariorum, tractatuum, homiliarum. Et Augustinus ipse quatuor libros composuit de Doctrina Christiana, vt doceret quanam optima ratione, quilibet Christianus hoc munere defungi queat.

XXV. Quid? quod Ecclesiæ nomine, tanquam μορμολυκείῳ aduersarii abutuntur? Nunquam enim Ecclesiam quisquam audit aut vidit interpretantem. Quia non est Ecclesia quicquam indiuiduum, aut ὑφιστάμενον, sed aliquid duntaxat, quod in ratione habet suum esse, vt omnia τὰ καθόλου. Tum vero interpretari dicitur Ecclesia, cum omnes, aut certe plurimi, ex quibus illa constat, in interpretando consentiunt. Et quidem ad interpretandas Scripturas nunquam omnes communi consilio operas contulerunt: sed singuli seorsim: quorum postea diligentiam, sinceritatemque magis minusve vniuersitas fidelium approbauit. Itaque publicæ huic auctoritati Ecclesiæ, præiuit priuata industria, siue Hieronymi, siue Augustini, siue aliorum quorumcunque. Cum igitur certum sit, Ecclesiam vti priuatorum laboribus, adhuc necesse est, aut his priuatis non esse Scripturam obscuram, aut esse obscuram ipsi Ecclesiæ. Atque ita accidit, vt, quia nemo priuatus scire potuit quid sit pro mortuis baptizari, ipsa etiam Ecclesia hunc locum inter obscuros numeret: obscuros, inquam, non tantum priuatæ, sed etiam publicæ interpretationis ratione.

XXVI. Gretserus docet esse Verbum Dei in sese lucidum: sed non nobis lucidum, nisi ponatur in candelabro: hoc est, intelligatur iuxta Ecclesiasticum Canonem. Nam & Metaphysicam, ac Mathematicam, esse lucernam: at non in casis & tuguriis rusticorum, sed in scholis Philosophorum.

XXVII. Verum nihil difficile. Nos enim facile concedimus Scripturam non esse lucernam nobis, nisi intelligatur: nec intelligi, nisi secundum Canonem Ecclesiæ. Sed addimus, huius obscuritatis, si hæc obscuritas dici debet, caussam non esse in Scripturis ipsis, sed in iis, qui eam non intelligunt. Ideoque non posse hanc ob rem dici Scripturas obscuras. Ratio, quia constat esse non pauca in iis facilia, ac clara, id est, non obscura. Cum tamen certum sit etiam hæc ipsa posse ab hominibus non intelligi secundum Ecclesiasticum Canonem. Itaque hoc absurdum sequeretur, vnum eundemque locum esse obscurum, & perspicuum: esse facilem. Illustratur comparatione Solis. Nam etsi verum, Solem non esse omnibus lucidum: tamē, quia quibus non lucet, eius caussa nulla est in Sole, ideo Solē nemo negat esse lucidum, & visu facilem. Cur non similiter Scripturæ? Atque hinc apparet vitiosum esse exemplum Mathematicæ, & Metaphysicæ: Nam hæ sua propria natura non possunt ab omnibus percipi: nimirum innata obscuritate: quæ etiam acutissima fatigat ingenia. Quomodo obscuræ dicuntur quædam stellæ, vt φάτνη, quia non possunt obseruari nisi acutissimis oculis: & quidem intentissimis.

XXVIII. Porro quod de Ecclesiastico canone dicitur; non ita accipiendum; quasi concederemus aliunde conferri Scripturæ lucem, instar candelæ: quæ non nisi admoto extrinsecus igne, lucet. Nam per hunc ipsum Ecclesiasticum Canonem nihil aliud intelligimus, quam Analogiam fidei; quæ est in ipsa Scriptura: imo ab ipsa Scriptura: quomodo lucem, quæ efficit, vt Sol conspiciatur, non mutuamur ab igniculo, sed in ipso Sole inuenimus: vnde fit vt Sol sit, non tantum in se lucidus, sed etiam nobis perspicuus.

CAP. VI.

An Scripturæ mandata remota sint à plebe.

I. QVicquid est obscurum, & ita verbis explicatum, vt difficile sit intellectu, id est absconditum & remotum à plebe. At Scripturæ sanctę mandata non sunt abscondita & remota à plebe: Ergo, non sunt obscura & difficilia intellectu. Maior probatur, tum ex sensu communi, qui ea dicit obscura & difficilia, in quę paucissimi penetrare possunt: tum exemplo Aristotelis: qui; vt est apud Agellium li. 20. c. 4. suos acroamaticos libros esse dicit ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους, sic editos, vt non essent editi: ξυνετοὶ γάρ εἰσι, aiebat, μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν, *iis solis qui nos audiunt, cognoscibiles erunt*: cum tamen illa publicatione putaret Alexander, factos πάντων κοινοὺς, omnium prorsus communes.

II. Minor probatur ex 30. c. Deuteronomii, *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: nec in cœlo situm, vt possis dicere, Quis nostrûm valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas, Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt*

possimus audire, & facere quod preceptum est? Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, in corde tuo, vt facias illud. Vbi tamen notandum, pro *non supra te est*, Hebraice legi, לא נפלארת היא ממך, id est, iuxta versionem Tigurinorum, *non est absconditum à te*. Pagnini, *non est occultum à te*. Munsteri, *non est mirabile supra te*. Chaldæus tamen Paraphrastes reddidit, היא מינך לא מפרשא *non est separatum à te*. Quibuscunque autem verbis reddatur, certum est hoc loco, vt annotauit Vatablus, tolli occasionem citandi ignorantiam legis. Quod autem non intelligitur, quis neget ignorari? Et sane Selomo Iarki exponit נפלארת per מכוסה Kimchi autem per נסתרת, vtrunque tectum, velatum, & absconditum significat. Quod Reuchlinus Cabalæ 3. annotauit, obseruans à Rabbinis exinde nominari שכל מופלא intelligentiam miraculosam, siue potius occultam.

III. Bellarminus respondet dupliciter. Prima responsio: Plurimos veterum hunc locum intelligere, non de facilitate intelligendi Scripturas, sed de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest gratiæ auxilium: quod est contra omnes Lutheranos, qui docent impossibilia esse mandata Dei. Ita igitur exponere Tertullianum libro 4. contra Marcionem, Origenem, Ambrosium, Chrysostomum, alios, in c. 10. ad Romanos. Augustinum libro de perfectione Iustitiæ, responsione penultima.

IV. Atqui hoc primum frustra est, deinde falsum. Frustra quidem, quia si facilia factu sunt mandata, ergo multo faciliora intellectu, quis enim impleat opere, quod mente non concipit? Intelligo negari hanc consequentiam à Gretsero: sed contra sensum communem. Nam quod exempla adfert opposita, inconsiderate facit. Quid facilius, inquit, quam se, vel aliud corpus mouere? Quid difficilius intellectu, quam motus? Quid facilius quam operationes vitales exercere? Et tamen quantis obscuritatibus istæ actiones inuolutæ sunt? Quid facilius, quum agere, vel pati? Quid actione & passione difficilius ad intelligendum? Miri clamores: sed facile compescendi, nisi pertinacia animaret potius quam ratio. Enimvero actiones aliæ naturales sunt, aliæ rationales. Illas fatemur fieri absque intellectu posse. Cur non enim? cum etiam à brutis. At illas, falsum. In rationalibus autem omnino sunt, quæcunque morales. Et quæcunque actiones pertinent ad implendum Decalogum, eæ sunt morales: itaque impleri non possunt, nisi intelligantur. Alioquin cur doceri iuberentur? Cur tam accurate docerentur in Ecclesia? Deuteron. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias atque iudicia: quæ docebis eos, vt faciant ea.*

V. Iam vero si facilia sunt factu, ergo natura sua nihil habere difficultatis necesse est: Et si quam habent, accidentariam esse: nascique, vel ab audientium ignorantia, vel è legislatoris ingenio: quorum illud est ἀπροσδιόνυσον: hoc vero blasphemum. Nam imperito homini nihil omnino nõ est obscurum & difficile, quatenus est imperitus. Et ea facilia appellari solent, non quæ ab omnibus intelliguntur, etiam imperitis: sed quæ adhibito studio intelligi possunt, etiam ab iis qui erant imperiti, & hoc ipso studio paulatim periti euadunt. Sic Grammaticam Hebræam faciliorem dicunt Latina & Græca: cum tamen earum linguarum inexpertis, æque omnes sint incognitæ.

VI. Est autem indignum Deo, hoc est, blasphemum, si quis asserat, rem per se, suaque natura facilem & perspicuam, ab eo propositam σκοτεινῶς. Id enim non potuit proficisci, nisi à duplici causa. Vel, quia nesciérit Deus sua sensa interpretari: quod quis admittat vnquam, cui Deus sit cognitus? Vel, quia rerum non modo facilium, sed etiam necessariarum, homini cognitionem inuiderit. Et hoc quæ ferre possint aures piæ? Bene itaque ille, quisquis est, in Psalmum 86. in operibus Hieronymi. *Per Euangelia sua loquutus est, non vt pauci intelligerent, sed vt omnes.*

VII. Sed egregie falsum Bellarminus dixit. Primum in testibus laudandis. Nam Tertullianus, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, nihil dicunt huiusmodi. Tertullianus nihil, nisi hunc locum comparat cum altero ex Lucæ decimo septimo, *Regnum Dei intra vos est*: quod nec de solis præceptis intelligi potest, nec de facultate eorum complendorum. Imo ipse Tertullianus distinguit, *Quis non interpretabitur* (inquit) *intra vos est, id est, in manu, in potestate vestra, si audiatis, si faciatis Dei preceptum?* Nam quid tum, si obseruauit Gretserus libri eiusdem c. 27. sermonem esse de impletione legis? Atqui eo capite nihil de hoc loco: qui citatur duntaxat c. 35. vbi nihil de implendæ legis facilitate.

VIII. In Origene vero, miror Bellarmini stupidam supinitatem, si se passus est decipi vocabulo possibilitatis. Nam hanc Origenes nihil minus intellexit, quam facilitatem implendorum legis præceptorum: sed illam philosophicam δύναμιν, quæ distinguitur ἀπὸ τῆς ἐνεργείας, ab ipso actu: vt infans faber est, aut musicus, non actu ipso, sed possibilitate. *Hoc ergo modo* (inquit) *etiam Christus, qui est Verbum Dei possibilitate quidem iuxta nos est, hoc est, iuxta omnem hominem esse credendus est, tanquam ratio paruulis: efficacia vero in me esse dicitur, cum in ore meo confessus fuero Dominum Iesum, & in corde meo credidero quod Deus illum suscitauit à mortuis.* Hæc vero quid ad Bellarminum?

IX. Iam Ambrosius locum diserte explicat de facilitate intelligendi, non vero præstandi. *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc scriptum est in Deuteronomio, quia non est longe ab animo nostro vel ore, quod nobis dicitur, vt credamus. Quamuis enim oculis non videatur, à natura tamen animorum, & loquendi ratione non discordat, quod credimus.* Enimvero quid hoc est? Nimirum, quia intelligendi difficultas, vel est à rebus ipsis, vel ab earum explicatione: ideo vtrunque Ambrosius remouet. Hoc quidem, quia non longe esse dicitur ab ore, hoc est, non discordare à ratione loquendi: quia enim iisdem loquendi formulis Deus vsus est, quibus nos quotidie solemus sensa nostra interpretari; ergo æque se intelligi voluit, ac nos volumus. Illud vero, qui non longe esse dicitur ab animo, hoc est, non discordare à natura animorum, quod, quid sit postea explicat, *In ipsa enim natura inserta sunt, velut semina, quæ auditu & voluntate exculta fructificant testimonium creatoris.*

X. Chrysostomus etiam ipse à nobis est potius. Primum enim illam facilitatem præstandi præcepta diserte negat, homilia 17. in Epistolam ad Romanos, οὐκ ἔνι δίκαιον γενέσθαι ἐν νόμῳ, ἀλλ' ἢ πάντα πληρώσαντα τοῦτο δὲ οὐδενὶ γέγονε δυνατόν, *Nemo potest iustus esse in lege, nisi qui omnia cõpleuerit: Atqui hoc à nemine potuit præstari.* Atqui, si ita intelligẽdus ille Deuteronomii locus esset, tum hæc Chrysostomi verba falsa essent: atq; ipse seipsum fœde cõfutasset. Deinde ex sequẽtib. facile cõstat eum locũ sic exponi, vt loquatur Moses de facilitate habendi ea præcepta quæ præstanda erant, οὐ χρή, φησιν, εἰπεῖν, ὅτι εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβῆναι δεῖ καὶ πέλαγος διαβῆναι μέγα, καὶ τότε λαβεῖν τὰς ἐντολάς, *Non est, quod dicas oportere in cœlũ ascendere, multũque mare transfretandum, atque inde mandata desumere.* Desumere, inquit, non vero præstare, aut implere: vt sensus sit, non posse populum dicere, se quidem præstiturum impleturumque mandata, si habeat: sed vt habeat, rem esse longe difficillimam. Subdit Chrysostomus, ἀλλὰ τὰ οὕτω μεγάλα καὶ ὑπέρογκα εὔκολα ἐποίησεν, ὁ Θεός, *Quæ tam magna sunt, & grauia, facilia Deus effecit*, Τί δέ ἐστιν ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστι, τουτέστιν εὔκολόν ἐστιν ἐν τῇ διανοίᾳ σου γὰρ καὶ τῇ γλώσσῃ ἡ σωτηρία, *Quid illud est, iuxta te est verbum? Hoc est, facile est: etenim in mente tua, atque in lingua salus.* Hæc facilia sunt, nec egẽt illustratione.

XI. Superest Augustinus, cuius librum de Perfectione iustitiæ, aut omnino non legit, aut nimis quam perfunctorie legit Bellarminus. Nam in eo toto nunquam hic Deuteronomii locus citatur, nisi inter eos, quos in suæ causæ subsidium Cælestius Pelagianus enumerabat, vt probaret, non tantum non impossibilia, sed etiam facilia esse mandata Dei. Erat ergo hæc huius loci expositio, non Augustini, sed hæretici: cui Augustinus respondet, vt toto libro, non nisi per gratiam facilia esse posse mandata Dei. Ergo Bellarminus testes omnes hos falso nominauit. Quantum vero hoc crimen in Theologo? Sed non potest alios habere Papismus.

XII. Iam, quod ad ipsum locum attinet: primo, non intelligi de solis præceptis Decalogi, facile constat ex integra serie sermonum Mosis iam inde à c. 27. quia diligenter commendatur obseruatio præceptorum, ceremoniarum, & iudiciorum, tum enumerantur iam benedictiones, iam maledictiones, quibus afficiendi sunt obseruantes, & transgredientes. Sed & 29. verba nominantur fœderis, quæ certe latius patent, quam Decalogus. Præterea, paucis ante hunc ipsum locum nostrum lineis, *Si audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris precepta eius & ceremonias, quæ scripta sunt in libro legis huius*: ita enim Hebraice legitur, & Græce, distinctius quam Latine, *In hac lege scripta sunt*. Non memini autem solum Decalogi contextum, vnquam appellatum esse librum legis.

XIII. Deinde, non significari solam facilitatem implendi ea præcepta, quæ tamen remanerent obscura, patet, tum ex ipsa verborum energia, quam ante expendimus: tum ex Mosis proposito. Nam si ita esset, quænam illa vis esset obtestationis? Constat enim voluisse omnem excusationis spem auferre transgredientibus legem. Atqui nulla illis esse poterat iustior, certiorque, quam si, quæ erant per se facilia, traditione effecta essent obscura: quæ enim non intelliguntur, multo minus præstari possunt: Et vt aiebat Ptolomæus, thesauri absconditi nullus vsus est. Itaque hæc prima Bellarmini responsio est omnino absurda.

XIV. Venio ad alteram. Alii (inquit) in quibus est Abulensis, intelligunt hæc verba de facilitate cognitionis, non quidem Scripturarum Sanctarum, quæ tum adhuc nullæ erant fortasse, sed præceptorum tantum Decalogi, quæ, cum sint naturalia, facillime intelliguntur: Et Iudæi illi præcipue facile poterant ea scire, qui Mosen explicantem audierant, & confessi fuerant se percepisse omnia: & promiserant se ea obseruaturos: ideo subditur, *Prope est sermo in ore tuo, & in corde tuo*, id est, in corde tuo, quia iam intellexisti quid sit agendum: & in ore tuo, quia iam confessus es te intellexisse. Sensus est, si de facilitate intelligendi locus exponatur, tum dupliciter excipi, nempe & quid facile intelligatur, & à quibus. Non enim totam Scripturam, sed tantum decem præcepta: illam enim, tum nullam fuisse: hæc vero esse naturalia. Non etiam ab omnibus, sed ab illis Iudæis, qui Mosen audiebant explicantem.

XV. At mihi de Decalogo non est necesse plura dicere. Illud de Scripturis ridiculum est, nondum exstitisse vllas: cum diserte Moses interiectis paucis verbis, eorum meminisset, quæ scripta erant in libro legis. Sed, opinor, volentem fefellit editio Latina, quæ librum nullum nominauit. Iam vero, quid tum, si præcepta erant naturalia? Nisi enim dilucide explicata verbis fuerint, non possunt non obscura dici. Quid enim? Nonne de rebus naturalibus tractabant Aristotelis τὰ ἀκροαματικὰ Et tamen negautor esse edita: scilicet, quia perplexe tradita.

XVI. De Iudæis autem potuitne aliquid dici magis ineptum? Nam iis solis, qui tum exstabant, nec lex erat posita, nec tam grauis obtestatio facta. Alioquin illi essent soli inexcusabiles, non vero reliqui. Quod si ad futuros etiam vtrunque pertinebat, quidni etiam vtriusque ratio? Tum, quia duplicem causam attingit, qua factum est, vt Iudæis tum exstantibus ea præcepta essent facilia, alteram, quod essent naturalia, alteram quod audirent exponentem Mosen, si illa prior Judæis nihil profuit absque posteriori, ergo verum erit, Deum de industria obscurasse ea, quæ erant perspicua sua natura: quod antea sępius dixi blasphemum esse.

CAP. VII.

An Scriptura sit lucerna sub modio.

I. MAtthæi c. 5. Christus Apostolos dixit esse non tantum sal terræ, sed etiam lucem mundi: Et negauit accendi lucernam, poni que sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui sunt in domo. At si scripta Apostolorum obscura sunt, tum necesse est fateri, eam lucem sub modio esse conditam, nec lucere omnibus. Et si hoc est absurdum, ne diffiteantur Papistę Scripturas esse non obscuras, sed potius perspicuas: Perspicuas autem, non tantum paucis quibusdam, sed omnibus qui sunt in domo, id est, omnibus fidelibus.

II. Hosius, libro 3. contra Brentium, respondet, Apostolorum prædicationem non obscuram, sed lucidam fuisse: sed non æque lucida esse, quæ ab ipsis excepta, literisque mandata sunt. Et subiicit rationem, quia Hieronymus dixerit, habere nescio quid latentis energię viuam vocẽ, & in aures discipuli de doctoris ore transfusa fortius sonare, & plus afficere, & alere plenius, & altius in animo sedere ea, quę pnunciatio, vult⁹, habitus, gestus

etiam

etiam dicentis affigit Vitam esse quandã orationis actionem, qua cum Scriptura destituta sit, quæ quasi factitia vox quædam esse videtur, veræq; vocis vtcunque imitatrix, perinde efficax & viua esse non potest: vnde olim dictum, in scriptis Demosthenis, magnam Demosthenis partem abesse.

III. Hæc Hosius suo more, prolixius quam solidius, ornatius quam neruosius. Enimuero, quid tum, si non æque perspicua sint scripta Apostolorum, ac fuit prædicatio? An propterea illa obscura dicenda essent? Et quidem obscurissima, quod Papistæ contendunt? Minime vero: nam vt obscuritatis, sic perspicuitatis, varij gradus esse possunt. Ne esto sane Orion æque lucidus cum Sole: quis tamen neget esse astrum lucidissimum? Ne sit tantus ignis in lampade, quantus in face: sed lampade tamẽ tenebras dispelli quis non videat?

IV. Et tamen non esse scripta æque lucida non probat Hosius: sed μεταβαίνει εἰς ἄλλο γένος: cum pro perspicuitate, de qua nunc agitur, energiam substituit, quę longe aliud est. Quis enim nescit, ea quę sunt æque perspicua, habere tamen posse non eandem energiam? Et rursus, ea quæ magis perspicua, posse tamen non esse æque energetica? Comparet, qui volet, Pauli quamlibet Epistolam cum Epistola Iudæ, aut duabus Ioannis posterioribus: fatebitur longe difficiliorem esse Paulum: sed idem obseruabit, eundem esse longe δεινότερον, styloque vti viuidiore, & quo multo magis animi animi percellantur. Nectit syllogismos, demonstrationes conficit: refutat solidissime: est vbi se dimittat: est etiam vbi se attollat: hortatur, consolatur, increpat, tonat etiam cum libet, & fulgura vibrat. Denique nulla est artificiosissimæ orationis virtus, quam non sit assecutus. Quæ omnia tantam habent energiam, vt si quem non moueat, eum stipite quolibet stupidiorem esse oporteat. Quod si igitur ita est, aliud esse τὴν τοῦ λόγου ἐνέργειαν, aliud τὴν σαφήνειαν, profecto ille nihil aliud quam ἀδολεσχεῖ, qui, vt hanc tollat, de illa disputat.

V. Denique, vt vno verbo negotium conficiatur, Bellarminus argumento proximo concessit, præcepta Decalogi esse perspicua: verum enim esse esse ea facile intelligi: *quid enim* (inquit) *facilius quam, Diliges proximum tuum:* Et tamen ea ipsa præcepta olim viua voce tradita, nunc scripta sunt tantum. Ergo, inquam, aliqua quæ destituuntur viua voce, constat esse perspicua, hoc est, intellectu facilia. In his Scripturam esse non posse, doceant, si possunt: si non possunt, ne nobis mira nescio quæ narrent de vi & efficacia. Nam ista, οὐδὲν πρὸς ἔπος.

VI. Bellarminus respondet, loqui Dominum de luce exemplorum, probitatis & morum: & voluisse, vt Apostoli essent quædam exempla sanctitatis omnibus hominibus ad imitandum proposita, propterea subiicere continuo, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Deinde, si verum sit Dominum loqui de luce doctrinæ, tamen sensum non esse, Apostolorum Scripturam esse facilimam ad intelligendum, sed intellectam illustrare mentem, & erudire de rebus altissimis, tenebrasque errorum omnium effugare: Non tam enim illuminare, qui clare loquitur, vel scribit, quam qui, siue clare, siue obscure loquatur, aut scribat, lumen veritatis in mente accendit, & tenebras errorum depellit.

VII. Sed quorsum hæc tergiuersatio? Lucem istam aut omnes, aut pene omnes interpretes intelligunt, de Apostolorum doctrina. Chrysostomus, ἵνα μάθῃς ἡλίκον τῶν κατεσταλμένων ῥημάτων τὸ κέρδος, καὶ τῆς σεμνῆς διδασκαλίας τὸ ὄφελος, *Vt scias, quantum sit verborum astringentium ac mordentium lucrum, quantumque commodum honestæ rectæque doctrinæ.* Theophylactus, cum illud præcedens *Vos estis sal terræ* exposuisset, διὰ τῆς διδασκαλίας, καὶ τοῦ ἐλέγχου συστέλλοντες τοὺς χαύνους, *per doctrinam & redargutionem distringentes dissolutos*: deinde ad hanc lucem ita annotat, πρότερον ἅλας, καὶ τότε φῶς. ὁ γὰρ ἐλέγχων τὰ κρυφῇ πραττόμενα, οὗτος ἐστι φῶς, *Prius sal, tum lux: qui enim arguit ea quæ in abscondito fiunt, ille lux est.* Euthymius, *Mundum rursus dixit homines in mundo habitantes: quibus erroris caligine obscuratis, vos, inquit, electi estis, vt lux eorum sitis: vtque oculos animarum ipsorum luce doctrinæ ac scientiæ illuminetis.*

VIII. Nec aliter Latini. Hilarius, *Natura luminis est, vt lucem quocunque circumferatur, emittat, illatumque adibus tenebras interimat luce dominante. Igitur mundus extra cognitionem Dei positus, obscurabatur ignorantiæ tenebris: cui per Apostolos scientiæ lumen inuehitur, & cognitio Dei claret.* Glossa interlinearis, *Vos estis lux mundi: per quos omnes illuminantur à tenebris ignorantiæ.* Ordinaria, *Quia illuminati à Christo, verbo & exemplo mundanis lucem fidei, & scientiæ debent ministrare.* Mitto Athanasium de Trinitate libr. 3. & alios.

IX. Nec obsunt sequentia, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Et sane nullam inde Bellarminus perspicuam conclusionem ausus est nectere, aut indicare, quo sensu ea verba intelligat. At ego satis luculenter distingui dico lucem ab operibus: & sensum esse, ita debere Apostolos per veram sinceramque doctrinam hominibus prælucere, vt addant etiam bona opera: atque ita efficiant, vt homines non tantum audiant prædicantes, sed etiam videant operantes. Hoc enim veri pastoris est verum officium, vt plebi præeat simul & sermone & opere. Chrysostomus, ἄξιον τοίνυν τῆς χάριτος ἐπιδείξασθε βίον. ἵν' ὥσπερ ἐκείνη πανταχοῦ κηρύττεται, οὕτω καὶ αὕτη ἐκείνῃ συντρέχῃ, *Ergo dignam ea gratia vitam ostendite: vt quemadmodum illa vbiuis prædicatur, ita hæc illi concurrat.* Autor operis imperfecti. *Id est, sic illuminate, docete, non vt verba vestra tantummodo audiant homines, sed & opera vestra bona videant, vt quos illuminaueritis per verbum, quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum quasi sales: quoniam qui docet, & facit quod docet, vere ille docet: qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat.* Adstipulatur Lucas Brugensis, *Sic luceat lux vestra: doctrina Euangelica à vobis prædicata diuulgataque hominibus, vt videant opera vestra bona, doctrinæ illi vestræ conformia: cernentes vos agere vitam qualem docetis sinceram, puram, cœlestem.* Item Salmer. tract. 30. tom. 5. *Hortatur deinde Christus Apostolos, & in eis eos, qui docendi munere funguntur, vt doctrinam quam verbis prædicant factis facilem reddant: illamque bonis operibus ornent, atq; confirment.* Nec aliter Caietanus.

Porro intellectam Scripturam illustrare mentem quis neget? Sed addo non intelligi, si sit obscura: ac proinde non illustrare mentem. Vult autem Christus eam lucere omnibus. Omnibus, inquam, non vero pauculis quibusdam, quibus in aurem susurratur nescio quod mysterium, quod sibi solis habeant. Omnibus igitur qui sint in Ecclesia. Deinde nonne hæc sunt diserta? Nemo ponit lucernam sub modio. At nonne hoc vere esset sub modio ponere, si de industria hanc lucem Apostoli obscurassent suis scriptis? Ergo quia illud audierant magistrum prohibentem, ne hoc quidem fecisse credendi sunt.

XII. Et quod additur, non tam illuminare eum, qui clare loquitur, vel scribit, quam qui, siue clare, siue obscure loquatur, aut scribat lumen veritatis in mente accendit, & tenebras errorum depellit: hoc, inquam, valde inconsiderate dicitur. Nam qui obscure, aut loquitur, aut scribit, etsi ea quæ loquitur & scribit, apta sint ad illuminandum, tamen quatenus obscure, aut scribit, aut loquitur, nullum ille veritatis lumen in mente accendit. Paulus 1. ad Corinth. c. 4. Ἐὰν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε, πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον; ἔσεσθε γὰρ εἰς ἀέρα λαλοῦντες. *Nisi bene significantem sermonem ediderītis, quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aerem loquentes.*

CAP. VIII.

Euangelium non esse tectum.

I. PAulus poster. ad Corinthios c. 4. *Si tectum est Euangelium nostrum, in qui pereunt tectum est: in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes, id est, infidelibus, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Negat Paulus, Euangelium suum tectum esse, κεκαλυμμένον, nisi infidelib. hoc est, iis, quibus Satan oculos excæcauit. Ergo, inquam, obscurum esse non potest per se, sed tantum per accidens: quomodo solis lumen meræ sunt tenebræ iis, qui sunt oculis capti. Deinde non est obscurum fidelibus: nam iis Sathan non eruit oculos: imo Christus potius aperuit. Est autem Scriptura, id est, ea doctrina, quæ in Scripturis declaratur, Euangelium illud Pauli. Ergo Scripturas qui fidelibus obscurissimas esse contendunt, ij grauissime peccant contra autoritatem Pauli.

II. Bellarminus vero negat Apostolum loqui de intelligentia Scripturarum: sed de cognitione & fide in Christum, quam Apostoli prædicabant. Et hoc probat: quia Paulus c. 13. dixerat, hoc esse discrimen Veteris & Noui Testamenti, quod in illo Veteres non videbant mysteria Christi, incarnationem, passionem, & reliqua, nisi per velamen figurarum, & vmbrarum: cuius signum erat, velamen illud, quo Moses faciem tegebat. In hoc, figuris omnibus iam impletis reuelata facie gloriam Domini speculamur, vt non sit anus, aut puer Christianus qui nesciat Deum incarnatum, passum, & reliqua. Et quia obiici poterat multos post Euangelium prædicatum non credere, nec quicquam videre (maxime Iudæos) præter vmbras & figuras: ideo subiicit Paulus, Euangelium iis opertum esse, quorum oculi interni prauis affectibus sunt excæcati.

III. Imo vero Bellarminus nullo modo aut concepit, aut expressit mentem, seriemve sermonis Apostolici. Nam, vt verum sit, capite tertio comparari ambo Testamenta, vt vnũ dicatur obscurum, alterum perspicuum: tamen in quarto multa sunt, quæ vafre præterit Iesuita, sine quibus non possit disputationis series intelligi. Capitis initium hoc est. *Propterea, quum ministerium hoc habeamus, prout misericordiam consequuti sumus, nõ segnescimus.* Quibus verbis ostendit Paulus, se transire ab ea comparatione Testamentorum, ad suum ipsius ministerium, vt doceat quomodo seipse gesserit in prædicando hoc Nouo Testamento, quam sibi prouinciam agnoscebat esse mandatam. Nam, & eam ipsam comparationem 3. c. eum in finem aggressus erat. *Itaque* (inquiebat) *cum eiusmodi spem habeamus,* πολλῇ παῤῥησίᾳ χρώμεθα, hoc est, interprete Beza, *multa in loquendo euidentia vtimur.* Nam fiduciæ nomen, quo vetus interpres vsus est, alienum ab Apostoli mente: ideoque Syrus reddidit, *magis reuelato oculo gerimus nos*, Tremellio & Bodeçiano interpretibus, quorum verborum in editione Bibliorum Antuerpiensium exprimitur sententia in hunc modum, *longe apertius loquimur.* Et omnino eum sensum postulat Apostoli propositum, cum addat, *Non sicut Moses imponebat velamen faciei suæ:* quasi diceret, nos qui ministri sumus Noui Testamenti, ita loquimur in Euangelio prædicando, vt integumenta non quæramus, quemadmodum olim Moses.

IV. Ad illud ipsum ergo rediens c. 4. explicat dilucidius, quomodo se in eo ministerio gerat: & quidẽ verba sũt obseruatione dignissima ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, μὴ περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ, μηδὲ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστῶντες ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων. *Abdicauimus turpitudinis tegumenta, non incedentes cum calliditate, neq; falsantes sermonem Dei, sed declaratione veritatis commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam hominum.* Certe (vt reliqua omittam) ἡ φανέρωσις τῆς ἀληθείας, declaratio, siue manifestatio, siue vt Syrus reddidit, reuelatio veritatis, pertinet ad τὸν παραδόσεως τρόπον, significatque eam rationem tradendi Euangelij, qua Paulus vtebatur, diligenter vitans omnia turpitudinis integamenta, hoc est, vt ego quidem interpretor, quicquid vitio verti posset in traditione intricata, atque obscura. Propterea Gagnæus, manifestationem veritatis exponit apertam Euangelij prædicationem. Et Anselmus: *In manifestatione veritatis: quia manifestamus veritatem, quæ fuerat operta velamine Moysi.*

V. Quare, quæ verba in argumento recitamus, recte connectuntur cum istis proxime præcedentibus. Anselmus: *Nos quidem reuelata facie prædicamus sed si opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt, est opertum.* Aquinas: *Hic consequenter Apostolus respondet cuidam tacitæ obiectioni. Posset enim dici sibi ab aliquo, tu dicis quod non deficis in manifestatione veritatis Christi, sed hoc non videtur, quia multi contradicunt tibi.* Et sane quid iuuat ad remotissima in c. præcedent. excurrere cum facilimus sit nexus cum proximis? Nec aliter Chrysostomus: ἡμεῖς δὲ καὶ τὸν βίον ἡμῶν πᾶσιν εἰς μέσον προτίθεμεν, καὶ τὸ κήρυγμα ἀπογυμνοῦμεν, ὥστε πάντας αὐτὸ καταμανθάνειν εἰδέναι· ἐπειδὴ οἱ ἀπιστοῦντες ἠγνόουν αὐτοῦ τὴν ἰσχὺν, ἐπήγαγεν, ὅτι οὐχ ἡμῶν τοῦτο τὸ ἔγκλημα, ἀλλὰ τῆς ἐκείνων ἀναισθησίας, *Nos & vitam nostram cunctis in medium proponimus: ed & prædicationem denudamus, vt eam omnes percipiant. Postea quia infideles eius vim ignorabant, subintulit, non est nostra hac culpa, sed illorum vecordia.*

VI. Apparet ergo his verbis Paulum non loqui tantum de cognitione &

fide in Christum, qua infideles destituuntur excæcatis oculis à Satana: sed etiam de intelligentia prædicationis Euangelij, quam si quidam non capiunt, nulla ipsius prædicationis culpa sit: sed ipsorum impiorum, vt iam dixit Chrysostomus. Thomas de Vio: *Hinc habetur quod velamen non se tenet ex parte Euangelij, aut ministrorum eius, quemadmodum in Veteri Testamento.* Est autem Euangelicæ prædicationis pars Scriptura hæc ipsa, de qua loquimur. Itaque fatendum est, non tantum non prædicando viua voce, sed ne quidē scribendo, Apostolos obscuritatem affectasse, hoc ipso, quia reiecerant omnia tegumenta: multumque detrahere de eorum laude, qui contra asserunt.

VII. Habemus igitur mentem Apostoli. Sed rursus quæro, quid sibi velit hæc distinctio intelligentiæ Scripturarum, à cognitione & fide in Christum. Bellarminus quidem non explicat. Sed Puteanus forte nonnihil adiuuerit. *Aliud est* (inquit) *Scripturam censere obscuram, vt non intelligatur, quod faciunt Catholici: quam, vt non credatur, quod infideles.* Hæc verba si bene concipio, sensus est, Papistas fateri, Scripturas esse faciles ad credendum, sed obscuras ad intelligendum: Et Apostolum loqui de facilitate credendi, quo commento, vix crediderim fingi posse aliquid ineptius, atque à Pauli mente alienius.

VIII. Primum fides nulla est, aut esse potest, absque intelligentia: nihil enim creditur, quod prorsus ignoretur. Sic Eunuchus credidit, postquam à Philippo edoctus est, quæ nesciebat. Saluianus de gubernatione Dei libro quarto, fidem esse asserit fructum mentis. Biel etiam in librum tertium Sententiarum distinctione vigesima tertia, quæstione secunda, fidem habere dicit pro obiecto verum, quod est obiectum intellectus: & paulo ante definiri vel assensum veritatis reuelatæ: vel cognitionem reuelatam illuminantem mentem ad cognoscendum summam veritatem. Quod si ita est, ergo non potest animo concipi vlla fides, nisi præcurrat cognitio earum rerum, quæ credendæ sunt. Quod rursus si ita est, quis non videt absurdissime dici ea esse creditu facilia, quæ difficilia sunt intellectu? ac propterea ineptam esse hanc siue Bellarmini, siue Puteani distinctionem, quæ posito consequēte, tollat antecedens?

IX. Deinde, immane quantum abhorret ab instituto Pauli. Cum enim is suam in prædicando Euangelio sinceritatem commendare velit, quanta illa fuisset ἀκαιρολογία, si ipsum duntaxat Euangelium pronunciasset esse facile, suam autem tradendi Euangelij rationem intelligi voluisset, obscuram? Laudasset enim ille quidem Euangelium, vt doctrinam per se facilem, & perspicuam: sed se suaque scripta magna onerasset inuidia. Quis enim nescit, semper male audisse τὸ σκοτεινὸν, qui affectata obscuritate, auditorum lectorumve attentioni illuderent?

X. Denique, Euangelium facilius credi intellectum, quam prædicatum intelligi, omnino falsum est. Nam & Athenienses, Actorum 17. melius intelligebant quid esset mortuorum resurrectio, quam fide eandem amplectebantur: Et Iudæi satis sciebant Christum ab Apostolis prædicari natum, crucifixum, & reliqua, qui tamen obfirmabant seipsos ne crederent. Et ad extremum, omnino prius oportet intelligi, quam credi: vt non abs re hoc ipso loco infideles Paulus descripserit eos, quibus excæcatæ sunt mentes, ne irradiet eos lumen Euangelij: quæ verba ad intellectum potius pertinent, quam ad voluntatem: nimirum vt eos significet non posse velle credere, qui ne scirent quidem id quod debebant credere.

XI. Nihil igitur excipiendo promouent aduersarij. Porro huic argumento illustrando accommodatissimi sunt ij loci, qui de reuelatione Euangelij loquuntur disertissime, & ostendunt eam doctrinam in eum finem hominibus communicatam, vt ne ignoraretur. Quod si est verum, quî fit verisimile de industria fuisse ita obscuratam, vt à paucis quibusdam intelligi possit? imo non possit, nisi quemadmodum ænigmata, & gryphi, nimirum in aurem susurrata interpretatione, quam nisi ab aliis accipias, ipse nunquam possis assequi.

XII. Paulus ad Romanos 16. *Ei qui potest vos stabilire secundum Euangelium meum, & præconium Iesu Christi, ex reuelatione mysterij, quod à temporibus æternis tacitum fuit: nunc autem factum est manifestum, & per Scripturas Propheticas, ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei, omnibus gentibus declaratum: soli, inquam, sapienti Deo, gloria per Iesum Christum in secula.* Hîc Paulus & antiqua tempora comparat temporibus suis, & mysterium tacitum mysterio reuelato patefactoque. Et quia illud tacitum, constat non esse κατ' ἐπιτὸν intelligendum, quasi nunquam de eo quicquam Deus loquutus esset, siue per se, siue per Prophetas: sed quia sic erat propositum, vt tamen obscurum remaneret: Ergo illud reuelatum, siue patefactum, ita nobis interpretandum est, vt significet illam ipsam obscuritatem amotam, vt non iam per ambages, & ænigmata, sed perspicue, dilucide, explicate omnibus annunciatum.

XIII. Idem ad Ephesios cap. 1. gratiam Dei superabundauisse dicit, *in omni sapientia & intelligentia, patefacto nobis mysterio voluntatis suæ secundum gratuitam suam beneuolentiam.* Et 3. *Mihi longe minimo omnium Sanctorum data est hac gratia euangelizandi inter gentes imperuestigabiles opes Christi, & in lucem proferendi omnibus, quæ sit communio mysterij, quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia condidit per Iesum Christum, vt nota nunc fiat per Ecclesiam imperijs ac potestatibus, quæ in cœlis sunt, multiformis illa sapientia Dei.* Ad Colloss. 1. *Cuius factus sum ego minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos ad implendum Dei sermonem, nempe mysterium absconditum à seculis & atauis, nunc autem patefactum sanctis eius.*

XIV. Hæc & alia in eundem finem colligi possunt non pauca, ex quibus constat eam esse ex Dei voluntate quasi naturam prædicationis Euangelicæ, vt non tantum ipsa sit perspicua & manifesta, sed etiam lucem adferat iis, quæ obscurius prædicata erant ante Christi aduentum. Vnde constat etiam, hanc obscuritatis, perspicuitatisque differentiam non ad res ipsas referendam, sed ad rationem earum docendarum. Cum enim mysterium ipsum olim tacitum, tandem manifestatum dicitur, satis patet vtrinque res easdem manere ac proinde per se æque vel obscuras esse, vel perspicuas: itaque si quid erat, vel olim obscuritatis, vel nunc perspicuitatis, id totum necesse est constare ex docendi ratione: quæ si obscura nunc esset, quomodo mysteria dici possent reuelata? Porro Euangelicæ prædicationis partem esse Scripturam, quis ignorat? quis neget? Superest igitur, vt hanc perspicuitatis laudem Scripturæ ne inuideant Papistæ: aut si illi inuident, Catholici certe prolixe concedant.

XV. Nam & hoc constat, quod pro separato argumento Bellarminus sibi obiecit, hoc esse Veteris Noui Testamenti discrimen, quod in illo Scriptura erat liber signatus, Esaiæ vigesimo nono: in hoc autem, apertus, Apocalypsis quinto: nimirum, quia aperuit eum Agnus occisus. Sic enim nonnulli locos illos interpretantur: etsi alij aliter sentiant: vt solet allegoriarum campus esse spatiosus. Bellarminus autem non impugnat priorem sententiam: acquiescens autoritati Hieronymi ex Commentariis in 44. caput Ezechielis.

XVI. Respondet vero, hoc discrimen inde esse, quod in Veteri Testamento, non solum sententiæ Scripturarum, sed ne mysteria quidem intelligerentur, vtpote tecta figuris, ideoque ab Esaia dici librum obsignatum tam scienti literas, quam nescienti. In Nouo autem etsi multi non intelligant sententias Scripturarum, tamen intelligere mysteria redemptionis, etiam rusticos & mulieres. Porro neque eos Scripturæ locos, neque Hieronymum loqui de sententia Scripturæ, probat ex Origene, qui, homilia 12. in Exodum, dixit etiam nunc opus esse, vt agnus de tribu Iuda aperiat nobis libros signatos: item ex Hieronymo, qui in Epistola ad Paulinum de Institutione Monachi, scripsit adhuc hodie manere velamen non solum in facie Mosis, sed etiam Euangelistarum & Apostolorum, si cōsideremus Scripturarum difficultatem, propterea que orandum cum Propheta, *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*

XVII. Imo in Veteri Testamento non intelligebantur mysteria hanc ob causam, quia sententia Scripturarum erat non satis cognita: quemadmodum solet alias fieri, vt cum ignota sunt signa, res ipsæ sint cognitu difficiles. Itaque differentiæ quidem huius omnino capita duo sunt. Sed eorum est absurdissima pertinacia, qui cum contendant res Christianas esse manifestas, ea tamen signa, quibus illæ proponuntur non nisi obscurissima contendunt. Non sic, non sic, inquam ludit homines Deus: & quidem eos quos acquisiuit precioso Filij sui sanguine.

XVIII. Iam Origenes nihil habet, quo significet Scripturas esse obscuras. *Videamus* (inquit) *ne non solum cum Moyses legitur, sed & cum Paulus legitur, velamen sit positum super cor nostrum. Et manifeste, si negligenter audimus, si nihil studij ad eruditionem & intelligentiam conferimus, non solum legis & Prophetarum Scriptura: sed & Apostolorum & Euangeliorum, grandi, nobis velamine tegitur. Ego autem vereor, ne per nimiam negligentiam, & stoliditatem cordis non solum velata sint nobis diuina volumina, sed & signata: vt, si detur in manus hominis nescientis literas, dicat, quia nescio literas, si detur in manus scientis literas, dicat, quia signatus est. Vnde ostenditur non solum studium nobis adhibendum esse ad discendas literas sacras, verum & supplicandum Domino, & diebus & noctibus obsecrandum, vt veniat agnus ex tribu Iuda, & ipse accipiens librum signatum dignetur aperire. Ipse enim est qui Scripturas adaperuit, accendit corda discipulorum, & aut dicant, Nonne cor nostrum erat ardens intra nos, cum aperiret nobis Scripturas?* Hæc Origenes.

XIX. Enimuero nemo negat ad intelligendas Scripturas opus esse Spiritus Sancti opera, duplicem ob causam: tum quia in iis non omnia sunt explanata, sed quædam difficiliora: tum quia ea ipsa, quæ difficilia non sunt, recte & sincera fide intelligi non possunt, nisi ipso eodem Spiritu docente. Quid enim? Nonne oportuit Lydiæ sic cor aperiri, vt attenderet his quæ dicebantur à Paulo? Act. 16. Si igitur ne viuam quidem vocem satis capere possunt fideles à seipsis, quis miretur idem dici de Scripturis? Nam illam nihilominus ipsi aduersarij perspicuam & facilem esse fatentur. Adde Origenem, qui negligentiæ & stoliditati caulam imputat non intellectæ Scripturæ: Quid igitur hoc ad rem? Nā ea causa est accidentaria, & extrinseca, non vero naturalis & insita Scripturæ: atque adeo etiam quæ maximè & αὐτοφωτίστως, perspicua sunt, obscurissima reddit. Quid enim tam disertum esse queat, quod intelligatis, qui de eo ne quidem cogitauit vnquam? aut cogitauit, si cogitauit, perfunctorie, quomodo Papistæ plerique omnes solent?

XX. In Hieronymo falsarius est Bellarminus: neque enim ille dixit manere velamen illud, si consideremus Scripturarum difficultatem. Recito locum. *Totum quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget etiam in cortice: sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum frangat nucem. Reuela, inquit Dauid, oculos meos, & considerando mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, & pene lactentes, inscitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non solum in facie Moysi, sed & in Euangelistis, & Apostolis positum est. Turbus Saluator in Parabolis loquebatur, & contestans mysticum esse quod dicebatur, aiebat, Qui habet aures audiendi, audiat. Nisi aperta fuerint vniuersa quæ scripta sunt, ab eo qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, nullo alio referante pandentur.* Audin' tu nullam ab Hieronymo nominari difficultatem Scripturæ, sed nostræ tenebras ignorantiæ?

XXI. Sed & quo argumento, quo indicio colligere potuit Bellarminus Hieronymum hic agere de sententia Scripturarum, non vero de mysteriis? Nam ego contra statuo: & euinco ex ipso loco. Primum quod corticem opponat medullæ, & nucem nucleo: id est, eum sensum, qui se primo offert, quique verborum est, id est, Scripturæ, cum eo quem altius inuestigari oportet: & hic rerum est potius, quam verborum. Secundo, quia concludens nisi (inquit) vniuersa quæ scripta sunt, aperta fuerint ab eo qui habet clauē Dauid, nullo alio referante pandentur: quæ verba si obscuritatem significarent, Scripturarum potius quam mysteriorum, necesse esset fateri, nihil in Scripturis esse non obscurum: quod tamen ne Papistæ quidem contendunt. Nos vero fatemur omnia mysteria, etiam quæ verbis omnium maxime perspicuis, & manifestis concipitur in Scripturis, non aliter à nobis intelligi, nisi reuelante Christo, etiam si ipsam verborum sententiam alias non difficile sit expedire.

CAP. IX.

An Summa totius Scripturæ sit perspicua.

I. SI Summa totius Scripturæ est perspicua in eadem Scriptura, ergo & eadem Scriptura non est obscura, vt volunt Papistæ. At prius verum, Ergo & posterius. Probatur consequentia: quia cum summã Scripturæ, id est, fidei Christianæ, non habeamus nisi è Scripturis, tum profecto necesse est, vel eam obscure tradi ac proinde ipsam etiam obscuram esse, quod est contra hypothesin: Vel si non est obscura, ergo non esse ipsam Scripturam obscuram, à qua traditur. Quæcunque enim traduntur obscure, ea etiam obscura esse oportet: Exempli gratia: In Prophetia Danielis traditur historia quatuor Imperiorum. Ea obscura est, non per se: nam in maxima luce orbis versata sunt illa imperia: sed quia obscure traduntur & per ænigmata: atque ita semper fit, vt ὁ σκοτεινὸς πανταχοῦ τρόπος, ipsa ea quæ docentur, obscurer. Sic in nouo Testamento totum mysterium Antichristi obscure traditum est: quod tamen ipsum suo tempore futurum erat clarissimum. Imo rursus in Veteri Testamento Messiæ doctrina, qua nihil hodie est clarius manifestius, facilius, per ambages docebatur.

II. Probatur autem assumptio. Quia summa totius Scripturæ diuiditur in articulos fidei, in præcepta Decalogi, in orationem Dominicam, & in Sacramentorum doctrinam. At hæc omnia perspicue traduntur in Scripturis, vt patet ipsa experientia, de qua prolixe egimus, saltem quoad articulos Fidei, & Sacramentorum capita, lib. 9 cap. 8. 9. 10. Certe enim si ipsi aduersarij, qui in hoc negotio diligentissimi sunt, vt imperfectæ Scripturæ colligant argumenta, nihil promouent, quid vltra desiderandum est aut exspectandum? Porro ne ipsi quidem, Orationis, aut Decalogi capita, dicent illis esse obscuriora.

III. Addo Augustini disertissima testimonia libro secundo de Doctrina Christiana, c. 6. *Magnifice & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Hunc locum sibi Bellarminus obiecit: sed alterum prudenter, ne vafre dicam, dissimulauit, De doctrina Christiana libro 2. c. 9. *In iis quæ aperte in Scriptura posita sunt inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque viuendi, spem scilicet, atque charitatem.* Quibus verbis quid disertius? neque enim commentario indigent. Idem Epistola 3. sic difficultatem Scripturarum commendat, vt nunquam magis, sed exceptis tamen iis quæ necessaria sunt saluti. *Tanta est*, inquit, *Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, vsque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tantæ in eis perueniatur difficultate, sed cũ quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteq; non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis oracula intelligenda proficientibus restant & reliqua.*

IV. Bellarminus huius argumenti negat & consequentiam & antecedens. Consequentiam quidem, quia etsi omnia aliquomodo ad ea, Symbolum dico, Orationem, Decalogum, & Sacramenta, reduci possint, tamen ipsa in se obscurissima sunt, vt patet de Vaticiniis Prophetarum, de Canticis Canticorum, de Epistola ad Romanos, de Apocalypsi, & aliis. Antecedens autem, quia si tam clara testimonia exstarent de omnibus articulis Symboli omnibusque Sacramentis, omnes controuersiæ essent finitæ: cum tamen de singulis articulis Symboli, & singulis etiam Sacramentis, controuersiæ sint grauissimæ, non solum Catholicis aduersus hæreticos, sed etiam hæreticis inter se.

V. Sed consequentia tenet firmiter, quomodo est à nobis & concepta & confirmata. Nam, quod vniuersam Scripturam nominauit in conclusione, corrupit nostrum argumentum pro suo ingenio Iesuitico, vt suam dissimulet impietatem. Enimuero si totam, quantacunque illa est, contenderemus Scripturam esse perspicuam & facilem, quorsum à summa argumentaremur? Norunt enim omnes, aliud esse Summam Scripturæ, aliud ipsam totam. Cum coercemus ergo ad hæc quatuor capita, Symbolum, Orationem, Decalogum & Sacramenta, satis indicamus, quid nobis sit mentis.

VI. Antecedens autem oppugnari non potest, quin Augustino bellum indicatur, cuius tã certa verba sunt. Est vero obiectio friuola: quia nõ est verum, de iis capitibus nullas esse controuersias, quæ habent in Scripturis perspicua testimonia. Teste ipsa experientia. Nam quid magis est perspicuum, quam esse Deum vnum? Et tamen induxerunt Manichæi duo Principia. Quid? natum Christum è Virgine Maria, non perspicue docent Scripturæ? Et tamen de cœlo carnem eius deducere conati sunt olim quidam? Denique resurrectionẽ impetere non dubitauit Origenes, etsi eam sic tractarit Paulus, vt nihil perspicuum possit dici, si hoc sit obscurum. Ergo cum arguit Bellarminus: Si haberentur clara testimonia de omnibus articulis Symboli, & Sacramentis, omnes controuersiæ essent finitæ consequentia est ineptissima.

VII. Iam ad Augustini locum primo recitatum respondet, quædam reperiri obscurissima, quæ nunquam in tota Scriptura explicantur, ideoque Augustinum non frustra addidisse particulam *fere*. Deinde, hoc esse valde difficile, inuenire id, quod vno loco obscurissime dicitur, vbinam aperte dicatur: alioqui non diceret idem Augustinus Epistola 119. se plura nescire, quam scire in sacris literis. Tertio, illa etiam loca, quæ nobis videntur apertissima, alicui alteri videri posse obscurissima. Nam illa, *Hoc est corpus meũ* Papistis videri tam clara, vt nihil potuerit clarius dici, at eadem Zuinglianis esse obscura & figurata. Rursus illa, *Bibite ex hoc omnes*, Papistis & Lutheranis etsi clarissima, tamen diuersissime explicari: illis de solis duodecim discipulis explicantibus, his vero extendentibus ad omnes fideles. Itaque cõcludit Bellarminus Scripturam solam, non sufficere dirimendis controuersiis.

VIII. At ego ad primam exceptionem dico iam concessum esse, nonnullos occurrere locos difficiles: itaque nobis illam particulam nihil nocere. Nocere autem Papistis. Nam qui dicit, *nihil fere*, significat axioma esse adeo generale, vt quam paucissima excipi queant, imo adeo pauca, vt cum reliquis comparata, vix quicquam censeri possint. Porro non est æquum, vt ex tam exiguo numero particularum, totum corpus censeatur. Quid enim causæ adferri posset quominus ex paucis perspicuis totum Scripturarum corpus dicatur perspicuum, quam vt dicatur obscurum ex paucis obscuris? Porro hanc Augustini exceptionem ita intelligendam esse, vt generaliter dicatur, nempe in Scripturis esse quosdam locos, sed eos paucissimos è quib. quod eruitur, non possit aliunde confirmari. Non veto coercendam specialiter ad ea capita, quæ spectant ad Symbolum, vel Orationem, vel Decalogũ vel Sacramenta, hoc est, vno verbo quæ necessaria sunt saluti. Nam ad ista quod attinet, omnino verum est, nihil ex locis difficiliorib. erui posse, quod non planissime dictum alicubi reperiatur: vt probatur ex aliis eiusdem autoris locis.

IX. Ad secundam, magnam illam esse difficultatem, sed iis qui aut omnino non legunt, aut perfunctorie legunt Scripturæ libros. Nam si quis sincere & diligenter euoluat, is facile aduertet sedes eorum omnium capitum, locos, inquam, perspicuos, in quibus illa omnia traduntur, quæ saluti necessaria sunt. Et tamen verum est multo plura in sacris literis ab Augustino, vel quocunque alio ignorari, quam sciri: tum quia in iisdem multa sunt præter hæc ad salutem necessaria: tum maxime quia hæc ipsa, quæ perspicue traduntur, hæc ipsa, inquam, saluti necessaria, non sciuntur, sed creduntur, &, vt loquitur Apostolus, cognoscuntur ex parte.

X. Ad tertiam frustra conquiri varias discrepantesque de iisdem locis sententias. Nec enim verum est, ea loca esse obscura, quæ non exponuntur ab omnibus eodem modo. Nam obscuritatem oportet semper intrinsecam esse (vt ita dicam) cuilibet obscuro loco. At variarum interpretationum variæ possunt esse causæ, eæque extrinsecæ, atque in eorum ingeniis à quibus expositiones proficiscuntur. Itaque nego hos ipsos locos, qui sunt in exempla prolati, esse obscuros: quantumuis prior figuratus sit, non enim opponuntur figuratum, & perspicuum: quantumuis alterius nota vniuersalis cõtrahenda, vt ne comprehendat Turcas, & Iudæos: de quibus alias, & proprio loco dicendum erit fusius, si Deus dederit, vt ad quartum locum Communem perueniamus.

XI. Gregorius de Valentia suam hîc exserit necessariorum distinctionẽ: negans nos animaduertere, quibus modis sit necesse ad salutem credere aliquam fidei veritatem. Adeo est confidens sui vt omnes præ se vno nihil videre credat. Sed eam tamen necessitatem duplicem facit. Vel absolutam, vt simpliciter necesse sit, veritatem hanc aut illam nosse: vel secundum quid, quia non licet vllum errorem amplecti fidei contrarium. Ad priorem pauca pertinere capita: & hæc perspicue fere in Scripturis doceri: ad alteram autem omnes omnino fidei sententias ac veritates, cum quibus pugnare possint aliqui contrarij errores: has esse prope infinitas, & maiori ex parte in Scripturis contineri obscure: atque hinc euinci obscuritatem sacrorum librorum.

XII. Sed hîc Gregorij lusus nihil habet solidi. Augustinus enim diserte ea nominat, quæ continent fidem, moresque viuendi: quibus duobus vocabulis omnia comprehenduntur quæ religioni necessaria sunt. Sed idem libro secundo, de Peccatorum meritis & remissione, c. 36. hoc quid sit satis explicat: *Etsi quodlibet horũ, quemadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem, illud tamen credo, quod etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima autoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.* Agebatur de anima, & vnde sit in ea peccatum: Hoc ignorari posse credidit Augustinus: ignorari autem, etiam à se ipso, hoc est Episcopo, & Theologo magno: multo igitur magis à reliquis. At hoc, si non posset ignorari sine dispendio salutis, credidit fore luculentissimis testimoniis pronunciatum in Scripturis. Perspicuum est igitur credidisse Augustinum, omnia ea, quæ ignorari non possunt ab homine, absque dispendio salutis, constare clarissima autoritate diuinorum eloquiorum. Hoc tantum ergo inuestigandum restat, vtrum quæ in secundo genere Gregorius collocauit, ignorari possint absque dispendio salutis. Sed hoc ipse soluit: quia tum cum proponitur veritas cum opposito errore, fatetur necesse esse ad salutem assentiri veritati. Vnde sequitur ignorari non posse absque dispendio salutis. Quis igitur non concludet, constare igitur debere clarissima autoritate diuinorum eloquiorum?

CAP. X.

An Scripturæ intellectæ fuerint per se.

I. SI Scripturæ essent obscurissimæ, vt Papistæ contendunt, ergo nunquã intellectæ fuissent per se, siue absque commentariis. At falsum posterius, ergo & prius. Consequentia per se patet. Consequens autem falsum esse facile colligitur: primo, quia fuit sine dubio aliquod tempus, cum nulla exstarent commentaria in Scripturam: sic enim Vetus Testamentum iis caruit ante Christi aduentum, ac diu etiam postea. In Ecclesia vero Christiana. Origenes fere primus est, qui huic labori vacauit. Secundo, semper ad populum lectus est purus contextus Scripturarum, nunquam autem commentaria vllat: & lectus ita, vt intelligeret populus adstans, & audiens. Inde est enim, quod Lectoribus constitutis, disertè mandabatur, vt distincte legerent ad plebis ædificationem. Qui ordo penitus est antiquatus apud Papistas, qui quæ censent esse obscurissima, valde cauent (pro sua pietate scilicet) ne vulgo communicent.

II. Bellarminus suo more luxauit argumentum: quod enim nos contra Papisticam obscuritatem opponimus, iste inflectit aduersus vsum commentariorum. *Quorsum igitur* (inquit) *nos nouam istam semitam commentariorum ingredimur?* Quasi vero quisquam adeo desipiat, vt improbet commentaria in Scripturam. Nos certe ij non sumus: qui potius tum veteres illos sanctos Patres, tum recentiores, apprime laudamus: quicunque huic vtilissimo, sed & maxime necessario labori insudarunt: tum quia nouimus non pauca esse in sacris paginis obscura, in quibus valde opus est tardiore

diores adiuuari: tum etiam, quia illa ipſa, quæ ſunt maxime perſpicua, nihil nocet ſic illuſtrari: neque enim vel in humanis doctrinis, ea tantum commentariis explicantur, quæ ſunt obſcuriſſima. Bellarminus igitur cauſam iſtam agit non ſincere.

III. Ad argumentum reſpondet, negans aſſumptionem. Nam primos Patres, qui continuo poſt Apoſtolos fuerunt, non legiſſe quidem commentaria, quæ nulla erant: ſed adiſſe tamen commentaria viua, id eſt, Apoſtolos, & eorum diſcipulos, & non ex proprio ingenio Scripturas intelligere voluiſſe. Sic Papiam de ſeipſo teſtari apud Euſebium libr. 3. hiſtoriæ, capit. vltim. & Clementem Alexandrinum libr. 1. Stromatum enumerare præceptores ſuos Apoſtolorum diſcipulos, in quibus præcipue Panthenum. Porro Iuſtinum & Irenæum, atque alios cœpiſſe commentaria in diuinas literas ſcribere, teſte Hieronymo, libro de Viris illuſtribus, in Ioanne: indeque poſteriores cœpiſſe antiquiorum ſcripta euoluere, vt Baſilium & Gregorium, teſte Rufino, hiſtoriæ lib. 11. cap. 9. quod de ſe etiam ſimiliter teſtatur Hieronymus, præfatione commentariorum ad Epheſios.

IV. Sed facilis ſolutio. Primum exempla ſunt particularia, quæ non concludunt vniuerſaliter. Neque enim ſequitur, nonnulli adiuti ſunt commentariis ſiue viuis, ſiue ſcriptis: ergo Scripturæ ſunt obſcuriſſimæ. Sed contra optime ſequitur: Quidam Scripturas intellexerunt nullis adiuti cõmentariis: ergo eę nõ ſunt obſcuriſſimæ. Ratio eſt quia, hæc propoſitio: Quicquid intelligitur ope Commentariorum, id obſcurum eſt: non eſt vera: Hæc tamen eſt vera, Quicquid intelligi poteſt abſque vllis commentariis, id non eſt obſcurum. Itaque debuit Bellarminus probare, neminem vnquam Scripturas intellexiſſe abſque commentariis, ſiue viuis, ſiue ſcriptis: non vero aliquos intellexiſſe ope eorum commentariorum.

V. Nam vt hoc prolixe concedimus, tum alias ob cauſas, tum propria docti experientia: ita illud conſtanter negamus: quia habemus exempla in contrarium. Nam Actor. 17. dicuntur Berœenſes, excepiſſe Pauli ſermonem cum alacritate: & quotidie ſcrutati eſſe Scripturas, an ita ſe haberent. Hi ſane nulla poterant commentaria conſulere: non ſcripta, quæ nulla extabant: non viua, quia Apoſtoli doctrinam exigebant ad Scripturam: ac proinde hanc illius regulã eſſe cenſebant: Et tamẽ Scripturas intelligebant. Horum exemplo non abſimile eſt exemplum Conſtantini magni, quem teſtatur Euſebius libro 1. de eius vita, poſt Epiſcoporum catecheſin decreuiſſe, τοῖς ἐνθέοις ἀναγνώσμασιν προσέχειν, *in diuinam* (inquit Chriſtophorſonus) *ſacrarum literarum lectionem omni cura, & cogitatione incumbere*. Similiter cap. 18. Apollos dicitur potens in Scripturis: qui tamen ſciebat tantum baptiſma Ioannis, hoc eſt, nondum Apoſtolos audiuerat: ſed ne vlla quidem commentaria legerat. Timotheus etiam ab ineunte ætate ſacras literas didicerat, nullis aut Apoſtolis, aut Commentariis adiutus.

VI. Præterea Tertullianum Chriſtianum factum eſſe, ex fide Scripturarum teſtatur Pamelius in eius vita: qui tamen nulla ſcripta poterat habere commentaria, nec Apoſtolos aut Apoſtolorum diſcipulos conſulere, poſitus in Aphrica: Antonium Eremitam, Auguſtinus teſtatur de doctrina Chriſtiana libr. 1. *ſine vlla ſcientia literarum Scripturas diuinas, & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe*. Non legebat ergo commentarios: & in ſolitudine, quem poterat conſulere? Intellexit tamen: & intellexit cogitando. Non igitur obſcuriſſimas nactus eſt.

VII. Cæterum de Commentariis in Scripturam ſacram, ante Origenem, nihil omnino proferri poteſt, niſi illud vnicum de Iuſtino & Irenæo Apocalypſin exponentibus, quod exigui admodum momenti eſt. Primum non conſtat, vtrum ſcripti fuerint commentarij: potuerunt enim aliter exponere, ſcilicet viua voce. Deinde, vt demus etiam plenos ſcripſiſſe commentarios, quid ad rem? Nam eum librum fatemur eſſe obſcuriſſimum, etiam hodie, cum infinitis doctorum hominum laboribus illuſtratus ſit. Sed hæc profecto minima pars eſt Scripturæ. Quid igitur reliquis libris factum eſt? eos nemo legebat? nemo intelligebat? an potius ſine vllis commentariis, & legebantur, & intelligebantur? Vident omnes ſani vtrum verius.

VIII. Papiæ vero, & Clementis exempla, ſunt ἀπροσδιόνυσα. Neuter enim de modo intelligendæ Scripturæ loquitur: ſed de traditione viua fidei. Nihil vero obſtat, quominus Scriptura non ſit obſcuriſſima, & tamen viua voce doceamur ea ipſa capita doctrinæ quæ in illa continentur: quod ſemper factum eſt in Eccleſia, in qua quis neſcit maximum vſum fuiſſe τῆς κατηχήσεως? Sed qui viua voce ſic primum docentur, poſtea ablegantur ad Scripturas, vt in iis, & perſpicue & ſolide, diſcant ea ipſa quibus per κατήχησιν ſunt initiati.

CAP. XI.

An Scripturæ clariores ſint Patrum traditione.

I. SI Scripturæ Sanctæ, ſunt Patrum traditione, tum viua: tum ſcripta clariores, ergo non ſunt obſcuriſſimæ. At prius verum: ergo & poſterius. Patet conſequentia: quia Papiſtæ contendunt traditionem Patrum eſſe perſpicuam. Antecedens autem probatur: quia Patres quæcunque tum ſcribebant, tum ad populum loquebantur, quæ quidem eſſent de fide, pertinerentque ad doctrinam fidei, ea confirmabant, & illuſtrabant, autoritatibus Scripturarum. Non debet autem probari obſcurum per obſcurius.

II. Argumentum eſt Lutheri in præfatione articulorum à Leone decimo Romano Pontifice damnatorum. Bellarminus miratur eum, qui alias tam ſeuere ſophiſticam deteſtetur, hîc non vereri ſophiſtam agere. Nam quod dicitur, minus notum ex magis noto probandum eſſe, dupliciter intelligi poſſe: vt magis notũm dicatur, vel propter notitiam verborum, quæ in perſpicuitate ſententiæ conſiſtit, quemadmodum dicimus notiorem eſſe, id eſt, faciliorem & clariorem ſententiam propriã, quam figuratã: vel propter notitiam veritatis rei, quæ in eo poſita eſt, vt quis intelligat id quod dicitur eſſe verum. Porro Philoſophos eo axiomate reſpexiſſe ad hanc poſteriorem notitiam, non vero ad illam priorem. Et Patres ſententias ſuas Scripturarũ teſtimoniis confirmare, quia notius eſt, verum eſſe quod in Scripturis habetur, quam quod habetur in Patribus: ſed eoſdem nihilominus commentariis ſuis illuſtrare Scripturas, quia verba Scripturæ ſint obſcuriora verbis Patrum.

III. At ego minime miror Bellarminum agere Sophiſtam, hoc eſt, ſuas partes: quandoquidem ita neceſſe eſt mendacium defendi. Lutherum autẽ hoc argumento id egiſſe, calumnia eſt. Imo hactenus nunquam auditum eſt, ea obſcura appellari, de quorum fide dubitetur, ſed incerta & dubia. Nã obſcuritas refertur potius ad ſenſum verborum. Diſtinguunt autem etiam Dialectici, in demonſtrationibus, verum à cognito: ἀνάγκη τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην ἐξ ἀληθῶν τ' εἶναι, καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων, καὶ γνωριμωτέρων. Oportet demonſtrationem eſſe ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus. Et ſane vtrumque eſſe in probationibus Theologicis neceſſarium, nemo nõ per ſe ſatis videt, nimirum, vt & teſtimonia ſint veriſſima, & conſtet etiam id aſſerere, de quo quæritur: quod ni fiat, eſſe nulla poterit legitima concluſio. Quare, cum Patres ſuas ſententias confirmarint autoritatibus Scripturarum, oportet omnino fateri, crediſſe, eos locos Scripturæ non tantum eſſe veros, ſed etiam perſpicuos.

IV. Hoc inde magis innoteſcit: quia cum aduerſus veritatem hæretici Scripturas citant, Catholici ſic reſpondent, vt doceant non ſic intelligendas, id eſt, non hunc eſſe illarum ſenſum. Vnde patet non tantum certitudinem veritatis attendendam in diſputando, ſed præcipue retinendam ſententiæ veritatẽ. Imo exprobrabat eis Clemens Alexandrinus Stromateωn 7. quod v tantum Scripturis: ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως λεγόμενα εἰς τὰ σημαινόμενα ἀπ' αὐτῶν σκοποῦντες, ἀλλ' αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει, *ſeligentes ſi qua ambigue dicta ſunt: neque attendentes quid ſignificetur: ſed nuda voce contenti*. Certe ἡ ἀμφιβολία ſpecies eſt obſcuritatis: imo potius, quicquid obſcurum eſt, id oportet eſſe ἀμφίβολον, videlicet quia incognito proprio ſenſu, alios, atq; alios offerre videtur legentis animo. Quare ſi ἀμφιβολίαν vitandam cenſuerunt Patres, quis eos cenſeat obſcuritate delectatos?

V. Athanaſius contra gentes. Ταῦτα δὲ καὶ πᾶσα θεόπνευστος γραφὴ φανερώτερον, καὶ κατὰ μεῖζον κηρύττει, ἀφ' ὧν δὲ καὶ ἡμεῖς τεθαρρηκότες ταῦτα σοι γράφομεν· ὁ τούταις ἐντυγχάνων, δυνήσῃ τῶν λεγομένων ἔχειν τὴν πίστιν. λόγος γὰρ ἐκ μειζόνων βεβαιούμενος, ἀναντίρρητον ἔχει τὴν ἀπόδειξιν. *Hæc vero tota Scriptura luculentius locupletiuſque deprædicant: à quibus & nos audaces facti ſumus, vt hæc ad te ſcriberemus. Sed & tu ſi in iis verſere, poteris eorum quæ dicta ſunt, certitudinem habere. Nam diſputatio firmata iis quæ autoritatem habent maiorem, demonſtrationem exhibet quæ refutari non poteſt.* Luculenta ſunt hæc huius ſancti Patris verba, quæ Scripturis attribuunt, vt ſint & φανερώτερα, & μείζονα: haſque indicat eſſe duas qualitates, quib. fit, vt in teſtimonium aſſumi poſſint eorum quæ diſputantur. Non ergo tantum (vt volebat Bellarminus) quia ſunt certiores. Similis locus eiuſdem authoris tractatu de Incarnatione Verbi. *Hæc tibi paucis pro rudimento, vt ita dicam, Alphabetico, & documento fidei in Chriſtũ, illiuſq; ad nos diuini aduentus cõprobatione propoſita ſunto:* σὺ δὲ τὴν πρόφασιν ἐκ τούτων λαβὼν εἰ ἐντυγχάνοις τοῖς γράμμασι γνησίως αὐτοῖς ἐφιστάνων τὸν νοῦν, γνώσῃ παρ' αὐτῶν τὰ λεγόμενα, τελειότερον μὲν καὶ τρανότερον τῶν λεχθέντων τὴν ἀλήθειαν. *Tu vero ex his ſumpta occaſione, ſi in ſacris literis verſeris, eiſq; legitime animum attendas, ab iiſdem cognoſces quæ dicta ſunt, eorumque certitudinem perfectius luculentiuſque.*

VI. Haud aliter Athanaſio antiquior Iuſtinus Tryphoni demonſtraturus Chriſtum eſſe Deum: πρόσχετε (inquit) οἷσπερ μέλλω ἀναμιμνήσκειν ἀπὸ τῶν ἁγίων γραφῶν, οὐδὲ ἐξηγηθῆναι δεομένων, ἀλλὰ μόνον ἀκουσθῆναι. *Attendite iis quæ recitaturus ſum è Scripturis: quæ quidẽ eiuſmodi ſunt, vt explicanda non ſint, ſed duntaxat audienda.* Adeo certus hic fuit perſpicuam eſſe Scripturam: adeo ſciebat pugnandum, non certis tantum, ſed etiam perſpicuis argumentis, & quidem è Scriptura, quod Bellarminus nolebat à nobis intelligi, ipſe certe noluit aduertere.

CAP. XII.

De Perſpicuitate Scripturæ Patrum teſtimonia.

I. SVbiicio Patrum teſtimonia, CLEMENS Alexandrinus in Protreptico, Ἀκούσατε οὖν οἱ μακρὰν, ἀκούσατε οἱ ἐγγύς. οὐκ ἀπεκρύβη τινὰς ὁ λόγος. φῶς ἐστι κοινὸν, ἐπιλάμπει πᾶσιν ἀνθρώποις, οὐδεὶς Κιμμέριος ἐν λόγῳ. *Audite ergo qui eſtis longe, audite qui prope. Nullis celatum eſt Verbum: lux eſt communis: omnibus illuceſcit hominibus: nullus eſt in verbo Cimmerius.* Satin' diſerte? Et quidem ad Ethnicos, nondum fidei myſteriis initiatos. Hos, inquam, Ethnicos Clemens quantum poterat, hortabatur ad Scripturas: & hortabatur argumento à perſpicuitate: Deus bone! quantum ab eo degenerauerunt Chriſtiani: ſi modo Chriſtiani Papiſtæ: ſed quantum degenerarunt, qui ipſos Chriſtianos, ipſos inquam, Chriſtianos, per baptiſmum Deo conſecratos, deterrent à Scripturis, & hoc vt obtineant, tragicis clamoribus exagitant Cimmerias tenebras. Heruetus ad eum locum ſic notauit. *Id verbum dicitur lux vera, & ſicut lux omnibus eſt communis, ita Verbum omnibus illuceſcit, niſi ſi qui ſua culpa claudant oculos*, Optime: quantumlibet Papiſta.

II. IRENÆVS libr. 2 c. 46. *vniuerſæ Scripturæ & Prophetica & Euangelica in aperto, & ſine ambiguitate: & ſimiliter ab omnibus audiri poſſunt.* Male habuit hic locus Feuardentium: propterea negauit Irenæum velle omnes Scripturas adeo apertas, & cuiuis obuias eſſe, vt nulla ſit in eis obſcuritas; ſed ſolum eas adeo perſpicue & conſtanter vnum & ſolum Deum mundi creatorem & rectorẽ prædicare, vt nemo qui his attenderit, ignorare poſſit. Sed hæc fruſtra. Nam illud prius quorſum, aut quis erat ſuſpicatus? maxime cũ eodem ipſo capite nominentur parabolæ, & ænigmata Eſto igitur ratum, illud poſterius omnino Papiſticum eſſe, hoc eſt, ſophiſticum, propter fœdã loci decurtationem. Deſcribo totum. *Cum itaq; vniuerſæ Scripturæ, & Propheticæ, & Euangelicæ, in aperto & ſine ambiguitate, & ſimiliter ab omnibus audiri poſſint (etſi non omnes credunt & vnum* (ſic enim lego & diſtinguo) *& ſolum Deum, ad excludendos alios, prædicent omnia feciſſe per Verbum ſuum: ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia, ſiue cœleſtia ſiue terrena, ſiue aquatilia, ſiue ſubterranea, ſicut demonſtrauimus ex ipſis Scripturarum dictionibus: & ipſa autem creatura in qua ſumus, per ea quæ in conſpectum veniunt hoc ipſum teſtante, vnum eſſe, qui eam fecerit & regat: valde hebetes apparebunt, qui ad tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculos.* Duo igitur diſtincte aſſerit Irenæus: & Scripturas omnes eſſe in aperto: & eaſdem aſſerere

Deum

Deum creatorem. At Feuardentius, ita nos in secundo detinebat, vt prius vix vellet animaduerti. Imo ex perpetua Papistarum πανουργίᾳ ex hypothesi voluit thesin contrahere. Non satis sano iudicio.

III. Rursus Irenæus lib. 3. c. 15. *Doctrina Apostolorum manifesta & firma, & nihil subtrahens: neque alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium.* At quis neget Scripturam esse doctrinam Apostolorum? Sed & vtramque dotem complexus est Irenæus: certitudinem, inquam, & perspicuitatē: quas tamen præcedenti capite, non tam distinguebat, quam separabat Bellarminus. Feuardentius nihil annotauit. Origenes contra Celsum 7. ὥσπερ ἡ προνοουμένη θεία φύσις οὐ τῶν πεπαιδεῦσθαι νομιζομένων μόνον τῶν Ἑλλήνων, ἀλλὰ καὶ τῶν λοιπῶν Ἑλλήνων, συγκατέβη τῇ ἰδιωτείᾳ τοῦ πλήθους τῶν ἀκροωμένων. ἵνα ταῖν συνήθεσιν αὐτοῖς χρησαμένη λέξεσι, προκαλέσηται ἐπὶ ἀκρόασιν τὸ τῶν ἰδιωτῶν πλῆθος, δυνάμενον ἐξ εὐχεροῦς μετὰ τὴν ἅπαξ γενομένην εἰσαγωγὴν φιλοπονήσασθαι πρὸς τὸ καὶ βαθύτερα τῶν κεκρυμμένων νοημάτων ἐν ταῖς γραφαῖς μεταλαβεῖν. καὶ τῷ τυχόντι γὰρ δῆλον ἐστὶ ἀναγιγνώσκειν. ὅτι πολὺ τοῦ αὐτόθεν ἐμφαινομένου βαθύτερον ἔχειν δύναται νοῦν τοῖς ἀνατιθεῖσιν αὐτοὺς τῇ ἐξετάσει τοῦ λόγου φανερούμενον κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς εἰς τὸν λόγον σχολῆς, καὶ εἰς τὴν ἄσκησιν αὐτοῦ προθυμίας. *Ita diuina potentia prouidens non solis eruditis Græcis, vt existimantur, sed etiam reliquis, condescendit ad idioticum captum auditura multitudinis, vt consuetis verbis apud eam vtendo imperitos ad auscultandum alliceret, præsertim cum eis facile foret post primam illam introductionem studiose scrutari sensus reconditiores in Sacris Scripturis, & peruestigare. Cuiuis enim est perspicuum, qui modo has legat, quod qui eas diligenter examinant, multo retrusiora inueniunt, quam quæ videntur prima specie: idq; tanto magis, quanto plus eis impendat operæ ac studij.*

IV. ATHANASIVS disputatione contra Arium, in Niceno Concilio, cum Arius quæreret, *Quare igitur Scriptura nusquam dicit, vt honoretur Spiritus vna cum Patre & Filio?* respondeo, αἱ ἅγιαι γραφαὶ πάντα σαφῶς διαλέγονται. *Scripturæ Sacræ omnia manifeste loquuntur:* tum ab hac thesi ad hypothesin deueniens, εἰς δὲ ὁ ἐστι μὲν ἐπὶ τοῦ παρόντος, αἱ ἅγιαι δυνάμεις πᾶσαι αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀπαύστως τιμῶσι τὸ ἅγιον πνεῦμα. *Quod vero attinet ad id de quo nunc agimus, Sanctæ potestates in cœlis, indesinenter honorant Spiritum Sanctū.* Qui locus à Nannio interprete luxatus erat. Ne dicant igitur aduersarij, hæc πάντα coercenda ad id de quo agitur, id est, adorationem Spiritus Sancti: quanquam hoc ipsum caput, cum libet, negent clare constare è Scriptura. Obstat n. distinctio diserta, inter τὰ πάντα, Et illud εἰς δὲ ὁ ἐστι μὲν ἐπὶ τοῦ παρόντος: quæ ostendit Athanasium occasione sumpta ab aduersarij obiectione, libenter Scripturam καθ᾽ ὅλου laudasse à perspicuitate.

V. AMBROSIVS, Epistola 7. de Paulo loquens. *Ita plerisque suis exponit sermonibus, vt qui tractat* (id est, eius locos in homiliis explicat) *nihil inueniat quod adijciat suum: ac si velit aliquid dicere, Grammatici magis quam disputatoris fungatur munere.* Non sunt igitur obscurissima omnia, sunt potius pleraque manifestissima. Et tamen hic ille Paulus est, in cuius scriptis tot esse δυσνόητα Papistæ tam importune queruntur. Quanto igitur reliqua saltem in Nouo Testamento oportet esse clariora?

VII. Chrysostomus oratione tertia de Lazaro, cum plurimis verbis, fortissimisque argumentis, omnes fideles hortatus esset ad sedulam, imo perpetuam lectionem Scripturarum, tandem sic causantes inducit: *Quid igitur si non intelligamus ea quæ non continentur libris?* Quæ ipsissima hodiernorum Papistarum excusatio est: imo ipsissima concionatorum apud eos increpatio. Sed bonus ille pater, siue causationem, siue excusationem dupliciter retundit: primo, ne ea quidem, quæ non intelliguntur, sine fructu legi: secundo, quod ad rem nostram facit maxime, affectatiorem esse quam veriorem excusationem. *Fieri non potest* (inquit) *vt omnia ex æquo ignores: propterea siquidem Spiritus gratia dispensauit illa, temperauitque, quo publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, & Apostoli, idiotæ, illiterati per hos libros salui fierent: ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere possit excusationem, vt omnia facilia conspectu essent ea quæ dicuntur: vt & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri, vtilitatisq; reportaret.* Atque hoc ipsum ne forte videretur dixisse animi quodā impetu, potius quam certa ratione, statim illustrat à dissimilitudine Ethnicorum autorum, & sacrorum. *Non enim* (inquit) *ad inanem gloriam, quemadmodum Ethnici sed ad audientium salutem hæc omnia composuerunt. quos ab initio Deus dignatus est gratia Spiritus. Siquidem hi, qui sunt à Christo alieni, philosophi, dicendi artifices, rhetores, ac librorum conscriptores, non quod in commune conducit quærentes, sed illud spectantes, vt ipsi sint in admiratione, etiamsi quid vtile dixerint, hoc quoque quemadmodum in caligine quadam sapientiæ consueta illis occultauit obscuritas. Apostoli vero & Prophetæ omnia contra fecerunt, manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, vt per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, è sola lectione.* Et interpositis nonnullis Scripturæ testimoniis: *Cui enim non sunt manifesta quæcunque in Euangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundicordes, cæteraque huiusmodi, desiderabit præceptorem, vt aliquid eorum discat, quæ dicuntur. Quinetiam signa, miracula, historia, nonne cuiuis nota manifestaque sunt?* Et indignabundus tandem, *prætextus iste est*, exclamat, *& causatio, pigritiæque velamentum.* Quid nunc dicat: imo quid nunc agat, si reuiuiscat? Cum videret non excusationem hanc esse laicorum, pigritiam dissimulantium, sed perpetuos clamores Concionatorum, deterrentium etiam diligentissimos?

VIII. Idem non minus vehementer homilia 3. in posteriorem ad Thessalonicenses, cum eos increparet, qui dedignarentur interesse lectioni Scripturarum, quæ publice fiebat à lectore, inducit respondentes. τί εἰσέρχομαι, εἰ οὐκ ἀκούω τινὸς ἑρμηνεύοντος; *Cur ingrediar, si neminem audio tractantem?* Ille vero contra exclamat, vt zelum facile agnoscas. Τοῦτο πάντα ἀπώλεσε καὶ διέφθειρε. τίς γὰρ χρεία ὁμιλητοῦ, ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ῥᾳθυμίας αὕτη ἡ χρεία γέγονε. *Hoc omnia perdidit & corrupit. Quid enim opus est tractatore? Ex nostra socordia hæc necessitas erupit:* διὰ τί γὰρ ὁμιλίας χρεία, πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. *Quid enim opus est tractatu? Quæcunque in Scripturis sunt, ea dilucida, & recta omnia perspicua sunt, quæ necessaria*, Et rursus: ἀλλ᾽ οὐκ οἶδα, φησὶ, τὰ ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς κείμενα. διὰ τί, μὴ γὰρ Ἑβραϊστὶ, μὴ γὰρ Ῥωμαϊστὶ, μὴ γὰρ ἑτερογλώσσοις εἴρηται, οὐχὶ Ἑλληνιστὶ λέγεται, ἀλλ᾽ ἀσαφῶς, φησί. ποῖον ἀσαφὲς, εἰπέ μοι, οὐχὶ ἱστορίαι εἰσί, *At, inquiet, non noui quæ in Scripturis exsistunt. Quare? An quia Hebraice, aut Latine, aut aliena quapiā lingua dicuntur? Nonne dicuntur Græce*

sed obscure, inquiet. Quænam illa, quæso obscuritas est? Nonne sunt historiæ? Et alia in eam rem nonnulla. Videte quam diligenter obiectiones soluat, quas isti hodierni (malum) Theologi videntur sibi non posse satis exagitare. Ille vero si fuit Spiritus Catholicus, quemnam hunc esse dicemus? ille certe si fuit Christianus zelus, istum tam contrariū, cur non dicimus antichristianum?

IX. Idem homil. in Matth. 1. καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ πρέπον, καὶ τὸ συμφέρον, καὶ πᾶσαν τὴν ἄλλην ἀρετὴν ἐν βραχέσι, καὶ σαφέσι συλλαβὼν ῥήμασιν ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ Χριστός. ποτὲ μὲν λέγων, ὅτι ἐν δυσὶν ἐντολαῖς ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται. τουτέστι τῇ τοῦ Θεοῦ ἀγάπῃ καὶ τῇ τοῦ πλησίον. ποτὲ δὲ λέγων, ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος, καὶ οἱ προφῆται. ἅπερ καὶ γηπόνῳ, καὶ οἰκέτῃ, καὶ γυναικὶ χήρᾳ, καὶ παιδὶ αὐτῷ, καὶ τῷ σφόδρα ἀνοήτῳ δοκοῦντι εἶναι, πάντα σύνοπτα, καὶ ῥᾴδια καταμαθεῖν. *Quid sit iustum, & decorum, & vtile, atque adeo relinquam omnem virtutē paucis dilucidisq; verbis docuit nos Christus: Siue cum dixit, in duobus mandatis totam pendere legem & Prophetas, nimirum Dei dilectione & proximi: siue cum docuit, Quicquid vultis vt faciant vobis homines, id vos illis facite: ea enim lex est & Prophetæ. Quæ certe & agricola, & seruo & viduæ, quin etiam puero: atque adeo si quis videatur non satis bona prædi... mente. omnia facile & intelliguntur, & ediscuntur.* Hæc ille: quæ ne coerceas ad ea sola exempla, quod est Papistis solenne κρησφύγετον, hoc epiphonemate sermonem clausit: τοιαῦτα γὰρ τὰ τῆς ἀληθείας, *Talia quippe sunt, quæ sunt veritatis.*

X. Homilia in Ioannem secunda, quæ tamen prima est in editione Latina, Ioannem annisum esse docet, ὅπως ἡ οἰκουμένη πᾶσα μάθοι τι τῶν χρησίμων, καὶ δυναμένων αὐτὴν ἀπὸ τῆς γῆς μεταστῆσαι πρὸς τὸν οὐρανόν, *vt vniuersus orbis aliquid vtile disceret, quo posset à terra transferri in cœlum:* Et addit, διὰ τοῦτο οὐδὲ ζόφῳ τινὶ καὶ σκότῳ ἔκρυψε ἑαυτοῦ τὴν διδασκαλίαν, καθάπερ ἐποίουν ἐκεῖνοι τὸ ἔνδον ἐναποκειμένων κακῶν τὴν ἐν τῷ λέγειν, ἀσάφειαν καθάπερ τι καταπέτασμα προβαλλόμενοι. ἀλλὰ τὰ τούτου δόγματα τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων ἐστὶ φανερώτερα. διὸ καὶ πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἀνθρώποις ἀναπέπταται. *Propterea nulla caligine, nullis tenebris suam operuit doctrinam, vt illi fecerunt, qui insita nequitia styli obscuritatem tanquam velum obtenderunt. Quin potius huius præcepta solis radiis clariora sunt: indeque omnibus per totum orbem hominibus exposita.* Et paulo post: τοσαύτην τοῖς ῥήμασιν ἐγκατέμιξεν σαφήνειαν, ὡς μὴ μόνον ἀνδράσι, καὶ συνετοῖς, ἀλλὰ καὶ γυναιξὶ, καὶ νέοις, ἅπαντα εἶναι τὰ λεγόμενα δῆλα. *Tantam verbis suis adhibuit perspicuitatem, vt sint, quæ dixit, perspicua non viris tantum iisque prudentioribus, sed etiam mulieribus, atque adeo adolescentulis.* Satin diserte?

XI. EPIPHANIVS Chrysostomo non admodum amicus, eiusdem tamen fidei, non sensit aliter. Disputans enim contra Ariomanitas, & Anomæos, scutum hoc subinde ostentat, scilicet perspicuitatem Scripturæ. Hæresi 69. καὶ οὕτω πάντα ἐστὶ σαφῆ καὶ διαυγῆ, καὶ οὐδὲν ἐναντίον, οὐδὲ θανάτου περιπλοκῆς ἔχον εἶδος, ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ *Et sic omnia sunt clara & lucida: nihil contrarium, aut habens mortiferæ perplexitatis vel speciem, in Sacra Scriptura.* Hæresi septuagesima sexta, πάντα γὰρ σαφῆ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ τοῖς βουλομένοις εὐσεβεῖ λογισμῷ προσέρχεσθαι τῷ θείῳ λόγῳ, καὶ μὴ διαβολικὴν ἐνέργειαν ἐν ἑαυτοῖς ἐγκρατήσαντες ἑαυτοὺς καταστρέφειν εἰς τὰ βάραθρα τοῦ θανάτου. *Omnia clara sunt in diuina Scriptura, his qui pia ratiocinatione diuino sermoni attendere volunt, non vero concepta in seipsis diabolica operatione, seipsos præcipites dare in barathrum mortis.* Et tamen si vnquam alias, tum maxime in disputationibus, & quidē iis ipsis capitibus, de quibus tum agebat Epiphanius, queruntur Papistæ obscuras esse Scripturas.

XII. AVGVSTINVS lib. 2. de Doctrina Christiana c. 9. *In iis quæ aperte in Scriptura posita sunt, inueniūtur illa omnia quæ continent fidē, moresq; viuendi, spem scilicet atque caritatem.* Et capite sexto dixerat. *Magnifice & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Epistola 3. cum initio dixisset non magna difficultate in Scripturis ad ea quæ necessaria sunt saluti, perueniri, tum ad finem disertius. *Modus ipse dicendi, quo Sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamuis paucissimis penetrabilis, ea quæ aperta continet quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum: ea vero quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptu quod in reconditis habens: sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderarentur* (sic enim legendum) *desiderata quodammodo renouantur renouata suauiter intimantur. His salubriter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia.* De vtilitate credendi c. 6. *Quicquid est, mihi crede in Scripturis illis, altum & diuinum est: inest omnino veritas, & reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina: & plane ita modificata, vt nemo inde haurire nō possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendū deuote ac pie, vt vera religio poscit accedat.*

XIII. GREGORIVS Nyssenus tract. 1. in Psalmorū inscriptiones. σκοπήσωμεν τὴν ἐπίνοιαν δι᾽ ἧς οὕτω σκληρόν τε καὶ σύντονον οὖσαν τὴν κατ᾽ ἀρετὴν πολιτείαν, τήν τε τῶν μυστηρίων αἰνιγματώδη διδασκαλίαν, καὶ τὴν ἀπόρρητόν τι καὶ κεκρυμμένην δυσεφίκτοις θεωρήμασι θεολογίαν, οὕτως εὔληπτόν τε καὶ γλυκεῖαν ἐποίησεν, ὡς μὴ μόνον τελείοις ἀνδράσιν, τοῖς ἤδη κεκαθαρμένοις τὰ τῆς ψυχῆς αἰσθητήρια τὴν διδασκαλίαν ταύτην προσδέξασθαι, ἀλλὰ καὶ τῆς γυναικωνίτιδος ἴδιον γενέσθαι κτῆμα καὶ νηπίοις, ὡς ἐν τι τῶν ἀθυρμάτων ἡδονὴν φέρειν. καὶ τοῖς πρεσβυτέροις ἀντὶ βακτηρίας τε καὶ ἀναπαύσεως γίνεσθαι, τόν τε φαιδρυνόμενον, ἑαυτὸν νομίζειν εἶναι τῆς διδασκαλίας ταύτης τὸ δῶρον καὶ τὸν σκυθρωπὸν ἐκ περιστάσεως διακείμενον δι᾽ αὐτὸν οἴεσθαι τὴν τοιαύτην τῆς γραφῆς χάριν δεδόσθαι. ὁδοιποροῦντές τε, πρὸς τούτοις καὶ θαλαττεύοντες ἄνθρωποι, ἤ τισιν ἐπιδιφρίοις ἐργασίαις προσκαθήμενοι, καὶ πάντες οἱ ἁπλῶς καὶ πολλῶς ἐν πᾶσιν ἐπιτηδεύμασιν ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες, ἐν ὑγείᾳ τε καὶ ἀῤῥωστίᾳ, ζημίαν ποιοῦνται, τὸ μὴ διὰ στόματος, τὴν ὑψηλὴν ταύτην διδασκαλίαν φέρειν. ἤδη δὲ καὶ τὰ συμπόσια, καὶ αἱ γαμικαὶ φαιδρότητες, ὡς μέρος εὐφροσύνης τὴν φιλοσοφίαν ταύτην ἐν ταῖς θυμηδίαις παραλαμβάνουσι. ἵνα παρῶμεν τὴν ἔνθεον ἐν ταῖς παννυχίσι διὰ τούτων ὑμνῳδίαν, καὶ τὴν ἐκκλησιῶν ἐσπουδασμένην ἐν τούτοις φιλοσοφίαν. Illustrissimus locus de vulgari Psalmorum vsu apud veteres, vsurpatorum promiscue à quolibet hominū genere: quo magis exsecrandam oportet esse Papistarum tyrannidem, qui ad hæreticos solos hunc vsum relegant, quasi Catholicis indignum. Sed in Psalmis igitur primū *causam* (inquit) *indagemus, quæ ex præscripto virtutis viuendi rationem, adeo rigidā atq; arduā, & mysteriorum ænigmaticam doctrinā, Theologiamq; arcanā, & theorematis difficillimis inuolutam, adeo captu facilem*

effecerit

esse erit, & suauem, vt non solum perfectis viris, mentisq; sensus iam purgat os habentibus studio sit hæc disciplina, sed & muliercula hunc proprium mundum habeant: Et infantibus crepundiorum instar, voluptatem adferat, & decrepitis scipionis, quietisque & cem præbeat: Insuper & qui secundis rebus splendet, hoc sibi proprium esse donum censeat: nec minus is qui ob varios euentus tristitia afficitur, sua causa putet hanc Scripturam gratuito concessam. Adhæc, quicunque siue terra siue mari iter faciunt, qui etiam artes sedentarias exercent, &, vt semel dicam, cuiuscunque instituti, siue viri siue mulieres cum prospera tum aduersa valetudine damno imputant, si non in ore habent sublimem hanc doctrinam. Iam vero conuiuia, & nuptiales hilaritates, hanc philosophiam, in partem lætitiæ sum delicijs adsciscunt: vt taceamus diuinam illam in peruigilijs per hos Psalmos hymnodiam: Ecclesiasque in iisdem accuratum studium.

XIV. Non potuit Psalmorum perspicuitas ὑπερηκόντως describi. Nam cũ res ipsas quæ in iis tractantur, Nyssenus concedat esse difficilimas, obscurissimas, intricatissimas: tamen has ipsas contendit effici ἁπλᾶς, sic explicatas, vt facile ad captum accommodentur. Captum autem non eruditiorum tantum, sed etiam quorumcunque rudiorum: etiam mulierc ularum, etiam infantium: vt taceam secularium varia genera. Quid iam? sunt ne Psalmis obscutiora quatuor Euangelia? aut Actus Apostolorum? aut Epistolæ?

XV. CYRILLVS Alexandrinus, septimo libro contra Iulianum Apostatam, tanquam obiectum ab Ethnicis crimen, profert, *quod Scriptura communem omnibus, & vulgarem ac protritam habet dictionem.* Hanc vero obiectionem quomodo Papistas censemus purgaturos fuisse? Longa sine dubio exaggeratione ambiguitatum, difficultatum, obscuritatum. Sed Cyrillus Catholicus longe aliter. *Dicimus* (inquit) *quod lingua quidem Hebræorum Prophetica dicta sunt & Mosaica: vt autem omnibus essent nota paruis & magnis vtiliter familiari sermone commendata sunt, ita vt nullius captum transcendant.* Egregie: sed è diametro contra Papistas.

XVI. FVLGENTIVS sermone de confessoribus & dispensatoribus. *Dominicus Sermo, quem debemus omnes, non solum studiose, verũ etiã sapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis suæ tenet vbique temperiem, vt nec otiosis desint pabula, nec pastoribus alimenta.* Et paucis interiectis. *In quibus denuo mandatis, tanquam ditissimis ferculis, sic cœlestium deliciarum copia spiritalis exuberat, vt in verbo Dei abũdet, quod perfectus comedat, abundet etiam quod paruulus sugat. Ibi est enim simul & lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia: & solidus cibus, quo robusta perfectorum iuuentus spiritalis Sanctæ virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem conuenit vniuersis, quos Dominus saluare dignatur: ibi est quod omni ætati congruat: ibi quod omni professioni conueniat.*

XVII. AVTHOR, commentariorum in Psalmos, qui Hieronymo tribuuntur: ad Psalm. 81. *Dominus narrabit in Scripturis populorum: In Scripturis Sanctis: quæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc est, vt omnes intelligant. Quod dicit, hoc est: Sicut scripserunt Apostoli, sic & ipse Dominus, hoc est, per Euangelia sua loquutus est non vt pauci intelligerent, sed vt omnes. Plato scripsit in Scripturas: sed non scripsit populis, sed paucis: vix intelligunt tres homines. Isti vero, hoc est, principes Ecclesiæ, Et principes Christi, nõ scripserũt paucis, sed vniuerso populo.*

XVIII. Ex hoc Patrum numero, solos Augustinum & Chrysostomum se legit Bellarminus, quorũ infirmaret testimonia. Chrysostomũ ad executiẽdum torporem multorum, qui possent, si vellent magno cũ fructu Scripturas legere, illis amplificationibus vti solere: alioquin affirmare Scripturas esse difficiles. Augustinum ca. 6. libri de Doctrina Christiana 2. non frustra addidisse illud fere: quædam enim reperiri obscurissima, quæ nunquam in tota Scriptura explicentur. Deinde idipsum valde esse difficile, inuenire nimirum id, quod vno loco obscurissime dicitur, vbinam aperte dicatur: alioqui non potuisse Augustinum dicere, Epist. 119. se plura nescire quam scire in sacris literis? Denique, eadem loca, quæ nobis videntur apertissima, alicui alteri obscura forte visum iri.

XIX. Agnosco ingenium Iesuiticum, tum maxime nihil agens, cum maxime videri vult, omnes aduersariorum copias, vno difflasse spiritu. Nam quæ, malum! hæc tergiuersatio? Itane disputant candidi viri, vt maximam partem argumentorum prætermittant? Imo Sophistarum hæc est importuna nequitia. Chrysostomus, inquit, torporem excutere conatur. Augustinus addit *fere*. Esto inquam: An etiam reliqui, Clementes, Irenæi, Athanasij Ambrosij, Epiphanij, Nysseni? An vero, si istos multos nobis concedant, se duobus tantum eluis, satis tutos fore putant Iesuitæ?

XX. Sed attende, Chrysostomus, inquit, torporem conatur excutere. Id quidẽ Catholice Chrysostomus, inquam, qui negligentes in Scripturis lectitandis Christianos esse non patiebatur. Non ita profecto Papistæ: non ita Iesuitæ: qui hunc torporem tantum abest vt excutiant, vt confirment potius quolibet artificio: Et oppositam diligentiam insectentur cane peius & angue. Qui eum torporem appellant Christianam modestiam: hanc diligẽtiam, curiositatis accusant immodestæ. Scilicet ille zelus est.

XXI. Sed torporem multorum, inquit, qui possent magno cum fructu, si vellent, Scripturas legere. Imo, inquam, omnium. Nam hæc eius sententia erat, vt prolixe docuimus lib. 10. ca. 5. Hæc, inquam, eius erat sententia, omnes omnino, cuiuscunq; ordinis, gradus, conditionis essent diligenter hortandos ad Scripturas legenda?: addens fieri non posse, vt sine fructu legerẽt. Nam quod amplificationem quandam hyperbolicam nominant, commentitium est, vt eodem loco disputauimus.

XXII. Et tamen, vt prolixe concedamus, & non omnes, sed multos proficere posse: & nescio quid hyperbolicũ, nihil tamen Bellarminus cõfecerit. Dixit n. Chrysostomus, Scripturas esse faciles Quis vero hyperbolice audiuit ab aliquo sano id asseri, quod prorsus esset falsum? Imo per hyperbolen ea commendari solẽt, quæ creduntur esse vera: tantum vehementius extolluntur. Dixit alias à nobis ipsũ Christũ & videri, & tangi vehementius quidẽ: sed tamen vere omnibus persuasum volens in Eucharistia ipsũ Christũ sumi.

XXIII. Quid de Augustino dicã? aut potest ne vnica particula, semel dũtaxat addita, præiudicium facere cum aliis eiusdem Patris locis, tum maxime aliorum Patrũ. Deinde, quid habet illa particula, quod aut Papistis prosit aut nobis noceat? Nobis certe nocere non potest, qui fatemur quædam esse obscura, vt in statu quæstionis ostensum. Papistis prodesse quî potest? qui non quædam, sed vel omnia, vel certe plurima esse contendunt obscura? qui denique tam differunt ab Augustino, vt quod hic dixit, nihil fere erui, quod non reperiatur in locis perspicuis, illi sic inuertant, vt asserant nihil fere erui, quod reperiatur in locis perspicuis?

XXIV. Nam quod alibi clamat, plura nescire se, quam scire in ipsis Scripturis, viderit Augustini modestia, ita de se ipso sine fastu sentientis. Certe, quæ necessaria erant, id est, quæ continebant fidem moresque viuendi, non potuit ignorare, quũ ea facilia esse diserte pronunciarit. Et mirum est, Bellarminum tam lynceis oculis, vt hyperbolen viderit apud Chrysostomum, cum de laudibus ageretur Scripturæ, hoc loco, cum de modestia agitur viri longissime remoti à iactantia, omnia ad viuum resecare, nec vllam amplificationem agnoscere. Nimirum videntes viuentes peccant Sophistæ.

XXV. Augustino voluit esse vicinus Iosephus à Costa Iesuita, cap. 23. de Christo reuelato. *Sunt loca aperta, sunt obscura. Et quæ ad salutem omnibus necessaria sunt, planissime in Scriptura posita sunt.* Sed Petrus de Bollo planior in authentica probatione Missæ sacrificij. *Ea est Scriptura sacra beneuolentia, vt nequaquam sinat nos per obscura fluctuare, quin illico verum sensum nõ proponat, quo duce cuncti is resistere possimus aduersariis telis.*

CAP. XIII.

Loci Scripturæ pro obscuritate Scripturæ.

I. EXaminata sunt hactenus argumenta Catholicorum pro veritate: nunc ea videamus, quæ Papistarum sunt. Ac primo ex Scripturæ locis.

II. Psalm. 119. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Faciem tuam illumina super seruum, & doce me iustificationes tuas.* Et tamen (inquit) nouerat Dauid totam Scripturam, quæ tunc erat, & phrases linguæ Hebraicæ, nec erat superbus, aut infidelis. *Quod si* (inquit Hieronymus in epistola ad Paulinum de institutione Monachi) *tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas paruulos, & pene lucentes, insciæ nocte circumdari?*

III. Atqui vis argumenti nulla est. Postulat à Deo sibi Dauid dari intellectum, reuelarique oculos. Ergo Scriptura est obscura. Id vero, qua necessitate consequentiæ? Primum sciunt omnes Christiani, etiam ad ea quæ vel facilima sunt in fide opus esse diuina illuminatione: quia fides nulla est vera, nisi infusa. Vnde Ianssenius ad hæc verba, *Quoniam frustra quis docetur, nisi intelligat quæ docentur, nec in nobis situm est, vt tuam legem & doctrinam intelligamus, non solum doce, sed & da mihi intelligentiam legis tuæ.* Itaque non sequitur continuo, si quid docetur per auxilium Spiritus idipsum esse obscurũ. Secundo, præclare Hieronymus, Prophetam confessum esse dixit tenebras ignorantiæ suæ, non vero accusasse obscuritatem Scripturarum. Nos autem non disputamus, vtrum aliqua sit in hominibus, etiam peritissimis ignorantia, sed tantum, vtrum Scriptura tota sit ænigmatica, & gryphis de industria fideles enecet, Sphyngis instar.

IV. At nouerat Scripturas Dauid, earumque phrasin. Quid tum? Nam & alij multi similiter. Sed ita statuendum: neminem hominem simul & semel omnium rerum esse capacem: propterea in omnibus scientiis, distinctis egere progressibus, vt qui feliciter inchoauit, feliciter progrediendo proficiat in dies. Quod abunde testatur experientia. Quid mirum igitur, si se vir sanctus non confidat in Scripturis esse perfectum? Non sequitur tamen ea quæ nondum sciuntur esse obscurissima: tantum sequitur, illis nondum fuisse impensum studium: sequitur illa non fuisse animaduersa: denique sequitur quidlibet potius, quam quod Bellarminus contendit.

V. Rursus, Lucæ vlt. Dominus interpretabatur Scripturas discipulis suis. Act. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum versabatur in Scripturis easque diligenter legebat, & tamen interrogatus à Philippo, *Nempe intelligis, qua legis?* Respondit, *Quî enim possim, nisi quis mihi præierit?* Ergo Scriptura est obscura.

VI. Negatur consequentia. Nam & ipsa etiam facillima opus habent interprete. Et imperitis omnia sunt difficilia. Vtrumque prolixe testatur experientia. Nam illos ipsos fidei articulos, quos è difficilium censu eximunt ipsi Papistæ, etiam tum cum serio admodum perstant in asserenda Scripturarum obscuritate quam Catholici impugnant; illos, inquam, ipsos articulos, Catechumenis Episcopi solebant olim interpretari. Et quidem non obiter. Itaque falsum est, aut ea omnia esse obscura per se, quæ docentur per interpretem: aut imperitorum culpam reiiciendam in Scripturam.

VII. Deinde ij loci non loquuntur de omnibus Scripturis, sed tantum de quibusdam Scripturæ partibus. Nam & apud Lucam agitur de iis quæ referebantur ad Christum è veteri Testamento. Sic enim diserte Lucas truncatus à Bellarmino, *Et exorsus à Mose, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso scripta erant.* Tum Act. 8. indicatur certus locus ex Esaia. Nemo autem negat ante prædicatum Euangelium, obscuriusculam fuisse doctrinam de Christo. Sed vicissim norunt omnes, eodem Euangelio prædicato, eas ipsas Prophetias factas esse admodũ perspicuas. Ita nemo est vel leuissime versatus in Nouo Testamento, qui non facile intelligat locum illum, quo Eunuchus torquebatur: & ij etiam, quos Apostolis necesse erat exponi.

VIII. Gregorius de Valentia ad hanc refert causam, *velamen* illud quod Paulus 2. ad Corinth. 3. affirmat, *Vsque in hodiernum diem, cum legitur Moses esse positum supra cor Iudæorum*: esse enim textum bona ex parte ex difficultate Scripturarum. Eodem & illud ex 29. Isaiæ. *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint homini scienti literas, & dicent, Lege istum respondebit, Non possum: signatus est enim.* Nam Gregorio magno, librum inuolutum, quem de manu Domini Ezechiel accepit, esse obscuritatem Scripturæ, *cuius eloquium obscurum, profunditate sententiarum inuolutum, vt non facile sensu omnium penetretur.*

IX. Mirificum consequentiæ genus! Iudæi ignorabant Scripturas: Ergo Scripturæ sunt obscuræ. Tum facile dixerit, Solem esse tenebrosum, quia noctu non luceat. Æstatem esse frigidam, quia hieme terram niues occupẽt quamque. Quod si hæc à capite sunt cerebro carente, certe illud fidei nunquam erit integræ. Quam est enim iniquum, hominum peruersitatis culpã luere Scripturam? Nam certe Paulus velaminis illius causam indicat, quod ἐπηρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν, obcaluerũt mentes eorum. Et Esaias libelli clauis, quod iusto suo iudicio Deus eorum obstipauerit oculos. *Quoniam* (inquit) *misceuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros: Prophetas & principes*

tipes vestros, qui vident visiones, operiet: Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.* Quod si ita est, imo quia ita est, ergo obscuritas illa non est innata Scripturæ, aut interna, sed potius externa, ac per accidens.

X. Propterea Paulus addidit: *ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα; postquam cor eorum conuersum fuerit ad Dominum, tolletur velamen.* Vnde duo mihi probantur. Primo, velamen illud non constare ex difficultate ipsarum Scripturarum: alioquin vt auferretur id velamen, necessum esset ipsas Scripturas vel auferri, vel saltem immutari: quod neque Paulus prædixit, nec factum est. Secundo, non esse argumentum à Iudæis ad Christianos legitimum: cum verum sit illos non intelligere, hos vero intelligere Scripturas. Nostram autem quæstionem esse de vsu Scripturarum in Ecclesia, tum omnes facile vident, tum nos monuimus capite primo libri decimi.

XI. Chrysostomus, *οὐκ ἄρα τοῦ νόμου διαβολὴ τὸ εἰρημένον, ὥσπερ οὐδὲ Μωσέως, ὅτε καλυπτόμενος, ἀλλὰ τῶν ἀγνωμόνων Ἰουδαίων. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἔχει τὴν οἰκείαν δόξαν. οὗτοι δὲ αὐτὴν ἰδεῖν οὐκ ἠδυνήθησαν. Non igitur legis ista criminatio est, vt neque Mosis tunc velati: sed væcordium Iudæorum. Habet enim ille suam gloriam: verum isti videre eam non potuerunt.* Notent obiter Iesuitæ, Chrysostomo indice, eos, qui obscuritatem referunt in Scripturam, διαβάλλειν calumniari: Et sua agnoscant merita. *ἐπειδὴ γὰρ εἶπεν, ὅτι ἐν ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς μένει διαθήκης τὸ κάλυμμα, ἵνα μή τις νομίσῃ τῆς ἀσαφείας τοῦ νόμου εἶναι τὸ εἰρημένον, καὶ δι' ἑτέρων μὲν αὐτὸ καὶ ἔμπροσθεν ἐνέδειξε. τῷ γὰρ εἰπεῖν, ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν, δείκνυσιν αὐτῶν τὸ ἔγκλημα ὄν. καὶ ἐν αὐτῷ δὲ τούτῳ πάλιν. οὐ γὰρ εἶπεν, ἐν τοῖς γράμμασι μένει τὸ κάλυμμα, ἀλλ' ἐν τῇ ἀναγνώσει; ἡ δὲ ἀνάγνωσις ἐνέργεια τῶν ἀναγινωσκόντων ἐστί. Quoniam dixerat, in Veteris Testamenti lectione velamen manere, ne quis hæc verba de legis obscuritate intelligenda esse existimaret, tum per alia verba hoc ipsum prius demonstrauit: nam cum dixit, obtusi sunt sensus eorum, ostendit eos in culpa esse: tum rursus in his quoque verbis. Non enim dixit, In literis manet velamen, sed in lectione: lectio porro legentium actio est.* Adeo nondum vllus erat Iesuita, qui Chrysostomum doceret velamen illud bona ex parte contextum esse ex difficultate Scripturarum. Et magno id quidem Ecclesiæ bono: quo infeliciora hæc nostra tempora esse oportet.

XII. Salmero hos profert locos. Isaiæ octauo. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis: Et exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacobi. Et præstolabor eum.* Propheta significat Scripturas esse signatas illis quibus se Deus abscondit; nec eos intelligentiæ lumine perfundit. Danielis 12. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt: Et multiplex erit scientia.* Ergo clausi sunt sermones Prophetici, & signati, vt magna indigeant Lectoris diligentia. Apocalypsis quinto, liber signatus sigillis septem, quem nemo siue in cœlo, siue in terra, siue sub terra poterat legere, imo ne respicere quidem, præter vnum Leonem de Tribu Iuda, Dominum nostrum Iesum Christum: is, inquam, liber Salmeroni est vniuersa Scriptura.

XIII. Respondeo; ex Esaia vere colligi Scripturas esse obscuras iis, quos Deus non illuminat. Sed id vitium nullum esse Scripturæ: imo eorum potius quibus obscuræ. Nam si illuminandi sunt: ergo excæcatos eos esse oportet. Quid mirum, si excæcatis ne sol quidem luceat? Nostra autem quæstio nulla est vtrum ab omnibus intelligantur Scripturæ: sed vtrum ita factæ sint, vt suo vitio percipi nequeat earum sensus verus, & genuinus. Esaias autem hoc non asserit. Imo diserte ligari testimonium præcipit, signarique legem, non discipulis suis: sed in discipulis. Illud si dixisset; tum videri posset asserere legem vniuersaliter obscuram: nam si ipsis discipulis Dei: multo magis reliquis hominibus. Sed hoc cum dixit; significauit esse quasi thesaurum quendam inter discipulos suos: sic vt extra eos ne patescat.

XIV. Etiam illud Danielis verum: sed de eius Prophetia Hieronymus. *Qui Danieli multiplicem reuelauerat veritatem, ipsa occulta esse significans quæ loquutus est, præcepit vt inuoluat sermones, & signet librum: vt legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem diuersa opinentur.* Quia autem Danielis prophetia, pars est tantum Scripturæ: Ergo hoc tantum concludi potest: esse Scripturæ partes quasdam obscuras, quod nos non tam confitemur, quam vltro profitemur.

XV. De Apocalypsi vero; primo respondeo; non intelligi vniuersam Scripturam: sed dumtaxat illam ipsam Prophetiam, quæ Ioanni manifestabatur. Patet: quia cum resignanda sigilla Agnus accepisset; tum Ioannes singulorum resignationem percurrit: atque in ea comprehendit historiam Ecclesiæ. Quanquam Andreas Cæsariensis & Aretas, interpretantur potius *τὴν τοῦ Θεοῦ πάνσοφον καὶ ἀνεπίληπτον μνήμην*: vt sit liber vitæ; in quo scripta sunt nomina Electorum. Nec ab iis longe it Lyranus; exponens scientiam diuinam. Quod si est, tum vero nihil ad nostram thesin.

XVI. Verum, quia Latini interpretantur Vetus & Nouum Testamentum, Primasius, Ambrosius, Haimo, Ausbertus: Secundo, respondeo, Ioannem non docere hunc librum esse obscurum in sese; siue suo vitio: sed neminem dignum esse, qui aperiat eum, præter Dominum nostrum. Hoc autem longe ab illo abest.

XVII. Tertio, quid si illud, Aperire, non significet intelligere siue explicare sensum libri; sed potius implere, quæ in eo prædicta erant? Ita sane Ambrosius, *Nullus, neque Angelus cœlum inhabitans, nullus iustus in terra consistens, nullus etiam ex iis qui mortis debitum soluerant, in mundo vnquam apparuit, qui genus humanum de potestate Diaboli redimeret: quæ redemptio, apertio est veteris Testamenti*, habetque consentientes, Primasium, & Ausbertum.

XVIII. Rursus Salmero. Dominus loquens de abominatione desolationis; quæ dicta est à Daniele, admonuit, *Qui legit, intelligat*, Matthæi 24. Et quidem à plurali numero, (dixerat enim, *Cum videritis abominationem*) transiens ad singularem: vt ostenderet plures esse qui legerent, quam qui intelligerent. Oseas quoque in coronide suæ Prophetiæ, vt eius indicaret obscuritatem: *Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, Et sciet hæc?* Quod non de impossibili, sed de difficili accipiendum docet Hieronymus.

XIX. Respondeo ad priorem locum: agi de vnico tantum Scripturæ loco: & quidem prophetico: Nos autem huiusmodi locos ante impletionis tempus agnoscimus obscuros: nec tamen totam Scripturam. Quanquam non est necesse ex iis verbis concludi obscuritatem. Nam τὸ νοεῖ commune est omnibus Scripturæ locis: quia nulli sic legendi; vt eorum nos sensus fugiat: quod sæpe fit etiam in maxime perspicuis, quum incidunt in lectores stupidos, & negligentes. Facilius ergo fuerit dicere, Christum esse hortatum lectores, vt, cum inciderent in hunc locum, diligenter pensitarent: & aduerterent complementum rerum longe ante prædictarum.

XX. In altero loco; nulla maior difficultas. Primo in verbis nulla significatio obscuritatis: sed potius exprobratio nequitiæ Israelitarum, apud quos tam pauci vellent sapere. Ita Caluinus. Quod si hoc nomen Papistis odiosum est: ita etiam Dionysius Carthusianus, *Tanquam dicat, pauci ex Iudæis conuertentur ad Christum: nec eius gratiam atque mysteria nunc descripta intelligent. Hoc dicit Propheta admirando cæcitatem Iudæorum, quod scilicet tam pauci respectu aliorum credituri essent in Christum. Iuxta quem modum loquitur Esaias, Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui reuelatum est?*

XXI. Deinde, etsi concedamus Hieronymo obscuritatem significari: tamen negamus vniuersalem: sed tantum huius Prophetiæ: Et quidem non totius; sed per partes quasdam. Quomodo ipse declarat Hieronymus: *quid sit Israhel: quid soror eius, non misericordiam consequuta: quid tertius frater non populus meus: quid sit adultera.* Et nonnulla præterea. Quanquam ne hæc ipsa quidem non intelligi posse: sed tantum absque Christo. Itaq; nunc, exhibito Christo, non debebunt obscura dici.

XXII. Addit Salmero. Dominus non ad simplicem, sed ad exquisitam ac diligentem operam in Propheticis libris ponendam Iudæos inuitauit; Iohannis quinto. *Scrutamini Scripturas*: quasi puteum altum, vnde aqua intelligentiæ longe sit haurienda. Et Psalmo 119. *Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.*

XXIII. Respondeo in posteriori loco illud, *qui scrutantur*, Latine esse ab interprete Græco ἐξερευνῶντες; At Hebraice נצרי custodientes significare. Itaque hunc locum nihil ad rem. In priori nego τὸ ἐρευνᾶν, difficultatem inferre ex parte Scripturæ. Sed tantum sedulitatem, ex parte legentium. Alioquin enim, vel facillima negligenter percurri non debent. Secundo etiamsi detur scrutandas esse Scripturas ob difficultatem: nego tamen inde sequi Scripturas esse obscuras. Nam sufficit, quosdam earum locos non esse faciles.

XXIV. Superest Petrus: qui vltimo capite posterioris Epistolæ suæ, asserit in Epistolis Pauli, esse quædam difficilia intellectu, quę indocti, & instabiles deprauant. Vbi notandum (inquit Bellarminus) non dixisse, esse quædam difficilia indoctis & instabilibus, sed difficilia absolute. Vnde Augustinus fatetur sibi difficillimum esse intellectu locum illum ex 3. prioris ad Corinthios, *Si quis superædificauerit super fundamentum.* Iam cum dicit (inquit Gregorius de Valentia) illa D. Pauli, sicut & Scripturas cæteras, deprauari à peruersis, certe Scripturas etiam cæteras magna ex parte similiter esse difficiles indicat. Nam propter difficultatem vtiq; cæteræ quoq; Scripturæ deprauantur, sicut & illa de Pauli Epistolis.

XXV. At Petrus in hunc scripsit modum: *καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφὸς Παῦλος, κατὰ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν ἔγραψεν ὑμῖν. ὡς καὶ ἐν πάσαις ἐπιστολαῖς λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τούτων. ἐν οἷς ἐστι δυσνόητά τινα, ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς, πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν.* Ea verba expressit vulgatus interpres. *Sicut & Charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: Sicut & in omnibus Epistolis loquitur in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Nec male: si modo vitasset ἀμφιβολίαν. Illud enim, *in quibus*, tam referri potest ad Epistolas Pauli, quam ad ea de quibus Paulus scripsit: cum tamen Græce Petrus distincta genere, ostenderit, sed ad Epistolas non referre. Quod obseruauit Ioannes Gagnæus Sorbonicus. *Ita (inquit) ordinanda lectio. Sicut scripsit vobis in omnibus Epistolis, loquens in eis, de his, scilicet de aduentu Domini, & longaniminitate ipsius, in quibus sunt quædam difficilia intellectu,* τὸ *in quibus refertur non ad Epistolas, quia Græce est ἐν οἷς, & Epistolis est fœmininum Græce.* Propterea, sibi potius vertendum putauit, *Inter quæ*, vt & doctissimus Beza olim, quamuis postea mutarit, sed addita annotatione, quæ ἀμφιβολίαν dirimat.

XXVI. Peccant Iesuitæ. Primo, quum freti Latina versione, quam siue corrigi, siue explicari oportebat è Græco fonte, id est Epistolis Pauli, id est, de Scriptura interpretantur, quod Petrus dixit de ipsis rebus. Sunt vero hæc diuersa: quis enim nescit posse etiam res sublimes submisso orationis genere dici, & similiter res obscuras perspicuo? Atque adeo hoc ipsum diserte asserentem audiuimus Gregorium Nyssenum: *ὅτι σκληράν τε καὶ συντονωτάτην τὴν κατ' ἀρετὴν πολιτείαν, τήν τε τῶν μυστηρίων αἰνιγματώδη διδασκαλίαν, καὶ τὴν ἀπόρρητόν τε καὶ κεκρυμμένην δυσφίκτοις θεωρήμασι θεολογίαν, οὕτως εὔληπτόν τε καὶ γλυκεῖαν ἐποίησε.*

XXVII. Secundo, quum à quibusdam rebus concludunt ad omnes, siue à partibus ad totum: quod certe est ἀσυλλόγιστον. Imo audacior Gregorius illa quædam, mutat in magnam partem. Quod quis ferat? Non certe ipsi nos: si ex eo quod vtrinque conceditur, quædam esse perspicua, concludamus, magna ex parte Scripturam esse perspicuam. Neque sane is mos sanorum hominum.

XXVIII. Tertio, peccat Gregorius, cum ex deprauatione colligit obscuritatem: hoc est, vt perspicue loquar, cum ex eo, quod Petrus dicit, ob illa δυσνόητα, cæteras etiam Scripturas, deprauari, siue torqueri concludit reliquas Scripturas, quia deprauantur, esse obscuras. Atqui huius conclusionis nulla necessitas. Compertum enim, sæpe etiam manifestissimos locos deprauari, torquerique. Quod, ne longius abeam, doceo ex ipso Gregorio, eodemque capite. Nam is inter Scripturæ locos, qui varie deprauantur, siue torquentur, & hunc numerat, *Hoc est corpus meum*: quem tamen clarum appellat.

***

Cap. XIV.

De Mysteriis Scripturæ, & prædictionibus.

I. NEc plures, quod sciam, Scripturæ locos Papistæ contra Scripturam torquent. Nunc ratiunculis aliquot pugnant: quas consideremus sane.

II. Prima ratio esto à causis obscuritatis: has non leuiter vrgent, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Salmero: sed enumerant fere fortuito, vt sese singulæ obtulerunt. Ego distinctius: vt aliæ sint ab ipsa Scriptura: aliæ à lectoribus. Et quia in Scriptura duo sunt, nempe res, quæ in ea traduntur, tum autem stylus, id est, eorum mysteriorum tradendorum ratio: fient omnino tres causarum ordines: primus, à rebus traditis: alter, à stylo: tertius, à lectoribus. Percurram in iis ordinibus singulas: ne aduersarii merito conqueri possint aliquam omissam.

III. Esto primus ordo rerum. Et hæ in mysteriis, vel in prophetiis. A mysteriis hoc argumentum. Quæ Scriptura tradit mysteria obscurissima, & quæ omnem superant intellectum, ea est obscurissima. At Scriptura tradit eiusmodi mysteria Est igitur Scriptura obscurissima. Probatur maior. Quia scientia Metaphysicorum difficilior est, atque obscurior omnibus aliis naturalibus disciplinis, quia caussas altissimas tractat. Probatur assumptio, enumeratione. Scriptura enim tradit mysteria Trinitatis, Incarnationis, Angelorum, Prædestinationis, Reprobationis, Creationis, Operationis Dei in mentibus humanis, Sacramentorum, Immortalitatis animorum, Resurrectionis: atque alia. Sunt autem hæc omnia arcana, & supernaturalia; nec sine magno studio ac labore; grauissimoue erroris periculo inuestigantur.

IV. Respondeo concedi assumptionem. Nemo enim negare potest in Scripturis mysteria tradi altissima, difficillima, obscurissima. *Sine controuersia* (inquit Paulus 3. prioris ad Timotheum) *magnum est pietatis mysterium. Deus conspicuus factus est in carne: iustificatus est in Spiritu: conspectus est ab Angelis: prædicatus est gentibus: fides illi habita est in mundo: sursum receptus est in gloriam.* Nec postulamus, vt hoc nobis pluribus probetur.

V. Sed maior negatur. Ratio, quia de rebus obscurissimis scribi potest dilucide: de difficillimis, facile: de altissimis, demisse. Quod & factum in Scriptura. Sic Nyssenus asserebat θεολογίαν ἀπόρρητον καὶ κεκρυμμένην δυσθίκτοις θεωρήμασι, factam esse εὔληπτον, tract. 1. in Psalmorum inscriptiones. Sic Cyrillus 7. contra Iulianum. *Dicimus, quod lingua quidem Hebræorum Prophetica dicta sunt & Mosaica: vt omnibus essent nota, paruis & magnis, vtiliter familiari sermone commendata sunt, ita vt nullius captum transcendant.* Multi sunt in Patribus loci similes: quorum aliquot enumerati sunt antea.

VI. Et sane nisi ita constituamus, vix quicquam poterit in Scriptura clarum agnosci, præter historias fortasse rerum politicarum, & pauca alia. Et tamen quis negat de ipsa Incarnatione locos esse non paucos, qui solem ipsum vincant claritate? De Resurrectione similiter, Paulus non obscure disputauit priore ad Corinthios. Et de Iustificatione ad Romanos. Denique ne omnia colligam; nonne in statu quæstionis constituendo assenserunt aduersarii ea saltem quæ sunt Symbola Apostolico comprehensa, esse facilia? Atqui in iis sunt aut omnia aut ferme omnia mysteria à nostris Sophistis enumerata. Sic Irenæus libri secundi capite quadragesimo sexto. Scripturas & in aperto, sine ambiguitate esse; & solum Deum prædicare, & ab eo facta omnia per verbum suum, siue inuisibilia, siue visibilia, siue cœlestia, siue terrena, siue aquatilia, siue subterranea.

VII. Nec sane difficile est hic quicquam. Nam in mysteriis illis, quæritur vel τὸ ὅτι, vel τὸ διότι Scripturæ τὸ ὅτι perspicue declarant: ita vt ex iis constet tam certo, vt nemini dubium sit, esse Deum, esse vnum, esse tres personas, esse Filium incarnatum, passum, mortuum, rediuiuum, in cœlis ad dextram Dei. Sic in reliquis omnibus, vt prolixius disputatum est libro nono. Hæc, inquam, omnia ita esse, non tantum certo, sed etiam clare docet Scriptura. At τὸ διότι, illud est, quod vltra Scripturas curiosi inuestigant homines: & in quo sibi ipsis satisfacere nequeunt. Exempli gratia, quum à Scriptura didicerunt Deum esse vnum & Trinum, tum inquirunt quî sibi hoc constare possit, cum ratio dictet vnum & tria inter se opponi. Et quia hoc non inueniunt in Scripturis tam manifeste demonstratum, quam in Mathematicis solent rationes quantitatum, indignantur sibi rem relinqui in obscuro: indeque in accusationem conuertuntur Scripturarum. Quasi vlla ratio ferat, ideo Scripturas dici obscuras, quia immanem eorum curiositatem non expleant.

VIII. Exemplum à Metaphysicis, primo non est aptum probandæ maiori. Nam Metaphysicorum scientia non est Scriptura aliqua: sed res ipsa, quæ potuit aliqua Scriptura tractari. Itaque debuit potius adferri, si probandum esset, Theologiam esse obscuram: responderet enim Theologia, Metaphysicæ, nempe scientia scientiæ. At hoc non tantum alienum esset à proposita quæstione, sed etiam impugnaret traditiones. Nam hæ sunt de mysteriis sublimibus, & difficillimis: ideoque non possent non esse obscurissimæ. Quod puto, contra volunt Papistæ. Nunc autem quum agatur non de Theologia ipsa: sed de scriptis, quæ Theologiam docent: proferenda erant potius scripta aliqua περὶ τῶν μετὰ φυσικά, puta Aristotelis, vel Suaris vel alterius.

IX. Deinde fallit etiam comparatio Theologiæ & Metaphysicæ. Ratio in dissimilitudine vtriusque. Quia Metaphysicæ scientia, vt ita dicam, est infinita: hoc est, non tantum de rebus agit altissimis: sed etiam nullos habet à quoquam definitos terminos. Neque enim iis quæ iam tractata sunt à prioribus, ne Aristotele quidem excepto, vllus iam doctus ita acquiescit, vt aut ea sola tractanda credat; aut etiam ἀδιστακτα. Itaque indulgent singuli suæ curiositati. Quare non est mirum, ingredientibus tam vastum pelagus, aut nunquam, aut vix vnquam terram apparere. At veræ Theologiæ, suos certos immotosque limites ab initio præscripsit Deus: quum vetuit sapere supra id quod scriptum est. Quemadmodum ergo, si nihil in Metaphysicis quærendum esset, præter ea quæ ab Aristotele fuerunt excogitata: non esset hæc scientia difficillima, quanquam de rebus magnis: sic non potest esse obscurissima Theologia, si continemus nos intra Dei Verbum. Et sane immensum, hoc est, Scholasticorum Theologorum peccatum: quod haud fere aliter sibi tractandum putarunt Paulum, ac Aristotelem: suæ curiositati litantes potius, quam pietati: vt ille doctissimus inter eos habeatur, qui plurima extra Scripturam & quærere audet, & definire præsumit. Quæ distinctiones, qui ordines, qui gradus, quæ officia Angelorum: quæ ad Dei potentiam absolutam referri queant: qui vsus sexuum, si non peccasset Adam: an Christus fuisset incarnandus, si nullum fuisset hominis peccatum: & infinita huiusmodi. Enimuero hanc Theologiam, quæ curiositatem magis ac magis irritet, potius quam pietatem pascat, quis miretur esse obscuram? Sed veram Theologiam, veri Theologi, id est, Christiani, omnes agnoscunt à Deo suis certis finibus descriptam in Scripturis, quos vltra citraque nequit consistere certum: Et scient ab eodem accommodatam esse iis, qui sunt per eam vidicandi in vitam æternam.

X. Quanquam est aliud discrimen. Nempe quod Metaphysici non subsistunt ἐν τῷ ὅτι, sed longe maiori ambitu vestigant τὸ διότι, id est, caussas omnes τοῦ ὅτι. Et hæ solent longe obscuriores esse suis effectis. Nemini satisfecit Aristoteles, quum aliquid ita esse, aut non esse pronunciat. Statim ratio exigitur: & si non est apud eum: aliunde vestigatur. Quo fit, vt non tantum τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ obscura sint: Sed etiam aliæ omnes scientiæ. At vero veris Theologis sola sufficit autoritas Scripturæ, asserentis, negantis-ue. Itaque etsi longe disparia sint effata Aristotelis quidem, ἡ πρᾶξις καὶ φθίσις τῶν στοιχ. περὶ τὸ καθέκαστον εἶναι, Scripturæ vero, *In principio creauit Deus cœlũ & terram*: tamen hoc fidelibus semper fuit longe facilius, quam illud Philosophis.

XI. Et quia ratio fit, vt difficultatem τῶν ὑποκειμένων augeat etiam autorum τὸ σκοτεινὸν vnde Aristotelem dicunt negasse sua edita esse, quæ tamen erant edita: & Democritum affectasse, vt à nemine intelligeretur: iubeo meminisse Chrysostomi, oratione tertia de Lazaro, ita loquentis de autoribus sacris. *Non ad inanem gloriam, quemadmodum Ethnici: sed ad audientium salutem hæc omnia composuerunt, quos ab initio Deus dignatus est gratia* Spiritus. *Si quidem hi qui sunt à Christo alieni Philosophi, dicendi artifices, Rhetores, ac librorum conscriptores, non quod in commune conducit quærentes: sed illud spectantes, vt ipsi sint in admiratione, etiam si quid vtile dixerint, hoc quoque quemadmodum in caligine quadam sapientiæ, consueta illis occultauit obscuritas. Apostoli vero & Prophetæ omnia contra fecerunt manifesta claraque: quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, vt per se quisque discere possit, ea quæ dicuntur, à sola lectiore.*

XII. Gretserus in Apologia primi capitis libri tertii instat: fieri non posse, si res significatæ sint arduæ, difficiles, & obscuræ, vt signa, quibus significantur (id est, sermo de iis institutus) non sint obscura, & difficilia: quatenus sunt talia signa. Exempli gratia: Etsi homo generali conceptu scit quid sit Deus: & quid vnus: & quid tria: tamen hæc enunciatio, *Deus est vnus & trinus*, difficillima & obscurissima. Quia, quamprimum intellectus incipit prædicatum illud, *trinus & vnus*, cum subiecto coniungere, ingentes existunt tenebræ & difficultates: quibus superandis nulla ingenii subtilitas, sed sola fides sufficit.

XIII. Respondeo, contra verum esse, posse res enunciatas obscuras esse, vt tamen enunciatio sit clara. Cur non enim æque, ac potest enunciatio esse obscura de re perspicua? Sed habemus testes veteres, idem nobiscum sentientes. Neque enim aliter potuit Nyssenus asserere, Theologiam difficillimis theorematis absconditam, factam esse facilem: quod paulo ante citauimus. Nec Chrysostomus, homilia in Ioannem secunda, vere asseruisset Ioannem nulla caligine, nullis tenebris suam operuisse doctrinam: tantamque verbis suis adhibuisse perspicuitatem, vt essent, quæ dixit, perspicua, non viris tantum, iisque prudentibus, sed etiam mulieribus, atque adolescentibus.

XIV. Fateor ergo in exemplo proposito, non posse, intellectum non magis tenebris circumfundi, cum audit eidem Deo tribui vnum & trinum. Sed dico tamen hanc enunciationem, *Deus est trinus & vnus*; esse perspicuam, & facilem, quatenus signum est. Nam hac ratione, id est, quatenus signum est, tantum hoc ingerit intellectui nostro, & trinum, & vnum, quæ singula, quid sint, cum sit iam cognitum, recte vereque tribui eidem Deo, qui saltem generali conceptu scitur quid sit. Quas autem tenebras intellectus concipit, inde sunt, quod capere non possit, qui queant trinus, & vnus, quorum ratio tam est contraria, de eodem dici Deo: quod nemo ferat de vno quocunque indiuiduo. At hoc non efficit enunciationem obscuram, quatenus est signum. Ratio in promptu: Quia id quod intellectus vestigat, cum quærit, quî possit ita esse: &, quod, quandiu non inuenit, sentit se in tenebris esse: id ea enunciatio, non significat; ideoque non est eius signum.

XV. Atque hactenus de mysteriis. Nunc de Prophetiis, nam has Salmero non omittit: sunt enim Prophetis familiares futurorum prædictiones. At hæc opera Spiritus Sancti confusæ sunt admodum, atque perplexæ: ita vt cum difficile sit futura coniectare, etiamsi aperte tradantur: multo difficilius fit, si arte quadam celatæ, & metaphoris absconditæ scribantur: quemadmodum Dominus fecisse videtur.

XVI. Respondeo, concedi, omnes futurorum prædictiones esse obscuras, quandiu illa futura sunt: sed quum hæc impleta sunt, tum illas faciles factas siue ipso euentu, siue interprete Spiritu. Itaque paucos admodum superesse huius generis locos, qui sint faciles, puta in Apocalypsi. Nam exempli gratia, & si quæ prædicta erant de Cyro, Esaiæ quadragesimo quarto, & quadragesimo quinto; erant obscura, dum ab Esaia prædicerentur: tamen postea facta sunt perspicua tempore Danielis. Tum autem illud, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, quod erat obscurius de Christo dictum, quam vt solo euentu forte fieret perspicuum, Spiritus nobis manifestum fecit per Paulum. Quæ cum ita sint, &, vt dixi, minima pars huiusmodi prædictionum sit adhuc obscura, tum sane non potest hoc argumento concludi aduersus Scripturarum perspicuitatem.

CAP.

Cap. XV.

De stylo Scripturæ.

I. POst Scripturæ mysteria, sequitur eiusdem stylus. Hic vero, inquit Bellarminus, inuenimus innumerabiles rationes difficultatis: & sane putant hoc sibi Sophistæ validum præsidium. Itaque eas rationes diligenter enumerant Bellarminus sex, Gregorius de Valentia septem, Salmero duodecim. Et inuoluunt tamen eas, quæ pertinent ad lectores, de quibus nobis decretum agere in tertio ordine.

II. Caussas obscuritatis ex stylo, video esse duûm generum: alias in singulis locis: alias in comparatis inter se. In illis prima caussa apud Gregorium, Vis dictionis, qua vel primum ipsa doctrina sacra mandata est literis, vel certe deinde in aliam linguam bene versa. Hanc enim ante omnia cognitam esse debere: à paucis tamen sciri. Et huc puto referendos Hebraismos Hellenismosque, quos obiicerunt Salmero, & Bellarminus.

III. Proximum est τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, cuius varia capita, vnde totidem caussæ. Secunda ergo in figuratis loquutionibus, quibus, inquit Salmero, libri Sacri scatent, & his interdum multæ veritates inuoluuntur: Itaque negotium studiosis facessunt. Tertia, Ambiguitas. Sunt enim, inquit Bellarminus, verba & orationes ambiguæ: vt Ioannis octauo, interrogatus Christus, *Tu quis es?* respondit *Principium qui & loquor vobis.* Vbi mire torquentur omnes interpretes: necdum scitur, quid illud sit, *Principium, qui.* Oriri etiam ambiguitatem Salmero notat, tum à distinctione personarum in vna Deitate: tum propter diuersas naturas in vna Christi persona: tum propter Ecclesiæ statum triumphantem, & militantem, tum propter duplicem Christi aduentũ, alterũ in humilitate alterũ in maiestate. Quarta: Vniuersales propositiones, quæ tamen nõ sint vniuersim accipiendæ. Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Psalmo decimo quarto. *Omnes declinauerunt: simul inutiles facti sunt.* Psalmo centesimo quinto. *Omnis homo mendax.* Isaiæ sexagesimo quarto. *Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Ad Romanos tertio. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Prioris ad Corinthios decimo. *Omnia mihi licent sed non omnia ædificant.* Quinta: Personarum loquentium mutatio, & earum ad quas fit sermo: frequens in Prophetis & Psalmis. Sexta: transitus à litera ad Spiritum: à carnalibus ad spiritualia: à temporalibus ad æterna: à regibus Israel ad Messiam Regem. Contra etiam à Spiritu ad literam. Ita septimo Isaiæ, ab historia duorum Regum, fit transitus ad Virginem concepturam. Et decimo quarto, sub metaphora Regis Tyri conuertitur Propheta ad Satanam. Psalmo septuagesimo secundo, cum sermo esset institutus de Salomone, repente transfertur ad Messiam. Sexta: Orationes imperfectæ: ad Romanos quinto: *sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccarunt.* Septima: orationes præposteræ. Geneseos decimo. *Isti sunt filii Sem secundum cognationes, & linguas, & generationes in gentibus suis.* Et tamen capite vndecimo. *Erat autem terra labii vnius, & sermonum eorundem.* Gretserus. Quanta obscuritas nata est in Euangelistis circa negationem beati Petri ob ὕστερον πρότερον, quo vsus est S. Ioannes in sua Euangelica historia: cum quæ in domo Caiaphæ facta sunt, prius narrauit, quam quæ in domo Annæ: ex quo factũ, vt prima negatio videretur in domo Annæ accidisse: quæ tamen accidit in domo Caiaphæ, vt ex aliis Euangelistis planum. Octaua: Sensuum, quos litera accipere potest, & à Patribus assignantur, multiplicitas: quod est verbis significantibus nos alloqui: item mysticorum sensuum varietas: quod est nutibus & signis obscuriis loqui, vt muti faciunt & histriones. Nona: ex eo, quod Scriptura, vt indeterminata ad diuersos sensus rapi potest, siue ex varia interpunctione, siue ex vario modo scribendi, aut pronunciandi; vt dubium sit an affirmatiue, an ironice, an interrogatiue. Siue ex æquiuocatione vocabulorum, quæ frequens est in lingua Hebræa.

IV. Caussæ difficultatis in comparatis locis tres. Esto igitur decima, Analogia. Nam ratio omnis rectæ fidei, inquit Gregorius, tenenda est, vt eius vbique analogiam videre, & ad eam exigere sententias difficiliores possis: qua in re magno iudicio, quod paucis contigit, & dexteritate magna opus est. Vndecima: ex eo quod difficiliores loci ex clarioribus sint interpretandi: sit autẽ difficillimum huiusmodi locorum collationem sic institue re vt quem tu putas clariorem esse, is re vera sit clarior. Duodecima: Apparentes contradictiones: sunt enim in Scripturis plurima quæ prima fronte videntur contraria. Geneseos primo dicitur Deus sex diebus creasse cœlum & terram: & tamen postea subditur, *In die qua creauit cœlum & terram.* Et adhuc Ecclesiastici 18. *qui viuit in æternum creauit omnia simul.* Item primo die, *fiat lux: & facta est lux*: Et tamen quarta die sol conditus: nunquid ergo lux & sol non sunt idem, inquit Salmero? Exodi vigesimo, *Ego Deus zelotes visitans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Et tamen Ezechielis decimo octauo: *Filius non portabit iniquitatem patris: Sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

V. Respondebo primo in genere: deinde per partes. Itaque primo fallit hoc argumentum, quum Scripturas λεπτουργῶς considerat, non vero ὡς σύνολόν τι quemadmodum si quis Thesauros Crœsi examinans, negaret esse immensos, quia singulæ particulæ exiguæ. Enimuero perspicuitas Scripturarum ὅλως in eo cõsistit, quod vt notarunt Veteres, nihil vsquam obscure dictum sit, necessarium quidem ad fidem, quod alibi non occurrat dictũ perspicue. Exempli gratia Christum natum ex Maria Virgine omnes fatentur perspicue doceri in Scriptura: & quidem sic vt nihil magis. Tamen idipsum obscure etiam reperitur in eadem Scriptura, Geneseos tertio, *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Quod si non obstat locus hic Geneseos, quo minus perspicuus sit Matthæus: & propter Matthæum vniuersa Scriptura, ὅλως sumpta, manifeste dicatur docere hoc mysterium: Vident omnes, opinor, non sufficere Papistis, si probent esse quasdam Scripturæ particulas nusquam fieri perspicuas.

VI. Secundo: fallit iterum: quod à quibusdam particulis concluditur toto corpore: vt si quis ex Libyæ vastis solitudinibus, totum orbem terrarum contenderet esse desertum: aut omnes homines nigros, coniectura sumpta ab Æthiopibus. Vt enim concedamus occurrere nonnulla in Scripturis vere obscura, hoc est, sic, vt à locorum collatione lucem nullam accipere possint: tamen ea sunt paucissima: & quæ à Theologis etiam summis ignorari possint absque vllo fidei detrimento. Etsi enim, exempli gratia, exactus Hebdomadarum Danielis calculus non sit cognitus; aut annorum numerus ab Adamo ad Christum; non est tamen propterea incerta natiuitas Christi. Item, licet nesciamus quid sit, baptizari pro mortuis: nihilominus certa est resurrectionis fides.

VII. Atque hactenus in genere. Nunc particulatim expendam duodecim caussas, tam curiose ab aduersariis conquisitas. Quanquam si omnes simul sint inutiles, multo minus singulæ vtiles esse poterunt.

VIII. Prima: vis dictionis. Ita enim appellatur à Gregorio de Valentia. Sed hæc generalis est omnibus, non tantum libris, verum etiam sermonibus: siue obscuris, siue perspicuis. Non enim ipsa Scriptio vim dictionis efficit: quæ est potius à lingua, & linguæ omnes suam habent singulæ vim dictionis: quæ ignorata, sine dubio est obscura. Ideo Paulus, non de Scriptura loquens, sed de viua voce decimoquarto prioris ad Corinthios: *Nisi sciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus: & qui loquitur apud me, barbarus.* Cur ergo in Scripturam torquent hanc vim sermonis; quasi inde obscuram quum tamen Traditionem non scriptam fateantur facilem?

IX. Cæterum linguæ vel doctæ intelliguntur, nimirum quæ non nisi in scholis discuntur: vel vulgares, quas vsus communis habet. At in vulgaribus hæc caussa nulla esse potest, sunt enim cognitæ. Si ergo illas potius Sophistæ volunt, nimirum Hebræam, Græcam, Latinam: tum vero hæc, quæcunque caussa obscuritatis dicitur, non est nisi per accidens: quia factæ sunt eæ linguæ non cognitæ, eo quod abierunt in desuetudinem. Nam si per se: Ergo semper ignotæ fuissent. Quod non est ita. Nam posterioris Regum decimo octauo, cum loqueretur Rabsaces Iudaice, tum intelligebat vniuersus populus: quod cum ægre ferrent legati Regis Ezechiæ, rogarunt vt Syriace loquerentur. Porro absurdum est Scripturam obscuram pronunciare; quia desiit intelligi lingua illa Hebraica: siue Græca. Nemo enim adeo desipit, vt Demosthenem aut Isocratem obscuros & σκοτεινοὺς autores dicat: quum tamen ea lingua scripserint, quæ iam desiit.

X. Deinde, quæ ita scripta sunt, vt vis sermonis abierit in desuetudinem: ea nihil impedit quominus vertantur in linguas vulgares: & fiant cognita indeque non difficilia. Sic Lucas, quum testatus sit Actorum vigesimo primo, Paulum concionatum Hebraica lingua: tamen eam concionem scripsit Græce: & ita effecit, vt Græcis cognoscentibus vim dictionis, ipsa etiam concio ne esset ignota. Sic Chrysostomus homilia tertia in posteriorem ad Thessalonicenses, suos increpabat obscuritatem prætexentes Scripturarum ἀσάφειαν; aiebat: μὴ γὰρ Ἑβραϊστὶ μὴ γὰρ Ῥωμαϊστὶ ἐπηγγελμένως ἔρχεται; οὐχ Ἑλληνιστὶ λέγεται; Eusebius etiam Præparationis libro octauo: cum Prophetias de Christo, vitasque virorum olim illustrium, & piæ eruditionis præcepta dixisset; τῇ πατρίῳ αὐτῶν ἐξ αἰῶνος μακροῦ χρόνου ... patria Iudæorum lingua fuisse longo tempore recondita, tum subiicit, ... τοῖς πᾶσιν, εἰς φῶς τὸ ἀληθινὸν ἀκριβῶς μεταβληθείσας διοικουμένας, Deũ ita dispensasse, vt eæ prædictiones omnibus reuelarentur, & in lucem prodirent, exacte translatæ. Vnde constat persuasum fuisse Veteribus Christianis, Scripturas, cum factæ sunt obscuræ per accidens, ob ignoratam vim dictionis, reuocari in lucem per translationem in eas linguas, quarum vis dictionis sit cognita.

XI. Nam quod Hebraismos obiicit Bellarminus, nihilo maius habet momentum: Nam quæ ratio est vniuersæ linguæ, eadem idiotismorum est. Itaque quibus modis ipsa lingua fit facilis, vel cognitione, vel translatione: iisdem etiam idiotismi. Denique nulla est lingua, quæ suos non habeat. Itaque aut nullos vnquam libros faciles, ac perspicuos scriptos dicendum est: aut fatendum non concludi hoc argumento Scripturæ obscuritatem. Nec sane video cur obscurius sit, *Thronus eius dies cœlorum,* Psalmo octogesimo nono: *Nestorei anni,* qui abierunt in prouerbium. Aut illud, *Anima mea in manibus meis,* Psalmo centesimo decimo nono: quam illud. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.*

XII. Secunda caussa erat à tropis & figuris. Ego vero agnosco in Scripturis infinitas esse hoc artificio variatas sententias. At primo quicquid hoc est, nego esse proprium Scripturæ Sacræ: sed commune omnibus pene linguis. certe oratores in eo multi sunt: Et tamen nemo aut Demosthenem, aut Ciceronem propterea obscuritatis accusat. Secundo iidem, qui in oratoribus τὴν σαφήνειαν inter præcipuas virtutes commendant oratoribus, hos tropus non tantum permittunt, sed etiam appellant lumina. Cur? si obscurant orationem? Et sane non raro accidit, vt longe augustior sit & efficacior tropos, quam proprium vocabulum. Saluianus de Gubernatione Dei libro primo: *Pœnituit ergo, inquit Scriptura, Deum quod hominem fecisset. Non quod Deus sit obnoxius huic motui, aut vlli subiaceat passioni. Sed sermo diuinus ad insinuandam plenius nobis rerum scriptarum intelligentiam, quasi humano affectu nobiscum loquens, sub nomine pœnitentis Dei, vim demonstrauit irati.* Nota, ad insinuandam plenius intelligentiam. ergo non ad occultandam, siue obscurandam. Denique illæ ipsæ figuræ fiunt vsu ipso continuo tritæ, cognitæque, ac faciles. Sic vix est fidelium quisquam, qui ignoret, induere Christum: sepeliri cum Christo: membra Christi: caput Ecclesiæ: mori peccato, & infinita eiusmodi. Quin etiam traditio ipsa, ipsa, inquam, viuæ vocis traditio potuit-ne ab eiusmodi tropis abstinere? Quæ & Episcopum Romanum, caput Ecclesiæ, sponsum Ecclesiæ, patrem fidelium: pastorem gregis. Et Ecclesiam matrem Christianorum: & Monachos, religiosos: & confessionem, secundam naufragii tabulam, solet appellare, atque adeo infinita huiusmodi.

XIII. Gretserus, Imo, inquit, vel cæco liquet planius, clarius, & dilucidius dicendi genus esse, cæteris paribus, quod verbis propriis, idque ad quod ex prima impositione destinata sunt, significantibus constat, quam quod constat translatis seu metaphoricis, & allegoricis: cum allegorica ex sua natura sint ænigmatica, & hinc tenebricosa. Metaphorica autem intellectum quasi per ambages ducunt ab eo, quod significare videntur immediate, ad ali-

ad aliquid aliud: ita vt loco vnius, duo vel plura concipi, & apprehendi oporteat: vt in, *Leo de tribu Iuda*, &, *Asperge me, Domine, hyssopo*, primum Leonem animal; & hyssopum, herbam deinde Christum, & remissionem peccatorum.

XIV. Respondeo, vel cæco liquere Gretserum tergiuersari, potius quam disputare. Quid tum enim, si concedamus proprium sermonem clariorem esse tropico? An propterea tropicus obscurus & obscuritatis caussa? falsum. Concedo inueniri tropos obscuros: sed nego omnes. Et in Scripturis dico maximam partem familiares esse; eaque familiaritate clariores, vt in ipsis exemplis, leo, & hyssopus. Nam leonem nominari pro principe, & forti, iam omnes sciunt, etiam quibus nulli Leones visi. Hyssopum adhibitam lustrationibus, sciebant Iudæi: sciunt quicumq; Mosis legem legunt: ideoque non potest prætexi sermonis obscuritas: sed lectoris nimia supinitas, si ignoret tam facile obuia.

XV. Allegorica sunt ænigmatica. Non omnia, inquam. Sed ea tantum quæ longe petitis tropis constant. Deinde non omnia ænigmata obscura: Sed illa tantum, quorum expositio nulla data est. At huiusmodi paucissima sunt in Scripturis Itaq; paucissima hanc ob caussam obscura.

XVI. Metaphorica ducunt ab alio ad aliud. Ita sane. Sed quomodo in imagine, etsi aliud videatur, quam cogitetur, tamen à pictura non est difficilis ad ἀρχέτυπον transitus, διὰ τῆς ἐπιφαινομένης ὁμοιότητος; ita in metaphoris, quæ aptæ sunt, & non violentæ; (non possunt autem, credo, aptiores dari, quam à Spiritu Sancto) rerum quasi vicinitas facile ab vna ad aliam deducit intellectum. Hinc fit, vt nemo iam quærat, quare Deum Patrem nostrum appellemus: nos filios: & verbum, semen: aut doctores Ecclesiæ, Pastores: Christianos, oues: Ecclesiam, ouile: vel rursus Ecclesiam, domum; Christianos, lapides: Doctores, architectos. Et infinita huiusmodi.

XVII. Tertia caussa, Ambiguitas. Hanc vero obscuritatis caussam esse tum fatebor, & imputandam Scripturis; si ex ipsis Scripturis nulla ratio distinguendi apparuerit. Sed si certa sit, imo si facilis, tum profecto ea caussa nulla erit. Exempli gratia, cum Paulus prioris ad Timotheum quarto dicit, *Te ipsum servabis, & eos qui te audiunt*: ambiguum est, vtrum sic seruare dicatur Timotheus alios, quomodo Christus. Sed nihil obscurum tamen. Quia tum idem Paulus docet, pastores seruare tanquam instrumenta, siue ministros, 4. ad Ephesios: & tanquam legatos nomine Christi, posterioris ad Corinthios quinto: Imo & eodem ipso capite; Timotheum Christi ministrum vocat. Eadem ratio ambiguitatum, quarum origo à distinctione personarum, naturarum, statuum, quia eam distinctionem habemus diserte perspicueque à Scripturis. Sic, quo sensu dicatur, *Deus gloriæ crucifixus*, facile sciunt fideles: nec facile scirent; nisi legerent in Scripturis eum hominem, qui cruci affixus est, esse verum Deum.

XVIII. Quum autem legimus, *Principium qui & loquor vobis*; quod ambiguitatis exemplum delegit Bellarminus: nos vero immanem agnoscimus obscuritatem; quæ Latinos interpretes non tam exercuit, quam excarnificauit. At id vitium profecto non est Scripturæ: sed interpretis Latini, qui sua ænigmata posuit pro verbis Ioannis, in quibus explicandis, etsi ne Græci quidem consentiant: tamen nihil est admodum obscuri. Interrogatur Christus, σὺ τίς εἶ; Respondet: τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Id est interprete Beza: *Tu quis es? Id quod à principio dico vobis*: Quem sensum expresserant Syrus Interpres; & Nonnus, eumque repudiatis aliis, probant Iansenius & Maldonatus.

XIX. Gretserus fumos excitat. Primo, non quæri, quomodo nos locum explicemus: Sed vtrum sit obscurus: & obscurum testari infinitas interpretationes: etiam Græcorum. Secundo, Latinum interpretem legisse ὅ, τι, non ὅ; τι. Nec posse planum fieri hoc quam illud esse commodius. Tertio quosdam legere non ὅ, τι, sed ὅτι, Quarto: quid obscurius, inquit, quam interroganti, *Tu quis es*? respondere, *id sum quod ab initio loquor vobis?* Nam etsi Latina verba sint expedita, tamen Græca sunt impeditissima. Quia & τὴν ἀρχὴν sumitur pro ἐξ ἀρχῆς: & iungitur cum verbo λαλῶ: & ἀπὸ κοινοῦ repetitur τὸ εἰμι. At si, vt videtur, interpres Latinus legit ἡ ἀρχὴ, longe clarior sensus est.

XX. Respondeo, multo minus quæri, quid homo peruicax & importunus velit nolit-ve agnoscere: Sed quid reapse verum sit. Id autem verum quod diximus: Et iam probatum doctissimis Papistarum, quamuis olim in Caietano, & Erasmo damnatum ab Ambrosio Catharino, & Eduardo Leo, teste Sixto Senensi. Ex infinitis interpretationibus remouendas dico Latinorum hominum, qui non Scripturam sunt interpretati: sed verba Latina vt potuerunt. Græcorum interpretationes vix tres numerari: Cyrilli, Nonni, &, si forte, Chrysostomi: nam iste quid senserit, vix aperuit. Cyrillus autem tam procul discedit à verbis, vt vix mereatur eius explicatio considerationem. Itaque sola restat Nonni, quæ probari possit.

XXI. Latinum interpretem legisse ὅστις, fit verisimile. Sed planum fieri hoc commodius esse primo nihil interest fortasse. Nam Maldonatus perinde esse putat. Sed mihi quidem aliter videtur. Quia si interrogatus, *Quis tu es*: respondisset, *Ego is sum qui ab initio loquor vobiscum*, idem per idem explicatum esset: neque se Christus cognoscendum exhibuisset: quod quî potuerit non esse absurdum? Qui enim eiusmodi interrogationes non vult eludere; is aliquid respondet de qualitate, Actorum nono. Paulus, *Quis es, Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* Geneseos vigesimo septimo. Isaac ad Iacob: *Quis es tu, fili mi?* inquit. *Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau.* Et similiter postea, *Dixit Isaac: Quis enim es tu?* Esau respondit, *Ego sum filius tuus primogenitus Esau.* Multa sunt similia. Quod si igitur legas, *Id quod à principio dico vobis*: tum non explicatur idem per idem: sed reuocat Christus Iudæis in memoriam, quod ab eo sæpe audiuerant de Filio Dei, aut etiam de luce mundi, hoc ipso capite. Quare longe commodius est ὅτι quam ὅστις.

XXII. Sed ita Græca sunt impeditissima, inquit Gretserus. Ain' tu impeditissima? Persuaseris, si præter te nemo Græce sciat. Sed enim nimis iam diu patuerunt omnibus Athenæ, vt ignoremus τὴν ἀρχὴν sumi pro aduerbio; siue, vt Nonnus reddidit ἐξ ἀρχῆς. Apud Heliodorum Æthiopicôn quarto, ἐμὲ λυπεῖ μὲν καὶ ἡ νόσος ἀκμάζουσα, πλέον δὲ τὸ μὴ κρατῆσαι τῆς νόσου τὴν ἀρχήν. Me autem dolore afficit morbus inualescens, tamen illud magis, quod initio morbum non superarim. Apud Dionem Cassium lib. quadragesimo quarto in Antonij concione funebri dicitur τὸ μηδ' αὖθις νεωτερίσαι τινὰς δυνηθῆναι, ἐξεργάζεσθαι τοὺς τὴν ἀρχὴν ὑπηκόους αὐτοὺς πεποιηκότας, λυσιτελέστερον, *Longe vtilius, id efficere, vti ne quos nouos motus subditi possint excitare: quam eos ab initio subijsse.* Et libro quadragesimo quinto. Ἀντώνιον δὲ τὴν ἀρχὴν φιλοφρόνως οἱ στρατιῶται ἐν τῷ Βρεντεσίῳ ἐδέξαντο, *Antonium milites, qui Brundusij erant, primo amice exceperunt*, Et paulo remotiore significatione apud Stobæum sermone centesimo decimo nono, ἀρχὴν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον, *Ab initio*, vel potius, *Omnino non nasci hominibus erat optimũ.* Apud Dionem Cassium libro trigesimo octauo in oratione Cæsaris, τί ποτε ἀρχὴν ἐξεστρατευσάμεθα; Ex sacris autoribus citauit Maldonatus, ex Geneseos 13. 41. 43. &, *Itaque*, inquit, *dubium non est, non solum bene Græcam, sed etiam Ecclesiasticam esse phrasin, τὴν ἀρχὴν principium, pro κατὰ τὴν ἀρχὴν, aut ἐξ ἀρχῆς à principio.* Et vero Iustinus Apologia 2. τὴν ἀρχὴν, *Ab initio ille genus humanum ita creauit.*

XXIII. Sed τὴν ἀρχὴν iungendum cum λαλῶ. Video, & intelligo inde Latino interpreti factum negotium. Sed, *hoc non mouebit lectorem*, inquit Maldonatus, *versatum in Ioanne, qui frequentissime vti solet eiusmodi traiectionibus*, vt 15. αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγάπῃ; *in eius charitate.* Apocalypseos 11. αὐτῶν τῆς προφητείας: *Prophetiæ ipsorum.* Sed ego amplius; hoc ipso sensu sic construi τὴν ἀρχὴν; etiam apud prophanos. τὴν ἀρχὴν οἱ τὸν φόβον ἡμῖν ἐγγενέσθαι αἴτιοι γεγόνασι τοῦ μὴ παντάπασι θηριωδῶς διακεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους, inquit Socrates in Encomio Busiridis. *Ab initio qui metum nobis ingenerarũt, effecerunt ne omnino ferarum in morem inter nos ageremus.* Polybius li. 9. describens Hannibalem ad portas, τὰς μὲν οὖν ἀρχὰς ἀναρίθμητον προσελασάμενοι λείας πλῆθος ἤθροισαν εἰς τὴν παρεμβολήν, *& illi quidem per initia prædam in castra coniecerunt quam abegerant infinitam.*

XXIV. Quid amplius? Ἀπὸ κοινοῦ repetendum τὸ εἰμί. Magnum crimen, & dignum diris Iesuiticis. Enimuero quid vsitatius? quid frequentius? Et quidem in hoc verbo: pudet addere exempla, quæ vel puerulis trita.

XXV. Denique si legatur ἡ ἀρχή; longe clarior sensus. Sed quis, inquam, permisit contra fidem omnium codicum? Itaque Maldonatus, *Ego vero non concesserim alio sensu nostrum interpretem reddidisse. Nec enim aliter eum, quam nunc legimus, legisse arbitror: cum nullum alterius lectionis vestigium, nullum indicium, aut in vllo Græco codice, aut apud autorem vllum veterum appareat.* Præterea; quæ esset cohærentia partium, ἡ ἀρχὴ, ὅτι καὶ λέγω ὑμῖν? Nisi forte illud etiam ὅτι rursus mutandum non in ὅστις. non in ὅτι: sed in aliquid aliud: quod nobis qui volet explicabit. Nec tantum Græce absurdum, sed & Latine quid erit, *Principium, qui & loquor vobis*? Nisi, forte sic inuertas, *Quis tu es?* Ego, qui loquor vobis, sum principium. Quæ traiectio insolentissima. Et hanc probet, qui non probat τὴν ἀρχὴν construi cum λέγω. Monstrum iudicij.

XXVI. Quarta caussa: Orationes non vniuersales, tanquam vniuersales. Forte, inquam, sed id omnibus libris familiare καθ' ὑπερβολήν, vel certe συνεκδοχικῶς. Cur ergo magis obscura sit Genesis, in qua *Omnis caro corruperat viam suam*, quam Aristoteles, qui scripsit πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται, inde tamen infantes exceptos oportet? Aut Cicero, qui, *Generi animantium omni à natura tributum, vt se, vitam, corpusque tueatur*: cum tamen eorum, qui in cunis, vni Herculi, potuerint affingere Poetæ? Quanquam in Genesi alia caussa: quia τεχνικῶς Scriptura solet Carnem nominare pro homine. Et hoc sensu, fit sententia vniuersalis. Quomodo sunt etiam vere vniuersales illæ ex Psalmis: & ex Esaia, & ex ad Romanos, quia nemo inde excipi potest præter vnicum Dominum nostrum, vere Deum & hominem. Illud ex priore ad Corinthios certe vniuersale esse non potest. Sed siue per occupationem obiectionis, siue ex circumstantia disputationis, quæ est de rebus indifferentibus, & mediis, quæ nec sunt à Deo præcepta, nec prohibita, fit admodum solutu facilis nodus, vt sit propterea necesse accusari Scripturam obscuritatis. Nam & Prosper de Vocatione gentium libri primi capite tertio, *His & aliis documentis* (quædam enim collegerat) *non dubie demonstratur interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari. Quorum tamen discretionem plerumque Scriptura cito aperit, vt sensus legentis ab vniuersitatis appellatione ad partem, quæ intelligenda est, transferatur.*

XXVII. Quinta caussa: transitus à persona ad personam. Puta, inquam, in Cantico Canticorum, & similibus. Sed Dialogismos nemo vnquam numerarat in iis quæ obscurant orationem. Itaque etsi frequentes sint, tum in Prophetis, tum in Psalmis: tamen si nihil accidat præterea, non debet eam ob caussam Scriptura non bene audire. Transitus à litera ad Spiritum, magis moueat. Re vera enim habet nonnihil difficultatis. Sed ea magnam pattem ablata est per Nouum Testamentum. Sic Matthæi primo explicatur illud è septimo Isaiæ. Illud autem ex eiusdem decimo quarto; falso profertur non est enim verum transiri à Rege Tyri ad Satanam: qua de re alias disputatum esse memini.

XXVIII. Sexta causa: orationes imperfectæ: Atqui primo harum vix secundum, aut certe tertium exemplum inuenies in tota Scriptura. Est autem iniquum ex vnico loco, aut tam paucis, totam argui. Deinde hoc ipso exemplo ad Romanos 5. non simpliciter imperfecta est sententia, sed est ἀνανταπόδοτον, vt vocant, non insolens in comparationibus. Quis enim nescit alterum membrum non raro reticeri? Apud Virgilium,

Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes,
Nec tantum Rohdope miratur & Ismarus Orphea.

Quem ob locum nemo Virgilium obscurum conquestus est. Tertio; quid si ne vllum quidem sit ἀνανταπόδοτον; Aut cur non placeat Erasmi Bezæque sententia?

XXIX. Septima causa: Orationes præposteræ. Atqui non omnes præposterationes obscuræ sunt. Sunt quæ historicis familiarissimæ: addo & necessariæ: cum præsenti narrationi lux adfertur ex repetitione rerum gestarum. Sic Herodotus, cum historiæ suæ initium sumat à Crœso: tum statim, vt doceat quomodo ad eum peruenerit sceptrum, contexit Heraclidarum seriem, à quibus ad Mermnadas deuentum erat. In quo obscuritatem nemo vnquam deprehendit. Quid mirum igitur, si, quũ linguas c. 18.

Moses

Moses nominasset, explicare voluerit cap. 11. quæ fuerit origo multiplicitatis eius? Quinetiam, si quid obscuritatis esset, id à versione potius, quam à textu. Itaque nulla est apud Tremellium, qui vertit; *fuerat enim vniuersa terra sermone vno, & verbis eisdem vsa.* Quod phrasis Hebraica facile ferre potest.

XXX. De Anna & Caiapha, & negatione Petri apud Ioannem respondeo; primo Ioannem nihil factum narrare in domo Annæ; præter hoc vnum: adductum fuisse Christum ad eum; indeque missum ad Caiapham eius anni summum sacerdotem. Secundo, eam ipsam primam negationem ita narrari, vt acciderit in atrio summi Pontificis: is autem erat Caiaphas. Quare, hoc exemplum obscuritatis nullum esse. Denique, etsi aliqua esset re vera obscuritas: tamen non posse concludi Scripturam obscuram. Ratio, quia eadem Scriptura eam illustraret. Iansenius Concordiæ c. 128. *si Ioannis narratio diligenter cum aliorum narratione conferatur, deprehendemus nullum esse hic difficultati locum.*

XXXI. Octaua caussa; Pluralitas sensuum, nempe primo literalium; deinde mysticorum. Sed nos plures census literales iam ante negauimus. Tum autem si essent, hoc videtur facilior fore Scriptura. Nam difficultas Scripturæ, si qua est, consistit in vero sensu inueniendo. Solent autem, quæ multa sunt, facilius inueniri, quam quæ vnica: vt experientia docet in singulis rerum generibus. Quod attinet ad sensus mysticos, eos Theologus si vestigat, facit ἐκ περιουσίας, nullaque necessitate. Potest enim iis carere, absque vllo fidei dispendio. Quid enim necesse est, quum lego Petrum noctu, & in magno frigore negasse magistrum: me à frigore corporis diuertere ad frigus mentis: & à tenebris ad tenebrarum potestatem, cum Iansenio? Et cum video scriptum, *Duc in altum*, concipere mandatum datum Petro eundi Romam? Præterea dico hos ipsos mysticos sensus posse efficere Scripturam facilem. Tum quia multiplices sunt: & quæ multiplicia, vt diximus, facilius inuestigantur: tum quia pendent ab interpretis solertia: qui hoc illudve sibi animo fingit; ac applicat textui, quem habet præ manibus. Porro hinc facilitatem aliquam posse acquiri Scripturæ patet ex vsu Veterum: qui quoties non poterant literalem assequi; ad mysticum statim diuertebant. Sic Augustinus, quum legeret de Dauide, *ferebatur in manibus suis*, Psalm. trigesimo tertio: *Hoc vero fratres*, inquiebat, *quomodo posset fieri in homine quis intelligat?* Itaque diuertit ad institutionem Eucharistiæ. Infinita sunt huiusmodi.

XXXII. Nona caussa ab indeterminatione Scripturæ. Hæc vero quid est? An quod Scriptura non sit determinata ad vnum aliquem sensum? At hoc falsum. Alioqui non esset loquutus Deus: Nam loqui nihil est aliud, quam sonum vocis determinare ad vnum certum rationis sensum: alias nemo neminem intelligeret. At Deum loquutum esse Patribus per Prophetas: & tandem nobis per Filium, docet Paulus 1. ad Hebræos. Fateor esse locos ambiguos; quos interpunctio varia possit variare, fateor etiam omnes posse scribendo peruerti: aut pronunciando torqueri. Sed hæc nulla peccata sunt Scripturæ: peccata potius hominum in Scriptura non bene versantium. Et quis liber vnquam est scriptus tam facile; cui non possint hoc artificio offundi tenebræ? Aut quid de me dicat Salmero, si illud Virgilianum, sic & scribendo, & interpungendo, variem; *Tityre tu patule recubans sub tegmine: fagi Syluestrem tenui musam meditaris auena: Nos patriam?* Accusabit-ne Virgilium versus indeterminatos obtrudentem; an me Virgilium corrumpentem? Cur ergo nos potius Scripturæ imputabimus lectorum peccata?

XXXIII. Decima caussa, Analogia. Hîc vero collationem locorum fateri possum esse non exigui laboris, & iudicii non infirmi: quia multa simul in mentem venire necesse est: ex iisque seligi, quæ ad rem faciunt. Sed inde obscuritatem Scripturis imputari, haud æquum videtur. Primo quæcumque difficilia sunt, nego, recte obscura dici absolute. Sunt enim alia aliis difficilia, nempe pro captu singulorum. Est cui fluxa memoria fraudem facit. Hic cum oblitus erit, Verbum esse factum carnem, obstupescet cum leget, non tantum Deum crucifixum: sed etiam longe facilius, factum ex semine Dauidis secundum carnem. Est & alius cui infirmum iudicium impedimento. Is cum leget quarto ad Hebræos; habere nos Pontificem magnum: putabit Apostolum loqui de Papa Romano, quem sui solent ita appellare: nec reputabit tota illa Epistola sic vocari Christum. Quis tamen est tam absurdus, qui propterea Scripturam appellet obscuram? Nihil enim vnquam scriptum est, nihil vnquam scribetur; quod non eadem ratione obscurissimum dici queat.

XXXIV. Vndecima caussa: quia difficillimum sit difficiliores locos à facilioribus dignoscere. Absurdum, inquam. Omnino enim constat nihil obscurum esse in Scripturis, idemque ad fidem, moresque necessarium; quod non sit alibi locis clarioribus explicatum. Iam vero si sit incertum, qui loci sint clariores: ergo ne ipsi quidem erunt clariores. Exempli gratia, si ex his duobus, *Panis, quem frangimus, est communio corporis Christi*; &, *Hoc est corpus meum*, incertus sum, vtrum vtro explicem: tum sine dubio, æque mihi obscurum, incognitumque esse oportet. Quare, si hæc caussa conceditur, omnino necesse erit nullos esse in tota Scriptura locos alios aliis obscuriores. At hoc est absurdum, & contra sensum communem: contra testimonium antiquitatis: contra ipsorum Papistarum conscientiam.

XXXV. Addo: cum certum sit esse locos obscuros, vt dixi, plerumque non absolute, sed κατά τι pro singulorum captu: ex eo aperiri viam diiudicandorum locorum faciliorum. Exempli gratia; Quia ex numero naturarum in Christo, Nestoriani etiam personam diuidebant: hinc fiebat, vt disputantibus aduersus eos, obscuri essent omnes loci; qui naturas distinguebant. Contra autem, quia Eutychiani propter vnitatem personæ, etiam naturas confundebant: ideo obscuri erant, quicumque pertinebant ad vnitatem personæ. Itaque Catholicis aduersus istos restabant perspicui, quicumque agebant de distinctione naturarum. Aduersus illos autem, quicumque de vnitate personæ. Atque adeo veterum Patrum disputationes si euoluas, hac arte videbis temperatas, vt Eutychem obruant argumentis à proprietatibus naturarum distinctis: & Nestorium ab vnitate personæ. Eadem ratione hodie, quia suæ Transubstantiationis monstro Papistæ obscurarunt omnes locos, qui agunt de efficacia Sacramenti: & tamen integram conseruarunt doctrinam de vna persona, duabusque in Christo naturis: ideo nobis aduersus eos hac de re disputantibus, clari sunt quicumque loci agunt de veritate humanæ naturæ. Ex his & aliis exemplis; eruitur regula dignoscendorum facilium locorum; nempe à Thesis positione.

XXXVI. Sed enim assentior Gregorio de Valentia, vt quis in Scriptura & cognitione locorum Theologicorum sit magis minus-ve versatus: aut magis minus-ve perspicax, & in indagando diligens: sic magis minus-ve rationes videre, cur hic sensus potius huic loco, quam alius sit idoneus. Sed hoc quicquid est discriminis, non magis Scripturas attingit; quam Solem oculi magis minus-ve perspicaces. Atque vt nihil interest ad Solis lucem, quis sit oculus: quia quicumque ille tandem sit: tamen Solem videre non potest, nisi per eiusdem Solis lucem, & ideo semper Sol lucidus est, quamdiu percepta eius luce videtur; nec aliter videtur: sic perspicua erit Scriptura; quia illa siue magis, siue minus acuta ingenia Scripturas ex Scripturis intelligunt: quæcumque tandem mensura sit, gradus-ve intelligentiæ.

XXXVII. Duodecima, postremaque caussa ἀπὸ τῆς ἐναντιοφανείας. Sed in Scripturis nihil omnino contrarium est: alioqui non essent obscuræ: verum appellandæ falsæ. Saltem apparent, inquiunt. Fateor. Sed hanc nego iustam esse obscuritatis caussam: nisi si non possit conciliatio peti ab ipsis Scripturis. Nam si potest: tum ipsa sibi lucem facit: non posset autem; nisi ipsa lucem haberet: & si habet; necesse est esse lucidam. Habet autem. Nulla est enim ἐναντιοφάνεια, quæ non possit, imo non debeat ab ipsa Scriptura rationem accipere conciliationis. Et sic illud de visitanda iniquitate patris in filios explicatur. Nam Ezechielem manifestum est loqui de filiis qui recedunt ab iniquitate patris. *Quare*, inquit, *non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet quia Filius iudicium & iustitiam operatus est: omnia præcepta mea custodiuit: & fecit illa: & viuet vita. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris: & pater non portabit iniquitatem filij.* At vero Exodi 20. *Visitans iniquitatem patris in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Vel potius ex veritate Hebraica, *in eos qui oderunt me*: vt sit sensus, is quem expressit Paraphrastes Chaldæus, quando filii sequuntur peccata patrum. Itaque contradictio nulla est: & si qua somnolentis lectoribus apparebat, ex ipso contextu facile discutitur.

XXXVIII. Alios locos miror prolatos. Constat mundum sex diebus creatum. Quid nocet, cum postea dicitur cap. 2. Geneseos: *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram*, Ego quidem non video. Nam hoc postremo non est necesse significari vno die creatum fuisse vniuersum; sed tantum tempus creandi: quod quis non videt explicandum ex primo capite; cuius narratio diserte confirmatur iis ipsis verbis, *Istæ generationes*? Nam de Ecclesiastico facilis nodus: Primum enim non est Canonicus. Indignum autem, vt quicquam non Canonicum opponamus Scripturæ Sacræ. Deinde species illa contradictionis est à mala manu interpretis Latini: qui *Simul* dixit, quod Græce est κοινῇ; Ita enim legas Ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ. Hoc est: *Is qui viuit in seculum, creauit omnia communiter*: nempe quia nihil est quod non crearit. Nec in luce obscurior gryphus. Creata est die primo lux; At Sol, tantum quarto. Quid hîc contrarii? Ego quidem non video. Nunquid ergo lux & Sol non sunt idem? Dignum Salmeronis πρόβλημα! Nam quis dixit esse idem? Aut si quisquam tam fuit in vulgo stupidus, qui putarit, potest-ne quisquam in hac ipsa horum locorum comparatione versari, qui non exuerit errorem?

CAP. XVI.

De legentibus Scripturas.

I. Atque hactenus obscuritatis caussæ, quæ ab ipsa Scriptura. Sequuntur quæ à Lectoribus. Has quatuor video apud Gregorium de Valentia. Prima est, quod non tantum Grammaticæ peritia necessaria sit, sed etiam rerum ipsarum, atque adeo sensus in Scripturis exercitati: itaque & harum doctor idoneus. At hunc pauci sibi vel quærunt vel inueniunt. Secunda: quod neque historiam multarum rerum, artesq; liberales quasdam ignorare oporteat; teste Augustino. Tertia; quod purgandus sit animus, ne vitiorum cœno obruta, atq; excæcata mens, videre non possit lumen veritatis. Quarta, quod precandus Deus, pro sapientiæ interpretationisq; dono. Non sit autem exigua difficultas, id & pie, & perseueranter facere.

II. Respondeo: primo, hæc omnia capita pertinere ad defectus eorum, qui siue volunt, siue debent in Scripturis versari. At iniquum esse, hos imputari Scripturis. Neque vnquam visum auditum-ve vllius autoris prophani scripta æstimata ex captu eorum, quibus legenda obiiciuntur: & non potius ex ipsorum, vt ita dicam, genio. Nec puto futurum, vt Heraclitus σκοτεινοῦ nomen auferret, si solis imperitis fuisset intellectu non facilis. Alioquin cur non Plato obscurus habetur? cur non alii plurimi? Nimirum immane peccatum est eorum, qui seueriores, imo iniquiores sese iudices præbent sacrorum librorum, quam prophanorum. Et hi cur non breuius rem absoluunt negantes scripturas à surdis intelligi cæcisque?

III. Porro prima caussa, primum fauet perspicuitati Scripturæ. Nam si ad eam intelligendam opus sit sensibus in eadem exercitatis: Ergo ipsa seipsam interpretatur: ac proinde falsum est, esse obscuram. Nisi enim esset perspicua, id est, nisi plus multo perspicuitatis haberet, quam obscuritatis, absque dubio seipsam explicare non posset: tum quid prodessent sensus in iis etiam exercitatissimi? Quod autem de doctore additur, friuolum est. Quia nihil tam facile, tam perspicuum tam explicatum esse potest, quod doceri non possit: imo non debeat. Sic in singulis scientiis omnes fatentur facillimam earum partem esse in elementis; quæ tamen prima omnium traduntur. Et in ipsa Theologia; quis nescit tradi solitum Symbolum Apostolorum? Aut quis non legit eius explicationes apud Patres creberrimas? Et tamen Symbolum Papistæ non accusant obscuritatis. Doctorem vero, aut non quæri, aut non inueniri idoneum, quum diceret Gregorius, apud quos se, quæso, putabat loqui? An apud Ethnicos, & Turcas, apud quos nulla Ecclesia, nulla Ecclesiæ politia? At nos de vsu scripturarum disputamus inter fideles: quibus

à Deo conſtituti ſunt doctores, imo qui ipſi fideles non fiunt, aut certe vix fiunt ſine doctoribus.

IV. Secundo: certum ipſas Scripturas legendas vt fiant ſenſus exercitati in Scripturis: Non legi autem, niſi vt intelligantur. Nec intelligi, ab iis ſaltem, qui nondum ſunt exercitati, niſi ſint faciles. Vnde fit, Scripturas eſſe faciles etiam iis, quorum non ſunt in illis ſenſus exercitati. Nam, quomodo poſſumus aliter intelligere Timotheũ ἀπὸ βρέφους, à puero, ſacras literas nouiſſe? An etiam puer habuit exercitatos ſenſus in Scripturis; vt legeret? An potius à puero legit, vt exercitatos haberet ſenſus? Adde Hieronymum præcipientem Lætæ filiam ita inſtitui, vt etiam puerilibus annis, Scripturam haberet præ oculis. Quod prolixe agit Epiſtola ad ipſam Lætam. Et ne multa colligam in re perſpicua: ἀμελήσω τῶν γραφῶν; inquit Theodoretus in iis tractatibus aduerſus varia hæreticorum pronunciat, quæ ſunt in ſecundo tomo Athanaſii, tract. 2. *Negligam Scripturas?* πόθεν οὖν ἡ γνῶσις, *vnde igitur cognitio?* Ergo à lectione cognitio, id eſt, ſenſus exercitati: non contra à cognitione lectio, hoc eſt, ante ſenſus exercitatos lectio: contra quam voluit Gregorius.

V. In ſecunda cauſſa, Eſto ſane non inutilis multarum rerum, ſiue ex hiſtoria, ſiue ex aliis ſcientiis, cognitio. Sed inde obſcuram fieri Scripturam negamus. Nimirum ſcientes eam cognitionem, quantumuis vtilem, tamen non neceſſariam. Certum enim poſſe Scripturæ etiam abditiſſima myſteria, quæ quidem fidem continent & mores, cognoſci abſque vllo, ſiue hiſtoriæ, ſiue ſcientiarum exoticarum adiumento. Certe, ſi Philoſophus fuit Iuſtinus, Philoſophos ἐπεσόμισε, autore Socrate, & Sozomeno. Imo Theodoretus θεραπευτικῶν octauo, clamat noluiſſe Deum paucos quoſdam τῶν ἱερῶν ἀπολαῦσαι ναμάτων, ſalutarium participes eſſe fontium: Sed omnes homines, tum Græcos, tum Barbaros, καὶ τοὺς λόγοις ἐντεθραμμένους, καὶ τοὺς λόγων ἀγεγυμνασμένους, non ſolum homines literarum ſtudiis innutritos (ita vertit Acciaolus) ſed etiam qui literas ne deguſtarunt quidem, puta σκυτέας, ὑφάντας, ἔτι κεστουργούς, οἰκέτας, προσαίτας, γηπόνους, ἐλαιουργούς. Quid iſtis quæſo alienius ab hiſtoriarum, ac ſcientiarum cognitione?

VI. Et ſane, qui ad Scripturæ interpretationem omnium hiſtoriarum, omniumque ſcientiarum cognitionem adferunt, hos experientia docet, longe procedere vltra ſalutis inquiſitionem. Profit Geometria cognoſcendæ fabricæ eius arcæ in qua paucæ, hoc eſt, octo animæ ſeruatæ ſunt: Sed proſit Buteoni & poſt Buteonem Pererio, contignationes omnes metientibus, niduloſque metantibus: non tam vt hoc ſcirent, quod ſciri Moſes voluit, hiſtoriam rei geſtæ: quam vt rationem, vt ita dicam, palparent, qua potuerint animalia tot includi vna arca: hoc modo miraculum aut tollentes, aut certe minuentes. Eſto Aſtrologia vtilis, ſed Scaligero, Temporario, Caluiſio, & ſimilibus: qui ægre ferentes, vel vnius diei rationem non conſtare in Chronologia vniuerſi orbis, Eclypſes ſupputauere. At cui Chriſti genealogia ſatisfaciet, is Ptolomæi poterit facile carere Almageſto. Nec video ab Hieronymo mandatum Lætæ, vt filiæ, quam volebat, exerceri in libro Iob, interpretaretur Ariſtotelis Meteora, ad theſauros niuis, theſauroſque grandinis intelligendos c. 38. & patrem pluuiæ, genitorem roris: vterumque vnde egreſſa glacies.

VII. Tertia, quartaque cauſſa, quid ſibi hic velint non video. Primo, quid mirum, ſi non ſanis oculis non bene Sol luceat? Ideoque neceſſe ſit à Medico prius purgari? An propterea Sol obſcurus? Quid? Si neceſſe eſt τὸν μανθάνοντα πιστεύειν, an propterea Magiſter in docendo obſcurus? Secundo hæ ipſæ cauſſæ, non tam ad ſenſum Scripturæ concipiendum pertinent, quam ad myſteria fide amplectenda. Si quidem etiam impii dum legunt, mentem Verborum aſſequuntur. Neque enim Celſus, puto, Porphyriusue, Deum ignorabant Trinum in Scripturis prædicari, aut mundum creatum: hominem deinde corruptum: Diluuium inductum: Chriſtum, incarnatum, paſſum, rediuiuum: denique, ne omnia colligam, reſurrectionem futuram. Et tamen illi, credo, neque mentem ſordibus purgatam habebant, neque Deum precibus aſſiduis ſollicitabant. Quid ergo? Nimirum ea ipſa capita, quæ ſic legebant, quæ ſic legendo concipiebant: pro fabulis habebant: & irridebant: imo etiam impugnabant.

VIII. At non exigua difficultas pie, perſeueranterque precari. Et tamen, inquam, iubet Paulus omnes fideles ἀδιαλείπτως precari, prioris ad Theſſalonicenſes quinto. Ergo omnes fideles hoc remedium habent in promptu: aut certe deſunt officio ſuo. Et eorum, qui deſunt ſuo officio, tu velis peccatum imputari Scripturis? Quanto melius Origenes. *Ego vereor ne per nimiam negligentiam, & ſtoliditatem cordis, non ſolum velata ſint nobis diuina volumina, ſed etiam ſignata.*

CAP. XVII.

Alia Papiſtarum argumenta pro obſcuritate Scripturæ.

I. DE cauſis obſcuritatis hactenus. Sequuntur alia argumenta. Primum eſt ex Salmerone. Veterum Iudæorum traditio fuit, teſte Hieronymo vt nemo ante ætatem Sacerdotalis miniſterii, id eſt ante triginta annos, lectionem principii Geneſis, & libri Cantici Canticorum, attingeret, vel prima, & poſtrema Ezechielis Prophetæ capitula legere poſſet. Quod certe non ob aliud cautum fuit: niſi quod tum omnes, tum illos præcipue libros innumeris difficultatibus perobſcuris myſteriis refertos cerneret, vt maxima quæque tantum, & exercitata ingenia requirant.

II. Ridicule, inquam. Prohibita eſt earum partium lectio ante annum trigeſimum, quia omnes libri ſacri innumeris difficultatibus ſcatent, & perobſcuris myſteriis. Hoc quiſquam ſanus dixerit? Hoc quiſquam ſanus dictum ferat, etiam ab inſano? Atqui ſi ea fuit iuſta cauſa earum partium prohibendarum, debuit & in omnibus libris ſacris vna eademque lex valere: vt eorum nemo quenquam legeret ante ætatis annum trigeſimum. Atqui non ita factum patet: quia ἀπὸ βρέφους Timotheus ſacras literas didicerat, quod non laudaſſet Paulus, niſi eſſet factum bene. Imo ex ipſa lege quis non videt permitti, quæ non prohibentur? Id dictat ſenſus communis. Itaque perſpicuum argumentum: Quicunque Scripturæ libri ſcatent difficultatibus & perobſcuris difficultatibus, prohibentur legi ante annum trigeſimum ætatis. At Geneſis tota, excepto principio: & Ezechiel, excepto principio & fine: & reliqui omnes libri Veteris Teſtamenti, excepto Cantico Canticorum, non prohibentur legi ante annum trigeſimum. Ergo ii libri non ſcatent difficultatibus, & perobſcuris myſteriis.

III. Cæterum nihil prohibet, quominus ordo ſit quidam in legendis Scripturæ libris. Etſi enim in omnibus mentem ſuam patefacit Spiritus Sanctus, ita vt non inutiliter legantur: tamen certum, alios aliis eſſe magis claros. Hanc ob cauſam, non male iſtis conſultum, qui à Nouo Teſtamento initium faciant, antequam Vetus deguſtent. Et in ipſo Veteri Teſtamento alios aliis præferant: Hieronymi tamen paulo aliter erat ſententia ad Lætam, *Diſcat primo Pſalterium: his ſe canticis auocet: & in Prouerbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat, quæ mundi ſunt, calcare. In Iob virtutis & patientiæ exempla ſectetur. Ad Euangelia tranſeat nunquam ea poſitura de manibus. Apoſtolorum Acta, & Epiſtolas tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris ſui cellarium his opibus locupletauerit, mandet memoriæ Prophetas, Heptateuchum, & Regum, & Paralipomenon libros. Eſdræquoque & Eſter volumina. Ad vltimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum.* Sed ſiue hic ordo placeat, ſiue alius forte commodior, haud intereſt: neque inde quicquam concludi poteſt pro obſcuritate Scripturæ.

IV. Secundum argumentum ab vtilitatibus obſcuritatis: quas enumerant, Lorichius quidem quatuor: at Salmero nouem. Prima vtilitas; vt Deus agnoſcatur ſapientiſſimus, & noſtram ſapientiam longe vincere. Secunda, vt deprimatur ſuperbia & nimia de viribus intellectus confidentia. Tertia, vt deprecemur Dominum, & pulſemus ad diuinæ ſapientiæ ianuam, vt ſignatum ſigillis ſeptem librum aperiat, & adaperiat nobis mentem, vt Scripturas intelligamus. Quarta, vt ex tali obſcuritate multiplex oriatur ſcientia: quia in claris & apertis non eſt perinde locus ad varios ſenſus eruendos, atque in obſcuris. Quinta, vt Scripturis diligentius inſudaremus, & noſtro marte elaborata, propriaque induſtria inuenta, & excogitata, & auidius deguſtentur, & dulcius ſapiant. Sexta, vt vitam piam & ſanctam, quæ inſtar ſit optimi commentarii ad intelligenda diuina volumina, adferre nitamur. Septima, vt ne perturbetur ordo in Eccleſia. Nam ſi omnes quotquot legerent, intelligerent, dedignarentur Doctores. Octaua, per obſcuritatem celantur myſteria diuina indignis. Nona, ne autoritas Scripturæ vileſcat. Eſſe enim eum naturæ noſtræ genium, vt nobis clara & facilia cito vileſcant: vel ob id ſolum quod communia ſint omnibus.

V. Reſpondeo: Primo, nullam hic rationem eſſe, quæ oſtendat Scripturam eſſe obſcuram: ſed tantum quæ poſita obſcuritate, doceat, eam non fruſtra eſſe. Exempli gratia, ſi enumerem vtilitates aeris ſemper ſudi ac ſereni, quas vel vſus Ægypti docet, vel ingenii ſubtilitas veſtigare poteſt: non ideo doceo ſemper eſſe ſudum aerem ſerenumque: ſed tantum, ſi ſit, quid inde ſit. Si narro commoda pacis infinita non tamen concludo eſſe pacem: tantum hortor pacem fieri. Infinita ſunt huiuſmodi. Sic omnino, ſi conſideretur hoc quicquid eſt vtilitatum, imo etiam concedatur, tamen non ſequitur Scripturam eſſe obſcuram.

VI. Alioquin, quid vetat ſimili argumento concludi perſpicuitatem? Nam perſpicuitatis vtilitates colligi multas, facile eſt, vt Deus agnoſcatur, aut certe agnoſci poſſit ab omnibus. Quæ ſumma eſt Religionis. Hæc autem non paucorum eſſe debet, ſed omnium. Vt Dei bonitas multo magis appareat, cum ſuam ſalutem multis communicat, id eſt, ſe ipſum offert fruendum. Nam quia bonum eſt ſua natura communicabile: profecto, quo pluribus ſe ipſum communicabit, eo magis bonus agnoſcetur. Vt homines abducantur à peccatis: quod fit cognita Dei voluntate, imo etiam bonitate, vnde Paulus 2. ad Titum, *illuxit gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, & iuſte, & pie viuamus in præſenti ſeculo.* Vt toti ſimus in gratiis agendis Deo, quod adeo noſtri ſit miſertus, vt totam ſuam voluntatem dignatus ſit manifeſtare. Vt impii magis ſint inexcuſabiles, quum Euangelii doctrinam omnino reſpuunt: & Hypocritæ, dum non opere complent. Iuxta illud, *Tyri & Sidoni tolerabilior erit conditio in die iudicii quam veſtra,* Matthæi 11. Vt confundantur ſuperbi huius mũdi, & conſolationem accipiant humiles: iuxta illud Matthæi 11. *Confiteor tibi Pater, quod abſconderis hæc à ſapientibus, & intelligentibus, & ea detexeris infantibus.* Nam ſolent ſuperbi iſta accommodata ad captũ minimorum deſpicere, ac dedignari: vnde illud olim Athei ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, Ideo neque inquirere: vnde ignorantia. Itaque Paulus 1. ad Corinth. 1. *Quæ ſtulta ſunt in mundo elegit Deus, vt pudefaciat ſapientes.* Vt aut ne ſint hæreſes, aut facilius potentiusque confutentur. Nam & in obſcuris facile eſt decipi: & obſcuris non facile fit demonſtratio. Poſſunt aliæ vtilitates colligi. Videant Papiſtæ, vtrum ſe iis conuinci patiantur, vt concedant Scripturam eſſe facilem.

VII. Deinde de ſingulis vtilitatibus reſpondens dico, etiam in facilitate Scripturæ Deum agnoſci ſapientiſſimum. Nam Deus in rebus ipſis elucet maxime, quæ per verba ſignificantur. Hæ autem ſi ſapientiſſime factæ, conſtitutæque oſtendantur: tum non poteſt Deus non ſapientiſſimus cenſeri. Quomodo ſi magna opera ſint: tum Deum neceſſe eſt confiteri eſſe magnum & potentiſſimum. Apparent autem eius opera & ſapientiſſima & magna, non cum ignorantur, ſed cum cognoſcuntur. Quo autem facilius exponuntur, eo magis cognoſcuntur. Itaque perſpicuitas vtiliſſima eſt declarandæ Dei ſapientiæ.

VIII. Addo in obſcuritate, aut nullam aut exiguam apparere Dei ſapientiam. Primo. Non poteſt eſſe Dei laus magna in perplexe loquendo: quæ hominum ipſorum nulla eſt. Nã certe ſi ſermonis virtus eſt σαφήνεια omnium vitium eſt ἀσάφεια.. Tum etiam non eſt Dei laus magna, niſi in rebus quæ excedunt vires humanas. At perplexitas ſermonis non excedit. Poteſt enim quilibet, puta Heraclitus, Ariſtoteles, ita loqui vt à nemine intelligatur. Secundo incognita nihil docent. Itaque ne Dei quidem ſapientiam. Ac proinde neceſſe eſt ea, quæ docent ſapientiam Dei, quo minus erunt incognita, hoc magis illuſtrare eam ſapientiam, εἰ γὰρ ἔγνως, aiebat ille, οὐκ ἂν κατέγνως.

IX. Vſus docuit. Nam etſi ſemper ſapientiſſime fuit humana ſalus diſpenſata: tamen longe amplius glorificata eſt Dei ſapientia, cum manifeſta-

tus eſt

tus est Christus in nouo Testamento, quam cum obscurius prædicatus in Veteri. Et quamuis eadem sapientia semper eluxerit in Mundi opificio: tamen in gentibus non fuit agnita, nisi, vt ita dicam, per somnium, sed in Ecclesia manifestissime; quæ audiuit discere mundum à Deo creatum.

X. Itaque illud Prouerbiorum 25. *Gloria Dei celare verbum*: recte Mercerus interpretatur de mysterijs, quæ, etsi patefacta sint in verbo, tamen habent in se multum abstrusi: vt penetrari non possint ab humana mente. Quam ob caussam Tremellius pro Verbo, Rem dixit: quomodo notum apud Hebræos חדבר proprie quidem Verbum, sed inde per metonymiam vsitatissime Rem significare. Iansenius ex Caietano probat, significari ad honorem Dei pertinere abscondere rationes iudiciorum, & factorum suorum, vnde pateat non habere superiorem: at reges, & quosvis iudices humanos paratos esse debere declarare rationes suorum iudiciorum, & factorum. Nec Sa est alienus. *Ad Dei gloriam pertinet, inquit, eius mysteria esse occulta, ad regem autem sciri cur quicquam faciat.* Quæ certe non est obscuritas tradendi, sed rerum ipsarum, quarum rationes lateant.

XI. Superbia etiam, & confidentia de viribus intellectus comprimitur, ac cohibetur potius à facilitate sermonis, quam ab obscuritate. Primo, quia quæ facile traduntur; omnem ansam præcidunt huiusmodi superbiæ, & confidentiæ: non enim comprehenduntur viribus ingenij: alias soli subtiles intelligerent, sed ipsa sui facilitate: ideoque etiam stupidiores percipiunt. Itaque neminem videas sese extollentem, quod scientiarum elementa didicerit. Et in ipsa Theologia, Catechumenis (opinor) non erat magna superbiendi occasio ex cognitione Symboli. Neque vnquam audiui quenquam magnifice efferentem sese; quod intellexerit sensum horum facillimorum verborum. Ad Romanos 16. *Salutate Priscillam, & Aquilam.* Aut Petri ex 5. prioris. *Per Syluanum vobis, vt opinor, fidelem fratrem, paucis scripsi.* Atq; adeo quicunq; subtilitatis laudem affectant, obscurissima quæque seligunt, in quibus sese exerceant: quod adeo patet ex vtilitate quarta, quę negat in claris non esse locum eruendi varios sensus: ideoq; minus esse aptos multiplici scientiæ.

XII. Secundo, mysteriorum difficultas ea proprie est, quæ superbiam decutit, confidentiam deijcit: & quidem tanto potentius: quanto stylo clariori proponuntur. Cum enim sentit quisque, non posse penetrare illa mysteria; hoc est, non posse inuestigare ea quæ Scriptura reticuit: tum vere aut esse stipite stupidiorem; aut confiteri necesse est, se ea ipsa, quæ traduntur, nunquam fuisse diuinaturum, nisi fuissent exposita. Sic etsi Trinitas sit in Scripturis perspicue tradita: & Incarnatio: & Resurrectio, & similia: tanta autem sit eorum vere mysteriorum profunditas, vt nullo ingenij acumine superari possint: tum vero necesse est omnem humanum intellectum deijcere sese, & in memoriam reuocare illud ex Matthæi decimo sexto, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.*

XIII. In tertia vtilitate; preces ad Deum nulla impedit facilitas: Alioquin, qui Scripturam intelligerent, tum cessarent à precando. Quod ne quidem est verisimile. Quia sic minueret pietatem, intellecta Scriptura. Quod contra est. Deinde, rursus, non tam literæ quam mysteriorum difficultas preces postulat.

XIV. Quarta, non vtilitas est, sed curiositatis vanitas: quum sibi quisque nouas interpretationis semitas inuenit: imo non inuenit, sed quærit. Sed enim pietatis simplicitas modestior est: quæ Scripturas sibi datas cogitat, non vt amplum imaginandi, cogitandi, fingendi campum, sed vt arctos intelligentiæ fines, quos vltra citraque nequit consistere verum. Tum etiam varij sensus non in Scripturis solum, sed in omnibus scriptis tantum abest, vt multiplicent scientiam, vt confundant potius. Neq; quisquam prudens, se putat vllum locum intelligere, nisi sensum inuenerit vnicum, in quo, reliquis omnib. posthabitis, acquiescat.

XV. Quintæ vtilitatis partes duæ. Prior, vt insudemus Scripturis. Illud vero insudare ambiguum: est enim vel multum laborem in vnius pluriumve locorum inuestigando sensu, multumq; temporis impendere, vel in Scripturis euoluendis meditandisq; assiduũ esse. Priori sensu, vtilitas nulla est, sed incõmodum ac dispendium. Itaque longe vtilior facilitas; quæ neminem detinens in cortice literæ mysteria exhibet, tanquam medullam, in quibus sese omnes exerceant. Altero sensu, vtilitas magna. Sed primum, hanc impedit obscuritas. Solet enim lectores absterrere: Quomodo aiunt olim quendam dixisse autorem obscurum à se rem ouentem: Tu non vis intelligi: neque ego te intelligere. Deinde facilitas hoc ipsum quicquid est vtilitatis, promouet: tum quia lector delectari soleat ijs, quorum mentem concipiat: tum quia multi inuitentur, hac ipsa spe capiendi, quæ sese offerent: qui alias nunquam accederent. Quod patet inde manifestissime: quia Papistę hoc difficultatis prætextu abutuntur, tanquam μορμολυκείῳ ad absterrendos à Scripturis laicos.

XVI. Altera pars vtilitatis erat, vt nostro marte elaborata, propriaque industria inuenta, & excogitata; auidius degustentur: & dulcius sapiant. Itaque præsupponitur, quædam relinqui nostro marte elaboranda; propriaque industria inuenienda, atque excogitanda. Atqui secunda vtilitas erat in coercenda superbia: & hanc Lorichius exponebat, eorum qui proprio ingenio confidentes Scripturas Sacras interpretari vellent. Quis non videt hoc modo, ea dici vtilia, quæ tamen prius erant damnosa? Hæc vero non valde consentiunt.

XVII. Sexta, vult adferri vitam piam, & sanctam, instar optimi commentarij. Optima sane admonitio. Sed hanc multo iuuat magis facilitas Scripturarum. Nam alioquin harum ignorantia maxima causa est vitæ non bene instituendæ. Vnde Ioannis 7. *Turba hæc, quæ non nouit legem, execrabilis est.* Et sane non potest quisquam id facere, quod non vult: nec velle, quod non intelligit. Vnde sequitur necessario, nullam esse posse vitam bonam, beneque institutam, (nam hæc in efficiendo consistit) nisi præeunte cognitione Scripturarum, vnde recti, veriq; pẽdet cognitio. Et sane nemo est omnium qui mores suos magis componat, quam qui optime Scripturas habet cognitas. Saltem hoc verum, non vitari peccatum, nisi cognitum. At per legem esse peccati cognitionem.

XVIII. Turbari ordinem Ecclesiæ per Scripturæ facilitatem, quod supponit vtilitas septima, omnino falsum. Primo, quia non hæ solæ sunt in Ecclesia doctoris partes, vt interpretetur. Deinde, quia nemo magis ordinem colit, quam qui doctissimus est in Scripturis: & solent contra imperitissimi quique, id est, quib. tota Scriptura est obscurissima, ijdem esse maxime immorigeri, id est, ordinem contemnere. Deniq; huius vtilitatis prætextu iam olim, cum Iosue, & qui cum eo autores essent prohibendi Eldabo & Medado ne prophetarent; increpuit Moses. Et: *Quid æmularis pro me*, inquit? *Quis tribuat vt omnis populus prophetet?*

XIX. Celantur indignis mysteria. At non his tantum, inquam, verum etiam dignis. Non enim ita temperatur stylus, vt his pateant tantum, non etiam illis, vel potius, vt illos lateant, non istos. Quis enim videtur Daniel? At istum fugiebat finis septuaginta annorum captiuitatis ab Ieremia prædictæ. Quis item Augustinus? At nemo tam alte prædicauit Scripturæ difficultatem. Cuius autem sit æquitatis, riuos etiam amicis claudere, vt ne inimicis pateant, cuilibet censendum relinquo. Deinde, quid de locis facilibus dicemus? Nam in his saltem testatur Augustinus contineri quæcũque ad fidem pertinent & mores. Ad fidem vero quæ pertinent, ea mysteria sunt maxima. Alterutrum sane dicendum: vel nihil fieri absurdi aut incõgrui, cum etiam indignis non absconduntur mysteria diuina: vel Deum non prudenter hæc dispensasse. Atqui hanc blasphemiam quis non horret? Illud ergo potius verum.

XX. Quod si celanda sunt indignis mysteria: tum nihil interest, qua ratione ijsdem reuelentur; siue scripto, siue viua voce. Itaque eadem ratio quæ concludit debere Scripturam esse obscuram: etiam conficiet ne viuam quidem vocem debere esse facilem. Ratio, quia etiam per viuæ vocis facilitatem eadem illa mysteria diuina prodentur indignis. Hoc probo experientia. Nam primo Christus ipse sua prædicatione Iudæos promiscue docuit. Vt Ioannis cap. 4. Samaritanæ aperit se esse Messiam. Et 5. suam diuinitatem Iudæis calumniatoribus. Cap. 6. vim suam viuificandi, Capernaitis. Similia legas cap. 7. 8. & alijs. Quid? nonne ipse Pilato confessus est se esse Regem? Nonne & Paulus Euangelium prædicauit ijs, cõtra quos postea excussit puluerem pedum suorum? Actorum 13. & 24. Concludo igitur hanc mysteriorum occultationem nullam esse legitimam obscuritatis causam.

XXI. Nec vero, quod vltimo loco obijcitur, vilescet autoritas Scripturæ, si facilis sit perceptu. Enimuero, si aut quæ sunt omnibus communia, facile vilescunt: aut quæ clara, & facilia, eadem omnibus communia: certe necessario sequeretur; nobis facile vilescere Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Decem præcepta; quæ ipsi Papistæ fatentur esse clara & facilia: ac proinde communia omnibus. Imo traditionem hoc ipso argumento, facile est in contemptum venire. Quod si & viuæ vocis traditio, & Symbolum, & Oratio, & Lex, non obstante facilitate dignitatem suam retinent; quæ causa erit, vt Scriptura amittat?

XXII. Transeo ad tertium argumentum ex Bellarmino: Si Scriptura esset tam clara, cur tot commentaria Lutherus, & Lutherani scriberent? Cur tam diuersas ederent Scripturæ versiones? Quasi diceret: Primo: Nihil facile & perspicuum, multis commentarijs illustratur. At Scriptura multis cõmentarijs illustratur. Ergo Scriptura non est facilis & perspicua. Secundo: Nihil facile & perspicuum, varie vertitur. At Scriptura varie vertitur. Ergo non est facilis & perspicua.

XXIII. Respondeo; in priori Syllogismo, negari maiorem. Nam quæcunque à magistris doceri possunt, tradique imperitis, eadem nihil prohibet commentarijs illustrari. Posse autem vel tenuissima elementa, facillimaque præcepta à magistris doceri, quis neget? Et negabit aliquis facilem esse Scripturam, quia commentarijs eam viri docti illustrarunt? Retractent ergo Papistæ, suam de Symbolo Apostolico confessionem: & dicant, si possunt, male se concedere eius articulos, omnibus necessarios, esse faciles. Nam in Symbolum commentaria habemus non nostrorum duntaxat hominum, quos homo Papista Lutheranos appellat, sed etiam Veterum, Rufini, Augustini, Cyrilli Hæroſolymitani, Chrysostomi, Chrysologi. Imo & Papistarum: Concilij Tridentini in Catechismo ad Parochos: Simonis Vigoris, Andreæ Crocquetij, Ioannis Monluci Episcopi Valentinensis: & aliorum. Nisi forte malint me, Gretseri æmulatione, & Patres, & Papistas, aut fungos dicere, cum suis in Symbolum commentarijs: aut totum Symbolum obscurum arbitrari. Quod si neutrum patiuntur, discant se Catholicis similem ob caussam insultare frustra.

XXIV. In altero Syllogismo rursus negatur maior. Nam primo possunt versiones ipsæ Scripturam obscurare: vt sit obscuritas imputanda non Scripturæ, sed versioni. Cuiusmodi exempla plurima sunt in ea Latina, quam authenticam Papistæ volunt esse: vt Lucæ 11. *Tulistis clauem scientiæ*: ambiguum; vtrum, quia attulerint quod est contra mentem. Græce facilius, ἤρατε *abstuliſtis*. Matthæi 8. *Duo habentes dæmonia*, incertum an duo viri habentes dæmonia: an quotcunque viri habentes duo dæmonia. Beza clarius, *duo dæmoniaci* δύο δαιμονιζόμενοι. Ad Romanos 13. *Necessitati subditi estote*: Græce clarius, ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι: & apud Bezam, *Necesse est subijci*: vt & Syrus expressit, interprete Tremellio, *Necesse est nobis, vt subiecti simus.* Nam hoc modo Christianorum officium vniuersaliter exprimitur; vt nemo ambigere possit, hoc illis mandatum esse, vt subsint regibus. At ille, & contractius, & obscurius: quasi consilium esset, vt pro tempore sese Romani gererent, præsentiq; necessitati obsequerentur: quomodo etiam hodie clamant agnouisse Ethnicos pro Imperatoribus olim Apostolos, quia deerant vires ad excutiendum iugum. At horum peccatorum Scripturam pœnas dare iniquum est.

XXV. Secundo, Versiones variæ sunt, vel propter verba, vel propter sententias. Si propter verba sola, nulla nascitur propterea difficultas. Neque enim obscurius illud Bezæ, 15. prioris ad Corinthios, *Nam si mortui non excitantur, Christus quoque non est excitatus*: Quam hoc Veteris interpretis, *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*: Aut Iunij, ex Arabico, *Quod si non est futura resurrectio mortuorum: ergo Christus non resurrexit.* Vel Boderiani ex Syro, *Et si viuificatio mortuorum non est: et-*

iam non Christus resurrexit. Quin etiam fatebantur olim Patres, se ad intelligendam Scripturam plurimum adiuuari à multiplicibus versionibus. Augustinus libr. 2. de Doctrina Christiana, cap. 12. *Quæ res plus adiuuit intelligentiam, quam impediuit: Si modo legentes, non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias, plurium codicum fide manifestauit inspectio. Sicut illud Esaiæ Prophetæ, vnus interpretatus est, Et carnem tuam ne despexeris: alius: & domesticos seminis tui ne despexeris: vterque sibimet inuicem attestantur: nam alter ex altero exponitur.*

XXVI. Sin vero sententiæ ipsæ diuersæ sint: tunc ego quidem fateor obscuritatem induci. Sed id fit vel ex ambiguitate loci: vel ex Interpretum vitio. Ambiguitates fatemur in Scripturis esse nonnullas: ac proinde etiam obscuritates, sed neque tot, neque tantas, vt propterea mereatur Scriptura dici obscura: maxime, cum vere ab Augustino didicerimus ex iis obscuritatibus fere nihil erui, quod non alibi disertius sit expositum. Sin diuersitatis causa sit Interpretum vel ignorantia, vel peruersitas: tum vero non est propterea Scriptura non clara. Quis enim nescit humanam nequitiam lucere in rebus sanctis? Quis nescit noctuas caligare pleno meridie? Itaque si hæc ratio locum haberet, nihil iam dici posset perspicuum: quia nihil est tam manifeste, cauteque dictum, quod non siue imperitus, siue perfidus interpres peruertat. At si quis ex eorum numero, qui Mariam aiunt fuisse tanquam σωλῆνα, mihi illud ex primo Matthæi, τὸ ὑπὸ κυρίου ῥηθὲν reddat. *Quod per eam prodibit*: Egone accusem Matthæum obscuritatis, an potius execrer impudentiam hæretici? Denique Lucæ vndecimo non Scripturæ, sed interpretibus perfidis Christus, Væ dicit, *Væ vobis Legis Interpretibus: quoniam abstulistis clauem cognitionis: ipsi non introitis: & eos qui introibant, prohibuistis.*

XXVII. Quartum argumentum ex Salmerone: Nullus ex Patribus suo nixus est ingenio, vt Scripturas perciperet, sed singuli magistros adhibuerunt. Sic Apostoli à Christo aperiente sensum Scripturarum acceperunt. Ab Apostolis Apostolici: ab istis successores: vt à Clemente Origenes: ab Origene Thaumaturgus: A Papia Irenæus. Cyprianus, *Da Magistrum*, aiebat, Tertullianum intelligens. Lectione veterum Patrum instructi Basilius, Nazianzenus, Scripturas tractarunt. Hieronymus magistros habuit Nazianzenum, Apollinarium, Didymum. Chrysostomus Emissenum: Augustinus Ambrosium: Martinus Hilarium. Augustinum Prosper, Hilarius Arelatensis, Chrysologus, & vniuersi fere Scholastici. Ergo Scriptura est obscura.

XXVIII. Respondeo, negari consequentiam. Primo, quia nihil est tam facile, quod imperitis tradi non debeat à magistris. Illi autem Patres veteres, non nati sunt docti: vt eos oportuerit omnino vti magistris, etiam in rebus alioqui per se ipsas facillimis. Itaque Catholici omnes qui pati non possunt, tam indigne traduci Scripturas obscuritatis nomine: tamen ipsi auidissime vtuntur. Virorum eruditorum opera in iis explicandis: non Veterum duntaxat, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, Origenis, reliquorum, aut recentium Catholicorum, Caluini, Buceri, Philippi, Lutheri, Oecolampadii, Zuinglii, Zanchii, Martyris, Aretii, Piscatoris: sed etiam Papistarum, Lyrani, Aquinatis, Caietani, Gagnæi, Guillaudi, Iansenii, Maldonati, Brugensis, Salmeronis. Secundo, concedimus quasdam partes Scripturæ esse obscuras: quas etiam conati sint illi, quorum exempla proferuntur, intelligere: itaque ad doctores confugerunt. Nec tamen sequitur Scripturas esse obscuras. Tertio, iidem Patres non tam literæ sensum inquirebant, quam mysteriorum cognitionem, quæ sciebant κατ' ἐξοχὴν facile tradi in Scripturis. Ita consulebat Augustinum Volusianus, non quærens vtrum Scriptura dicat Christum natum de Maria Virgine: sed quomodo Deus immensus claudi potuerit vtero Virginis, Epistola secunda. Nec Dardanus quæsierat, num alicubi Deus esse dicatur, sed quomodo alicubi, Epistola 57. Quid ergo? Nempe certum, & alias posse huius rei causas esse præter obscuritatem Scripturæ: Et si hæc sit, tamen esse locorum paucorum. Neutro autem modo concludi posse Scripturas obscuras.

XXIX. Quintum argumentum, apud Salmeronem, & Lorichium, ab hæresibus: quæ omnes & singulæ ex vna Scriptura occasionem erroris sumpserunt, & per eandem conantur se defendere. Addit Salmero etiam Catholicorum inter se contentiones, & rixas: vt Cypriani cum Cornelio, Orientis cum Africano: Chrysostomi cum Theophilo: Epiphanii cum Ioanne Hierosolymitano: Ruffini cum Hieronymo, & aliorum cum aliis.

XXX. Respondeo: Esse has rixas, vel de verbis, vel de rebus. De verborum sensu paucas inter orthodoxos: sed de mysteriorum verbis explicatorum profundiori intelligentia: quomodo Augustinus cum Hieronymo contentio erat, non an Paulus Petrum redarguisset, quod tam diserte scriptum est, vt nemo negare possit ne impudentissimus quidē: sed vtrum vere, an per simulationem. Et vix alii aliter. Hoc autem non pertinet ad hanc obscuritatem, de qua est hæc controuersia. Hæretici vero non de rebus tantum disputarunt: sed etiam sæpe de locorum sensu. Sed ita, vt tota culpa remaneat in eorum peruersitate: qui cum nollent vnum aliquid bene interpretatur: non in Scripturis obscuritatem inuenit; sed in eas inuehit: vt Papistæ eum suam Transubstantiationem posuerunt: tum coguntur visionem Pauli, Actorum nono, sic malitiose detorquere, vt Christi corpus simul esse dicant in cœlo, & in terra. Quæ sane nulla est Lucæ obscuritas: sed immanis Sophistarum importunitas.

CAP. XVIII.

An Patres tradant Scripturam esse obscuram.

I. EXinde conuertunt se ad Patres, ex quibus hos locos selegit Bellarminus, Irenæus lib. 2. cap. 47. *Si ergo in rebus creatis, quædam quidem eorum adiacent Deo, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in Scripturis requiruntur, vniuersis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absoluamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non solum in hoc seculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à Deo.*

II. Hactenus Irenæus: & quidem recte. Sed contra Catholicos nihil Primo non docet Scripturam esse obscuram, quæ nostra est cum Papistis controuersia: sed in Scriptura esse quædam obscura. Non valet autem consequentia à parte ad totum. Et nos iampridem concessimus, esse nonnullos obscuros locos: qui enim negaremus contra tum aliorum, tum nostram ipsorum experientiam?

III. Secundo, illud, quædam esse obscura, sic intelligit Irenæus, vt significet, non quosdam esse locos, vbi nescias quid sibi velit Scriptura, quæ prorsus est obscuritas, de qua contendunt Catholici cum Papistis: sed quædam esse, quæ etsi perspicue doceantur in Scripturis, vt dubitari non possit de eius sensu, tamen nobis difficilia sint, adeo vt quaslibet quæstiones circa ea solueremus. Quod quidem ad hanc nostram Controuersiam non pertinet nequeamus. Quis enim negat, ipsos illos articulos fidei, quos tamen facillimos esse Papistæ consentiunt, hoc modo esse obscuros?

IV. Esse vero eam Irenæi mentem sic probo, primum ab ipso capitis initio, *Habentes itaque regulam ipsam veritatem, & in aperto* (sic enim lego) *positum de Deo testimonium, non debemus per quæstionum, declinantes in alias atque alias, absolutiones, eiicere firmam de Deo scientiam.* Quibus verbis eum significat morem hæreticorum sui temporis, qui iis quæ videbant certo constare ex Scripturis, varios scrupulos obiiciebant, formatis infinitis quæstionibus, ex quarum absurditate volebant ipsam veritatem impugnari. Propterea subdit, *Si autem omnium, quæ in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus inuenire, alterum tamen Deum, præter eum qui est, non requiramus.* Postea illustrat ab exemplis rerum naturalium, quarum plurimas ignoremus. Tertio, hanc obscuritatem, non huic tantum adscribit vitæ, sed etiam futuræ, *Quædam*, inquit, *commendemus Deo, & non solum in hoc seculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat.* At certe in futuro seculo, non erit obscuritas ab ipsa Scriptura, sed à rerum ipsarum natura. Denique exemplo indicat mentem suam, *Si ergo secundum hunc modum, quem diximus, quædam quidem quæstionum Deo commiserimus, & fidem nostram seruabimus, & sine periculo perseuerabimus. Vt puta, si quis interroget, Antequam mundum faceret Deus, quid agebat? Dicimus, quoniam ista responsio subiacet Deo: quoniam autem mundus hic fuit, ejus est apotelestos à Deo temporale initium accipiens, Scriptura nos docet: quid autem ante hoc Deus sit operatus, nulla Scriptura manifestat. Subiacet ergo hæc responsio Deo.* Quis iam ab hoc exemplo non videt, ex stylo Irenæi, eas quæstiones à nobis non posse absolui, sed subiacere Deo, non quæ in Scripturis contineantur, sed quæ è rebus scriptis, quasi educit humana ratio præter Scripturam? Quare non ea mens est, esse quosdam Scripturæ locos obscuros, id est eiusmodi, vt scire non possimus quid significent: sed esse multa mysteria, quæ multis quæstionibus exagitari possunt, quas soluere nequeat humana infirmitas; quæ sui conscia obscuritatem illam Deo committere debeat, interea fruens iis quæ aperta videt in Scripturis. Hanc mentem vtinam haberent Papistæ: nunquam illi profecto Theologiam distinxissent in Positiuam, & Scholasticam.

V. Origenes contra Celsum libr. 7. *Alii quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum eius inuenire potuerunt, licet re vera sit multis locis obscura.* Hæc vnde excripta sint nescio, quæ tamen totidem verbis Coccius legit. Meus codex habet in hunc modum, *Si quidem ea sumus, quæ stulta Celsus appellat, & prorsus obscura, ad verbum interpretati, & his in operibus, quæ in Esaiam, Ezechielemque, & alios ex duodenis Prophetis nonnullos edidimus: Deque ipso in eius disciplina profectum inposterum permittente, & quibus illi placitum fuerit temporibus, adiiciemus & scriptis his alia, quæ reliqua sunt, & quæ licuerit, apertius sumus explicaturi. Nec secus & alii poterunt, si modo velint sacra scripta expendendo examinare, si montis sint compotes, vel earum quæ sensa comprehendere, quæ in vero multis in locis obscuriora & recondita sunt.*

VI. Hæc contra Catholicos nihil. Non enim, aut omnia dicuntur esse obscura, aut plurima: sed tantum multa: quod iam confessi sumus in statu quæstionis. Deinde eadem ipsa obscura intelligi posse, & explicari ab iis, qui volent sacra expendendo examinare: hoc est, ab ipsis Scripturis petendo eandem lucem, quæ locis obscuris necessaria est. Quod si est, tum sane oportet Scripturā ὅλως esse perspicuam, etsi ἀναμίξ & multa contineat obscura. Quid? quod non ipsi loci dicuntur obscuri, sed in iis locis esse obscura? Nam id significat, non modum tradendi esse obscurum, sed res ipsas: quod nos fassi sumus.

VII. Idem homilia quinta in Leuiticum, *Sciendum est quod ex hostiis, quæ offeruntur, licet concedantur Sacerdotibus ad edendum, non tamen omnia concedantur: sed pars ex ipsis aliqua Deo offertur, & altaris ignibus traditur: vt sciamus etiam nos, quod etsi conceditur nobis aliqua ex diuinis Scripturis apprehendere, & agnoscere, sunt tamen aliqua, quæ Deo reseruanda sunt: quæ cum intelligentiam nostram superent, sensusque eorum supra nos sit, ne forte aliter à nobis quam se habet veritas, proferantur, melius igni ista seruemus.* Sed Origenes intelligit mysteria ipsa, quæ etsi non obscure sint tradita, tamen nobis difficilia sunt intellectu, si quis altius inquirat: vnde statim subdit, *Et ideo etiam in hoc loco quæ quidē concessa sunt hominibus ad edendum, prout potuimus intra tabernaculum Domini consumpsimus, si qua vero superfuerunt, & vel vos in audiendo, vel nos superant in dicendo, seruemus igni altaris, tanquam eam partem quæ peccato super altare Domini iubetur offerri.* Suum enim morem indicat, quo solebat Scripturam interpretando non acquiescere in sensu literali, sed altius inquirere in rationes cuiusque loci, etiam in allegorias excurrere, iisque nimis quam indulgere.

VIII. Idem homil. 12. in Numeros, *Vnde ostenditur, non solum studium nobis adhibendum esse ad discendas literas sacras, verum & supplicandum Domino, & diebus ac noctibus obsecrandum, vt veniat agnus ex tribu Iuda, & ipse accipiens librum signatum dignetur aperire.* Recte sane. Quis enim neget à Deo precibus cōtendendū, vt nota fiat Scriptura? Scripturaā, inqu, nō solū tota, sed etiam minimæ eius partes, imo etiam facillimæ. Siquidem, ne ipsum quidem Symbolum, aut oratio Dominica, aut Decalogus quæ Papistæ contentur esse facillima, aliter possunt à nobis pie cognosci. Quod si ita est, hoc est, vt & orandus sit Deus, ad hæc intelligenda: & hæc tamen sint facilia, quis non videt nihil illam promouere, qui dicat, difficilem esse Scripturam, quia postulanda sit eius cognitio à Deo? Recte paulo ante Origenes, *Videatur ergo, ne non solum cum Moyses legitur, sed & cum Paulus legitur, velamen sit positum super cor nostrum. Et manifeste: si negligenter audimus: si nihil studii ad eam*

ad eruditionem & intelligentiam conferimus, non solum legis & Prophetarum Scriptura, sed & Apostolorum & Euangeliorum grandi nobis velamine tegitur. Ego autem vereor, ne per nimiam negligentiam, & stoliditatem cordis, non solum velata sint nobis diuina volumina, sed & signata. Est ergo Scripturarum obscuritas iudice Origene, magis ab hominum negligentia, & stoliditate, quam ab ipsis.

IX. Deinde citat ex Ruffino Bellarminus, historiæ Ecclesiasticæ librum vndecimum eiusque caput nonum, de Basilio & Gregorio Nazianzeno, *Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collega per annos tredecim omnium Graecorum secularium libris remotis: solis diuinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam, non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & autoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.*

X. Hic veto mirari cogor Bellarmini artificium. Quid enim sibi vult? aut quomodo ex his verbis conficit Scripturas esse obscuras? An quia Athenis eruditi fuerunt? An multi non minus quam ille Scripturas intellexerunt, qui neque Athenas viderunt, neque omnino humaniores literas attigerunt. An, quia per tredecim continuos annos studuerunt sacris libris? At Catholici fatentur per totam vitam. An quia non à propria præsumptione sunt interpretati? Quasi non dixisset Petrus nullam Scripturam, id est, ne eam quidem, quæ est facillima, esse ἰδίας ἐπιλύσεως. An denique, quia maiorum scriptis, & auctoritate vtebantur? At ea media, quis dixit inutilia? Imo quis non apta agnoscit intelligendis ipsis etiam articulis fidei, quæ omnes fatentur esse facilia? Denique, si mihi Basilium obiiciunt, & Gregorium, cur non ego illis Antonium? Cur non Confessores illos, qui interfuerunt Concilio Niceno? Cur non alios? Et si ab illis illi contendunt Scripturas esse difficillimas, cur non ab his ego euinco esse facillimas.

XI. Citatur Chrysostomi homilia quadragesima in Ioannem, *Christus Iudæos ad Scripturarum non simplicem, & nudam lectionem, sed ad inuestigationem perquam diligentem relegauit. Non dixit, Legite Scripturas, sed, Scrutamini: Diuina enim, summa indigent diligentia. In vmbra enim maioribus illis non abre loquutus est: idcirco effodere profundius iubet, vt quæ alte delitescunt, inuenire possimus. Non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus: sed quæ tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim huiusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nunquam quæsita inueniet.*

XII. At Chrysostomus, primo loquitur de quibusdam Scripturæ partibus: vt de iis quæ in Veteri Testamento Patribus de Christo prædicta erant. Ergo non sequitur totam Scripturam esse obscuram. Quinetiam illa ipsa, quæ tunc erant Iudæis obscura, nunc sunt manifesta: quia & impleta in Christo, & in Nouo Testamento explicata. Denique, non obscura tantum, sed etiam diuina, summa indigent diligentia. Est autem tota Scriptura diuina: itaque nemo neget totam Scripturam indigere summa diligentia. Sed ne hoc quidem quisquam neget, multa esse in eadem facilia. Quid igitur? placetne hęc è numero diuinorum excipere? An potius concludimus, etiam facilia egere diligentia? Et sane ipsa testatur experientia, cum quid non dico diuinum, sed vel humanum, etiam facillimum legimus perfunctorie, negligenterque, multa, imo fere omnia nos fugere.

XIII. Autor operis imperfecti in Matthæum homilia quadragesima quarta, duas causas adfert, cur obscuræ sint Scripturæ: primam, quia Deus voluit alios esse magistros, alios discipulos: alteram, ne si clara esset, non tam esset vtilis, quam contemptibilis. Audio: & facile patior. Nam obscuritatem hanc non esse vniuersalem & perpetuam scimus: sed particularem, & quorundam locorum tantum, vt sæpe diximus. Deinde notari iubeo hæc eiusdem loci verba, *Ergo non sunt Scripturæ clausæ: sed obscuræ quidem, vt cum labore inueniantur: non autem clausæ, vt nullo modo inueniantur.* Et aliquanto post, *Non ergo abscondita est in Scripturis veritas, sed obscura, non vt nõ inueniant eã qui quærunt eam; sed vt non inueniant, qui quærere eam nolunt: vt ad illorum quidem gloriam pertineat, qui inuenerunt eam, quia desiderauerunt eam, & quæsierunt, & inuenerunt: ad illorum autem condemnationem, qui non inueniunt eam: quia nec desiderarunt eam, nec quæsierunt, nec inuenerunt. Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inueniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas.*

XIV. Ambrosius Epistola quadragesima quarta ad Constantium, *Mare est Scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.* Ita sane, sed addidit statim, quod cur truncauit Sophista? Addidit ergo, *In quod mare plurima introierunt flumina. Sunt ergo & fluuii dulces atque perspicui: sunt & fontes niuei, qui saliant in vitam æternam: sunt & sermones boni, sicut faui mellis, & grata sententia, quæ animos audientium spirituali quodam potu irrigent, & præceptorum moralium suauitate mulceant. Diuersa igitur Scripturarum diuinarum fluenta. Habes quod primum bibas, habes quod secundum, habes quod postremum.* Ergo, Ambrosio iudice, non tota Scriptura est obscura, sed bona pars perspicua & facilis. Quanquam ille profecto Scripturam ipsam obscuram non dixit: sed eam habere sensus profundos, quod quidem fieri potest, vt diximus, etiamsi ipsa non sit obscura.

XV. Hieronymus in Epistola ad Paulinum de studio Scripturæ, ex instituto docet, non posse Scripturas disci sine magistro, & percurrens breuiter nomina singulorum librorum, ostendit in omnibus magnas & multas esse difficultates. Et præfatione commentariorum in Epistolam ad Ephesios, *Nunquam* (inquit) *ab adolescentia, aut legere, aut doctos viros, quæ nescie-bam, interrogare cessaui, aut me ipsum habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maxime causam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia, sciscitarer.* Epistolæ etiam ad Algasiam quæstio octaua, *Omnis Epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus inuoluta est.*

XVI. Respondeo: primo, vt alias, non negari esse quædam, imo, si velis, multa obscura in Scripturis: sed vtrũ hæc ipsa impediant, quominus eædem sint perspicuæ, ὅλως consideratę: vel propter plura perspicua, vel propter insitam lucem, quæ obscura illa illustrat. Illud Hieronymus docet: hoc non attingit.

XVII. Secundo, quæcunque Hieronymus de obscuritate disserit Scripturæ, ea intelligenda sunt, non de singulorum locorum sensu inuestigando; sed de mysteriorum, quæ iis locis significantur profunditate. Exempli gratia, *Videlicet* (inquit) *manifestissima est Genesis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de diuisione terræ, de confusione linguarum, & gentium vsque ad exitum scribitur Hebræorum.* Hic perspicuum est, & alteri Geneseos obscuritatem, & obscuritatis causas quasdam, siue mauis exempla indicari, creationem mundi, exordium generis humani, & reliqua. Ex his si volunt Papistæ contra nos euincere Scripturam esse obscuram, necesse est probent aut verum esse, aut saltem Hieronymo persuasum fuisse, in Genesi ita creatum doceri mundum, vt ipsum obscurum sit, & difficile intellectu. Et vt disertius loquar: Quemadmodum obscurum dicimus locum illum fuisse olim in Genesi de semine mulieris, in quo Christus sic significabatur, vt non posset ex ipsa verborum vi intelligi: sic, qui ob creationem obscuram Genesin dicet, eum oportet asserere, locum illum, In principio creauit Deus cœlum & terram, ita esse conceptum ex verbis vt scire nequeat, quid Moses voluerit. At hoc quis sanus dicet? Ergo superest, vt Genesin obscuram Hieronymus dixerit; non, quia quod ipsa de Creatione asserit, difficile sit intelligere: sed quia ipsa creatio maximum est mysterium, de quo infinita & quæri & disputari possint. Et hoc manifestius fit ex altero exemplo, *Iob exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Et, vt de cæteris sileam, resurrectionem corporum sic prophetat, vt nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit.* Audin' tu librum Iobi difficilem esse ob mysteria. Audin' inter mysteria illa, vnum hoc esse de Resurrectione? Audin' denique illud ipsum mysterium manifeste assertum? Necesse est igitur ita intelligi, vt magnum quidem sit, atque obscurum mysterium resurrectio, atque hactenus obscurum eum librum, à quo asseritur: sed assertum tamen perspicue, manifesteque: atque eatenus librum illum esse facilem: quæ nostra est de tota Scriptura assertio.

XVIII. Atque vt semel dicam, cum Scripturam perspicuam dicimus, obscura mysteria, hic sensus est: quæ de iisdem mysteriis asseruntur in Scriptura, ea non difficile intelligi: vt creatum esse mundum: & creatum sex diebus & creatum per singulas partes, suo ordine. Sed in iis mysteriis, præter ea, quæ perspicue asseruntur, atque asserta intelliguntur, multa quæri disputarique posse, quæ in Scripturis non asseruntur. Exempli gratia, *In promptu* (inquit) *est Leuiticus liber, in quo singula sacrificia, imo singula pene syllaba, & vestes Aaron, & totus ordo Leuiticus spirant cœlestia Sacramenta.* His verbis intelligunt omnes significari eas allegorias, quæ inuestigari solent in Ceremoniis Mosaicis. Propter eas igitur Leuiticum obscurum esse Hieronymus asserit. Atqui has allegorias ille liber nusquam attingit. Ergo obscurus esset, si obscurus est, propter ea quæ in eo non continentur. Et hoc aliquis iustum putet? vt eos libros dicamus, & pertinaciter contendamus obscuros esse, quia ex iis intelligi non possunt, quæcunque ipsi non docent? Monstrum hoc iudicii, quo tandem nomine appellamus? Catholici vero credunt, Scripturæ facilitatem ex eo firmissime probari, quod quæ ipsa asserit, non difficile sit intelligere, etiam in maximis mysteriis, præter paucissimos locos. Reliqua quæ præter eam inuestigat humana curiositas, indignamur hanc inurere Scripturæ obscuritatis notam.

XIX. Sane vero, qui eam mysteriorum obscuritatem volent scrutari: eos oportet, & multos labores exantlare, & multis iisque magis magistris vti. Quanquam omnino consultius esset, plurima, quæ sibi inuestiganda permisit curiositatis prurigo, ignorari. Maxime, cum ne quidem magistrorum peritia, quicquam certi proferre potuerit. In Numeris, quadraginta duæ populi Israelitici mansiones in deserto distinguuntur: earum mysteria anxie voluit Hieronymus interpretari: atqui longe præstaret, nulla in iis mysteria somniare, nihilque præter literalem sensum concipere, quam de industria historiam per se facilem obscurare. Huiusmodi ego sane ingenia Scripturam fatear, obscurissimam, difficillimam, intricatissimam esse: Imo potius, ipsa ingenia in Scripturis interpretandis obscuritatis, difficultatis, intricationis veram causam: id est, Theologiæ corruptelam.

XX. Supereſt Augustinus, & Gregorius. Non enim plures numerantur à Bellarmino. Augustinus igitur de Doctrina Christiana libro secundo capite sexto, *Sed multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, quid vel falso suspicentur non inueniunt: ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facile inuestigata plerunque viluerunt.* Et duodecimo Confessionum, capite decimo quarto: Miram profunditatem prædicat eloquiorum Domini. Et Epistola tertia, *Tanta est* (inquit) *Christianarũ profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, vsque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Denique Epistola centesima decima nona, multo plus in iis se nescire, quam scire profitetur.

XXI. Respondeo, de perspicuitate Scripturæ, tam apertam esse Augustini sententiam; vt tergiuersari nihil prosit. Fatetur ille, quod & omnes sani, non omnia esse perspicua: sed nihil fere erui ex obscuris, quod non sit alibi perspicuum: imo quæcunque continent fidem & mores, in iis inueniri; quæ sunt perspicua. Non aduersatur ergo sibi: non aduersatur nobis. Atque adeo ad finem eiusdem capitis, salubriter temperatas dicit Scripturas; vt locis apertioribus fami occursum sit, obscurioribus fastidium detersum. Adeo persuasum habuit, tantum esse facilitatis, vt in Scripturis, qui esuriet doctrinam salutarem, saturari queat, quod omnino Papistæ non credunt. Esto ergo verum, multas multiplicesque obscuritates occurrere, dum plures se perspicuitates offerant. Illis decipiantur, qui temere negligenterq; legent: dum his ædificentur, qui pie, diligenterque scrutantur.

XXII. Profunditatem eloquiorum diuinorum, qui negat eum, me iudice, oportet esse profanum, oportet esse atheum. Sed qui obscuritatem & profunditatem, vnum idemque esse contendet, quem esse dicam? Papistam: neque enim occurrit aptius nomen. Certe Catholici profundissimum sensum agnoscunt, vel vnius huius versiculi, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, sed obscurissimum tamen negant. Ignorantiam suam modeste professus est Augustinus: vere profitentur omnes Christiani: sed si nos multa ignoramus, non tamen idcirco obscurissimæ sunt Scripturæ.

XXIII. Gregorius in Ezechielẽ homilia 6. *Magnæ vtilitatis, est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat*

c ipiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc aliud maius, quia Scriptura Sacra intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus, tanto maiore dulcedine inuenta reficit, quanto maiore labore fatigat animam quæsita.

XXIV. Audio: sed primum, dixitne Scripturam esse obscuram? Minime vero: tantum dixit eius obscuritatem esse vtilem: quod quis negat? aut quæ inde Catholicis pugna est aduersus Papistas? Deinde, annon satis expressit mentem suam? *In quibusdam* (inquit) *locis*. Non ergo, inquam, in omnibus: imo non ergo in pluribus. Sed sequentia disertiora: vbi cum rotam illam Ezechielis, Scripturam esse diceret, addit hanc simul & paruulis accommodatam, & doctis, *Circulus quippe præceptorum illius, modo sursum, modo deorsum est: quia quæ perfectioribus spiritualiter dicuntur, infirmis iuxta literam congruunt: Et ipsa quæ paruuli iuxta literam intelligunt, docti viri, ad spiritualem intelligentiam in altum ducunt.* Et aliquanto post, *Rota ergo quasi per terram trahitur, quia paruulis humili sermone concordat, & tamen magnis spiritualia infundens, quasi circulum in altum leuat: & inde sursum erigitur, vnde terram tangere, paulo ante videbatur.* Euge vero Bellarmine; si verum est, eosdem ipsos locos, qui doctis profundi sunt, esse paruulis accommodatos, quid causæ est, quo magis difficiles dicamus, quam faciles, obscuros, quam perspicuos? Sed nimirum, nondum didicerant Ecclesiarum Antistites, plebem à Scripturis arcere: propterea ne difficultatis quidem μεμψιλόγειαν norant obiicere.

FINIS LIBRI DECIMI QVINTI.

LIBER

LIBER DECIMVS SEXTVS,

De

SCRIPTVRÆ INTERPRETATIONE.

Caput Primum.

Ad quos Scripturæ interpretatio pertineat.

VICIMVS dici posse Scripturam Sacram, & merito quidem dici perspicuam. Et tamen certum est, tum non nullos eius locos obscuriores esse, vt prima fronte non pateat sensus: tum nihil esse adeo facile, adeo perspicuum, adeo certum, quod non varie detorqueri queat etiam in sensus contrarios. Atque adeo docuit experientia omnes hæreses è Scripturis perperam intellectis, aut originem, aut certe incrementa sumpsisse. Quid enim crebrius occurrit in sanctorum disputationibus Patrum, solutione locorum ab hæreticis obiectorum? Denique his miseris temporibus non Catholici tantum strenue suam fidem è Scripturis tuentur: sed & Papistæ, quamuis eas negent esse certas, perspicuas, perfectas, vno verbo, iudices controuersiarum, tamen audent iisdem abuti subinde, ostentareque earum autoritatem, tanquam suam. Quod fieri nequit, nisi eosdem locos alii aliter intelligant. Vt enim Ariani olim illud Pater maior me est, de inæqualitate interpretabantur personarum in Trinitate: Catholici autem, per κοινωνίαν ἰδιωμάτων de Incarnatione: Sic hodie illud, Hoc est Corpus meum, Papistæ quidem ad Transubstantiationem referunt; Catholici autem ad Sacramentalem signorum cum re significata vnionem. Itaque fit, vt vel omnes, vel maxima pars Controuersiarum, in Interpretatione Scripturarum versetur.

II. Agendum igitur nunc est de ratione interpretandarum Scripturarum: quæ vltima controuersia superest, in hoc loco communi de Canone. Tractarunt eam Bellarminus Controuersiæ libro tertio, capite tertio, & sequentibus. Perusius de Traditionibus, assertione quarta & quinta. Driedo libro secundo, capite tertio, de Ecclesiasticis dogmatibus. Cordubensis annotationum Catholicarum articulo secundo, capite septuagesimo septimo, & duobus proximis. Stapletonus de Principiis libro decimo & vndecimo. In relectione Controuersia quinta, articulo quarto. Alphonsus de Castro aduersus hæreses libro primo capite quarto, Petrus Charronæus Tertiæ Veritatis capite quarto, articulo vndecimo. Petrus Sapetus in libello de Falsitate Caluinismi. Basilius Catechismi parte prima, quæstione decima.

III. Sed miscent cum altero capite de summo iudice controuersiarum: Agunt enim de certa infallibilique autoritate interpretandæ Scripturæ, de qua prolixe disputatum est libris, primo, secundo & tertio, probatumque, neque Ecclesiæ, neque Papæ, sed Scripturæ soli hoc ius competere. Illo igitur omisso capite, duo hæc inquiremus nunc temporis. Cuius sit Scripturas interpretari: Et quæ ratio, siue via optima interpretandi.

IV. In priori capite pronunciamus cuilibet Christiano ius esse, vt legere, sic interpretari Scripturas, seruatis tamen diuersarum vocationum gradibus: vt pastores tanquam pastores in hac re suo publico officio fungantur: priuati autem priuatas suas partes expleant. Omnes tamen in eo laborent, vt ipsi, quod siue legunt, siue audiunt è libris sacris, intelligant, quod fieri nullo modo potest absque interpretatione. Et quia Deus sui Spiritus dona varie distribuit, prout videtur, docuit experientia, nullius hominis fidelis, in hoc negotio, aut voluntatem damnandam, aut conatum detestandum.

V. Bellarminus constare quidem inter omnes fatetur, Scripturas intelligendas eo Spiritu, quo factæ sunt, id est, Sancto: sed totam quæstionem in eo positam, vbi sit iste Spiritus, in Ecclesiane, an vero in singulis: Et suos illum Ecclesiæ vendicare. Nos vero asserere, vnumquemque iudicem esse debere huius interpretationis, siue spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, siue alicui alteri adhærendo, quem eo dono præditum viderit. Atque hunc priuatum spiritum, cum ipse appellat, tum reliqui valde exagitant. Nam Stapletonus in Relectione, hanc tibi sententiam confutandam obiicit, *Videtur quod interpretatio Scripturæ, tam illa quæ probabilis est, quam certa & authentica, potest à priuato quocunque spiritu dari.*

VI. Sed hæc inuidiose, calumnioseque dicuntur, non solide sincereque disputantur. Enimuero, quem appellant priuatum spiritum? Efficaciamne illam particularem cuique fidelium, quæ est à Spiritu Sancto, quæque efficit, vt Scripturam intelligat, hoc est, sensum assequatur verum genuinumq; An vero potius cuiusque homunculi impetum, qui se ingerens ad legendas interpretandasque Scripturas, ipse suo sibi marte sensum pro arbitrio fingit, quem affingat libris sacris? Nam si hunc: per nos sane licet eis hunc priuatum spiritum impetere, atque exagitare: detestari etiam, & anathemate ferire. Sed enim calumniam fieri querimur, cum nobis quicquam eiusmodi impingitur. Quid enim? an is Spiritus à quo factæ sunt Scripturæ aliquid habet cum eo priuato spiritu commune? At Bellarminus hoc ipso agnoscit nos fateri opus esse. Et quid agimus disputantes aduersus Papistas? Non hoc præcipue vrgemus, imo tot in eo sumus, vt varie à variis ἑρμηνεύεται, violenter torqueri Scripturas clamemus.

VII. Deum atque homines testamur, cum plurima nobis in Papismo displiceant, tum hoc omnino intolerandum videri, quod Scripturas quilibet apud eos doctorculus, ita sibi in manum traditas arbitretur, vt eas sursum deorsum versare queat, quidlibet inde confecturus suo arbitrio: suo, inquam, arbitrio: suo marte, quidlibet excogitans, & commentans. Ita euenit, vt qui maxime præ se ferunt detestari priuatum spiritum, ii huic ipsi indulgeant omnium maxime. Enimuero quis docuit prophetiam illam ex Psalmo 72. *adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*, impletam esse in Leone decimo, quod Antonius Puccius asseruit in Concilio Lateranensi? Aut lapidem illum probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum, de quo Esaias capite vigesimo octauo, esse Episcopum Romanum: vt voluit Bellarminus præfatione ad tertiam controuersiam? Aut illa ex posterioris ad Corinthios decimo, *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam*, pertinere ad Clementis octaui expeditionem illam susceptam occupandæ Ferrariæ gratia: vt somniauit Baronius in Epistola dedicatoria, tomi octaui? Hanc, hanc, inquam, omnes Catholici detestantur audaciam, atque appellant scelestissimam: neque tolerandam, siue in controuersiis, siue extra controuersias.

VIII. Quod si non hoc sensu nominant spiritum priuatum, sed illo altero, tum sane id negant, quod Catholici asserunt: & vt calumniæ accusari non debeant; certe sceleris immanis excusare se nequeunt; qui quod semper licuit, nunquam interdici æquum est, tantis animis insectentur. Negamus tamen hunc appellari debere priuatum spiritum. Consentit enim Bellarminus, à nobis concedi, Scripturam eodem Spiritu intelligendam, quo facta est. Quare necesse est, vt aut Scripturam priuato spiritu factam esse euincat aut hunc neget esse priuatum. Denique ne rem prolixius differam: Catholici censent Scripturam interpretandam priuato labore, priuataque industria, puta Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, at non priuato sensu, sed genuino, germano, ipsique Scripturæ innato, denique eo, quem in animo habuerunt Paulus, Petrus, aliique librorum sacrorum scriptores.

***

CAP.

Cap. II.

An fidelibus quibuſuis liceat Scripturam interpretari.

I. CAtholicorum argumenta hęc ſunt. Primum: Quicunque tenentur Scripturam legendo intelligere, iidem Scripturam interpretari poſſunt. At fideles omnes tenentur Scripturam legendo intelligere, Ergo iidem interpretari poſſunt. Maioris ratio eſt, quia intelligere nihil eſt aliud, quam aſſequi ſenſum eorum quæ legimus: & interpretari, nihil eſt aliud, quam ea quæ leguntur, verba ad eum ſenſum aptare: ita vt ratione tantum diſtinguantur intelligere & interpretari, non autem rediſcrepent. Minor patet. Nam quod ad lectionem attinet, prolixe probatum eſt libro decimo, eam promiſcue omnibus fidelibus & permittendam, & inculcandam. Quod verò ad intellectum, primo neminem eſſe arbitror adeo ineptum, qui ad Scripturas legendas hortandos ita putet fideles, vt dehortandos contendat ab intelligentia; cum vulgo dictum celebretur, ea negligi, quæ lecta non intelliguntur. Secundo, ex ipſis Patribus, qui eius lectionis finem, fructumq; aſſignant, legentium eruditionem: quod abſque intelligentia qui fieri poſſit? *Operam da ſemper* (inquiebat Ephraim Syrus) *vt lectioni diuinarum Scripturarum adhæreas, quæ te doceant, quomodo effugere oporteat laqueos inimici*: vt omittam alia infinita. Tertio, ab ipſis aduerſariis, qui, vt deterreant plebem ab hac lectione, intelligendi difficultatem obtendunt: vnde patet eos agnoſcere, legi non debere, niſi vt intelligantur.

II. Secundum argumentum: Quicunque promiſſiones à Deo habent de intelligentia Scripturæ, iidem Scripturam interpretari poſſunt. At quilibet fideles id genus promiſſiones habent: Ergo quilibet interpretari poſſunt. Maior in confeſſo eſt: etiam apud aduerſarios: qui hanc ob cauſſam Eccleſiæ vindicant hoc ius omne, quod ei promiſſum dicunt Spiritum Sanctũ. Probatur autem minor Scripturæ locis. Eſaiæ quinquageſimo quarto, *Et omnes filii tui edocti erunt à Iehoua*. Hieremiæ trigeſimo primo, *Dabo legem meam in cordibus eorum: & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit vltra vir proximum ſuum, dicens, Cognoſce Dominum. Omnes enim ſcient me, à minimo eorum vſque ad maximum eorum.*

III. Bellarminus ad locum Eſaiæ reſpondet, non loqui Prophetam de ſpiritu priuato reuelante: ſed vel de doctrina Euangelii, quam Deus ipſe, id eſt, Chriſtus prædicauit & docuit, ſic exponente Cyrillo: vt ſenſus ſit: Populum Chriſtianum non docebo per Prophetas, ſed per meipſum. Vel (quæ eſt ſubtilior & germanior expoſitio) de gratia Spiritus Sancti, qua homo interius à Deo mouetur, & ſuauiter impellitur ad credendum, & amandum. Itaque non eſſe ſenſum, omnes Chriſtianos intellecturos diuina reuelatione omnia arcana Scripturarum, ſed tales futuros, vt non ſolum audiant magiſtrum, exterius explicantem Verbum Dei, ſed etiam intus Deum ſuadentem, vt faciant, quod audiunt.

IV. At quod initio de priuato ſpiritu reuelante negat, quorſum ſpectet non facile video: Nam priuatum illum ſpiritum ſi ſenſum alienum à Scriptura ſignificet, à nobis multo magis reiici quam à Papiſtis, iam teſtati ſumus: ſin autem particularem, priuatamque efficaciam Spiritus Dei in ſingulis fidelibus: quomodo negari poſſit? Non enim intelligi vllo modo poſſunt omnes fideles docti à Deo, niſi id Deus efficiat in ſingulis, & quidem priuate: Etſi enim, exempli gratia, idem Spiritus Paulum docuit & Petrum, tamen is ipſe actus quo Petrus doctus eſt, non eſt idem ipſe quo Paulus. Itaque ſeorſim oportuit eundem Spiritum efficacem fuiſſe in vtroque. Atque hoc quidem nobis ſufficit. Reuelantem vero ambigue etiam dixit. Nos nullos volumus ἐνθουσιασμούς, nullas extra ordinem reuelationes: ſed ordinarias duntaxat in Scripturarum meditatione, quas his promiſſionibus contineri certum eſt.

V. Prior expoſitio, à Cyrillo repetita, frigida eſt, quod ipſe Bellarminus agnouit, cum alteram prætulit tanquam ſubtiliorem & germaniorem. Et ſane oſtendit Chriſtus Ioannis 6. non de ſua ipſius prædicatione locutu intelligendum, ſed de interna Dei in cordibus efficacia, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum: ego vero ſuſcitabo eum vltimo die: Eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audiuit à Patre & didicit, venit ad me*. Vt mittam conſentientem Veterum ſententiam.

VI. Altera expoſitio paulo propius attingit Prophetæ mentem: ſed nondum eſt perfecta. Nam gratia illa, qua homo interius à Deo mouetur ad credendum, & amandum, non eſt cæcum neſcio quid: ſed cum intelligentia cõiunctum. Auguſtinus contra Pelagium & Celeſtium lib. 1. c. 13. *Sic docet Deus qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere*. Perperam igitur ſeparabuntur, quæ diſtincta quidem ſunt, non tamen contraria.

VII. Sed negat tamen hunc eſſe Prophetæ ſenſum, omnes Chriſtianos intellecturos diuina reuelatione, omnia arcana Scripturarum. Quaſi id aliquis vnquam ſomniarit: aut quaſi id vel tantillum infirmet noſtrum argumentum. Quid enim? Cenſet-ne omnino neminem poſſe interpretari Scripturas, niſi omnia earum arcana cognita habeat? Peccauerit ergo Auguſtinus, qui multo plura ſe neſcire dicebat, quam ſcire: Et tamen quotidie interpretabatur, tum plebi ſuæ, tum ipſe ſibi: tum Scriptis, tum viua voce. Imo iam retractent Papiſtæ ſuam ſententiam, & negent, vel ipſam Eccleſiam non poſſe fungi hoc interpretationis munere: ipſam, inquam, Eccleſiam: quandoquidem certum eſt ne ipſi quidem Eccleſiæ omnia arcana Scripturarum eſſe cognita, maxime ex reuelatione, vt quædam ex Apocalypſi: vt illud de iis qui baptizantur pro mortuis: vt computatio Hebdomadarum Danielis in quibus capitibus tot fere prodierunt ſententiæ, quot autores: nec vnquam definitum eſt, quænam earum ſit optima certiſſimaque.

VIII. Ad Hieremiam reſpondet, hæc verba, *Dabo legem meam*, ſignificare gratiam Teſtamenti Noui, id eſt, fidem per caritatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus noſtris, vt non ſolum ſciamus, ſed etiam impleamus mandata. Iſta vero, *& non docebit vltra vir proximum ſuum*, ſignificare vel præmium fidei, id eſt, beatitudinem, in qua omnes electi videbunt Deum facie ad faciem: Vel certe, ſi magis placet de hoc tempore intelligi, cognitionem vnius Dei, non autem myſteriorum abſconditorum in Scriptura. Atque id eſſe impletum, quia Gentiles conuerſi ſint ad fidem: Iudæi autem & Turcæ, licet impii ſint, tamen vnum colunt Deum.

IX. Sed primo, hæc nimia eſt audacia, cum eiuſdem continuatæque ſententiæ verba ſic diſtrahantur, vt prior quidem pars pertineat ad fideles atque hoc ſeculum: poſterior vero, vel non ad hoc ſeculum, vel etiam ad infideles. Quanto facilius vtraque de eodem ſeculo, iiſdemque fidelibus? Hieronymus, *Nunc autem in Euangelio poſt crucem, reſurrectionem, & aſcenſionem datum eſt pactum non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus pollicetur. Cumque ſcriptum fuerit Domini Teſtamentum in mente credentium: ipſum eſſe debere Deum, & illos eſſe in populum: vt nequaquam Iudaicos quærant magiſtros, & vitent traditiones, & mandata hominum, ſed doceantur à Spiritu Sancto: ſi tamen audire mereantur, Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Spiritus autem ſpirat vbi vult, & diuerſas habet gratias*. Et tamen nihil eſt neceſſe nos hic inſiſtere. Sufficit enim ad vim argumenti, quod in priori parte confitetur Bellarminus, Deum effundere in corda noſtra caritatem, vt non ſolum ſciamus ſed etiam impleamus mandata. Nam ſi id verum eſt, tum certe vtrumque efficit in fidelibus Spiritus Dei, non tantum vt faciant, ſed etiam vt ſciant: non enim vt faciant imprudentes, imperitique ſui officii. Hoc iure igitur & legent & interpretabuntur Scripturas: quamuis non omnia norint arcana abſcondita.

X. Tertium Argumentum: Si Interpretatio Scripturarum donum eſt à Deo libere datum ad ædificationem Eccleſiæ. Ergo non eſt alligatum certo cuidam hominum generi, ſed commune fidelibus. At prius verum: ad Romanos 12. *Habentes diuerſa dona per gratiã quæ nobis data eſt, ſiue prophetiam prophetemus pro proportione fidei*. Prioris ad Corinthios 12. inter alia dona, numerantur diſcretio ſpirituum, & interpretatio linguarum & demum: *Omnia hæc efficit vnus ille & idem ſpiritus, diſtribuens priuatim illa ſingulis ſicut vult*. Ergo verum eſt etiam conſequens.

XI. Stapletonus valde laborat hoc loco, In Relectione, hanc liberam Dei voluntatem, multis modis obſeruat eſſe limitatam: id eſt, tribus: Ex parte datoris Dei, qui dat iuxta menſuram: Ex parte eorum quibus datur differenter & per varias menſuras. Ex parte totius corporis Eccleſiæ, in quo cum multa membra ſint, non omnia eundem actum habent. Hæc ibi: nec indicat, quid hæc faciant ad argumenti ſolutionem. Fatentur enim Catholici diſpenſari dona Dei ſecundum menſuram variis varie: at hanc diſpenſationem norunt fieri, non pro varia perſonarum diſtinctione: vt, exempli gratia, Monachis concedantur miracula, non vero reliquis fidelibus: aut interpretatio linguarum clericis, non vero laicis: ſed vt & miracula, & interpretatio non denegetur etiam laicis:, tantum vt neque omnes edant miracula, aut interpretentur: neque qui edunt, eadem omnes: aut qui interpretentur, æque omnes

XII. Libro 10. de Principiis longe prolixius, c. 7. docet hoc donum Interpretationis, vt & cætera diuidi non promiſcue aut quocunque modo, ſed iuxta menſuram fidei, & vnicuique ad vtilitatẽ. Iam menſurã fidei hanc eſſe non plus ſapere quam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatẽ, h. e. vnũquẽq; ſapere iuxta vocationẽ in qua vocatus eſt. Eſſe n. in vno corpore varia membra, nec eundem omnia actum habere. Itaque non bene concludi, Deus dedit donum Prophetiæ, & cætera dona in Eccleſia, vnicuique prout vult: ergo illa dedit vnicuique membro in Eccleſia, nulla habita ratione vocationis cuique membro propriæ. Ex his duo conficit: primo, dari hæc dona non promiſcue, ſed ſeruato ordine: ordinem vero hunc eſſe, vt alii ſint Apoſtoli, alii Prophetæ, vt in Epiſtola ad Epheſios: ideoque in his Apoſtolis, Paſtoribus, Doctoribus quærenda eſſe hæc dona: deinde hęc dona, cum de facto data ſunt à Chriſto, ſolis iis data eſſe, qui Paſtores & magiſtri Eccleſiarum futuri eſſent: ſic Matthæi 13. dictum eſſe Apoſtolis, *Vobis datum eſt noſſe myſteria, turbis autem in parabolis loquor*.

XIII. Porro vtilitatem illam dupliciter conſiderari: ratione vel totius Eccleſiæ, vel ſingulorum. Primo enim, non expedire toti Eccleſiæ, vt aliis hæc dona dentur, quam iis qui vocati ſunt ad docendum, vitandi ſchiſmatis cauſſa. Secundo, non eſſe vtile cuiuis, vt hoc donum accipiat. Non enim omnes eſſe capaces. Et quamuis capaces eſſent, non tamen eis expedire: nimirum, quia ſint oues: quibus non datur ſpiritus, niſi quatenus oues ſunt, ſcilicet vt obediant, & diſcant.

XIV. Hæc eſt ſumma longarum ambagium. Sed nihil ad rem. Primum variam illam diſtributionem nihil ratio noſtra impedit: neque enim efficit, vt aut omnes interpretentur: aut qui interpretantur, æquali omnes menſura interpretentur, ſed tantum vt libere Deus in quos velit, donum illud conferat quantum velit. Secundo, non bene comparatur caput quartum ad Epheſios cum his locis. Nam differunt, τὰ χαρίσματα καὶ τὰ διακονίαι. Miniſterium enim vere diſtinguit Eccleſiam in varios ordines: non autem Chariſmata: quo inde apparet, quod ipſis perſonis in eodem conſtitutis miniſterii gradu hæc ipſa chariſmata varie diſtribuuntur: non enim omnes Paſtores, æque aut linguas interpretantur, aut prophetant. Tertio, illud egregie falſum in ſolis Apoſtolis, paſtoribus, doctoribus, quærenda eſſe hæc χαρίσματα. Neque Matthæi 13. diſcreuit Chriſtus Apoſtolos à turba ſimpliciter: ſed à turba non credentium, vt demonſtratum eſt capite ſeptimo libri decimi.

XV. De vtilitate quid dicam? Primo, falſum eſt non conducere Eccleſiæ, vt omnes interpretentur: niſi forte concedamus, multum nocere eidem homnes credant. Multo aliter Moſes, Numeror. 11. *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum*? Quis autem credat hunc votum optaſſe, rem Eccleſiæ aut inutilem, aut etiam noxiam? Periculum autem ſchiſmatis, nullum maius eſt, quam cum toti clero, non tantum ἀνὰ μέρος, ſed etiam ἀνὰ μέρος, id eſt, ſingulis clericis conceditur interpretatio. Itaque ſi hæc legitima cauſſa eſſet, tum neganda hæc facultas eſſet etiam clero. Quod puto, nunquam facient Papiſtæ.

XVI. Non eſſe omnes capaces, facile concedam: ſed viciſſim omnes eos fieri capaces, qui à Deo Spiritum accipiunt, quantacunque menſura, quis neget? Certum eſt enim neminem omnino hominem per ſe ſuaque natura capacem eſſe myſteriorum Sacrorum: teſte Paulo 1. ad Corinthios ſecundo, ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ. *Animalis homo non eſt capax eorum, quæ ſunt ſpiritus Dei*. Sed Chriſtus Matthæi 11. *Confiteor tibi Pater quod abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus, & ea detexeris parvulis. Etiam Pater, quia ita placuit tibi*. Non dari autẽ ouibus Spiritum, niſi vt obediant & diſcant, primo falſum eſt: quia datur etiam ſæpe vt doceant, hoc eſt, vt iam tum apti fiant ad docendum ſuo tempore, id eſt, cum vocati fuerint.

Deinde

Deinde nihil ad rem: quia etiam ad obediendum,& discendum, quib. necessaria est,aut certe vtilis Interpretatio.

XVII. Quartum argumentum. Paulus prioris ad Thessalonic. 5. *Spiritum ne extinguite, Prophetias ne pro nihilo habete: Omnia explicate: quod bonum est tenete.* Quibus verbis fideles, & docentur habere Spiritum, quem extinguere non debeant: & iubentur omnia explorare: quæ bona sunt tenere, id est, nō cuiuis quamlibet doctrinam proferenti fidem adhibere, sed eam diligenter examinare: q͡ omnino absq; interpretatione fieri nequit. Huic loco similis est alius ex 1. Ioan. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint* Idem Actor. 17. Berœenses scrutabantur Scripturas, an ita se haberent, quæ Paulus prædicabat.

XVIII. Respondet Bellarminus, Paulum & Ioannem non velle dicere, vt omnes de Ecclesia id faciant, sed vt id faciant ij, ad quos pertinet: vt si scribatur ad aliquam Academiam, vt examinent librum: non id significatur, vt detur examinandus liber omnib. hominib. illius Academiæ, sed tantum doctoribus eius facultatis, de qua liber ille tractat. Stapletonus eodem accedit. Dionysium enim Alexandrinum, hæc Pauli verba facta esse πρὸς τοὺς δυνατωτέρους - asserere apud Eusebium in historia lib. 7. c. 6. Esse vero istos Ecclesiarum præpositos.

XIX. At contra totius loci circumstantia indicat. Aceruantur enim præcepta generalia, promiscue ad omnes Christianos pertinentia: vt, *Semper gaudete: indesinenter orate: in omnibus gratias agite.* Deinde ipsa per se loci ratio satis est aperta. Neq; enim vnquam fideles inconsiderate quidlibet admittere debent, & tenere. Quod si discrimen aliquod adhibendum, ergo necessario etiam exploratio. Itaq; quemadmodum ad omnes pertinet, illud, *Quod bonum est, tenete*: ita omnino absurde ad paucos coercebitur hoc, *omnia explorate.* Tertio, olim affirmarunt Patres hoc ius explorandi doctrinas etiam ad quemlibet è plebe pertinere. Chrysostomus homilia 13. in posteriorem ad Corinthios, πῶς γὰρ οὐκ ἄτοπον ὑπὲρ μὲν χρημάτων μὴ ἑτέροις πιστεύειν, ἀλλ' ἀριθμῷ καὶ ψήφῳ τοῦτο ἐπιτρέπειν. ὑπὲρ δὲ πραγμάτων ψηφιζομένους ἁπλῶς ταῖς ἑτέρων παρασύρεσθαι δόξαις. καὶ ταῦτα ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων ἔχοντας, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφασιν; διὸ παρακαλῶ, καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, ἀφέντες τί τῷ δεῖνι καὶ τῷ δεῖνι δοκεῖ περὶ τούτων, παρὰ τῶν γραφῶν ἅπαντα πυνθάνεσθε. Illustris locus: & mirū, ni Papistis ingratissimus: Iesuitis certe, qui in plebe, tanquam pecorū grege, vix quicquam probant præter cęcam obedientiā. *Quomodo* (inquit) *non absurdum, eos qui de pecuniis agunt, aliis non credere, sed numero calculoq; id committere: qui autem de reb. iudicandis, aliorum sententiis simpliciter distrahi? Maxime cum in prōptu habeant omniū rerum exactā trutinā & grumam & regulam, diuinarum legum sententiam? Quamobrem ab omnibus vobis postulo, vt omisso quid cuique videatur de rebus, omnia è diuinis Scripturis sciscitemini.* Taceo alios.

XX. De Dionysio illo Alexandrino, fabulæ. Nec n. quicquam Eusebius ab eo recitat, vnde colligere queamus, hanc explorationem ad paucos pertinere. Quid igitur? Videlicet narrat Dionysius se quorundam hæreticorum libros lectitantem correptum fuisse à quodam fratre, cœlitus vero confirmatum, ὅραμα θεόπεμπτον προσελθὸν ἐπέῤῥωσέ με, καὶ λόγος πρὸς με γενόμενος προσέταξε διαῤῥήδην λέγων. πᾶσιν ἐντύγχανε οἷς ἂν εἰς χεῖρας λάβοις· διευθύνειν γὰρ ἕκαστα, καὶ δοκιμάζειν ἱκανὸς εἶ, καὶ σοὶ γέγονε τοῦτο ἐξ ἀρχῆς καὶ τῆς πίστεως αἴτιον, *Visio diuinitus inmissa confirmauit me: voxq; facta, præcepit, perspicue dicēs: omnia lege, quæcunq; in manus sumpseris. Sufficis n. ad singula corrigenda examinandaq;, quin hoc ipsum tibi fuit initium fidei.* Hæc Dionysius: eorum vero quibus Stapletonus abutitur, prorsus nihil.

XXI. Quintum argumentum à perpetua praxi. Certum est enim theologicos tractatus iam olim editos fuisse à plurimis laicis, quorum ob eā causam laus est nonnulla inter Christianos. Aristides, Agrippa, Hegesippus, Iustinus, Musanus, Modestinus, Appollonius, Appollonius alter Senator Romanus, Heraclius, Maximus, atq; alij plurimi enumerantur ab Hieronymo, nullis Ecclesiastici clericatus titulis insignes, qui tamē vel Apologias ꝓ Christianis, vel disputationes ediderunt contra Ethnicos, contraq; hæreticos. Arnobium, & Augustinum, etiam nondum percepto Baptismo scripsisse notum est. Origenem anno ætatis decimo octauo κατηχήσεων opus aggressum testatur Hieronymus, posteaque factum presbyterum. Gregorium Ponticum, laicum & profanum, multa præclare egisse, dæmones expulisse, morbos sanauisse, græcæ superstitionis sectatores eloquentia, seu potius prodigijs, ad fidei ꝓfessionem adduxisse, scripsit Nicephorus lib. 11. cap. 19. Quid multa? Leonis Imperatoris Homilias edidit non ita pridem Gretserus, eo pluris æstimandas (inquit) quo pauciora in hoc genere monumenta ab Imperatoribus profecta exstent. Omittere vero non debui Apollo, eum quem Lucas nominat Actorum 18. qui, etsi sciret tantum baptisma Ioannis, tamen cum esset potens scripturis, feruensque spiritu, loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Domini.

XXII. Stapletonus hæc & eiusmodi rara & extraordinaria fuisse respondet: paucorum autem priuilegia non facere legem communem. Pręterea non sic data, vt præpositis suis obedire recusent, sibive docendi autoritatem arrogent: vel non aliter, quam vt ad cōsolationem & instructionem vel propriam, vel aliorum per modum consilij, & conferendi in commune, eo dono vti debeant: non vt propterea aliquid singulariter sapiant, nouum aliquod dogma ex Scripturis colligendo.

XXIII. Plaudite. Perorauit Stapletonus: & magna mysteria crepuit. Rara autem cur dicere ausus est, quæ singulis prope dicam seculis plurima exstiterunt? Itane? Illi nobis diminutam suam communionem in Eucharistiæ Sacramento audacissime extundent ex altero tertiove exemplo febricitantium quorundam, quos anxie peruestigata primorum seculorum antiquitate, vix vi potuerunt inuenire. Et contra tot hæc nostra rancidulum nescio quid opponent, rara clamitantes, & extraordinaria? Ita sapiunt scilicet: ita sibi sapiūt: sed non sapiunt Ecclesiæ. Catholici vero negant quicquam in ijs exemplis fuisse extra ordinem: quo securius imitanda asserunt: & quidem serio laudata, à laudatissimis viris.

XXIV. Reliqua immanissima sunt crepitacula. Nunquam enim Catholici, Scripturarum vsum, siue interpretationem cuiquam, siue extra ordinem, siue ordinarie, siue vllo tandem prætextu concedendam dixerunt, vt ea liceret abuti, siue ad schismata facienda, siue ad hæreses excudendas. Quid igitur magni Stapletonus obseruauit in laicis, quum eadem nominauit, nec plura, quam quę etiam Clericis omni cura sunt vitanda? Quare hæ sane leges seuere imponantur omnibus Theologica tractantibus, vt ne contumeliosi sint in præpositos, neue singulariter sapiant: sed ipsa tractatione nemo interdicatur.

CAP. III.

An fidelibus non liceat interpretari Scripturam.

I. Stapletonus contra opponit. Primo ex posterioris Petri c. 1. *Hoc primum scientes, nullam prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis.* Secundo, iudicium de fide non pertinere ad priuatos homines Spiritu donatos. Dare autem Scripturarum interpretationem authenticam & obligatoriam, ad iudicium fidei pertinet: quia talis semper datur, ad fidem vel statuendam, vel confirmandam. Tertio, Priuati cuiuscunque interpretatio, quantumcunque probabilis, incerta tamen semper ac dubia est in se ipsa, quia nulla autoritate fit. Fides autem autoritate nititur. Certa igitur & authentica interpretatio à priuato spiritu dari non potest. Quarto, liberum esset cuique vel priuatum cuiuscunque velit spiritum sequi, vel ex se etiam priuatum quod velit comminisci: quod est omnium hæreseωn seminarium. Quinto: Etiamsi nulla esset eius incertitudo, sed vel reuelatione probabili, vel etiam ex reuelatione certa redderetur, tamen periculosa est, & exemplo ipso perniciosa, priuata interpretatio: quia nec talis certitudo est ordinaria, nec admitti debet, quod ordinem docendi in Ecclesia perturbat, vt egregie docet Augustinus de vtilitate credendi c. 10.

II. Respondeo, ad primum: ἰδίαν ἐπίλυσιν, non significare priuatam propriamque, cuiuslibet Christiani industriam: sed priuatum sensum, quem sibi quilibet fingit pro arbitrio, & impingit Scripturæ. Distinctionis ratio ex perpetua Ecclesiæ praxi. Nam semper factum, vt quisque etiam eorum, qui docerent plebem, quantum potuerit, contenderit, vt suo labore Scripturas explicaret: Sic Chrysostomus, Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, sic alii omnes. Certe in Augustino subinde occurrunt, quæ hoc ipsum nos doceant. Homilia 1. in Ioannem, *Intuentes quod modo audiuimus ex lectione Apostolica, quod animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, & cogitantes in hac ipsa præsenti turba charitatis vestræ necesse esse, vt multi sint animales, qui adhuc secundum carnem sapiant, nondumque se possint ad spiritalem intellectum erigere, hæsito vehementer, quomodo vt Dominus dederit possim dicere, vel pro modulo meo explicare quod lectum est ex Euangelio.* Et serm. 2. *Bonum est fratres, charissimi, vt textum diuinarum Scripturarum, & maxime sancti Euangelii nullum locum prætermittentes pertractemus, vt possumus: & pro nostra capacitate pascamur, & ministremus vobis, vnde & nos pascimur.* Infinita sunt huiusmodi quæ si colligam, sim longior. Quanquam, quid opus est siue testibus, siue argumentis, cum in promptu sint eorundem locorum variæ (ne pugnantes dicam) expositiones? quæ profecto esse non possent, nisi à priuata industria. Quid? Augustinus, cum libros de Doctrina Christiana scribebat, nonne iis consultum volebat, qui per se versari volebant in hoc labore? Ergo τὴν ἰδίαν ἐπίλυσιν, ne sic intelligamus, vt priuatam industriam, ingenium, laboremue, ab Apostolo damnatum intelligamus: alias, non tantum omnibus promiscue prohibenda esset interpretatio Scripturarum: sed etiam ipsis doctoribus: ipsis presbyteris: ipsis Episcopis. Quod si est absurdum, videat Stapletonus, ne non satis considerate argumentatus sit.

III. Ad secundum, negant Catholici iudicium de fide non pertinere ad priuatos homines spiritu donatos. Paulus prioris ad Corinthios 10. *Vt peritis loquor: iudicate vos quod aio.* Et 11. *Apud vos ipsos iudicate.* Et Act. 17. Berœenses quotidie scrutabantur Scripturas, an ita se haberent, quæ Paulus prædicabat: οὐχ ἁπλῶς (inquit Chrysostomus) ἀλλὰ μετ' ἀκριβείας ἀνακρίνοντες τὰς γραφάς. τοῦτο γὰρ ἐστι τὸ ἀνακρίνειν, βουλόμενοι ἀπ' αὐτῶν τὴν προφητείαν μαθεῖν περὶ τοῦ πάθους λαβεῖν, *Non simpliciter, sed cum diligentia scrutabantur Scripturas: hoc enim sibi vult illud, diiudicabant: volebant enim à seipsis plenam persuasionem comparare de passione.* Denique audiuimus alias Hierosolymitanum Cyrillum catechesi 4. clamantem, μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτά σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. *Nec mihi ipsi credito hæc dicenti, nisi accepta prius demonstratione ex Sacris Scripturis.* Non addam plura. Ex his enim satis constat iudicium aliquod permitti omnibus fidelibus, de ipsis rebus quæ pertinent ad fidem. Quod si ita se habet, ne interpretatio quidem interdici potest.

IV. Ad tertium: primo, quod dicitur fidem autoritate niti, distinguo: Et dico niti fidem autoritate humana nulla, sed tantum diuina: vnde proxime Cyrillus negabat sibi credendum, nisi accepta demonstratione è Scripturis. Appello autem humanam autoritatem etiam illam, qua præditi sunt pastores in Ecclesia, in quibus ille Cyrillus erat. Deinde nego priuatam interpretationem, id est, ex priuata industria, carere autoritate. Potest enim niti autoritate diuina, id est, ipsa Scriptura: ac proinde non esse incerta. Sic Paphnutii sententiam tota Nicena Synodus est amplexa, etiam si plures aliter sensissent, quia à Deo Scriptura stabat.

V. In quarto calumnia est: negamus enim sequi illam non libertatem, sed licentiam: alioqui, quæro ab eo, quomodo hoc incommodum vitetur in doctoribus; quos paulo ante ostendi sua priuata industria commentari, sensumque inuestigare Scripturarum? Nam si hoc necesse est, vt si permittatur huius industriæ priuatæ vsus, statim liberum sit cuique sua somnia sectari: certe non video, quî non singuli pastores turbas magnas concitent in Ecclesia. Fateor id quidem euenire, vt sibi plurimum indulgeant plurimi: sed id licitum esse, aut iustum, omnino falso asseritur. Sed nimirum interpretari Scripturam Papistæ id esse intelligunt, quod faciunt ipsi; nimirum sensum extrinsecum inferre in Scripturis, quo iure, quaue iniuria. At Catholica negant sic explicari Scripturas. contendunt potius ita corrumpi. Interpretationemque permittentes, corruptionem abominantur.

VI. Ad quintum: negamus priuatam interpretationem vel periculosam esse, vel perniciosam: alioqui nunquam aut permissa fuisset initio ab Apostolis, aut postea vsitata laudataue in Ecclesia: quod contra probauimus. Et miror Papistam ita ausum pronunciare, Et quidem hoc supposito, hanc interpretationem oriri à reuelatione certa. Quis enim excusabit blasphemiam in Spiritum

in Spiritum Sanctum? Fit enim, vt videatur autor esse posse rerum periculosarum, & perniciosarum. Ita ne Deo quidem parcunt. Quod negat hanc interpretationem esse ordinariam, immane quantum fallatur. Contra n. verum est, post sublatos Apostolos, nullam omnino aliam fuisse ordinariam. Itaque non potest exemplo nocere.

Cap. IV.

De internis mediis interpretandæ Scripturæ.

I. POssunt ergo, sed & debent omnes Christiani Scripturas interpretari. Sed qua via? Nam hæc quæstio superest. Catholici duplicem agnoscũt. Internam, & Externam. Illam, quæ ab ipsa Scriptura Scripturæ sensum expiscatur: Et significatur proprie per ἐρευνᾶν Ioan. 5. Et ἀνακρίνοντας γραφάς. Acto. 17. eius partes sunt ἑρμηνεία & σύγκρισις. Ἑρμηνείαν appello verborum interpretationem: quam sine dubio oportet ante omnia esse cognitam, & pertinet ad Grammaticam.

II. Quia igitur res per verba significantur, ignotisque signis necesse est rem ipsam in obscuro esse; prima hæc cautio erit in interpretanda Scriptura, vt vim verborum, quibus ipsa nobis proponitur, concipiamus. Hæc vero vel originaria sunt, vel interpretata. Originaria appello ea, quib. vsi sunt qui primi sacros libros composuerunt: cuiusmodi in Veteri Testamento Hebraica sunt, in Nouo Græca. Hæc autem vel natura nota sunt, vt Hebræis Hebræa, Græcis Græca: vel studio: quæ vnica ratio hodie superest: cui olim temporis multum impensum est ab Origene, atq; alijs paucis. Hieronymus certe, *Cuidam fratri* (inquit) *qui ex Hebræis crediderat me in disciplinã dedi: vt post Quintiliani acumina, Ciceronis fluctios, grauitatemq; Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetum discerem & stridentia anhelantiaq; verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis: quoties desperauerim, quoties cessauerim: & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia, tam mea, qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino quod de amaro semine literarum dulces fructus carpo.* Quæ verba sunt ex Epistola ad Rusticum.

III. Hoc instrumento sane vtilissimo vsus Hieronymus, tum ipse multa cognouit, tum præcedentium σφάλματα plurima correxit: vt videre licet singulis, vt ita dicam, eius paginis. Hoc eodem multi, cum nostra, tum Patrum memoria viri, in libris sacris feliciter laborauerunt. Hoc deniq; freti, magni illi veritatis instaurandæ heroes, tenebras illas discusserunt, quas crassissima ignorantia mentib. hominum offuderat. Adeo vt vere dici possit, fugatam barbariem à viris alioquin pietatis non absolutę, præludium fuisse fugatæ superstitionis. Testes Laurentius Valla, Picus Mirandulanus, Capnio, Fagius, Erasmus, Faber Stapulensis, atq; alij: qui etsi alij alijs plus minus viderũt: tamẽ nullus non aliquid vidit: vt in ijs quasi tentamenta quædam agnoscere liceat paulatim erumpentis lucis.

IV. Interpretata verba sunt, variarum linguarum, in quas siue scribendo, siue prædicando Scriptura transfertur ab originarijs. Quæ sunt ijs prorsus necessaria, quibus neque natura, neque arte notæ sunt linguæ illæ Hebraica & Græca: quales fuerunt Latinorum pars maxima, sed & Græcorum. Nam hi ob eam causam vsi sunt editionibus tum Septuaginta Interpretum, tum Veteri Latina, tum Noua Hieronymi. Hos, etsi necesse sit niti aliena opera, fideque, atque, vt ita dicam, in inuestiganda veritate vti oculis commodatitijs, tamen eorum non sunt nullæ partes, aut vani labores: Nec enim Augustinus, qui Hebraice nihil sciuit, Græce non multum, propterea non interpretari ausus est Psalmos: Et denique, non propterea nullo loco inter Theologos censentur, quicunque ad hanc quasi secundam tabulam confugerunt.

V. Quomodo autem interpretibus vtendum docuit Augustinus libr. 2. de doctrina Christiana, cap. 12. *Quæ res* (inquit, Interpretum multitudinem significans) *plus adiuuit intelligentiam, quam impediuit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestauit inspectio. Sicut illud Esaiæ Prophetæ vnus interpres ait. Et carnem tuam ne despexeris: alius, & domesticos seminis tui ne despexeris. Vterq; sibimet inuicem attestantur. Namq; alter ex altero exponitur.* Multa alia habentur in eandem sententiam.

VI. Σύγκρισιν, appello diligentem interpretis industriam, quæ de locis interpretandis iudicat, aliunde illata luce, ex Scriptura tamen: Et fit per ἀλληλουχίαν, vel ἀναλογίαν. Ἀλληλουχία est series contextus; cum ex præcedentibus, vel sequentibus, iudicatur de sensu versus cuiuspiam. Neq; n. sic factæ sunt Scripturæ, vt scopæ dissolutæ, vnde quidlibet quomodolibet, fortuitoq; oblatum rapere liceat, atq; pro arbitrio deriuare in quælibet somniorum portenta, ob quarundam vocum allusionem. Quomodo illud ex 72. Psal. *Erit frumentum in summitate montium*, ineptissime Papistæ ad Eucharistiam accommodant, propter solam frumenti vocem.

VII. Ἀναλογία, est primo, cum cuidam loco alij comparantur similes, siue ob phrasin, siue ob res. Vt si interpretandum sit illud, *Hoc est corpus meum*, adhibeatur alterum, *Panis, quem frangimus, est communio corporis Christi*: quia vterq; locus est, non tantum de Sacramento Eucharistiæ, sed etiam de vna eademq; specie: Vt euincatur, & *Hoc*, intelligendum, *hunc panem*: &, *Est Corpus, est cõmunio corporis*. Et rursus, si quis vrgeat vocem, est, vt euincat τὸ ῥητόν, opponatur, *Petra erat Christus*. Nam etsi non vterq; locus similis est, quod ad rem ipsam attinet: est tamen quod ad modum loquendi, vt appareat, non vrgendum τὸ ῥητόν, vbicunq; verbum illud ὑπαρκτικόν, vsurpatur.

VIII. Alia species τῆς ἀναλογίας, omnia fidei capita confert, vt optime cohęreant inter se, nec vel tantillum discrepent. Vt enim nullum verum falso consentire potest: sic nullum verum à vero dissentire. Itaque, quia omnes articulos fidei necesse est veros esse, sunt enim à Deo: & Deus mendacij autor esse nequit: ideo & inter se consentiant oportet. Itaq; certissimum indicium erit falsitatis; si quid proponitur, cui non satis bene conueniat, cum alio quocunque capite. Et contra certissima veritatis demonstratio, si ab alijs confirmetur, fulciaturque. Sic Purgatorium Catholici refutant, quia dissentiat à remissione peccatorum. Sic Transubstantiationem, quod ei non bene conueniat cum incarnatione Filij Dei: dum veritatem humanæ naturæ interficit. Et contra, Spiritum adorandum contendunt, quia Deus sit adorandus. Et baptizandos infantes fidelium ex vi fœderis initi cum Abrahamo, confirmatiq; in Christo.

IX. Huc pertinent istæ regulæ. Augustinus de doctrina Christiana, libro 2. cap. 6. *Nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Et c. 9. *In iis enim, quæ aperte in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moresq; viuendi, spem scilicet, atq; caritatem.* Et lib. 3. c. 2. *Consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ autoritate percepit.*

X. Secunda, ex eodem li. 3. c. 16. *Si præceptiua loquutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figura. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Ratio hæc est, quia Dei proprium est, vt præcipiat bona, quia bonus est: Et vt mala vetet: quæ ex alijs locis probantur.

XI. Tertia: vt secundum plura intelligatur pauciora. quomodo Phœbadius monuit. Exempli gratia, quia illud, *Ego & pater vnum sumus*, ambiguum est: nam dici potuit, & de vnione voluntatis: & de vnitate naturæ: vt compescantur Ariani, congerendi sunt plurimi loci, in quib. vnitas naturæ ostenditur, ac secundum eos hæc ὁμωνυμία explicanda.

XII Deniq; grauissime Clemens Stromateωn 7. quem totum locũ describã apprime vtilem huic instituto. ἡμεῖς ἐξ αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες ἐκ πίστεως πειθόμεθα ἀποδεικτικῶς. Κἂν τολμήσωσι προφητικαῖς χρήσασθαι γραφαῖς καὶ οἱ τὰς αἱρέσεις μετιόντες, πρῶτον μὲν οὐ πάσαις, ἔπειτα οὐ τελείαις, οὐδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει. ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα, εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς, οὐ τὸ σημαινόμενον ἀπ' αὐτῶν σκοποῦντες, ἀλλ' αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει. σχεδὸν γὰρ ἐν πᾶσιν οἷς προσφέρονται ῥητοῖς, εὕροις ἂν αὐτοὺς ὡς τοῖς ὀνόμασι μόνοις συνέχονται, τὰ σημαινόμενα ὑπαλλάττοντες. οὔθ' ὡς λέγονται γινώσκοντες, οὔθ' οἷς πεφύκασι χρώμενοι, αἷς καὶ δὴ κομίζουσιν ἐκλογαῖς. ἡ ἀλήθεια δ', οὐκ ἐν τῷ μετατιθέναι τὰ σημαινόμενα εὑρίσκεται. οὕτω μὲν γὰρ ἀνατρέψουσι πᾶσαν ἀληθῆ διδασκαλίαν. ἀλλ' ἐν τῷ διασκέψασθαι τί τῷ Κυρίῳ καὶ τῷ Παντοκράτορι Θεῷ τελείως οἰκεῖόν τε καὶ πρέπον. Κἂν τῷ βεβαιοῦν ἕκαστον τῶν ἀποδεικνυμένων κατὰ τὰς γραφάς, ἐξ αὐτῶν πάλιν τῶν ὁμοίων γραφῶν. *Nos ex ipsis de Scripturis perfecte demonstrantes ex fide persuademus demonstratiue. Quod si audent etiam ij qui hæreses tractant, vti scripturis propheticis, at primum non omnibus, deinde non integris, neque vt corpus textusque prophetiæ possidet, sed selecta ambigua, ad priuatas opiniones traducunt, paucis quasi decerptis hinc inde vocibus: nec attendentes, quid ijs significetur, sed nuda dictione abutentes. Etenim in omnibus fere quæ proferunt, comperias solis nominibus adhærere, immutata significatione: non sic intelligentes, vt dicta sunt, neque vtentes excerptis illis quæ inferunt, sic vt se sua natura habent. Atqui veritas non immutandis significatu inuenitur, sic enim potius inuertas omnem veracem doctrinam, sed inuestigando, quidnam Deo sit Domino atque Omnipotenti, perfecte proprium & conueniens: & confirmando quidlibet demonstratum iuxta Scripturas, ex ipsis rursus Scripturis similibus.*

XIII. Magnifice sane, atque Catholice. Ex his has leges excerpo. Vera veritatis demonstratio è Scripturis esto. Quod ex quolibet loco eruitur, ex alijs similibus confirmator. Scripturarum partem nemo reijcito, sed qui vtitur omnib. vtitor. In interpretandis ijs, ante omnia, quid Deum deceat considerato. Deinde, ne partes discerpuntor, sed ex toto corpore, contextuq; censentor intelliguntorq;. Sensus ne illatus esto, sed innatus: verbaq; intelliguntor ὡς ἔχειν πεφύκασι. Ne seliguntor ambigua. Nudæ voces, solaq; nomina ne vrgentor, sed significatio attenditor.

XIV. Porro hanc interpretandi rationem Apostolus commendauit 12. ad Romanos. Ne quis humanum esse inuentum putet, ἔχοντες δὲ χαρίσματα, κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν, διάφορα, εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *Habentes autem diuersa dona, pro gratia quæ nobis data est, siue Prophetiam prophetemus pro proportione fidei.*

Cap. V.

De externis mediis interpretandæ Scripturæ.

I. HÆc est interna Scripturarum interpretandarum ratio. Externam appello eam, quæ adiumenta conquirit extra Scripturam. Hæc in rebus est vel testib. In rebus, cum rerum variarum cognitio confert ad hanc interpretationem. Atq; huc pertinent, quæ prolixe Augustinus disserit lib. 2. de Doctrina Christiana, à cap. 16. ad finem vsque, *Rerum* (inquit) *ignorantia facit obscuras figuratas locutiones: cum ignoramus, vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarum-ve rerum, quæ plerumq; in Scripturis similitudinis alicuius gratia ponuntur.*

II. Sic profuerit artes liberales nosse omnes, inprimisq; Dialecticam: quæ (inquit Augustinus) *ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt, penetranda & dissoluenda, plurimũ valet. Tantum ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersariũ.* Profuerit ẽt omnes partes Philosophiæ didicisse, tum quæ ad mores, tum quę ad Naturam pertinet. Profuerit deniq;, & valde quidem profuerit, Historiæ cognito exacta. Sed & Cosmographia non fuerit inutilis.

III. Sequuntur Testes: quo nomine intelligo aliorum sententiam, qui iam in eodem negotio, interpretandę, inquam, Scripturę, desudarunt: vel etiamnũ desudant. Quia n. χαρίσματα à Deo singulis concedi certum est, ad totius Ecclesię vtilitatem, id est, omnium fidelium ædificationem: & ἐν τοῖς χαρίσμασι esse constat Interpretationis spiritum: non est quod quis dubitet, magno pijs adiumento esse piorum solertiam.

IV. Testium primus ordo, Pastorum & Doctorum, præsentium, quos Paulus testatur institutos, *ad ædificationem corporis Christi, donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei*, 4. ad Ephesios. Quamobrem ab initio catechumeni, catechesesque in vsu fuerunt, ad tradenda fidei capita & articulos, ipsis imperitissimis. Conciones etiam quotidianæ, communes omnibus, vt qui prima rudimenta iam receperant ante baptismum, deinceps altius euecti, Scripturæ mysteria audirent: & audirent ita, vt possent capere. Sic debent subinde priuati suos pastores consulere, atq; ab ijs petere

tere Scripturarum intelligentiam: & pastorum est, non grauate consulentes admittere, atque adiuuare: multo minus fastuose repellere, quod Papistæ faciunt, qui plebem ab hac curiositate (ita enim appellant) quantum possunt deterrent.

V. Alter ordo, Veterum est, atq; eorum qui nostram ætatem præcesserunt. Horum labores nemo pius dubitat, Deū extare voluisse, vt, qui viuentes profuerunt Ecclesiæ, mortui non sint inutiles. Iuuat ergo: & valde quidem iuuat, sciscitari quid senserint olim boni Patres, tum de fidei articulis, tum de singulorum Scripturæ locorum interpretatione. Neq; eorum testimonium parui faciendum: multo minus reijciendum, absq; grauissima ratione: etsi non debeant fidei nostrę dominari: vt nihil iam superiit nobis eos legentibus, quam illud antiquum αὐτὸς ἔφα. Nunquam ita factitatum inter Catholicos: nunquam ita factitandum.

VI. Tertius ordo in Concilijs, cum μερικοῖς tum οἰκουμενικοῖς; quorum saluberrimam autoritatem iampridem experta est Christianitas, oppositam muri instar firmissimi hæreticorum insaniæ, quæ vix alio modo bene compesci potuit. Enimuero si sunt singulorum Patrum, non negligendæ sententiæ, quis multorum in vnum conuenientium suffragia pro nihilo sanus habeat?

VII. Veruntamen maxima in testium delectu cautio est. Lyrinensis Vincentius, multa hac de re monet, *Magnopere curandum est* (inquit) *vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim, vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioq; declarat, quæ omnia fere vniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur Vniuersitatem, Antiquitatem, Consensionem. Sequemur autem Vniuersitatem hoc modo: si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoq; itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum pariter & magistrorum definitiones, sententiasq; sectemur.*

VIII. Quid igitur tum faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab vniuersalis fidei cōmunione præciderit? Quid vtiq;, nisi vt pestifero corruptoq; membro, sanitatem vniuersi corporis anteponat? Quid nouella aliqua cōtagio non iam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorsus iam non potest ab vlla nouitatis fraude seduci.

IX. Quid si in ipsa Vetustate duorum aut trium hominum, vel certe ciuitatis vnius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit vt paucorum temeritati vel inscitiæ, si qua sunt vniuersaliter antiquitus vniuersalis Concilij decreta præponat.

X. Quid si tale aliquid emergat, vbi nihil eiusmodi reperiatur? Tunc operā dabit, vt collatas inter se maiorum consulat interrogetq; sententias, eorum dūtaxat, qui diuersis licet temporibus, & locis, in vnius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt. Et quicquid non vnus aut duo tantum, sed omnes pariter vno eodemq; consensu aperte, frequenter, perseueranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoq; intelligat, absq; vlla dubitatione credendum.

XI. Hæc Lyrinensis; qui tot ante nos seculis vidit, multis cautionib. armandos Catholicos, qui ex Testium autoritate fidem volent inquirere. Obseruauerat enim ea nonnunquam incidere tempora, quibus hoc quicquid est, vel inutile vel difficile efficiatur. Paulo enim ante suam ætatem Arianorum venenum, non portiunculam quandam, sed pene orbem totum contaminarat, adeo vt prope cunctis Latini sermonis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentib. offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret.

XII. Hæc igitur Axiomata sunto: Cum in Ecclesiam contentiones incidunt de rebus fidei, præsentium testium autoritatem esse suspectam, neq; eorum fidei tuto inniti posse fidelium animas. Cessent ergo Papistæ, vrgere Catholicos, suorum Episcoporum, suorum Doctorum, sui cleri autoritate: sui etiam Tridentini Concilij decretis, post hæc certamina natis: conditisq; ab ijs solis, quorum fides oppugnatur. Ea, inquam, omnia pudeat potius vel nominare; è proprio sinu testes inutiles.

XIII. Ex præcedentibus seculis, non fortuito, & absque delectu testes assumendos. Delectum vero esse duplicem, vel seculorum, vel testium. Seculorum; quia non eadem omnia decurrerunt; sed varia vario concertationum æstu deturpata fuerunt. Enimuero, si cum hodiernis Arianis disputaturus Catholicus, eorum temporum siue testes, siue iudices admittat, cum sese miratus est orbis esse factum subito Arianum, quid proficiat? Nisi, vt hęresin confirmet, fidem prodat? Iuuat ergo, imo vero necesse est, dogmatum historiam diligenter obseruare, quam non sine caussa Deus extare voluit. Εἰκονοκλάσταις oppugnaturus obseruet à Nicæni secundi Concilij temporibus, longe lateque venenum esse grassatum, tum inter Græcos, tum inter Latinos: atque adeo, quasi certamen aliquod esset propositum, singulos autores primas petijsse in commendandis imaginibus. Sic Transubstantiationem post Berengarium damnatum ad palinodiam, magis ac magis vires acquisiuisse. Diminutam communionem, primo obtinuisse paulatim, tum Episcoporum socordia, tum plebis quodam quasi stupore: denique in Concilio Constantiensi sancitam, hodie transisse pene in articulum fidei. Oecumenicum Pontificatum haud aliter, suis paruis initijs magnos progressus addidisse, donec, suppeditato Constantinopolitano Episcopo, suppeditatis ipsis primo Græcis, deinde Latinis Imperatoribus, impune vagaretur. His exemplis, alia addi possunt; vt aduersus Papistas disputantes sciamus, prima quæque secula optima: posteriora vero deterrima. Certe Scholasticorum Theologorum propaginem, Veritatis fuisse carnificinam, res ipsa iampridem probauit.

XIV. Testium delectus longe plus habet difficultatis. Nam eos vult Lyrinensis esse in Catholicæ Ecclesiæ & fidei communione permanentes. Quod quis oppugnet? Sed ita testes iudicantur ex doctrina, potius quam à testibus doctrina confirmatur. Sed ne caret quidem difficultate idipsum. Non pauci enim dantur Patres, qui in Ecclesiæ communione permanserunt, quib. tamen vti non possis testibus omni exceptione maioribus, Irenæum dico, Origenem, Hilarium, alios, quorum singulorum obseruati sunt non leues errores in fide.

XV. Istud maximum, quòd solitarij nihil confirment. Esto sane vir magnus Augustinus: tamen is mihi solo suo nomine persuadere non debet. Imo ne admitti quidem potest illud in iure solenne, de duobus tribusve testibus. Oportet enim, aut omnes, aut pene omnes veteres consentire: Et pluribus pauciores cedere.

Cap. VI.

Scripturæ interpretandæ certissimam rationem esse ab ipsa Scriptura.

I. SEd in his interpretandæ Scripturæ medijs Papistas importunos experiuntur Catholici, quum quæritur vtra vtris pręstent, interna, an externa. Et, vt disertius dicam, quomodo certius, solidiusq; explicanda sit Scriptura, an ab ipsamet Scriptura, quod Catholici contendunt, an vero potius ab Ecclesia quod Papistæ sibi elegerunt. Catholici enim sentiunt non posse securius, certius, verius Scripturæ interpretationem haberi quam per Scripturam ipsam. Atq; hoc Axioma sic probant.

II. Primum argumentum: Omnes controuersiæ de rebus fidei dirimi iudicarique debent à Scriptura. At omnis Scripturæ interpretatio est quædam controuersia de rebus fidei: Ergo omnis Scripturæ interpretatio dirimi iudicarique debet à Scriptura. Maior prolixe fuit disputata, demonstrataque libr. 1. Minor, nec controuertitur inter Catholicos & Papistas: nam & horum plerique hanc controuersiam de interpretatione, confundunt cum altera de Iudice controuersiarum. Et patet ipsa per se. Quia, exempli gratia: si præ manibus sit illud, *Hoc est corpus meum*, explicandum, non potes ei sensum vllum affingere, quo non fulciatur pars aliqua contendentium. Si sic intelligas, hoc transsubstantiatur in corpus Christi, Papistarum partes suscipis. Sin vero, hic panis localiter coniungitur corpori Christi, transis ad Lutheranos. Sin hoc est nudum, vacuumque signum corporis Christi, deficis ad Anabaptistas. Si denique, *Hic panis est corpus Christi*: siue, est Sacramentum corporis Christi: tum in sinum te recipis Ecclesiæ Catholicæ. Quæ igitur ratio erit diiudicandarum harum controuersiarum, eadem ostendet, confirmabitq; verum, legitimumq; sensum eorum verborum. Constat vero, eas controuersias diiudicari à Scriptura. Cur non igitur, & hunc ipsum locum ab eadem explicari?

III. Secundum argumentum: Si Scriptura est authentica, & perfecta & perspicua: Ergo est optima, certissimaque interpres sui. At prius verum: Ergo & posterius. Antecedentis partes demonstratæ nobis sunt totidem integris controuersijs. Libris enim 6. & 7. authoritatem Scripturis suam esse à seipsis euicimus: perfectionem, octauo & nono: perspicuitatem denique decimo quinto. Consequentia autem per se manifesta. Enimuero, si perfecta est Scriptura, necesse est in ea contineri, quæcunque ad fidem pertinent. At quæcunque necessaria sunt ad eius interpretationem, ea pertinent ad fidem. Ergo eadem oportet in ea contineri. Iam si perspicua est etiam, ergo quæ in ea continentur, sunt perspicua. Continentur autem in ea, quæ sunt ad eius interpretationem necessaria: Ergo hæc ipsa perspicua. Quis iam de interpretatione dubitandi locus? Sed de certitudine adhuc quærat aliquis. Consideret ergo eandem Scripturam, quæ perfecta est & perspicua, esse pręterea authenticam: vt integra sit demonstratio non tantum interpretem esse sui Scripturam, sed etiam qualibet autoritate maiorem, id est, certissimam.

IV. Tertium argumentum: Si interpretatio Scripturæ debet fieri secundum τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Ergo & secundum Scripturam: At prius verum. Ergo & posterius. Antecedens patet ex Paulo ad Romanos 12. *Habentes diuersa dona, pro gratia quæ nobis data est: siue prophetiam prophetemus*, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως *secundum proportionem fidei*, hoc est, teste Bellarmino, ca. 10. lib. 3. de Verbo Dei, prophetiam debere administrari secundum rationem fidei, ita vt nemo vaticinetur aliquid contra fidem; neque interpretetur Scripturas in aliquem sensum Catholicæ fidei contrarium: vt olim Anselmus; nihil extra regulam loquamur: assentiente Caietano, & alijs: etiam Salmerone, disputat. 2. libr. 4. in Epistolam ad Romanos, *Non est intelligendum, secundum capacitatem, & quantitatem fidei ipsius prophetæ, sed secundum generalem rationem fidei, cui annunciandæ, & elucidandæ deseruit.*

V. Nam quod interpretantur alij, iuxta proportionem fidei suæ, vt Syrus, id est, pro mensura fidei quam quisque habet, teneat etiam suæ reuelationis modum, exilius videtur. Cur non n. potius dicamus; sic τῇ προφητείᾳ Apostolum comparasse τὴν ἀναλογίαν πίστεως; vt postea τῇ διακονίᾳ τὴν διακονίαν, τῷ διδάσκοντι τὴν διδασκαλίαν, & reliqua? Nempe, vt sensus sit, sicut se minister in ministerio occupare debet; & Doctor in doctrina, sic propheta in analogia fidei. Deinde, proportionē eam fidei; quomodo intelligimus? Ordinariam-ne, an extraordinariam? Nam si hanc, quæ fit per immediatas reuelationes; aut paucis, aut nullis iampridem hoc pręceptum erit vsui: quod an quisquam asserat, libenter audierim. Sin illam, vt sit mensura reuelationis acceptæ continua Scripturarum meditatio, tum vero sciunt omnes aliquid conandum etiam supra modum illum cognitionis, quem accepimus. Sic n. quæ hactenus obscura sunt, inuestigare solemus: nec tātum apud nos, sed etiam apud alios, vt pastores apud suam plebem. Tertio, si analogia fidei, significet gradum fidei in vnoquoq;: Ergo idem est, quod prius dictum: *prout cuiq; Deus partitus est mensurā fidei*. Itaq;, quæ conditio vniuersalis est primo, postea specialiter iteratur in vno tantum membro. Quod videtur absurdum. Itaq; hic sensus lōge videtur accommodatior, vt quisq; in prophetando, id est, inquirendo arcana doctrinæ, ita laboret, vt meminerit semper proportionis fidei, id est, doctrinæ de fide.

VI. Sed probatur idem antecedens autoritate Veterum. Irenæus c. 1. libr. 1. cum hęreticos sæpe questus esset impijssime abuti multis Scripturæ locis, ad suos errores impudentissime detortis, ad extremum ὁ τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας, inquit, ἀκλινῆ ἐν ἑαυτῷ κατέχων, ὃν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε, τὰ μὲν ἐκ τῶν γραφῶν ὀνόματα, καὶ τὰς λέξεις, καὶ τὰς παραβολὰς ἐπιγνώσεται, τὴν δὲ βλάσφημον ὑπόθεσιν ταύτην οὐκ ἐπιγνώσεται. *Qui regulam veritatis immobilem apud se habet, quam per Baptismum accepit, hæc quidem quæ sunt ex Scripturis, nomina, & dictiones & parabolas cognoscet: blasphemum autem illorum argumentum nō cognoscet.*

ſcet. Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana li.3. c.2. *Cum adhibita intentio incertum eſſe prouiderit, quomodo diſtinguendum, aut quomodo pronunciandum ſit, cōſulat regulam fidei, quam de Scripturarum planiorib. locis, & Eccleſiæ autoritate percepit.* In octoginta trib. quæſtionibus, qu.64. *In omnib. Scripturis ſumma vigilantia cuſtodiri oportet, vt ſecundum fidem ſit Sacramēti expoſitio.* Tract.18. in Ioan. *Ad hanc regulam ſanam Catholicam, quam præcipue noſſe debetis, quam tenere, qui noſtis, à qua prorſus fides veſtra labi non debet, quæ nullis hominū argumentis extorquenda eſt cordi veſtro, dirigamus ea quæ intelligimus, & quæ forte non intelligimus dirigenda ad hanc regulam quandoq; differamus, cum idonei fuerimus.*

VII. Iam Conſequentia vix opus haberet illuſtratione, niſi Papiſtę regulā fidei peruerſe interpretarentur, vt comprehendat non ſcriptas traditiones. Nā Stapletonus ſic intelligit, cum c.3. li.11. de Principijs diſputat, Regulam fidei eſſe neceſſarium & germanum medium ad genuinam ſanctarum Scripturarum intelligentiam conſequendam. Sed eſſe hoc Papiſticum figmentum facile demonſtratur ex perfectione Scripturarum, de qua alias fuſe actum eſt. Controuerſia etiam prima huc facit: Nam cum certum ſit, non eſſe plures regulas fidei, ſed vnicam duntaxat: certum ſit etiam, Scripturæ hoc nomē aptū eſſe; quis non facile videt, cum diuerſæ Scripturæ, & Traditiones, non poſſe has eodem nomine inſigniri?

VIII. Præterea, ab ipſo initio Patres hanc fidei regulam docuerunt eſſe interpretandæ Scripturę normam: imo vero, qui eam regulam teneret, iam olim diſcreuiſſe hęreticorum ſomnia à Scripturę ſenſu. Quod quidē quomodo aut fieri aut dici poterat, ſi tum nondum erat integra regula? Tum autem nōdum fuiſſe integras traditiones non ſcriptas facile ſciunt, qui ſciunt eas quotidie augeri: atq; adeo poſt *Irenæum*, Auguſtinumq; multa recenter in Eccleſiam inuecta: quæ ſi neceſſaria ſunt ad hanc intelligentiam, certe, qui ea nondum inſtituta noſſe non poterant, hanc intelligentiam aſſequi non poterant: quod tamen illi contra teſtantur.

IX. Denique, qui Patres fidei regulam nominant, ijdem eam non aliunde hauriunt, quam è Scripturis. Nam Irenæus paulo poſt recitata verba, eius regulæ capita recitat, ſed nulla, niſi è diſertis Scripturis. Auguſtinus tractatu in Ioan. 18. regulā, ad quā aptari volebat locum, quem tum habebat præ manibus exponendum, expreſſit: q Pater ſit æqualis Verbo, maior carne; quod ipſum tum probat è Scriptura. Et in 3. de doctrina Chriſtiana, regulam deſignauit, quam fidelis, *de Scripturæ planioribus locis, & Eccleſiæ autoritate percepit.*

X. Quartum argumentum à praxi perpetua. Nam ſi ita factum eſt, quū legebatur Scriptura iam olim, quid habent q nunc aduerſarij excipiant? Exempla ſunt in promptu. Nehemiæ 8. *Legebant legem Dei explanate: & exponendo ſenſum dabant intelligentiam per Scripturam ipſam.* Sic n. vertit Tremellius, & quidem optime: pro eo q Vetus interpres, *& intellexerunt cum legeretur.* Hebraice במקרא. Vocari vero ab Hebræis מקרא totum Bibliorum corpus teſtis eſt Elias in Tisbi. Itaq; perfacilis ſenſus eſt intellectum Scripturæ petitum eſſe ab ipſa Scriptura.

XI. Actorum decimo ſexto Berœenſes ſcrutabantur Scripturas, an ita ſe haberent, quæ Paulus prædicabat. Hi ergo Euangelij doctrinam prædicatam à Paulo conferebant cum Scripturis, hoc eſt, interpretabantur κατὰ τὴν ἀναλογίαν. Et ob hoc ipſum factum laudantur a Luca, tanquam εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ generoſiores Theſſalonicenſibus. Quinetiam Actor.9. cum Paulus dicitur *affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus.* Græce συμβιβάζων ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός, Beza perpendens vim τοῦ συμβιβάζειν expoſuit, *collatis teſtimoniis demonſtrans.* Eſt enim τὸ συμβιβάζειν vt notant Gloſſaria, *Coago, confero.* Et ſane verbi eius pro confirmare, aut probare, vſus eſſet inſolentior, & durior; niſi à conſequenti.

XII. Sed illuſtriſſima ſunt & frequentiſſima Veterum exempla, tum diſputantium aduerſus hæreticos, tum concionantium ad plebem. Exempli gratia Athanaſius diſputans in Nicena Synodo, Arium obijcientem ex octauo prioris ad Corinthios, *Nobis vnus Deus, ex quo omnia*, vt probaret ſolum Patrem eſſe Deum, iubet pergere, atq; addere ſequentia, *Et vnus Dominus Ieſus, per quem omnia*, quæ ἀλληλουχία eſt, pars prima τῆς συγκρίσεως. Cum vero Arius excepiſſet his verbis à Paulo Ieſum conſtitui ὑπουργὸν καὶ οὐχὶ αὐτουργόν, atque hoc ipſum de ſe Chriſtum eſſe profeſſum, Ioann. 5. *Non poteſt Filius à ſemetipſo operari, niſi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.* Athanaſius primo oſtendit ad Epheſ. 5. Paulum de Chriſto loquentem dixiſſe, ἐξ οὗ τὰ πάντα, quam phraſin Arius ſoli patri tribuebat, ex illo ad Corinthios loco. Deinde, vt explicet: Iterum ex *Ioanne*; profert Ieſum eſſe σοφίαν καὶ δύναμιν τοῦ Θεοῦ, ex 1. prior. ad Corinthios; vnde concludit, Filium ergo à ſeipſo operari, primo, quia ſit σοφία; quæ μὴ ἀλλαχόθεν σοφίζεται; deinde, quia ſit δύναμις αὐτοῦ τοῦ πατρός: nā δυνατὸν ἐν δυνάμει. Et hæc ἀναλογία eſt. Hac cum non ſucceſſiſſet, Arius alia via aggreditur, & obijcit illud ſolenne, *Pater maior me eſt*, Ioan.14. Athanaſius, regerit; *Ego & pater vnū ſumus*, Ioan.10. & , *Qui videt me, videt patrem*, Ioan 14. & , *non duxit rapinam eſſe æqualem Deo*, ad Philippenſes ſecundo. His locis ad ἀπορίαν redactus Arius dixit Scripturam ſibi ipſi contradicere. Sed Athanaſius facile ſoluit diſtinctione Deitatis & humanitatis. Quam diſtinctionem ne à ſe finxiſſe videatur, extorquet ab aduerſario, collatione aliorum locorum, videlicet, quod iuiſſe, rediſſeque dicitur; & laſſitudine affectus Chriſtus: quod niſi ſecundum hominem intelligi nequeat. Illuſtriſſimum eſt τῆς ἀναλογίας exemplum. Percurrat, qui volet totam illam diſputationem.

XIII. Verbum caro factum eſt. Quod ſic ſcripſit Ioannes, quæſitum eſt inter Catholicos & Eutychianos, quomodo intelligendum: an de mutatione aliqua, an vero de aſſumptione carnis. Theodoretus hoc quicquid eſt, præclare expediuit in Atrepto. Primo confutat mutationem: hoc argumento; quia quæ mutantur, non manent quod erant prius, aliudq; acquirunt nomē: At in Chriſto Deitas manſit quod erat, & nomen ſeruauit; quod tum Scripturæ teſtantur, tum non poterat aduerſarius negare. Deinde Aſſumptionem carnis probat ex 2. ad Hebræos, *Non Angelos aſſumit, ſed ſemen Abrahæ aſſumit.* Tum collatis alijs locis euincit ſemen Abrahæ nominari à Scriptura pro tota hominis natura conſtantis ex corpore & anima: vt Eſaiæ 41. Infinita poſſunt eiuſdem generis exempla coaceruari: quæ ſuo labore pie curioſus lector facile obſeruabit.

XIV. Quintum argumentum eſto ab autoritatib. Patrum. *Irenæus* lib.4. c.63. *Secundum Scripturas expoſitio legitima, & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia.* Notentur epitheta; quib. indicatur Irenæum ſenſiſſe, non tantum legitimam eſſe expoſitionem eam, quæ fit ſecundum Scripturas, ſed etiam ſine periculo, ſine blaſphemia, id eſt, certam, ac ſecuram.

XV. Clemens Alexandrinus Stromateῶn 7. *Veritas inuenitur* ἐν τῷ διασκέψασθαι τί τῷ κυρίῳ καὶ τῷ παντοκράτορι Θεῷ τελέως οἰκεῖόν τε καὶ πρέπον κἀν τῷ βεβαιοῦν ἕκαστον τῶν ἀποδεικνυμένων κατὰ τὰς γραφάς, ἐξ αὐτῶν πάλιν τῶν ὁμοίων γραφῶν: *In diiudicando, quid Domino Omnipotentiq; Deo congruum ſit & conueniat & in confirmandis ſingulis ſecundum Scripturas demonſtratis, ex aliis rurſus ſimilib Scripturis.* Idem rurſus Catholicorum ſententiam, conſuetudinemque ſic refert, ἡμεῖς δ' ἀπ' αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες ἐκ πίστεως πειθόμεθα ἀποδεικτικῶς: quem locum ſupra deſcripſimus integrum, notatu ſane digniſſimum. Nam & Catholicorum, vt dixi, conſuetudinem refert, vnde facile quis videat, quo nomine digni ſint ij, qui hodie hanc interpretandi rationem vel aperte improbant, vel audent infirmare: Secundo eam interpretationem vim habere ſignificat, demonſtrationis, *nos*, inquit, *apodictice perſuademus*: quid igitur reliqui? certe vt multum ijs tribuamus, εἰκασμῷ conijciunt. Tertio, hæreticos reprehendit, qui vtebantur Scripturis diſſolutis, atq; à proprio contextu auulſis, hoc eſt, nulla perpetuæ ἀναλογίας habita ratione. Non & nos ſimiliter?

XVI. Origenes homilia 13. in Exodum. *Quid etiam de ære dicemus? opus eſt & ære ad tabernaculi conſtructionem. Videtur quidem æs pro fortitudine ſuſcipi & loco poni poſſe fortitudinis, & conſtantiæ, ſed nequis dicat, hoc diuinari magis eſt quam explanare vbi quod dicitur, non de Scripturarum autoritate munitur, puto ego accipi poſſe pro voce. Sed hæc neceſſario, vt de Scripturis probemus, exigitis. Audi, quod dicit Apoſtolus.* Docet hic locus, ita tū temporis inſtitutos fuiſſe Chriſtianos, vt plebs ipſa, cum concionantes audiret Doctores, non facile admitteret, quas illi expoſitiones proferebant; niſi munitas alijs locis Scripturæ. Ipſos autem Doctores, non putaſſe ſibi liberum; plebem ab hac inſtitutione deterrere; ſuum potius officium id exigere, vt ne ſibi nimium indulgere viderentur; nam id ſignificat illud *neceſſario exigitis.* Idem libro cōtra Celſum 7. *Ille duntaxat qui in Chriſto ſit ſapientiam conſequutus, eorum compagem & congruentiam ceperit, quæ occultius ſunt à Prophetis pronunciata, ſi cum ſpiritalibus contulerit ſpiritalia, & ex Scripturarum aſſuetudine comperta in his ſingula diſpoſuerit.*

XVII. Hilarius de Trinitate lib.1. *Optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potius quam imponat, & retulerit magis quam attulerit: neq; cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. Cum itaq; de reb. Dei erit ſermo, concedamus cognitionem ſui Deo, dictiſque eius pia veneratione famulemur. Idoneus n. ſibi teſtis eſt, qui niſi per ſe cognitus nō eſt.* Audiant Papiſtæ: diſcantq;, ſi poſſunt, non imponendum eſſe Scripturis ſenſum, ſed ab ijs exſpectandum: non inferendum, ſed referendum. Quid igitur illos mentis habere dicimus, qui ex Scripturis etiam ipſam Trinitatem doceri negant, niſi ſuppoſitis Conciliorum Decretis? Ijs, inquam, qui Scripturam regulandam dixerunt per Eccleſiam?

XVIII. Comparent cum his Hilarij verbis caput ex diſtinctione 37. Gratiani, Clementi Papæ inſcriptum: paulo id quidem prolixius, ſed dignū quod huc referatur. *Relatum nobis eſt, quod quidam in veſtris partibus commorantes aduerſantur ſacris doctrinis, & prout eis videtur, non ſecundum traditionem Patrum, ſed iuxta ſuum ſenſum docere videntur: multas n. quidam (vt audiuimus) veſtrarum partium ingenioſi homines ex iis, quæ legunt, veriſimilitudines capiunt. Et ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei, cum legitur, nō ſecundum propriam ingenij virtutem, vel intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſq; ſponte præſumpſerit. Sed non oportet. Non n. ſenſum extrinſecus alienum & extraneum debetis quærere, vt quoquomodo ipſum ex Scripturarum autoritate confirmetis, ſed ex ipſis Scripturis ſenſum, capere veritatis oportet. Et ideo oportet ſcientiam ab eo diſcere Scripturarum, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruat, vt & ipſe poſſit eam, quam recte ſuſceperit, competenter aſſerere. Cum enim ex diuinis Scripturis integram quiſque & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus ſtudiis, quæ forte etiam in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat: ita tamen vt vbi vera didicit, falſa & ſimulata declinet.*

XIX. Auguſtinus, cum ſæpe alias hoc ipſum & docuit, & fecit, tum diſerte libro 2. de Doctrina Chriſtiana cap.9. *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate manſueti, quærunt voluntatem Dei. Cuius operis & laboris prima obſeruatio eſt, noſſe iſtos libros, etſi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa, quæ in eis aperte poſita ſunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi, ſolertius diligentiuſque inueſtiganda ſunt: quæ quanto quiſque plura inuenerit, tanto eſt intelligentia capacior. In iis enim quæ aperte in Scriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moreſque viuendi, ſpem ſcilicet, atque charitatem. Tum vero facta quadam familiaritate cum ipſa lingua diuinarum Scripturarum in ea quæ obſcura ſunt aperienda & diſcutienda pergendum eſt, vt ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia, dubitationem de incertis auferant.*

XX. Author Commentariorum in Pſalmos, qui Hieronymo tribuuntur, cum illud *Lætentur inſulæ multæ*, ex Pſ. 98. interpretaretur, non vna inſula Iudæa, ſed multæ inſulæ lætentur, hoc eſt totus mundus, ſubijcit, *Dicat mihi aliquis: da mihi exēplum de Scripturis, vbi Iudæa ſola inſula dicta ſit*: quaſi diceret expectari ab auditorib. imo vero poſtulari, vt ſuam illam eius loci expoſitionem oſtendat hauſtam ex ipſis Scripturis. Atq; hoc ipſum, ne quis putet, non iure poſtulari, ſed magis importune, adijcit, quaſi Axioma inter Chriſtianos vulgatum ratumq;. *Omne quod loquimur, debemus affirmare de Scripturis Sanctis: in ore enim duorum & trium teſtium, ſtabit omne verbum. Non habet tantā autoritatem ſermo dicentis, quantam Domini præceptum.*

XXI. Quid? Quod etiam Papiſtæ aliquando quaſi per dilucida interualla hanc veritatem viderunt? Ioſephus à Coſta Ieſuita libr.3. de Chriſto reuelato, c. 21. *Nihil perinde Scripturam mihi videtur aperire, atque ipſa Scriptura. Itaque diligens, attenta, frequenſque lectio, tum meditatio, & collatio Scripturarum, omnium ſumma regula ad intelligendum mihi ſemper eſt viſa. Nam ex aliis Scripturis aliæ optime intelliguntur: tum phraſis ipſa & Spiritus familiaris fit: vt aſſuetis iam ſermonibus intelligentia pateat. Itaque obſcuram apertæ:*

dubiam

dubiam certa interpretatur. Salmero disputat. 10. lib. 1. super Epistolas Pauli, *Optima illa regula est ad obscuriores Pauli locos intelligendos, & explicandos: si loci similes, qui de eadem re edisserunt, inter se conferantur: nam vnus solet alterum illustrare.*

Cap. VII.

Non esse incertam Scripturæ ab ipsa Scriptura interpretationem.

I. SIc probant Catholici, veram authenticamque Scripturarum interpretationem esse penes Scripturam ipsam. At Papistæ contra. Stapletonus libri 11. capite 10. *Collatio locorum, in qua gloriantur tantopere hodie Protestantes: fallax est interpretandi medium, non adhibitis aliis mediis.* Sed argumenta sunt & pauca & leuia. Stapletonus certe tantum quatuor caussas enumerat. Quarum prima est: In ipsa collatione Scripturarum, aliquid similiter vel dissimiliter dictum videri, non tam ex rerum ipsarum similitudine, ac dissimilitudine; quam ex affectu & præiudicata sententia ipsorum conferentium. Sic Eucharistiæ verba. *Hoc est corpus meum*, Lutherus comparauit, cum, *Verbum caro factum est.* Carolostadius, cum, *Petra erat Christus*, prioris ad Corinthios 10. &, *Hoc est pactum meum*, Geneseos 17. Sacramentarij cum, *Ego sum vitis vera*, Ioannis 15. Zuinglius cum, *Caro non prodest quicquam.* Ioan. 6. Petrus Martyr cum, *Est enim Phase, id est transitus Domini*, Exodi 12. Caluinus, cum, *Et vidit Spiritum Dei descendentem tanquam columbam*, Matth. 3.

II. Secunda caussa est, quia nec eadem dictio, nec eadem phrasis vbique idem sonat, atque significat in Scripturis, sed vel diuersa, vel etiam interdum contraria. Caro, totum hominem, Geneseos sexto, *Omnis caro corrupit viam suam*: Vel vitium corrupti hominis, vt, *Caro concupiscit aduersus Spiritum*, ad Galatas 5. Vel eiusdem vitij regnum, & dominationem, *Vos non estis in carne, sed in Spiritu*; ad Romanos octauo. Vel partem naturæ humanæ, *Non omnis caro, eadem caro*, prioris ad Corinthios 15. denique carnalem sensum & intelligentiam; *Caro non prodest quicquam*, Ioannis 6. Similiter, Mundus vel Ecclesiam, vel vniuersos homines, vel hanc visibilem machinam, vel homines mundanos. Fermentum in bonam partem sumitur, Matthæi 13. in malam vero Matthæi 16. Leo, Christum significat, Apocalypseos quinto, & Diabolum, prioris Petri quinto. Serpens, in bono est, Matthæi decimo, in malo, posterioris ad Corinthios vndecimo.

III. Tertia caussa, quia multa loca sunt, quæ semel tantum in Scripturis dicta, cum alijs similibus conferri non possunt. Sic apud Paulum legimus, consepeliri Christo, crucifigi cum Christo, conuiuere, conregnare, conglorificari, baptizari in eius mortem, crucifigere corpus peccati, resurgere in nouam vitam, veterem hominem corrumpi, eundem exuere, nouum induere mortificare, & viuificare, lex membrorum, lex Spiritus, lex peccati, corpus mortis, & corpus peccati, peccatum regnare, condelectari legi Dei, aliaque quamplurima.

IV. Quarta caussa; quia omnes hæretici conferendo Scripturas diligentissime, errauerunt tamen in Scripturarum sensu turpissime, in errorem quoque miserunt perniciosissime. Arriani illud, *Pater & ego vnum sumus*, conferebant cum, *vt omnes vnum sint, sicut tu pater, in me, & ego in te.* Pelagianus, illud Apostoli de peccato Adæ, *in quo omnes peccauerunt*, ad Romanos 5. sic exposuit apud Augustinum libro 6. capite 12. contra Iulianum, vt *in quo*, significaret propter quod; vt Psalm. 119. *In quo corrigit iunior viam suam.*

V. Ex his non omnibus tantum, sed etiam singulis Stapletonus conficit collationis Scripturarum certitudinem infallibilem nullam esse. Sic facile triumphat, se ipso iudice. Sed vide hominis incogitantiam. Primum enim, satis ostendit, se hanc causam nondum attente satis apud se examinasse. Enimvero, quæ ille in primo articulo exempla profert, idipsum satis indicant: nam demptis ijs qui verba Eucharistiæ comparant cum Euangelij Ioannis initio: reliqui, quos Carolostadios, Sacramentarios, Zuinglios, Martyres, Caluinos appellat, quid habent, hac saltem in collatione diuersum? Nos sane, quos ille Papista Caluinistas appellat; etsi à Carolostadio dissentiamus, tamen reliquis calculum addimus nostrum, neque ij à nobis discrepant. Imo quicunque sano iudicio hos locos conferet, eodem pertinere comperiet. Nam *Petra erat Christus*, &, *Hoc est pactum meum, ego sum vitis vera*; *est Phase Domini, Spiritus descendens tanquam columba*, hi, inquam, loci eo referuntur, vt euincant, non tantum non insolens esse Scripturæ, vt verbum *est*, vsurpet nō ἐξηγητικῶς, siue κατὰ τὸ ῥητόν; sed etiam vt in sermone de Sacramētis, siue signis sacris, vsitatissimam habeat eādem metonymiam, quam in verbis Cœnæ defendimus: tum à signo ad rem significatam, tum contra. Illud vero, *Caro non prodest quicquam*: prodest ad infirmandum à consequenti, τὸ ῥητὸν, quod necessario infert carnalem manducationem; siue quis malit, carnalem manducādæ carnis Christi acceptionē. Atq; adeo ipse Caluinus solus his locis aut omnib. aut certe pluribus vtitur. Vide Inst. 4. 17. 21. Itaq; hæc omnia exēpla temere sunt in totidem pugnantes sententias distracta. Enimuero, inquam, cū Stapletono sint τὰ καθ' ἕκαστα tam inexplorata, quis eum credat, perspicacem ἐν τοῖς καθ' ὅλου? Ite, & magnificum aliquid exspectate, in disputatione de collatione Scripturarum; ab eo, qui ea quid sit, non magis nouit, quam cæcus colores.

VI. Secundo, quis non videt imputari Scripturæ defectus, non suos? Id est, poni non causam pro causa? Quid tum enim, si quis ex affectu, & præiudicata sententia, locos conferat, non ex rerum ipsarum similitudine? Hæccine aut Scripturæ, aut etiam legitimæ collationis culpa est? Enimuero, quis ignorat Sophistas venari τὰ φαινόμενα, ὄντα δὲ μή; Hoc est, in quolibet disputationis genere, captiones esse creberrimas? Et tamen nemo vnquam propterea ausus est in vniuersum demonstrationes tollere. Ergo non sequitur, nullam esse collationis Scripturarum certitudinem, quia Matæotheologi male singulos locos conferunt.

VII. Rursus in secunda causa: Scripturæ imputantur alieni defectus; id est, vitiosæ interpretationis. Quid tum enim, si visum est multis, oculos Domini misericordiam, ac clementiam eius; vultum autem iustitiam & iram significare, quia Psalmo 34. Propheta dixerit, *Oculi Domini super iustos, vultus autem Domini super facientes mala?* Illi certe non peccarunt, quia Scripturas contulerunt, sed peccarunt potius, quia non contulerunt. Nam si contulissent, tum eos locos, qui à Stapletono colliguntur, tum alios plurimos, facile idipsum vidissent, quod se animaduertisse Stapletonus gaudet. Certe Eucherius in formulis spiritualibus vidit, Dei tribui oculos, *pro eo quod omnia videt, & nihil eum latet, in cuius conspectu, vt ait Apostolus, nulla creatura inuisibilis est.*

VIII. Tertio non aduertit Stapletonus, ab eadem collatione Scripturarum certa peti remedia aduersus earundem caussarum incommoda. Nam vt ne discedamus ab ijs ipsis exemplis, quæ obiecit, esto, comparet sane Arius, *Ego & Pater vnum sumus*, cum *Omnes vnum sint*, vt euincant vnionem non Substantiæ, sed concordiæ. At multos alios locos Catholici conferebant, qui de concordia intelligi non poterant. Nam qui concordia tantum vnum est cum Deo, is non est Deus; nec æqualis Deo, vt Ioannes, vt Petrus, vt alij, pro quibus precatus est Christus 17. Ioannis. At hic de quo dictum est, *Ego & Pater vnum sumus*, vere Deus est, æqualis Patri. Ioannis primo: *Et sermo erat Deus*: Ad Philippens. 2. *Non duxit rapinam, parem esse cum Deo*, Ioannis 5. *Vt omnes honorent Filium, prout honorant Patrem.* Quis ex collatis his, alijsq; locis non satis videt vnum dici cum Patre Filium, longe alia vnitate, quam concordiæ?

IX. Neque hanc omisit refutandi rationem Augustinus, agens contra suum illum Iulianum, qui illud, *In quo omnes peccarunt*, detorquebat ad imitationem, vt peccatum originis eluderet. Ostendit enim prolatis alijs Scripturæ locis, nos natura esse peccatores: vt secundo ad Ephesios, *Eramus & nos natura filij iræ, sicut & cæteri.* Hieremiæ 20. *Maledictus dies ille in quo natus sum.* Iob. 3. *Pereat dies ille in quo natus sum.* Et 14. *Homo natus ex muliere, breuis vitæ, & plenus iracundiæ.* Et post. *Quis enim mundus erit à sordibus: Ne vnus quidem, etiam si vnius diei fuerit vita eius super terram.* Videat lector diligens caput integrum.

X. In secunda tertiaque causa, tantum agitur de Vocabulorum vsu, quem varium esse quis vnquam neget? At inde in vniuersum impugnari collationem non potest esse non ineptum. Primo, quia etsi varijs locis varius vsus esse possit eiusdem vocabuli; tamen eiusdem etiam vsus varij possunt esse loci, qui inter se conferri debeant, seque vicissim illustrent. Secundo, quia etsi eadem vocabula non occurrant pluribus locis sic vsurpata, tamen potest sensus idem pluribus locis occurrere, etsi alijs verbis significatus: sit autem collatio non vocabulorum tantum gratia, sed etiam, & quidem præcipue, sententiarum. Quid Analogiam dico? Nam hæc vniuersalis est, atq; vbiq; sic dominatur, vt necesse sit nullum omnino locum interpretari, non habita huius ratione; quantumuis ἐξήγησιν, & ἀλληλουχίαν, atque etiam τὴν σύγκρισιν adhibeas.

XI. Enimvero, quid tum, si Paulo phrases sunt nonnullæ peculiares? Quasi non sit id commune omnibus autoribus. Quid? vbi inuenias, Comedere carnem, & bibere sanguinem Christi, nisi apud Ioannem? vbi τὸν λόγον pro æterna Christi Deitate? vbi agnum Dei, qui tollit peccata mundi? Taceo alia plurima, in singulis autoribus sacris facile obseruanda. Sed primum hęc obscuritatis non semper causa est: Nam exempli gratia, etiam si semel tantū in tota Scriptura legimus, *Panis quem frangimus est cōmunio corporis Christi*, tamen ne Papistæ quidē contendent non posse huius loci sensum haberi. Deinde etiam tum cum obscuritatem infert, non impedit aliorum locorum collationem: minime vero omnium analogiam. Itaq; frustra laborauit Stapletonus, in his caussis colligendis.

XII. Sed n. ca. 9. idem tria argumenta obijcit alia, in hunc modum: Primum est; hæc media, alijs medijs subesse, videlicet Regulæ fidei, Praxi Ecclesiæ, Sanctorum Patrum consentienti sententiæ; ac Conciliorum definitæ interpretationi: ita vt, nec contra illa vnquam valere possint, nec nisi illis adhibitis quicquam valeant. Ratio est, quia verum vero contrarium esse non potest: itaq; si illis medijs, quæ infallibilia sunt, hæc media aduersentur, profecto vera esse non possunt.

XIII. Secundum, hæc media interna, cum omnibus hęreticis, imo etiam Iudæis & Paganis, communia sunt. Illi enim omnes conferunt locos, considerant antecedentia & consequentia, inspiciunt fontes, obseruant phrases, & similia, à vera tamen intelligentia Scripturarum quam longissime absunt.

XIV. Tertium, eadem media, studio & industria humana comparantur ideoque mere humana, & probabilia tantum, vel etiam interdum fallacia sunt.

XV. Respondeo ad primum, quod de regula fidei dicitur, facile à nobis admitti, cum nihil sit aliud præter illam Analogiam, quam sępe nominauimus; quæ quidem aliunde sumi certo non potest, quam ab ipsa Scriptura, itaque à nobis numeratur inter media interna. De reliquis, falsum sumitur. Contra enim potius verum est, praxim Ecclesiæ, Sanctorum Patrum consentientem sententiam: & Conciliorum definitionem, subesse his internis medijs. Et ratio eadem est, qua Stapletonus abutitur, nimirum, quia verum vero contrarium esse nequit. Itaque, cum constet, Scripturam esse infallibiliter veram; hæc autem media interna nitantur solo Scripturarum sensu, profecto si ijs contrariæ sunt praxis Ecclesiæ, Patrum sententia, & Conciliorum definitio, has oportet esse falsas. Quod argumentum non valet in contrariam partem: quia falsum est, siue Ecclesiæ, siue Patrum, siue Conciliorū, autoritatem nulli errori obnoxiam esse: quod Stapletonus facilius sumit, quam probat.

XVI. In secundo argumento, repetitio est quartæ causæ paulo ante allatæ: itaque responsio facilis: hæc interna media communia esse omnibus: id est, omnibus proposita, vt ijs vtantur; sed non esse communia, sic vt perinde omnes ijsdem vsos esse constet. Longe enim aliter Catholici Scripturas conferunt, quam hæretici, quam Iudæi, quam Pagani: nimirum χρῶνται ταῖς γραφαῖς, hæretici autore Clemente Alexandrino, προσφέρονται μὲν πάσαις. ἔπειτα οὐ τελείαις, οὐδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει. ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα, εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς. οὐ τὸ σημαινόμενον ἀπ' αὐτῶν σκοποῦντες, ἀλλ' αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει. Sic, sic inquam, ingenium est hæreticorum, Iudæorum, Paganorum. Catholicorum vero δὶς διὰ πάντων. Itaque, si peccant illi, cur in Scri-

pturam culpa confertur? Imo si abutuntur illi tanto thesauro, cur suis bonis priuentur Catholici?

XVII. In tertio argumento, quomodo hæc media dicat, studio, industriaque humana comparari, non facile est videre. An, quia censet nullas hîc Spiritus Sancti partes esse; magis quam cum Plato de suis ideis commentaretur; aut Aristoteles de naturalibus principijs disceptaret? Tum enim vere hæc media humana dici possent, ac probabilia, vel etiam fallacia. Sed hoc quam absurdum? Nam, vt nihil dicam aliud, & taceam non inutiles esse piorum preces ad Deum: certe ipsi loci inter se comparati, eorumque locorum sententia, sunt à Deo, non autem ab humano studio, industriave. An vero, quia ij loci multo labore inquiruntur, exercitoque ingenij acumine exigūtur? At hinc non sequitur, esse hæc media humana, & fallacia. Quid enim? Nonne eodem studio, eademq; industria Ecclesiæ praxis inuestigatur & Patrum cōsensus, & conciliorum definitiones? Nonne me oportet historiam Ecclesiasticam percurrere, vt sciam, exempli gratia, vtrum semper plebi fuerit calix interdictus, Ecclesiæ praxi? Non me oportet diligenter inter se conferre, Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Ambrosium, Basilium, Nazianzenum, Athanasium, reliquos omnes, vt certo sciam, sit-ne Imaginum vsus in Ecclesia legitimus? Deniq; non sunt tomi Conciliorum euoluendi, & Concilia singula singulis conferenda, vt appareat quo iure interdictum sit Episcopis, presbyteris, & Diaconis matrimonium? Quam mihi ergo rationem Stapletonus adferet, quæ persuadeat non esse hæc media humana, probabilia, fallacia? Aut si hanc negat consequentiam, cur eam pro necessaria profert aduersus Scripturarum collationem? Nimirum ita se res habet: Vult Deus Christianos haud esse segnes hac parte, sed *meditari in eius lege dies ac noctes*, Ps. 1. *Attendere lectioni*, 1. ad Timot. 4. sic tamen vt eos ipse doceat, non ipsi seipsos. Vere n. sic meditantes, & attendentes, discunt à Deo, non vero docentur ab homine. Itaq; hæc collatio non debuit dici humana.

XVIII. Enimvero Augustinus, quum diceret de Baptismo contra Donatistas c. 6. *Afferamus diuinam stateram de Scripturis Sanctis tāquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus*, quæ verba diligentem Scripturarum collationem significant, an credidit humanum aliquod medium se adhibere? Quin potius subnectit, *Imo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus*. Idē in Ps. 57. *Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in medium codex Dei. Audi Christum dicentem: audi veritatem loquentem*. Et iā nobis esse poterit Christus dicens, veritas loquens, non aliud, quam studium industriaq; humana? non aliud quam probabile, fallaxque medium? Denique Basil. Epist. 80. παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ἡ ψῆφος *Omnino* (inquit) *eorum calculus esto, quorum erunt dogmata consona diuinis sermonibus*. Non erat igitur Basilio fallax mediū, vt Stapletono.

CAP. VIII.

An Scriptura doceat, consensum Patrum esse regulam Interpretationis.

I. Est ergo Scripturarum σύγκρισις ratio certissima interpretandæ Scripturæ. Sed Papistæ statuunt potius Testium autoritatem. Canus Locorum lib. 7. cap. 3. *In expositione sacrarum literarum, communis omnium sanctorum veterum intelligentia, certissimum argumentum Theologo præstat, ad Theologicas assertiones corroborandas*. Stapletonus hoc per partes exsequitur fusius de Principijs lib. 11. proponens primo Ecclesiæ praxin cap. 4. *Illa via ac ratio, in Scripturis salubriter intelligendis, certa & infallibilis est: si quando in loco difficili & ambiguo, quid Ecclesia generaliter obseruet circa materiam in illius loci verbis comprehensam, diligenter attendatur: eaque loci interpretatio adhibeatur, quam praxis & obseruatio Ecclesiæ generalis approbat aut adiuuat*. Secundo Concilia: cap. 6. *Plane certissima omninoque infallibilis via ac ratio, in exponenda vel intelligenda Scriptura, est Conciliorum præscripta & decreta interpretatio*. Tertio consensum Veterum, cap. 5. *Illustris illa ratio est, tritaque admodum maiorum nostrorum vestigiis via, circa Sacras Scripturas intelligendas, vt Sanctorum Patrum, & celebrium Ecclesiæ Sanctæ doctorum, vel commentarios doctissimos consulamus, vel alia occasione relictas interpretationes adhibeamus*.

II. Ita illi: Sed nota, Consensum Veterum à Cano appellari certissimum argumentum: at à Stapletono tantum illustrem rationem. Et, vt scias, quo sensu, attende primo certis cautionibus coerceri: Primo, vt consensus sit, non cuiuscunque doctoris, sed vel omnium, vel plurimorum, secundo, vt sit eorum, quos pro doctoribus, ac patribus suscepit Ecclesia. Et tamen post ista accuratissime considerata; quid futurum putas? Eam sententiam *vel certā atque authenticam, vel admodum profecto probabilem esse non dubitemus*. Quomodo id vero? *Vt aduersam planeq; contrariam interpretationem omnem adulterinam ac notham indubitate habeamus: diuersam vero, & aliam, non autē contrariam, non ita*. Satin' discedit à Cano Stapletonus? Verum esto: & illi, si vacet, comparent inter se. Nos vtriusq; momenta rationum consideremus. Et quidem Canus pugnat Scripturis, rationibus autoritatibus: quam capitū distinctionem & nos seruabimus: collectis etiam, si quæ Stapletonus habet ꝓpria. Nam tres illas huius vias, non existimamus tanto discrimine inter se distingui; vt separatos tractatus singulæ postulent: & non possint vna eademq; opera & Stapletonus, & Canus refutari.

III. Primus locus Ecclesiastici 8. *Non te prætereat narratio seniorum: ipsi n. didicerunt à patrib. suis: quoniam ab ipsis disces intellectum & in tempore necessitatis dare responsum*. Et hunc ita nudum deserit: nulla addita explicatione, nullo consequentiæ momento.

IV. Respondeo, primo autoritatem esse apocrypham. Secundo, non excludere quæstionem. Non n. quæritur, vtrum prętereunda sit, siue pro nihilo habenda seniorum narratio, sed vtrum ea certissimum suppeditet Theologis argumentum. Nam alioquin vtilem, imo necessarium suo modo esse cōsensum Veterum, iam ipsi professi sumus cap 4.

V. Secundus locus 12. ad Romanos. *Non plus sapere, quam oportet sapere sed sapere ad sobrietatem: & vnicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei: habentes donationes secundum gratiam differentes: siue Prophetiam, secundum rationem fidei*. Exponit Canus. Secundum rationem fidei: hoc est, ne sacris literis exponendis humani acumen ingenij, aut naturæ vim rationemq; sequatur, sed eas iuxta fidem à maiorib. acceptam, & huius fidei proportionalem rationem interpretetur.

VI. Respondeo; illud de acumine ingenij, & naturæ vi ac ratione, non importune moneri. Reliqua vero οὐδὲν πρὸς ἔπος Fatemur Scripturam interpretandam iuxta proportionem fidei: Et ita diserte posuimus. Sed primo, fidem à patribus acceptam; nihil obstat quominus intelligamus, à Prophetis & Apostolis; qui veri sunt Ecclesiæ Patres: & ita res redibit ad Scripturarum collationem. Deinde etiam si patres intelligamus eos, qui fuere in Ecclesia post Apostolos ad nos vsq;: tamen nihil obstat, quominus ita interpretemur Scripturam iuxta fidem à maioribus acceptam; vt tamen consensus ille maiorum non sit certissimum, & infallibile argumentum, siue fundamētum interpretationis. Nam fides à Patribus tradi alia nulla debet, quam quæ in Scripturis continetur: Poterit ergo traditio patrum, esse tanquam index, sed interpretationis demonstratio aliunde erit petenda. Nam ipsa etiam traditio fidei, quantumvis à patribus manans, examinanda est, & exigenda ad Scripturam. Itaq; Scripturæ consensus longe certior erit hac Patrum traditione, siue hoc patrum consensu.

VII. Tertius locus, 1. ad Corinth. 14. *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri diiudicēt*. Et ne quis à reliquis temere dissentiat. *Nō est aūt*, ait, *dissensionis Deus, sed pacis*: id est, non eius, qui à consentiēdi vnitate defecerit, sed eorum, qui in consentiendi pace permanserint. Ac ne quis tandem harum rerum iudiciū ad se vnum despectis cæteris reuocaret, paulo post addit, *An à vobis verbū Dei processit, aut in vos solos peruenit?*

XVIII. Respondeo, primo ipsum Canum agnouisse argumenti infirmitatē. *Quod si* (inquit) *hoc Apostoli testimonium videbitur cuipiam ad suadendū magis, quam euincendū idoneū; cū illo nō existimarim equidē cōtentiosa disputatione certandum. Non n. vel ipsi credimus, omnia argumenta, quib. vtimur, esse palmaria*. Admittimus confessionem: Et obseruamus Papistarum in disputando ingenium: qui non certa tantum argumenta colligant, quod faciant qui veritatis indagationem sibi proponunt, sed etiam τὰ τυχόντα, vt solent Rhetores, quibus Victoria ꝓposita est solus scopus. Interim monemus hîc à nobis disputari, nō vtrum dissentiendum sit à reliquis: multo minus, vtrum temere: Sed vtrū cōsensus veterū sit summa certissimaq; ratio interpretandę Scripturæ. Potest autem, etiam quum ne latum quidē pilum disceditur à communi cōsensu, Scriptura exponi per Scripturam: & quidem certissime. Possunt, & tum quum vnus sic exponit, alij iudicare.

IX. Quartus locus 4. ad Ephes. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdā aūt Prophetas, alios vero Euangelistas; alios aūt Pastores & Doctores, ad cōsummationem Sanctorū, in opus ministerij, in ædificationē corporis Christi, vt nō simus iam paruuli fluctuantes, & circūferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astutia ad circumuentionem erroru*. Ex his verbis plane intelligitur, diuinæ prudentiæ fuisse, vt non solum Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum codices habeamus verum etiam sanctorum doctorum in illos commentaria. Hos ergo in Ecclesia Dei diuinitus per tempora & loca procuratos, quisquis in Scripturæ sensum eundem conuenientes contempserit; non hominē contemnit, sed Deum.

X. Et hoc testimonium Apostoli grauissimum appellat. Et grauissimum sane quis neget? tanto autore, in re tanta? At nihilominus Cani argumentum ex eo grauissimo testimonio futilissimum est. Quid n. inde concludit? Non esse contemnendos Sanctos Doctores in Scripturæ sensum eundem cōuenientes. Quasi id quisquam diceret. Quasi non possit Scriptura per Scripturam certissime exponi, quin statim Veteres consentientes contemnantur. Quod speramus sano in mentem venturum nemini.

XI. Postremus locus est ex Salomone, quod si diligentius expendatur, inquit, multum conferet ad eam rem, de qua disserimus, corroborandam. Pareamus monenti: & diligentius expendamus. Ecclesiastis 12. *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altū defixi: Quæ per magistrorum conciliū data sunt à pastore vno His amplius fili mi, ne requiras*. Locum audiui: exspecto vim cōsequentiæ: nec inuenio. Citat Hieronymum in eum locum. *Exceptis his verbis, quæ ab vno pastore sint data, & à concilio atque consensu probata sapientium nihil tibi vindices: maiorum sequere vestigia: ab eorum autoritate non discrepes*. Tum addit hunc vnum pastorem esse Christum: teste Ezechiele. Christum autem non ipsum per se hoc semper facere, sed per Hieremiam promisisse pastores. Deniq; verba pastorum data fuisse ab illo vnico pastore, ostendi tali tātoq; omnium consensu: quia non potuissent omnes vnum idemq; intelligere, nisi vno eodemque Christi Spiritu continerentur. Ergo nihil aliud quam magistrorum concilium licet intueri; quod ab vno veritatis Spiritu fuerit congregatum.

XII. Respondeo, vix esse quenquam tam acute logicum, qui huius argumēti partium ἀκολουθίαν possit obseruare. Veruntamen Hieronym. citatur præter mentem Hieronymi. Nam primo Hieronymus sapientes diserte definit Prophetas, & Apostolos. *Prudentes*, inquit, *tam Prophetæ sunt quam Apostoli*. Itaq; cū dixit nihil sibi vindicandum exceptis his verbis, quæ ab vno pastore sunt data, & à concilio atq; consensu prolata sapientium: nihil aliud intelligit, quam non discrepandum à Prophetis & Apostolis: id est, à Scriptura. Et hoc ipsum probatur ex ijs, quæ subiecta sunt, verbis à Cano recitatis. *Maiorum*, inquit, *sequere vestigia: ab eorum autoritate nō discrepes. Alioqui quærenti multa, infinitus librorum numerus occurret: qui te protrahat ad errorem, & legentē multa, frustra faciat laborare*. Vnde patet opponi hoc Sapientium concilium atq; consensum, lectioni infinitorum librorum. At consensus ille, quem Canus intelligit, omnium pastorum Ecclesiæ ab Apostolis ad hæc vsq; tempora, nō excludit infinitatem librorum, sed potius includit necessario. Ergo Hieronymo non venit in mentem hoc concilium Cani: nec Salomoni etiam: si idem sit Salomonis sensus, qui Hieronymi.

XIII. Præterea, etsi concedamus consensum omnium pastorum non esse nisi à Spiritu Christi: tamen nihil hoc virium habet. Quia ne duorum quidem aut trium consensus in veritate, aliunde est, quam ab eodem Spiritu. Nec tamen hunc duorum trium-ve consensum, vel Canus, vel alius quisquā admittit pro argumento certissimo, siue potius pro regula certissima interpretandæ Scripturæ. Adhæc etiamsi sit à Spiritu Sancto, tamen nō sequitur eum consensum maiorem certioremque esse consensu Scripturarum. Nam ne Petrus quidem dubitauit, suum, id est, Apostolorum sensum, cōparans cum

Scri-

Scriptura, hanc firmiorem appellare: Quanto minus nos dubitare debemus, omnium hominum consensum postponere eidem Scripturæ.

XIV. Hactenus à Cano citatæ Scripturæ: Stapletonus pro consentiente Petrum interpretatione. *En tibi*, inquit, *ex Scripturis Sacris solidam confirmationem.* Beat nos, tam sanctæ pollicitatione. Vtinam ne pro thesauro carbones. Sed hoc agamus. In corpore Ecclesiæ, tam in Scripturarum, quam mysterio rum intelligentia, alii sunt paruuli lacte nutriendi: alii grandiores solidi cibi capaces, ad Hebræos 5. Item alii carnales siue animales non percipientes ea quæ sunt Spiritus Dei: alii spirituales atque perfecti Spiritualia spiritualibus comparantes, prior. ad Corinth. 2. Item alii sobrii, sunt alii mente excedunt; posteriores ad Corinthios 5. Item alii esurientes & sitientes: alii quorum oculi fulgentes à vino, Psalmo 22. Postremo, alii pascendi vt oues, & filiifamilias alii Pastores, & prudentes patresfamilias scientes dare in tempore tritici mensuram, Lucæ duodecimo. Ergo iuxta hoc discrimen ipsas Scripturas audituris dictauit Spiritus Sanctus, vt illi ab istis veram & germanam Scripturarum intelligentiam hauriant, & accipiant. At Sancti Patres & doctores, quorum consentientem interpretationem stabilire vult Stapletonus, sunt isti. Ergo à Patribus & doctoribus illi debent accipere Scripturarum interpretationem.

XV. Atque en tibi solidam confirmationem! Atque adeo ita fere sit, vt qui hæresi mentem habent labefactam, tum magis nihil agant, quum magis serio sese fatigant. Respondeo, primo posse reprehendi locorum congeriem: qui non omnes sunt similes. Nam illi certe animales nimis importune se in hunc numerum ingerunt, quum sint alieni ab Ecclesia, vtpote quibus stulte sint Dei mysteria. Sed condonemus: & rem potius attendamus. Concedimus varios esse Christianorum in Ecclesia gradus, vt incipientium & proficientium: vt ouium & Pastorum: & firmiorum, & infirmiorum, vt imperitorum & peritorum, & si quæ sunt alia nomina. Concedimus incipientes, oues, infirmos, imperitos, debere à prouectioribus, à Pastoribus, à firmis, à peritis accipere Scripturæ intelligentiam. Nemo sanus hæc negat.

XVI. Sed primum non concludit ir quæstio: neque quia imperitiores à peritioribus debent accipere interpretationem Scripturæ, ideo peritorum consensus est, vel infallibilis, vt volebat Canus: vel hactenus saltem certus, vt nõ sit contraria vlla interpretatio admittenda, vt vult Stapletonus. Atque adeo hoc ille peccatum peccauit in disputando magnum: quod in antecedente probando multus fuit: consequentiæ rationem neglexit omnino. Ratio autem nobis certissima eius infringendæ. Quia, si qui nobis Scripturæ interpretationem tradunt, eorum adeo certa est auctoritas: Ergo non tantum omniũ: sed etiam singulorum. Itaque superflue consensum Stapletonus nominauerit. Non enim omnes tantum periti docent imperitos: sed etiam singuli: At singulorum non est ea autoritas, quæ saltem concludi possit hoc argumento: Ergo neque omnium: multo minus non omnium.

XVII. Ad hæc illudit nobis Stapletonus: siue serio, & est impostor: siue loco, & est egregius cauillator. Quid ita? Quia de cæpis interrogatus, de aliis respondet. Quum enim agitur de ratione interpretandæ Scripturæ: tum iste nos docet, vnde Scripturam iam interpretatam accipiamus. Quis non eum rideat, qui postulatus, quæ sit ratio pinsendi, coquendique panem, respondeat, pistum coctumque inueniri in taberna? Et si quis Medicinæ candidatus, à Professore quærat rationem conficiendorum medicamentorum, nihil aliud responsi auferat, quam apud Pharmacopolas inueniri iam confecta: quis sibi satisfactum putet?

XVIII. Denique thesis est vniuersalis, quæ sit optima certissimaque ratio interpretandi Scripturas: vt, si quærerem, quænam fuerit ratio, qua optime vsi sint etiam Sancti illi Patres & doctores, quos Stapletonus nobis tantopere commendat, tanquam grandiores, & spirituales, & sobrios, & turgentes vino & patresfamilias. At mirus idem Stapletonus respondet tantum de paruulis, de animalibus, de mente excedentibus, de sitientibus, de filiisfamilias: Quis ferat?

XIX. Quid amplius? Nego ab eo demonstrari, aut optimam rationem interpretandi: aut omnino rationem interpretandi. Non optimam: quia si esset optima: ergo & solidissima. At hoc falsum. Ratio quia accommodata paruulis, qui lacte opus habent, & non solido cibo: ipso teste loco ad Hebræos, quem primum citauit: imo ipso teste Stapletono, qui solidum cibum grandioribus tantum accommodat. Non esse rationem interpretandi: doceo ex Papistica doctrina. Nam Papistæ seuere istos paruulos, istas oues prohibent ab interpretanda Scriptura: qua de re iam est disputatum. Quis autem tam sit insanus, vt iis præcepta det eius rei agendæ, quam omnino agere non debent.

causam dicimus, quam obrem tam pertinaciter hoc loco Papistæ pugnent: Quia sua commenta prorsus vident ruere.

III. Secunda ratio. In his, quorum cognitio non pertinet ad populum; Ecclesiæ fides, fides maiorum est. Cum igitur è Scriptura sacra veram & sinceram intelligentiam accipere, non spectet ad plebem: Patrum certe nostrorum, in libris sacris intelligentia, Ecclesiæ intelligentia ipsissima est: Quamobrem, si sancti omnes antiqui diuinis literis intelligendis errarunt: Ecclesia dubio procul errauit: idque Deo præcipiente. Peccaret enim populus, si Scripturæ iuxta omnium sanctorum sensum expositæ repugnaret, in his præsertim quorum ad iud. cium, non plebem, sed ad maiores spectat.

IV. Sic cogor ad verbum describere huius hominis argumenta; in quibus tot sunt tantæque ambages, vt quicquam videri possit, ex quo quid sequatur. Itaque neglecta forma, necesse est me sigillatim respondere. Quid igitur Canus? E Scriptura sacra veram & sinceram intelligentiam accipere, non spectat ad plebem. Inepte. Nam primum hoc falsum est. Nam Veteres edixerunt, ne quidem apud plebem Pastoribus concionandum esse, nisi secundum Scripturas. Tum autem si lectio Scripturæ ad plebem spectat: ergo & eiusdem intelligentia, ideoque etiam interpretatio. Si ergo Canus consentit (vt videtur) in his, quorum cognitio pertinet ad populum, Ecclesiæ fidem non esse maiorum fidem: ergo & in libris sacris intelligentia Ecclesiæ, non erit patrum nostrorum intelligentia. Ac proinde totum hoc argumentum concidit. Quanquam hoc ipsum ita est perplexe dictum, vt quid sibi velit, non facile quilibet assequatur. Et quis, quæso, vnquam suspicatus est, in iis, quorum cognitio ad plebem pertinet, fidem Ecclesiæ non esse maiorum fidem? Quali plebi noua semper dogmata sint tradenda. Aut si verum contra: quæ hæc loquendi tanta perplexitas est? aut quid Cano in mentem venit, vt id limitaret, quod non erat limitandum?

V. Præterea, quorsum hoc ipsum dicitur, non spectare ad plebem sinceram & veram intelligentiam è Scripturis sacris accipere? Cur, inquam, plebis fit mentio? Nostra enim quæstio est generalis de Scripturæ interpretatione. Itaque generaliter respondendum fuit, tum de Interpretatione apud plebem tum de interpretatione inter doctos.

VI. Rursus quomodo Stapletonus Cano consentiat, non video. Nam hic sinceram, veramque intelligentiam è Scripturis videtur doctis tanquam eximiam vindicare. Et propterea asserere petendam non è Scripturis: sed ex consensu Veterum. Quare necesse est eum ponere, consensum Veterum esse doctis certam regulam interpretandi Scripturam. Atqui, c. præcedent. Stapletonus videbatur hanc relinquere paruulis nescio quibus, & animalibus, & esurientibus, & ouibus. An vero nulli horum in plebe? An hi nulli nisi docti? Canus viderit.

VII. At si Sancti omnes antiqui in intelligendis Scripturis errarunt, Ecclesia errauerit. Primum, esto, inquam: nam id terriculamenti solos moueat Papistas. Deinde hæc ipsa consequentia negatur. Nam illi, quorum consensum Canus requirit, non sunt tota Ecclesia: imo ne quidem Ecclesiæ pars centesima. At peccaret populus, si non eis obtemperaret. Errantibus, inquam, falsum, vt alias est disputatum. Tertio, quorsum hoc de veteribus errantibus? Nam si etsi concederemus non erasse: tamen ratio certissima, siue potissima interpretandæ Scripturæ non erit hic consensus. Nam eo longe certior erit, ipsa Scriptura: qua huncipsum consensum niti est necesse.

VIII. Tertia ratio. Ab omnibus sanctis, communi vnaque mente idem sentientibus non potuit verbum Dei recedere: vt haberent pro Canonica Scripturam non Canonicam. Ergo nec vera intelligentia verbi Dei potuit simul ab illis recedere. Probatur consequentia: quia vtrumque Ecclesiæ promissum est: nempe & Spiritus, & Verbum. At si vtrumlibet omnibus sanctis doctoribus defuisset: Ecclesiæ quoque defuisset. Probatur antecedens ex aliis fidei dogmatibus: in quibus sanctos simul omnes non posse deficere, certum est.

IX. Respondeo, reipsa idem argumentum esse cum proximo: Itaque eodem modo soluendum. Etsi non recesserit ab omnibus pastoribus verbum Dei: tamen consensum Pastorum non esse certissimam regulam interpretandæ Scripturæ: quod nunc in quæstionem venit: nec concluditur à Cano. Deinde nullum exemplum proferri poterit vllius loci, in quo explicando, contra quam exigit ipsa Scriptura, omnes Sancti consenserint.

X. Atque hactenus Canus. Iam Stapletoni erit Ratio quarta, c. 5. lib. 11. ds Principiis. Illud in præsenti causa singulare est, inquit, vt cum in omnibus disciplinis locum habeat axioma illud non politicum, sed naturale, vt vnicuique in sua arte credatur: nec vlla sit adeo obscuri nominis scientia, quæ non habeat præter artis suæ principia notissima, etiam Magistros ac professores ad ipsa principia explicanda, & ad varias inde conclusiones, ac veritates eliciendas ac deducendas: necessarium quoque sit in schola fidei, certos habere magistros ac præceptores, qui fidei nostræ librum, quasique principia, sacras videlicet Scripturas, maxime cum sint obscuræ, & intellectu per quam difficiles, nobis elucident atque exponant. fideique dogmata, ac sensus in re dubia, ex illis deducant. Probatur ex Augustino de vtilitate credendi, c. 7. qui Honorato Manichæo dicenti de Scripturis, *Cum legerem per me ipse cognoui*: respondit, *Itane est? Nulla imbutus poetica disciplina. Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes: Asper, Cornutus, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, vt quilibet poeta possit intelligi. Tu in libros sanctos, diuinarumque rerum plenos, sine duce irruis: & de his sine præceptore audes ferre sententiam? Quareres aliquem pium simul & doctum, vel qui talis esse multis consentientibus diceretur: cuius & præceptis melior, & doctrina peritior fieres.*

XI. Respondeo ista omnia ad dirimendam præsentem controuersiam nullius esse momenti. Nam primo illud, Perito in sua arte credendum: intelligi debere ad imperitos pertinere, de quibus Aristoteles, δεῖ τ μανθάνοντα πιστεύειν. Nam periti ipsi inter se libere dissentiunt nulla habita cuiusquam autoritatis ratione: vnde illud etiam Aristotelis libere à suo magistro discedentis, *Amicus Plato, amicus Socrates: sed magis amica veritas.* At hæc controuersia de eo est, non vnde imperiti, qualis erat ille Honoratus, sumere debeant Scripturæ intelligentiam: sed etiam, & quidem multo magis, quæ sit regula certissima, ad quam ipsi docti, imo vero ipsi doctissimi, exigere debeant suas Scripturæ interpretationes. Itaque nos etiam facile concedimus, in Ecclesia debere esse magistros, qui plebem doceant, quomodo intelligenda sit Scriptura. Imo nos ipsi habemus. Nam quid sunt aliud ipsi Pastores, & doctores? Sed negamus tamen eorum, siue singulorum autoritatem, siue omnium consensum, esse regulam interpretationis.

CAP. IX.

An ratio euincat consensum Patrum esse regulam Interpretationis.

I. CAni prima ratio: Qui nouam hanc exponendi sacras literas suscitant rationem: nimirum ex ipsa Scriptura: hi & maiorum obterunt laudes, & vanis hominibus, imo hæreticis exemplo sunt, vt nouis falsisque commentis, sacrarum literarum vera sensa contaminent. Quod si semel admissa fuerit hæc licentia, horrendum dictu, quantum abolendæ religionis periculum consequatur.

II. Respondeo nihil hic rationis esse: sed plurimum conuitii. Nouam appellat rationem, quæ re vera antiquissima est: quamque & Christus vsurpauit: & Apostoli obseruarunt: & Patres professi sunt. Obteri autem laudes veterum dicit: non probat: itaque est ineptum. Quanquam fidenter dico, si non posset aliter, præstare tamen, vt omnium hominum laudes conculcarentur, quam hæc ratio interpretandæ Scripturæ per Scripturam aboleretur. Sed ab vtroque præcipitio facilis est Catholicorum declinatio. Nam, neque illi contemnunt eos omnes in quibus aliquid minus probant: neque vero vllus locus Scripturæ occurret, in quo contra Scripturam interpretando omnes Patres consenserint. Ansam præberi nouis falsisque commentis, commentum est impudens. Imo contra certissimum, nullam esse rationem, qua obuiam eatur quibuslibet commentis, siue nouis, siue veteribus: si hæc ratio interpretandi per Scripturam ab Ecclesia exulet. Atque adeo hanc solam esse

Cap. X.

An Patres doceant interpretationis regulam esse consensum Veterum.

I. SVpersunt Veteres: quorum testimonia Canus: Stapletonus colligit. Clemens Romanus eius nominis primus, Epistola 5. & refertur à Gratiano dist. 37. *Relatum est quosdam docere, non secundum traditionem Patrum, sed iuxta sensum suum. Multas enim ex his quæ legunt, secundum ingenium veri similitudines capiunt. Ideo diligenter obseruandum est, vt lex Dei non secundum propriam intelligentiam doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem quisque sponte præsumpsit. Quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleritis, alienum, & extraneum debetis quærere: sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere Scripturarum, qui eam à maioribus, secundum veritatem sibi traditam seruat: vt & ipse possit ea, quæ recte suscepit, cõpetenter asserere.*

II. Respondeo: primo non esse huius Epistolæ magnam autoritatem: tum quia sit spuria, vel hoc argumento, quod se autor oculatum testem dicat historiæ de Anania & Sapphira, quæ in Actis legitur: *Omnes*, inquit, *qui domos vel agros possidebant, vendebant eos, & pretia eorum, & reliquas res, quas habebant, afferebant, ponentes ante pedes Apostolorum, sicut nobiscum quidam vestrũ cognouerunt, & viderunt: & diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Ananias autem vir austerus, & Sapphira vxor eius, qui mentiti sunt Apostolis de pretio agrorum suorum, quos vendiderant, nobis præsentibus, in conspectu omnium circumstantium, à conspectu Apostolorum propter peccatum eorum, & mendaciũ, quod fecerunt, mortui delati sunt ambo.* Atqui huic rei gestæ nõ potuit præsens esse Clemens. Refertur enim ad annum trigesimum quartum Christi: id est, primum post eius mortem. At Clemens Petrum primum vidisse dicitur in Recognitionibus annos plus minus septem ab eadem morte. Sed alterum est in hac ipsa Epistola, quod non possit sine horrore legi à Christianis. *Communia debere esse amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio & coniuges.*

III. Hæc de autore. Locus ipse nihil habet, quo exultet Canus. Quid n. Reprehendit eos qui non secundum traditionẽ Patrũ, sed iuxta sensum suum interpretantur Scripturas: & asserit ab eo Scripturæ intelligentiam accipiendam, qui eam à maioribus acceperit. Intelligo: nec sane contradico. Nõ n. hoc disputo, vtrum nullo doctore quisquam vti debeat ad Scripturæ interpretandæ rationem assequendam. Sed hoc, vtrũ ea doctorum autoritas summa sit regula interpretationis: an potius ii doctores debeant me docere, quomodo ex Scriptura Scripturam possim interpretari. Illud Clemens iste nõ docet: hoc vero adstruit manifeste: tum iis verbis, quæ sunt à Cano recitata: tũ aliis quæ sunt omissa. Nam quorsum illud referas, quod negat adferendum sensum alienum, & extraneum? id est, extrinsecus? Nam hoc absque vllo dubio docet sensum Scripturæ debere esse intrinsecũ, & propriũ: h. e. ab ipsa Scriptura. Itaq; diserte: *Ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.* Sed omisit Canus, quæ statim sequuntur: *Quum enim ex diuinis Scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid ẽt ex eruditione ac liberalibus studiis, ad assertionem veri dogmatis conferat.* Audin' regulam veritatis ex Scripturis? Audin' à doctoribus debere me intelligentiam Scripturæ petere, vt, postquam ex ea Scriptura regulam veritatis habuero, secure possim ẽt seculari eruditione vti? Ergo hoc agat doctorum diligentia, vt discipulos doceat ex Scripturis regulam veritatis: non vero suam propriam autoritatem proponat regulam veritatis.

IV. Dionysius Hierarchiæ cœlestis c. 1. *Ad sanctissimarum Scripturarum intelligentias, prout illas à Patribus accepimus contuendas, pro viribus pergamus.* Irenæus lib. 4. c. 63. expositionem legitimam Scripturarum per traditionem maiorum accipiendam.

V. Respondeo, in Dionysio non esse magnũ momentũ: tũ quia autor sit suspectæ fidei: tum vero, quia nihil habet, quod vrgere possit Canus. Et primo ne forte abutatur ambiguitate interpretis: existimetque à Dionysio dictum: pergamus ad contuendas intelligentias, sicut illas à Patribus accepimus: modo Græce legi: ἐπὶ τὰς τῶν ἱερωτάτων λογίων πατροπαραδότους ἐλλάμψεις, ὡς ἐφικτὸν, ἀνανεύσωμεν. *Conuertamus oculos ad diuinorum oraculorũ illustrationes à Patribus traditas.* Nemo a. non videt aliud longe quiddam esse, considerare illustrationes Scripturarum à Patribus traditas: quam Scripturas non aliter interpretari quam ex consensu Patrum. Adde ἐλλάμψεις, Illustrationes non significare interpretationes Scripturæ: sed ipsas potius illustrationes à Scriptura: nimirum quia in eum finem datæ sint Scripturæ, vt illustrent animas hominũ. Quare τῶν ἱερωτάτων λογίων ἐλλάμψεις, significabunt ipsas Scripturas, Ecclesiæ traditas à Patribus, nimirũ Prophetis & Apostolis. Ergo hic locus nihil ad rem.

VI. In Irenæo maior est Cani ἀσέλγεια. Recito, quod Canus noluit. *Agnitio vera* (alludit ad Gnosticos, quorum nomen erat ἀπὸ τῆς γνώσεως) *est Apostolorũ doctrina: & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo*: Et paulo post: *Quæ peruenit vsq; ad nos, custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque additamentũ, neque ablationem recipiens: & lectio sine falsatione, & secũdum Scripturas expositio legitima, & diligens.* Vbi quũ nihil occurrat eorũ, quæ Canus dixit, Expositionem legitimam Scripturarũ per traditionẽ maiorũ accipiẽdã, tũ vero illud diserte pro nobis lego, *Secũdũ Scripturas expositio legitima.*

VII. Addit Epiphaniũ hæresi 61. quæ est Apostolicorũ: *Scripturæ speculatione indigent, ad cognoscendũ vniuscuiusque argumenti vim & facultatẽ. Oportet a. & traditione vti: non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt.*

VIII. Imo, inquam, nihil insulsius Cano. Quî n. potest hic locus pertinere ad interpretationẽ Scripturæ ex consensu Veterũ? Hoc ergo libens discam. Traditionẽ appellat, inquit Canus, intelligentiam & sensum à Patribus acceptum. Itane? Et tam solertem se Episcopus exhibet in intelligendis Veterũ scriptis? Imo falsum, ab Irenæo intelligi per traditionẽ, intelligentiã, sensumue Scripturæ à Patribus acceptũ. Nã ipse contra loquitur: *Non omnia*, inquit, *à diuina Scriptura accipi possunt.* Et ideo oportet ẽt traditione vti. Nimirũ Traditio est eorũ, quæ è Scripturis haberi non possunt. Non est ergo sensus Scripturæ non est intelligentia Scripturæ. Itaque distincte: Scriptura δεῖται θεωρίας δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι. Audis duos modos diuersos, atq; discretos: θεωρίαν Scripturæ: & παράδοσιν eorum, quæ non sunt in Scriptura. At certe interpretatio est θεωρία Scripturæ: non igitur παράδοσις. Nam & interpretari Scripturam nemo vnquam dixit eum, qui vestigat ea, quæ in Scriptura haberi non possunt.

IX. Clemens Alexandrinus Stromateωn 7. qui aduersus Ecclesiasticã traditionem Scripturas interpretantur, hos regulam veritatis amisisse affirmat: Et postea: *Gloriæ tenentur desiderio* (inquit nimirũ hæretici) *qui ea quæ ex sua natura conueniunt sermonibus diuinitus inspiratis tradita, à beatis Apostolis, & magistris, sua sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt per alias traditiones, humanis doctrinis resistentes diuinæ traditioni. Nam inter eos viros qui tanti erant in Ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendũ à Marcione, Prodico, & similibus, qui non sunt ingressi recta via? Neque enim eos qui præcesserunt, superare poterant sapientia, vt aliquid adinuenirent iis, quæ ab illis vere dicta sunt. Sed bene cum eis actum esset, si scire potuissent ea, quæ prius sunt tradita.*

X. Atqui primum non lego in Clemente illud, eos qui aduersus Ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amisisse. Sed lego, *Nos nullo modo conuenit transilire regulam Ecclesiasticam.* Item: *Necesse est labi in maximis eos, qui res magnas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint.* Hæc, inquam, lego: illa Cani non lego. Et tamen hæc ipsa quorsum? Nam primo, Ecclesiasticam regulam esse ipsam fidei Analogiam, quæ non est nisi à Scripturis, certum. Itaque Scripturas non propterea quis Ecclesiasticam traditionem interpretatur, quia non agnoscit consensum Veterum esse summam certissimamque interpretandi regulam.

XI. In reliquis, mitto Gentiani παρερμηνείαν: illud dico Canum nõ attendisse quid Clemens dicat, aut quorsum. Primo enim Clemens de iis agit, qui corrumpunt vltro ea quæ diuinitus tradita sunt, ἀνθρωπείαις διδασκαλίαις ἀνθιστάμενοι θείᾳ παραδόσει, *humanis doctrinis resistentes diuinæ traditioni.* Vbi nec diuina traditio significat consensum Veterum: sed Scripturam: nec humanæ doctrinæ significant interpretationem Scripturæ per Scripturam: sed quiduis aliud potius. Secundo, contra eos disserit ex professo, qui negligunt ex Scripturis demonstrationes petere veritatis. *Sunt socordes* (aiebat præcedẽdo) *qui cũ liceat τὰς οἰκείας ταῖς θείαις γραφαῖς ἐξ αὐτῶν τῶν γραφῶν πορίζεσθαι ἀποδείξεις, cõuenientes diuinis Scripturis ex ipsis Scripturis petere demonstrationes: id omnino non faciunt.* Quanto hæc spatio distant à Cano? distant ab eo qui indignatur Scripturæ interpretationem peti ab ipsa Scriptura?

XII. Origenes tract. 29. in Matthæũ. *Quoties hæretici Canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit: videntur dicere, Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Ambrosius 7. c. 3. de fide ad Gratianum: *Seruemus præcepta maiorum: nec hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum à confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum?*

XIII. At ego rursus meum illud, quorsum ista? Adeo mihi somniculosus iste videtur identidem obliuisci quæstionis. Nam etsi non sit recedendum ab Ecclesiastica traditione, id est, ab ea, quam per successionem nobis Ecclesiæ tradiderunt: tamen non sequitur hanc consensus doctorum autoritatem esse summam, certissimamue interpretandi regulam. Et quoties, quæso, oportebit me repetere nunquam proferri posse exemplum vllius Scripturæ interpretatæ contra Scripturam: sic vt ea intelligentia per successionem tradita sit ab Ecclesiis: Inueniri fateor multas, quarum interpretationẽ alienam diu obtinuisse, & apud multos obtinuisse, non erit difficile probare: sed has interpretationes si quis diligentius speculetur, inueniet, neque ab omnibus probari, neque esse ab initio. Quin etiam, quia traditio Ecclesiastica, necessario est ab initio: Sunt autem ab initio Scripturæ: Necessario quicunque interpretabitur Scripturas iuxta Ecclesiasticam traditionem, is etiam interpretabitur iuxta Scripturas. Atque ita hæc cautio erit saluberrima contra hæreses, vt voluerunt Origenes, & Ambrosius.

XIV. Hieronymus ad Euagrium. *Reuolui Veterum libros: vt viderem, quid singuli dicerent: vt tibi quasi de multorum consilio responderem. Et deprehendi, horum omnium opiniones ad vnum computum peruenisse, vt dicerent Melchisedec hominem fuisse Chananæum.* Et post multa: *Habes quæ audierim, quæ legerim de Melchisedec. Meũ fuit recitare testes tuum sit de fide testiũ iudicare. Quod si omnes repuleris: tuum certe illum spiritualem interpretem non recipies, qui tanto supercilio & autoritate Melchisedec Spiritum Sanctum pronunciauit.* Etiã Danielis 12. *Scripturæ sanctæ intelligentiam, absque Dei gratia & doctrina maiorum, sibi imperitissimi vel maxime vendicant.* Et epistola ad Paulinum multis testimoniis exemplisque & rationibus elegantissime docet, neminem in Scripturis sacris sine præuio & monstrante semitam posse ingredi.

XV. Et hinc licet animaduertere Cani oscitantiam; vt nihil amplius dicam. Hieronymus interrogatus quid esset censendum de Melchisedec, reuoluit Veterum libros. Quid ergo? certissimam-ne putauit regulam interpretandæ Scripturæ consensum doctorum? Imo tu mihi vide, non consensum, sed variantes sententias: quum alii dicerent esse Angelum: alii hominem Chananæum: alii Sem. Nam quæ verba Canus recitat, *horum omnium opiniones ad vnum computum peruenisse:* ea dicuntur de iis tantum qui Chananæum asserebant: non autem de omnibus libris: vt videri voluit Canus. Secundo, obserua inter eos libros, etiam Iudæos nominari: cum tamen Canus velit duntaxat Ecclesiæ doctorum. Tertio nota deferri Euagrio iudicium. *Tuum sit*, inquit, *de fide testium iudicare.* Et sic quisquam dicat de regula certissima?

XVI. Secundũ locũ in cõmentariis ad 12. c. Danielis, non lego. Sed tantũ. *Si Propheta audiuit, & nõ intellexit, quid facient hi qui signatũ librũ, & vsque ad tempus consummationis multis obscuritatibus inuolutũ, præsumptione mentis edisserunt?* Quæ sunt ab hac cõtrouersia remota. Nõ posse a. ingredi quẽquã in Scripturã absque præuio, & monstrante viã, quod est in Epistola ad Paulinum, nihilo magis fauet Cano. Nã & is qui mõstrat viã, esse potest quilibet doctor: nõ a. omnes simul: & interpretari ex Scriptura Scripturã, nõ necessario remouet monstrantẽ viam. Imo hic debet suũ discipulũ docere, quomodo per Scripturã Scriptura intelligatur. Nec alia mens Augustini ad Honoratum de vtilitate credendi.

XVII. Stapletonus exẽpla colligit Scripturæ interpretatæ primo, ex vsu Ecclesiæ: secundo ex consensu doctorũ: tertio ex autoritate Conciliorũ. Sic nẽpe Augustinũ, negare illa de peccato originali, quæ ad Roman. 5. aliter potuisse intelligi ab Episcopis Palæstinis, *propter Catholicã fidẽ, quæ vbiq; paruulos exorcizando, & exsufflando de potestate eruit tenebrarũ*: lib. 1. cõtra Iulianũ. Et Epist. 105. & lib. 3. de Peccatorũ meritis, & Remissione c. 13. Et lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia c. 20. Itẽ lib. 3. cõtra Parmenianũ c. 2. duos locos, *Cũ eiusmodi nec cibũ sumere*: 1. ad Cor. 5. *Quod apponitur manducate*, eiusdẽ 10. cõciliaturus. *Non aliquid nouũ aut insolitũ dicã, sed quod sanitas obseruat Ecclesiæ.* Ambrosius lib. 3. de Fide c. 7. Substantiæ interpretationẽ tuetur ex autoritate præcedẽtiũ Patrum.

Patrum. Trullanus Canon 19. *Si ad Scripturā pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eā aliter interpretētur Ecclesiæ præsides, quam quomodo Ecclesiæ luminaria, & doctores suis scriptis exposuerunt* Athanasius, Epistola de Synodis; *Scripturis illis quæ Christi diuinitatem docebant, diligenter collectis & liquidius explicatis, Filium Patri consubstantialē, Episcopi in Nicæna Synodo declararunt.* Inde illud conditum: *Ex substantia Patris genitum, non factum, consubstantialem Patri:* fuit variarum Scripturarum interpretatio, quæ iam de fide est: nec minus certa & irrefragabilis quam ipsa Scriptura.

XVIII. Hæc Stapletonus, & quidem latius, ac maiori pompa. Nam quem admodum, quibus paucæ merces sunt, in proponendis arte quadā vtuntur, vt & plures appareant: & pretiosiores: sic iste, in paucis aliquot exemplis, tribus capitibus multus est. Respōdeo, primo hæc exēpla nihil concludere: non n. sequitur, Veteres aliquando hac ratione vsi sunt, ergo ea est certissima. Nos n. possumus colligere infinita exēpla interpretatæ Scripturæ, ex ipsa Scriptura: quid igitur Stapletonus diceret, si ex nuda exēplorū enumeratione cōcluderemus, ea ratione esse certissimā? Quod quidē facere possimus longe potiori iure: quia nō aliquando, sed tā sæpe ea apud Patres occurrit ratio, vt nō temere dixerimus semper occurrere. Quū cōtra ausim asserere à Stapletono, aut omnia: aut omnibus paulo pauciora collecta, quæ sibi cōmoda putauit. Porro, quis nescit in Controuersiis disputandis, omne genus argumentorū colligi? Nō tantū firmissimorū, ex quibus demostrationes fiant: sed ēt cōiecturarum, ex quibus probabiles cōsequētiæ? Discant à se ipsis saltē Papistæ: qui nō Scripturas, non Patres, non Concilia, non praxim Ecclesiæ colligunt tantum, sed ēt Iudæos, Turcas, ipsos Diabolos, cum est commodum, non omittunt.

XIX. Iam vero, vel vnus Athanasius debuerat Stapletonū docere, ipsam autoritatē Synodi, quantacunq; est in interpretandis Scripturis, niti hac ipsa ratione, quā nos defendimus, nēpe à cōparatione Scripturarū. Mentiar, si non euincā, ex ipso loco qui indicatur à Stapletono. Quæstio erat: quomodo intelligendū esset, Filiū esse à Patre. Catholici asserebāt secundū essentiā: Ariani negabant. Definiit Synodus Nicæna, in Catholicorum partem. Sed quomodo definiit? οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες συναγαγόντες ἐκ τῶν γραφῶν τὴν διάνοιαν, λευκότερον γεγράφασιν, εἰρήκασι τὸ ὁμοούσιον, *Nicæni Patres, colligentes ex Scripturis sensum, dilucidius scribentes dixerunt* τὸ ὁμοούσιον. En tibi non in Scripturis collectam sententiam: ita enim est Græce: non quemadmodum ex Nannii versione citat Stapletonus. Et hoc ipsum illustrat Epistola ad Aphricanos. Quum Ariani luderent in verbis: & filiū fateri simularent esse virtutem, & Sapientiā Patris, malo tamen quodā sensu: *Episcopi intellecta eorū fraude* συνήγαγον ἐκ τῶν γραφῶν, *collegerunt è Scripturis,* τὸ ἀπαύγασμα, τήν τε πηγὴν, καὶ τὸν ποταμὸν, καὶ τὸν χαρακτῆρα πρὸς τὴν ὑπόστασιν, καὶ τὸ ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς. καὶ τὸ, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Hæc omnia cum è Scripturis collegissent: tum vero: λελευκότερον λοιπὸν καὶ συντόμως ἔγραψαν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν *deinceps disertius, breuiusque scripsere consubstantialem Patri Filium.* Τὰ γὰρ προειρημένα πάντα ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν. *Nam superiora omnia hanc habent significationem.* Quid disertius? Aut quid vlterius expectamus, vt pronunciemus, Patribus Nicænis fuisse interpretationē ex Scripturis, certissimum telum, quo sint Ariani confossi, contra quam voluit Stapletonus? Quid amplius? Esto vero sane autoritas Nicænæ Synodi magna: & quod Stapletonus notat, esto iam de fide interpretatio eius Synodi: dum eandem constet esse ex ipsis Scripturis.

CAP. XI.

Non esse consensum Patrum regulam interpretandi.

I. Si consensus Veterum esset certissima interpretandæ Scripturæ regula: ergo nunquā reprehenderetur: Manifesta cōsequentia per se ipsam. Ad cōsequēs quod attinet: cōstat reprehēsum fuisse consensum Veterū in Scriptura interpretāda. Patet ex 5. Matt *Audistis quia dictū est Antiquis: Nō occides: qui a. occiderit, reus erit iudicio. Ego a. dico vobis: Iterū audistis, quia dictū est Antiquis: Nō peierabis: reddes a. Domino iuramenta tua. Ego a. dico vobis.* Vbi manifestum est corrigi à Domino nostro Veterū legis doctorū interpretationes legis, i. e. Scripturæ. Franciscus Lucas, *Antiquis, i. e. priscis Patribus, qui legē ipsam à Deo per Mosen acceperāt.* Et post: *Non Mosi, aut legi se opponit: multo minus legis autori: sed legis explanatoribus Scribis. Nō n. solū dixerat: Dictū est antiquis: Sed audistis, quia dictū est. In quā sententiā D. Thomæ prima secundæ quæstione* 107. *art. 2. dicit quod præcepta ista, Nō occides, &, Nō mœchaberis, aliaq; Saluator impleuerit, exprimendo verū legis intellectū, quem Scribæ & Pharisæi nō fuerint assequuti.* Itē paulo post *Pergit Christus in legis declaratione: & proximum præceptum suo sensui restituit.*

II. Similis locus Marc. 7. *Bene irritū facitis præceptū Dei, vt traditionē vestrā seruetis. Moyses n. dixit: Honora Patrē tuū: & matrē tuā, &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos a. dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Corbā: quod est donū, quodcunque ex me tibi profuerit & vltra nō dimittitis eū quicquā facere patri aut matri.* Franc. Lucas in Matth. 15. *Exemplo vno in mediū allato, declarat ipsos, dū traditioni pertinacius adhærēt, Dei trāsgredi mādatū.*

III. Si Consensus Veterū esset interpretandæ Scripturæ ratio certissima: Ergo de eo nunquam quicquam hæreticis concedere debuerunt Catholici. Atqui de eo concesserunt hæreticis Catholici. Ergo non est certissima interpretandæ Scripturæ ratio. Consequentia patet: quia si ratio est certissima, ergo est fundamentum. At remoto fundamento, quid aliud sequitur, nisi ædificii ruina? Saltem hoc concedi necesse est, interpretationem aliunde petitam, quam ab interpretandi ratione certissima, fore tantū probabilem. Itaque Veteres sic disputantes cum hæreticis disputasse non necessario, sed probabiliter tantū, quod est absurdum: certe valde indignum tantis viris. Σφάλλεσθαι γὰρ ἀνάγκη μέγιστα τοὺς μεγίστοις ἐγχειροῦντας πράγμασιν, ἢν μὴ τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας παρ' αὐτῆς λαβόντες ἔχωσι τῆς ἀληθείας. *Periculose enim falli necesse est, eos, qui magnis rebus manuū admouent, nisi ab ipsa habeant veritate veritatis regulam.* Verba sunt Clementis Stromatωn septimo.

IV. Probatur assumptū. Basilius Epistola 80. quæ est ad Eustathiū medicū ἐνομίζομεν δίκαιον εἶναι τὴν παρ' αὐτοῖς ἐπικρατοῦσαν συνήθειαν, νόμον καὶ κανόνα τοῦ ὀρθοῦ ποιεῖσθαι λόγου, εἰ γὰρ ἰσχυρὰ ἐστὶν εἰς ἀπόδειξιν ὀρθότητος ἡ συνήθεια, ἔξεστι καὶ ἡμῖν πάντως ἀντιπροτείνειν ἐκείνοις. Locus est Græce leuiter luxatus. Sensus tamen facilis. *Non censemus æquū esse, vt quæ apud illos inualuit consuetudo, ea sit lex & regula recti sermonis. Si enim valida est ad rectitudinis demonstrationē cōsuetudo licet & nobis illos imitari.* οὐκοῦν ἡμῖν ἡ θεόπνευστος διαιτησάτω γραφή. *Quare iudicet nos diuina Scriptura.* Manifestus locus est. Gemina erat consuetudo: alia eorum qui nollent dici tres hypostases: alia Catholicorum. Illi suam libenter opposuissent Basilio. Illis Basilius suam, id est, Catholicorum poterat reponere, vt par pari faceret: At Basilius sua consuetudine cedit, imo negat suā cōsuetudinē debere poni pro regula disputationis: ideoq; prouocat ad Scripturas.

V. Augustinus haud longe aliter. *Neque ego Nicænum; nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium, Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed vtriusque communibus testibus, res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione decertet.* Hæc ille, contra Maximinum lib. 3. c. 14. Et erat tamen Concilium non promiscuum quodlibet: sed Nicænum, iam lōgo vsu stabilitum, magno consensu firmatum. Concilium vniuersale: deniq; cuius interpretationem Stapletonus dixit esse de fide. Et discedit tamen Augustinus ab huius Concilii autoritate: qui tamen nunquā discessit ab autoritate Scripturæ: siue cum Catholicis ageret: siue contra hæreticos disputaret. Nunquam ille cessit, inquam Scripturarum autoritate: *Et cessit tamen Conciliorum.* Prudentes facile possunt caussam discernere.

VI. Si consensus Veterum esset interpretandæ Scripturæ ratio certissima: Ergo non tantum aduersaria illis, planeque contraria interpretatio esset adulterina ac notha, sed etiam diuersa. At posterius falsum. Ergo & prius. Probatur assumptum authoritate ipsius Stapletoni, c. 5. vndecimi de Principiis. *Consentientem & receptam, vel omnium, vel plurimorum sanctorum Patrum atque Doctorum interpretationē, ita vel certam atque authenticam, vel admodum profecto probabilem esse non dubitemus, vt aduersam, planeque contrariam, ac nothā indubitate habeamus: diuersam a. & aliam non autem contrariam, non ita.* Cōsequentia vero probatur, quia Scripturæ vnius est sensus vere literalis: vt disputatum initio libri præcedentis. Quare si ille consensus exhiberet veram sententiā: exhiberet vnicā. Reliqui igitur sensus nō essent veri sensus eius loci.

VII. Sed excipiet Stapletonus, se loqui tantum de Consensu Doctorum: non autem de praxi vniuersalis Ecclesiæ: aut Conciliorum decretis. Nā hanc vtramque regulam se asserere authenticam in omnem partem. At ego respondeo, inconsiderate Stapletonum distinxisse: vel separasse potius: quia ratio ipsa, quam adfert, generalis esset, si esset vera. Quod enim non sit reiicienda interpretatio diuersa, at non contraria consensui Veterum, ille hanc caussam reddidit, pluralitatē sensuum. *Cuius sane rei causa est,* inquit, *quod plures sensus diuersos S. Scripturæ fœcunditas patitur.*

VIII. Adde argumentis iam enumeratis, aduersariorum confessionem. Tam enim certum esse hanc regulam infirmam, vt ab ipsis aduersariis subinde negligatur, imo reiiciatur. Nam Scripturæ locos ipsi plurimos interpretantur aliter quam ferat consensus Veterum. Quod ego exemplis plurimis docere possum. Quædam colligam: speciminis caussa. Curiosus lector reliqua obseruabit. Sic Gregorius de Valentia Petri locum, *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione nō fit:* interpretatur, nemini cōstare sensum Scripturæ ex collatione Scripturarum. Qua de re actum est capite 10. lib. 1. huius tomi. Stapletonus illud Pauli ad Ephesios 2 *superstructi fundamento Apostolorum & Prophetarum.* intelligi vult de Prophetis Noui Testamenti non Veteris: qua de re actū c. 8. lib. 6. huius tomi. Idem ex tribus testimoniis, quæ pro se Christus profert Ioannis 5. duo tantum facit & illud *Scrutamini,* Indicare, non Imperare: vt obseruauimus eiusdem libri c. 10. Illud Pauli, *Scriptura vtilis est,* Bellarminus exponit, quia multa expresse contineat: & quæ non continet, ostendit vnde sint petenda: sic obseruauimus c. 3. lib. 8. huius tomi: & c. 6. illud, *Si nos aut Angelus euangelizet,* primo ad Galatas, idem Bellarminus exponit non de Scriptura sola, sed etiam de Traditione non scripta. Infra etiam Tomi 2. c 5. libri 5. illud *De die illa, nemo scit, nec filius hominis:* ita intelligunt vt sciisse tamen Christum, qua homo est, asserant. Et lib. 6. c. 5. illud, *Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus,* exponunt quia homo. Item c. 8. illud ad Hebræos 2. *propter passionem mortis gloria & honora ornatum:* & illud ex 2. ad Philippenses: *Propter quod & Deus, exaltauit illum: Et dedit illi nomen quod est super omne nomen:* intelligunt dictum, quasi Christus sibi aliquid meruerit. Hæc nos docemus omnia aliter à Veteribus Patribus fuisse exposita. Et sunt ea, vt dixi, specimina. Nam etiam ex his nostris Controuersiis longe maiorem numerum lector colliget.

IX. Quid? quod ipsi interdum diserte profitentur discedere à consensu Veterum? Primo Caietanus initio Commentariorum in Genesin. *Si quando occurrerit nouus sensus textui consonus, quamuis à torrente Doctorum sacrorum alienus, æquū se præbeat lector censorem.* Et rursus. *Nullus detestetur nouū Sacræ Scripturæ sensum, ex hoc quod dissonat à priscis Doctoribus: nō n. alligauit Deus expositionem Scripturarū Sacrarū priscorū Doctorū sensibus: Sed Scripturæ ipsi integræ sub Catholicæ Ecclesiæ censura.* Hęc ex Caietano, & recitat & reprehendit Canus locorū lib. 7. c. 3. Nam quid tū si reprehendat? Certe si personas metimur, præualebit (credo) in regno Papistico Cardinalis Episcopo. Si rem cōsideramus: iam ostensum est, quam pueriliter Canus disputet. Itaque nō immerito Andradium nactus est censorem, qui libro 2. Tridentinæ defensionis asserat, *multa esse, in quibus à Sanctorū Patrū liceat explicandi ratione discedere.*

X. Sed & præter Caietanū, alii. Bellarminus de Pontifice lib. 3. c. 12. discedit à consensu multorū Veterū in explicando illo *Dan, Coluber in via:* cum n. alii interpretentur de Antichristo orituro ex tribu Dan: ille, *Videtur Iacob ad litera loqui de Samsone. Et videtur sane Iacob bene precari filio suo, cū hæc dicit & proinde non malum, sed bonū prædicere.* Et tamē paucis ante versibus, cōtra sentientes nominauerat, Hyppolytū, Ambrosiū, Augustinū, Prosperū, Theodoretū, Gregoriū, Bedā, Rupertū, Arethā, Richardū, Anselmum. Vasques in 3. Thomæ q. 146. c. 3. cum notauit ex ad Hebræos 6. probari nō iterandū baptisma ab Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Theophylacto, Theodoreto, Augustino, Philastrio, Epiphanio, *Nos tamen* (inquit) *ostendimus per pœnitentiam eo loci non intelligi baptismū secundum, sed pœnitentiā, quæ baptizatis peccantibus conceditur.* Idē Vasques, *Nonnulli Patres eā rationem assignat, quod cū hoc Sacramentum significat morte & sepulturā Christi, & Christus tantū semel mortuus fuerit & sepultus, nos etiā semel tantū baptismū suscipere possimus. Hac ratione vtuntur Ambrosius, Basilius, Damascenus, Thomas, & Scholastici plerique,* Et tamen Bellarminus lib. 2. de Sacramentis c. 22. *Hæc ratio nō valet. Nam Eucharistia etiam significat Christi mortem, & tamen repeti potest.*

XI. Nec in Controuersiis tantum, sed ēt in Cōmentariis Maldonatus in Matthæi 6. *Augustinus & Gregorius & alii fere omnes regnum cœlorum hoc loco Ecclesiā vocari dicūt. Melius, vt mihi quidē videtur Chrysostomus & Theophylactus, regnū cœlorū, resurrectionis & vltimi iudicii tēpus vocari putat.* Idē in primū, *Alii existimat titulū esse libri,* nimirū liber generationis: *Seu sumptū ex eo quod initio narratur.* Et post, *Hæc interpretatio plures ac meliores auctores habet,* in qui-

in quibus Augustinum. Sed post. *Alii & titulum esse dicunt, & non vnam tantum partem, sed totum libri argumentum declarare. Quæ interpretatio, video magis placet, quod Hebraismo consentanea est, & plenior.* Idem in Lucæ 1. ad illud, *qui ministri fuerunt sermonis*: quū per sermonē Christum intelligi dixisset ab Origene, Hieronymo, Ambrosio, Euthymio: tū vero, *Magis* (inquit) *assentior iis minoribus licet autoribus, qui existimant nomen λογου, sermonis aut verbi prorè accipi, ex Hebræorum idiomate.* Idem in sextum Ioannis: *Illud mihi difficile persuadere possum, intelligendum esse, tunc scandalizari desinetis, aut tunc intelligetis, tunc credetis: quēadmodū omnes, quos meminī legere, autores interpretatur.* Et in secundum *inter veteres autores, paucos admodum inuenio, qui non aut aperte dicant, aut obscure significent, aliquam culpam, aut errorem certe fuisse, quod si dicant, aut obscure significent, aliquam culpam, aut errorem certe fuisse, quod si lium ad faciendum miraculum incitauerit, si non ob aliud: certe quia intempestiue, & ante tempus id fecit. Ego hoc mihi non persuasero, vllam vnquam in Maria fuisse culpam: multo vero minus, in hoc facto.* In decimum Lucæ, quum quærit quemnam Christus dixerit esse proximum nostrum, & à nonnullis, poni, eum, qui nobis benefacit: à Theophylacto, & nonnullis aliis, eum, qui nostra ope indiget: ab Augustino, eum, cui exhibendum est officium misericordiæ si indiget: Tum vero hos omnes sensus explodit: & omnes homines nostros proximos esse mauult: Ac, *Nescio*, inquit, *an qui aliorum non probo sententias, meam sim aliis probaturus,*

XI. Idem in Matthæi 8. *Cur ante tempus se torqueri dicant* dæmones, *maior quæstio est. Mirum quanto cōsensu pleriq; veteres autores docuerint dæmones ante diem iudicii non torqueri.* Et postea: *Sed tenenda opinio, quæ in Ecclesia iam inualuit, etiam nunc torqueri dæmones.* En tibi consensum Veterum in Scriptura interpretanda oppositum Ecclesiæ. Et quidem Ecclesiæ non vniuersæ: sed recentissimæ. Nam illud *iam inualuit*, eam habet mentem, posse eam sententiam repeti non ab ipso Ecclesiæ initio, quasi tum statim creditam ab omnibus Christianis: sed tantum postremis temporibus. At hoc si verum, quid superest, nisi vt ab ipsis aduersariis discamus consensum Veterum non esse certissimam interpretandæ Scripturæ regulam?

XII. Suares tom. 1. de Sacramentis quæst. 61. artic. 3. disput. 5. sect. 1. tenet Veteres, Iustinum, Irnæum, Chrysostomum, Cyrillum, Eusebium, Epiphanium, Origenem, Theodoretum, Damascenum, Athanasium, Oecumenium, Theophylactum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Tertullianum, Anselmum, Isidorum, autorem altercationis Ecclesiæ, & Synagogæ. Hos, inquam, omnes docuisse circumcisionis vim nullam fuisse nisi distinguendi Israelitas à Gentibus. Primum vero Augustinum docuisse, etiam aduersus peccatum originis valuisse, vt Baptismum: & assensisse Gregorium Bedam, Bernardum, Rupertum, Hugonem, omnes Scholasticos. Ergo, inquam, apparet non fuisse Augustino, non Scholasticis consensum Veterum certissimam regulam aut interpretandæ Scripturæ, aut diiudicandarum controuersiarum. Et quia hodierni Papistæ Augustini sententiam sunt amplexi, his etiam haud aliter visum.

XIII. Toletus in 1. Ioannis, annot. 71. *Doctores sacri caute legendi sunt, dum versant, & opponunt vnctionem illam, de qua Dauid Psal. 44. loquitur dicens, Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, quod de Christo Domino dictum est: docent hanc vnctionem factam in Baptismo, quando Spiritus Sanctus super eum descendit. Ita sentiunt Athanasius, Hilarius, Hieronymus,* Et postea præfert eos, qui factā dixerunt in ipsa incarnatione, Damascenum, & Augustinū.

XIV. Salmero disputat. 51. in Epistolam ad Romanos agens de Virginis Mariæ Conceptione, multus est in eleuanda Veterum autoritate qui multi sunt in contrariam sententiam: Varie igitur reluctatur, sed tres solutiones habet inter alias, huc spectantes, primam, tertiam & postremam. Prima est: *Respondemus ex Augustini libro primo de Meribus Ecclesiæ, capite secundo, tum ex B. Thomæ doctrina, locum ab autoritate esse infirmum: quia ordo docendi est* (vt ibi tradit Augustinus) *vt cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritate nitatur, ea, per quam formetur, assumit. E conuerso enim est, vt infirmitatem autoritatis confirmet ratio.* Sensus est facilis: autoritati Veterum præponderare rationes atque ab ista illam firmari. Quod si est, quis iam audeat consensum Veterum dicere regulam veritatis? Tertia solutio. *Tertio*, inquit, *rationum efficaciam, quæ omni autoritati præstare dignoscitur, in contrarium obiicimus.* Adde postremam. *Denique* (inquit) *contra hanc quam obiectant multitudinem, respondemus verbo Dei: Exodi vigesimo tertio. In iudicio plurimorum non acquiescens sententiæ, vt à vero deuies. Nam cum Donatista in autorum multitudine gloiaretur, respondit Augustinus, signum esse causæ à veritatis nexu destitutæ, quæ soli multorum autoritati, qui errare possunt innititur.* Poterant ista sufficere. Sed hoc tandem cuiusmodi est? *Argumentum petunt à Doctorum antiquitate, cui semper maior honor est habitus, quam nouitatibus. Respondetur, quamlibet ætatem antiquitati semper detulisse: & quilibet senex, vt quidam Poeta dixit, laudator temporis acti. Sed illud asserimus, quo iuniores, eo perspiciores esse Doctores.* Hoc vero quid est tandem, si non est cornicum oculos configere.

XV. Et sane si crederent Papistæ Antiquitatis consensum esse veram veritatis regulam: tum necesse esset eos credere, Patribus iam omnia cognita mysteria pietatis. At hoc illi non credunt. Probo. Roffensis contra Lutherum artic. 18. qui est de indulgentiis. *Neque cuiquam obscurum est, quin posteriori-bus ingeniis multa sint tam ex Euangeliis, quam ex Scripturis cæteris, nunc excussa luculentius, & intellecta perspicacius, quam olim: nimirum, aut quia veteribus adhuc non erat perfracta glacies: neque sufficiebat illorum ætas totum illud Scripturarum Pelagus ad amussim expendere: aut quia semper in amplissima Scripturarum campo, post messores quantumuis exquisitissimos, spicas adhuc intactas licebit colligere. Sunt enim adhuc in Euangeliis loca pleraque satis obscura, quæ non dubito, posteritati multo fient apertiora. Cur enim istud desperabimus, quum ideo traditum sit Euangelium, vt à nobis penitus & ad vnguem intelligatur? Quoniam igitur in Ecclesiam suam amor Christi, non minus nunc quam antea fortis perseuerat, cuius etiam potestas nihil hactenus est immutata: cumque sacer ille Spiritus perpetuus eiusdem Ecclesiæ custos fuerit, sicut ab initio: quis ambigere potest, quin ad eorum, quæ in Euangelio supersunt incognita, claram notitiam, ingenia posteriorum illustrabuntur? Cæterum, vt dicere cœpimus, multa sunt de quibus in priuata Ecclesia nulla quæstio facta fuerat, quæ tamen posteriorum diligentia subortis dubitationibus, iam euaserunt perspicua.* Salmero disput. 51. in Epistolam ad Romanos præter paulo ante recitata: *Deinde dicimus: quod etsi homines erant: & ipsi vere sub originalis peccati tenebris detenti, vt possent errare: tamen per incrementa temporum nota facta sunt diuina mysteria, quæ tamen antea multos latuerunt: ita vt hoc loco nosse beneficium sit temporis: non quod nos meliores simus, quam Patres nostri.* Canus locorum lib. 7. c. 3. *Nec quenquam hoc errore duci oportet, vt si quid Ambrosius aut Hieronymus contra morem doctrinamque huius temporis fecerint, loquuti-ue fuerint, idem sibi arbitretur licere. Primum, quoniam res nonnullæ non erant tunc adeo in Ecclesia definitæ, vt nunc esse videmus.*

FINIS TOMI PRIMI.

DEO ET DEI CARITATI

D.

Tomus secundus

CATHOLICE

PANSTRATIAE

DISTRIBUTIONIS

DANIELIS CHAMIERI

e societate



Restauriert von:
LVR - Archivberatungs-
und Fortbildungszentrum
Papierrestaurierung
Doku.- Nr.: P1358-18

4 Tom. in 2 vol.

VC/28 157

Restauriert von:
LVR - Archivberatungs-
und Fortbildungszentrum
Papierrestaurierung
Doku.- Nr.: P1358-18